C. 584.
C.5.

VETERUM SCRIPTORUM ET MONUMENTORUM HISTORICORUM, DOGMATICORUM, MORALIUM, AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS VIII.

COMPLECTENS VARIA CONCILIA, EPISCOPORUM STATUTA SYNODALIA; CUM AMPLISSIMA COLLECTIONE ACTORUM AD CONCILIUM BASILEENSE PERTINENTIUM. ET DUPLICI HISTORIA CONCILII TRIDENTINI.

Prodiit nunc primum studio & opera domni EDMUNDI MARTENE, *& domni* URSINI DURAND, *Presbyterorum & Monachorum Benedictinorum è Congregatione S. Mauri.*

Hémicycle
L 158
(8)
Salle de Travail
A 2 35

PARISIIS,
Apud MONTALANT, ad Ripam PP. Augustinianorum, prope Pontem S. Michaëlis.

MDCCXXXIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET SUPERIORUM PERMISSU.

PRÆFATIO IN TOMUM VIII.

DE pernicioſo illo ſchiſmate, quod annis circiter quadraginta inconſutilem Chriſti tunicam dilaceravit, diximus in ſuperioris tomi præfatione, ubi ortum ejus, progreſſum, & exitum pro modulo noſtro expendimus; quantæ ſequutæ ſint inde calamitates, quot exorta mala, quot nefanda ſcandala, quæ certe tanta fuere, ut iis exſtirpandis & ſedandis vix ſufficere potuerit potentiſſimorum regum ac principum auctoritas. Eo demum in Conſtantienſi concilio indefeſſis Sigiſmundi imperatoris laboribus extincto, ſpes læta affulgebat, fore ut Chriſti eccleſia, ſub pacis diuturnioris otio placide reſpiraret, ac demum recuperato priſtinæ dignitatis ſplendore, tam inſperato bono aliquandiu perfrueretur. Quis enim novo credidiſſet ſchiſmate tam cito ſcindendam eccleſiam, idque ab epiſcopis aliiſque prælatis in concilio generali congregatis, quorum maxime intererat eccleſiæ pacem procurare, omnemque diſſipare ſciſſionis ſpeciem. Sed ea eſt rerum humanarum inconſtantia.

2. Inter varia autem ſtatuta a Conſtantienſibus patribus edita, nihil ſapientius utiliuſque proviſum ordinatumque fuerat, quam ut frequentia haberentur concilia generalia, in quibus, ut ipſi aiebant, *hæreſum errores, & ſchiſmatum vepres & tribuli exſtirparentur, exceſſus corrigerentur, deformataque reformarentur*; ſicque excultus Dominicus ager frugem uberrimæ fertilitatis produceret; unde ſolemni ſanxere decreto, uti aliud concilium poſt quinquennium a præſentis Conſtantienſis fine computandum Papiæ celebraretur; indeque tertium ſeptennio elapſo, a ſummo pontifice & concilio pariter indicendum in qua mallent civitate; ac deinde de decennio in decennium. Abſoluto itaque anno 1418. Conſtantienſi concilio, Papienſe conſequenter anno 1423. inceptum eſt, quod propter vigentem ea in urbe peſtem tranſlatum eſt in Senenſem civitatem. Quo ſequenti anno 2. Martii finito, indictum in ſeptennium eſt Baſileenſe anno 1431. die 3. Martii inchoandum.

Concilia generalia frequenter celebranda.

Conc. Conſt. Seſſ. 39.

3. Inſtante termino, Martinus papa V. qui ob notas infirmitates intereſſe concilio minime poterat, Julianum S. Angeli diaconum cardinalem, virum egregium, & in rebus gerendis expertiſſimum, legati jam in Germania munere fungentem, futuri concilii vice ſui præſidem creavit, data Romæ apud SS. apoſtolos calendis Februarii bulla, pontificatus ſui anno 14. At defuncto ejuſdem menſis die 20. Martino, Julianus qui in prædicanda apud Germanos cruce adverſus Huſſitas hæreticos totus incumbebat, coactoque numeroſo exercitu ad ſanam fidem armis adducere ſperabat eos, qui ſermonibus ejus ſerpentinas aures obturabant, Baſileam accedere tam cito non cenſuit, majus Deo credens obſequium ſe præſtiturum, ſi inceptum crucis negotium proſequeretur. Hinc factum eſt, ut adveniente præfixo ſeptennii termino; non ſolum ipſe Baſileæ deeſſet, ſed nec ullus epiſcopus aut præla-

Julianus cardinalis creatur præſes concilii Baſileenſis.

Solus abbas Vizeliacenſis præſidis terminos adiit Baſileæ.

tus adfuerit. Unus Alexander abbas Vizeliacenſis, ordinis S. Benedicti, in diœceſi Heduenſi, doctor in decretis, atque excellentiſſimi ducis Burgundiæ conſiliarius, indicto tempore Baſileam acceſſit 3. Martii, quo præciſe die concilium erat incipiendum. Is cum nullum ibidem epiſcopum reperiſſet, animo non deſpondit, ſed coacto ſequenti die capitulo cathedralis eccleſiæ, coram publico notario & teſtibus declaravit, per ſe non ſtare quominus celebraretur concilium, comparuiſſe ſe heſterna die in eccleſia paratum, *ſi quos inveniſſet qui prædicto concilio veniſſent, cum eis vacare circa ea quæ in concilio incumbebant peragenda*, hortatuſque eſt interim, ut expectando venturos, certis diebus & horis, immo ſi velint quolibet die ſecum eodem in loco aut alio ab eis deſignando convenirent, de his quæ tractanda in concilio erant invicem collaturi, præſertim de Huſſitis ad eccleſiæ gremium reducendis, de reformatione eccleſiæ in capite & in membris, & de ratione pacis inter principes & reges procurandæ. Declarationis hujus inſtrumentum ex duobus probæ notæ mſſ. edidimus hoc tomo, ejuſque mentionem faciunt Auguſtinus Patricius canonicus Senenſis in hiſtoria concilii Baſileenſis & Florentini cap. 1. & Julianus cardinalis in epiſtola ad Eugenium papam IV. apud Æneam Silvium pag. 78.

Univerſitas Pariſ. urget concilii inceptionem.

Apud Æneam Silv. p. 79.

Hiſt. univ. Pariſ. tom. 5. p. 393.

4. Nec multo poſt Baſileam advenere Pariſienſis univerſitatis legati Dionyſius *de Sambrenois*, Thomas *Fienne*, Nicolaus Amici, & Guillelmus Evrardi, de quibus Julianus cardinalis in præcitata ad Eugenium papam epiſtola: *Et infra menſem venerunt ambaſſiatores univerſitatis Pariſienſis, & inceperunt tractare de his quæ ad concilium pertinebant, ſcribendo etiam domino imperatori, & aliis dominis Alemanniæ, ut mitterent ad concilium.* Alias jam anno præcedenti *pro acceleratione concilii generalis in civitate Baſilea* celebrandi, litteras ad varios dederat Pariſienſis univerſitas, 7. Octobris ad ſummum pontificem, 20. ejuſdem menſis ad prælatos & principes, 20. Novembris ad imperatorem & electores imperii, ad univerſitatem Viennenſem, necnon ad regem Franciæ, & epiſcopum Belvacenſem. Quæ cum nihil aut parum profeciſſent, legati ejuſdem univerſitatis ad concilium duos ex ſuis, Dionyſium *Sambrenois* & Thomam *Fienne*, Nurembergam ad Julianum cardinalem & Sigiſmundum Cæſarem deſtinarunt, qui ſolidis apud eos rationum momentis concilii urgerent inchoationem. Hæc docet nos Guillelmus Evrardi in epiſtola quæ refertur in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis: *Poſt plurima ſcripta*, inquit, *diverſis principibus, prælatis, univerſitatibus, capitulis, communitatibus, tranſmiſſa etiam domino ſuo delegato, ac regi Romanorum... promiſſiones & ſponſiones huc accedendi dumtaxat reportamus: tamen his protractionibus fatigati, animos noſtros circa plurima verſantes, finaliter intelleximus omnino neceſſarium aliquos noſtrum ad dominum noſtrum & regem Romanorum deſtinare, qui viva voce eiſdem neceſſitatem inſtantis concilii demonſtrarent, & eorum adventum totis viribus procurarent.* Quid inde ſequutum ſit conſequenter prodit Evrardus: *Spatio decem hebdomadarum indefeſſe laborantes, vix tandem votivum conſecuti ſunt fructum. Nam ad requiſitionem prænominati regis & noſtram, ſubdelegavit apoſtolicus legatus præfatus duos egregios doctores*, qui vice ſua concilium aperirent. Addit Evrardus: *Dominus noſter imperator vadit ad Italiam, & promiſit nobis velle ſe papam adducere ad celebrationem concilii.* Data eſt epiſtola Baſileæ 22. Julii.

Tom. 5. pag. 408.

Eugenius IV. Juliano card. mandat, ut quamprimum Baſileam ſe conferat.

5. Qui Martino V. ſucceſſerat Eugenius IV. duas jam ad Julianum cardinalem bullas direxerat, unam 4. idus Martii, qua legationis ei munus in Germania confirmat; alteram pridie calendas Junii, qua concilii Baſileenſis præſidem cum conſtituit, mandans ut illò quam cito ſe conferat: *Placet nobis*, inquit, *& volumus, tibique mandamus, quatenus expedito negotio*

Bohemorum, cujus finis expectatur in brevi, tuos greſſus dirigas ad prædictam civitatem Baſileenſem, & ibi, prout opus videbis eſſe, juxta tibi injuncta & ordinata in concilio Conſtantienſi, optime provideas, prout in tua prudentia & circumſpectione confidimus. At cum Julianus perpaucos tunc & fere nullos adveniſſe Baſileam adverteret, nec decens judicaret cum tam cis in concilio procedere, matura cum prælatis & viris illuſtribus habita deliberatione, inſtante Sigiſmundo Cæſare, necnon duobus Studii Pariſienſis legatis, Johanni *Polemar* decretorum doctori, papæ capellano, ſacrique apoſtolici palatii cauſarum auditori, & Johanni de Raguſio ſacræ theologiæ magiſtro, ordinis Prædicatorum in Romana curia procuratori, vices commiſit ſuas ad incipiendum concilium, eique ſuo nomine præſidendum, cujus commiſſionis tabulas datas Nurembergæ 3. Julii habes hoc tomo pag. 7.

Qui vices committit Johanni de *Polemar* & Johanni de Raguſio.

6. Hi nulla interpoſita mora iter arripiunt, Baſileamque die menſis ejus 19. adveniunt, nec multo poſt, ſcilicet die 23. congregatis in capitulo cathedralis eccleſiæ Alexandro Vizeliacenſi abbate, Thoma *Fiene* U. J. doctore, magiſtro Guillelmo Evrardi, magiſtro Nicolai Amici Studii Pariſienſis legatis, Hugone priore S. Albani Baſileenſis, Henrico *Beyne* in decretis licentiato officiali Baſileenſis epiſcopi, & venerabili Georgio de Andelo decano Baſileenſi, & aliis canonicis & clericis dictæ eccleſiæ & aliarum eccleſiarum dictæ civitatis, ac multis diverſorum ordinum religioſis, commiſſionem ſuam coram publico notario ſignificaverunt, ac facto brevi per Johannem *Polemar* ſermone declaraverunt, promtos ſe & paratos ad rite procedendum in concilii celebratione, eoque animo ac propoſito Baſileam ſe veniſſe, nec per dominum papam ſtare quominus ſtatim incipiatur. Tunc ſurgens Nicolaus Amici dictos vicegerentes oravit, ut concilium declararent inceptum: Cujus requiſitioni ſatis eſſe factum reſpondit Johannes *Polemar*. Deinde communi omnium conſenſu ſancitum eſt, ut ſingulis VI. feriis de concilii rebus tractaturi convenirent. Sequenti autem feria II. die 27. Julii, iterum congregati, ad majorem cautelam, domini præſides inchoatum concilium declararunt. Tunc communi omnium conſilio & aſſenſu Johannes de Raguſio ad Cæſarem profectus eſt, atque interim ſupremam in ſolidum poteſtatem Johannes *Polemar* alter præſidum exercuit.

Qui venientes Baſileam concilium incipiunt.

7. Re cum Bohemis infeliciter acta, Julianus Eugenii juſſis obſequens, Baſileam convolavit. Eo menſe Octobri adveniſſe tradit Gallicæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ auctor. At certum eſt cum litteris Baſilea 19. Septembris datis archiepiſcopum Remenſem & ſuffraganeos ejus ad concilium invitaſſe. Extant hoc tomo hæ litteræ pag. 28. Similes eodem die dedit ad alios archiepiſcopos & eorum ſuffraganeos, quæ extant in mſ. Aquicinctenſi. Sed & Bzovius articulos a Juliano præſide præſcriptos de modo procedendi in ſacro concilio refert, promulgatos in generali congregatione die 26. Septembris 1431. Præterea die 7. Octobris Carolum Francorum regem Philippumque Burgundionum ducem deprecatur, ut ſuos ad concilium oratores mittant. Eodem etiam die Germaniæ præſules hortatur, ut quam citius accedant ſine pompa ad concilium, jubeantque ad illud venire religioſos aliquos ad reformationem idoneos. Sed & eodem die abbatum, præpoſitorum, aliorumque collegiorum diœceſis Baſileenſis prælatorum negligentiam arguit, quod necdum ad concilium comparuiſſent, mandatque ſub graviſſimis pœnis, ut ejuſdem menſis die 13. adſint cuidam ſolemnitati, quæ pro cauſa dicti concilii debebat fieri. Hinc colliges quam pauci infra octo circiter menſes a tempore quo incipi debebat concilium, elapſos Baſileam ſe contuliſſent.

Julianus Baſileam venit.

8. Miſit propterea Julianus Romam ad Eugenium pontificem nuncium, Johannem Pulcri-patris, canonicum Biſuntinum, qui de rebus hactenus in

Eugenium per legatum inſtruit de ſtatu concilii.

concilio geſtis certum eum faceret. Is inter alia retulit Eugenio perpaucos Baſileam adveniſſe prælatos, tres dumtaxat epiſcopos & ſeptem abbates; tutas non eſſe epiſcopis ad eam accedendi vias, prohibente bello inter illuſtriſſimos principes Burgundiæ & Auſtriæ duces; hæreſis Bohemicæ peſtem circumvicinas Baſileæ regiones penetraſſe, ea nonnullos ejus urbis cives infectos clericis eſſe infeſtos. Quibus permotus Eugenius, cum ſpes nulla fructum aliquem ex eo cœtu referendi videretur, de fratrum ſuorum S. R. E. cardinalium conſilio cogitavit, commodiorem alium in locum ſynodum transferre. His acceſſit quod Johannes Palæologus Græcorum imperator, miſſa ad Eugenium legatione, enixe ab eo poſtulaviſſet, ut juxta conventa cum Martino V. ipſe & ſui Romanæ eccleſiæ reconciliarentur: quod ut commodius & ſolidius executioni poſſet demandari, neceſſe erat concilium celebrari, ad quod ipſe Palæologus, patriarcha CP. aliique Græcorum prælati accederent: neque id opportune fieri poſſe, niſi in aliqua civitate Italiæ, & maxime Bononia, quam Palæologi orator approbaverat. Hæc Græcorum unio ſemper Eugenio, etiam antequam ad ſummi pontificatus apicem eveheretur, cordi maxime fuerat, eam ante plures annos promovere ſtuduerat, atque Martinum V. ad deſtinandos Græcorum imperatori & patriarchæ CP. ſolemnes oratores induxerat. Quapropter cum parum & fere nihil ex indicto Baſileæ concilio ſperandum videretur, opportunum Græcorum reconciliationi, eccleſiæque reformationi tempus nactus, totum ſe huic negotio impendere bona fide propoſuit, reque cum S. R. E. cardinalibus communicata, bullam diſſolutionis ſeu potius tranſlationis concilii Baſileenſis ad civitatem Bononienſem edidit, datam Romæ apud S. Petrum pridie idus Novembris anno 1431. Et certe cum Græci generale concilium in Italia peterent, nec duo ſimul concilia generalia poſſent celebrari, æquius nihil videbatur, quam ut diſſoluto ſeu tranſlato Baſileenſi, novum in Italia convocaretur.

Qui illud alio transferre deliberat pro Græcorum unione.

9. Eugenii bullam patribus attulit Daniel Parentinus epiſcopus, quam ubi Julianus præſes accepit, mente ultra quam credi poteſt conſternatus, ſtatim ut verus obedientiæ filius præſidis munia dimiſit. At non fuit eadem aliorum prælatorum, licet ultra decem non eſſent, in pontificem animi demiſſio: immo ſi Juliano ipſi credimus, cum de ſuſpicione diſſolutionis coram ipſo Parentino antiſtite orta eſſet collatio, *omnes de concilio quodammodo verſi ſunt in furorem, & firmaverunt ſe fortius ad perſeverandum.* Et paulo poſt: *Si ego aut quivis alius auderet ſine conſenſu iſtorum diſſolvere aut mutare locum concilii, lapidarent & caperent me ut hæreticum, & credo dentibus me laniarent.* Rebellionis caput fuiſſe dicitur Dominicus Capranica Romanus, decretorum doctor celeberrimus, & epiſcopus Firmanus, qui a Martino V. ſecreto deſignatus cardinalis, nec publice ante mortem ab eo declaratus, cum in conclavi a purpuratis admiſſus non fuiſſet, nec ab Eugenio ſacro collegio aſſociatus, ſupramodum efferatus, Baſileam ſe contulit, ubi cum inchoatum reperiſſet concilium, illiuſque revocandi poteſtatem ab Eugenio factam Juliano, congregatis patribus auctor fuit, ne pontifici concilium diſſolventi obedirent: quin immo contenderent ſine patrum qui convenerant conſenſu haudquaquam poſſe diſſolvi.

Diſſolutioni ſeu tranſlationi concilii pauci qui convenerant recuſant obedire.

Epiſt. ad Eugen. apud Æneam Silv.

10. His animatus Julianus, reſumto quodammodo ſpiritu, præſidentiam etiam reſumſit, duaſque Eugenio ad commovendum idoneas epiſtolas ſcripſit, quibus multis eum rationibus a propoſito revocare conabatur, integritatem ejus & propenſam ad meliora mentem commendans: *Si in juventute*, inquit, *& in omni ætate, ſi ante dignitatem cardinalatus, & poſt ſemper oſtendiſtis ſigna integritatis & ſanctitatis, ſi ſemper nutritor fuiſtis bonorum, & perſecutor malorum, quanto magis nunc facere debetis, cum vices*

Julianus precibus conatur Eugenium a propoſito revocare.

vices Dei geratis in terris. Et poſtea quaſi aliquid a concilio timeret Eugenius: *Quid timet ſanctitas veſtra, quoniam tam munde, tam ſancte vixit, quod potius alii debeant eam timere, quam ipſa alios?* Nihil timebat Eugenius a concilio, qui illud congregari juſſerat, Julianumque invitum & repugnantem Baſileam accedere ſecundis litteris coëgerat. Sed cum in his quæ ad honorem Dei & fidem ſpectant fuiſſet ſemper ardentiſſimus, ut ait ipſe Julianus, Baſileenſis concilii non tam diſſolutionem, quam tranſlationem pro majori eccleſiæ commodo petebat.

propter Bohemorum converſionem.

11. Præcipua Juliani ratio, quam prætexebant alii patres, erat Bohemorum reductio. Eos cum armis ſuperare non potuiſſet, ſaltem diſputatione ad eccleſiæ gremium reducere ſperabat. Invitati jam ad concilium fuerant, miſſique ad eos legati viri egregii, multis habitis cum eis collationibus, ſic tandem effecerant, ut ſe cum ſalvo-conductu Baſileam acceſſuros promitterent. Grave igitur videbatur concilium aut diſſolvere, aut alium in locum transferre, ne deterrerentur inde Bohemi, patribuſque exprobrarent, quod cauſæ diffidentes ſuæ, ab omni collatione abhorrerent, fugerentque de rebus dogmaticis diſſerere: *Si concilium diſſolvatur*, inquit Julianus, *quid dicent hæretici? nonne inſultabunt in noſtros, & fient proterviores? nonne eccleſia fatebitur ſe eſſe victam, cum non auſa fuerit expectare illos quos vocaverat?* Quam turpem notam ut a ſe amolirentur patres Baſileenſes, continuare concilium decrevere, atque ut Eugenium ad ſua vota facilius inflecterent, primam ſeſſionem 7. die Decembris celebraverunt, in qua Conſtantienſis ſynodi decretum de celebrandis frequenter conciliis renovaverunt, moxque alteram 14. Februarii, in qua concilium legitime inchoatum eſſe pronuntiatum eſt, atque in his *quæ ad fidem, exſtirpationem ſchiſmatis, & reformationem eccleſiæ in capite & in membris pertinent*, eſſe ſupra papam. Subſequutaque eſt die 29. Aprilis tertia ſeſſio, quæ concilium a papa diſſolvi non poſſe declaravit. Nec his contenti Baſileenſes, litteras ad Sigiſmundum Cæſarem, Carolum regem Francorum, alioſque reges & principes dedere, eorum præſidium & tutamen adverſus diſſolutionis ſeu tranſlationis bullam implorantes.

Prima, ſecunda & tertia concilii ſeſſio.

Concilium Bituricenſe approbat concil. Baſil.

Ang. Patric. Hiſt. conc. Baſil. c. 8.

12. Interea vocati ad concilium Galliarum prælati, & aliunde ab Eugenio ad præfixum tempus Bononiam convenire juſſi, Bituricas, mandante rege, 3. cal. Februarii congregantur, ubi communi declararunt conſenſu *concilium Baſileæ legitime eſſe congregatum, neque inde poſſe aut debere quoquo modo transferri, & non modo utile eſſe & conveniens concilium non diſſolvi, ſed neceſſario Baſileæ eſſe perficiendum propter res Bohemicas*, &c. *ac proinde Galliæ prælatos concilium adire debere, & legatos mittere ad Eugenium pontificem, rogaturos pro reipublicæ Chriſtianæ commodo, ut concilii diſſolutionem revocet, ſinatque Baſileæ ſynodum eſſe, in qua ſalubriter a patribus incepta abſolvi poſſint.* Addit Patricius, nomine Gallicanæ eccleſiæ delegatum ad pontificem archiepiſcopum Lugdunenſem, *qui hæc omnia patribus qui Baſileæ erant litteris nunciavit, eoſque hortatus eſt, ut cum ſummo pontifice, qui caput eſt eccleſiæ, modeſte agerent.* Optimum monitum, ex quo inferas, quam infeſti Eugenio fuerint vel in ipſo concilii initio Baſileenſes. Et certe patres Biturici congregati principes orant Chriſtianos, *ut nihil a quibuſcumque permittant attentari contra ſanctiſſimum dominum noſtrum, curiam Romanam, Urbem & patrimonium eorum, unde papa & collegium occaſionem indignationis, dilationis, ſuſpenſionis aut mutationis aſſumant, quia fructus exinde ſperatus concilii deperderetur, hæreſes augmentarentur, & mores ſordidi in amplius ſordeſcerent, in Dei offenſam & populi Chriſtiani corruptelam.* Addit Patricius Baſileenſes immenſas regi retuliſſe gratias, eumque deprecatos fuiſſe, ut inſignem ad concilium legatio-

Mittitque ad Eugenium archiepiſcopum Lugd.

Apud Labb. tom. 12. conc. p. 817.

Quem Basileenſes averterc nituntur a legatione.

nem, regnique ſui præſules mitteret; Lugdunenſem vero archiepiſcopum, quem hujus decreti putabant auctorem, miris efferunt laudibus, *illumque vehementer exhortantur, ut dimiſſa legatione ad Urbem, quam inutilem arbitrabantur, concilium quamprimum adeat.* Eorum litteras habes apud Labbeum tom. 12. pag. 831.

Sigiſmundus imperator improbat diſſolutionem concilii.

13. Sigiſmundus vero rex Romanorum ſpoliatus ab Huſſitis Bohemiæ regno, quod recuperare non ſperabat, niſi eorum ad eccleſiæ gremium reductione, in concilio Baſileenſi facienda, audita ejus diſſolutione, ſupramodum commotus, Parmæ 10. Januarii ſcripſit patribus in hæc verba: *De qua re ultra modum ſtupenda tanto amarius turbati ſumus, quanto ex hujuſmodi diſſolutione nedum innumera mala & pericula, quin immo totalis ſubverſio catholicæ fidei & alia diſcrimina ſunt indubie ſucceſſura, & non poſſumus continere dolorem & lacrymas, ſi ipſa ſynodus, quæ omnium imminentium diſcriminum eſt portus ſalutis, & multarum rerum fructuoſa inceptio, ſic vane & ſine ratione ſuo effectu ſicque periculoſe debet fruſtrari;* deinde poſtquam promiſit ſummo ſe pontifici ſcripturum, ut a tranſlationis propoſito deſiſtat, ſic tandem concludit: *Adhortamur ergo paternitates veſtras in Domino noſtro* Jesu Christo, *cujus res agitur, ut nulla ſuggeſtione, aut alio quovis modo diſſolvi velitis, ſed incepta feliciter proſequi & finire, firmam habentes fiduciam, quod ſanctitas domini noſtri aviſata clarius de conditionibus ipſarum rerum, ſi ſaltem non voluerit deſtructionem Chriſtianitatis, & notam indelebilem incurrere, illico aliter & ſalubriter providebit... Confortemini ergo & eſtote robuſti, quoniam ad continuationem ipſius ſacri concilii vobiſcum conſtanter & fideliter uſque ad mortem perſeverare volumus: quia ſic nos fides inſtruit, conſcientia noſtra admonet, & imminentia mala perurgent.*

Hoc tom. p. 55.

Scribitque ad papam & ad alios principes.

14. Eugenii vero nunciis, qui diſſolutionis bullam ei attulerant, diſſimulato dolore, reſpondit haudquaquam hæc ad imperatorem, ſed ad concilii patres ſpectare, iiſque dimiſſis, tres Eugenio legatos direxit, atque ea de re Baſileenſes monuit, ſcripta ad eos 31. Januarii epiſtola ex Placentia, unde ad pontificem accedere die 20. inſequentis Februarii menſis ſibi proponebat. Scripſit præterea ad eorum votum aliis regibus & principibus, ut concilium manutenerent.

15. Sigiſmundo ſatis non fuit ſemel litteras ad Eugenium dediſſe, ſed

Pag. 63. *omni die*, inquit, *& de hora ad horam ſcripta noſtra & nuncios ad ſanctitatem domini papæ iteramus, & juxta exigentiam tantæ rei, nedum opportune, verum etiam importune pulſamus, ut famam diſſolutionis ſacri Baſileenſis concilii omnino velit ſopire, & ad continuationem ipſius paternos impertiri favores.* Ita Placentiæ ſcribebat 7. Februarii 1432. Ut autem Eugenium facilius flecteret, Johannem de Monte canonicum Leodienſem ſacræ paginæ magiſtrum, & papæ cubicularium, ad propria redeuntem, gradum

Pag. 64. ſiſtere juſſit; & quia erat homo *magnæ ſcientiæ, bonæ audacitatis, & ſingularis domeſticitatis cum eadem ſanctitate*, ad papam redire præcepit. Additque duos concilii ad pontificem legatos, Jacobum *Sirck* & Thomam *Fienne* officialem Pariſienſem, aſſecutis in curia Romana aliquibus officiis, ibidem demorari.

Mittit ad papam legatos.

16. Nec multo poſt, die ſcilicet 20. Februarii, concilium admonet Sigiſmundus, Johannem *de Roſemberg*, nobilem regni baronem, Benedictum Albæ-regalis præpoſitum, & Nicolaum *Scok* decretorum doctorem, hac ipſa die ad ſuam ſanctitatem profectos, relaturos ipſi aperte, inquit, quod

Pag. 66. *majeſtas noſtra intendit penitus eidem concilio adhærere uſque ad mortem.* Addit: *Et nos quoque ipſorum veſtigia ſubſequemur illico ad dandam operam ipſi concilio*, &c. *intendentes ad hoc ſummopere, & ſperantes quod diſ-*

poſitis rebus, ad vos quantocius revertemur. Denique patres monet tres ſe Eugenii nuncios, Servandum epiſcopum Lucenſem, abbatem S. Juſtinæ Paduenſis, & Albertum de Comite, nepotem cardinalis de Comite infra quatuor dies expectare.

17. Rerum concilii anxius ſupramodum Cæſar, Baſileenſes monitis pulſare non ceſſabat. Quinta die Martii, cum adhuc Placentiæ verſaretur, oratores ad papam ſuos infra hebdomadam cum ſua ſanctitate conferre debere ſignificat, ſed & Johannem de Monte, *de cujus audacia & apud papam domeſticitate magna* confidebat, ab uno cardinali deterritum, minime auſum fuiſſe Romam uſque reverti. Hic eſt ille Johannes de Monte, cui omnino oppoſitam Eugenius provinciam demandaverat, ut bullam ſuam de tranſlatione concilii, & breve aliud annulo Piſcatoris obſignatum cum aliis cardinalium litteris archiepiſcopo Lugdunenſi deferret, quibus aſſidua ejus officia ad concilii diſſolutionem promovendam ſollicitabant, uti legere eſt in ejuſdem archipræſulis epiſtola ad epiſcopum Lauſanenſem apud Labb. tom. 12. p. 999. Deque omnibus monet Baſileenſes.

18. Interea aliqua de Cæſaris mutatione ſuſpicio Baſileenſes patres invaſit, cum ſcilicet ad Eugenii partes facile poſſet deflectere: quam ſuſpicionem ut a ſe amoveret, eos benigne confirmat eleganti epiſtola data Placentiæ die 16. Martii, plurimis verbis conteſtans ſe ipſis conſtanter adhæſurum: *Et ut clarius vobiſcum loquamur*, inquit, *non ſuffecerunt nuncii, ſcripta & aviſamenta, quæ domino noſtro papæ & dominis cardinalibus tam crebro in alia conciliali materia miſimus: immo per oratores noſtros qui modo ſunt in ſua ſanctitatis præſentia, ſibi dici fecimus aperte, quod ſi ſua ſanctitas deliberaverit in ſua diſſolutione perſiſtere, & non continuare concilium, quod imperialem coronam noſtram nequaquam velimus de manibus ejus ſuſcipere.* Pag. 83.

19. Sequenti die 17. Martii, prædicti Sigiſmundi oratores ab ipſo Eugenio auditi publice fuerunt, de rebus ad ipſum pertinentibus fuſius collocuti, ſic tandem orationi finem faciunt: *Si autem veſtra ſanctitas hoc minime facere, ſed perſiſtere in diſſolutione intenderet, & eſſe, quod abſit, tanti mali cauſa, ex tunc ſua majeſtas per expreſſum veſtræ ſanctitati per nos committit exponere, quod eadem majeſtas ſacro concilio per Spiritum-ſanctum, ut ſupra congregato, & communitati Chriſti fidelium toto poſſe adhærere vult & intendit: quia nullatenus poſſet videre everſionem fidei & eccleſiæ ruinam, &c.* Ejus oratores ab Eugenio auditi. Pag. 95.

20. Duo præſertim Eugenio opponebant patres Baſileenſes. 1. Quod diſſolvendo concilium, de Bohemorum deſperandum eſſet converſione. 2. Quod cum concilium Bononiam indixiſſet in annum & dimidium incipiendum, per tantum temporis ſpatium eccleſiæ reformandæ, pacis inter principes procurandæ, ac Bohemorum in gremium eccleſiæ reducendorum tolleretur occaſio. Ad hæc Magalonenſis epiſcopus, & abbas S. Juſtinæ de Padua reponebant, Eugenium ſui pontificatus initio magno æſtuaſſe deſiderio Baſileenſi concilio perſonaliter intereſſe, ſed *graviſſima*, inquiunt, *infirmitate detentus uſque ad mortem excluſive, conſiderans impoſſibilitatem tanti deſiderii ſui, ut tam longe pergere valeret, & quod tam ardua, tamque urgentia negotia, ut univerſalis reformatio cleri & populi Chriſtiani, hæreſium exſtirpatio, & ſacrum paſſagium, omnino ejus præſentiam & ſacri concilii exigebant, & quod in Baſilea per annum & ultra pauciſſimi convenerint prælati, qui ad talia & tanta non ſufficiebant, dictum concilium quoad locum tantum diſſolvit, illud in Bononia aſſignando, quæ commutatio, continuatio potius dici poteſt, quam diſſolutio, quia Bononiam in convaleſcentia in qua eſt poterat venire.* Et paulo poſt: *Si vero reductio Bohe-* Quid Eugenio opponerent Baſileenſes. Ad quæ reſpondent per nuncios. Pag. 101.

morum & reformatio cleri Germaniæ non debeat aliqualiter differri, placet SS. domino noſtro, ut ſuper illis concilium celebretur tanquam provinciale, in illo domino legato præſidente, in Francofordia, vel in Nurimberga, vel alibi, ubi dominis archiepiſcopis, electoribus & domino legato placuerit; & illo finito, confeſtim ad Bononiam veniant, non alibi divertendo, ubi dominum noſtrum reperient cum ſacro collegio reverendiſſimorum cardinalium ad dictam reformationem efficaciter promtos. Vel ſi prædicta utilius per concilium generale expediri videantur, veniant nunc prælati & alii vocandi qui in Baſilea ſunt & alibi, ut ſanctiſſimus dominus noſter cum majeſtate veſtra, facta ipſius coronatione, ac dominis cardinalibus & ceteris illico Bononiam conveniant, ac ad omnimodam debitam reformationem procedant.

Pag. 127. Sigiſmundus mouet Baſileenſes de gratia cum papa.

21. Tali indignatus reſponſo Sigiſmundus, nunciis declaravit, ſe nec Romam venturum, nec coronam imperialem de pontificis manu acceptu-rum, niſi ille ſententiam mutaret, novoſque ad Baſileenſes legatos miſit, cum litteris datis Parmæ die 8. Aprilis, quibus res cum papæ nunciis actas ſignificavit: adhortatus eos ut firmi in ſuo propoſito conſtanteſque perſeverent. Monuit inſuper epiſcopum Matiſconenſem a papa Baſileam miſſum *ad pervertendum bonas voluntates* eorum, eumdem & ad duces Burgundiæ & Sabaudiæ, ad Ludovicum Palatinum Rheni, ad archiepiſcopos electores eſſe directum, *requirendo eos, ut non adhæreant concilio, neque ſuos illuc mittant: immo revocent ſi quos ibidem habeant;* ſed & quatuor notabiles viros doctores, de rebus concilii collaturos, proxime miſſurum, Johannem Tarentinum & Andream Coloſſenſem archiepiſcopos, Bertrandum Magalonenſem antiſtitem, & Antonium de S. Vito J. U. doctorem, papæ capellanum & ſacri palatii cauſarum auditorem. Bohemos vero particulare reſpuentes concilium, poſtulare generale, illudque non in Italia, ſed Baſileæ, ad quod vocati fuerant.

22. Die vero 17. menſis Maii Sigiſmundus agens adhuc Parmæ, publicum inſtrumentum coram notariis confici juſſit de factis oratoribus ſuis ab Eugenio reſponſis Romæ die 25. quorum hæc ſumma erat. Exponebat pontifex, quam propenſus ſemper fuerit, & quid fecerit ad procurandam inter principes pacem: quod agnoſcens ipſe Sigiſmundus, mediatorem eum habere voluerit inter ſe & Venetos; curiam ſuam jam per Dei gratiam incepiſſe reformare, & quoniam Cæſar ſuis declaraverat nunciis, ad eum non pertinere de concilii prorogatione aut mutatione, ſed ad patres Baſileenſes, iſtud ipſum in Cæſarem regerens: *Rogamus ergo*, inquit, *ipſum filium noſtrum, & vos noſtri parte eumdem rogate, ut non ſe ingerat de talibus, quæ non pertinent ad eum, nec laboret turbare nos & eccleſiam Romanam, cum non ſpectet ad eum niſi obedire ſummo pontifici & Romanæ eccleſiæ, & revereri eoſdem; ſicut etiam oratores noſtri retulerunt ipſummet dixiſſe, quod non ſpectaret ad eum facere vel diſſolvere concilium; ſed ſolummodo facere eccleſiaſticis reverentiam & obedientiam. Non enim ſpectat ad eum quicquam de nobis aut de concilio, ſed pertinet ad eum exſequi ea quæ a nobis vel a concilio fiunt, & revereri, ut diximus, ſummum pontificem in ſede Petri poſitum, & exſequi ea gladio quæ ſunt decreta in conciliis contra hæreticos, ſicut in concilio Conſtantienſi. Et ſi ingerere ſe de talibus attentabit, ipſe videat: Deus autem eſt in cœlis ſuper eum, & ſuper omnes reges mundi, & defendet eccleſiam ſuam & nos vicarium ſuum, & ſucceſſorem Petri apoſtoli, in cujus ſede ſedemus*, &c. Pag. 129.

Baſileenſes plura decreti condunt Eugenio ingrata.

23. Freti Sigiſmundi gratia & favore Baſileenſes Eugenio ſemper infeſti, concilium impune continuarunt, & die 20. Junii quartam celebrantes ſeſſionem, plura pontifici ingrata condidere decreta, in primis ut ſi, durante concilio,

concilio ſedem apoſtolicam vacare contingat, non eo in loco, ubi papa obierit, quod volunt canones, ſucceſſoris fiat electio, ſed Baſileæ. Huic decreto addunt & aliud, ut papa, durante concilio, non poſſit creare cardinales, nec creatos publicare, & quod magis odioſum videtur, ſpreto ejus legato, Avenionenſis civitatis & comitatus Vaineſini adminiſtrationem commiſere Alfonſo S. Euſtachii diacono cardinali: quam infra annum Fuxenſis cardinalis, Eugenii legatus, adjuvante fratre ſuo, comitantibus Laudunenſi, Conſeranenſi, Adurenſi, Apamienſi & Bethleemitano epiſcopis, atque abbate Lezatenſi armis recuperavit, ſicque deinceps ſe geſſit, ut *optimus legatus* nuncuparetur. Pag. 192.

24. Tam præcipitem Baſileenſium concluſionem non probabat haud dubium Sigiſmundus. Nam licet concilio adhæreret, illudque ſpe recuperandi regni Bohemici omni favore proſequeretur, ſchiſma tamen timebat, optabatque patres cum Eugenio concordare. *Non eſſet*, inquit, *nobis ingratum, ſi veſtræ paternitates cum ſanctitate domini papæ concordare poſſent ad evitandum ſchiſma.* Miſitque iterum ad ſummum pontificem Jacobum Ebredunenſem archipræſulem, ſacri imperii principem, virum egregium, cujus in concilio Conſtantienſi, cum tunc eſſet Turonenſis archiepiſcopus, zelum optime noverat. Is ab Eugenio grate acceptus, capitula obtulit, quibus ſcandalis multis obviam iri ſperabat. His cupidus pacis, reformationis eccleſiæ & exſtirpationis hæreſis, annuit papa; at Baſileenſes, quibus ea miſerat Cæſar, illa prorſus reſpuerunt. Reſpuunt oblata Eugenio capitula ab archiepiſcopo Ebredunenſi nomine Cæſaris.

25. Interim Eugenius, ut eos flectere poſſet, quatuor inſignes viros Baſileam direxerat, Johannem Tarentinum, Andream Coloſſenſem archiepiſcopos, Bertrandum Magalonenſem præſulem & Antonium de S. Vito J. U. doctorem. At illi cum perveniſſent Conſtantiam, audita Johannis de Prato decretorum doctoris, papæ cubicularii, & nuncii apoſtolici detentione & incarceratione, nec ſecurum eſſe nunciis apoſtolicis per Germaniam acceſſum, immo quod eos, *cum civitati Baſileenſi appropinquant, nonnulli inſequuntur & capiunt, ac mandata & litteræ apoſtolicæ ſi reperiuntur, auferuntur*, nec ſemel ingreſſis Baſileam licitum eſſe exire; cum *captioſum & illaqueativum* ſalvum-conductum a M. Albiganenſi, Jo. Bonæ-Vallis abbate, & Henrico *Nitard* præpoſito Ulmenſi, oratoribus concilii accepiſſent, proteſtati ſunt per ipſos non ſtare; quominus Baſileam accederent, *ad explicandum circa omnia prædicta bonam, rectam, & ſanctiſſimam intentionem & voluntatem præfati ſanctiſſimi domini noſtri, quam ſemper habuit in præmiſſis*; ſed per eos qui ſalvum-conductum in forma debita non miſerunt. Proteſtati ſunt inſuper *de notoria nullitate illorum, quæ hactenus inibi contra diſpoſitionem & ordinationem S. D. N. ſunt, & eorum quæ in futurum continget attentari.* Eugenius novos ad concilium mittit legatos. Pag. 149.

26. Accepto autem poſtea meliori in forma ſalvo-conductu, Baſileam acceſſerunt, ac die 25. Auguſti in ſingulari patrum congregatione pro Eugenio dicentes, demonſtrare conati ſunt legitime ab eo potuiſſe diſſolvi ac transferri concilium, cum tam pauci tunc conveniſſent epiſcopi, ut nova ad concilium fieri convocatio peteretur, nec defuiſſent pontifici rationes & cauſæ legitimæ concilii transferendi: quod ſi Bononiæ locus eis eſſet ingratus, *placere Eugenio, ut Baſileenſes locum eligant quem velint ex civitatibus eccleſiæ ſubjectis. Pontificem locum illum pro tempore concilii libere dimiſſurum in poteſtate patrum, prorogationem autem omnem tollere quamprimum illi locum nominaverint ... Bohemorum reductionem extra Germaniam facilius quam in Germania, præſente pontifice, quam abſente, fieri poſſe, illoſque, ſi reconciliari velint, non recuſaturos loci mutationem, neque Græcorum unionem propter Bohemos eſſe ſpernendam*, &c. Ad hanc ar- Qui pro eo in concilio perorant. Aug. Patric. Hiſt. conc. Baſil. cap. 14.

chiepiſcopi Tarentini orationem eleganter reſpondit Julianus cardinalis, concilii præſes, vir ſummo ingenio, ſingulari facundia & excellenti doctrina, nihil omnino concedens pontifici.

Panic. cap. 12. Concilii promotores petunt Eugenium declarari contumacem.

27. Celebrata paulo poſt, ſexta ſcilicet Septembris, ſeſſione ſexta, cui affuere Julianus præſes, cum cardinali Placentino & Dominico Firmano Eugenii hoſte infenſiſſimo, atque prælatis xxxii. pluviali ornatis, concilii promotores retulere patribus Eugenium pontificem & S. R. E. cardinales legitime ad concilium vocatos, ſecundum tertiæ ſeſſionis decretum, & pontificem requiſitum, ut intra præfixum tempus diſſolutionis bullam revocaret, minime paruiſſe: proinde requirere ut contumaces cenſerentur damnarenturque. Quod cum patres declarare vellent, Eugenii nuncii Tarentinus & Coloſſenſis archiepiſcopi, Magalonenſis præſul, & Antonius de S. Vito, ut ſuper declaratione contumaciæ ſuperſederetur impetraverunt. Cum peteretur declaratio contra xvii. cardinales citatos, aſſurrexere complures, aſſerentes mandatum ſe habere ad eorum excuſationem.

Imperator invitatur ad concilium. Pag. 159.

28. Dum pontificem diſcerpere ac proſcindere conantur Baſileenſes, ut ex Sigiſmundi præſentia pondus aliquod decretis ſuis addere poſſent, iteratis ad eum litteris, regiam majeſtatem obſecrarunt, ut ad concilium accedere non dedignaretur. Quibus ille ex Senenſi civitate die 15. Auguſti reſcripſit, utilius ſe in Italia pro concilio laborare, nec tum expedire ut ad eos commigret, cum jam venturos expectet cardinales duos ſibi a pontifice miſſos. Pag. 166. Nec multo poſt, hoc eſt 28. Auguſti, ſignificavit pontificem ab ipſo petiiſſe, quatenus apud eos inſtaret, totum ut per menſem Septembrem abſtinerent a proceſſibus, oravitque tantiſper eos ſuſpendere. Altero etiam poſt menſe 29. Septembris, habita cum cardinalibus ab Eugenio miſſis collatione, agnovit neceſſarium eſſe cum papa colloquium, ut diſſidium ipſum inter & concilium componere poſſet, accingenſque ſe ad Romanum iter, rogavit, petiit, & affectuoſiſſime adhortatus eſt patres, *ne intermedio tempore aliquod ſcandalum oriatur, aut intercidere poſſit quomodolibet caſus hujuſmodi ſalutiferi negotii turbativus, ut interim a proceſſibus & aliis rebus quæ contra dominum apoſtolicum, aut alias perſonas forte jam fierent, ſuperſedere vellent uſque ad clariorem aviſationem.* Addit Sigiſmundus ceſſatura etiam Romæ quæcumque adverſus eos eſſent attentata. Idem etiam Willelmo comiti Palatino, & duci Bavariæ vices ejus in concilio gerenti fuſius reſcripſit: declarans ni flectatur Eugenius Roma ſe abiturum, non recepta imperii corona.

Accingit ſe ad iter Romanum, & petit ſuſpendi proceſſus in Eugenium. Pag. 186.

Novos Baſileenſes legatos mittunt ad Cæſarem adverſus papam. Pag. 198.

29. Hæc dum ita ſe haberent, novos ad Cæſarem legatos miſere Baſileenſes, qui acta in concilio cum nunciis pontificis nota ei facerent, monerentque *ut a tractatibus quibuſcumque cum ſummo pontifice & aliis ſuperſedere, illoſque amputare* vellet, *niſi ſanctitas ſua ſacro concilio Baſileenſi ſimpliciter adhæreat.* At ille die 31. Octobris reſpondit, Romam ſe iturum *ab bonam concordiam & unanimitatem inter ſacrum concilium & ſanctitatem ſuam adaptandam: quoniam ſpes firma ſibi data eſſet, quod ex mutua conventione, & non aliter negotium aptari poſſet.* His non obſtantibus Baſileenſes patres ſeptimam celebrant ſeſſionem die 6. Novembris, renovantque quartæ ſeſſionis decretum, ſtatuentes ut vacante ſede apoſtolica, extra concilium ad electionem non procederetur: quod quidem decretum cardinalibus Romæ commorantibus ſignificavere, ſcripta ad eos epiſtola, quam hic habes pag. 200.

Qui ad alios principes ſcribit. Pag. 137.

30. His permotus religioſiſſimus imperator, ad univerſos reges & principes ſcripſit, *quod ſi ſacrum Baſileenſe concilium quoquomodo traheretur in longum, aut aliis machinationibus, quod abſit, turbaretur, non ſuccederet aliud, niſi ruina eccleſiæ, ſubverſio fidei, adnihilatioque totius ſtatus ec-*

cleſiaſtici, & per conſequens omnium Chriſtianorum. Quapropter ad tantum diſſipandum periculum, eos hortatus eſt, ut Baſileam quantocius accedant, aut ſaltem oratores ſuos mittant. Die vero 16. Januarii 1433. patribus notam fecit confœderationem inter Poloniæ regem, & Bohemos hæreticos initam; quæ iſtos *taliter extulit, ut etiam juxta condicta ad ſacrum Baſileenſe concilium venire minus advertant, & etiam in fideles Chriſticolas fortius & ſecurius debacchentur.*

31. Septimam ſeſſionem proxime ſubſecuta eſt die 18. Decembris ſeſſio octava, in qua accuſata per promotores concilii, Eugenii & cardinalium contumacia, furentes in pontificem Baſileenſes mandant, ut infra ſexaginta dies concilii diſſolutionem aut tranſlationem revocet, decretis ejus adhæreat, ſin minus in ipſum proceſſuri, *prout Spiritus-ſanctus dictaverit, & tam de jure divino quam humano fuerit procedendum.* Vetant inſuper, ne infra prædictum terminum ullum ad cathedrales eccleſias promoveat, mandantque cardinalibus, aliiſque prælatis curiam Romanam ſequentibus, ſub pœna privationis beneficiorum & dignitatum, ut intra viginti dies, prædictos ſexaginta proxime ſequentes, ab obſequiis & curia Eugenii concilio non obtemperantis diſcedant, ſeſeque Baſileam ad concilium generale conferant. Denique quaſvis gabellas ſeu impoſitiones in terras eccleſiæ Romanæ, omneſque alienationes, ſeu impignorationes bonorum mobilium, & jurium illius interdicunt Eugenio. Octava concilii ſeſſio adverſus Eugenium.

32. In ſeſſione vero IX. quæ die 22. Januarii 1433. celebrata eſt, irritas declarant quaſcumque ſententias in Sigiſmundum imperatorem, vel Willelmum ducem Bavariæ, concilii defenſorem, ab Eugenio latas aut ferendas. Cum illarum ſententiarum inſtrumenta in hunc uſque diem latuerint, qui de actis in concilio Baſileenſi hactenus tractaverunt auctores, videntur dubitare, an revera latæ fuerint aliquando. At latas revera fuiſſe probant ea quæ Sigiſmundi oratores in generali congregatione die 20. Januarii 1433. ex ſchedula patribus recitavere, de his *quæ dominus imperator libentiſſime fecit ad promotionem concilii Baſileenſis*, & de his *quæ paſſus eſt, & libenter ſuſtinet propter adhæſionem ſacri concilii*; in quibus regnis ſuis privatus commemoratur. Si auctori Gallicæ Hiſtoriæ eccleſiaſticæ fides ſit, adfuit ſeſſioni Sigiſmundus Cæſar a patribus ſummo honore exceptus. At deceptum auctorem opinor titulo hujus ſeſſionis, qui ſic effertur: *Concilium recipit Sigiſmundum imperatorem*, verum ab editore omiſſum exiſtimo *ſub ſua protectione.* Nam aliunde conſtat Sigiſmundum tunc Senis commoratum fuiſſe; ut probant cum variæ epiſtolæ ante & poſt ſeſſionem ea in civitate ſcriptæ, ubi etiam totos decem menſes egiſſe narrat Bzovius, tum lecta duobus ante diebus in generali congregatione ſchedula a nobis modo citata. An papa ſententias in Cæſarem pronuntiaverit. Pag. 330.

33. Die XIX. menſis Februarii decima ſeſſio habita eſt, in qua octavæ ſeſſionis decretum, abrogans omnes eccleſiarum cathedralium, aliorumque beneficiorum promotiones *in fomentum diſſolutionis & impedimentum ſacri concilii* ab Eugenio factas, confirmatur. Eadem in ſeſſione accuſata per promotores Eugenii contumacia, miſſi ad eccleſiæ valvas fuere duo epiſcopi Uticenſis & Novarienſis, ad inquirendum an Eugenius pontifex, ſeu alius ejus nomine adeſſet: quibus referentibus neminem comparuiſſe, legatus concilii nomine judicis deputavit ad examinandum factum contra Eugenium proceſſum. Seſſio X. adverſus Eugenium.

34. Dum ſic in everſionem Eugenii conſpirare videbantur patres Baſileenſes, ipſe cogitans cogitationes pacis & non afflictionis, bullam edidit datam 14. menſis Februarii, in qua poſtquam eas retulit rationes, quæ eum ad transferendum Bononiam concilium Baſileenſe commoverant, hæc ha- Eugenius aſſentit concilium Baſileæ celebretur

Labb. tom. 12. p. 942. bet: *Verum quia ut ex plurimorum fidelium relatione percepimus, plurima quæ tunc Basileæ concilii celebrationem impediebant, utique cessaverunt... & nobis per Romanorum regem præfatum, & venerabiles fratres & dilectos filios nobiles viros electores S. R. I. extiterit supplicatum, ut consentire vellemus Basileæ generale concilium celebrari pro bono universalis ecclesiæ militantis; nos cogitantes non esse reprehensibile, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque variantur humana, ne bonum, si quod Basileæ fieri posset, aliquatenus impediatur, dicta dissolutione concilii jam facta non obstante, statuimus, volumus & mandamus de eorumdem fratrum nostrorum consilio, quod Basileæ sacrum generale concilium per nostros legatos illuc quantocius transmittendos, & qui nomine nostro eidem præsideant, celebretur.* Hanc bullam misit Eugenius Sigismundo imperatori, scripta ad eum epistola 16. Februarii, in qua prædicta confirmat his verbis:

Hoc tom. p. 936. *Ut palam fiat intentio nostra, scilicet optimo animo & sincera mente id nos fecisse, ad recludenda obloquentium ora, & ad omnes dissensionum materias funditus exstirpandas, quæ ex causa exoriri possent, cum multorum principum precibus, tum sponte nostra, pro bono ecclesiæ, non obstante illa mutatione loci, volumus Basileæ hujusmodi concilium fiat, ad quam quamprimum nostros legatos cum gratia Dei transmittemus.* Quam epistolam imperator cum prædicta bulla patribus destinandam judicavit, *ut his*, inquit,

Ibid. p. 935. *perlectis & pensatis singulis, salutem universalis ecclesiæ prospiciatis, ut schisma illud inveteratum, quod alias inæstimabilibus laboribus sublatum fuit, omnimode evitetur.* Nam etsi semper faverit Sigismundus concilio Basileensi, cujus opera sperabat reductis Hussitis Bohemicum regnum recuperare, animum tamen adjecit, cum ad imminentem ecclesiæ scissionem amovendam, tum ad exhibenda summo pontifici debita officia, cum eo lenius placidiusque agi peroptans.

Eugenii legati veniunt Basileam. 35. Advenerunt interim Basileam oratores Eugenii Johannes Mella referendarius, Christophorus Cervienſis episcopus referendarius, Ludovicus S. Justinæ Paduensis abbas, & Nicolaus S. Mariæ de Moniacis in diœcesi Montis-regalis abbas, qui 7. die Martii in generali congregatione admissi, coram patribus perorarunt. Et prior quidem Johannes Mella totus effusus est in laudes Eugenii. Ejus animi candorem, integritatem, clementiam & pietatem præsertim extulit. Alter post eum Nicolaus abbas paulo fusiorem habuit sermonem, ac diligenter discussis sinistris de Eugenio rumoribus, demonstrare conatus est ex Bononiensis concilii institutione violatas ab Eugenio minime fuisse Constantiensis & Senensis conciliorum constitutiones de celebrando post septennium Basileæ concilio. Nam cum a præfixo septennii termino plurimi jam effluxissent menses, nec interim ullus qui jus haberet cum ferendi suffragii, tum consulendi comparuisset, poterat hoc casu summus pontifex de consensu cardinalium aliud alium in locum indicere. Deinde etiamsi aliqui constituto tempore convenissent episcopi, poterat Eugenius ex legitima causa, subscribentibus cardinalibus, vel saltem eorum duabus partibus, concilium transferre. Nec defuisse translationis legitimas causas in bulla ejus relatas, quarum præcipua fuit, reformatio ecclesiæ tantopere ab eo desideratæ, quam extra Italiam, eo minime præsente, tractari posse, ut opus erat, non credebat, &c. Quæ postquam fusius exposuit, consequenter addidit: *Condescendens idem dominus noster papa paratus est in præsentiarum pro scandalo evitando justitiam suam negligere, & in hac re Christi pietatem, clementiam & benignitatem imitari.* Nam quamvis plures eis dedisset instructiones, *attamen*, inquit, *ut vobis reverendissimis patribus morem geramus* injunxit. Instructiones autem illæ hæc ferebant: ut placeret patribus gratam habere pro concilio Bononiam, quam civitatem

cum

tum ſuo comitatu & fortalitiis in ea exiſtentibus, *in manu concilii, durante toto tempore concilii*, ponere offerebat: remiſſurus & irritaturus quidquid acerbius fuiſſet occaſione concilii decretum, dummodo per eos attentata in ipſum nulla etiam eſſe declararentur. Quod ſi Bohemi Bononiam tranſferri recuſarent, annuebat ut ad eorum reductionem, intra quatuor menſium ſpatium a die requiſitionis eorum faciendam, aut plus aut minus, Baſileæ concilium continuaretur: quo tempore etiam de pace inter principes Chriſtianos poſſent tractare. Elapſo vero ad reductionem Bohemorum termino, *non differrent prælati Baſileæ exiſtentes ad dictam civitatem Bononiæ ſe transferre, ubi ipſum concilium, ut præmiſſum eſt, erit perficiendum.* Quod ſi præfracte Bononiam recuſarent, placebat ut ipſi de alia in Italia urbe, extra ducis Mediolanenſis ditionem, cum oratoribus ſuis tractarent, & amice convenirent. Si vero hæc a pontifice oblata æqua non viderentur, annuebat Eugenius, ut delecti ex patrum cœtu duodecim prælati, neutri parti ſuſpecti, de his ſimul cognoſcant cum electorum imperii, regum & principum oratoribus. Denique ſi judicaverint concilium in Germania celebrandum, placeret, modo extra Baſileam. Quod vero ad eccleſiæ reformationem ſpectabat, petebat Eugenius, ut non extenderent manus ad ardua, niſi præſentibus in concilio LXXV. epiſcopis. Hæc omnia fuſius enarrata videri poſſunt in oratione Nicolai abbatis S. Mariæ de Moniacis, & in quatuor Eugenii inſtructionibus hic a nobis editis pag. 545. & ſeq. Ad quos reſponderunt tam ipſe concilii præſes quam promotores, pag. 557.

36. Hæc dum ita ſe haberent, advenerunt tandem Baſileam invitati ad concilium Bohemorum legati, omnes ad defendendum errores ſuos parati: quibus a Juliano præſide aliiſque patribus omni humanitate exceptis, aſſignata eſt ad dicendum dies Januarii decima ſexta. Quatuor inter eos ſelecti quatuor, ut aiebant, veritates acriter propugnarunt. Primus Johannes Rochiſana pro communione ſub utraque ſpecie tribus diebus dixit. Poſt quem duobus diebus ſecundam veritatem de correctione publicorum peccatorum expoſuit Nicolaus presbyter Taborita. Tertius Ulricus presbyter Orphanorum, de libera verbi Dei prædicatione duobus etiam diebus diſputavit. Denique Petrus *Payne* presbyter Anglus temporale clericorum dominium impugnavit tribus diebus. His infra decem dies expeditis, antequam reſponderent doctores catholici, interrogavit eos Julianus præſes de viginti octo aliis gravioribus erroribus, qui dogmatizati in Bohemia ferebantur. Nam realem Chriſti in euchariſtia præſentiam, converſionem panis & vini in Chriſti corpus & ſanguinem negabant. Confirmationis & Extremæunctionis ſacramenta, uti & confeſſionis peccatorum inutilia eſſe aſſerebant, &c. De quibus interrogati, reſponderunt mandatum ſibi eſſe, ut de quatuor capitalibus tantum veritatibus dicerent, & nihil ultra. Ut autem loqui ceſſarunt, Johannes de Raguſio ordinis Prædicatorum, Ægidius Carlerius decanus Cameracenſis, Henricus *Kalceiſen* ordinis Prædicatorum, & Johannes *de Polemar*, quatuor eorum veritates, a veritate longe abeſſe demonſtrarunt. Qui agmen ducebat Johannes de Raguſio ab eis ægre omnino auditus eſt, cum dicta eorum hæreſis nota inuſſit, querentibus illis ſibi contumelioſe maledici, præter jus & æquum, vixque tres alios poſt eum reſponſuros audire conſenſerunt, audierunt tamen, atque eis replicare permiſſi ſunt. Johannis de Rokiſana & Ulrici presbyteri orationes, cum replica magiſtri Ægidii Carlerii ad dicta Nicolai Taboritæ, & iſtius reſponſione ad replicam Carlerii, replica Ulrici ad dicta magiſtrii Henrici *Kalceiſen*, atque Johannis *de Polemar* poſitione pro temporalitate atque juriſdictione eccleſiæ, ex mſſ. collegii regii Navarræ hoc tomo edidimus.

Bohemorum legati Baſileam adveniunt, & diſputant.

37. Bohemi, qui cum ſincera redeundi ad eccleſiæ gremium voluntate

In patriam redeunt.

Basileam non videntur venisse, solidis doctorum catholicorum rationibus aures obturantes, quantocius redire festinarunt, nec ultra dies quinquaginta Æneas Silv. Hist. Boh. c. 50. Basileæ commorari potuerunt: *Disputatum est quinquaginta diebus*, inquit Æneas Silvius, *multa in utramque partem adducta. Postremo cum victa Hussitarum perfidia vinci nollet, ad tractatus ventum. Tentatum si fortassis amice trahi possent. Missi & oratores ex concilio in Bohemiam viri doctissimi, & qui gentis versutiam nossent. Multa cum Bohemis agitata, nunc pacis spes facta, nunc belli metus.* Deputati ad Bohemos fuere Philibertus Legationi ex mittuntur. episcopus Constantiensis, Petrus Augustensis præsul, Johannes de *Polemar*, Fridericus *Prasperger* præpositus Ratisponensis, Ægidius Carlerius decanus Cameracensis, Alexander *Sparuc* Anglus, Thomas *Haselbach* Vindobonensis theologus, Henricus Tocgius canonicus Magdeburgensis, Martinus *Beruier* decanus Turonensis, & Johannes monachus Mulbrunensis, qui die undecima Martii a concilio designati, decima quarta die Aprilis Basilea relicta Bohemiam versus iter arripuere.

38. Dum sic Bohemos ecclesiæ catholicæ reconciliare nituntur Basileenses patres, nihil prorsus reliqui faciunt, ut Eugenium ecclesiæ caput humiliatum conterant. Ad eos placandos & vitandum scandalum annuerat pontifex, ut concilium, quod Bononiam transtulerat, Basileæ continuaretur. Basileenses Eugenii nuncios recipere recusant. Novos ex sacro collegio præsides quatuor, Jordanum Sabinensem, Petrum Albanensem episcopos, Nicolaum S. Crucis in Jerusalem, & Angelotum presbyteros cardinales mittere proposuerat, qui cum Juliano cardinali præsiderent. Affulgebatque jam spes certa futuræ pacis, cum elati illi quod Eugenium ad instaurandum concilium adegissent, novas ei lites suscitarunt, atque apostolica ejus dogmata carpere cœperunt. Quæsti sunt in primis pontificem in suo decreto monitis eorum non gessisse morem, cœptum jam aliquandiu Basileæ concilium non agnoscere, sed tantum per suos celebrandum legatos decrevisse: illius etiam auctoritatem ad duo tantum contraxisse, nimirum ad hæreticos reducendos ad fidem, & conciliandam inter principes Christianos pacem: restituendæ vero ecclesiasticæ disciplinæ curam ab eo prætermitti; sed neque confirmari ea quæ jam essent gesta. Datam insuper cardinalibus præsidibus potestatem excogitarunt, ex qua inferretur, quod si concilium quippiam statueret, & a cardinalibus respueretur, pro infecto esset. Contendere denique non tantum præsides, sed etiam pontificem ipsum concilio esse obnoxium, adeo ut si ipsi non pareat, possit in eum animadverti. Ac tandem missos ab Eugenio novos ad præsidendum legatos admittere recusarunt. Nemo est qui hic sub pii studii specie manifesta schismatis semina non animadvertat. E. amplius elucent in celebrata v. cal. Maii Sessio XI. adversus Eugenium. sessione undecima, in qua sanxere Romanum pontificem ad adeundum constituto tempore concilium, aut ad mittendos ad illud legatos astringi: si vero illud dissolvere, mutare aut alio extrahere nitatur, nec elapso quatuor mensium spatio se emendaverit, jure exercendæ supremæ potestatis, quam ad concilium devolutam volunt, fore interdictum. Si autem bimestri postea contemserit, de eo pontificia dignitate exturbando actum iri. His addiderunt cardinalibus omnibus licere, renitente etiam papa, interesse concilio, quod solvi aut transferri posse negant, nisi assentientibus his qui convenerint, &c.

Quam male Basileenses interpretati sint Eugenii diploma.

39. Verum quam sinistre diploma pontificium interpretati sint Basileenses, patet ex epistola Sigismundi Cæsaris scripta ad eos, & lecta in congregatione generali die 2. Maii, in qua hæc inter alia: *Verumtamen* APPROBANTE *domino summo pontifice sacrum concilium, ad persuasionem nonnullorum notabilium virorum, & etiam oratorum nostrorum, & imperii sacri principum electorum... cum sanctitate sua concordes remansimus in deificis &*

Pag. 581.

honeſtis, ſicque per totum iſtum menſem Aprilis cum ſanctitate ſua in Viterbio conſtituemur uſque ad medium Junii, &c. *Et hæc veſtris paternitatibus ideo deſcribimus, ut ſi quis hanc concordiam ſiniſtre initam forte interpretari vellet, illud a veſtris paternitatibus non credatur: certificantes vos, quod niſi ſanctitas ſua ſæpedictum concilium* APPROBASSET, *indubie ſine noſtris coronis, quas propter facta ipſius concilii tantopere prætermiſimus, ad propria rediiſſemus.* Ubi vides APPROBATUM ab Eugenio concilium: cui pontifici non minus gratis impingunt legatorum ſuorum in concilio poteſtatem ad duo tantum reſtrinxiſſe, ad reductionem hæreticorum, & ad pacem inter principes, prætermiſſa eccleſiæ reformatione. Quæ an vera ſint, judicent æqui lectores ex epiſtola Eugenii ad ipſum concilium, patres hortantis, ut cum ſuis legatis *zelo Sancti Spiritus inflammati, his quæ ad reformationem morum, exſtirpationem hæreſum, pacem Chriſtianorum, honorem ſedis apoſtolicæ, augmentum religionis & reipublicæ Chriſtianæ conducant, prout ad unumquemque pertinet, totis cordis caritatis viſceribus intendere velitis. Singulari enim (teſtis eſt nobis ille qui nihil ignorat) & ſincero cordis tenemur deſiderio, concilium hujuſmodi ita ex inſtinctu Spiritus-ſancti, in cujus caritate & fervore congregatos vos eſſe oportet, debet celebrari, ut debita divini honoris ac nominis exaltatio, congrua eccleſiæ reformatio, pacis & tranquillitatis, totius populi Chriſtiani reductio & reintegritatis conſequatur .... Agite igitur, ac bonis ſinceriſque & in Deum erectis animis eſtote ad ſingula quæque ſalubria & ſancta eccleſiaſticæ reipublicæ & univerſo populo Chriſtiano patranda & etiam reducenda parati.* Hic unus fuit Eugenii in concilio ſcopus, cujus epiſtola data eſt VI. idus Maii. Pag. 590.

40. Ultimo ejuſdem menſis die, quo ſacrum Pentecoſtes feſtum eccleſia celebrabat, imperiales infulas de manu Eugenii pontificis recepit Sigiſmundus, quod ſtatim ſcripta ad patres Baſileenſes epiſtola data Romæ 4. Junii ſignificavit. *Et quia*, inquit, *ſanctitatem ipſius domini noſtri reperimus habere optimam intentionem ad proſecutionem illorum, pro quibus ſacrum concilium congregatum exiſtit, & pro quo in favorem ſacri concilii uſque modo tantos labores ſubivimus*: idcirco novos eis mittit oratores, de ſua mente plene inſtructos, quibus tamquam proprio ori in dicendis firmiſſime credi poſtulat. *Credentia illius litteræ fuit, quod concilium vellet ſuperſedere a ſeſſione celebranda de monitione papæ, &c. quod tamen non fuit factum.* Ita circumſpecte & conſiderate ſe cum ſummo pontifice habebant illi patres. Coronatur Sigiſmundus ab Eugenio. Pag. 607.

41. Interim Eugenius rebus geſtis Baſileenſium patrum ultra modum offenſus, prima die Julii ad perpetuam rei memoriam edidit bullam, in qua poſtquam expoſuit præcipuam concilii operam *ad morum reformationem, ad tollendos errores & hæreſes, & ad pacem ponendam inter principes & populos Chriſtianos* dirigi & intendi debere, *diſplicenter* ſe accepiſſe aſſerit, *quod in dicto concilio in aliquibus potius privatæ utilitati, quam publicæ intenditur, & a rectis finibus, ad quos dicta concilia expreſſe ordinata ſunt deviando, privatarum ac ſingularum perſonarum cauſæ & lites in dicto concilio ventilantur, agnoſcuntur & terminantur, non equidem ſine magna diſtractione ſive diverſione prædictorum quæ tractari debent*; quod ille de fratrum ſuorum S. R. E. cardinalium conſilio fieri vetat.

42. Baſileenſes, quos Sigiſmundus imperator per ſuos oratores oraverat, ut a celebranda ſeſſione de monitione papæ ſuperſederent, tanti principis precibus non moti, III. idus Julii ſeſſionem XII. habuerunt, in qua conquerentes de Eugenio, quod ipſis pro libito non pareret, precibus Sigiſmundi coacti, LX. dierum ſpatium indulgent, ad revocandam prætenſam notorie ſcandaloſam concilii diſſolutionem, & declarandum concilium Baſileenſes ſeſſionem XII. contra Eugenium celebrant.

legitime inchoatum, riteque continuatum fuiſſe, eique ſimpliciter adhærendum: quibus elapſis, ſi prædicta ad votum non adimpleverit, eumdem *Eugenium manifeſte contumacem, notorie incorrigibiliterque ſcandalizantem eccleſiam, ab omni papatu in ſpiritualibus & temporalibus ipſo facto ſuſpendunt, & ſuſpenſum declarant, proceſſuri ad ulteriora, uſque ad ſententiam finalem incluſive, ſi opus fuerit, ipſo domino Eugenio amplius non citato*; adminiſtrationem eccleſiæ Romanæ in ſpiritualibus & temporalibus ſibi interim reſervantes. Inſuper irritas declarant omnes promotiones ad dignitates eccleſiaſticas in præjudicium concilii per Eugenium faciendas, mandantque omnibus cardinalibus, prælatis, officiariis & clericis quibuſque in Romana curia exiſtentibus, ut poſt dicti termini lapſum, infra triginta dies immediate ſequentes a curia Romana recedant: cardinalibus vero & patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis qui de jure & conſuetudine ad concilia venire tenentur, ut ad illud accedant. Denique omnes cauſas tam eccleſiaſticas, quam prophanas, civiles, & criminales ad ſe advocant.

Concilii decretum horruit Sigiſm. imperator.

43. Horruerunt concilii decretum omnes pii principes, in primis vero Sigiſmundus imperator, qui licet faveret concilio, intactum tamen optabat Eugenium: quapropter accepto ab ipſis Baſileenſibus decreto, Roma die 3. Auguſti reſcripſit eis in hunc modum: *Ante & poſt receptionem litterarum veſtrarum, erga ſuam ſanctitatem fecimus exactam diligentiam, & nunc, inſpirante in cor ejus gratia divina, taliter pro voluntate & exhortationibus ſacri concilii Baſileenſis & V. P. & pro bono ſtatu univerſalis eccleſiæ, conſervatione ejus, ſanctitas ſua ſic inclinata eſt, quod de noſtra reverſione recipietis conſolationem, totuſque mundus gaudebit, & vos merito eritis contenti. Ut autem ex præcipitatione & acceleratione negotii ſcandalum univerſali eccleſiæ non exſurgat, laboribus tandem vix totius Chriſtianitatis tollendum & ſubmovendum, V. R. P. ſinceris affectibus in Domino ſtudioſe exhortamur, quatenus decretum citationis jam factæ & proceſſus contra ſuam ſanctitatem, expletis* LX. *diebus jam deputatis exinde fiendos & fulminandos, uſque ad adventum noſtrum felicem ad ipſum ſacrum concilium Baſileenſe, ad quod continuatis greſſibus dirigimus iter noſtrum, ſuſpendere & prorogare velitis, ad nullos in ipſa re actus medio tempore procedentes, aut in ipſa re aliquid innovantes.* Roma verſus Baſileam profectus eſt Sigiſmundus die Auguſti undecimo, at tantæ moræ impatientes Baſileenſes, novos ei jam in itinere conſtituto dirigunt nuncios. Quapropter Cæſar ex Monte-rotundo die 15. Auguſti legatos eis direxit, Willelmum comitem Palatinum Rheni ducem Bavariæ, Johannem epiſcopum Curienſem, & Hermannum *Offenburg* militem familiarem ſuum, qui nomine ſuo patres exorarent, ut decretum citationis uſque ad menſem ſuſpendere vellent.

Pag. 627.

Carolus rex Francorum.

44. Paucis poſt diebus, 28. Auguſti Carolus rex Francorum concilio ſcripſit in hæc verba: *Urget nos, patres orthodoxi, Chriſti caritas, ſanctiſſimi patris noſtri filialis amor, optimo jure debitus honor, fervens zelus, & veſtra ſancta congregationis in idipſum, ea ſcribere quæ ad pacem ſunt. Audivimus, viri patres amantiſſimi, ſacri pontifices præcolendi, decretum nuper in ſeſſione veſtra promulgatum adverſus beatiſſimum patrem noſtrum univerſalis eccleſiæ ſummum pontificem, quod utique, ut verum fateamur, non parum deterruit nos, pertimeſcentes non immerito ventura ſcandala, turbationes conſcientiarum, diviſiones regnorum, attento quod pauci reges & principes Chriſtianitatis, quos tantum negotium omnes proxime tangit, nondum comparuerunt, aut incorporati decreto minime adhæſerunt: quæ omnia totis viribus propulſare noſtra parte debuimus, votis omnibus ab*

Pag. 633.

eccleſia

eccleſia ſancta catholica tolli & deleri peroptamus. Attendite, patres zelantiſſimi, & videte, precamur vos per viſcera miſericordiæ & caritatis Jesu Christi, *& ſocietatem Spiritus, ne ita arctare videamini beatiſſimum patrem noſtrum, ut ſchiſma peſtiferum & horrendum ſupernimium in corpore eccleſiæ e vicino oriatur, quod natura ipſa ſagax tantopere refugit. Exhorreſcit animus, & heu diuturni nimis ſchiſmatis, noviſſime tantis laboribus & vigiliis ſedati actus memoria, quod pie avertat Dominus ejus eccleſiæ catholicæ ſponſus*, &c.

45. Eadem etiam fuit mens Henrici regis Angliæ, idem animus, eadem a decreto iſto averſio, quod ne promulgaretur, ejus in concilio oratores modis omnibus inhibuere. Nec tanti beneficii immemor Eugenius immenſas regi gratias agere diſtulit: *Sicut a multis fide dignis*, inquit, *accepimus, oratores tui, quos deſtinaſti ad concilium Baſileenſe, ſemper in omnibus caſibus qui acciderunt fideliter obſequentes voluntati tuæ, pro noſtro & Romanæ eccleſiæ ſtatu & honore tuo, laudabiliter ſe habuerunt, & egregiam operam fide & devotione tua dignam cum ſingulari prudentia præſtiterunt, & noviſſime omni ſtudio contendentes prohibere conati ſunt, ne promulgaretur, & pias aures offenderet illud quod magis tonitruum, quam decretum ex ſacro concilio emanatum appellari poteſt: in quo decrevere & pronunciare auſi ſunt, nos niſi infra certum terminum adeſſemus, ut eis placet, præfato concilio, ab omni adminiſtratione papatus fore ſuſpenſos: quo nihil iniquius*, &c. Tum regis merita grato animo prædicans, hortatur ut jus ſuum & eccleſiæ auctoritatem fovere ac defendere auctoritate regia pergat: *In cujus ſanctæ defenſionis officio*, inquit, *non eſtis ſolus, ſed, ut tenemus indubie, habebis ſocios, uno fortaſſis excepto, quem honoris ſui cauſa nominare non volumus, omnes catholicos principes, & præſertim cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Sigiſmundum Romanorum imperatorem illuſtrem, qui nobiſcum plurimis diebus fuit, & noſtram ſinceram diſpoſitionem & optimam voluntatem circa omnia quæ concernunt honorem Dei, reformationem eccleſiæ, exſtirpationem hæreſum, pacem fidelium, & ſalutem populi Chriſtiani, quæ merito agenda ſunt in ſacro concilio, plene vidit, tetigit & cognovit*, &c. Henricus rex Angliæ. Pag. 629.

46. Eodem zelo, & pacis ac unionis ſtudio accenſi Conradus Moguntinenſis, Theodericus Colonienſis archiepiſcopi, Ludovicus comes Palatinus Rheni & dux Bavariæ, Fridericus dux Saxoniæ & marchio Miſnenſis, & Fridericus marchio Brandeburgenſis & burgravius Nurembergenſis, omnes S. R. I. electores & principes, ſacro concilio ſcribentes, rogant, *quatenus immortalis Dei ac totius Chriſtianæ fidei & religionis cauſas, quibus*, inquiunt, *intenditis, & tempora undique pavore juſto horrenda, conſcientiarum veſtrarum ſecretis ſcrutiniis meditantes, decretum monitorium contra SS. dominum noſtrum Eugenium papam promulgatum, inſigni veſtra pietate relaxare, ac populum fidelem a multa perplexitate, quam incidet illo non mitigato decreto, eripere more piiſſimorum patrum benigniter dignemini*, &c. Hæc illi ſcribebant e Francofordia 7. Septembris 1433. Electorum imperii. Pag. 637.

47. Nec vero Baſileenſes tot illuſtriſſimorum principum litteris & precibus a propoſito dimoveri potuerunt, habitaque XI. Septembris die ſeſſione XIII. promotores, accuſata Eugenii contumacia, requiſierunt, ut adverſus eum ulterius procederetur. At Sigiſmundi Cæſaris oratores, Willelmus dux Bavariæ, Johannes epiſcopus & Hermannus *Offenburg* interceſſere, petieruntque imperatoris nomine, ut ſexaginta dierum termino, qui necdum effluxus erat, triginta prorogationis dies adderentur: quos petentis intuitu indulſerunt. Seſſio XIII. adverſus Eugenium.

48. Dum pontificem ita premebant Baſileenſes, ipſe pacis & unionis cu-

Eugenius ſe probat concilium. Conc. tom. 12. p. 946.

pidus, data calendis Auguſti bulla, declaravit *præfatum generale concilium a tempore inchoationis ſuæ continuatum fuiſſe & eſſe, proſecutionem ſemper habuiſſe & continuari, proſecutionemque ad prædicta habere debere, perinde ac ſi nulla commutatio, tranſlatio ſeu diſſolutio facta fuiſſet; quin immo*, inquit, *præfatam commutationem, tranſlationem ſeu diſſolutionem revocantes, ipſum concilium pure, ſimpliciter & cum effectu, ac omni caritate amplectimur, pro viribus illud promovere, ac omni favore proſequi intendimus: ita tamen quod præſidentes noſtri ad præfati concilii præſidentiam admittantur cum effectu, ac omnia & ſingula contra perſonam, auctoritatem, ac libertatem noſtram & ſedis apoſtolicæ, & venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium, & aliorum quorumcumque nobis adhærentium, in dicto concilio facta & geſta, per dictum concilium prius tollantur, & in priſtinum ſtatum reducantur.* Nec mora, idibus Auguſti tres ad concilium

Novos legatos ad concilium mittit.

deſignavit legatos, Bartholomæum archiepiſcopum Spalatenſem, Chriſtophorum Cervienſem epiſcopum, & Nicolaum abbatem B. Mariæ de Moniacis, qui patribus peterent ea revocari omnia, quæ hactenus contra ejus perſonam, auctoritatem & libertatem, ſediſque apoſtolicæ ac S. R. E. cardinalium, omniumque ei adhærentium fecerant, cum plena & integra poteſtate nomine ejus ea ſimiliter revocandi, quæ Romæ adverſus concilium geſta fuerant. Hanc bullam ſi aliquantum expectaſſent Baſileenſes, non tam præcipites forte fuiſſent in celebranda ſeſſione XIII. quæ principes Chriſtianos, ac Venetos præſertim ita exacerbavit, ut cardinali Bononienſi receſſum

Pag. 639.

a concilio ſub graviſſimis pœnis præceperint: qua de re Baſileenſes cum *lamentatione* ſcripſerunt imperatori, orantes ut tam apud papam, quam apud Venetos ſic ſuam adhibeat operam, ut talis juſſio revocetur. His accedit

Pag. 641.

quod illuſtriſſimi Burgundiæ & Sabaudiæ duces Baſileenſes deprecantur, *ut pro vitandis tantis periculis*, decretum ſuſpenſionis contra dominum papam editum prorogare dignentur *uſque ad tres menſes, inchoantes a die reſponſionis ipſis aſſignandæ.*

Sigiſmundus venit ad concilium, & patres hortatur ad concordiam.

49. Quinto idus Octobris, cum ſuſpenſionis ſententiam in Eugenium laturi, patres conveniſſent, Baſileæ nunciatur Sigiſmundum Cæſarem jam urbem ingreſſum ad templum properare. Effundunt ſe illi obviam patres, & magna cum lætitia ad publicum conſeſſum deducunt, differturque negotium ob Cæſaris adventum in octavum diem. Sequenti feria quarta, die XIV. Octobris, congregatis patribus expoſuit Sigiſmundus Eugenium pontificem eſſe paratum amplecti ſacrum Baſileenſe concilium, eoſque ad

Pag. 667.

pacem cum eo ineundam vehementer hortatus, ſubdidit: *Audiſtis, patres, quanta puritate & caritate dominus noſter ſummus pontifex amplecti velit hoc ſacrum concilium, quanto etiam ſtudio & favore id proſequi intendat. Jam petit præfatus ſanctiſſimus dominus noſter, quicquid contra perſonam, auctoritatem & libertatem ſuam, & ſedis apoſtolicæ ac aliorum ſibi adhærentium & fidelium actum eſt, revocari & in priſtinum ſtatum reduci. Ipſe ſi quid dictæ proſecutioni & continuationi obſtans eſt tollit & revocat. Petit etiam, quod juſtiſſimum eſt, ſuo & apoſtolicæ ſedis nomine præſidentem admitti... Videte quam facile convenire poteſtis, & quam ſancta huic petitioni acquieſcere... Hæc ſunt quæ præfatus ſanctiſſimus dominus noſter ad pacem & concordiam offert, & quidem ſufficientiſſima, ſi amore & devote recipiantur. Si itaque pietatem, ſi veram ſolidamque juſtitiam colitis, omni ſtudio & devotione & induſtria ad ea quæ ſupradicta ſunt velitis intendere, dare laudem Deo, pacem mundo.* Verba ſane eximia, & Chriſtiano digna principe.

Julianus præſes impugnat Eugenii bullas. Pag. 643.

50. Duobus poſt diebus, nempe XVI. Octobris, Julianus præſes in publico conſeſſu, præſentibus apoſtolicæ ſedis legatis, elegantem & prolixam

habuit coram imperatore orationem, in qua probare conatus eſt concilium legitime congregatum poteſtatem a Chriſto immediate accipere, cujus decretis omnes, etiam papa Romanus, tenetur obedire, nec poſſe ab illo diſſolvi. Deinde oblatas pontificis bullas impugnavit, nihilque a concilio adverſus ſedem apoſtolicam attentatum fuiſſe contendit, immo decreta ejus omnia, ſi æqua lance ponderentur, nihil niſi juſtum continere. Poſtea ad ea quæ patribus objiciebantur reſpondit, ac de Eugenio viciſſim plurimum conqueſtus eſt. Quæ cum copioſe &: eleganter more ſuo peroraſſet, archiepiſcopus Spalatenſis unus ex Eugenii legatis, licet improviſus nec præmonitus huc acceſſiſſet, paucis ea repetens omnia quæ a Juliano dicta fuerant, conteſtatus datum ſibi fuiſſe in mandatis, ne de auctoritate papæ diſſereret, in gratiam Eugenii loquutus eſt: cujus ſermonem bis abrupit Julianus, qui poſtquam ille dicere ceſſavit, ad ejus dicta replicavit, ipſique viciſſim Spalatenſis.

51. Aſſurgens poſt utroſque Franciſcus de Capitibus Liſte, unus ex Venetorum oratoribus, qui mandatum a ſuo dominio acceperant, ut ſeſe pacis & concordiæ ſequeſtros offerrent, expoſuit Cæſari vix diſputationibus poſſe aliquid confici, ſed de concordia; *quæ interventu imperialis majeſtatis in foribus erat*, potius tractandum, paratum ad eam pontificem, quem revocaturum ſperabat ea omnia, quæ in bullis ejus patres improbabant. *Ne igitur propter hujuſmodi diſputationes inutiles retardaretur pax, quies & concordia, quas ſequi ſperamus interventu veſtræ ſanctiſſimæ regiæ majeſtatis, ſupplicamus*, inquit, *ut ſi quid reſtat bullis addendum, id totum petatur & habebitur ... Cum itaque majeſtas imperialis, & iſti regum & principum oratores ſint, qui nihil aliud vellent, niſi quod bonum, ſanctum & rectum ſit, & pro ſancta Dei eccleſia utile, ne ullam diviſionem vel ſciſſuram in ipſa eccleſia naſci contingat, ſupplicamus, ut acceptetur aliqua via bona per regiam majeſtatem & oratores regum & principum offerenda, quæ, non dubito, unionem in Dei eccleſia conſervabit, & erit pro ſummo pontifice & ſacro concilio utilis admodum & ſalutifera.*

Venetorum orator inſtat ad pacem.

Pag. 667.

52. Auditis omnibus, tandem Sigiſmundus: *Retrahamus*, inquit, *nos ad partem, ita quod concilium ſtet in ſuo robore, & papa in ſuo honore. Et ne tempus labatur, quia appropinquat dies Dominica, nos inveniemus bonum aliquem modum cum ambaſſiatoribus principum.* Conſequenter die lunæ XIX. Octobris, ad inſtantiam imperatoris & oratorum principum, præfixus Eugenio terminus prorogatur ad dies octo: quibus elapſis, altera dierum octo prorogatio indulta. Denique in ſeſſione XIV. quæ coram imperatore celebrata eſt VIII. idus Novembris, cum patres Cæſarem ad pacem inclinare perſpicerent, rurſus ad dies nonaginta terminum prorogarunt, miſeruntque interim Eugenio aliquas adhæſionis formulas: quibus cum ille ſponte ſubſcripſiſſet, pax tandem data eccleſiæ eſt in ſeſſione XVI. die V. Februarii, bullam adhæſionis Eugenii exhibentibus Johanne Tarentino archiepiſcopo & Chriſtophoro Cervienſi antiſtite. Poſtea vigeſima ſexta Aprilis in ſeſſione XVII. præſente imperatore, admiſſi fuere nuncii Eugenii, Nicolaus tituli S. Crucis in Jeruſalem, Julianus S. Angeli cardinales, Johannes Tarentinus archiepiſcopus, Petrus Paduanus epiſcopus, & Ludovicus abbas S. Juſtinæ Paduanæ, ad præſidendum concilio ſub certis conditionibus quæ in decreto exprimuntur. Duobus vero poſt menſibus, VI. ſcilicet calendas Julii, celebrata ſeſſione XVIII. renovatum eſt Conſtantienſis concilii decretum de ſuprema conciliorum auctoritate immediate a Deo accepta, cui in his quæ pertinent ad fidem, exſtirpationem hæreſum aut ſchiſmatum, ac reformationem eccleſiæ, omnes, etiamſi papalis ſint dignitatis, tenentur obedire, contumaciter parere recuſantibus condignæ pœnitentiæ ſubjiciendis.

Prorogatur præfixus Eugenio terminus, qui ſubſcribit ſibi miſſæ adhæſionis formulæ.

Baſileenſes legatos mittunt ad Græcos.

53. Cum concilium Bononiam transferre ſibi propoſuit Eugenius, quam diu ante meditatus fuerat Græcorum ad Romanæ eccleſiæ gremium reverſionem in mente habuit. Hanc illi palmam ut eriperent Baſileenſes, duos miſere Conſtantinopolim legatos, Antonium ſcilicet epiſcopum Sudenſem, & Albertum de Criſpis ſacræ paginæ profeſſorem, qui Johannem Palæologum imperatorem, & Joſephum patriarcham orarent, ut pro unionis negotio ſuos ad concilium Baſileenſe mitterent oratores. Hi ab imperatore, qui unionem a Romanis pontificibus jam enixe poſtulaverat, gratiſſime excepti atque auditi fuere, ſtatuitque aliquos cum prædictis legatis nomine ſuo Baſileam dirigere: qui cum periculum in mari fuiſſent experti, redire Conſtantinopolim coacti ſunt. Tunc Palæologus Sudenſem antiſtitem cum ſuis litteris remittens, Albertum de Criſpis, legatorum alterum ſecum retinuit, ut cum ſuis oratoribus poſtea proficiſceretur. Ad hanc legationem deſignati fuere Demetrius Palæologus, Iſidorus abbas S. Demetrii, & Johannes Diſſipatus, tres viri inſignes, ex his qui apud eos magnæ videbantur auctoritatis, quorum primus ipſum imperatorem conſanguinitate tangebat. Hi cum Alberto de Criſpis circa initium anni 1434. profecti, multa in mari perpeſſi pericula, ad malorum cumulum cum attigiſſent Hungariam, ab armigeris Johannis Banneti *de Marot* rebus boniſque ſpoliati, Budam accedentes, a Strigonienſi archiepiſcopo aliiſque epiſcopis, prælatis & baronibus, ducentis ad perficiendum iter ducatis donati ſunt. Hæc ex Ulma die 25. Junii ſcribebat concilio Albertus de Criſpis, cujus epiſtola in publica congregatione die 3. Julii 1434. recitata eſt. Tandem Baſileam pervenientes Græci a concilii præſide perhonorifice excepti, qui elegantem & egregiam ad eos orationem habuit de bono pacis, quam hic habes pag. 674. ad quam illi reſpondentes, ſuum pro dicta unione deſiderium extulerunt, pag. 684.

Pag. 673.

Græcorum legati veniſſe Baſileam.

Conveniunt de loco concilii generalis celebrandi pro unione.

54. His præmiſſis, concilium S. R. E. cardinales præſidentes, patriarcham Antiochenum, archiepiſcopos, epiſcopos, abbates, magiſtros & doctores ſufficienti numero deputavit, ad tractandum cum prædictis oratoribus de mediis procurandæ unionis. Hanc cum nonniſi in generali concilio, & præſente ſummo pontifice fieri poſſe aſſererent oratores Græcorum, inſtarentque e contrario deputati concilii, ut Baſileæ iniretur, tandem aſſenſere omnes, ut in Calabria, Ancona, aut alia urbe maritima, Bononiæ, Mediolani, aut alia Italiæ civitate, vel extra Italiam Budæ in Hungaria, Viennæ in Auſtria, vel in Sabaudia celebraretur ſynodus, ad quam imperator, patriarcha, aliique Græcorum præſules expenſis concilii accederent, ipſi etiam patres Baſileenſes infra menſem ab adventu Græcorum ad ultimum portum. Nonnullaque conſcripſere capitula, ab utriſque approbata, quorum confirmationem ab Eugenio peti voluerunt oratores Græci.

Pag. 739.

Eugenius patribus ſignificat aliam ſe viam ad unionem jam Græcis obtuliſſe.

55. Hæc cum accepiſſet pontifex, legatis ſuis concilii præſidibus reſcripſit, anno ſe præterito cum oratoribus Johannis Palæologi, qui Romam ad eum venerant, una cum ſacro cardinalium collegio, aſſiſtente ſibi Sigiſmundo Romanorum imperatore, perplura hoc de negotio tractaviſſe; cumque illi ſemper inſtarent, ut in civitate Ancona utriuſque eccleſiæ fieret generalis conventus, cui Palæologus intereſſet, videreturque res multæ eſſe difficultatis & magnæ expenſæ, nihil tunc concluſiſſe. Sed ejus anni menſe Julio ad Johannem imperatorem & Joſephum patriarcham miſiſſe Chriſtophorum Biratonum ſecretarium ſuum græce & latine peritum, qui poſt multos cum eis tractatus, *tandem comperit ipſos omnes id eligere, ut unus legatus a ſede apoſtolica cum prælatis & aliis viris doctiſſimis ad urbem Conſtantinopolitanam tranſmittantur, ubi & prælati & alii majores, una cum ipſo Johanne imperatore conveniant, ibique per viam diſputationis veritate patefacta, utraque eccleſia optatum unionis ac pacis conſequatur effectum.*

ctum. Additque ſe litteras ea de re ab imperatore & Joſepho patriarcha accepiſſe, eamdemque eſſe mentem imperatoris Trapezuntii, & patriarchæ Armenorum. Eumdem porro Chriſtophorum cum capitulis quibuſdam, *quæ menti utriuſque ſatisfacere videbantur*, præterito menſe Julio remiſiſſe Conſtantinopolim: quæ quidem capitula ipſis dirigebat, ut quid in ipſo concilio cum prædictis oratoribus pertractari poſſet intelligerent. Hic obiter obſervare libet, quanta cum Baſileenſibus circumſpectione tunc egerit Eugenius, qui cum ingratas ipſis perſpexiſſet omnes Italiæ civitates, Conſtantinopolim Anconæ ad faciendum conventum & unionem prætulerit; ſimulque quam parum ſibi conſtiterint illi patres, qui cum Eugenio pro reductione Græcorum in quamvis Italiæ civitatem concilium transferre volenti præfracte obſtitiſſent, nunc Anchonam, Bononiam, Mediolanum, aut quamvis aliam Italiæ civitatem infra menſem a Græcorum ad ultimum portum acceſſu, Baſilea concedere aſſentiunt. Supradicta capitula confirmavit ſancta ſynodus VII. idus Septembris in publica ſeſſione XIX. *cumque omni caritate obſecrat & deprecatur, ac per viſcera miſericordiæ* JESU CHRISTI *cum quanta poteſt inſtantia exorat, requirit, ut in favorem fidei & eccleſiaſticæ unitatis præfatis capitulis & conventionibus ſynodali decreto approbatis & ratificatis per ſuas litteras more Romanæ curiæ bullatas expreſſum aſſenſum præbeat* Eugenius. Ut autem Sigiſmundum imperatorem amplius ſibi demereri pergerent Baſileenſes, quæ pacta cum Græcis fuerant, ei cum decreto ſuo mittere curaverunt. Quibus grate acceptis, magnopere eſt cohortatus, ut quantum facere enitique poſſent, ea omnia haberent exitum optabilem. Scripſit quoque de eodem negotio ad Johannem Palæologum epiſtolam hic editam pag. 752. & 753. Item ad concilium & ad Græcorum imperatorem.

Baſileenſes Eugenium orant, ut ſua confirmet capitula.

Labb. tom. 12. p. 546.

56. Interea Baſileenſes Simonem *Freron* canonicum Aurelianenſem ad Eugenium papam dirigunt, quem quidem ille ad omnia paratum reperit, ſed nullum retulit certum reſponſum, expectante ſummo pontifice Nicolaum S. Crucis in Jeruſalem, & Johannem S. Petri ad Vincula cardinales, quos prius conſulendos judicabat de tanti momenti rebus, præſertim cum jam Romæ quamprimum adfuturi nunciarentur. Hæc Florentia ſcribebat Eugenius die 20. Octobris: quo fere tempore Trapezundarum imperator ſuaviſſimis ei litteris ſignificavit, ſeſe ardenti æſtuare deſiderio videndæ illius optatiſſimæ diei, qua utraque eccleſia, ad hanc diem miſere diviſa, in unum feliciter coaleſceret corpus. Et tacite carpens Baſileenſes patres, qui pium pontificem ab ipſo fere concilii ſui initio acrius vexare & irritare non ceſſarant, *Parcat illis Deus*, inquit, *quibus non eſt timor Dei eamdem ſanctitatem veſtram vexare, curioſam tanti boni merita adimplere.*

Mittunt ad eum legatum.

Eugenio ſcribit imperator Trapezund.

Labb. tom. 12. p. 1010.

57. Litteras etiam Iſaias Jeroſolymitanus epiſcopus die 1. Novembris attulit Conſtantinopoli ad Eugenium; cujus zelum ad gratiſſimam ſibi unionem cum Romana eccleſia, quam *communem omnium matrem* vocabat, efferens, adjecit ſeſe ea de re ſæpius contuliſſe anno præterito cum Chriſtophoro ejus ſecretario & nuncio; quodque injunxerat pater beatiſſimus epiſtolas ſuas in Armenum converſas ad Joſephum patriarcham dirigi, ea completum diligentia, ut fauſta omnia ab eo ſperaret; quæ fuſius exponeret prædictus Chriſtophorus brevi ad eum imperatoris juſſu reverſurus, moxque ab eo rediturus Conſtantinopolim *pro apparatu unionis ſanctiſſimæ, quæ cum imperatore noviter per eum veſtræ beatitudinis nomine concluſa eſt.* Poſtremo delegaturum ſe promiſit e ſuis presbyteris, *cum quo poterit omnia diligenter circa unionis materiam tractare & perficere.*

Et patriarcha Jeroſolymitanus.

Pag. 757.

58. Porro reverſis e concilio legatis, iiſque auditis, egregiam Eugenius ad Baſileenſes ſcripſit epiſtolam, in qua poſtquam ea quæ ad promovendam

Eugenius mentem ſuam pater-

ne ſignificat patribus, cum quo conciliaribus affentitur.

Græcorum reductionem ſub Martini V. pontificatu fecerat, quæ poſt ſuam ad ſummi apoſtolatus apicem aſſumtionem, etiam præſente Sigiſmundo imperatore, ea de re tractaverat, expoſuit, corum ad tam pium opus ſtudium commendat, paternamque hanc ſubjicit reprehenſionem: *Verum hoc admirari cogimur, quod in re tanta & tam gravi, tamque diu deſiderata & a nobis tractata, aliud per vos concluſum ſit, non ſolum nobis inconſultis, verum etiam irrequiſitis & inſciis: præſertim cum ea ſint concluſa & promiſſa, quæ ex pluribus cauſis non tantum difficilia, ſed etiam impoſſibilia multis eſſe videantur, & quæ non ſpem rei conſiciendæ, ſed deſperationem potius afferant menti noſtræ. Affectionem tamen veſtram, ut præmiſimus, meritis laudibus commendamus: ex quibus ſit, ut ad eam rem diligentius animadvertendum eſſe videatur. A vobis namque uno modo concluſum eſt, orator noſter forſan & veriſimiliter alio modo concluſit. Quid ſi uno tempore de ea re duæ variæ & diverſæ fiant concluſiones? Profecto ridiculum erit, & quod magis eſt, forte ex hac diſſenſione ſcandalum pariturum, ſaltem non parvum dedecus nobis omnibus allaturum. Quid præterea ſi juxta modum concluſionis veſtræ ad eam unionem pertingere, veluti expertiſſimi viri autumant, impoſſibile eſſe contingat? Nonne ad pudorem & confuſionem cedet totius catholicæ militantis eccleſiæ? quæ ne accidant ſummopere cavendum eſt. Illa igitur media nobis & venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus eligenda videntur, quæ breviora atque expeditiora ſunt, & ad ejus ſanctiſſimæ unionis finem conſequendum magis veriſimilia. Hæc non ad obviandum rebus per vos geſtis ſcribimus, cum & ad eumdem finem, quem vos optatis, noſtra tendit intentio; & idcirco noſtra parum referat, qua via aut quo modo is finis ſequatur. Sed hæc ad pleniorem informationem veſtram. Verumtamen ut noſtram ſinceram & puram voluntatem plane perſpiciatis, ſi omiſſis quæ ſupra diximus, per eum modum, quo cum præfatis oratoribus concluſiſtis, rem ipſam tandem proſequi intenditis, ex nunc pure & libere noſtrum, prout petitis, præbemus aſſenſum.* Eodem tempore cardinalis de Urſinis, ſcripta ad patres eleganti epiſtola, ſignificavit Eugenium eorum votis *cum maximo favore religionis* aſſenſum præbuiſſe, & cum eo ſacrum collegium.

Pag. 766.

59. Interea patres Baſileenſes multos excogitabant modos colligendæ pecuniæ pro expenſis futuri cum Græcis concilii, quos hic habes pag. 763. cum proteſtatione ſuper materia indulgentiarum per inclytam nationem Germanicam facta in generali congregatione die XI. Februarii 1435. pag. 798. Quæ dum agitarentur, Sigiſmundus imperator die 4. Decembris conqueſtus eſt de patribus, quod tardius remiſſiuſque ad reformationem eccleſiæ in capite & in membris procederent: quapropter petiit, ut *particularibus negotiis prætermiſſis, quæ hoc ſacrum concilium compluribus annis tenuerunt occupatum, ad generalem tam in capite quam in membris reformationem procedatur.* Atque etiam *ut provideatur, ne diſſolutio ſacri concilii, vel etiam ipſius loci tranſlatio, etiam propter Græcos, quovis modo admittatur, niſi ea propter quæ concilium ipſum eſt congregatum, fuerint convenienter prius expedita... Item, ut ſanctiſſimus dominus noſter papa, qui omnia quæ ſacrum concilium voluerat fecit, obedienter & devote plus ſolito veneretur, & quod ſumma diligentia fiat, etiam cum cenſuris eccleſiaſticis, ſi neceſſe fuerit, pro recuperatione dominiorum, terrarum & bonorum S. R. E. ſibi ablatorum...* Denique poſtulavit, *ut cauſæ prophanæ ad forum eccleſiaſticum non pertinentes, quæ per ſimplicem querelam vel appellationem ad concilium, vel ad judicem eccleſiaſticum paſſim introducuntur, in foro eccleſiaſtico non tractentur; ſed ad domini imperatoris, vel alterius domini temporalis judicium ſine difficultate remittantur, ne inde magna inter ec-*

Cæſar de Baſileenſibus queritur.

Pag. 776.

cleſiaſticum ſtatum & ſecularem ſuſpicata turbatio ſurgat.

60. Quod de concordatis a Baſileenſibus cum Græcorum oratoribus prædixerat Eugenius, uno ſcilicet modo eos conveniſſe, alio veriſimiliter modo a nuncio ſuo concludendum, evenit. Ex quo factum eſt, ut rejectis Baſileenſium propoſitionibus, Græci oblata ab Eugenii legato capitula ſtatim complecterentur, cum vocantes *patrem, fidelium moderatorem, fideique & pietatis firmamentum*: id quod Eugenio ſignificavit Chriſtophorus Caratonus die 21. Decembris, monens duos ſecum ab imperatore deſtinari oratores, quos honorifice a pontifice ſuſcipi orat, Hi fuere Georgius & Emmanuel Diſſipati, germani fratres & nobiles viri, quorum alter Græcorum legatis in concilio Baſileenſi commorantibus mandavit, ut ea quæ pepigerant cum patribus reſcinderent, cum ſynodus ad promovendam unionem Conſtantinopoli celebrari deberet.

Græci confirmant ea ab Eugenii nuncio ſtatuta. Pag. 714.

61. Advenientes Romam legati, pontifici declaraverunt, *quanto amore & reverentia imperator ipſe ſanctam Romanam eccleſiam complectatur, & dignitatem ſedis apoſtolicæ veneretur*, petieruntque ejus auctoritate confirmari capitula, ultimo per eum Conſtantinopolim miſſa, paucis tamen additis: *aſſerentes nullo pacto ad ipſam unionem deveniri poſſe per eum modum, quem alias oratores, qui ex Conſtantinopoli ad nos venerant, vobiſcum concluſiſſe intelligunt*, inquit Eugenius; qui cum reſpondiſſet capitulis nihil eſſe addendum, illi annuerunt. Noluit tamen ea confirmare antequam rem concilio ſignificaret, cui in hunc modum reſcripſit: *Nos autem etſi hic modus ad conſequendam ipſam unionem melior & aptior, immo fere ſolus videtur, horum tamen poſtulationi continuo non adquievimus, obſtantibus his, quæ per alios oratores apud vos aliter & longe diverſo modo concluſa ſunt: utpote qui ex omni parte pacem, unitatem & concordiam quærimus. Decrevimus itaque conſilio venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium, oratores iſtos ad vos remittere, ut & circumſpectiones veſtræ quæcumque a præfatis imperatore & patriarcha ad nos detulerunt, ad liquidum intelligant, ac tandem id poſſint eligere, quod ad conſiciendam ſervandamque illam ſanctiſſimam unionem melius & commodius videatur, ſi auditis recenſitiſque omnibus, quæ ii oratores ad nos attulerint, eorum poſtulationi juxta modum capitulorum, de quibus ſupra diximus, annuere cenſueritis. Et nos parati erimus, vobis annuentibus conſentire, & juxta modum prædictum, qui, ut prædiximus, eligibilior & aptior ſemper nobis viſus eſt, cauſam ſuſcipere. Si vero juxta modum inter vos & alios oratores concluſum cauſam hanc proſequi ſtatueritis, nec nos intendimus diſſentire, quamvis modus ipſe a multis pene impoſſibilis videatur.* Ita ſcribebat Eugenius die 22. Februarii 1435. quo die ſuis etiam legatis concilii præſidibus eadem ſcripſit & prædicta capitula direxit.

Petunt eam ab Eugenio confirmari. Pag. 801.

Qui de ea re ad concilium referat. Ibid.

62. Longe aliter ſentiebant Baſileenſes, qui miſſa ad pontificem legatione ſignificaverunt, viſum eſſe concilio, *quod via prima*, id eſt ſua, *omnino eſſet amplectenda tamquam efficacior & ſecurior: quoniam ipſi Græci ſæpe & expreſſe aſſeruerunt, iſtam unionem fieri non poſſe, niſi in ſynodo univerſali utriuſque eccleſiæ, quæ tamen ſecundum illam viam non eſſet univerſalis, ſed particularis & regionalis. Eſſet etiam valde periculoſum noſtram fidem ponere in manibus paucorum taliter, quod quicquid per eos concluderetur, ratum haberetur per totam eccleſiam, & cum ipſi eſſent multo plures noſtris, aliquid concludere poſſent, quod eſſet in læſionem fidei noſtræ. Videntes autem ipſi ambaſſiatores Græcorum, tam primi, quam ſecundi, non poſſe obtinere viam ſecundam a concilio, contenti fuerunt ſtare in prima, & produxerunt unam litteram domini imperatoris directam primis oratoribus, in qua continebatur, quod adhiberent diligentiam, ut capitula concluſa Con-*

Baſileenſes viam Eugenii reſpuunt. Pag. 836.

ſtantinopoli acceptarentur, & ſi hoc obtinere non poſſent, manerent in primis concluſis: immo dominus Georgius antiquior frater in generali congregatione recitavit, qualiter patriarcha dixerit ſibi, quod ſi concilium non vellet aſſentire illis capitulis concluſis Conſtantinopoli, tunc ſi deberet ſe facere ferri per humeros alicujus, ipſe veniret ad terras Latinorum, juxta concluſionem factam per primos ambaſſiatores, qui poteſtatem habuerunt ipſum obligandi. Quare, beatiſſime pontifex, &c. *Et ne illa via tamquam impoſſibilis deferatur propter magnitudinem ſumtuum, deliberavit ſacrum concilium plenarias indulgentias dandas eſſe omnibus contribuentibus ad tam pium opus, prout conceduntur proficiſcentibus in ſubſidium terræ ſanctæ.*

Pag. 876. Novos ad imperatorem Græcorum mittunt oratores.

63. Conſequenter tres ad imperatorem Græcorum oratores deputavere Baſileenſes, Johannem de Raguſio, Henricum *Menger* dictum aliquando *Virginer*, & Simonem *Freron*; qui poſt varia pericula tandem Conſtantinopolim pervenientes die 25. Novembris 1436. habitis tribus publicis orationibus, quas apud Labbeum habes tom. 12. pag. 852. imperatori & patriarchæ decretum ſeſſionis XXIV. obtulere, quo pacta cum Græcorum oratoribus primo Baſileæ inita confirmantur. Eaque omnia univerſalis concilii nomine infra annum adimplere promittunt, ſtatimque ſacri concilii ſalvum-conductum, qualis in prædicta ſeſſione fertur, tradiderunt, quoſcumque alios neceſſarios promittentes. Unum hic me movet, quod cum ſeſſio XXIV. anno 1436. ſit celebrata, ejus decretum oblatum dicatur imperatori & patriarchæ 25. Novembris 1435. Quidquid eſt, certum eſt Græcos improbaſſe decreti proœmium, & ex legatis unum Henricum *Menger* Baſileam a ſociis ſuis remiſſum fuiſſe.

Patr. Hiſt. conc. Baſil. c. 42. Nivos & Eugenius.

64. Si Auguſtino Patricio credimus, *pontifex ne ſententiarum variatio ſibi poſſet aſcribi, legatos ſuos Conſtantinopolim miſit, omnia ut geſta erant narraturos, pollicituroſque pontificem cum univerſa Romana curia concilium petiturum, ſi in ea Italiæ parte fieri contingat, quo commode poſſit ſe transferre.* Hinc factum videtur, ut redeunti ad concilium Henrico *Menger* juſſerit Græcorum imperator, ut patribus nomine declararet ſuo, pro ambarum eccleſiarum unione ſynodum celebrari debere in loco maritimo, ad quem facilis ſit acceſſus multis ſenibus & infirmis, & maxime patriarchæ CP. nec aptiorem Ancona ſibi videri civitatem, ad quam *plures prælati Orientalis eccleſiæ poterunt aggregari propter facultatem & non nimiam diſtantiam: qui quanto plures adfuerint, tanto utilius ad perfectionem unionis erit. Præterea*, inquit, *hoc erit maxime conferens ad utilitatem & ſecuritatem noſtræ civitatis, propter multas cauſas dicto venerabili viro dictas; præcipue vero hoc neceſſarium eſt propter præſentiam ſanctiſſimi & beatiſſimi domini papæ, quod commode advenire poterit: hoc erit gratiſſimum, & ad perfectionem præmeditatæ unionis quamplurimum valens, necnon ad honores & favores futuri concilii.* Idem declaravit & petiit Joſephus patriarcha. Amborum commiſſiones Conſtantinopoli datæ ſunt 26. Novembris 1435.

Græci petunt concilium celebrari Anconæ. Labb. tom. 12. p. 1011.

Baſileenſes prorogant tempus celebrandi cum Græcis concilii.

65. Anno vero 1436. die Veneris decima quarta Aprilis, habita eſt concilii ſeſſio XXIV. in qua tempus quo Græci ad unionem faciendam, in Italiam accedere ſecundum priores conventiones debebant, elapſum prorogatur in totum menſem Maium anni ſequentis. Tum Græcis ad concilium œcumenicum venturis fides publica decreta eſt, ut ſalvi & in eam venire & redire poſſent in patriam. Tandem ut pecuniæ neceſſariæ ad promiſſas Græcis expenſas facilius colligerentur, conditum eſt de plenariis indulgentiis decretum, reclamantibus & fruſtra intercedentibus legatis apoſtolicis. Ea in ſeſſione tres tantum & viginti interfuere infulati, decem ſcilicet epiſcopi, & tredecim abbates, teſte Auguſtino Patricio c. 52.

66. Indulgentias ſemper improbaverat Eugenius. Cauſas vero improbationis jam diu expreſſerat ejus nuncius in generali congregatione 7. Octobris 1435. his verbis: *Modus iſte habendi pecunias, reverendi patres, gravis eſt, eo quod ex quæſtu proveniat, qui in ſimilibus ſuperiori tempore multa mala attulit exempla Chriſtiano populo. Item adventus Græcorum, cujus gratia hoc quæritur, omnino incertus eſt: quamquam eorum oratores aliquid certi concluſiſſe videantur. Nam & alia multa polliciti ſunt, quæ tamen aut rerum aut temporis neceſſitate, vel alia cauſa, mutato conſilio, non ſervaverunt. Nemo in rem incertam aliquid conferre diſponet, ſed ſuſpicabitur potius, gratia turpis lucri id fieri. Regnum Cypri & inſula Rhodi, terrarum Chriſtianorum fortiſſima propugnacula, ex hoc & ſcandalum & jacturam gravem patientur, ſimiliter & multa pia opera, quæ ad indulgentias hujuſmodi promoventur, ſi contingat Græcos non venire; tum & plane arbitrabitur quiſpiam nos illuſiſſe, & prædam quamdam hac fictione quæſiviſſe.* Ne tamen piis Baſileenſium votis, quibus aſſenſum præbuerat, obſiſtere videretur Eugenius, ſexaginta ducatorum millia ad tam ſanctum opus obtulit: quæ ſumma ex indulgentiis colligi minime poterat.

Eugenius improbat indulgentias, & quare. Labb. tom. 12. p. 867.

67. Sed dum Græcos eccleſiæ catholicæ reconciliare, inveteratumque ſchiſma extinguere nituntur patres Baſileenſes, novum in Romana eccleſia excitare laborant. Poſt revocatam a ſummo pontifice diſſolutionis concilii bullam, cum eis in omnibus pacifice agere conſueverat, requiſituſque in rebus magni momenti aſſenſum libenter præbebat, multas etiam minoris momenti cauſas eis remittebat. E contrario vero illi piiſſimum patrem omni data occaſione irritare & deprimere non ceſſabant: adeo ut Sigiſmundus imperator, præcipuus eorum fautor, id eis exprobrare, ac potere coactus fuerit, ut *ſanctiſſimus dominus noſter papa, qui omnia quæ ſacrum concilium voluerat fecit, plus ſolito veneretur.* Sed & Antonius Eugenii ad concilium nuncius hac de re conqueſtus, *Curavit*, inquit, *ſanctiſſimus dominus noſter materiam litium pro viribus excidere, & quandoque requiſitus cauſas etiam ad hoc ſacrum generale remittere concilium. Sed mirantur multi, & non dolere non poſſunt, quod ſacrum hoc generale concilium, quod pro rebus maximis & univerſale bonum concernentibus congregatum eſſe profitetur, ad innumerabiles privatarum & minimarum rerum cauſas occupetur, & quotquot pro ea re venientes indifferenter admittat, & cauſas in curia Romana cœptas ad ſe retrahat: quo fit, ut multi ſe incorporari procurent, non ut communi utilitati conſulant, ſed privatis eorum commodis, & ſæpe alterius partis gravamine, & ſignanter officialium curiæ Romanæ, qui ſub eo prætextu huc ſæpe trahuntur, quod plurimi ex vobis, reverendiſſimi reverendique patres, circumſpicientes dixerunt pluries, & proclamaverunt, hujuſmodi particulares cauſas, & alia privata negotia per ſacrum concilium non eſſe admittenda.* Certe decebat, ut in rebus majoris momenti ante conſuleretur Eugenius eccleſiæ caput, quam quidquam in concilio decerneretur. Id expoſcere videbatur, & ſuprema ejus dignitas, & magna rerum agendarum experientia. At Baſileenſes ſua concilii ſupra papam ſuperioritate inflati, longe aliter ſentiebant, & quaſi præcipuum eorum munus eſſet humiliare papam, nullam eum moleſtandi occaſionem prætermittebant.

Baſileenſes Eugenium læſare pergunt.

Labb. p. 868.

68. Opportuna ſeſe exhibuit in ſeſſione XXI. die nona menſis Junii anno 1435. celebrata, in qua annatas, ſeu medios fructus unius anni, quos pro novis beneficiis pontificis ærario inferunt, omnino ſuſtulerunt, fruſtra refragantibus apoſtolicæ ſedis legatis, Johanne archiepiſcopo Tarentino, & Petro Paduano præſule, nomine papæ proteſtantibus, *rem iniquam eſſe, inaudito pontifice, tantum præjudicii, tantum detrimenti Romanæ eccleſiæ*

Annatas el tollunt. Patric. Hiſt. conc. Baſil. cap. 44.

inferri, & annatarum & minutorum ſolutiones, jam pridem a Romanis pontificibus introductas, ab univerſo clero ſuſceptas, a pluribus generalibus ſynodis non violatas, injuſte nunc auferri. His non modo pontificem ali, ſed & ſacrum ſenatum, ac Romanæ curiæ miniſtros fere omnes. Quod ſi tollantur, dignitatem pontificiam ſine viribus ruituram, curiales omnes pontificem relicturos. Unde præterea legationes per univerſum orbem Chriſtianum ob utilitatem reipublicæ crebro mittendæ ſuſtentabuntur? Unde ejectis ſuis ſedibus principibus & prælatis ſubvenietur? Unde hæreticis & aliis hoſtibus fidei obſiſtetur? Non tanti eſſe Romanæ eccleſiæ patrimonium atque provincias, ut a tyrannis ſuis ſumtibus defendi poſſint. Superſedendum igitur ab hoc decreto, aut priùs cum conſenſu pontificis indemnitati eccleſiæ Romanæ conſulendum. Hanc legatorum ſententiam, inquit Patricius, *complures probi viri eccleſiarum prælati laudaverunt. Sed patres aſſerentes neceſſitati eccleſiæ conſulturos, poſtquam decretum ſancitum ſuſceptumque eſſet pari conſenſu, Juliano cardinali S. Angeli, uno ex legatis concludente, decretum ſanciendum ſtatuunt, aliis legatis cum ſuis fruſtra reclamando.* Decreta quoque adverſus tranſgreſſores hujus canonis pœna ſimoniacorum: *Et ſi, quod abſit*, inquiunt, *Romanus pontifex, qui præ ceteris univerſalium conciliorum exſequi & cuſtodire canones debet, adverſus hanc ſanctionem aliquid faciendo, eccleſiam ſcandalizet, generali concilio deferatur.*

Legati papæ impediuntur revocare proteſtationem.

69. Conſequenter die 6. Auguſti ejuſdem anni, Baſileenſes Johanni patriarchæ Antiocheno, Ludovico Aquilegienſi item patriarchæ, Amedeo Lugdunenſi & Henrico Bituricenſi archiepiſcopis, Johanni Aurelianenſi, Bernardo Aquenſi, Martino Lectoratenſi epiſcopis, ac Johanni vicario Friſingenſi atque Dionyſio *Sambrenois* dederunt in mandatis, ut Tarentinum archiepiſcopum & Paduanum antiſtitem canonice monerent, ut ſuam revocarent proteſtationem. Id quod illi die undecimo Auguſti coram teſtibus, ſed irrito conatu, præſtiterunt. Mandatum concilii, & monitionis inſtrumentum habes hoc tomo pag. 821. & 823.

Ipſe papa requilitus publice, ut concilii decreta obſervet.

Pag. 845.

70. Sequenti die 12. Auguſti, Johannes de *Baukenſtein* decretorum doctor, & Matthæus *Meſnage* baccalaureus formatus, qui concilii nomine Eugenium 14. Julii publice requiſierant, ut decretis concilii, præſertim circa Græcorum reductionem & annatas humiliter obtemperaret; cum nec ſufficientem ab eo reſponſionem accepiſſe ſe putarent, iterum coram publico notario, præſentibus epiſcopo Herdenſi, Spalatenſi archiepiſcopo, Cervienſi antiſtite, & Jo. de Mela protonotario, ſuam deprecati ſunt ſanctitatem, ut ſancita ſacræ ſynodi obſervaret. Quibus ille reſpondit, ea ſe mente & intentione eſſe, ut quantum facere enitique poſſet, eccleſiæ honori, dignitati, ac commodis, populique Chriſtiani paci ac quieti conſuleret, ſignanter in his quæ ſpectabant ad exſtirpationem hæreſum, reformationem morum ac populi Chriſtiani pacem, & ſpecialiter ad reductionem Græcorum & eccleſiæ Orientalis ad veram & catholicam fidem: qua in re *ſi ſibi credulitas fuiſſet adhibita, jam ad optimum finem perventum fuiſſet, aut ſaltem hujuſmodi reductio magnum principium haberet.* Quantum autem ad negotium indulgentiarum, electionum, annatarum, cauſarum, & vacationum, ſcriptorum & abbreviatorum Romanæ curiæ, reſpondit, *quia materiæ grandes ſunt, & diſcutione & declaratione indigent, ſe una cum fratribus ſuis S. R. E. cardinalibus decreviſſe reſpondere per ſuos ſacro concilio: quod quamprimum facere intendit, ſperans reſponſiones ſuas tales eſſe debere, quæ juſtitiæ & honeſtati conveniant, ipſique ſacro concilio & omnibus pie ſentientibus ad Dei honorem, caritatem & pacem, & bonum univerſalis eccleſiæ, gratæ & acceptæ merito ſint futuræ.*

Labb. tom. 12. p. 864.

71. Cum jam agitata fuiſſet annatarum materia die 20. Februarii in ſeſ-

ſione xx. Certior ea de re factus Eugenius, novos ad concilium oratores mittere decrevit: Antonium cauſarum auditorem, & Ambroſium ordinis Camaldulenſis præpoſitum generalem, qui & ipſe a Florentina civitate ad id muneris delectus fuit. Is accepto a pontifice mandato, ut moderate cum patribus ageret, caveretque in primis, ne quid forte in ſedis ſuæ gratiam proferens, animos jam exaſperatos vel leviſſime irritaret, ex ſuo profectus eſt monaſterio 16. calendas Martias: quamquam non ſtatim verſus Baſileam iter ſuum videtur direxiſſe, ad quam nonniſi XIII. calendas Septembris, hoc eſt 20. Auguſti, pervenit. Quanta autem alacritate exceptus fuerit, deſcribit in epiſtola ad Coſmum: *Antequam oppido appropinquaremus*, inquit, *occurrit nobis omne fere concilium, prælati omnes, niſi quos cura graves urgebant: qui tamen ex familia ſua honoratos quoſque miſerunt: legati regum & principum, atque univerſitatum, magnificentiſſimo cum apparatu; ita ut equites quingenti ferme nos deducerent ſumma cum gloria. Ingreſſi civitatem regiam & pulcherrimam domi frequentes advenientium concurſus habuimus. Legatus noſter humaniſſime nos accepit & accipit ſemper. Secundo jam cum illo pranſi ſumus, & confidimus in Domino, quia multum ille nobis defert, in ſententiam noſtram traducendum.* Addit Ambroſius: *Sexto poſtquam ingreſſi ſumus die, orationem habuimus in concilio generali prolixam ſatis, ubi contra morem noſtrum celſa voce dicere coacti ſumus. Audierunt nos intente, atque utinam exaudiant juſta & honeſta poſtulantes.* Duo hac in oratione præſtitit Ambroſius, patres ad pacem & caritatem adhortatus, declaravit, *nullum ex omnibus magis cupere eccleſiaſtica dignitatis ornatum, quam eccleſiæ ſponſum Romanum pontificem Eugenium beatiſſimum. Non degenerat*, inquit, *paſtor ille ſummus a veſtigiis patrum, ut crimen ullum illi merito poſſit impingi. Sacro huic concilio generali tantum ille detulit, quantum nemo ex præcedentibus ulli, dum illud approbavit, atque ita approbavit, ut nihil in ſe ultra potuerit deſiderari.* Deinde paucis verbis exponit, quam neceſſe ſit Romanum pontificem abundare divitiis, plura in particulari dicturus in collatione cum ſacræ ſynodi deputatis.

Ambroſius Camaldulenſis ad concilium mittitur.

Ambr. Camald. lib. 6. epiſt. 44.

Ibid. lib. 11. epiſt. 67.

Orationem habet in concilio.

72. Die VII. Octobris in generali congregatione auditus eſt Antonius legatorum alter pro Eugenio dicens adverſus ea omnia quæ Johannes *Barkenſtein* concilii nomine ab eo requiſierat, atque ad ea quæ annatas ſpectabant ſic reſpondit: *Nemo ſatis admiratur, quod in re tam grandi, irrequiſitis & inſciis ſanctiſſimo domino noſtro atque ſacro collegio, & aliis quorum intereſt, tam cito & inſperate concluſum fuerit. Quod ſi umquam faciendum fuit, hoc præcipue tempore omittendum non videbatur, quo Romana eccleſia & multæ aliæ, malignitate temporis innumerabilia damna ſunt paſſæ. Si qui in his abuſus prætendebantur, his providendum erat, ſine privatione ſubſtantiæ, aut ſaltem proviſio debita ſimul facienda erat, ut ſic juſtitia & pax obviarent ſibi. Unde, reverendiſſimi patres, dominique præſtantiſſimi, interim vivent, qui hactenus inde vitæ ſuſtentationem ducebant? Unde eccleſiarum onera ſupportabunt, cum præter Romanam eccleſiam multi prælati ſint, qui ex poſſeſſionibus aut ex decimis parum vel nihil recipiant? Unde ſedes apoſtolica impenſas faciet, providendo neceſſitati & utilitati univerſalis eccleſiæ, pro his quæ pertinent ad pacem & exſtirpationem hæreſum & errorum, & ad alia concernentia bonum publicum totius populi Chriſtiani? Jure igitur, reverendiſſimi patres, manutenenda erant iſta, ſaltem donec aliter fieret ſufficiens proviſio. De qua proviſione ſufficienti facienda per ſacrum hoc concilium ſanctiſſimus dominus noſter vult bene eſſe contentus, juxta deſiderium hujus ſacri concilii. Proviſio taliter fiat, quod ſtabilis & firma permaneat.*

Antonius alter Eugenii legatus pro eo loquitur in concil. Labb. tom. 12. p. 827.

Ad eos recipitur Julianus. Hoc tom. p. 835.

73. Ad utriuſque orationem eleganter reſpondit Julianus præſes, quod vero de ſuſpenſione decreti Antonius poſtulaverat, his refellit verbis: *Nulla ratione decere videtur, ut tam ſalubre decretum, conformeque per omnia legi evangelicæ, & ſanctorum patrum inſtitutis ſuſpendi aut irritari debeat. Poſtremo itaque veſtrum proviſionem ſufficientem ſedi apoſtolicæ faciendam poposcit, ad quod ſancta ſynodus reſpondet, ſe circa hoc deliberaturam, quid ſecundum Deum & rationem viderit expedire, taliterque facturam, quod nemo de ipſa ſynodo poterit cum ratione conqueri.*

Amb. Comm. præſidium ad Pontificem ſibi deſt.

74. Hac reſponſione non turbatus Ambroſius, dum Baſileæ commoratur, pluribus habitis privatis colloquiis, ſic Julianum præſidem ad pontificem viſus eſt inflexiſſe, ut omnia ab eo fauſta deinceps ſperaret. Audiendus eſt ipſe ad Mariotum ſcribens: *Nos, amantiſſime frater noſter, multum hactenus exercitati ſumus, agimuſque Deo gratias, quod orantibus vobis, labor noſter non erit infructuoſus. Legatus noſter, homo ſapientia ſingulari, tanto affectu nos ſuſcepit, ut nihil ſupra, tantumque auctoritati noſtræ conceſſit, quantum fere ante nos nemini, adeoque videtur immutatus, ut pro pontifice eſſe jam cœperit, prudentiſſime licet atque cautiſſime. Moleſtus & ingratus hujus rei gratia cœpit eſſe pluribus, ejuſque concilii primoribus adventus hic noſter, quia nobis maxime aſſignant iſtiuſmodi mutationem. Neque fortaſſis falluntur: quia revera importune inſtitimus, verbo, ſcripto; neque illum permiſimus quieſcere, ſemperque gratiſſime & majore cum gaudio admiſſi ſumus. Et credimus atque confidimus, miſerante Deo, rem eo deductam eſſe, ut certi de ſuppreſſione concepti ſchiſmatis jamjamque parturientis, deque redintegratione capitis atque membrorum eſſe poſſe videamur.*

Lib. 8. epiſt. 32.

Ambroſius adit imperatorem.

75. Interim Ambroſius mandatum accepit a pontifice, Sigiſmundum imperatorem adire, legationis officio apud eum functurus. Nec mora itineri ſe commiſit, atque Atatam, ubi imperator venationis & piſcationis cauſa morabatur, 25. dierum itinere venit. Ibi ſuſceptus ab eo cum honore fuit, gratiſſimeque auditus, paucis poſt diebus apud Albam-regalem in conſpectu principum publice audiendus. In primo hoc congreſſu maximam Ambroſius ſpem concepit, uti ipſe Eugenio ſcribens ſtatim ſignificavit. *Hodie*, inquit, id eſt VIII. Decembris, *nos videre voluit, gratiſſimeque ſuſcepit, & quantum ex verbis ſuæ ſerenitatis primo in conſpectu habitis, & ex relatione domini Andreæ Donati epiſcopi noſtri Signienſis colligere potui, paratiſſimus eſt tuæ ſanctitati morem gerere non modo in materia illa, pro qua venimus, verum & in terminatione concilii. Me publice exponentem audire vult in Alba-regali, iter unius diei hinc diſtante, ubi & oratores concilii aderunt, & Bohemorum legati, & complures principes, prælati ac barones. Ita mane locutus eſt. Confido in Domino, & in tua benedictione, pater, principis iſtius animum totum tuæ ſanctitatis obſequiis exponendum: immo non exponendum ullo officio meo, ſed jam expoſitum divinæ miſerationis nutu, minimumque nobis laboris eſſe reliquum in eo diſponendo.*

Lib. 1. epiſt. 11.

Ab eo publice auditur. Ibid. epiſt. 12.

76. *Expectato Albæ paucis diebus illius adventu*, inquit iterum Ambroſius ad Eugenium ſcribens: *Ubi ante Dominicæ nativitatis diem affuit, audientiæ noſtræ diem præfixit* VII. *calendas Januarii, in feſtivitate ſcilicet S. Stephani. Auditi ſumus magna cum gratia & attentione præcipua, tum Auguſti, tum ceterorum principum & prælatorum.* Orationem ejus certe elegantem & Ambroſio dignam edidimus hoc tomo pag. 886. In qua quidem cum perveniſſet ad materiam annatarum, nationis Germanicæ nuncius *cœpit velle juſtificare concilium*, inquit Ambroſius, *ſed oratione primum noſtra coërcitus, a Cæſare ipſo acri verborum inſectatione caſtigatus eſt, atque inde amoveri juſſus.* Et certe Eugenii hac in re cauſam egregie defendit Ambroſius,

Ambroſius, oſtendens quam procul ab avaritia aut divitiarum cupiditate fuerit pontifex, *Jam vero*, inquit, *quoniam non avaritiæ conſulens, aut propriis indulgens commodis, decreti illius ſuſpenſionem poſtulet pontifex noſter, nemo qui illum novit, ignorat: quippe ab ipſo adoleſcentiæ flore, ampliſſimo diſtracto patrimonio, & pauperibus atque aliis pietatis operibus impenſo, Chriſtum Dominum levis atque expeditus ſequi delegit. Et cum ſuccreſcentibus meritis per gradus aſcendens, divinæ providentiæ nutu ad ſummum quoque apoſtolatus apicem provectus eſſet, numquam pietatis & miſerationis ingenitæ exuit viſcera: immo qui auctus eſt meritis, benignitate quoque in dies auctior fit: ita ut nunc quoque quando ita nudatus eſt, nihil antiqui inſtituti relaxarit, ſed egenis quotidie larga ſubveniat manu*, &c. Pag. 891.

77. Quis autem fuerit Ambroſianæ legationis exitus, ipſe exponit ad Eugenium ſcribens his verbis: Imperator *ſecretiorem, quam nobis pollicitus erat, audientiam præſtitit. Ibi vero replicatis breviter quæ prius petiveramus, quid de concilio eſſet judicio noſtro ſentiendum aperuimus. Illo multum connivente nobis, neque a ſententia noſtra diſcrepante. Et cum omnia pleniſſime expoſuiſſemus, reſpondit oratores concilii præcedente die quatuor a ſe poſtulaſſe præcipua. Primo, ut decretum de annatis & ipſe ſervaret, & ab omnibus ſervari præciperet. Secundo, ut prælatos ire ad concilium juberet. Tertio, ut his qui eſſent in concilio ſalvis ire ac redire liceret. Quarto, ut protectorem concilio daret. Se neque voluiſſe annuere, neque tamen propter indictam diatam aperte renuere. Sua tamen mentis atque intentionis eſſe, poſt celebratam diatam omnibus viribus & toto ingenio ad concilii diſſolutionem intendere, & in omnibus tam ſanctitati tuæ gratificari velle, quam eccleſiaſticæ paci atque unitati ex ſuo inſtituto conſulere. Non hos fructus de concilio ſe ab initio ſperaſſe, ut quod ad bonum publicum congregatum eſſet, perniciem atque ſciſſuram machinari potius præſumeret. Se tuæ ſanctitati ſumme deditum, pater beatiſſime, verbis & aperiis indiciis ſignificavit, tibique commendari humiliter petiit. Adſtitimus illi quotidie in miſſa, ubi penultima collecta ſemper pro tua ſanctitate, ultima pro imperatore dicebatur.* Ambroſii legationis exitus. Lib. 1. epiſt. 14.

78. Non videntur excuſari poſſe patres Baſileenſes, qui annuenti pontifici tolli annatas, noluerunt ante neceſſitatibus ejus, ſacri collegii, ac curiæ Romanæ, quæ fere inde alebatur, providere, aut ſaltem decretum illud tantiſper ſuſpendere: maxime cum eo tempore tollebantur, quo magis iis indigebat, *quo Roma clam fugiens, vix impias ſe inſequentium manus effugerat, nudusque ac profugus Florentiam venerat, quo eccleſiæ bonis omnibus, omnique ſubſtantia nudatus per quorumdam intemperantiam fuerat, omnibus curiæ ordinibus aperte proteſtantibus, ſe decretum illud numquam admiſſuros, atque pontificem orantibus ut opem ferret, & ne curiam deſerere neceſſitate cogerentur, opportuna adhiberet remedia*, ut habet Ambroſius Camaldulenſis. Nec ignorabat Eugenius quid hac de re contigiſſet olim in Viennenſi & Conſtantienſi conciliis, in quibus cum agitata annatarum materia fuiſſet, ac conſequenter decretum, ut hæ, proviſo aliunde pontifici, tollerentur, nulla ratione potuerunt de providendo ſubſidio concordare. Nam ut obſervat Johannes Ponceti canonicus Biſuntinus, ſancti patres *in concilio Viennenſi conſiderantes, quod ſtatui papali non poterat melius aut lenius provideri, quam per dictas vacantias ſeu annatas, circa hanc materiam tunc tractatam nihil immutare voluerunt.* In concilio vero Conſtantienſi, cum petente natione Gallicana, auditis ſingulorum votis, omnium fere conſenſu definitum eſſet, ut neceſſariis pontifici & ſuis aliunde proſpectis tollerentur, cum ad certos aſſignandos reditus ventum eſt, tantum excitatum eſt murmur, ut vix ſe audirent. Tunc Elias epiſcopus Anicienſis cenſuit, ut per ſolos epiſcopos fieret pontifici & cardinalibus provi- Excuſari non poſſunt Baſileenſes. Pag. 890. De annatis quid factum in Viennenſi & Conſtantienſi conciliis. Tom. 2. Anecd. pag. 1567.

Ibid. p. 1561. sio, *ut eorum ſubditi in aliquo non gravarentur.* Ad cujus ſuffragium nullus epiſcopus videtur inclinaſſe. Johannes vero Graſſeti canonicus & procurator capituli Anicienſis declaravit, *quod ſi tollantur vacantiæ, & imponatur aliud onus in præjudicium capituli Anicienſis & cleri inferioris beneficiatorum, pro providendo papæ & cardinalibus, ipſe ſe opponebat.* Idem præſtitit decanus eccleſiæ Lugdunenſis. Simili modo Robertus Celſiniarum prior, miſſus ab abbate Cluniacenſi, & unus ex electis a concilio Gallicano ad comparendum concilio pro Bituricenſi provincia, expoſuit, quod ſi ſolverentur annatæ, minoris eſſet oneris, *quam ſi papa ipſe in defectu vacantiarum*, inquit, *annuatim pro ſuo libito faceret nos ſuos tributarios, vel per modum decimæ vel alterius compoſitionis, & quam ſi domini cardinales in defectu præmiſſarum vacantiarum & in ſupplementum occuparent beneficia veſtra;* rem ad aliud proxime celebrandum concilium remittendam cenſuit: alioquin tam ſui quam ordinis Cluniacenſis nomine intercedebat. Oppoſuit etiam ſe ducis & cleri Britanniæ nomine Alanus epiſcopus Leonenſis, & nomine ducis Sabaudiæ Petrus Quibleti, *ſuo quoque & adhærere ſibi volentium* nomine, tamquam procurator capituli Cabilonenſis & archidiaconi, profeſſus ſatius eſſe ut moderatæ ſolverentur annatæ, *ut eccleſiæ quæ ſunt liberæ, & perſonæ eccleſiaſticæ non efficiantur annuales & perpetuo tributariæ, aut alias per impoſitionem, decimas aut alias quotidianas exactiones vexentur, & in ſupplementum beneficia haberent occupare.* Petrus de Vercellis ſeu de Verſaliis, monachus S. Dionyſii & prior Calvi-montis in diœceſi Rothomagenſi, qui poſtea fuit epiſcopus Dignienſis, interceſſit pro toto ordine S. Benedicti, *ne gravetur*, inquit, *in aliquo, nec ſubjiciatur alicui annuo & perpetuo tributo.* Tandem Johannes abbas Ciſtercienſis *dixit quod non conſentit, quod perpetua & annualia ſubſidia ſeu tributa noviter imponantur ordini Ciſtercienſi: immo plus eſt contentus, quod ſolvantur vacantiæ, dum tamen moderentur monaſteria nimis taxata, & quod poſt poſſeſſionem pacificam, ſolvantur vacantiæ æquis portionibus infra duos vel tres annos, & ſi ſic fiat, non videatur ſibi magnum onus.* Taceo alias proteſtationes quæ tum factæ fuerunt.

Baſileenſes violant decretum a ſe editum.

79. Dum annatarum proventu Baſileenſes Eugenium ſpoliare volebant, eo potiſſimum tempore quo magis iis indigebat, annatas ipſi exigere, conditaque a ſeipſis decreta violare non erubeſcebant, id quod tandem imperatori, regibus & principibus manifeſtare coactus eſt Eugenius. *Illi tamen de Baſilea*, inquit, *legem quam aliis tulerunt, minime ſervantes, ſed contra ejuſmet concilii ſtatuta venientes, quotidie annatas levant & exigunt; & cum his, quibus vel a ſanctiſſimo domino noſtro, vel ab eis beneficia collata ſunt, componunt diverſimode, & novo quodam ingenio undique ſibi pecunias conflare contendunt.*

Apud Raynald. ad an. 1436. n. 4.

Eugenii legati inſtant apud patres, ut locum ad Græcorum unionem nominent.

80. Cum præcipuum tunc Baſileenſis concilii negotium, circa Græcorum unionem præſertim verſaretur, Eugenii legati zelo tanti boni inflammati, patres urgere non ceſſabant, ut locum in quo unio ipſa fieri deberet, determinare non tardarent. Nam in pactis cum eis capitulis, oblatæ fuerant Vienna in Auſtria, Buda in Hungaria, aut aliqua in Italia civitas aut in Sabaudia: id quod non ſemel repetunt in editis hoc tomo ſuis aviſamentis pro facto Græcorum: *Ambaſſiatores noſtri*, inquiunt, *ituri cum galeis nominabunt imperatori portum ad quem ultimo debet applicare, & unum locum de quatuor nominatis in decreto, in quo debet celebrari univerſalis ſynodus, videlicet Italiam, Viennam in Auſtria, Budam in Ungaria, & Sabaudiam. Laborabunt tamen quod Baſilea eligatur.* Et iterum: *Græci non obligantur venire, niſi ad unum ex his quatuor locis per nos eligendis, videlicet Italiam, Viennam in Auſtria, Budam in Hungaria, & Sabaudiam.*

Pag. 895.

Nos

Nos autem obligati ſumus unum de prædictis locis nominare, & in tempore ad illum locum transferre concilium. Inſtantibus igitur Eugenii legatis, *ut locum velint eligere, ad quem tam ſua ſanctitas una cum ſacro collegio Romanæ eccleſiæ, ceteriſque prælatis, quam concilium, necnon ipſi Græci commode venire poſſint*, nullum datum eſt reſponſum, ſed miſſis ad Sigiſmundum imperatorem nunciis, ejus interventu ſuadere nitebantur Græcorum imperatori, ut poſtpoſitis aliis locis, unam Baſileam præferret, quem locum perinde ac Conſtantiam & Argentinam ſemper recuſarat. Rainald. ad an. 1430. n. 11.

81. Procraſtinantibus illis, Baſileam appulere duo Græcorum imperatoris oratores, Johannes Diſſipatus magnus Adriacus, & Emmanuel de Traganoti Vuloti, petentes inter alia, ut locus *in quo fieri deberet unio* ſtatueretur. Tunc Baſileenſes mentem aperire coacti, poſthabitis pactis cum Græcis capitulis, obtulere Baſileam, Avenionem, aut Sabaudiam. At Græci qui reconciliationem ſuam non ſolum in concilio œcumenico fieri deſiderabant, ſed præſente etiam ſummo pontifice, indigne ferentes hanc in Baſileenſibus inconſtantiam & mutationem, neutrum locorum acceptare voluerunt, acriter conquerentes conventa non ſervari, quoniam Baſilea & Avenio in decreto concordiæ nominatæ non eſſent: dure autem agi ſecum, ſi Græcos Sabaudiam petere velint: imperatorem, patriarcham, pleroſque alios prælatos & proceres annis & valetudine graves, nec poſſe alpes ſuperare ut Sabaudiam petant, neque etiam ob longum iter eis eſſe facile & tutum Avenionem petere. His rationibus non moti Baſileenſes in primo perſtitere propoſito: id quod adeo moleſtum fuit Græcorum oratoribus, ut hac agendi ratione unionem abrumpi timentes, publice coram notario die 15. Januarii 1437. interceſſerunt, Johanne Diſſipato omnium nomine ſic loquente: *Ego, ut videtis, huc veni cum magnis laboribus & periculis, & inveni quod aliqui ex vobis nolunt eligere locum, immo, quod pejus eſt, elegerunt non nominatum in decreto; ad quem papa numquam veniet, neque mittet legatos ſuos. Et volunt quod veniamus ex Oriente Baſileam, per viam nobis valde periculoſam, & multum longinquam, & incommodam, de quo valde miramur, quod per iſtam viam iſti tales volunt unionem noſtram, immo mortem, quia per iſtud mare ſic latum, ultra alia pericula, non poteſt inveniri portus, & in eo ſunt multi pyrata nobis & omnibus Chriſtianis inimici. Miror etiam, quod cum videatis prælatos noſtros antiquos venire de Cairo, Jeruſalem, Alexandria, & Antiochia, & aliis remotiſſimis partibus Orientis, & de Ruſſia, & de ultimis partibus ſeptentrionis per multa millia milliarium, & per terras infidelium uſque Conſtantinopolim, & de Conſtantinopoli tam prædicti prælati, quam imperator & patriarcha CP. qui eſt antiquiſſimus, debeant ſimiliter per multa millia milliaria, & per mare etiam, & per dominia Turcorum uſque ad terras Latinorum accedere, quod vos non velitis pro octo aut decem dietis in terra veſtra tuta & pacifica ambulare. Et cum videatis imperatorem noſtrum, & principales ex Græcis dimittere domum propriam, uxores & filios in faucibus Turcorum, multi ex vobis pro tanto bono nolint ſe elongare ex patria propria per modicum ſpatium. Quare ſi non providebitis in tempore de alio loco & alia via nobis & papæ accommoda, ego nomine domini imperatoris & totius eccleſiæ Orientalis proteſtor coram Deo*, &c. Græci queruntur de inconſtantia Baſileenſium in mutatione loci ad unionem. Ex proteſtantuc. Apud Rinald. ad an. 1437. n. 4.

82. Sed neque hanc interceſſionem magni fecerunt Baſileenſes, præfracte perdurantes in prima ſententia. Quare ad majus vitandum ſcandalum, *bonorum opera diſſidentes his legibus in concordiam venere publico conſenſu: Si Avenionenſes intra diem* XXX. *promiſſum mutuum ſeptuaginta millia aureorum numerata pecunia non ſolverint, & intra alios* XII. *dies ſe id integre perfeciſſe patres legitime non docuerint, concilium poſſe & teneri proce-* Concordant tamen de Avenione ſub conditione. Patr. cap. 54.

dere ad electionem alterius loci. Avenionenſibus præfixo in termino non ſolventibus, concilii præſides & legati apoſtolici de alio deligendo loco ſolliciti, patres convocant; ſed major pars, quæ pontifici infenſa concilium in Italia nullo pacto volebat, ſeceſſit. *Hæc factio*, inquit Auguſtinus Patricius, *ex vili plebe magna ex parte conſtabat, quamvis ducem haberent cardinalem Arelatenſem & nonnullos alios prælatos. In alia parte S. Sabinæ, qui & S. Angeli dicitur, S. Petri ad Vincula cardinales, & plerique alii domini prælati, numero tamen longe ſuperabantur.* Præſides vero cum illis qui conventa ſervare & ad novam electionem procedere volebant, factioſis vocatis, ſed venire detrectantibus, primo in deputationibus, tum in generali congregatione legitime concludunt Florentiam vel Utinam, ſeu quemcumque alium locum tutum, & ſummo pontifici ac Græcis accommodum pro concilio eſſe eligendum: aſſerentes id ſibi licere, etiam majori parte contradicente, non ſecus ac in electione epiſcopi, ſi conſtituto ad eligendum tempore, major pars collegii vocata eligere nollet, nec compareret, electus per minorem partem obtineret. At pars adverſa aſſerens nihil ſine majoris partis conſenſu decerni poſſe, acrius irritata, duce Arelatenſi, pro Avenione concluſit, repugnantibus Simone Caroli, & Martino *Guaſtel* regis Galliæ legatis, uti videre eſt in litteris Eugenii ad Carolum, quibus ei ea de re gratias agit. Neque his contenta, publicam indixit ſeſſionem, ut decretum firmaret. Hæc videntes legati apoſtolici, concordiam & ſchiſma vitare modis omnibus optantes, patres hortantur, ut ſuæ ſententiæ quæ reipublicæ eſſet utiliſſima, vellent acquieſcere; ſin minus, Avenio aut Sabaudia ea lege communi eligeretur decreto, ut ſi adhibita per patres omni diligentia, Græci nollent ea acceptare loca, tunc alius eis pontificique accommodus deligeretur. Quod ſi hoc etiam non placeret, mitterentur a concilio legati Conſtantinopolim, qui Græcos ad quamcumque Latinorum terram poſſent, ſive ad quam vellent deducerent: ita ut non tam locorum utilitas quam ſalus Græcorum quæri videretur, neve aliquorum libidine, Latinæ eccleſiæ fides inanis redargueretur. *His tamen omnibus neglectis*, inquit Auguſtinus Patricius, *ac ſpretis, adverſæ factionis capita clericos undique cogunt, veniunt turmatim ex vicinis oppidis & civitatibus ſacerdotes, & qui in urbe patribus ſerviebant plerique, & in eccleſia togati convenientes juſſa præſtabant ſuffragia.*

Diſcordia inter patres.

Apud Raynald. ad an. 1437. n. 5.

Cap. 54.

Seſſio XXIV. in qua duo contraria edita decreta. Patr. cap. 55.

83. Nonis Maii 1437. celebrata eſt concilii ſeſſio XXV. in qua duo contraria edita ſunt decreta, ſedentibus ſeorſim factioſis. Præſides concilii & legati apoſtolici Florentiam & Utinam, uti concluſum fuerat, decernunt; portus vero deſignant Venetias, Ariminum & Ravennam, vel quem mallent Græci; conciliumque interim Baſileæ perſeverare oportere, legatos Conſtantinopolim mittendos, qui hæc Græcis nuncient, dentque operam ut Græcos Baſileam perducant. Altera factio quæ multitudine ſe tuebatur, eodem die & eodem loco Avenionem aut Sabaudiam futuro concilio deputat, portumque illis viciniorem nominat: hac agendi ratione demonſtrans, non tam ſe Græcorum unionis deſiderio teneri, quam male afficiendi Eugenii, aut propriis conſulendi commodis. Unde Æneas Silvius in opuſculo de conditione Germaniæ de primis loquens: *Hi*, inquit, *quamvis pauciores, plus tamen æquitatis præ ſe ferebant.* Conſequenter pontifex, inſtantibus Græcorum legatis, Florentiam & Utinam pro celebrando œcumenico concilio approbavit & confirmavit IV. cal. Junii ejuſdem anni, deditque operam, ut ad Græcorum evectionem neceſſaria opportuno tempore comparata forent.

Baſileenſes diem dicunt Eugenio ad comparendum.

84. Hac confirmatione irritati Baſileenſes, novam ſeſſionem celebrare properarunt, & præter ordinem eodem die & generalis congregatio & publica

blica ſeſſio XXVI. habita eſt Julii die ultimo, in qua Eugenio ſummo pontifici tamquam decretorum ſuorum contemtori & eccleſiæ perturbatori, diem ad comparendum dicunt ſexageſimum, concilio geſtorum ſuorum rationem reddituro. Jubent inſuper omnes S. E. R. cardinales, ſub pœna amiſſionis beneficiorum, infra eumdem terminum Baſileam ſe conferre reipublicæ conſulturos. Hæc citatio, quam proxime ſecutum eſt monitorium, a nobis editum pag. 931. facta eſt, prohibente ac conteſtante Juliano cardinali concilii præſide, ſimul & conquerente, quod ſuper pontificis defenſione non audiretur: quem cardinalis S. Petri ad Vincula, & plerique alii optimi patres ſequebantur, quibus etiam dilatio ad diem tertium denegata eſt. Plerique etiam prælatorum & legatorum principum, & præſertim Hiſpani, adverſa ſentiebant, neque putabant reipublicæ expedire hujuſmodi cum pontifice concertationem.

Patric. c. 17.

Proteſtante Juliano præſide.

85. Nec diſtulere Baſileenſes rem geſtam notam facere Sigiſmundo imperatori, ejus adverſus Eugenium protectionem implorantes, quibus Cæſar reſpondit: *Moleſtiſſimo ſe animo audire has novas ſeditiones inter pontificem & concilium exoriri, hortarique ut maturius in tanta re ſe gerant, neque ea agant quæ diviſionem & ſchiſmata ſint paritura, quo nihil rebus gerendis perniciosius evenire poteſt. Inveniſſe eos eccleſiam Dei pacificam, & longo magnoque labore unitam. Meminiſſe debere patres ſuæ profeſſionis, cum prædiceni ſe ideo convenisse, ut Chriſtiani populi mores emendent, hæreſes pellant, & diſſidentium animos componant, cavendum ne contrarios effectus pariant, ut qui Græcos ſe unituros pollicentur, Latinos ſeque ipſos ſcindant; conſuluiſſe ſe ſuper hac re imperii principes, omnium eſſe ſententiam ſuperſederi oportere ſuper proceſſu contra pontificem, exquirendaque prius regum atque principum conſilia, & quorum poſtea eſſent auxilia imploraturi, prius cognoſcerent ſententias. Interim curandum ut principum opera ſeditio componatur. Si patres hoc fecerint, daturum operam Cæſarem, ut concilii decreta ſerventur; ſin minus, ſe cum regnis ac principibus ſuis Romano pontifici non defuturum, ejuſque dignitatem adverſus perperam impugnantes tutaturum. Hæc eadem paulo poſt & legati principum electorum concilio iterarunt.* E contrario vero diſſenſionis facem inflammabant Alfonſus rex Aragonum, Philippus Maria dux Mediolanenſis, & Amedeus Sabaudiæ dux Eugenii adverſarii, qui propriis ſtudentes commodis, eum a concilio deponi cupiebant.

Eugenii agendi rationem Cæſar damnat. Patric. c. 20.

86. Hæc ubi ad aures Ambroſii Camaldulenſis, qui jam ſchiſmatis ſemina legatus ad Baſileenſes animadverterat, pervenere, haud potuit ſe continere, ſed ſcribens ad Eugenium, ſic ſui cordis dolorem aperuit: *Comperi, P. B. ſeditioſam illam & furioſam turbam Baſileæ conflatam, monitorium nefarium, plenum dedecoris evomuiſſe contra dominum meum, tantoque dolore percellor, ut vix meipſum capiam. Equidem P. S. nihil umquam aliud fore exiſtimavi, ex quo guſtum cepi ſeditioſæ factionis, ſciſſuramque jam tunc futuram prævidi, & iniqua molimina & deprehendi & ſæpe argui. Quid enim aliud quam ſcandalum ſperari poſſet ex malignantium illo conventu, ubi omnia pro voluntate gerunt, nullo Dei timore prævio, nullo caſto zelo comitante, ſed perturbationibus ſolis dominantibus ac dictantibus omnia? Conſulendum tamen cenſeo P. B. eccleſiaſticis rebus magno cum ſtudio.... Excitandi ſunt Chriſtiani principes nunciis & litteris, patefacienda commenta notiſſima, conatuſque pandendi exſecrabiles; inſiſtendum modis variis, ne prævaleat malum, neu perniciosum virus toti ſe corpori inſinuet, & ſenſim per cuncta membra diffundat. Auferenda ſunt furentibus arma, & ita componenda negotia, ut nullus detur malignandi locus. Ego, mi pater indulgentiſſime, quod ſentio fideliter ſuggero, cupioque non ad oculum ſer-*

Ambroſii Camaldulenſis ad demonitorio ſententia, & ad Eugenium monita.

vire, ſed quaſi Chriſto coram Deo. Si quid operulam meam neceſſariam exiſtimas, non facio animam pretioſiorem quam me. Privatus, ſi libet, ac pedes quocumque juſſeris pergam, ut doceam reges & principes iniquitatem facti. Vereor ne videar ambitioſus, quod me ſic promtus offeram in opus Dei; ſed metietur pietas tua affectum meum. Pergam in ſpiritu vehementi, ſi jubes, ad confundendos peccatores, neque deerit ſuperna pietas votis meis. Similia fere ſcripſerat epiſtola præcedenti, ubi concilium Baſileenſe Epheſino latrocinio comparans, utpote quod *nihil ad aliud videtur conveniſſe, quam ad everſionem eccleſiaſticæ tranquillitatis & pacis, nihil aliud cogitare quam depreſſionem ac dejectionem apoſtolicæ ſedis, & abrogationem tuæ ſanctitatis*, hæc Eugenio dat monita: *Exerenda omnes ingenii vires, tota expedienda eſt auctoritas, ne premamur, aut opprimamur imprudentes; cogenda videtur a domino noſtro legitima ſynodus ſacerdotum, exemplo Leonis papæ, qui contra ſecundam Epheſinam ſynodum, & quidem conſtantem ex ſacerdotibus plurimis, non ex vulgari multitudine, neque niſi apoſtolica auctoritate conflatam, atque ab ſe primum probatam, aliud Romæ concilium collegit, in quo geſta illius irritavit: quia in perniciem eccleſiaſticæ diſciplinæ & fidei catholicæ everſionem emanarant. An vero Epheſina ſynodus eſt quam iſta nocentior? quis hoc ſapiat, niſi plane deſipiat*, &c.

Eugenius ad principes mittit apologeticum.

87. Ambroſii conſilium ſecutus pontifex, apologeticum libellum lenibus ac moderatis verbis ſcriptum direxit ad reges & principes: exponens quæ hactenus pro Baſileenſi concilio fecerit, & quæ ab eo retulerit, eorum in factioſos auxilium efflagitat: * indictoque Ferrariæ concilio 8. Januarii 1438. Baſileenſe ad illud ſe tranſtuliſſe denuntiat: *In quo*, inquit, *ſic tranſlato talia, auctore Deo, proponere & agere intendimus, ex quibus noſtram innocentiam orbis totus agnoſcere poterit, & quæ ſunt adverſum nos malivolentia & malignitate conficta, falſa, & omni veritatis fundamento deſtituta, intelligere, ac noſtram bonam voluntatem ad ea pro quibus dictum Baſileenſe concilium, ut præmittitur, fuerat congregatum, evidentius poterit intueri.* Data eſt convocationis hujus bulla Bononiæ 14. cal. Octobris 1437. Nec multo poſt altero diplomate promulgat factam eſſe Baſileenſis concilii tranſlationem, & Ferrarienſis indictionem.

* Extat apud Raynald. ad ann. 1436. n. 2.

Et novum indicit apud Ferrariam concilium.

Baſileenſes Eugenium declarant contumacem.

88. Paulo poſt Baſileenſes Eugenio ſemper infenſi, novam ſeſſionem celebrarunt ſexto calendas Octobris 1437. in qua creationem cardinalis Johannis Alexandrini patriarchæ ab eo factam irritam & inanem declararunt, non ſecus ac electionem Florentiæ & Utinæ pro concilio cum Græcis habendo. Vixque pauci elapſi erant dies, cum 1. Octobris alteram ſeſſionem celebrantes, Eugenium contumacem declaraverunt, fruſtra reluctantibus regis Hiſpaniæ legatis, qui, ut ait Patricius, *ſeceſſerunt, aperteque aſſeruerunt, ſe regis ſui, prælatorum ac principum ſuæ nationis nomine ei declarationi non conſentire, proteſtariique, ſi proinde ſchiſma aliquod oriatur, Hiſpanicæ adſcribendum non eſſe.*

Cap. 61.

Et acta ab eo condemnant Cap. 62.

89. Duodecimo ab hinc die, inquit Patricius, *acrior ſeditio exoritur. Conveniunt patres turmatim, hi præſertim qui pontifici adverſabantur, & poſt multas conſultationes publicam celebraverunt ſeſſionem* IV. *idus Octobris*, irrita declarantes omnia in ſynodum Baſileenſem ab Eugenio decreta, Ferrarienſiſque concilii indictionem damnantes, *monent pontificem, niſi intra quatuor menſes reſipuerit, & omnia contra concilium conciliareſve ſtatuta revocet, a papali adminiſtratione ... ipſo facto ſuſpenſum, ipſamque ſummi pontificatus adminiſtrationem ad ſacrum concilium devolvi. Quod ſi poſt duos menſes poſt interdictionem pontificatus in ſua pertinacia perſeveraverit, procedendum eſſe contra Eugenium etiam ad privationem pontificatus.* Hic dividitur orbis Chriſtianus. *Alphonſus rex Aragonum, qui*

Pätr. cap. 63.

Eugenio

Eugenio propter regnum Neapolitanum erat infenſus, Baſileenſis concilii decreta laudat & probat. Amedeus Sabaudiæ dux legatos ad Eugenium mittit, rem Baſileenſium protegens: quibus Eugenius rei ſeriem diligentiſſime pandit, oſtenditque multis rationibus Baſileenſes non recte ambulare, & diviſiones ſciſſuraſque in eccleſia quærere. In concilio autem non ſuffragiis legitimis & conſuetis uti, ſed multitudinem conductam convocare, ut numero vincant. Proinde ut neceſſitati eccleſiæ conſuleret, concilium Ferrariam tranſtuliſſe, quod & Græci qui aderant, & reliqui Latini approbarent laudarentque, &c.

90. Interim Ferrariæ inchoatum eſt concilium die Januarii 8. in cujus prima ſeſſione longe plures reperti ſunt epiſcopi, etiam ex his qui Baſilea advenerant, quam ibi ſupereſſent. Cumque advenientium in dies epiſcoporum augeretur numerus, excandeſcentes Baſileenſes 9. cal. Februarii in ſeſſione XXXI. Eugenium ab omni adminiſtratione pontificatus Romani, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus ſuſpendunt, eam ſibi reſervantes: ad alia niſi reſipuerit proceſſuri. *Et ne provinciæ Romanæ eccleſiæ ſine rectore & adminiſtratore remanſiſſe viderentur, interdicto pontificatu Eugenio, aliud* XII. *virorum collegium ſtatuerunt, quod curam adminiſtrandarum provinciarum ſuſciperet. Hi legatos duos de latere conſtituerunt, cardinalem S. Petri ad vincula, qui favore Alfonſi regis Aragonum urbem Romam & vicinas eccleſiæ Romanæ provincias; & Waramum poſtulatum Trajectenſem, qui Bononiam... & exarchatum favore Philippi ducis Mediolani, cui cariſſimus erat, adminiſtrarent. Baſileenſes ſiquidem plurimum in rege Aragonum & duce Mediolani confidebant, qui & concilio dediti, & Eugenio infenſiſſimi videbantur.* Verum longe aliud accidit, cardinali & poſtulato injunctam ſibi provinciam recuſantibus. *Tandem poſt multos tractatus, Philippus dux, qui ſuſpenſionem Eugenii ſummo ſtudio expoſtulaverat, nunc aperte Baſileenſibus oſtendit, non ſibi placere ulterius contra Eugenium procedi.*

Ferrariense concilium ſalutatur.

Baſileenſes Eugenium ſuſpendunt. Cap. 66.

91. Sed & Julianus cardinalis, qui hactenus concilio præfuerat, patres videns in ſuo pontificis deponendi propoſito obſtinatos, Baſilea v. idus Januarii diſcedens Ferrariam venit. Nicolaus quoque claſſis concilii præfectus, reverſus cum legatis e Græcia, magiſtratu ſe abdicavit, redditis vexillo & ſceptro. Quin & *Stephanus dux Bavariæ, & alii nonnulli bellum Baſileenſibus nunciarunt. Græcorum imperator Baſileenſibus ex Venetiis ſcripſit, ſe in Italiam veniſſe, ut impleret promiſſa pro unione; & cum ipſi non ſatisfecerint conventis, ſe pro œcumenico concilio celebrando Ferrariam petiturum, hortaturque patres, ut illuc ad concilium ſe conferant.* Hæc Patricius, qui & addit: Regem Hiſpaniæ & electores imperii patres hortatos fuiſſe, ut a proceſſu contra Eugenium ſuperſederent. E contrario vero Ludovicum protonotarium Romanum inſtitiſſe, ut proceſſum maturarent. Quid inde ſecutum ſit diſcimus ex Auguſtino Patricio.

Julianus præſes Baſilea diſcedit.

Patr. cap. 69.

92. Appetebat jam terminus duorum menſium poſt ſuſpenſionem Eugenii a Baſileenſibus factam; poſt quem die 9. cal. Aprilis privandus pontificatu erat. *Quare regum Hiſpaniæ legati, ſimul cum oratore ducis Mediolani, qui etiam nomine Alfonſi regis Aragonum petebat, patres hortabantur rogabantque, ut ad diem octuageſimum, judicium contra Eugenium differrent: alioquin nomine ſuorum principum proteſtari, quod non conſentirent, quoniam vereantur inde ſchiſma oriturum. Ex prorogatione autem fieri poſſe, ut concordia inter papam & concilium inveniatur. Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui ſe primatem eccleſiæ appellabat, idem aſſerebat ſuo & provinciæ ſuæ nomine. Quin & Ludovicus protonotarius Romanus, qui nuper Eugenii acerrimus impugnator erat, inſtigaveratque patres ad*

Principes petunt differri proceſſus. Cap. 72.

procedendum contra eum, nunc etiam ſententiam differendi probabat; ſed quia res in longam diſceptationem veniſſet, ſtatuerunt tandem patres eſſe procedendum.

Seſſio xxxii. in Eugenium.

93. Celebratur itaque ſolemnis ſeſſio xxxii. 9. cal. Aprilis anni 1438. in qua decretum de electione Florentiæ vel Utinæ ad celebrandum cum Græcis concilium, ut falſum & nullum damnant, uti & acta omnia concilii Ferrarienſis, quod pro conventiculo habent, omneſque, qui a die ſuſpenſionis Eugenii, in ejus curia perſeverarant, aut Ferrarienſe conventiculum adierant, ad judicium intra xxx. dies provocant, Eugeniumque velut putridum membrum abſcindendum cenſent. Alia ex parte *Franciæ Hiſpaniæque reges litteris & nunciis orabant patres, ut in judicio contra Eugenium ſuperſederent, putantes mittori medicina languenti eccleſiæ ſuccurrendum. Et rex Anglorum acerbiſſimis litteris patres increpavit, quod auderent Romanum pontificem judicare, aſſerens antichriſti tempora eos introducere, & exhortans ut a proceſſibus ceſſarent; & in litterarum ſuperſcriptione Baſileenſem congregationem, non autem concilium appellavit.* Congregati vero Francofordiæ ad novum Cæſarem creandum imperii electores, conſtituunt ut ſubtracta cum Eugenio tum concilio obedientia, nulli parti per ſex menſes adhærerent: quæ quidem neutralitas integro ſexennio poſtea perduravit. Hinc factum eſt, ut multi interim a Felice ſe ſubducerent, cum viderent Germanos eum non ſuſcipere, nec Eugenium negare.

Principes Chriſtiani Eugenio favent. Patric. c. 72.

Baſileenſes repugnantibus principibus proceduut in Eugenium. Cap. 74.

94. Alberto ex duce Auſtriaco in regem Romanorum coronato, advenere Baſileam electorum imperii legati, ſuadentes ut ſuperſederetur a proceſſu in pontificem: id quod etiam petebat orator ducis Mediolani. *At Baſileenſes*, inquit Patricius, *auctore præſertim Arelatenſi, maturandum putant. Statuunt igitur generalem conventum celebrare, ut Eugenii accuſationem & articulos probent. Primores nationum rem differendam putant: præſidens cum* populariibus *negat id utile. Ad ſummum prælati Hiſpanicæ nationis aſſerunt ſe probationi criminationum Eugenii non aſſenſuros. Panormitanus præſul, qui alias acceleratione judicii perſuadere conſueverat, nunc ſuperſedendum omnino cenſebat, affirmabatque Italicis Hiſpaniciſque non conſentientibus, quaſi media parte concilii, nihil ab aliis ſtatui poſſe: quod a Gallicis & Germanicis non admittebatur, cum dicerent eos nullo modo non modo pares, ſed vix quartam partem. Quibus Panormitanus reſpondebat: non prælatos, quibus illi maxime abundarent, non habere poteſtatem ſtatuendi in conciliis, & proinde ſe eſſe eis æquales, cum non eſſent inferiores numero prælatorum. Fit tandem congregatio generalis ad* IV. *cal. Maias, in qua cum proponeretur an admittenda eſſent criminationes Eugenii, oratores regum Hiſpaniæ & Aragoniæ, ducisque Mediolani, & Barchinonenſis epiſcopi, nomine eccleſiæ Hiſpanienſis, archiepiſcopus Mediolanenſis nomine Italicæ, cujus ſe primatem appellabat, intercedunt, prohibentque ne id fiat: quod ſi fiat, atteſtantur neque ſe, neque principes ſuos conſenſuros. Sed cum his non moverentur alii, jamque decretum admiſſionis articulorum, jubente præſidente, legeretur, omnes ſupradicti e concione receſſerunt.*

Patric. c. 75. Albertus Cæſar concilium Baſileense approbat.

95. Interim Albertus novus Cæſar Lubicenſem epiſcopum & Georgium Wiſchelium, Sigiſmundi legatione in concilio prius functos, idem munus obire præcepit, concilioque ſtatim approbato, fidem publicam a Sigiſmundo datam patribus innovavit. Hi ut Cæſarem ſibi amplius demererentur, pecunias ex indulgentiis collectas in Auſtria, & Græcorum adventui deſtinatas ei conceſſerunt. Quamvis autem in concilio Ferrarienſi ex Eugenii voto omnia procederent, nullam tamen procurandæ eccleſiæ pacis occaſionem prætermittebat. Petierunt ab eo principes electores, ut tertium in Germania locum celebrando concilio nominari permitteret. Annuit ſta-

Ibid. 75.

tim

tim pius pontifex, dum novi Cæſaris aliorumque principum legati, quos expectabat, id judicarent expedire. Quo illi impetrato reſponſo, Baſileenſes adhortatur, vellent intenta in Eugenium actione ſuperſedere. Verum Arelatenſis, ſuperſedendum quidem ſententia depoſitionis dixit; ſed interim opus eſſe, ut auditis teſtibus, Eugenii criminationes comprobarentur.

Concilium Bituricenſe.

96. Hæc dum in Germania agerentur, Carolus Francorum rex illuſtris, prima die Maii ſolemnem epiſcoporum conventum, ad exquirendas concordiæ vias Eugenium inter & concilium, Bituricas indixit ad diem Junii quintam celebrandum. Huic concilio interfuere archiepiſcopi quinque, Remenſis, Turonenſis, Bituricenſis, Toloſanus, & Cretenſis, cum epiſcopis xxv. abbatibus, aliiſque notabilibus viris in magno numero. Adfuere etiam Eugenii & Baſileenſium legati. Auditiſque ſingulorum ſententiis, viſum eſt, ut rex more progenitorum, mediatorem & ſequeſtrum pacis offerret ſeſe, ideoque litteras & nuncios tam ad papam, quam ad Baſileenſes dirigeret, decretaque concilii de reformatione, *ſalvis aliquibus moderationibus* ſervarentur. Et quamvis ad tollendas annatas rex inclinaret, non ſic illas tolli cenſuit, *niſi proviſione ſibi facta*: immo toto vitæ ſuæ tempore ſolvendam eſſe Eugenio quintam partem annui reditus beneficiorum, ſecundum antiquam æſtimationem. Acta hujus concilii habes hoc tomo pag. 945.

Patr. cap. 77.

97. Exinde menſe Julio Carolus rex oratores ſuos Baſileam miſit, patres iterum adhortans ac ſollicitans, ut a proceſſu contra pontificem ceſſarent, promittens ſe concordiæ & paci daturum operam. Nec multo poſt celebrato apud Nurembergam conventu, *cum Baſileenſes rogarentur ab oratoribus Cæſaris & principum, ut permitterent patres ſuorum principum arbitrio & interventione pacem componi inter ſe & pontificem, multis argumentis reſponderunt, id neque fieri poſſe, neque juſtum videri, quoniam non liceret ſæculares principes de rebus eccleſiaſticis judicare, neque utile eſſe reipublicæ, ut principes videantur legem præſcribere concilio generali & Romano pontifici.* Neque id ſibi aſſumebant principes, qui *ſe non judicis, ſed mediatorum & procuratorum pacis officio functuros* aſſerebant.

Ibid. c. 80. Baſileenſes reſpuunt principum interventum.

Patric. c. 81. Et iis invitis procedunt adverſus Eugenium.

98. Jam vero accingebant ſe Baſileenſes ad procedendum adverſus Eugenium, cum ecce *adducuntur litteræ principum, petentes ne id fiat. Et dux quidem Mediolani graviſſime litteris conqueſtus, quod patres in gratiam principum abſtinere nollent a judicio contra Eugenium; tandem declarat ſe non conſenſurum eorum judicio, & ſi Eugenium pontificatu ejiciant, aliumque ſubrogent, ſe omni ſtudio, totiſque viribus adverſaturum, atque alios principes inducturum in ſuam ſententiam. Præter hæc Hiſpaniæ, Aragonum, Navarræ regum legati, ac etiam ducis Mediolani, principum ſuorum nomine, & Mediolanenſis præſul Italicæ, & Barchinonenſis Hiſpanicæ eccleſiæ, cardinalis vero Tarraconenſis proprio nomine interceſſionem fecerunt, proteſtatique ſunt neque ſe, neque principes, provinciales que ſuos in eam rem conſentire. Spretis tamen his omnibus, judiciali ritu ſervato, vocatus eſt Eugenius per edictum ad contradicendum productis* XVII. *cal. Novembris ejuſdem anni.*

Patr. cap. 99. Turbæ in medio.

99. Tandem poſt multos tractatus inutiles menſe Aprili anni 1439. *magnæ acerrimæque inter patres concertationes actæ ſunt, cum illi octo veritates legitimo decreto approbare vellent; legati vero omnium principum aperte contradicerent: atque ita incenſi ſunt contendentes, ut cum promotores concilii Arelatenſem cardinalem, ut primum præſidentem, peterent, ut veritates illas ex more concluderet, Panormitanus præſul cum aliter perſuadere non poſſet, ſeceſſione facta duxerit, ſe cum aliis prælatis oratorum, qui majorem partem prælatorum complectebantur, concluſere non eſſe concluden-*

dum; & aſſerentes omne jus concilii apud eos eſſe, quoniam inferiores non haberent poteſtatem ineundi ſuffragia in conciliis generalibus, & maxime in rebus fidei, neque vocem habere niſi conſultivam tantum; atque in tantum excanduit, ut colluviem illam copiſtarum concilium appellaverit, affirmaveritque flagitium fieri ab Arelatenſi, qui cum tribus epiſcopis titularibus contra omnes prælatos concilii vellet ſtatuere. Harumce concertationum ſeriem fuſe deſcribit Æneas Silvius in libro 1. de geſtis concilii Baſileenſis, teſtaturque patres tam perturbate hac ſe occaſione geſſiſſe, ut ſæpe ventum ſit ad probra, vixque temperatum ſit a pugnis & plagis. Nam cum Panormitani dicta impugnarit Segovienſis præſul, *Panormitanus ſæpius verba ipſius interrupit, & nunc unum, nunc aliud dictum confutare ſatagebat. Surrexit Argenſis etiam epiſcopus, vir non ſolum eloquens, ſed etiam animi plenus, acriterque Panormitani dicta & argumenta diſturbavit: plus tamen inter eos proceſſum eſt, quam diſputandi modus exigeret.* Cum vero Arelatenſis loquendi finem feciſſet, *Cathelani*, inquit Æneas Silvius, *quoniam negari ſibi dilationem viderant, ne concordata duodecim virorum legerentur, ſtrepitu ac vociferatione obſtabant, magno conatu ſtudentes, ut lecturam concordatorum proteſtatio quam Panormitanus fecerat præcederet. Nec res ſine violentia fuit, cum nec mandata præſidentis reciperentur, nec ordo in rebus agendis ſolitus cuſtodiretur. Erat namque ubique clamor, ubique ſtrepitus, ubique jurgia effundebantur. Nunc Panormitano, nunc Ludovico ſermo erat; nulli tamen ſine feſtinantia loqui licuit. Epiſcopi cum epiſcopis, inferiores cum inferioribus verbales habebant rixas, omniaque contentionibus & probris inſonabant. Quæ cum vidiſſet Ludovicus patriarcha Aquileienſis... verſus ad Panormitanum & Ludovicum protonotarium: Nec credite*, inquit, *rem ſic abire, Germanorum neſcitis mores; nempe ſi ſic proceditur, nequaquam fas erit integris hanc provinciam exire capitibus. Quo verbo velut cæleſti fulmine tacti Panormitanus, Ludovicus ac Mediolanenſis uno impetu aſſurgentes: Libertas*, inquiunt, *nobis eripitur. En quid eſt quod frangenda nobis capita patriarcha minatur.* Et aliquanto poſt: *Panormitanus, ut cœptum eſt legi concordatum, aſſurgentibus ſecum collegis & aliis Aragonenſibus, altiſſime clamans: quo niſi plane & morate loquens exaudiebatur nemo, Vos, ait, patres, noſtras contemnitis preces, reges & principes contemnitis, prælatos contemnitis: at cavete, ne dum omnes deſpicitis, ab omnibus deſpiciamini, vultis concludere, ſed veſtrum non eſt concludere. Nos prælatorum pars major ſumus, nos concilium facimus, ad nos concludere ſpectat, egoque nomine prælatorum ſuperſedendum eſſe concludo. Quo verbo tantus exortus eſt clamor, quantus ſolet in prœliis tubarum clangor, & equorum fremitus audiri, cum ſignis collatis, duo invicem concurrunt exercitus. Alii quod Panormitanus effeciſſet exſecrantur, alii probant, faciuntque diverſa ſtudia diverſas contentiones.* Et iterum: *Erant turbata omnia, nec, ut ſolebant, ſuis ſubſelliis prælati inſidebant, ſed ut quemcumque trahebat affectio, illi Arelatenſem, illi Panormitanum adibant, & quaſi principem quique ſuum aut exercitus imperatorem adhortabantur.* His non obſtantibus, 17. cal. Junii 1439. ſolemnis habita eſt ſeſſio, in qua tres præcipuæ veritates approbatæ aſſertæque ſunt.

Æneas Silv. lib. 1. pag. 6.

Ibid. pag. 31.

100. Paucis poſt diebus, decimo ſcilicet cal. Junii, *in generali congregatione, legati Cæſaris & principum omnium Germaniæ, regum Franciæ, Hiſpaniæ, Aragoniæ & aliorum multis precibus, ſuaſionibus, & argumentationibus patres rogabant, ut Moguntiæ meditata pro pace eccleſiæ ſuſciperent, proceſſum contra Eugenium differrent, & in tertium concilii locum conſentirent. Verum principum precibus ſuaſionibuſque omiſſis, judicium contra Eugenium perficere ſtatuunt.* Ac conſequenter 7. cal. Julii celebrata

Patric. c. 91.

Baſileenſes ſententiam depoſitionis in Eugenium pronuntiant.

ſeſſione

ſeſſione XXXIV. ſententiam depoſitionis in eum pronuntiant. *Paulo poſt litteræ regis Francorum patribus redditæ ſunt, in quibus acriter conquerebatur rex, patres non modo non annuiſſe ejus precibus & exhortationibus, ut in judicio contra Eugenium ſuperſederetur; ſed graviora contra eum egiſſe; (non tamen adhuc privationem audierat) quod non ſolum ſibi, ſed & aliis multis principibus magnæ eſſet admirationi, cum pacem eccleſiæ quam principes tantopere quærerent, patres reſpuere viderentur.* Patr. cap. 92.

101. Dum ſic Chriſti tunicam deteſtando ſchiſmate lacerant Baſileenſes, hanc feliciter Eugenius Florentiæ redintegrat, conciliatis cum eccleſia Græcis, quorum unionis decretum nonis Junii propria manu ſubſcripſerunt imperator, trium patriarcharum legati, & plures eorum prælati. Sed & nefandum facinus ulciſci viſus eſt Deus, ſæviſſima peſte Baſilcam civitatem affligens. Ea non molliti patres idibus Julii XXXV. celebrant ſeſſionem, in qua lue non obſtante, perſeverare ſtatuunt Baſileæ uſque ad rerum ſuſceptarum perfectionem, diemque electioni futuri pontificis præfigunt ab Eugenii dejectione ſexageſimum, impunitate promiſſa omnibus, qui deſerto Eugenio Baſileam interim accederent. *Rebus vero ita firmatis*, inquit Patricius, *legatos deligunt ad conventum Francofordienſem per electores imperii circa calendas Auguſti celebrandum. Alios ad ſynodum provincialem Moguntinam ad ſolemnitatem aſſumtionis B. Mariæ Virginis. Alios ad Cæſarem, alios ad regem Hiſpaniæ, alios ad conventum Bituricenſem a rege Franciæ indictum.* Ibid. cap. 93. Græcorum unio in concilio Florentino. Baſileenſes decernunt ad electionem novi papæ. Cap. 94.

102. *Baſileenſium legati Moguntiam ad conventum petentes, edicta privationis Eugenii valvis Baſilicarum Argentinæ, Spiræ, Vormatiæque affixerunt: quod cum etiam Moguntiæ feciſſent, deleta ſunt edicta, prohibitique ne ultra illa uſpiam affigerent.* Cumque legati ſententiæ executionem in Germania peterent, *Principes nomine totius Germaniæ provocavere ab illis ad proxime futurum concilium generale, ad SS. dominum Eugenium pontificem Romanum, ſedem apoſtolicam, vel alios ad quos ſpectaret.* Interim Eugenius in publica ſeſſione VI. Florentinæ ſynodi, acta Baſileæ in ſe & ſuos reſcindit, *affirmans totius orbis dæmonia ad latrocinium Baſileenſe confluxiſſe, ut ad complendam iniquitatem abominationem deſolationis in eccleſia Dei ponant.* Menſe Octobri *reddita ſunt patribus litteræ a Cæſare, qui acriter conquerebatur, illos ſuas & principum preces tam aperte ſprevisſe, proceſſiſſeque contra Eugenium invitis principibus: orare ut ſaltem a nova electione ſuperſederent, miſſurumque ſe prope diem oratores, qui pacem procurarent.* Imperatoris preces ſprevit iterum Arelatenſis, cujus præſertim nutu omnia agebantur Baſileæ. Patric. c. 95. Principes Germaniæ provocant ad futurum concilium, & ad ipſum Eugenium. Ibid. c. 97. Ibid. c. 98. Cæſaris precem ſpernunt Baſileenſes.

103. Delecti ſunt itaque tres viri, abbas Scotus, Johannes Segovius & Thomas de Corcellis, cum plena poteſtate viginti novem coëlectores, una cum trigeſimo Arelatenſi, privatim & ſecrete deſignandi: qui munere ſuo functi, IV. cal. Novembris in generali congregatione a ſe deſignatos nominaverunt. Hac in congregatione, inquit Æneas Silvius, *cardinalis Arelatenſis in tanta re anxius, & pluribus negotiis occupatus, aliquanto tardius venit, quam tempus exegit, expectationemque ſui non ſine admiratione omnibus præbuit: qui tamen in ſubſellia reſedit, moræ ſuæ primitus excuſata. Hodie, inquit, magna res agitur. In nominatione, quæ ſtatim aperietur, ſtatus eccleſiæ pendet. Si tres viri, quibus rem commiſiſtis, bene egerint, fateor quippe me tardius veniſſe: ſin autem male, nimis cito aſſum: quæ verba & trementi voce & ore pallido, atque ex abundantia cordis pronuntiavit. Qui ſic locutus, aſpectu triſtis, animo turbatus & oculis minax cunctis terrori erat.* Quibus ſane verbis, hominem, quem pro ſcelere, quod patrabat, ſua eum excruciabat conſcientia, Æneas repræſentare videtur. Quidquid eſt, Procedunt ad electionem. l. 2. de geſtis concil.

Ante ſeum locum Sabaudiæ eligunt.

ſequenti die cum Bernardus Aquenſis epiſcopus ex electoribus unus intereſſe electioni recuſaſſet, ei ſuffectus eſt Maſſilienſis antiſtes, ingreſſique omnes conclave, quinto ſcrutinio elegerunt Amedeum ducem Sabaudiæ pridie nonas Novembris. Hunc viginti duobus ſuffragiis ſubrogatum tradit Auguſtinus Patricius. At Æneas Silvius ſex & viginti voces ei attribuit. Ex his autem, quos Æneas miris extollit laudibus, *duodeviginti ex ducis Sabaudiæ dominio* fuiſſe ſcribit Flavius Blondus, qui paucis ante diebus Baſileam acceſſiſſe, nec aliam ob cauſam videntur, quam ut ſuum principem papam crearent: ſaltem ita conjicere licet ex his Patricii verbis: *Menſe Octobri cum ſubrogandi pontificis tempus a Baſileenſibus præfixum adeſſet, plures e vicinis locis, & maxime e Sabaudienſi principatu Baſileam ad concilium acceſſerunt, ut Tarentaſienſis archiepiſcopus, Bellicenſis & Hypporegienſis epiſcopi, & plerique alii.* Et certe non ſine fundamento quis credat eam ob rem fuiſſe accerſitos ab Arelatenſi, qui dubiam cum videret futuræ electionis ſortem, valde anxius erat, ſuamque patribus anxietatem exponit apud Æneam Silvium his verbis: *Conſiderate, oro, pauliſper, quibus in terminis ſumus, quibus anguſtiis premimur, quibus periculis agitamur. Quis principum eſt huic concilio obediens? Alii nec concilium hic eſſe fatentur, nec mandata noſtra ſuſcipiunt: alii verbo hic eſſe concilium dicunt, facto apud Florentiam fore oſtendunt... Potentes prælati & famoſi cardinales a nobis defecerunt*, &c. Si potentes prælati & famoſi ab eis defecerant, quid de remanentibus ad electionem poſſumus judicare? Hos, ſi Blondo credimus, *homines ſordidos, & majori ex parte ob admiſſa apud ſuos flagitia ſedibus propriis pulſos, illius largitione corruptos fuiſſe conſtat.* Has Arelatenſis redactus ad anguſtias, oculos in Amedeum Sabaudiæ ducem convertens ac defigens, mentem ſuam ita patribus aperuit: *Nemo aptior eſt Amedeo duce Sabaudiæ, qui alterum in Italia, alterum vero in Gallia pedem habet: ad quem omnes fere Chriſtianorum principes aut ſanguine attinent, aut amicitia favent.... Quid igitur hunc hæreamus eligere? Nemo eſt quem magis dari ſibi adverſarium Gabriel, quam iſtum timeat. Pereat igitur eo gladio quo putavit.*

Patric. c. 100.

Blond. de cad. 3. lib. 10

Patric. c. 98.

Agente præſertim Arelatenſi.

Lib. 2.

Blond. 3. de cad. lib. 10.

Æneas lib. 2. de conc. Baſ.

104. Verum longe aliter res accidit quam ſperaverat Arelatenſis. Electus quidem eſt Amedeus, & xv. cal. Decembris in publica ſeſſione XXXIX. confirmatus; nec mora deputati ad eum, qui oblato electionis decreto ejus aſſenſum poſtularent. Aſſenſit ille, ſolemni ritu ordinatus, pontificio diademate redimitus eſt, ut fuſe exponit Æneas Silvius epiſtola ad Johannem de Segovia. Verum quos habuit obedientes ſibi populos: immo quos non habuit adverſarios? Audi Æneam Silvium: *Gallia quidem atque Hiſpania, Italia quoque, Hungaria, Anglia Eugenium ſequebantur. Sabaudia, Svvicenſes, Baſileenſes, Argentinenſes, ac ex Saxonia Caminenſes, ſimulque de ducibus Bavariæ Albertus Monaci Felici obediebat. Rex Aragonum & Siciliæ Alfonſus, Polonique ac Britones, nec Eugenio nec Felici, ſed concilio Baſileenſium auſcultabant. Reliqua Germania neutralitatem quamdam induxit*: quæ tamen poſtea Eugenii partes ſuſcepit.

Felix paucos habuit ſibi obedientes.

De moribus Germaniæ.

105. Et certe quod ſpectat ad Galliam, ſtatim ut facta eſt Felicis electio, interceſſere regis oratores: quorum interceſſio in veteri mſ. codice S. Victoris ſic exprimitur: *Proteſtatur rex, ſicut princeps Chriſtianiſſimus, quod more prædeceſſorum ſuorum paratus eſt audire eccleſiam rite & legitime congregatam. Verum apud multos graves & probos non modica eſt dubitatio, an ſuſpenſio, privatio, & ſubſecuta electio facta Baſileæ ſit legitima. Dubium eſt etiam an illa congregatio illis diebus quibus prædicta agitata & facta ſunt, ſufficienter repræſentaret univerſalem eccleſiam ad tantos & tam arduos actus. Idcirco rex perſtat & manet in obedientia D. Eugenii,*

Gallia ſtat pro Eugenio.

in

in qua nunc ſtat. Ubi vero rex plene & ſufficienter de prædictis informatus fuerit, ſive per œcumenicum aut aliud generale concilium, aut in congregatione eccleſia ſua Gallicana extenſius congreganda, ſeu in conventione principum, rex comperta veritate ſtabit cum ea, & ei adhærebit. Quod regis nomine Baſileæ declaraverunt ejus oratores, id paulo poſt congregato apud Bituricas regni ſui epiſcoporum cœtu, confirmavit ipſe Carolus, legatis concilii ibidem præſentibus denuntians, quod *quoad depoſitionem Eugenii, & electionem Felicis, numquam eas approbaverat, aut approbat: immo tenuerat dominum Eugenium pro papa, & adhuc tenebat, & volebat quod ſibi in regno ſuo obediretur*, idque ipſum ſcriptis ad Eugenium litteris ſignificavit: quibus acceptis, gratias ei refert his verbis pontifex: *Magnum gaudium ſuſcepimus in Domino ex litteris tuis, quas nobis præſentavit venerabilis frater noſter archiepiſcopus Cretenſis orator noſter. Vidimus enim, quod ſemper credidimus, & opere experti ſumus, tuam ſinceram devotionem & perfectam affectionem circa ſtatum & honorem noſtrum & ſedis apoſtolicæ conſervandum*, &c. Vide Auguſtinum Patric. cap. 112.

Apud Clemang. pag. 106.

Apud Raynald. ad an. 1440. n. 4.

106. Quod in Gallia Carolus, hoc Henricus rex præſtitit in Anglia, profeſſus non alium Chriſti in terris vices gerere, quam Eugenium, eumdemque de ſuo in ipſum ſtudio fecit certiorem, cujus ſententiam ſingulari diplomate commendavit pontifex, quod integrum refert Raynaldus. At quod mirandum magis eſt, Amedei gener Philippus Maria dux Mediolani, quamvis Eugenii adverſarius, adeo ſoceri ſui facinus & ſchiſma exhorruit, ut numquam ad Felicis partes potuerit inflecti. Audiendus hac de re Franciſcus Philelphus in epiſtola ad Florentinos: *Eo*, inquit, *conſilio atque mente rem tantam admiſiſſe* (Amedeum) *fatentur omnes, quod minime futurum dubitaſſet, ut ſe gener hic quam cupidiſſime ſequeretur, id quod alios etiam Chriſtiani nominis principes continue facturos ſentiebat. Sed Philippus Maria nulla neceſſitudine, nullis precibus, nulla ingentiſſimorum munerum ac præmiorum ſpe induci potuit, ut amantiſſimo & bene merenti ſocero in hanc diem obſequeretur. Intelligit enim primam neceſſitudinem eſſe cum Deo, nec plus cuiquam debere quam Deo; nec ulla eſſe munera aut præmia cum virtute Deoque comparanda.* XVI. *calendas Julii, anno a natali Chriſtiano* MCCCCXL.

Angli.

Et dux Mediolani gener Felicis.

107. Quam tenaciter Eugenio pontifici adhæſerint Hiſpani, ſpreto Felice, teſtantur Salmanticenſis academiæ litteræ, inſignibus pietatis ac religionis notis aſperſæ: quibus Eugenium verum pontificem agnoſcentes, graviſſimas in Baſileenſes querelas effundunt, qui Chriſti eccleſiam deteſtando ſchiſmate laniare non horruerunt. His addendi ſunt illuſtris dux Burgundiæ & Leodienſes, qui teſte Cornelio Zantflieto, fideliter ſemper & cordialiter adhæſerunt pontifici Romano Eugenio: etſi Felici faverent Cracovienſis & Viennenſis in Auſtria univerſitates, *quæ Baſileenſes in hoc facto rite proceſſiſſe diffiniebant, ceteris contrarium affirmantibus, & per ſacros canones probantibus.* Unde cum anno 1442. Ludovicus cardinalis Arelatenſis Baſileenſium præſes Aquiſgranum ad Friderici electi imperatoris inaugurationem acceſſiſſet, *Leodienſis epiſcopus, ad cujus diœceſim ſpectat urbs Aquenſis, fovens partes domini Eugenii papæ IV. in eumdem dominum Arelatenſem fautorem Felicis V. ſic in ſua obedientia nuncupati, duras ſatis & graves impoſuit invectivas: quibus ille conſternatus, poſt paululum hoſpite inſalutato, receſſit ab urbe*, inquit Zantflietus.

Hiſpani.

Dux Burgundiæ & Leodienſes.

Tom. 5. Labbei Collect. pag. 445.

108. Cum ergo Italia tota, tota Gallia, Anglia, Scotia, Hiſpania, aliique principes conſtanter adhæſerint Eugenio, totaque pene Germania neutralitatem amplexata eſſet, hic facile conjici poteſt, quam exilis & fere nulla fuerit Felicis obedientia. Sed neque iſta tantilla & qualiſcumque obe-

Felicis obedientia exilis, nec tàtis firma.

dientia, omni ex parte ſatis firma aut ſincera fuiſſe videtur, cujus principes & architecti ſolo privatæ rei ſtudio, nec ullo fidei reſpectu aut religionis ducti, facile ad omnem auram poterant moveri. Quod porro evidenter patuit, cum Baſileenſes quintum omnium cenſuum ac redituum eccleſiaſticorum denarium ſuo Felici per quinquennium conceſſiſſent, & decimum

Patr. c. 123. denarium per aliud quinquennium, vix illum *ex ſolis Sabaudiæ provinciis* percipere potuit. Sed neque Baſileenſes ipſi debitam Felici tamquam ſummo pontifici reverentiam exhibuerunt. Cum enim in concilio Romanus pontifex præſidere debeat, *agitata eſt inter eos hæc contentio, ut præſidentes concilii non unus tantum eſſet, ſed quatuor, ex qualibet natione unus.* Nihil

Ibid. c. 134.

Novos creat cardinales. tamen prætermiſit Felix ad conciliandos ſibi cum reges, tum principes: nam ut imperatorem devinciret ſibi, idibus Octobris Alexandrum epiſcopum Tridentinum, quem patriarcham Aquilegienſem appellabant, Cæſari ſanguine conjunctum, purpura donavit, eumque miſit in Auſtriam, *quem*

Ibid. c. 127. *Cæſar ſine rubeo pileo venire juſſum honorifice ſuſcepit.* Ita & Caroli regis Francorum benevolentiam captare ſtudens, pridie idus Novembris novam cardinalium promotionem fecit, eaque decoravit dignitate Dionyſium patriarcham Antiochenum Pariſienſem epiſcopum, Amedeum Lugdunenſem, Philippum Turonenſem archiepiſcopos, Johannem Nannetenſem, & Gerardum Caſtrenſem regi a confeſſionibus: quibus addidit Nicolaum archiepiſcopum Panormitanum, qui cum olim Eugenii cauſam ſummo defendiſſet ardore, magni ipſius intererat ſuas eum ad partes attrahere. Nec ſua eum fefellit opinio, cum ipſum deinceps optimum patronum habuerit & acerrimum defenſorem, ut ex mox dicendis conſtabit.

Legati concilii Moguntiæ jubentur legationis inſignia deponere. 108. Cum ad indictam Nurembergæ diætam, atque inde Moguntiam acceſſiſſent concilii legati; Johannes Segobienſis, qui legati a latere munus obibat, juſſus eſt ante omnia cardinalitiam veſtem & alia legati inſignia deponere. Nec meliorem habuit ſortem Arelatenſis. Cardinalitium quidem habitum, quem a Martino V. acceperat, retinere permiſſus eſt: at crucem aliaque legationis inſignia domi relinquere coactus, multa coram principibus pro ſuo Felice locutus, auctoritatem conciliorum in primis extulit, uti & Thomas de Corcellis ejus collega. Quorum dicta Eugenii legati Johannes *Carvajal* & Nicolaus de Cuſa ſolide refutarunt, aperte demonſtrantes Felicis creationem & Eugenii depoſitionem nullam & irritam eſſe, ut-

Patr. c. 117 pote *ab epiſcopis tantum ſeptem factam, cum puri epiſcopi depoſitio a paucioribus* XII. *rite fieri non poſſit.* Quæ cum concilio fuiſſent relata, nec ſine

Principes Germani ad Eugenium inclinant. Patr. c. 128. maximo mœrore audita, viſum eſt patribus ad explorandos principum animos Metenſem archidiaconum, & auditorem cameræ in Germaniam mitti: qui circa calendas Martias inde reverſi, *renunciant majorem principum partem inclinatam ad Eugenium, jamque miſſas ad illum in Italiam conditiones, quibus Eugenium aperte ſunt ſuſcepturi: gravi animo tuliſſe principes, quod Baſileenſes nullum ex nominatis locis pro concilio acceptaverint: videri ſibi ut quamprimum mittantur legati ad conventum Francofordienſem cum plena poteſtate omnia agendi quæ principibus placeant. Quæ cum renunciata ſunt, omnium animos male affecerunt.*

Novos concilium legatos mittit Francofordiam. 110. Poſt varias autem conſultationes, cum fama vulgante auditum eſſet ad conventum Francofordienſem Cæſarem adventare, actum eſt inter patres de inſigni legatione illuc mittenda, deſignatique ſunt ad eam Arelatenſis, Panormitanus, & Johannes Segobienſis cardinales: qui VI. calendas

Patr. c. 131. Junii Francofordiam appulerunt, perbenigne a civibus ſuſcepti, *non tamen ut legati apoſtolici, juſſique ſunt inſignia legationis domi dimittere.* Eodem die Fridericus Cæſar Francofordiam ingreſſus eſt, *qui vetuit Baſileenſes ſibi honoris gratia obviam dari.* Poſt aliquos tamen dies eum adiere, *redditiſ-*

que litteris concilii & Felicis, cauſam ſuam, Panormitano orante, commendant. Quibus Cæſar reſpondit, *ſe nihil magis cupere, quam eccleſiæ pacem dare, propterea ſe conventum principum indixiſſe; verum oportere eos paucis diebus præſtolari, quoad ex Aquiſgrano, quo ſuſcipiendæ primæ coronæ gratia iturus ſit, revertatur*, &c. Poſtridie Eugenii pontificis legati Johannes *Carvajal*, Nicolaus de Cuſa, & Jacobus Ferrarienſis Cæſarem ſupplices adierunt, enixe poſtulantes, ut pulſis patribus Baſileæ congregatis, obedientiam Eugenio reſtitueret, &c. Quorum dictis interveniens e Baſileenſium oratoribus unus qui præſens aderat, Cæſarem rogabat, ut collegas ſuos prius audiret, quam adverſariis reſponderet. Negabat *Carvajal* damnatos & ſchiſmaticos ullo modo audiendos: quod ſi audiri cuperent, veniret Segobius iſte, ut nuper & monachus cum ſuo habitu, & ei libentiſſime reſponderent. Poſtridie Aquiſgranum cum Friderico profectus Arelatenſis, tam vehementem ab epiſcopo Leodienſi, qui Eugenio adhærebat, paſſus eſt objurgationem, ut inde inſalutato hoſpite e veſtigio diſceſſerit.

Quæ ad ſe fuerint Eugenii legati.

111. Interim coram deſignatis a Cæſare tribus diebus peroravit pro Felice Panormitanus, vir ſua ætate omnium juris utriuſque peritorum excellentiſſimus. Deinde admiſſis Eugenii oratoribus, Nicolaus Cuſanus iniquum videri aſſeruit damnatos Amediſtas audiri, tum explicata rerum geſtarum ſerie, Eugenii pontificis cauſam egregie defendit. Auditores vero, ut *fidelius pleniuſque Cæſari & principibus poſſent referre*, dicta utriuſque partis ſcriptis ſibi dari petierunt. Tunc Panormitanus ſuum de concilio Baſileenſi tractatum conſcripſit, qui deinceps Felicis & ſuorum præcipuum fuit propugnaculum, cui ſingulari tractatu hactenus, quod ſciam, inedito replicavit Cuſanus.

Tribus diebus pro Felice peroravit Panormitanus a Cuſano refutatus.

112. Poſtea *audierunt Baſileenſes legati, quinque ex principibus electoribus conjuraſſe, ut Eugenio certis legibus omnino obedientia redderetur: quare ut huic rei obviarent, ſummo ſtudio curarunt ab eis audiri, quod numquam conſequi potuerunt: qui etiam audita relatione dictorum a contendentibus, urgebant ut Eugenius ſuſciperetur.* At Cæſar rebus omnibus diſcuſſis, *de conſilio principum ſtatuit aliud concilium indubitatum eſſe celebrandum, mittendos eſſe nuncios ſuper ea re Baſileam ad patres, & Florentiam ad Eugenium pontificem: interim Germaniæ in ſua ſuſpenſione animorum manendum.* Indigne tulerunt Baſileenſes, legatos ad Eugenium, omiſſo Felice, deſtinari.

Pate. c. 111. Electores vubuit obedientiam recidi Eugenio.

113. Ad Baſileenſes nomine ſuo & principum Cæſar nunciis deſignatis Silveſtro Chimenſi, Thoma Halſelbachio epiſcopis & aliis, Cæſar 18. cal. Octobris Baſileam appropinquans, rogatus a cardinalibus Felicis & a multis ex patribus, qui obviam ei proceſſerant, ut urbem intraret, recuſavit: illud unum mandans, ut nuncios ſuos exaudirent, teſtatus urbem ſe non ingreſſurum priuſquam reſponderent ſuis legatis, poſcentibus ut ad pacem vellent conferre vota ſua, atque infra annum indubitatum eam in rem concilium congregaretur. *Magna moleſtia*, inquit Patricius, *acceperant Felix & patres, principes quoſdam & ipſum etiam Cæſarem Eugenio ſcribere tamquam Romano pontifici*, nec Felicem aliquali honore venerari. Tandemque poſt multas conſultationes, aſſenſerunt transferri concilium in aliquam Germanicæ nationis civitatem ad hoc idoneam, ad quam rogabant Cæſarem accedere, aut aliquem ejus nomine principem, &c. His peractis, 3. idus Novembris Fridericus Cæſar ſolemni pompa Baſileam ingreditur. Sequenti die *ſub crepuſculo veſpertino cum paucis Felicis domum nudo capite adiit*, honorifice ab eo exceptus, *hortatuſque eſt Felicem & ſuos cardinales, ut ad pacem eccleſiæ dandam omnino ſe diſponerent, quam ipſe totis viribus proſequeretur*, &c. *multiſque hinc inde dictis, Cæſar domum rediit,*

Baſileenſes indigne ferunt miſſi legatos ad Eugenium, & non ad Felicem.

Pate. c. 133.

Cæſar accedit Baſileam, & patres hortatur ad pacem.

& inde ſequenti die Baſilea diſceſſit. De cujus receſſu pauca hæc habet Æneas Silvius: *Fuit & Fridericus imperator apud eum in Baſilea, ſed clam nocte intempeſta, ne adoraſſe idolum videretur, abiit.* Nihil tamen negligebat Felix, ut principes ſibi devinciret. *Fuerunt ei cum rege Franciæ Carolo*, inquit Æneas Silvius, *cum Alfonſo rege Aragonum, qui tum hoſtis Eugenii papæ fuit, cum Philippo duce Mediolani, cum pluribus aliis, de recipienda ejus auctoritate tractatus, qui omnes incaſſum abierunt.* Quin immo anno 1443. Alfonſus rex Eugenio ſincere reconciliatus, *litteris ſuis per omnes regnorum ſuorum provincias teſtificatus eſt, ſe poſt longam conſultationem, cum in rebus eccleſiæ dubius admodum fuiſſet, revelante divina gratia, cognoviſſe Eugenium eſſe ſummum & verum Romanum pontificem, ac Chriſti indubitatum vicarium, illumque & non alium pro tali eſſe adorandum. Tum leges edictaque omnia in ſuis regnis contra Eugenium & pro concilio Baſileenſi contra ejus voluntatem irrita eſſe & omnino revocata, licereque unicuique Romanam curiam adire*, &c.

De Europa cap. 42.

Ibid.

Alfonſus rex Aragonum Eugenio reconciliatur. Patr. c. 140.

Pat. c. 141. Cardinales & prælat ex ejus regnis Baſilea diſcedunt.

114. *Aperuit hæc omnia Alfonſus clam ſuis litteris Panormitano, Dertuſenſi & Vicenſi cardinalibus Felicis, monens eos, ut ſi cuperent rem gratam regi facere, diſcederent quamprimum Baſilea, & in Italiam, vel ad ſuas eccleſias proficiſcerentur; non poſſe hoc tempore eos quicquam agere regi acceptius: proinde ſecundas litteras non expectarent... Qui cognita regis voluntate, pridie nonas Auguſti e Baſilea diſceſſerunt. Panormitanus dimiſſis inſignibus cardinalibus, Italiam petiit, reliqui ad eccleſias ſuas reverſi ſunt. Hos ſecuti ſunt reliqui fere omnes, qui ex regnis Alfonſi Baſileæ erant.*

Dertuſenſis epiſcopus obedientiam Eugenio promittit.

115. Duobus poſt annis 13. Aprilis anni 1445. Odo Dertuſenſis epiſcopus, per procuratorem Romam miſſum, obedientiam Eugenio publice promiſit, dimiſſaque purpura, cardinalatus dignitatem ſibi ab Amedeo de Sabaudia collatam ſponte exuit. Inſtrumentum habes apud Raynaldum ad annum 1445. n. 25. Eodem anno ad ſedandum ſchiſma Fridericus Cæſar indicta apud Nurembergam diæta, principes ad eam & reges graviſſimis litteris invitavit, ut colligere eſt ex ea quam hic habes pag. 977. ſcriptam ad Carolum. Cum vero nulla darentur a contendentibus reſponſa accommoda, tunc nihil prorſus actum eſt. Sed tandem in conventu Francofordienſi anni 1446. cum Cæſar & principes ſtatuiſſent ad Eugenii obedientiam reverti, Romam miſerunt Æneam Silvium, qui Frederici & principum nomine eam offerret pontifici. Is antequam injuncta ſibi a Cæſare mandata exequeretur, hunc ad Eugenium ſermonem habuit: *Prius, ſanctiſſime pater, quam Cæſaris mandata referam, de me ipſo pauca dicam. Scio multa de me tuis auribus inculcata eſſe, neque bona, neque digna relatu: ſed neque mentiti ſunt, qui me tibi detulerunt. Plurima ego, dum Baſileæ fui, dixi, ſcripſi & feci, nihil inficior. At non tam tibi nocere, quam eccleſiæ prodeſſe mens mea fuit. Erravi, quis neget? ſed neque cum paucis, neque cum parvis hominibus. Julianum S. Angeli cardinalem, Nicolaum archiepiſcopum Panormitanum, Ludovicum Pontanum tuæ ſedis notarium ſum ſecutus, qui juris oculi & veritatis magiſtri credebantur. Quid univerſitates & alia orbis gymnaſia, quorum pleraque adverſus te ſentiebant? quis cum tantis hominibus non erraverit? Verum ego ubi errorem deprehendi Baſileenſium, fateor ad te non ſtatim convolavi, quod plerique fecerunt, ſed veritus ne ab errore in errorem prolaberer, ut ſæpe in ſcyllam incidunt cupientes vitare charybdim, ad eos me contuli, qui neutrales habebantur, ut ab altero duorum extremorum, ad alterum non ſine conſolatione & mora tranſirem. Manſi ergo apud Cæſarem tribus annis, ubi dum magis ac magis contentiones audio, quæ inter Baſileenſes & tuos legatos fiunt, nihil*

Et Æneas Silvius.

Apud Gobellinum lib. 1. in comment. Pii II.

nihil mihi dubii relictum eſt, quin te penes ſit veritas. Atque hinc factum eſt, ut cupienti Cæſari ad tuam me clementiam viam facere, non invitus paruerim. Sic enim me tuam in gratiam redire poſſe ſum ratus. Nunc ergo apud te ſum, quia ignorans peccavi, mihi ut ignoſcas oro, deinde cauſam Cæſaris explicabo. His dictis, mandata ſibi a Cæſare & principibus Germaniæ expoſuit, quatuor a pontifice expoſcens, quæ ſic exprimit in præclara illa oratione quam habuit coram ſummo pontifice, hic a nobis edita: *Primum generale concilium in tempore locoque deſignando convocetur. Alterum eſt, ut profeſſio poteſtatis, auctoritatis, & præeminentiæ conciliorum catholicam militantem eccleſiam repræſentantium per tuos oratores Francofordiæ facta tuis litteris approbetur. Tertium eſt, ut nationi Germanicæ ſuper gravaminibus provideatur. Quarto & ultimo loco, ut quæ in præjudicio duorum Electorum & ſuarum eccleſiarum acta ſunt, ex tuæ ſanctitatis clementia revocentur, & in priſtinum ſingula ſtatum redigantur.* Quippe Colonienſem & Trevirenſem electores Baſileenſi concilio adhærentes depoſuerat, quos pacis eccleſiæ procurandæ ſtudio reſtituit, omnibuſque ab eo petitis libenter aſſenſit. Tunc ei jam ægrotanti ſummo omnium gaudio reſtituta eſt Cæſaris & omnium Electorum obedientia. Nec multo poſt, hoc eſt 23. Februarii anni 1447. pie obdormivit in Domino, hæc in extremis exclamans: *O Gabriel, quanto magis conduxiſſet animæ tuæ ſaluti, ut numquam cardinalatum, nec pontificatum obtinuiſſes, ſed in tuo monaſterio religioſam diſciplinam coluiſſes.* Subrogatus ei eſt pridie nonas Martii duodeviginti cardinalium ſuffragiis Thomas de Sarzana, Nicolaus V. deinceps appellatus: cui cum omnes principes obedientiam præſtitiſſent, Vincentius archiepiſcopus Gneſnenſis, a Felice olim creatus cardinalis, purpura ſponte rejecta, ſupplex veniam a pontifice petiit, miſſo ad Nicolaum oratore, qui eum verum Chriſti vicarium confiteretur.

Pag. 984.

Eugenio reſtituunt obedientiam Germani.

Eugenii obitus.

Electio Nicolai V.

116. Non deſperavit tamen Amedeus, ſed ſcripta ad Carolum regem Francorum epiſtola, quam habes hoc tomo pag. 989. ejus imploravit auxilium, hortatuſque eſt ut regni ſui prælatos, alioſque qui de jure & conſuetudine venire ad concilia tenentur, ad ſynodum remittat. Inſuper oravit, ut alios reges & principes ut idipſum agant commoneat. Econtrario vero Nicolaus Carolum exoravit, ut procurandæ eccleſiæ paci totus incumberet, eique omnem dedit facultatem tractandi nomine ſuo, agendi, concedendi & promittendi quidquid neceſſarium judicaverit, datis litteris 6. cal. Maii & pridie idus Decembris 1447. Quantas tunc ad anguſtias redactus fuerit Felix infelix, exprimit Poggius his verbis: *Quid te movet amplius, ut in tua contumacia reprobanda perſiſtas? Vides omnes orbis reges a te diſſentire, & ſentire nobiſcum. Vides omnes principes Chriſtianos nobis credere, nobis favere, deteſtantes ſciſſuram tua opera in Dei eccleſia introductam. Vides Germaniam totam aliquandiu tuis ſuaſionibus ſeductam, jam te abjecto defeciſſe, & Nicolaum verum pontificem recognoſcere. Vides Galliam, Angliam, Hiſpanias omnes, Bohemiam, Poloniam, Hungariam, noſtrum Nicolaum verum* JESU CHRISTI *vicarium profiteri: omnes te deteſtantes, ſacrificant vero Deo; ſolus tu derelictus, contemtus, abjectus, proſtratus, omni ſpe auxilioque deſtitutus, taces infamis, abditus in dominio tuo recluſus*, &c. At Baſileenſium conatus omnes confregit proſtravitque Fridericus imperator, cum revocato ſalvo-conductu, juſſit omnes Baſilea civitate excedere. *Sed cum illorum conſilia Fridericus pervertiſſet*, inquit Æneas Silvius, *& qui ſub nomine ſynodi Baſileæ degebant, abire juſſiſſet, deſperato meliori ſucceſſu, interveniente per legatos ſuos Carolo Franciæ rege, eccleſiæ pacem dedit.* Quapropter cum die 24. Junii anni 1448. Fridericus epiſcopus Baſileenſis, præpoſitus, aliique plures de capitulo & clero, ma-

Qui Carolum regem Francorum pacis arbitrum facit.

Invect. in antipapam.

Felici adhærentes Baſilea exire jubentur.

gister antiquus, magister civium, & quamplurimi de consulatu Basileensi, publice coram notariis significarent patribus feria 6. post festum corporis Christi in Cæsaris consilio deliberatam & concluſam fuisse salvorum-conductuum revocationem, vix eis concesso bimestri spatio, ea tamen conditione ut ab actis conciliaribus interim abstinerent. Tunc juxta tenorem sessionis XLV. Lausanam in ditione Amedei se transtulerunt, ubi primam sessionem a nobis pag. 995. relatam IX. cal. Augusti celebraverunt.

Lausanam se & concilium transferunt.

Felix deponit papatum.

117. Tunc Felix qui in ultima Gebennensi diæta mense Decembri cum oratoribus Caroli Franciæ, Henrici Angliæ, & Renati Siciliæ regum ac Ludovici delphini, *certa* jam *aviſamenta* pro pace consequenda conceperat, aliud nihil deinceps cogitavit, quam ut, mediantibus prædictis, meliori qua posset conditione, pontificatum deponeret. Concesso igitur ei cardinalatu, cum legatione in sua ditione, hoc est in Sabaudia, exuit se tandem papali dignitate, & Nicolaum V. summum ecclesiæ pontificem agnovit. Publicum depositionis ejus instrumentum edidit Raynaldus ad annum 1449. n. 3. datum Lausanæ.

Basileenses Schismati renuntiant.

118. Jam vero Ludovico Arelatensi & suis, non solum a principibus & regibus, sed etiam a suo Felice derelictis nihil aliud supererat, quam ut eum quem in errorem induxerant, sequerentur pœnitentem. Ut tamen schisma suum aliquo palliarent colore, supponentes sedem apostolicam vacare, in tertia sui Lausanensis concilii sessione, 13. cal. Maii summum pontificem elegerunt Nicolaum V. & in sessione quarta 7. cal. Maii eum verum & unicum pontificem Romanum promulgarunt. Et sic finis fuit schismatis, simulque concilii Basileensis, quod per annos circiter novem & decem pauca bona, infinita peperit mala partium studio, & defectu debitæ summo patri reverentiæ. Suos habuit propugnatores qui pro ejus defensione scripserunt Æneam Silvium Dominici Capranici secretarium, & postea episcopum Senensem, cardinalem ac tandem papam Pium II. qui vivente adhuc Eugenio errorem agnovit & veniam petiit; & Antonium Panormitanum a Felice purpura donatum, qui & ipse purpuram abjecit, *& graviter Panormi ægrotans, querebatur ſæpe de nepotibus ſuis, quorum conſilio & impulſu in Baſileenſi concilio ſe abripi cum ſchiſmaticis paſſus eſt*, uti refert Rocchus Pirrus in Sicilia sacra tom. 1. pag. 165. De Felice vero hæc maxime notanda scribit Æneas Silvius: *Nicolao pontifici maximo reconciliatus, relicto nomine papæ, cardinalatus honorem retinuit, in quo paulo poſt non ſine boni viri opinione deceſſit, felix princeps & nimium, ſi ſenium ſuum eccleſiaſticis titulis non fœdaſſet.*

De Europa cap. 42.

ERRATA IN PRÆFATIONE CORRIGENDA.

Pag. III. lin. 6. cis, *lege* pauci. Pag. XII. lin. 46. desideratæ, *lege* desiderata. Pag. XXXI. lin. 25. intercesserunt, *lege* intercesserint. Pag. XLI. lin. 38. horruerunt, *lege* horruerint. Pag. XLII. lin. 36. Cæsar nuncius, *dele* Cæsar.

INDEX CONTENTORUM
IN HOC TOMO.

ACTA varia ad concilium Basileense pertinentia. 1
Inchoatio sacri concilii Basileensis. 1
Processus verbalis de inchoatione concilii Basileensis. 3
Litteræ Sigismundi regis Romanorum. 12
Litteræ Sigismundi regis Romanorum, quibus prævidet securitati concilii Basileensis. 13
Littera missa a Bohemis ad Christi fideles. 15
Epistola Procopii, & aliorum Hussitarum honorabilibus, providis, honestis dominis consulibus & toti communitati, divitibus & pauperibus, &c. 19
Copia litteræ cujusdam fratris Ord. Prædicatorum de Praga missæ priori & conventui Prædicatorum Basileensium. 27
Litteræ convocationis sacrosancti concilii Basileensis, &c. Domino Reginaldo de Carnoto archiepiscopo Remensi, &c. 28
Litteræ missæ capitulo Remensi per dominum Reginaldum Remensem archiepiscopum & Franciæ cancellarium. 31
Epistola concilii Basileensis ad Carolum regem Francorum. 32
Epistola concilii Basileensis ad omnes Christicolas regni Franciæ. 33
Epistola concilii Basileensis ad episcopos Germaniæ. 35
Epistola concilii Basileensis ad abbates & præpositos diœcesis Basileensis. 37
Epistola concilii Basileensis ad regem Poloniæ. 37
Littera missa per concilium regiosis Prutenis. 39
Epistola concilii Basileensis ad Fridericum ducem Austriæ. 40
Epistola Sigismundi imperatoris ad ducem Burgundiæ. 41
Epistola Eugenii papæ IV. ad Petrum archiepiscopum Januensem. 43
Epistola archiepiscopi Strigoniensis, & aliorum Hungariæ prælatorum ad concilium Basileense. 44
Epistola G. Serrani ad dominum de Anthima magnifici ducis Burgundiæ cancellarium. 48
Conclusiones positæ in valvis palatii principis apostolorum Romæ 8. Novembris 1431. 48
Copia prætensarum litterarum apostolicarum super dissolutione sacri concilii Basileensis. 50
Littera missa imperatori per sacrum concilium Basileense. 53
Copia litterarum scriptarum per concilium regibus Hispaniæ. 54
Epistola Sigismundi regis Romanorum ad concilium. 54
Copia appellationis interjectæ per nonnullos dominos de concilio a domino papa super dissolutione concilii per dominum papam factæ, &c. 56
Epistola concilii Basileensis ad episcopum Noviomensem. 59
Epistola Sigismundi regis Romanorum ad concilium Basileense. 60
Epistola ducis Mediolanensis ad concilium Basileense. 62
Epistola Sigismundi regis Romanorum ad sacrum concilium. 63
Epistola ducis Mediolanensis ad concilium Basileense. 64
Quarta littera regis Romanorum ad concilium. 65
Epistola Amedei ducis Sabaudiæ ad concilium Basileense. 67
Epistola Philippi ducis Burgundiæ ad concilium Basileense. 68
Propositio facta per episcopum Lausanensem coram domino nostro papa ex parte concilii Basileensis. 69
Littera missa consulibus civitatis Augustensis. 77
Epistola concilii Basileensis ad Bohemos. 78
Quinta littera regis Romanorum ad concilium Basileense. 80
Littera sexta regis Romanorum missa concilio. 82
Ambassiata Sigismundi regis Romanorum ad Eugenium IV. papam. 84
Copia instructionum missarum nunciis concilii existentium in Nuremberga. 96
Littera septima regis Romanorum missa concilio. 99
Articuli propositi per dominum papam domino regi Romanorum. 100
Finalis mens & conclusio majestatis regiæ super propositis oratorum apostolicorum. 102
Littera missa per concilium universitatibus. 103
Epistola Philippi ducis Burgundiæ ad concilium Basileense. 105
Littera nona domini imperatoris ad concilium. 106
Epistola Friderici ducis Saxoniæ ad sacrum concilium. 108
Littera sacri concilii responsalis literæ superius scriptæ, &c. 110
Epistola Eugenii papæ IV. ad Sigismundum Romanorum regem. 110
Sequuntur instructiones datæ domino Petro Poi-

terii super agendis Basileæ pro parte oratorum domini nostri papæ. 112
Epistola Johannis ducis Betfordiæ ad concilium Basileense. 113
Epistola Petri Belvacensis, Johannis Noviomensis, & Jacobi Parisiensis episcop. ad concilium Basileense. 115
Epistola conservatorum & capitum regionum urbis Romæ ad Sigismundum regem Romanorum. 117
Epistola Sigismundi regis Romanorum ad conservatores & capita regionum. 120
Epistola universitatis Viennensis in Austria ad concilium Basileense. 122
Littera sacri concilii Basileensis directa universis Christicolis Franciæ præsertim & Angliæ. 123
Instrumentum publicum de responsis factis a domino papa oratoribus Sigismundi regis Romanorum. 126
Littera domini imperatoris lecta penultima Maii 1432. 131
Compositio facta inter ambassiatores concilii Basileensis, & nuncios Bohemorum in oppido Egræ, &c. 131
Epistola Procopii directoris Thaboritarum ad Sigismundum imperatorem. 133
Epistola Sigismundi imperatoris ad Procopium Thaboritarum directorem. 134
Instrumentum exsecutionis, citationis & monitionis contra dominum papam & dominos cardinales, &c. 134
Epistola Dominici cardinalis ad concilium Basileense. 136
Epistola Katarinæ reginæ Aragonum ad concilium Basileense. 137
Epistola regis Navarræ ad concilium Basileense. 138
Revocatio facta per fratrem Guillelmum Jousseaume in congregatione generali die Mercurii 9. Julii 1432. 139
Littera concilii super præmissa revocatione. 140
Littera concilii missa universis archiepiscopis ad exorandum Deum pro reductione Bohemorum. 140
Epistola D. episcopi Cæsaraugustani ad concilium Basileense. 142
Epistola Philippi ducis Burgundiæ ad sacrum concilium. 144
Copia litteræ directæ concilio per dominum episcopum Dunelmensem. 145
Copia litteræ archiepiscopi Eboracensis. 145
Littera directa per dominum regem Romanorum domino duci Willelmo Bavariæ protectori sacri Basileensis concilii. 147
Copia litteræ magistri Jo. de Rokisana Pragensis, directæ priori Prædicatorum Basileensium. 148
Copia protestationis factæ per ambassiatores domini papæ in civitate Constantiensi super factis concilii Basileensis. 149
Declaratio salvi conductus concilii missi oratoribus domini papæ existentibus in Constantia. 150
Epistola Sigismundi regis Romanorum ad concilium Basileense. 150
Transsumtum missum per imperatorem in quo inseruntur duæ bullæ papales & una cedula concernens concilium Basileense. 153
Epistola Hunfredi ducis Glocestriæ ad sacrum concilium. 158
Epistola Sigismundi regis Romanorum ad concilium Basileense. 159
Copia bullæ missæ episcopo Taurinensi per dominum papam. 160
Littera patens convocationis prælatorum regni Franciæ. 160
Epistola Nicolai de Gara regni Hungariæ palatini ad Sigismundum regem Romanorum. 161
Littera cujusdam inquisitoris Ordinis Minorum sacro generali concilio Basilcensi, &c. 161
Epistola syndici & consilii Avenionensis ad concilium Basileense. 163
Epistola Jo. episcopo Zagrabiensis ad Sigismundum regem Romanorum. 164
Epistola Sigismundi regis Romanorum ad patres concilii Basileensis. 165
Epistola Caroli VII. regis Francorum ad concilium Basileense. 167
Capitula oblata regi Francorum per episcopum Novariensem & abbatem S. Ambrosii oratores concilii Basileensis. 168
Roponsio regis. 170
Epistola Georgii de Trimollia ad concilium Basileense. 171
Epistola Philippi ducis Burgundiæ ad concilium Basileense. 172
Epistola J. de Rokisana ad Johannem abbatem de Mulbruno concilii Basileensis nuncium. 173
Epistola magistri & consulum civitatis Pragensis ad nuncios concilii Basileensis. 174
Epistola Mathiæ Chlunitzan capitanei Prestensis ad Johannem de Mulbruno abbatem concilii nuncium. 176
Epistola magistri civium & consulum Pragensium ad consilium Egrense. 177
Littera credentialis Bohemorum. 178
Epistola Johannis Ebracensis & Johannis de Mulbruno abbatum ad Julianum S. Angeli cardinalem. 179
Salvus conductus marchionis Brandeburgensis & Johannis ducis Bavariæ concessus Bohemis. 182
Epistola Sigismundi regis Romanorum ad Willelmum comitem Palatinum Rheni. 183
Epistola Sigismundi regis Romanorum ad Patres concilii Basileensis. 185
Propositio ambassiatorum universitatis Colonensis. 185
Littera Alfonsi regis Aragonum quibus Bernardum Serra procuratorem suum ad concil. Basileense creat. 188
Epistola Alphonsi regis Aragonum ad concilium Basileense. 189
Epistola Alphonsi regis Aragonum ad concilium Basileense. 190
Epistola electorum imperii ad concilium Basileense.

lcense. 193
Epistola Adolfi ducis Juliacensis ad concilium Basileense. 194
Epistola concilii Basileensis ad consules civitatis Argentinensis. 195
Epistola Ludovici comitis Palatini Rheni ad concilium Basileense. 196
Epistola Sigismundi regis Romanorum ad concilium Basileense. 197
Littera missa per concilium Basileense ad cardinales in curia Romana existentes. 199
Littera domini Alberti ducis Austriæ ad concilium Basileense. 201
Propositio domini episcopi Nivernensis ambassatoris ducis Burgundiæ facta in generali congregatione concilii. 202
Propositio facta per dominum eleemosynarium regis Aragonum in congregatione generali sacri concilii Basileensis. 206
Secunda propositio domini episcopi Nivernensis contra dicta per vicarium Moguntinum super sessionibus domini ducis Burgundiæ & dominorum electorum seu oratorum eorumdem in concilio Basileensi. 212
Facultas imponendi subsidium. 218
Littera modificationis indulti immediate præcedentis, facti prælatis per concilium super cavitativo subsidio, &c. quod non præjudicet exemtis. 219
Memoriale oratorum serenissimi principis regis Romanorum ad dominum papam destinatorum. 221
Epistola Conradi archiepiscopi Moguntini ad concilium Basileense. 222
Epistola Theoderici archiepiscopi Colonienſis ad concilium Basileense. 224
Propositio facta per vicarium Moguntinum in concilio Basileensi nomine electorum imperii die penultima Novembris 1432. 225
Item de eadem materia super præsentatione litterarum. 231
Mandatum domini regis Romanorum missum illustri duci Bavariæ ad concordandum cum Bohemis. 233
Copia litteræ missæ universis regibus per dominum imperatorem pro concilio Basileensi. 237
Epistola Philippi ducis Burgundiæ ad concilium Basileense. 238
Littera regis Romanorum lecta die Martis 3. Februarii. 239
Copia litteræ suprascriptis litteris inclusæ & lectæ, ut supra. 240
Modus vivendi in concilio. 242
Mandatum ambassatorum regni Bohemiæ, & marchionatus Moraviæ lectum in generali congregatione die Veneris 16. Januarii 1433. 246
Mandatum universitatis Pragensis exhibitum per Bohemos in plena congregatione die Veneris 16. Januarii 1433. 247
Articuli qui dicuntur dogmatizati in Bohemia propositi per dominum legatum in generali, congregatione. 249
Cedula data per magistrum Petrum Anglicum ultra suam propositionem de temporalitate cleri, &c. 251
Collatio seu præsentatio Bohemorum facta coram domino legato præsidente in concilio in ipso primo adventu per magistrum Johannem de Rokasana in suo comodio ad S. Leonardum. 252
Alia collatio facta per magistrum Johannem de Rokosana ambassatorem civitatis & universitatis Pragensis in concilio Basileensi. 254
Propositio magistri Johannis de Rokosana Pragensis coram patribus concilii Basileensis proposita. 262
Tertius articulus Bohemorum propositus in sacro Basileensi concilio per dominum Ulricum unum de oratoribus Bohemorum præmissorum. 305
Oratio præambula responsionibus deputatorum sacri concilii Basileensis ad articulos Bohemorum per abbatem Cistercienſem. 340
Positio de communione divinissimæ eucharistiæ facta per magistrum Johannem de Ragusio contra magistrum Johannem de Rokosana. 352
Collatio præambula positioni pro veritate super punitione peccatorum mortalium publicarum. 352
Positio de punitione peccatorum mortalium publicorum facta per magistrum Ægidium Carlerii decanum Cameracenſem in concilio Basileensi præsentibus oratoribus Bohemorum contra dominum Nicolaum Taboritam. 353
Invocatio divini auxilii præambula ad positionem de possessione rerum temporalium ab ecclesia, facta per dominum Johannem de Polemar doctorem decretorum auditorem cardinalis S. Angeli legati contra magistrum Petrum Anglicum oratorem Bohemorum habitam in præsentia concilii Basileensis. 353
Epistola Johannis de Rokosana ad Bohemos. 354
Replica contra positionem magistri Ægidii Carlerii facta per dominum Nicolaum unum ex oratoribus Bohemorum pro secundo articulo. 356
Præfatio in responsionem pro veritate. 415
Responsio ad replicas domini Nicolai Taboritæ super remissione peccatorum facta per magistrum Ægidium Carlerii decanum Cameracenſem, a sacro concilio Basileensi ad hoc deputatum. 429
Replica domini Wlrici de secta Orphanorum contra dictam magistri Henrici Kalceisen ordinis Prædicatorum. 493
Pulcra positio pro temporalitate & jurisdictione ecclesiæ & defensio ejusdem venerandi doctoris decretorum Johannis Polemar auditoris reverendissimi in Christo Patris domini cardinalis S. Angeli legati. 515
Epistola consulum & civium Trevirensium ad concilium Basileense. 527
Sequuntur ea quæ dominus imperator libentissime fecit ad promotionem sacri concilii Ba-

ſileenſis, lecta in congregatione generali die Martis 20. Januarii 1433. 530
Sequuntur quæ dominus imperator paſſus eſt & libenter ſuſtinet propter adhæſionem concilio. 531
Littera miſſa per concilium domino Romanorum regi, &c. 532
Epiſtola Sigiſmundi regis Romanorum ad concilium Baſileenſe. 533
Item ejuſdem ad idem. 534
Item ejuſdem ad idem. 535
Bulla miſſa per dominum noſtrum papam regi Romanorum. 535
Littera miſſa domino imperatori per ſacrum concilium reſponſiva ad ultimam litterarum ſuarum. 536
Epiſtola Roderici de Villa Andrado ad concilium Baſileenſe. 538
Propoſitio facta per magiſtrum Johannem de Mella protonotarium alterum ambaſſiatorem domini noſtri papæ in generali congregatione concilii Baſileenſis die 7. Martii 1433. 538
Propoſitio facta per dominum abbatem S. Mariæ de Moniacis, alterum domini noſtri papæ Eugenii IV. ambaſſiatorem in concilio Baſileenſi 1433. 542
Reſponſio ſacri concilii Baſileenſis data magiſtro Johanni de Mella referendario, &c. 550
Epiſtola Eugenii papæ IV. ad concilium Baſileenſe. 551
Eugenii papæ IV. memoriale datum ſuis ad concilium Baſileenſe oratoribus. 551
Facultas data per dominum noſtrum papam ſuis ambaſſiatoribus miſſis Baſileæ. 554
Alia facultas. 556
Reſponſio facta oratoribus papæ per promotores concilii & nomine ipſorum promotorum. 557.
Litteræ decani & quorumdam canonicorum Trevirenſium ad concilium Baſileenſe. 571
Littera miſſa ſacro concilio Baſileenſi in favorem ducis Lituaniæ per nobiles terræ ejuſdem Ruſſiæ, &c. 575
Epiſtola Jacobæ ducissæ Bavariæ ad concilium Baſileenſe. 577
Epiſtola Ludovici regis Calabriæ & Andegaviæ ducis ad concilium Baſileenſe. 579
Pacta inita & firmata inter ſanctiſſimum dominum Eugenium papam IV. & ſereniſſimum Sigiſmundum Romanorum regem. 579
Littera miſſa concilio per dominum regem Romanorum ſuper coronatione ſua, &c. 581
Epiſtola magiſtri generalis Ordinis B. M. Theutonicorum ad concilium Baſileenſe. 582
Epiſtola Philippi ducis Burgundiæ ad concilium Baſileenſe. 583
Epiſtola Ulrici electi Trevirenſis ad concilium Baſileenſe. 584
Epiſtola Eugenii papæ IV. Johanni de Mella, Johanni archiepiſcopo Tarentino, Thomæ Tragurienſi epiſcopo, Ludovico & Nicolao abbatibus. 586
Litteræ legationis R. D. cardinalis S. Angeli lectæ in congregatione die Veneris 5. Junii 1433. 587
Bulla facultatis reverendiſſimorum legatorum. 588
Epiſtola Eugenii papæ IV. ad concilium Baſileenſe. 589
Mandatum domini ducis Burgundiæ lectum in congregatione generali 26. Junii 1433. 590
Epiſtola ſyndici & conſilii civitatis Avenionenſis ad concilium Baſileenſe. 592
Epiſtola Johannis regis Portugalliæ ad concilium Baſileenſe. 595
Anno Domini MCCCCXXXIII. *in Praga tertia menſis Junii dominus Johannes de* Polemar *fecit relationem eorumque habuit in commiſſis ex parte ſacri concilii.* 596
Reſponſio illorum de Praga ad præmiſſa. 599
Cedula tradita a magiſtris de Praga Ægidio Carlerii continens quatuor articulorum intellectum prout ipſi Bohemi intelligunt. 601
Propoſitio facta per Procopium Raſum nomine Thaboritarum ad ea quæ dicta ſunt per oratores concilii de periculo bellorum. 602
Reſponſio ad præmiſſa magiſtri Ægidii Carlerii doctoris theologi & decani Cameracenſis. 603
Alia reſponſio per dominos oratores ſacri concilii. 605
Littera imperatoris lecta in congregatione generali antequam inciperetur ſeſſio XII. 607
Epiſtola magiſtri generalis Ordinis B. M. Teutonicorum ad concilium Baſileenſe. 608
Rationes allegatæ per ambaſſiatores dominorum electorum imperii pro jure ſuo in facto ſedium & reſponſio domini epiſcopi Nivernenſis ambaſſiatoris domini ducis Burgundiæ. 610
Ordinatio concilii ſuper controverſia ratione ſedium, &c. inter oratores domini ducis Burgundiæ & oratores Electorum. 614
Littera patens regis Scotorum miſſa cuidam abbati regni ſui concernens adhærentiam concilii, lecta in congregatione die Veneris 4. Auguſti 1433. 615
Littera miſſa ſacro concilio per clerum diœceſis civitatis Aleiſſiodorenſis, ut eximeret ſe a ſemidecima. 616
Epiſtola Erici regis Daniæ ad concilium Baſileenſe. 617
Littera ſeu bulla decreti quod omnes cauſæ quæ tractantur in concilio Baſileenſi revertantur ad curiam Romanam præter tres videlicet reformationem morum, exſtirpationem hæreſis, & pacem ponendam inter principes. 619
Epiſtola ducis Mediolanenſis ad concilium Baſileenſe. 620
Epiſtola Boleſlai magni ducis Lituaniæ ad concilium Baſileenſe. 622
Epiſtola univerſitatis Pariſienſis ad concilium Baſileenſe. 624
Epiſtola Sigiſmundi imperatoris ad concilium Baſileenſe. 626
Littera Johannæ reginæ Siciliæ ad concilium Baſileenſe. 628
Copia cujuſdam litteræ Eugenii papæ IV. tranſmiſſa regi Angliæ. 629

Littera credentialis Bohemorum lecta in congregatione generali die Martis 9. Auguſti 1433. 630
Articuli oblati concilio ex parte regni Bohemiæ & marchionatus Moraviæ anno domini 1433. *menſe Auguſto.* 631
Littera credentialis domini imperatoris. 632
Littera miſſa concilio Baſileenſi per Carolum regem Francorum. 633
Aliud mandatum ducis Burgundiæ lectum die Veneris ſecunda Octobris 1433. 634
Epiſtola electorum Romani imperii ad concilium Baſileenſe. 636
Epiſtola credentialis ducis Sabaudiæ ad concilium Baſileenſe. 638
Bulla adhæſionis Eugenii papæ IV. ad concilium Baſileenſe. 638
Epiſtola Sigiſmundi imperatoris ad concilium Baſileenſe. 639
Littera dominorum epiſcoporum Armenorum miſſa concilio Baſileenſi. 640
Petitio oblata per dominos ambaſſiatores dominorum ducum Burgundiæ & Sabaudiæ lecta in congregatione generali die Veneris ſecunda menſis Octobris. 641
Diſputatio facta inter dominos cardinalem S. Angeli præſidentem concilii Baſileenſis & archiepiſcopum Spalatenſem oratorem domini Eugenii papæ IV. 543
Reſponſio domini archiepiſcopi Spalatenſis oratoris Eugenii ad præmiſſa. 656
Replicatio legati. 659
Alia domini Spalatenſis. 665
Domini Franciſci de Capitibus Liſte *ambaſſatoris Venetorum oratio.* 666
Cedula oblata ex parte domini imperatoris inſtantibus ambaſſiatoribus domini papæ ſingulis deputationibus die Mercurii 14. *Octobris.* 667
Epiſtola Philippi ducis Burgundiæ ad concilium Baſileenſe. 669
Epiſtola Pragenſium ad nuncios concilii Baſileenſis Ratiſponæ exiſtentes. 670
Sequitur copia cedulæ incluſæ. 671
Copia litteræ imperatoris Græcorum ad concilium. 673
Propoſitio facta per dominum legatum in concilio Baſileenſi in publica congregatione ambaſſiatoris Græcorum. 674
Reſponſio præfatorum ambaſſiatorum ſacro concilio facta. 684
Propoſitio domini abbatis Conchenſis ambaſſiatoris ſacri concilii ad Venetos. 690
Reſponſio ducis ad præfatam propoſitionem. 696
Intentio ſacri concilii ſuper quatuor articulis diſputatis cum Bohemis, quam ipſi Bohemi anno Domini 1433. *die* 7. *Decembris obſervare manuum ſtipulatione promiſerunt.* 698
Littera credentialis Bohemorum. 704
Reſponſio ſacri concilii ad litteram credentialem Bohemorum immediate præcedentem. 705
Littera contra mendicantes aſſerentes quoſdam articulos prout in littera, &c. 706
Copia cujuſdam bullæ domini papæ ſuper remiſſione cauſæ eccleſiæ Magdeburgenſis ad ſacrum concilium. 707
Epiſtola anonymi ſub nomine eccleſiæ ad Procopium Razum. 710
Litteræ capituli Bajocenſis ad concilium Baſileenſe. 714
Epiſtola magiſtri civium & conſulum Pitznenſium ad concilium Baſileenſe. 716
Epiſtola magiſtri Johannis de Polemar *auditoris & ambaſſiatoris ſacri concilii verſus Bohemiam.* 717
Littera Sigiſmundi imperatoris ad concilium Baſileenſe. 717
Copia litterarum incluſarum in epiſtola imperatoris. 718
Epiſtola Caroli VII. regis Francorum ad concilium Baſileenſe. 719
Littera domini imperatoris concernens factum domini cardinalis Rotomagenſis & capituli Bambergenſis. 720
Littera ambaſſiatoris ſacri concilii qui in Græcia remanſerat, lecta in congregatione die tertia Julii anno Domini 1434. 723
Epiſtola Henrici regis Angliæ ad concilium Baſileenſe. 724
Epiſtola prælatorum & capitulorum quinque Trajectenſium, &c. ad concilium Baſileenſe. 728
Littera ſacri concilii reſponſiva litteræ domini imperatoris Romanorum ſupra ſcriptæ. 732
Supplicatio oblata in ſingulis deputationibus per dominos generales Prædicatorum, Carmelitarum, Auguſtinenſium, & vicarium Minorum nomine religionum ſuarum die ſabbati 14. *Auguſti* 1434. 734
Epiſtola Eugenii papæ IV. ad concilium Baſileenſe. 736
Epiſtola ducis Mediolanenſis ad concilium Baſileenſe. 737
Littera domini noſtri papæ miſſa ſuis oratoribus & præſidentibus in ſacro concilio Baſileenſi. 738
Copia litterarum miſſarum domino legato ex parte cujuſdam provincialis Saxonum. 740
Epiſtola capituli Albienſis ad concilium Baſileenſe. 741
Litteræ conſulum civitatis Albienſis miſſæ ſacro concilio in favorem electi Albienſis. 742.
Littera domini Eugenii papæ miſſa ſacro concilio ſuper facto eccleſiæ S. Audoëni Rothomagenſis & Trajectenſis. 743
Epiſtola Frederici lantgravii Thuringiæ ad concilium Baſileenſe. 745
Epiſtola ejuſdem ad idem. 747
Litteræ domini imperatoris miſſæ ſacro concilio ſuper cauſa domini Rothomagenſis & aliis concernentibus forum imperiale. 749
Littera domini imperatoris ſuper materia Græcorum. 750
Litteræ ducis Britanniæ ad concilium 751
Littera domini imperatoris Græcorum ſuper reductione eccleſiæ Orientalis. 752

Littera domini ducis Britanniæ missa concilio super facto ecclesiæ Maclovienſis. 753
Littera domini nostri papæ super facto Græcorum. 755
Littera magistri Simonis Freron *oratoris concilii apud dominum nostrum papam super facto Græcorum.* 756
Littera Isaiæ episcopi Ierosolymorum super materia unionis Græcorum transmissa domino papæ. 757
Copia litteræ imperatoris Trapezundarum. 758
Epistola provisorum & decanorum foraneorum diœcesis Trajectensis ad concilium Basileense. 758
Epistola Johannis ducis Britanniæ ad concilium Basileense. 762
Avisamenta dominorum deputatorum in facto pecuniarum reperiendarum pro adventu Græcorum ad sacrum concilium Basileense. 763
Bulla domini nostri papæ de assensu præstito in materia Græcorum. 766
Litteræ domini cardinalis de Ursinis super materia Græcorum. 769
Littera quorumdam canonicorum Albiensium directa concilio contra electum ejusdem ecclesiæ. 770
Epistola Caroli VII. regis Francorum ad concilium Basileense. 772
Epistola episcoporum provinciæ Narbonensis ad concilium Basileense. 774
Petitiones serenissimi imperatoris, &c. 776
Imperator augustus per nuntios suæ majestatis pro nationibus sæpe sacrum concilium alloquutus, ut omnem diligentiam faciat, &c. 777
Epistola Johannis Armeniaci comitis ad concilium Basileense. 780
Epistola Burgimagistrorum & consulum civitatis Leodiensis ad concilium Basileense. 781
Copia litteræ domini Christophori Garrani, &c. 783
Copia litteræ ambassiatorum Græcorum transeuntium ad SS. dominum nostrum papam missæ aliis ambassiatoribus Græcorum in concilio Basileensi existentibus. 784
Copia procuratorii ducis Burgundiæ pro pace regni Franciæ. 785
Epistola Amedei ducis Sabaudiæ ad concilium Basileense. 787
Epistola Philippi ducis Burgundiæ ad concilium Basileense. 788
Littera serenissimi domini imperatoris, missa concilio & lecta in congregatione generali die 17. Februarii 1435. 789
Epistola capituli & canonicorum ecclesiæ Tridentinæ ad concilium Basileense. 789
Littera domini ducis Britanniæ in vulgari suo super facto episcopatus Maclovienſis. 791
Littera communitatis Leodiensis missa concilio contra quosdam cives suos, qui fecerant causam suam committi in dicto concilio super conspirationibus, &c. 792
Littera domini ducis Sabaudiæ lecta in congregatione generali die Mercurii 1435. 794
Copia litteræ intercluſæ. 795
Littera comitis Armaniaci ad concilium Basileense. 796
Protestatio facta per inclytam nationem Germanicam super materia indulgentiarum in facto Græcorum in generali congregatione die Veneris 11. *Februarii* 1435. 798
Littera domini ducis Burgundiæ ad concilium Basileæ. 799
Bulla legationis cardinalium S. Crucis & S. Petri ad Vincula. 800
Bulla Eugenii papæ IV. ad legatos. 801
Copia litteræ Jacobi regis Bohemiæ, Jerusalem & Siciliæ ad concilium Basileense. 803
Bulla papæ missa concilio Basileenſi in materia reductionis Græcorum. 805
Alia bulla patens domini nostri papæ in quæ inseruntur capitula concordata cum Græcis. 806
Littera domini ducis Barrensis ad concilium Basileense. 809
Epistola Caroli regis Francorum ad concilium Basileense. 810
Epistola cardinalium S. Crucis & S. Petri ad concilium Basileense. 811
Epistola oratorum concilii Basileenſis ad imperatorem ad ipsum concilium Basileense. 813
Petri Fuxensis cardinalis epistola continens concilii Basileenſis litteras pro habendis informationibus de vita & sanctitate & miraculis Petri de Luxemburgo. 815
Tenor litteræ regis Angliæ. 815
Tenor litteræ ducis Glocestriæ. 816
Responsiones datæ ad mandatum excellentissimi ac Christianissimi principis Henrici Dei gratia regis Angliæ & domini Hiberniæ per avisamentum consilii, honorabilibus & discretis viris magistris Johanni Pulchri patris in Theologia, & Stephani de Novaria in jure civili doctoribus egregiis ambassiatoribus ad celsissimam suam regiam a sacro concilio Basileenſi destinatis. 817
Responsio ad prædicta. 818
Littera credentialis ambassiatorum domini nostri papæ venientium ad concilium pro responsione facienda ad proposita per oratores concilii. 819
Littera credentialis dominorum cardinalium. 819
Litteræ ambassiatorum sacri concilii qui iverunt in Græciam. 820
Bulla per quam mandantur monert domini archiepiscopus Tarentinus, & episcopus Paduanus præsidentes domini papæ. 821
Monitio contra præsidentes pro revocatione cujusdem protestationis per eos factæ. 823
Inquisitio de potestate papæ. 826
Propositio coram summo pontifice in materia Græcorum. 833
Cedula oblata per Poggium secretarium domini papæ ambassiatoribus sacri concilii Basileenſis pro reformatione ad petita per eos in

in præcedentibus propositionibus. 839
Propositio facta coram summo pontifice per ambassiatores sacri concilii Basileensis super observantia decretorum. 839
Instrumentum requisitionis papæ super observantia decretorum 845
Sequitur propositio facta per generalem ordinis Camaldulensis, oratorem domini nostri papæ ad concilium destinatum. 846
Responsio facta per reverendissimum legatum oratoribus domini papæ super propositis per eosdem in generali congregatione. 855
Littera patens domini imperatoris Romanorum in facto Bohemorum. 861
Littera regis Aragonum ad concilium. 861
Copia litteræ missæ regi Angliæ pro parte domini cardinalis de Cypro & oratorum concilii in Attrebato existentium. 861
Copia litteræ missæ cardinali Angliæ, ut supra. 862
Copiæ litteræ domini ducis Burgundiæ missæ regi Angliæ. 863
Oblationes factæ pro parte regis Franciæ & missæ in Angliam per legatos & ambassiatores sacri concilii & SS. domini nostri papæ & illustissimi domini ducis Burgundiæ lectæ in congregatione generali. 864
Bulla per quam sacrum concilium mandat domino archiepiscopo Lugdunensi primati Galliarum, Pallium domino archiepiscopo Rothomagensi impendi. 868
Copia litteræ regis Angliæ missæ domino cardinali de Cypro, lecta in congregatione generali. 869
Bulla contra appellantes a concilio. 870
Copia litteræ domini ducis Burgundiæ missæ domino cardinali Cypri, & lecta in congregatione generali. 871
Copia sententiæ latæ in causa electi Trevirensis in congregatione generali. 872
Sententia lata pro electo Albiensi in generali congregatione contra episcopum Carnotenum promotum ad dictam ecclesiam per sedem apostolicam 19. Novembris 1432. 873
Sententia lata in causa ecclesiæ Lausanensis. 875
Promissio oratorum sacri concilii Basileensis super correctione prœmii decreti facti super reductione Græcorum. 875
Formæ salvi-conductus. 878
Litteræ credentialis oratorum sacri concilii transmissorum ad imperatorem Græcarum C. P. & patriarcham pro reductione, &c. 879
Regratiatio domini legati super pace Franciæ. 881
Bulla convocationis prælatorum. 884
Sententia lata pro domino patriarcha Aquilegiensi contra Venetos in congregatione Decembris 1435. 885
Ambrosii Camaldulensis oratio coram Sigismundo cæsare Albæ eodem anno habita cum ad eum quoque venisset orator 5. kal. Ja-
nuarii. 886
Littera domini ducis Britanniæ missæ concilio Basileensi in favorem electi Maclovien-sis. 892
Avisamenta pro facto Græcorum. 895
Monitio ad reges & principes. 906
Propositio domini Joh. abbatis de Buzaio oratoris domini ducis Britanniæ. 911
Protestatio facta per inclytam nationem Gallicanam in concilio Basileensi. 917
Epistola prælatorum & aliorum nationis Germaniæ ad archiepiscopum Moguntinum. 914
Protestatio facta per præsidentes domini nostri papæ in generali congregatione 13. Januarii 1436. ne papa moneretur. 925
Avisamenta concernentia monitorium domini nostri papæ cum conditionibus & etiam conclusa in generali congregatione die Veneris 20. Januarii 1436. 925
Effectus propositionis. 929
Sequitur tenor litterarum apostolicarum de quibus immediate supra fit mentio. 930
Monitorium contra dominum Eugenium. 931
Epistola concilii Basileensis ad capitulum Trecensis ecclesiæ exhibita capitulo 11. Julii 1436. per Johannem Blanche. 937
Epistola Philippi Mariæ Angeli ducis Mediolanensis ad archiepiscopum Mediolanen-sem, & episcopum Albiganensem. 938
Epistola Sigismundi imperatoris ad Paulum episcopum Argentinum suum ad concilium Basileense oratorem. 940
Epistola Juliani cardinalis & legati ad decanum & capitulum Herbipolense. 941
Bulla concilii Basileensis. 942
Epistola ad prælatos Germaniæ. 943
Concilium Bituricense anni 1438. 945
Litteræ concilii Basileensis in gratiam abbatis Cisterciensis. 950
Epistolæ Johannis cardinalis S. Petri ad Rabanum archiepiscopum Trevirensem. 952
Appellatio principum electorum. 953
Epistola Januensium ad concilium Basileense. 955
Protestatio ultimo Maguntiæ conceptæ & facta. 956
Responsio sacri concilii generalis Basileensis oratoribus serenissimi principis domini Friderici regis Romanorum, necnon illustrissimorum principum electorum S. R. I. ad petitionem per eos porrectam. 959
Monitio facta Felici V. antipapæ in concilio Florentino. 962
Eugenii IV. bulla de concordia per suos nuncios facta in Britannia minori, tollendo censuras quas incurrerant illi, qui Basileæ post concilii translationem remanserant 972
Epistola Frederici III. imperatoris ad Carolum Francorum regem. 977
Oratio quam habuit Æneas Sylvius episcopus Tergestinus pro fideli Alemannorum obedientia reconciliationeque schismatis ac

celebrando concilio, coram Eugenio pap. IV. 980
Epistola Nicolai papæ V. ad Carolum regem Francorum. 988
Epistola Felicis V. ad Carolum Francorum regem. 989
Epistola Nicolai papæ V. ad Carolum Francorum regem. 994
Primum decretum concilii Lausanensis 995
Bulla Nicolai papæ V. super restitutione occasione dissensionis ecclesiæ dudum spoliatorum, &c. 999
Concilium Moguntinum anno 1451. 1005
Dicta Ratisponensis anni 1454. 1013
Concilium provinciale Parisiis celebratum ab archiepiscopo Senonensi & suffraganeis mense Martio 1521. 1018
Acta concilii Tridentini scripta ab Angelo Massarello concilii secretario & Johanne Cartembroche Anglo qui concilio interfuit. 1022
Epistola Antonii Filholi archiepiscopi Aquensis ad Julium papam III. 1218
Ejusdem ad Henricum Francorum regem. 1219
Diarium actorum sacri concilii Tridentini sub Pio IV. pontifice auctore Torello Pisano de Puggio ecclesiæ Fesulanæ canonico. 1222
Addenda ad acta concilii Tridentini. 1423
Breve apostolicum ad universos episcopos Galliæ. 1423
Supplicatio procuratorum nationis Germanicæ facta in concilio cum responsione illustrissimorum legatorum. 1424
Illustrissimorum legatorum responsio data nationis Germanicæ episcoporum procuratoribus. 1425
Summarium petitionum cæsaris super reformatione. 1425
Translatio litterarum illustrissimi principis Henrici ducis Brunswicensis ad cardinalem Augustanum. 1427
Epistola cujusdam Coloniæ scripta. 1428
Canones formati super reformatione cardinalium. 1430
Litteræ Caroli Galliarum regis exhibitæ a domino præsidente Birego in generali congregatione die 2. Junii 1553. 1432
Petitio clarissimorum oratorum serenissimæ reipublicæ Venetiarum. 1434
Articuli super reformatione sacramenti ordinis dati per illustrissimum Lotharingium & missi per episcopum Ventimiliensem 13. *Martii* 1553. 1434
Supplicatio nonnullorum regni prælatorum contra eorum metropolitanos data in concilio, & missa ab episcopo Torcellensi die 21. *Octobris* 1563. 1440
Petitio episcoporum adversus archiepiscopos a reverendissimis legatis missa 25. *Octobris* 1563. 1442
Litteræ oratoris Suizzaro patribus concilii Trid. 1442
Formula Christianæ & catholicæ fidei tradita in sacra synodo provinciali Lovitii celebratæ anno Domini 1556. *die* 11. *Sept. præsidentibus in ea reverendissimo domino Aloisio Lippomano episcopo Veronensi nuncio apostolico, & R. D. Nicolao Dzirgowski archiepiscopo Gnesnensi legato nato, & totius regni primate, quæ omnibus provinciæ ejusdem ecclesiis inviolabiliter servanda & tenenda mandatur.* 1445
Epistola Nicolai archiepiscopi Gnesnensis ad Paulum IV. papam. 1448
Litteræ Palatini Velnensis responsivæ ad litteras nuncii apostolici, receptæ Lovitii die 5. *Sept.* 1556. 1449
Responsiones prælatorum canonicorum & capitulorum cathedralium Gnesnensis, Posnaniensis, Uladislaviensis & Ploceusis ecclesiarum regni majoris Poloniæ ad consultationem R. D. nuncii apostolici, super negotio fidei summatim collectæ. 1451
Statuta synodalia ecclesiæ Gerundensis. 1460
Statuta ecclesiæ Leodiensis facta anno Domini 1336. & 1337. 1485
Clausulæ extractæ ex statutis ecclesiæ Leodiensis factis anno 1358. 1490
Statuta ecclesiæ Leodiensis facta anno 1352. 1493
Statuta synodalia ecclesiæ Reatinæ. 1494.
Constitutiones factæ in secunda synodo. 1513.
Statuta insignis ecclesiæ Rothomagensis anno 1361. *edita.* 1529
Statuta synodalia ecclesiæ Suessionensis. 1536.
Statuta synodalia Guillelmi episcopi Montis-Albani edita anno 1337. 1559
Statuta Guillelmi de Signelay episcopi Autissiodorensis edita anno 1216. *pro Gyemensibus S. Stephani canonicis.* 1563

ACTA

ACTA VARIA

AD CONCILIUM BASILEENSE

BIBL. ROYALE

PERTINENTIA.

INCHOATIO SACRI CONCILII BASILEENSIS.

Anno 1431. *Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chanvelin & Aquitaniæ.*

IN nomine Domini. Amen. Tenore præſentis publici inſtrumenti cunctis ipſum intuentibus pateat evidenter, quod ſub anno a nativitate Domini noſtri JESU CHRISTI MCCCCXXXI. indictione XI. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini MARTINI divina providentia papæ V. anno ejus XIV. die vero ſolis, quarta menſis Martii, hora veſperorum, Baſileæ & ibidem in domo fabricæ eccleſiæ Baſileenſis ſita prope eamdem eccleſiam, & ſuper ejus atrio, & [a] in ſtuffa (a) ſuperiori & majori domus ejuſdem, loco videlicet capitulari conſueto venerabilium virorum dominorum, præpoſiti, decani & capituli eccleſiæ Baſileenſis prætactæ, coram venerabilibus, egregiis & circumſpectis viris dominis Georgio *de Andelo* decano, Ulrico *Truchſeſſe* theſaurario, cantore, Coenrado *de Buſſnang* archidiacono, Friderico *Berme* * theſaurario, magiſtro Johanne *Voiler* ſcholaſtico decretorum doctore, totoque capitulo eccleſiæ Baſileenſis memoratæ, Rudolfo *de Terwilx* præpoſito eccleſiæ ſancti Petri, Johanne *Offlacter* præpoſito monaſterii ſancti Leonardi Baſileenſis, ordinis ſancti Auguſtini canonicorum regularium, fratre Johanne *Nider* ſacræ theologiæ profeſſore, ordinis Prædicatorum, magiſtris Henrico *de Kenitheni* * epiſcopalis, & Bertoldo *Rethbogk* * domini archidiaconi Baſileenſis curiarum officialibus, juriſperitis pluribus, & aliis viris probatis & fide dignis; inquè mei Leonardi *Falken* publici imperiali auctoritate curiæque epiſcopalis Baſileenſis prælibatæ jurati notarii, teſtiumque inferius nominatorum, ad hæc pro teſtimonio vocatorum & rogatorum præſentia, perſonaliter conſtitutus ſive comparens venerabilis pater & egregius vir dominus ALEXANDER decretorum doctor, abbas monaſterii Virziliacenſis, ordinis ſancti Benedicti, Eduenſis diœceſis, ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis, & conſiliarius excellentiſſimi principis domini ducis Burgundiæ & Brabantiæ, propoſuit & dixit verba quæ ſequuntur, vel ſimilia in effectu: Honorandi domini & venera- « B
biles viri, cum ita ſit, quod concilium Se- «
nenſe fuerit diſſolutum ſecunda die hujus «
menſis Martii, fuerunt ſeptem anni, & die «
tertia quæ fuit externa die debuerit, ſecun- «
dum ordinationem ſacro-ſancti concilii Con- «
ſtantienſis, concilium Baſileenſe incipere, ad «
quod ſine alia vocatione prælati & alii, qui «
ad concilia generalia vocari conſueverunt, «
ſub pœnis juris venire ſunt aſtricti, prout ple- «
nius in dicta ordinatione dicti ſacro-ſancti «
concilii Conſtantienſis, quæ incipit *Frequens*, «
continetur. Hinc eſt quod ego volens evitare «
C dictas pœnas, & facere debitum meum cir- «
ca agenda in dicto concilio Baſileenſi, heri «
comparui, & in eccleſia cathedrali hujus ci- «
vitatis, ad me præſentandum, paratum, ſi «
quos inveniſſem, qui pro dicto concilio ve- «
niſſent, cum eis vacare circa ea quæ in con- «
cilio incumbunt peragenda, & adhuc in præ- «
ſentia veſtrarum dominationum me præſen- «
to; offerens me paratum & promtum confer- «
re unà vobiſcum, & cum quolibet veſtrûm, «
expectando venturos * ad dictum concilium, «
de his quæ pertinent ad concilium, ſeu quæ «
ſunt agenda per ipſum, & ſpecialiter de mo- «

* *al.* Zetine.

* *al.* Bengen.

* *al.* Rechtegk.

* *al.* Venientes.

(a) Stuffa ſeu ſtuba eſt hypocauſtum ſeu æſtuarium, ſed in monaſteriis & aliis inſignioribus eccleſiis ſumitur pro camera capituli, eo quod ibi ſolebat haberi hypocauſtum.

» do reducendi Huſſitas ad gremium eccleſiæ
» per viam amicabilem, ſi fieri poſſit, quæ via
» foret magis Deo grata, & animabus ipſorum
» utilis, ſi Spiritu-ſancto, qui concilia genera-
» lia conſuevit dirigere in his quæ ſunt fidei
» catholicæ, de quo eſt conſidendum, reperire-
» tur; nec non & conferre de his quæ ſpectant
» ad reformationem eccleſiæ tam in capite,
» quam in membris, & de modo pacificatio-
» nis regnorum: & proteſtor, quod pro me
» non ſtetit, nec ſtat, aut ſtabit, quominus te-
» neatur dictum concilium, & de materiis jam
» dictis, & aliis ad ipſum pertinentibus in eo-
» dem tractetur; rogans vos omnes & ſingu-
» los, quatenus in loco iſto vel alio per vos eli-
» gendo, certis diebus & horis, vel die qua-
» libet & dictis horis velitis convenire; quate-
» nus una vobiſcum expectando venturos, de
» dictis materiis valeam conferre, petens a no-
» tario hic præſenti de iſto publicum inſtru-
» mentum ſeu publica inſtrumenta, unum vel
» plura, tot quot ſunt inde neceſſaria & oppor-
» tuna, confici atque tradi, aſtantes in teſti-
» monium invocando. Acta fuerunt hæc ſub
anno Domini, indictione, pontificatu, men-
ſe, die, hora & loco ſuperius deſcriptis, præ-
ſentibus ibidem honorabilibus & diſcretis vi-
ris dominis Petro *Zeniluffre** decano ſancti
Petri eccleſiæ Baſileenſis, fratre Johanne *El-
ſenihem* priore prioratus in *Iſteim* ordinis Clu-
niacenſis, Conſtantienſis dioeceſis, & Coen-
rado *Brumenmeiſter* plebano eccleſiæ ſancti
Martini Baſileenſis, teſtibus ad præmiſſa in
eorum teſtimonium vocatis ſpecialiter & ro-
gatis.

* al. Zemlusfie.

Et me Loenhardo *Valken* de *Offembrug* cle-
rico Argentinenſis dioeceſis, publico impe-
riali auctoritate notario curiæque epiſcopalis
Baſileenſis jurato, qui præſcriptis propoſitio-
ni, proteſtationi, requiſitioni, aliiſque omni-
bus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, fie-
bant & dicebantur, una cum prænominatis
teſtibus, præſens interfui, eaque ſic fieri vidi
& audivi, præſens inſtrumentum per alium
me jubente fideliter ſcriptum exinde confe-
ci, & in hanc publicam formam redegi, ſig-
noque & præſenti ſubſcriptione meis ſignavi
rogatus & requiſitus, in fidem & teſtimonium
omnium & ſingulorum præmiſſorum.

PROCESSUS VERBALIS de inchoatione concilii Baſileenſis.

Anno 1431. Ex mſ. Argentinenſi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinita-
tis Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

Anno a nativitate Domini mccccxxxi. die
xxiii. Julii indictione ix. pontificatus ſanctiſ-
ſimi Domini noſtri papæ Eugenii IV. anno
i. in civitate Baſilea provinciæ Biſuntinæ,
in domo capitulari eccleſiæ cathedralis Ba-
ſilienſis, reverendi patres dominus Johan-
nes *de Polemar* decretorum doctor, domini
noſtri papæ capellanus, ſacrique palatii apo-
ſtolici cauſarum auditor, & frater Johannes
de Raguſio ſacræ theologiæ magiſter, ordi-
nis fratrum Prædicatorum in Romana curia
procurator, vices gerentes reverendiſſimi in
Chriſto Patris & domini Julian, ſanctæ Ro-
manæ eccleſiæ S. Angeli diaconi *cardinalis*,
in Germania & ad præſidendum in ſacro ge-
nerali concilio apoſtolicæ ſedis legati, con-
gregati ibidem cum reverendiſſimo patre
Domino Alexandro abbate Virzeliacenſe,
venerabilibus & circumſpectis viris domino
Thoma *Fiene* utriuſque juris doctore, magi-
ſtro Guilielmo Evardi, & magiſtro Nicolao
Amici in artibus, ambaſſiatoribus univerſi-
tatis ſtudii Pariſienſis, necnon venerabili fra-
tre Hugone priore S. Albani Baſilienſis, &
venerabili domino Henrico *de Beyne* in de-
cretis licentiato, officiali reverendi patris
domini Baſilienſis epiſcopi, & venerabili
Georgio de Andelo decano Baſileenſi, &
aliis tam canonicis, quam clericis dictæ ec-
cleſiæ, & aliarum eccleſiarum dictæ civita-
tis & ceteris multis religioſis diverſorum or-
dinum, ad inſinuandum & publicandum
ſuam vicesgerentiam ſeu poteſtatem hoc
ordine proceſſerunt.

Primo dictus Johannes *de Polemar* fecit
ſuam propoſitionem inferius inſertam, dein-
de per me Conradum *Gruefride* publicum
imperiali auctoritate & curiæ Baſileenſis no-
tarium juratum, quoddam publicum inſtru-
mentum, & quaſdam litteras apoſtolicas,
& alias litteras dicti reverendiſſimi domini
legati publice & intelligibiliter legi & publi-
cari fecerunt, quarum tenores inferius ſunt
inſertæ, propoſitionis ſeries talis eſt.

Propoſitio facta a Johanne de Polemar cum ſacrum concilium inchoavit.

Verba ſacri eloquii prodicendorum fun-
damento libenter accipio, quatenus ex eo-
rum dignitate quæcumque ædificavero gra-
tiora fiant. Hinc igitur pro explicando fun-
damentali thema ſumam ex Malachia pro-
pheta, cap. 3. *Ecce ego mittam angelum meum,
qui præparabit viam tuam ante te, & ſtatim ve-
niet ad templum ſanctum angelus teſtamenti,
quem vos vultis.* Præſtantiſſimi patres & do-
mini, eximia veneratione condigni, gene-
rale concilium apud hanc civitatem cele-
brandum eſſe ex decreto ſacri concilii Con-
ſtantienſis, & deſtinatione proxime acti con-
cilii in civitate Senarum, cunctis conſtat eſſe
notorium, ac etiam veſtris providentiis ar-
bitror non ignotum, qualiter reverendiſſi-
mus in Chriſto pater dominus Julianus ſacro-
ſanctæ Romanæ eccleſiæ S. Angeli diaconus
cardinalis, in proxima quadrageſima, dum
eſſet Noremberghæ, intendens circa mini-
ſterium legationis, pro quo deſtinatus erat
ab apoſtolica ſede, videlicet pro extinctione
peſtis hæreticæ, quæ, proh dolor! viguit in
regno Bohemiæ, litteras ab apoſtolica ſede
ſuſcepit, per quas ſibi legatio præſidentiæ ce-
lebrandi concilii mandabatur. Ipſe vero cum
ſciret ad civitatem hanc cauſa celebrandi con-

» cilium nullos aut paucos admodum adveniſſe, A
» indeque adventum ejus ad hanc civitatem
» parum habere compendii, & incœpto prius
» negotio, magnum imminere diſpendium, ſi
» ab incœpto opere deſiſteret; provida deli-
» beratione decrevit, incœptum continuare
» negotium, quod quantum Chriſtianæ fidei
» ſit neceſſarium omnes noſtis. Sed & cum
» de creatione novi ſummi pontificis nuncium
» accepiſſet, & ad reformationem morum &
» omne bonum electum eſſe diſpoſitum, ei-
» dem per ſuas litteras ſerioſe curavit ſcribere,
» ut celebrationi concilii omnis exhiberetur
» opera opportuna, ipſeque ſummus pontifex B
» ad celebrandum concilium in propria per-
» ſona veniret. Hiſque litteris ad curiam per
» certum nuncium deſtinatis, ac ipſe domi-
» nus legatus ad peragrandam Germaniam ſe
» contulit, principes & populos ad exercitum
» contra dictos hæreticos indictum ſollicite ex-
» hortando. Cumque ſic magnam partem Ger-
» maniæ in propria perſona luſtraſſet, quia fe-
» ſtum S. Johannis, dies progreſſui exercitibus
» aſſignata, inſtabat, ex inferioribus partibus Ger-
» maniæ, concito paſſu ad Norembergam fe-
» ſtinavit redire; ad quam in die poſt feſtum C
» S. Johannis pervenit, & reperit ibidem quem-
» dam venerabilem virum nomine Leonar-
» dum de Piſis in legibus licentiatum, quem
» ſanctiſſimus dominus noſter papa ad eum-
» dem dominum legatum tranſmiſit, cujus re-
» latibus, litteriſque per eumdem lectis, do-
» minus legatus de intentione ſanctiſſimi do-
» mini noſtri papæ extitit informatus, quæ pro-
» cul dubio ſincera eſt & optima, quod ſacrum
» concilium plene ac debite celebretur, ſeque
» ad venerandum concilium celebrandum ve-
» nire non poſſe notoria cauſa demonſtrat. D
» Quare præfato domino legato mandavit, ut
» ad celebrandum concilium quam citius abſ-
» que diſpendio negotii cœpti valet, ſtudeat ſe
» conferre. Sed & ſereniſſimus princeps domi-
» nus Sigismundus Romanorum rex, duoque
» venerabiles viri ex ambaſſiatoribus almæ uni-
» verſitatis Pariſienſis, in eadem Noremberga
» dicto domino legato inſtarunt, ut ad hanc
» ſe civitatem conferret; cauſa concilium ce-
» lebrandi. Reverendiſſimus vero legatus præ-
» dictus, deliberatione habita, reſpondit, mul-
» tis ſuadentibus cauſis, utile admodum eſſe
» primo quod nunc neceſſarium, propter mul-
» ta quæ contingere poſſunt, ejus præſentiam E
» exigendam, quod ipſe in exercitu perſona-
» liter tranſiret, ſed volebat ad hanc civitatem
» aliquos deſtinare, quibus committeret vices
» ſuas; quatenus hoc tempore ſtatuto, quo ipſe
» gratum exercitu moraturus, congregationi
» in ſtabilimento concilii & agendis aliis adhi-
» berent operam & ſollicitudinem opportu-
» nam. Nam attenta diſpoſitione præſenti, fa-
» tis videbatur negotio concilii per hujuſmodi
» deſtinationem eſſe proviſum; quodque in
» principio ſequentis hiemis ipſe Deo propitio

reveniens de exercitu, ad celebrationem di- "
cti concilii quam citius properabit, indeque "
in dicti ſereniſſimi regis præſentia, ac multo- "
rum prælatorum, principum & aliorum vi- "
rorum, nos hic aſtantes elegit, commiſitque "
in ejus abſentia plenaria vices ſuas. Præmiſſæ "
igitur narrationi veridicæ cuilibet intuenti "
ſatis plane congruere dignoſcitur thema ſum- "
tum *Ecce ego mittam*, &c. in quorum ver- "
borum exordio noſtræ deſtinationis cauſa "
noſtrumque miniſterium deſignatur, cum "
dicitur *Ecce ego mitto angelum meum, qui præ- "*
parabit viam ante te. Nam etſi nos naturæ "
conditione aut meritorum prærogativa an- "
gelus dici non poſſumus, ipſa deſtinatione "
& miniſterio angelus ſumus. Angelus enim "
id eſt miſſus. Sed etſi corpore duo, non ta- "
men duo angeli, ſed unus angelus ſumus "
unitate miniſterii & indiſſolubili caritate, "
Chriſto veritate dicente: *Ipſe eſt de quo ſcri- "*
ptum eſt ecce ego mitto, &c. luculenter ad no- "
ſtrum poterunt propoſitum applicari. No- "
bis ſiquidem utriſque Johannes eſt nomen, "
miniſterium noſtrum eſſe noſcitur miniſterio "
Johannis conforme. Nam ſicut ille præcur- "
ſor fuit domini noſtri Jesu Christi, qui de "
ſummis cælorum velut patris legatione ſun- "
gens deſcendit ad terram, ſic, Reverendiſſimi "
Patres, qui a latere ſummi apicis deſtinatus "
eſt, veluti præcurſore, deſtinati ſumus para- "
re viam, locum, & materiam prædiſponere, "
ut eo, propitiante Altiſſimo, de exercitu fe- "
liciter redeunte, præparata & prædiſpoſita "
materia agendorum in ſacro concilio uſque "
ad proſperam & votivam concluſionem fa- "
cilius procedatur. Et inde ſubjungam: *Et ſta- "*
tim veniet ad templum ſanctum, hoc eſt eccle- "
ſiam, dicente apoſtolo *Templum Dei ſanctum* "
eſt quod eſtis vos. Etenim licet univerſus fi- "
delium populus nomine comprehendatur ec- "
cleſiæ, virtualiter tamen eſt eccleſia ſacrum "
generale concilium, auctoritate ſacroſanctæ "
apoſtolicæ ſedis congregatum. Et nullus eſt "
aut erit ratum concilium, quod non fuerit "
ejus auctoritate fulcitum. In ſacro namque "
concilio rite congregato eſt ipſe ſummus "
pontifex, aut ejus vices gerens in ratione ca- "
pitis, & alii in ratione membrorum, unum "
conſtituens corpus, quod virtualiter eſt uni- "
verſalis eccleſia. Nos igitur, auctore Deo, "
locum præparabimus, atque viam ejus ſo- "
lemnem, grandemque congregationem fa- "
cere ſatagemus. Et ſtatim veniet ad ipſum "
ſanctum templum Dei, non dico dominator, "
quem vos quæritis: quoniam dicente B. Ber- "
nardo in epiſtola ad Eugenium, didici quod "
in hac eccleſiaſtica Hierarchia indicitur mi- "
niſtratio & interdicitur dominatio, principe "
apoſtolorum dicente, *non tamquam domina- "*
ntes in clero, ſed forma facti gregis. Et idem "
Bernardus in tertio: Ille de quo propheta di- "
cit: *Et erit omnis terra poſſeſſio ejus*, Chriſtus "
eſt, cui pertinet jure creationis & redemtio- "

» nis & dono patris poſſeſſionem & dominium
» cedere huic, tu curam illius habe. Themate
» non ſine cauſa ſincopato ſubjungo: *Angelus*
» *teſtamenti quem vos vultis*. Recte angelus te-
» ſtamenti. Nam ſub nomine S. Angeli diaco-
» nus cardinalis, & ejus converſatio eſt ange-
» lica: quod non familiari converſatione poſ-
» ſumus atteſtari. Angelus teſtamenti, inquam,
» CHRISTO JESU ferventiſſimus eſt zelator. Sta-
» tim ergo veniet angelus teſtamenti quem
» vos vultis, quem vos capitis & optatis, quem
» volunt & optant omnes eccleſiæ filii, affe-
» ctantes Chriſtianitatis pacem, hæreſum ex-
» ſtirpationem. Angelus teſtamenti, quia ſicut
» ſcit ſanctiſſimi domini noſtri papæ optimum
» animum & promtiſſimam voluntatem, ſic
» etiam ſuo proprio deſiderio ad id anhelat
» una cum aliis congregatis generale concili-
» lium facientes, toto ſtudio, totiſque viribus
» & diligentiam adhibere. Hæc omnia perfici
» ſperantes ab illo qui vivit & regnat trinus &
» unus in ſæcula ſæculorum. Amen.

SEQUITUR TENOR INSTRUMENTI, &c.

In nomine Domini. Amen. Tenore publici inſtrumenti cunctis pateat evidenter & ſit notum quod anno a nativitate Domini ejuſdem MCCCCXXIV. &c. *require reſiduum in prima ſeſſione hujus ſacri concilii Baſileenſis.*

Subſcriptio notarii talis eſt.

Et ego Petrus Clerici, clericus Ambianenſis diœceſis, magiſter in artibus, &c. *prout in inſtrumento continetur.*

TENOR LITTERARUM apoſtolicarum ſuper facultate celebrationis concilii Baſileenſis per dominum legatum ſedis apoſtolicæ.

MARTINUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio JULIANO S. Angeli diacono cardinali apoſtolicæ ſedis legato S. & A. B. &c. *require in prima ſeſſione hujus concilii Baſileenſis.*

TENOR LITTERARUM domini legati.

In nomine Domini. Amen. Anno ejuſdem MCCCCXXXI. indictione IX. pontificatus SS. in Chriſto patris Domini noſtri papæ EUGENII IV. anno I. die III. menſis Julii, in quadam domo caſtri imperialis Norembergæ, diœceſis Bambergenſis, præſentibus illuſtriſſimo principe domino SIGISMUNDO rege Romanorum, reverendis in Chriſto patribus domino ALEXANDRO epiſcopo Tridentino, & domino PETRO epiſcopo Imolenſi, atque illuſtri viro domino FRIDERICO marchione Brandeburgenſi, & aliis pluribus in multitudine copioſa, vocatoque me notario infra ſcripto, mihique mandato ut de his publicum facerem inſtrumentum, reverendiſſimus in Chriſto pater dominus JULIANUS S. R. E. ſancti Angeli diaconus cardinalis, in Germania, necnon ad præſidendum in generali concilio apud Baſileam in Spiritu-ſancto congregando, apoſtolicæ ſedis legatus, attendens ſe jamdudum, cum in eadem civitate Norembergæ, ubi dictus ſereniſſimus rex, facrique imperii electores, & alii principes Almanniæ & communitatum ambaſſiatores erant pro hac cauſa congregati, ad tractandum & exhortandum, ut adverſus perfidos hæreticos in regno Bohemiæ potens fidelium deſtinaretur exercitus, tota ſollicitudine operam adhiberet, ſicut fuit gratia divina concedente concluſum; felicis recordationis domini papæ MARTINI V. tunc viventis litteras recepiſſe, quibus eidem intereſſe & præſidere dicto concilio mandabat. Cum autem eſſet informatione veridica ſibi notum, ad civitatem Baſileæ cauſa celebrandi concilium tam paucum numerum perſonarum adveniſſe, quod non erat in concilio cum tam pauco numero procedendum, habita ſuper hac cauſa prælatorum & aliorum notabilium virorum deliberatione matura, decrevit melius eſſe dictum negotium incœptum continuare, crucem prædicando, fideleſque principes & populos exhortando ad exercitum memoratum, ut eo cum Dei auxilio peracto, ad celebrationem concilii, cui hæc mora parum diſpendii proveniret; ſicque per diverſas partes Almanniæ in propria perſona, non ſine gravibus viarum laboribus eſt profectus, per alias vero partes ſuas litteras ſuoſque viros providos deſtinavit. Cumque jam per Dei gratiam potens & magnus Chriſti fidelium exercitus ſit paratus, nec dum etiam ad dictam civitatem Baſileæ, ubi in pauco numero ſunt, pro celebratione concilii congregati, ſibique habito multorum prudentum conſilio viſum ſit admodum ex cauſis pluribus expedire, immo quodam modo neceſſarium, quod ipſe perſonaliter vadat cum fidelium exercitu ſupradicto, volens & cupiens utilitati dicti exercitus non deeſſe, necnon congregationi & ſtabilimento dicti concilii debite providere, cum a ſanctiſſimo domino noſtro papa EUGENIO, qui multum cordi habet dictum concilium ſolemniter & debite celebrari receperit in mandatis, quatenus quam citius abſque diſpendio dicti negotii exterminationi hæreticæ pravitatis, commode poſſit, ad celebrationem dicti concilii ſtudeat ſe conferre, provida deliberatione decrevit, quod ipſe perſonaliter tranſeat cum exercitu ſupradicto, & quod ad dictam civitatem Baſileæ deſtinet viros providos, qui, eo abſente, vices ſuas gerant, congregationique & ſtabilimento dicti concilii operam & diligentiam præbeant, deque agendis & ordinandis cum ibidem ſiſtentibus conſiderent, praticent taliter, quod diſponant, ut eo juxta principium hiemis ſe-

quentis, de dicto tranſitu, Deo propitio, feliciter redeunte, in celebratione dicti concilii, proſperaque largiente S. Spiritus gratia, procedatur, ad Dei omnipotentis gloriam, & Chriſtianæ religionis profectum. Propterea venerabiles ac providos viros dominum Johannem *de Polemar* decretorum doctorem, domini noſtri papæ capellanum & ſacri palatii apoſtolici cauſarum auditorem, & fratrem Johannem de Raguſio ſacræ theologiæ magiſtrum, ordinis fratrum Prædicatorum, & dicti ordinis apud Romanam curiam procuratorem, elegit & ordinavit ſuos in dicto concilio, in ejuſdem domini abſentia, vices gerentes, dans & concedens eiſdem plenarie vices ſuas. In quorum fidem & teſtimonium per me infra ſcriptum notarium præſens fieri juſſit publicum inſtrumentum ipſius domini legati ſigilli appenſione munitum. Actum die & anno & præſentibus teſtibus prænotatis.

Et ego Conradus Jacobi de Montepolitiano decretorum doctor, publicus imperiali auctoritate notarius, dum ſupra ſcripta omnia & ſingula per dictum dominum legatum dicerentur & agerentur, interfui, atque fieri vidi, & ejus mandato hoc publicum inſtrumentum per alium fidum, me aliis occupato negotiis, ſcribi feci, rogatus publicavi, ſignumque meum proprium appoſui in fidem & teſtimonium omnium præmiſſorum.

TENOR CEDULÆ.

Et nos prænominati Johannes *de Polemar* & frater Johannes de Raguſio vices gerentes præfati reverendiſſimi domini legati, inſinuata poteſtate noſtra, & fide facta de mandato inſtrumento authentico, prout ſupra, dicimus, declaramus cunctiſque facimus manifeſtum, promtos paratoſque nos eſſe in celebratione ſacri concilii generalis rite & debite ultro procedere, adhocque nos ad hanc civitatem veniſſe animo & propoſito perſiſtendi & in celebratione ſacri concilii rite ac debite procedendi; & quod non ſtetit, ſtat, neque ſtabit per SS. dominum noſtrum papam, quin in dicto concilio rite & debite procedatur, manifeſte & publice proteſtamur, dicimus & declaramus: requirentes de præmiſſis omnibus acta publica fieri & de actis publicum inſtrumentum, &c.

His itaque peractis, ſicut præmittitur, venerabilis magiſter Nicolaus Amici (unus ex ambaſſiatoribus dictæ univerſitatis Pariſienſis pro ſe & collegis ſuis & omnibus aliis ſibi adhærentibus vel adhærere volentibus, petiit & requiſivit per dictos vicegerentes reverendiſſimi legati decerni & declarari generale concilium eſſe in hac civitate Baſileæ ſtabilitum, inchoatum & firmatum.

Et dicti domini vices gerentes aut ſaltem dictus dominus Johannes de *de Polemar* pro ſe & collega ſuo dixit, & reſpondet in eſſectu, quod requiſitioni per dictum magiſtrum Nicolaum jam erat per cedulam ſupradictam commode & ſufficienter ſatisfactum.

Præterea fuit ibidem communi concordia ordinatum, quod deinde ſingulis diebus Veneris ſeu feriis ſextis, ſi ſit dies juridica, ſignanter proxime ſequenti die juridica ſeu non feriata, fiet conventio pro negotiis in concilio agendis ſeu tractandis, & ad ipſam diem ſeu ſingulas ſextas ferias omnes cenſeantur ex hac ordinatione vocati. Si autem propter aliquam cauſam oporteret in aliis diebus fieri conventionem, tunc affigetur cedula in valvis eccleſiæ prædictæ.

Et ego Conradus Guntfridi de minori Baſilea, clericus Conſtantienſis diœceſis, publicus imperiali auctoritate & curiæ Baſileenſis collateralis notarius juratus, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, ſucceſſive fiebant & agebantur in loco & tempore quibus ſupra, una cum honorabilibus & circumſpectis viris dominis Hermanno *Friling*, Nicolao de *Terwviler*, preſbyteris capellanis, &c. præſens interfui, eaque ſucceſſive fieri vidi & audivi. Ideirco hic me manu propria ſubſcripſi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium præmiſſorum.

Poſt hæc autem die lunæ XXVII. die menſis Auguſti anni prædicti in domo capitulari dictæ eccleſiæ Baſileenſis perſonaliter exiſtentes reverendi patres dominus Johannes *de Polemar* decretorum doctor, & frater Johannes de Raguſio ſacræ theologiæ magiſter, ordinis fratrum Prædicatorum, vices gerentes dicti reverendiſſimi domini legati, aſſiſtentibus eis multis prælatis & clericis, mandaverunt mihi notario ſupra & infraſcripto, quatenus accederem ad portam dictæ eccleſiæ, & inde acciperem cedulam quam ibi reperirem affixam, & in hoc proceſſu continuarem; & ſic factum eſt per me mandato ipſorum dominorum præſidentium prædictorum.

Cedula autem portæ dictæ eccleſiæ affixa dictorum dominorum præſidentium ſigillata ſigillis, erat hujuſmodi ſeriei: » Ex parte dominorum præſidentium concilii generalis intimatur omnibus quod erit congregatio generalis feria II. hora VIII. in capitulo eccleſiæ majoris. Quapropter mandatur omnibus qui venire tenentur ad illam, quatenus in dictis die & hora ibidem compareant & interſint.

Et poſt aliquantulam moram prædicti domini præſidentes tradiderunt mihi notario ſupra & infraſcripto quamdam cedulam in papyro ſcriptam, quam per me publice alta & intelligibili voce legi & publicari fecerunt, cujus tenor ſequitur & eſt talis.

Declaratur concilium inchoatum.

Quamquam ex eo quod XXIII. die Julii proxime præteriti in hoc eodem loco facta fuit publice & ſolemniter inſinuatio facultatis noſtræ, perlectis litteris reverendiſſimi

in Christo patris domini domini legati, atque constitit de electione hujus civitatis facta in concilio Senensi pro tunc proxime futuro concilio celebrando, & hoc per publicum instrumentum ibidem lectum, atque juxta decreta sacrorum Constantiensis & Senensis conciliorum notorium sit, esse tempus concilii celebrandi, & sic constaret præsidentes auctoritate apostolica esse in loco ad celebrandum concilium deputatos, animo & proposito concilium celebrandi, & ad hoc se exhibuerunt, & quod non stabat pro parte sanctissimi domini nostri, quominus in celebratione concilii procederetur, fuerunt publice protestati quod tempus ad id præfinitum astaret, censeatur ex his sacrum generale concilium inchoatum, stabilitum & firmatum: attamen ad superabundantem cautelam, multorum super hoc instantia propulsati, decernimus & declaramus, ex illis die, & actu sacrum generale concilium esse inchoatum, stabilitum & firmatum, atque ex nunc, si & in quantum opus sit stabilimus & firmamus, esseque stabilitum & firmatum decernimus & declaramus.

Et post hæc prælatus Johannes *de Polemar* verbo exposuit, & dixit, quod in præcedentibus diebus tractatum fuit, ut per sacrum concilium quidam actus fieret, quem ipse in quadam cedula descriptum dictaverat, ideo legeretur schedula ipsa, & si omnibus placeret, sicut in ipsa continetur, fieret ac etiam firmaretur. Quæ quidem cedula per me supra & infrascriptum notarium lecta extitit & publicata hujusmodi sub tenore.

Johannes de Ragusio ex parte concilii mittitur ad regem Romanorum.

Auctoritate apostolica præsidentes prælati & ceteri in sacro concilio congregati, die præsenti, per cedulam ecclesiarum valvis affixam, ad congregationem publicam assignata, ordinaverunt & decreverunt valde esse expediens & necessarium, quod reverendus pater frater Johannes de Ragusio, magister in sacra pagina, ordinis Prædicatorum, pro certis negotiis, pro parte ipsorum ad serenissimum dominum regem Romanorum accedat, ipsumque eorum ambassiatorem ad dictum dominum regem ordinaverunt & destinarunt; & ne ab aliquo possit in dubium revocari, cum ipse sit unus de præsidentibus, an ipso absente apud alium collegam plena auctoritas remaneret, cum in litteris eorum facultatis non sit expressum, quod in solidum habeant potestatem, scienter & consulte ordinaverunt & decreverunt, quod ipso domino fratre Johanne absente, ipsiusque perdurante absentia, apud alterum collegam, videlicet dominum Johannem de *Polemar* plena remanet auctoritas & potestas præsidentiæ memoratæ.

Et ego Conradus Guntfridi de Minori Basilea, clericus Constantiensis diœcesis, publicus imperiali auctoritate, &c. *ut supra.*

LITTERÆ SIGISMUNDI regis Romanorum.

Quibus sub sua protectione sacrum Basileense concilium suscipit, omnes ad illud venientes suis subditis commendat.

1431. 2. Julii. *Ex mss. Aquicinctinis.*

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rex universis & singulis principibus ecclesiasticis & sæcularibus, ducibus, marchionibus, comitibus, vicecomitibus, vicariis generalibus, baronibus, magnatibus, proceribus, nobilibus, ministerialibus, militibus, clientibus, capitaneis, ancianis, potestatibus, gubernatoribus, baillivis, rectoribus, præsidibus, burgraviis, castellanis, officialibus, judicibus, thelonariis, (a) boletariis passuum, custodibus civitatum, oppidorum, villarum & locorum communitatibus, & rectoribus earumdem, ceterisque nostris & imperii sacri subditis & fidelibus dilectis ad quos præsentes pervenerint, gratiam regiam & omne bonum.

Venerabiles, illustres, nobiles & fideles dilecti, durante pridem Constantiensi concilio, & domino MARTINO papa V. bonæ memoriæ tunc ibidem approbante, conclusum extitit & ordinatum, quod ab illo tunc ad quinquennium proxime sequens in civitate Senensi generale concilium celebraretur; in quo quidem Senensi concilio iterum decretum & ordinatum extitit, quod ad septennium proxime sequens in civitate nostra Basileensi generale concilium teneretur. Quod quidem concilium, Domino concedente, per multos notabiles prælatos, doctores & magistros incœptum est, & hucusque continuatum, quousque sanctissimus dominus noster summus pontifex dominus EUGENIUS illud approbavit, & celebrationem ipsius reverendissimo in Christo patri domino JULIANO cardinali S. Angeli apostolicæ sedis legato commisit, qui etiam loco sui, negotiis fidei præpedjtus, præsidentes pro eo ad memoratum Basileæ locum transmittit. Sed quia nos, qui prius pro pace sacrosanctæ matris ecclesiæ & ejus unione procuranda multos labores, prout notum est mundo, subivimus, debitores nos fatemur, ut tamquam advocatus & defensor S. R. E. etiam hoc sacrum Basileense concilium habeamus commissum, potissime considerando quod ad hæresum exstirpationem, guerrarum suppressionem, & omnium morum, qui, proh dolor! in orbe fere extincti sunt, felicem reformationem, nihil utilius & commodosius exquiri posset. Quod quia concilium ad reverentiam Dei, relevationem orthodoxorum, honorem quoque sanctæ matris ec-

(a) Boletarii sunt magistri boletarum, qui litteras passus scribunt.

cleſiæ in noſtram ſpecialem protectionem recepimus, & grato & devoto animo recipimus per præſentes. Idcirco vos omnes & ſingulos ſupradictos ſerioſiſſime requirimus & hortamur, mandantes quatenus univerſis & ſingulis prælatis, principibus, nobilibus, magiſtris & ambaſſiatoribus quorumcumque regum, prælatorum, principum & communitatum, univerſitatumque totius Chriſtianiſmi, qui ad præfatum concilium, auxiliante Domino, acceſſuri ſunt, cujuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis, ſeu conditionis exiſtant, noſtro & imperii ſacri nomine favorabilem & benignam debeatis impendere voluntatem, eoſdemque cum gentibus & familiaribus ſuis ac bonis ac rebus eorum quibuſcumque faciatis pleniſſima libertate gaudere, ipſoſque favorabiliter pertractetis, ac eoſdem, & eorum quemlibet, cum bonis prædictis tute & ſecure per territoria, civitates, caſtra, caſtella, oppida, villas, itinera, paſſus, portus, pontes & tetras, ac ditionis veſtræ loca, nobiſque ſubjecta ire, tranſire, ſtare & morari, eundo ad concilium prædictum, redeundo ab eodem permittatis; immo eiſdem amore ſanctæ matris eccleſiæ, ob reverentiamque ſacri concilii, & noſtram & ſacri imperii benevolentiam ſingularem, dum & quotieſcumque requiſiti fueritis, in his quæ ſecuritatem & celeritatem eorum concernunt itineris, promotivam & gratuitam ipſis oſtendere realiter & exhibere velitis & debeatis voluntatem, necnon eiſdem & cuilibet ipſorum de victualibus, expenſis eorum competentibus, & conductibus petitis & requiſitis, pro rationabilibus ſalariis providendo. Sic enim fieri volumus, & præfatis ex certa noſtra ſcientia in favorem prædicti concilii conceſſimus & concedimus per præſentes, litteris impetratis aut ſub quacumque forma verborum impetrandis non obſtantibus quibuſcumque. Quicumque aliquem prædictum concilium viſitantem modo quocumque turbare præſumſerit, ſciat ſe noſtram & imperii ſacri indignationem graviſſimam incurriſſe; & e contrario quibuſque viſitantibus noſtri amore favores impenderit, certum ſe reddat, quod eidem ſingula beneficia compenſabimus gratia ſingulari, præſentium ſub nomine majeſtatis ſigillo teſtimonio litterarum. Datum Nurembergæ, anno Domini MCCCCXXXI. die II. menſis Julii, regnorum noſtrorum anno Hungariæ &c. XLV. Romanorum XXI. & Bohemiæ XI.

A

B

C

D

E

LITTERÆ SIGISMUNDI REGIS ROMANORUM,

quibus providet ſecuritati & quieti concilii.

Anno 1431. die 6. Julii. Ex mſ. Aquilinatenſi

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus, & Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. rex. Notum faci-mus tenore præſentium univerſis, quoniam nihil utilius, nihil honeſtius, nihil celebrius, vel commodoſius populo Chriſtiano conſpicimus concilio generali, per quod divino inſpiramine pax inter homines reformabitur, mores commutabuntur in melius, & univerſus populus ad viam veritatis reducetur; cura nobis fuit & eſt ſpecialiſſima, ut copia prælatorum, principum & doctorum, & aliorum per quos fructus optatus debebit provenire, ad ipſum confluat & accedat. Et quia in Baſilienſi concilio exiſtentes, ad illud accedentes, & ab illo recedentes merito debent plena ſecuritate potiri & libertate, quæ revera eſt inæſtimabilis bonitatis. Idcirco volumus & ordinamus præſentium per tenorem, quod omnes & ſinguli quicumque fuerint ad dictum concilium accedentes, in eodem præmanentes, & ab eodem recedentes, plena ſecuritate & libertate potiantur, eoſque ſuſcipimus in noſtra regia & imperiali protectione & cuſtodia, nolentes eoſdem ab aliquo moleſtari, inquietari, vel injuriari: immo ab omni injuria, vexatione & moleſtatione penitus immunes & illæſos permanere: mandantes nihilominus magiſtro civium, & civibus, ſeu rectoribus, incolis, & habitatoribus quibuſlibet Baſilienſibus, & diſtrictius præcipientes, ſub pœnis incurſionis noſtræ indignationis graviſſimæ, & mille marcharum auri, fiſco noſtro applicandarum, quod nullam vim, injuriam, inquietationem, vel moleſtiam prædictis inferant, vel ab aliis inferri patiantur in perſona vel bonis, ſintque in plena ſecuritate in dicto concilio & libertate. Volumus etiam & ordinamus ad majorem dicti concilii ſecuritatem & libertatem, quod omnes & ſinguli qui ibidem accedent, recedent, vel permanebunt cauſa concilii, ſint ſolum & dumtaxat ſub poteſtate & juriſdictione domini noſtri papæ, ſi ibi fuerit; vel præſidentis loco ſui & ſacri concilii, neque capientur, detinebuntur, aut moleſtabuntur prædicti ad dictum concilium venientes, ſtantes & recedentes, etiam ad mandatum cujuſcumque poteſtatis ſæcularis aut ſæculari juriſdictioni præſidentis. Quodque ipſi Baſilienſes permittent concilium libere diſponere facta ſua, neque de agendis in concilio aliquatenus ſe intromittent, niſi deſuper fuerint requiſiti; & quod domino noſtro ſummo pontifici vel ejus vice præſidenti in his quæ ad concilium pertinebunt, & perſonas cauſa concilii ibidem exiſtentes, obedient & parebunt in omnibus & per omnia, contra quaſcumque perſonas, cujuſcumque ſtatus & conditionis, præſtabuntque ipſi domino noſtro vel ejus vice præſidenti, omni difficultate & renitentia procul mota, & abſque dolo & fraude. quæ omnia veniunt de mente noſtra ſpecialiter & expreſſe, ac ex certa ſcientia & ſincera affectione noſtra: ordinantes & volentes, quod dicti Baſilienſes, cives, in-

colæ & habitatores ejuſdem dent ſuper præmiſſis ipſorum ſalvum conductum, & litteras ſigillo magnæ ſuæ communitatis ſigillatas & roboratas. Mandantes iterum habitatoribus Baſilienſibus ſupradictis, quatenus in dicta Baſilienſi civitate præfatis in concilio exiſtentibus de victualibus, domibus & aliis neceſſariis quibuſcumque, pro rationabilibus & competentibus pretiis provideant, ſic quod ipſi nullam apud majeſtatem noſtram vel alibi valeant deferre querelam; ſed potius eoſdem cum omni benivolentia & favore pertractent. Per hoc enim ultra meritum a Deo, nomen apud Chriſticolas cujuſcumque nationis reportabunt glorioſum, nobiſque & imperio ſacro exhibebunt reverentiam & complacentiam ſingularem. Volumus inſuper quod patentes noſtræ litteræ robur habeant firmitatis etiam poſt tempus quatuor menſium a tempore finiti prædicti concilii computandum, præſentium ſub noſtræ majeſtatis ſigillo teſtimonio litterarum. Datum Nurembergæ anno domini MCCCCXXXI. die VI. Julii regnorum noſtrorum Hungariæ, &c. XLV. Romanorum XXI. & Bohemiæ XI.

BULLA AUREA DOMINI

Romanorum regis, per quam inconcuſſe permittit adhærere concilio, lecta in congregatione generali die lunæ XIX. Januarii MCCCCXXXIII.

Extat apud Labbeum tom. 12. concil. pag. 964. Data ex Senis die 22. Novembris 1432. &c. ad mandatum domini regis Petrus Kalde canonicus Zagrabienſis.

BULLA FACULTATIS CONCESSÆ

cardinali legato, quod poſſit præſidere in concilio Baſileenſi.

Extat apud Labbeum tom. 12. concil. pag. 469. in prima ſeſſione concilii Baſil.

LITTERA MISSA A BOHEMIS

ad Chriſti fideles.

In qua dicunt quod eis denegata ſit audientia habenda in concilio Baſilienſi.

Anno 1431. 20. Julii. *Ex inſ. illuſtriſſimi viri domini Chauvelin, & Aquicinctenſi.*

1. UNiverſis Chriſti fidelibus, regibus, & ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, inclytis clientibus, civibus, & omnis ſtatus & conditionis hominibus, barones, nobiles, milites, clientes, rectores communitatum, præfecti urbium, judices, conſules, jurati, cives, totaque communitas Bohemiæ gentis in regno Bohemiæ, pariter & in marchionatu Moraviæ conſtituti, divinarum veritatum cognitionem, dilectionem & obſervantiam ſalutarem.

Cum unigenitus Dei Filius, qui eſt æternaliter in ſinu ejuſdem Patris æterni, deſcendiſſet in terras, locum non mutans, & majeſtatem non minuens, ſed humanam aſſumendo naturam, multifaria ſalutaris vitæ ſacramenta, ore, manu & * monitionibus contradidit, de quorum revera numero iſta quatuor inſignia ſuis ad imitandum diſcipulis & exemplari converſationi reliquit, quorum ſic de dignitate primum eſt: Ut diviniſſimum corporis & ſanguinis ejus ſacramentum per miniſtros eccleſiæ fidelibus miniſtretur ſub utraque ſpecie. Secundum, ut verbum Dei libere, publice, & veraciter per eos quorum intereſt prædicetur. Tertium, ut civile dominium veluti lethale virus auferatur a clero. Quartum, ut publica & potiora crimina per legitimas poteſtates & etiam laïcas a plebibus exſtirpentur.

* *al.* documenta. * *al.* moribus.

2. Has profecto infrangibiles veritates, promotivas fidei, auctivas caritatis, regulativas vitæ, necnon procurativas ſempiternæ ſalutis humiliter amplectentes, juxta viarum noſtrarum modulum gratanter ſuſcepimus, ſtudioſe proſequimur, proſequi quoque intendimus, quouſque fides concludatur cum vita, ut ad illarum agnitionem, amorem & obſervantiam fidelem, etiam a principio jugiter affectavimus, & nunc accuratius omnem Dei populum affectamus venire. Unde non parcentes ſumtibus, laboribus & expenſis, plures per nonnullas Chriſtianitatis regiones epiſtolas ſolidis ſcripturarum auctoritatibus eiſdem virtute fulcientes tranſmiſimus. Nihilominus viſitavimus Chriſtianiſſimum principem, tunc magnificum FREDERICUM marchionem Brandeburgenſem, nunc illuſtrem regem Poloniæ, ac ad ſereniſſimi SIGISMUNDI Romanorum & Ungariæ regis inſtantiam, nobis per ſpectabiles legatos ipſius ſignificatam pridem in *Presburg*, & nunc in Egram civitatem imperii venimus, omni niſu ubique inſtantes, ut nobis in concilio generali audientia publica & ſecura ac caritativa procuretur ſuper articulis divinis prædictis, quatenus publice, palam, & manifeſte in totius conſpectu concilii illos quatuor ſalutares articulos, quos pro fide tenemus, manifeſtare, dilucidare, declarare, aſtruere, juſtificare, probare, & defenſare ſcripturis ſacris, beatorum doctorum ſententiis in eiſdem ſcripturis vere & inevitabiliter fundatis, libere, omni impedimento * ſecluſo, valeamus; & quod tota una nobiſcum Dei viventis militans reformetur eccleſia in capitibus ſuis pariter & in membris juxta ſacræ ſcripturæ doctrinam.

* *al.* imperio.

3. Qui nimirum rex principum, epiſcoporum, procerum & doctorum communicato conſilio, reſpondit, quod iſta limitatio audientiæ & reformationis eccleſiæ derogaret libertati & privilegio concilii generalis ſuper omnem legem eminentis. Sed quod nos,

nos, illis limitationibus & declarationibus nostris ex divina lege & sanctorum doctorum sententiis omissis, stemus in his omnibus determinationi & diffinitioni ipsius concilii: quod profecto nos merito & rationabiliter ac rite reputantes illicitum, incongruum, & prorsus indignum, ut videlicet divinas veritates justificatas in semetipsas humanum judicet arbitrium, & solvet aut solvat pro sua voluntate, quod utique interdum sola* veritate relicta, opinionem sequitur, sicque ipsam nonnumquam fallere contingat & falli, & quod illi earum veritatum & nostri sunt judices, qui illas, divino postergato timore, tamquam errores notorios, & nos super observantia illorum velut erroneos, inconsulte, perperam & temere judicantes, damnaverunt inique, ut sic inimici & nostri hostes sævissimi in nostrum exterminium aspirantes sunt judices, quod sana vetat ratio, divinæque & leges humanæ exhorrent. Idcirco ipsis in hac parte nolumus neque intendimus consentire. Sed hoc præsertim optavimus, & ut æquum & justum est jugiter optamus, ut divinarum scripturarum rectissima & ineffabilis regula per justissimum judicem, justitias & veritatem diligentem derelicta in terris, quæ nec fallere potest nec falli, in medium concilii proferatur, & beatorum doctorum, ut præfertur, sententiæ, & juxta illas eorumdem articulorum & nostra rectitudo aut obliquitas, poterit comparari & consequenter rectificari aut approbari. Sed hoc ipsi nullatenus acceptare voluerunt: hanc justissimam æquitatem per nos illis oblatam vestra, quæsumus, dignetur pensare industria, necnon partis adversæ de superbæ ignaviæ timore contumaciam arrogantem, qua se supra se enormiter erigentes sibi subjicere non modo omnes Christianissimi principatus, regna & dominia, sed etiam infringibilis divinæ veritatis doctrinas, Domini nostri Jesu Christi morte veraciter confirmatas, juxta suum libitum trutinando* & judicando variare, ita ut quod nunc per Christi fideles vere creditur & fideliter observatur, tandem eorum arbitrio tamquam error & superstitio totaliter declinetur, sicque Christiana fides non in petra solidissima, sed in arena mobilissima fundabitur, quotidianæ subjecta ruinæ, & verba Christi perenni firmitate fulcita, ita ut cœlum & terra facilius pertranseant, quam ipsius commutentur sermones, veluti lecti opertorium ipsorum mutabuntur censura.

4. Sed quid hac temeritate stultius? quid hoc errore nequius? quid hac peste perniciosius potest inveniri? Ipsi quod diximus judicate, sentite, attendite obsecramus, universi & singuli Christi fideles, si ipsi episcopi sedes apostolorum juste ac digne occupant, qui illis vita & moribus totaliter adversantur. Illi quidem per orbem terrarum pannosi & contemti a populo migrantes, veritates dominicas cunctis populis, tribubus, & linguis fideliter nunciarunt, easdem propria morte firmantes: Isti purpura vestiti & byssо, glorioси in populo, canes muti effecti, in castris & urbibus tranquille residents, & easdem veritates etiam aspernantur audire, ac propter earum observantiam fidelem fideles spoliant fama, vita & rebus; non per se, quia cubant cum scortis, sed per cruentæ crucis erectionem sæculare brachium in occisionem fidelium fallaciter concitantes. Illi relictis omnibus mundi divitiis, omni virtute ornati, in paupertate & jejunio Dominum sequebantur; isti urbium, castrorum, prædiorum, ac regionum possessores, viri divitiarum instituti, pleni vitiis, non Christum humilem in contemtu, sed superbissimum satanam in pompa & fastu carnis voluptate* sequuntur: a quibus, utpote pseudoprophetis attendere, suadet ipsa Veritas increata. Et si illi, ut proponunt, cum exercitibus suis validissimis regnum nostrum invaserint usque ad interemtionem, ut asserunt, demoliri cupientes; Nos in Altissimi virtute, cujus causam prosequimur, habentes fiduciam, vim vi repellere cogemur, quemadmodum omnes leges & omnia jura permittunt.

5. Quare* omnia justa & rationabilia suprascripta vos viri illustres & nobiles animo diligenti pensate & catholice discutite. Si in adjutorio sceleratorum hujusmodi clericorum, & temerario ac erroneo ausu de veritatibus omnipotentis Dei sentientium, in voluptatibus hujus sæculi & meretricio sicut in sterquilinio jacentium, vestras animas, pariter corpora, & personas in bellicosis periculis salubriter morti exponentes contra justissimas per nos vobis crebro oblatas Christi Jesu æquitates. * Datum sabbato in vigilia Mariæ Magdalenæ sub sigillo communi omnium adhærentium evangelicæ veritati, circa limites regni Bohemiæ anno Domini MCCCCXXXI.

Tenor hujus litteræ venit ad sacrum concilium decima Augusti anno XXXI. *Et mirati fuerunt omnes de concilio, quod Bohemi audebant scribere, quod eis denegata fuit audientia, quam numquam petiverunt.*

* *al.* solita. *f.* solida.

* *al.* tintinnando.

* *al.* voluntate.

* *al.* quæ omnia.

* Videtur hic aliquid deesse.

EPISTOLA PROCOPII

& aliorum Huſſitarum, honorabilibus, providis, honeſtis dominis conſulibus, & toti communitati, divitibus & pauperibus, &c.

Debacchatur in papam & epiſcopos, hortaturque principes Chriſtianos, ut ſuos epiſcopos & doctores mittant, qui cum ſuis doctoribus decertent diſputatione ſcripturæ ſacræ teſtimoniis nixa.

Ex mſ. regiis collegii Navarræ.

UT Deus omnipotens Pater per dilectum Filium ſuum JESUM CHRISTUM in Spiritu-ſancto vobis & omnibus Chriſtianis aperiat intellectum, & illuminet corda cum lumine ſuæ divinæ juſtitiæ, & in eo permanere uſque ad finem fitmiter, ſtabiliter, hoc deſideramus nos vobis pro ſalute.

Vos honorabiles, providi, & honeſti domini, & tota communitas, divites & pauperes, audite & conſiderate cum ſpiritali diligentia verba præſentis litteræ, quæ vobis eſt miſſa de Bohemorum patria, ſicut vobis apertum & notum eſt, & multis aliis communitatibus, regibus, principibus, & dominis, quod in aliquot annis inter nos & vos magna eſt diſcordia, fuit, & moti [multi] fuerunt, & provocati ſunt contra nos ad debellandum & depopulandum. Et proh dolor! de parte veſtra & etiam noſtra multi viri nobiles & ignobiles fatue corpora perdiderunt: nec tamen umquam aperte audiviſtis aut intellexiſtis de ore noſtro fidem noſtram, an nos etiam poſſemus probare ex ſacra ſcriptura vel non; & reges, principes, domini, civitates, magna damna interim perceperunt. Et de hoc miramur valde, quod vos papæ & omni ſuo ſacerdotio tantum confiditis & creditis, qui vobis dant venenoſum cœtum, alias dant intelligibile conſolamen in eo quod epiſcopi vobis dicunt, remiſſionem omnium veſtrorum peccatorum & magnam gratiam & indulgentiam contribuunt, propter hoc, ut vos debellare debeatis contra nos & nos depopulare: & eorum gratiæ & indulgentiæ non ſunt aliud quam profunda mendacia, & magna ſeductio corporis & animæ omnibus qui credunt & ſuper hoc ſe firmant. Hoc vellemus nos eis probare & eos vincere ex ſacra ſcriptura, & vellemus permittere, ut audiret qui deſideraret, quia papa cum omni ſuo ſacerdotio faciunt vobiſcum in hoc ſicut diabolus voluit facere Chriſto Domino noſtro, ſicut Luc. ſcribitur 4. cap. quando eum duxit ſupra montem excelſum, & oſtendit ei omnia regna in circuitu terræ & ictu oculi, & dixit ad eum: *Tibi dabo poteſtatem omnium rerum*, &c. Sic diabolus decipit papam cum omni ſacerdotio ſuo, cum divitiis mundi, & ſæculari potentia, & putant ſe poſſe dare gratiam & indulgentiam quando ipſi volunt, ipſimet numquam inveniunt gratiam coram omnipotenti Deo, niſi pœnituerint & ſatisfecerint propter magnam deceptionem Chriſtianitatis, & quod potuerint dare aliis quod ipſi non habent. Sic fecit diabolus, qui fuit dives in promittendo, & pauper in dando. Et ſicut diabolus non verecundatur dicere mendacium, ſic nec ipſi verecundantur dicere id quod tamen numquam erit verum, aut ſacris ſcripturis approbatum: quia cum nihilo incitant ipſi reges, principes, dominos, civitates, & communitates ad bellandum contra nos, ut fides Chriſtiana defenſetur. Sed plus quam ipſi timent quod latentia vitia & hæreſes eorum appareant & manifeſtentur; quia ſi haberent veram & talem divinam caritatem ad fidem Chriſtianam, tunc acciperent libros divinæ ſcripturæ, & venirent ad nos ad debellandum nos cum armis domini Verbi. Hoc eſt maximum deſiderium noſtrum; quia ſic fecerunt apoſtoli Domini noſtri JESU CHRISTI, & hoc fecerunt in ſpiritu caritatis, ſicut ſcribit Paulus ad Gal. ſecundo cap. *Fratres, ſi homo gravetur peccato, &c.* Sic & illi facere deberent, ſi invenitur eos juſtos eſſe & nos injuſtos; & ſi non vellemus pati inſtructionem, tunc ipſi poſſent capere reges, principes & dominos, & civitates imperiales, & debellare nos ſecundum mandatum divinæ ſcripturæ. Sed iſta callida defenſio omnium epiſcoporum & ſacerdotum, eo quod dicunt: Magiſtri *Hus* & Hieronymus qui fuerunt Conſtantiæ combuſti, victi fuerunt a ſancto patre papa & a toto concilio. Sed ſcire debetis quod non fuerunt victi cum Sancto Spiritu, ſed injurioſe & cum injuſta violentia, quod Deus adhuc poterit graviter vindicare in omnibus qui conſilium & auxilium præſtiterunt. Et dicunt quod non debet permitti quod nos exaudiamur in noſtra fide. Quomodo hoc probabunt cum ſacra ſcriptura quod non debeamus audiri, cum tamen diu deſideravimus? Chriſtus tamen audivit diabolum, ut habetur Matth. 10. cap. Et ipſi non ſunt meliores Chriſto, nec nos pejores diabolo. Si ſunt juſti habentes veritatem in eis, ut dicunt, & nos injuſti, quid nos timent, cum tamen veritas non habet timere mendacium, ſicut ſcribitur Eſdræ lib. 2. cap. 3. in problemate expoſuit veritatem eſſe fortiſſimam omnia vincentem. Quia Chriſtus veritas Joh. 14. *Ego ſum via, veritas, &c.* Diabolus eſt principium mendacii Joh. 8. *Ipſe eſt mendax a principio, & numquam ſtetit in veritate, & veritas in eo non eſt.* Propter hoc ſi papa cum omni ſuo ſacerdotio habent veritatem, vincent nos verbo Dei: Si autem habuerint mendacium, ſine dubio non poterunt ſubſiſtere in omni eorum præſumtione. Propter hoc, honeſti, dilecti domini, divites & pauperes, vos exhortamur, rogamus vos om-

nes & ſingulos, imperiales civitates, reges, principes, & dominos propter Deum & divinam juſtitiam, ut alter alteri ſcribat & manifeſtet, quomodo nos vobiſcum poſſemus convenire ad diem certum amicabiliter, & rite vobis & nobis convenientibus, adducite vobiſcum epiſcopos & doctores, & nos adducemus noſtros doctores, & patiamur inſimul bellare verbo Dei, & audiamus nos & vos, & nullus vincat alium cum violentia aut falſa aſtutia; ſed ſolum cum verbo. Et ſi epiſcopi & doctores veſtri habent meliores probationes fidei ſuæ ex ſacra ſcriptura, quam nos, & inveniatur fides noſtra injuſta, nos recipiemus pœnitentiam & ſatisfactionem juxta evangelium. Si autem veſtri epiſcopi & doctores vincantur a noſtris per ſacram ſcripturam, pœnitentiam agite, & attendite ad nos & tenere nobiſcum. Et ſi tunc veſtri epiſcopi & ſacerdotes nolunt ceſſare a ſpirituali ſuperbia, & pœnitere & ſatisfacere, tunc volumus nos vobis adjutorium præſtare juxta noſtrum poſſe, & volumus eos ad hoc cogere ut ſe communicent, vel expellemus eos extra Chriſtianitatem. Et ſi veſtri epiſcopi & doctores dicerent, quod non decet laïcos adeſſe & audire; hoc non aliter intelligite, quam quod ipſi timent quod vincantur, & ſcandalizentur in conſpectu omnium; quia ſi ſcirent ſe victores, ſine dubio deſiderarent, quod quiſquè audiret, ut gloria eorum major fieret, & fama & laudes ſuper terram dilatarentur. Et ſi veſtri epiſcopi & doctores conſulerent, quod nulla audientibus vobis & nobis dari debent, & ſi ſequi eos in hoc velletis, tunc facite unum, & non patiamini vos umquam ita fatue ſeduci cum eorum falſa indulgentia, & manete in domibus veſtris cum bonis uxoribus veſtris & filiis veſtris, & permittite ut ad nos veniat papa de Roma cum omnibus cardinalibus & epiſcopis, & cum omni ſuo ſacerdotio, ad bellandum nobiſcum, & abſolutionem ac remiſſionem omnium peccatorum, quam ipſi vobis, etiam gratiam & indulgentiam prædicant, ipſimet mereantur; quia ipſimet bene indigent abſolutione peccatorum & gratia ac indulgentia: quia cum adjutorio Dei omnipotentis nos ſatis vellemus eis dare de indulgentia, numquam indigerent. Sed hoc eſt callida eorum excuſatio, cum dicunt quod non pertinet ad ſacerdotium, quod ſe immiſceant armis corporalibus. Hoc eſt verum, quia non ſpectat ad eos, & ita modicum ſpectat ad eos alios ad hoc incitare, conſulere & fortificare; quia Paulus dicit ad Rom. 1. cap. & ad Gal. 5. cap. quod omnes qui hoc faciunt digni ſunt æterna morte, &c. Et ſi nihil aliud facere decreveritis, quam debellare contra nos, tunc volumus aſſumere adjutorium Dei & ſuam veritatem, & volumus eam defendere uſque in mortem, & nolumus terreri per excommunicationem & maledictionem papæ aut cardinalium, aut epiſcoporum; quia ſcimus quod papa non eſt Deus, ſicut ſeipſum facit, quod poſſit maledicere & excommunicare quando vult, & benedicere quando vult; quia ipſe multis annis nos maledixit & excommunicavit; tamen Deus non fuit minus adjutor noſter gratiæ ejus benedictione. Si forte diceretis: quamquam videmus & cognoſcimus, quod epiſcopi & ſacerdotes mali & viles ſunt, tamen eis carere non poſſumus. Quis baptizaret pueros noſtros? quis audiret confeſſionem noſtram & ſacramenta traderet? Et eſſemus in excommunicatione papæ & epiſcoporum ſuorum. Dilectiſſimi, illarum rerum nullam indigetis habere curam. Excommunicatio papæ vobis non noceret, timete excommunicationem Dei, & Deus bene hoc diſponeret, ſi vos malos epiſcopos & ſacerdotes expelleretis, & haberetis veſtros ſacerdotes, qui vobis pueros baptizarent, & confeſſionem audirent & ſacramenta darent. Quia cum expellitur diabolus, tunc datur locus Spiritui-ſancto. Sic quando expellerentur mali epiſcopi & ſacerdotes; daretur locus bonis. Etiam dicunt epiſcopi veſtri & ſacerdotes, quod nos ſumus increduli & hæretici, cum nos non credimus purgatorium & in Virginem MARIAM & ſanctos. Et in hoc dicunt bene, quia nos vellemus probare ex ſacra ſcriptura, quod nos melius ſcimus ex gratia, quomodo debemus credere in purgatorium & in MARIAM matrem Domini noſtri JESU CHRISTI, & in dilectos ſanctos, quam ipſi poſſent dicere. Etiam dicunt ipſi, quod nos nolumus eſſe obedientes papæ, quando juſtus & ſanctus efficietur; tunc ſcimus bene quod ei obedientes eſſe debemus in omnibus bonis rebus, & non aliter. Etiam dicunt quod nos deſtruimus ſervitium divinum, in hoc quod deſtruimus monaſteria, monachos & moniales expellendo. Quomodo credimus eos etiam fuiſſe ſanctos, & quod peragerent magnum ſervitium Dei, & poſtquam cognovimus eos eſſe ſanctos hypocritas & humiles, nequaquam ædificantes in altum, & venditores indulgentiarum & miſſarum pro defunctis, & devorant in ſe peccata populi in hoc quod dicunt ſe ſurgere media nocte, quando alii homines dormiunt; & orant pro peccatis populi. Et orationes & miſſæ pro defunctis propter dona non eſt aliud quam hypocriſis & hæreſis; ideo ſi contradicimus eis, & deſtruimus eorum monaſteria, in hoc non deſtruimus ſervitium divinum, ſed potius diaboli & ſcholas hæreticorum. Et quando vos eos agnoſceretis, ſicut nos eos agnoſcimus, ita diligenter eos deſtrueretis & deſertaretis ſicut nos. Quia Chriſtus Dominus noſter non inſtituit aliquem, ideo oportet quod deſtruantur in brevi aut longo tempore, ſicut Dominus

dicit in evangelio Matth. 5. *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus, eradicabitur.* Etiam rogamus vos, ut in ſpirituali diligentia conſideretis articulos infraſcriptos, in quibus veſtri epiſcopi & ſacerdotes injuſti ſunt.

PRIMUS ARTICULUS. Quando epiſcopi veſtri volunt ordinare preſbyteros, hoc non faciunt, niſi ordinandus habeat aut ex patrimonio, aut ex beneficio competentiam: cum tamen Chriſtus voluit preſbyteros eſſe debere pauperes, ſicut ſcribitur Matth. 10. Et epiſcopus vult ut ſint divites, ſuper quod *ante Deum eſt injuſtus.*

ALIUS ARTICULUS. Quod epiſcopus accipit pecunias de ordinandis, & ſanctus Petrus duriter propter hoc increpavit Simonem magum, quando voluit dare bona, ut ſcribitur Act. 8.

ARTICULUS TERTIUS. Quod illi qui volunt effici ſacerdotes, intrant ad ſacerdotium non per divinam juſtitiam, qui illam volunt prædicare & ampliare inter populum Chriſtianum, quo ille populus inde ædificetur & melioretur. Sed plus propter vitam otioſam & bene comedere & bibere, & ut honorentur & venerentur ſuper terram. Et unuſquiſque aſcendit ſuper ſuum preſbyterium, ſicut fur & latro, ſicut Johannes evangeliſta ſcribit in 10. cap.

QUARTUS ARTICULUS eſt. Excommunicatio quam facit papa & ejus ſacerdotium, pro ſe aſſumit, & cum eo arctant & ligant populum Chriſtianum quomodo volunt & putant. Conſequenter ipſi excommunicant vel maledicunt. Quod ille ſit excommunicatus & maledictus coram Deo, & nos vellemus probare cum ſacra ſcriptura, quod ipſi coram Deo ſunt excommunicati & maledicti; quia non tenent præceptum divinæ caritatis, de quo ſcribit apoſtolus Paulus 1. ad Cor. 16. cap. *Si quis non diligit Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM, *excommunicatus eſt in die adventus Domini.* Quia illi non potuerunt vos excommunicare, qui jam coram Deo & ſanctis ejus ſunt excommunicati & ligati, & propterea quid timetis eorum excommunicationem?

QUINTUS ARTICULUS eſt, quod ipſi accipiunt dona propter hoc ut orent pro mortuis, & eis legant miſſas animarum. Hæc eſt malitia & hæreſis eorum ante Deum, & omnes qui eis propter hoc contribuunt, injuſte agunt illi, & faciunt per hoc ſacerdotes venditores orationum & miſſarum, & cum hoc tota eccleſia Romana venenata & maculata eſt. Quia ſi vellent orare pro mortuis & animarum miſſas legere, ſuper quibus cum nemo debet peccare, tamen nullum munus propter hoc capere debent, neque magnum neque parvum. Et omnes qui munus accipiunt ad hoc, ut animas redimant ex purgatorio, projiciunt animas ſuas cum hoc in infernum. Et qui dant perdunt munera eorum integre, quia cum tali aſtutia diaboli papa cum omni ſuo ſacerdotio decepit, ſpoliavit & exhereditavit reges, principes, dominos, milites & familiares, & multos homines de ſuo patrimonio, eo quod patres & progenitores eorum dederunt collegiis, monaſteriis & eccleſiis, ut eorum fiat memoria, & orationes & miſſæ animarum cantentur vel legantur, ut ipſæ redimerentur a purgatorio, & cum illis bonis fecerunt ſe divites epiſcopi, canonici, & monaſteria, in tantum quod litigant cum civitatibus imperialibus, principibus, & dominis. Et quando ipſi inter dominos & civitates deberent procurare pacem, tunc primi ſunt incipientes litigare contra dominos, civitates, neque incipiunt vobis dicere verum fundamentum veritatis, quia facti ſunt ut canes contra Deum, tenent os in ore ſuo & maſtigant, tamdiu tacent & neſciunt latrare. Sic & epiſcopi, quamdiu ipſi hoc dulce os delectabilium divitiarum habent, tunc numquam bene ſtabit in mundo: propter hoc omnes reges, principes, domini & civitates facerent unum magnum opus miſericordiæ, quod ipſi ab eis hoc dulce os divitiarum reciperent ex eorum collo, & non reſpicerent an propter hoc provocarentur, ſicut canis quando ab eo capitur os. Et propterea nobiles reges, principes, domini, civitates imperiales & communitates omnes divites & pauperes, ſi dormiviſtis, expergiſcimini, & aperite oculos veſtros, & aſpicite aſtutiam diaboli, quomodo ipſe obcœcavit eccleſiam Romanam. Et recipite quod veſtrum eſt, & non eorum. Et quando vos vultis facere unam bonam memoriam animarum veſtrarum, tunc facite ſicut ſapiens Salomon dicit in lib. Eccli 19. cap. *Abſconde eleemoſynam*, &c.

SEXTUS ARTICULUS. Quod ipſi ſunt pleni ſuperbia & alti animi: quod manifeſte videtur & cognoſcitur in eorum longis & pretioſis veſtibus, in eo quod ipſi valde diſſimiliter ambulant Chriſto Domino noſtro, qui habuit veſtem inconſutilem; & beato Johanni Baptiſtæ, qui habuit pallium de capillis camelorum. Et ipſi volunt laudari, & venerari, & prædicant, & dicunt quod ſacerdotium debet honorari, & hoc eſt bene licitum. Sed nullus eſt qui tantum ſcandalizet, & vilipendat ſicut ipſimet cum malis operationibus ſuis, & mutationibus, & malis verbis, in quibus alios homines præcedunt. Paulus dicit: *Preſbyteri qui bene præſunt, honorentur duplici honore, maxime qui laborant in verbo & doctrina Domini.* Cogitate quia dicit: *qui bene præſunt.*

SEPTIMUS ARTICULUS. Quod ipſi ſunt avari a maximo uſque ad minimum, & propter avaritiam ipſi prædicant multa inepte ficta, aperta mendacia, & vendunt ſancta ſacramenta, quod eſt magna hæreſis, quia Deus

mandavit gratis dari, S. Paulus ſcribit ad Titum 6. cap. *Avaritia eſt radix omnis mali, quam multi deſideraverunt, & propter hoc ſeparati ſunt a fide, & propter hoc veritatem dimiſerunt.*

OCTAVUS ARTICULUS. Quod ipſi ſunt communiter fornicatores notorii. Hoc videtur in eorum uxoribus & filiis, qui ambulant ſuper viam in conſpectu hominum; & multorum virorum uxores faciunt adulteras, ſeu eorum filias, vel virgines corrumpunt, & faciunt eas preſbyteriſſas & ribaldas, contra quod S. Paulus ad Rom. 2. & ad Gal. 6. & 1. Cor. 6. *Fornicatores non poſſidebunt regnum cælorum*, niſi ceſſent, & pœnituerint, & ſatisfecerint.

NONUS ARTICULUS. Quod ipſi impleti ſunt invidia diaboli, & ſpecialiter in omnibus monaſteriis habent invidiam inter ſe & odium magnum. Quia quando ad unum monaſterium datur vel diſponitur aliquid; tunc ſunt alii qui hoc odiunt & invident, & libentius ipſi non haberent, ſicut canes cum uni datur, & non alteri, & quando ipſe aliquid videt, tunc invidet ipſe, & potius per ſe devoraret. Propter hoc bene fit, quod ipſi redimantur a tam magno peccato invidiæ in nihil dando eis, & melius fieret quod acciperetur id quod habent; & adhuc melius faceretis, quod eos expelleretis totaliter, & diceretis ad eos id quod dominus dicit diſcipulis ſuis; *ite & prædicate evangelium omnibus hominibus.*

DECIMUS ARTICULUS eſt, quod ipſi ſunt otioſi & præſertim epiſcopi, canonici & alii prælati, qui non volunt laborare, cum diligentia in ſacra ſcriptura, cum qua ipſi poſſent curare matrem ſanctæ Chriſtianitatis, ad quam ſe alligaverunt, & panem eorum comedunt in otio: quia cum alii homines vigilant & laborant, ut nutriantur cum eorum pueris; tunc ſunt ipſi cum eorum prebyteriſſis, aut in otio ambulant in civitate, aliqui volucres ſuper manus portando, vel ad bonum vinum cum eorum uxoribus ſedendo, & cantant & luticiniſant & edunt de meliori, & omnes qui voluntarie apportant & donant illis, efficiuntur participes illius maledictionis quæ eis datur a Deo: quia ipſi comedunt panem eorum injuſte. De hoc dicit S. Paulus in epiſtola ad Theſſal. cap. 3. *qui non laborat, non manducet.*

UNDECIMUS ARTICULUS. Quia ipſi ſunt notorii mendaces, quia propter hoc, ut ipſi bene placeant hominibus, dicunt multas fabulas & figmenta, quæ in ſacra ſcriptura non habent fundamentum neque probationes. De talibus ſcribit Joh. in Apoc. 21.

DUODECIMUS ARTICULUS. Quia ipſi populo Chriſtiano non recte dant & miniſtrant ſacrum corpus Domini noſtri JESU CHRISTI, & non dant ſicut Chriſtus inſtituit & ordinavit & mandavit. Hoc eſt magnum diabolicum propoſitum, quod hoc audent facere. In hoc vellemus eos vincere teſtimoniis evangeliorum, papam & omne ejus ſacerdotium teſtimonio Matthæi, Marci, Lucæ & Pauli epiſt. 1. ad Cor. Et vellemus pati, ut hoc audirent reges, principes, domini, & omnes audire volentes.

TERTIUS DECIMUS ARTICULUS. Quando ipſi ſedent in judicio ſpirituali, tunc pluries ipſi judicant ſecundum favores, & non ſecundum divinam juſtitiam, & munera capiunt, adjudicando illis qui coram Deo injuſtam cauſam habent. Væ illis ſententiis, ſicut ſcribit Iſaias in 5. *Væ vobis qui dicitis bonum malum.*

DECIMUS QUARTUS ARTICULUS. Quando ipſi ſedent audiendo confeſſiones, & quando veniunt ad eos uſurarii, raptores, fures; tunc ſæpe ab eis capiunt dona de illis male acquiſitis, & parcunt ipſis, & patiuntur eos in civitatibus, & villis ſcienter. Et etiam idem de adulteris & aliis fornicatoribus manifeſtis, & a fornicatricibus munera capiunt & tacent, & non impediunt eos in eorum magnis peccatis. Ad hoc quod in eis impleatur ſcriptura quæ dicit: *Quomodo munera & amor qua trahunt ad infernum, & obcæcant oculos judicum*, &c.

QUINTUS DECIMUS ARTICULUS. Quod quando multis locis mutuant pecunias vel bona ad habendum cenſum vel uſuram in civitatibus & villis, præſtationes annuas & cenſus perpetuos habent, ſicut magni principes, & domini terræ. Et in hoc faciunt contra evangelium Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum*; Et hoc quod ipſi mutuant ad habendum cenſum & uſuras, contra hoc dicit Dominus in lib. Deuteronomii 24. *non fœnerabis fratri tuo.*

SEXTUS DECIMUS ARTICULUS eſt quod ipſi accipiunt decimas ab hominibus, & volunt illas habere de jure, & prædicant & dicunt, quod teneantur homines ad dandam decimam. Et in hoc ipſi dicunt falſe, & non poſſunt probare ex novo teſtamento. Sed in antiquo teſtamento fuit mandatum ad dandum decimas. Per hoc non poſſunt probare, quod Chriſtiani ad hoc obligentur: quia hoc præceptum veteris teſtamenti de decimis habuit finem in paſſione Domini noſtri JESU CHRISTI, ſicut præceptum circumciſionis finem habuit. Propter quod, dilectiſſimi, videte & conſiderate quomodo veſtri epiſcopi vos ſeducunt, & vobis oculos tenent cum non approbatis rebus, quia Dominus noſter JESUS CHRISTUS dicit Luc. 11. *Date eleemoſynam de his quæ ſuperſunt*, & non dicit date decimam de bonis quæ poſſidetis, ſed eleemoſynam. Et quando ipſi audiunt hoc verbum, poſſunt dicere id quod legiſperitus dixit Chriſto: *Magiſter cum hoc dicis, tu ſcandalizas.* Luc 11.

Vos honeſti, dilecti, providi domini, omnes ſupraſcriptos articulos volumus probare

contra papam & omne ejus ſacerdotium teſtimoniis ſacræ ſcripturæ hic non poſitis propter brevitatem, &c. Etiam diligenter notate quatuor puncta propter quæ pugnamus & deſideramus illa defendere uſque ad mortem.

Primum quod debent prohiberi impediri omnia peccata mortalia publica in preſbyteris laicis, ſecundum præceptum ſacræ ſcripturæ. Et hoc probatur multis teſtimoniis ſacræ ſcripturæ.

Secundum quod a papa & omni ejus ſacerdotio a maximo uſque ad minimum debent tolli divitiæ, & depauperari debent ſicut fuerunt pauperes diſcipuli Domini noſtri, qui non habuerunt proprium & poſſeſſiones in iſto mundo, & etiam non habuerunt potentiam mundanam.

Tertium verbum Dei debet eſſe liberum cuilibet ad hoc deputato & ordinato ad prædicandum & dicendum veritatem in omni loco quo pervenerit ſine reſiſtentia cujuſcumque, aut inhibitione ſpirituali, aut terrenæ poteſtatis aperte vel manifeſte.

Quartum, quod corpus & ſanguis Domini noſtri Jesu Christi debet tradi cuilibet Chriſtiano, ſicut Deus ordinavit, & ſicut ſancti evangeliſtæ ſcripſerunt.

Procopius, Synahors, Borando, Saviset, Sinolich capitanei Bohemiæ.

COPIA LITTERÆ

cujuſdam fratris ordinis Prædicatorum de Praga miſſæ priori conventui Prædicatorum Baſileenſium, &c.

Multos falſos rumores contra cœptum opus Ægræ fruſtra ſparſos fuiſſe, mandat mitti quantocius ſalvum conductum & hoſpitia ſibi & ſuis præparari. Aquarum inundationem Pragæ acciditſſe.

Ex mſ. regii collegii Navarræ.

DEbita recommendatione præmiſſa. Litteras concilii Baſileenſis, ſalvi conductus ſcilicet, cum epiſtola adjuncta nobis multum placida, grate cum noſtris ſæcularibus dominis ſuſcepimus, lætabunde in Domino Jesu, qui eſt ſpes noſtra, confidentes, quia qui cœpit opus bonum perficiet. Nuper auribus noſtris inſonuerunt novitates difficultatum cœpti operis, præmonſtrantes ut puta quod concilii pars magna nollet annuere quod per eos & nos erat ordinatum fieri in Ægra civitate. Sed jam videmus quod mentita eſt iniquitas ſibi. Veſtris etiam notifico paternitatibus, quomodo Sathan, cujus eſt ea quæ ſalutis deſtruere, moliebatur ſic & opus in dicta Ægra cœptum, per plures Bohemos ſpirituales & ſæculares impedire. Sed *Dominus cui mare & venti obediunt*, imperat, & ſpero quod plus imperabit, ut obmuteſcant, ſicut & jam obmuteſcere cœperant, digitum ori ſuo imponentes: Quapropter ſalvos (a) conductus juxta diſpoſitionem per nos & vos factam, ſine protelatione diſponere feſtinate, ut illis habitis, poſſimus in unum convenire, & caritativos vultus mutuo conſpicere, in domino quoque læti manentes, quæ diaboli ſunt deſtruere, evellere, & diſſipare; & quæ ſunt Domini Jesu ædificare & plantare, ut ſic eamus & in Baſilea juvante domino unanimes cum magnorum virorum inibi congregatorum [cœtu] miſceri populo Dei, vel ut dulcia poma in Bohemiam redeundo offeramus. Opto, noſtrique optant paternitates veſtras exorantes, ut de hoſpitiis honeſtis pro noſtris & noſtrorum perſonis curam habeatis. Novitates quæ occurrerunt his diebus veſtris reverentiis ſatis dolenter refero, ſic quod inundatione facta in regno noſtro, damna infinita ſunt facta, villæ multæ funditus deſtructæ, partes civitatum diſruptæ, pons Pragenſis civitatis, cui ſimilis in multis non fuit regnis, deſtructus, molendina omnia circum Pragam deſtructa, & alia innumerabilia mala illata fere per totum regnum. Multi etiam homines utriuſque ſexus cum pueris fuerunt ſubmerſi, cum ſubito factus ſit concurſus aquarum pernimius, immo a pleriſque viſus nec auditus. Hæc facta ſunt ſecunda fetia ante Magdalene, &c. [a]

(a) Conceſſus eſt ſalvus conductus a concilio 12. cal. Julii anno 1432. ac proinde hæc epiſtola quæ data eſt in feſto S. Mariæ Magdalenæ quæ in diem Julii 22. incidit, ad annum 1431. pertinet.

LITTERÆ CONVOCATIONIS

ſacro-ſancti concilii generalis Baſileenſis ex parte ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini Eugenii papæ IV. ſeu ejus locum tenentis, reverendiſſime in Chriſto patri domino noſtro, domino Reginaldo *de Carnoto Dei gratia Remenſi archiepiſcopo, directæ anno Domino* M. CCCCXXXI.

Anno 1431. 19. Septemb. Ex mſ. regii collegii Navarræ.

JUlianus miſeratione divina S. R. E. ſancti Angeli diaconus cardinalis, in Germania apoſtolicæ ſedis legatus, præſidenſque in ſacro concilio generali Baſileenſi, prælatique & ceteri in eodem concilio exiſtentes, reverendis in Chriſto patribus domino archiepiſcopo Remenſi & ejus ſuffraganeis ſalutem in Domino.

In eccleſia Dei ad hoc ſacra generalia concilia inſtituta ſunt, ut fidei veritas, * animorum concordia, ac puritas vitæ inter Chriſtianos ubique * debito ordine conſerventur. Sed cum hæc omnia per hæreſes, bella, & vitiorum illecebras turbari & impediri contingat, neceſſarium maxime eſt, ut in ſacris conciliis his tollendis ſumma cum diligentia provideatur. Et quoniam diebus noſtris, proh dolor! ſupra modum hæreſes & errores, bella, odia & contentiones, morum & vitæ diſſolutio, & divinorum præceptorum tranſ-

* *al.* unitas.

* *al.* undique

greſſio totam undique eccleſiam vexant ac deformant, & quaſi morbus contagioſus in dies magis augentur; ideo ſummo opere omnes Chriſti fideles eniti debent, ut tot ac tanta mala de medio eccleſiæ extirpentur. Profecto ſi undique Chriſtianam religionem conſideremus, ita ipſam multis contaminatam reperimus, ut in ea nec decor nec ſpecies eſſe videatur. Quæ enim regio, in qua vel hæreſes aut bella non vigeant? Quis autem locus aut patria, ubi plurima, quibus offenditur & irritaturDeus, quotidie non perpetrantur? Quam raræ & paucæ perſonæ ſunt, quæ niteant vitæ puritate qua decet?

2. Jam igitur ipſa eccleſia tot procellis undique commota eſt, a fundamentis pene concuſſa, ut ruinam minari videatur, niſi divina miſericordia ad nos oculos ſuæ pietatis convertat. quod ut facere dignetur, nos quorum pro ſacerdotali officio maxime intereſt, lingua & vita, prout oportet, Redemtorem noſtrum quotidie interpellare debemus, & quantum ſua gratia nobis conceſſerit, totis viribus laborare, ut adverſus tot peſtiferos morbos congrua remedia adhibeantur. Quicumque tot ac tantis calamitatibus eccleſiæ non compatitur, & quantum in ſe eſt, reipſa non ſuccurrerit, falſum quidem ſe inducit* Chriſtianum. Nam quomodo verus filius ille dicendus eſt, qui ſi videat patrem in mortis diſcrimine poſitum, & eum liberare poſſit, id negligat? dignus profecto hic eſſe videtur, ut non ſolum hereditate paterna, ſed etiam vita quam a patre conſecutus eſt, privari debeat. Hæc certe divina juſtitia timendum eſt ne merito faciat & nobis, ſi matrem noſtram eccleſiam, quam Dominus noſter Jesus Christus ſanguine ſuo in cruce propagavit, languentem innumeris ægritudinibus, & quaſi in extremo laborantem adjuvare utcumque poſſumus, diſſimulemus. niſi converſi fuerimus, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis. Ante igitur quam gladius ictum faciat, & ſagitta miſſa ſit, & vulnera infligantur, paremus ex adverſo ſcutum, muniamus nos clypeo, tueamur nos armis. Sed ubi contra gladium divinum, clypeus, ſcutum, aut arma ſatis idonea invenientur? Invenientur certe, & repente, ſi volumus, & idem ipſe qui gladium vibrat & arcum tendit, pro ſua uſitata clementia, hæc omnia miniſtrabit nobis. Arma autem noſtra, clypeus & ſcutum erunt ſanctæ orationes, erunt lacrymæ, erunt & ſancta opera, ac vita correcta & emendata. Convertamur ad ipſum, & ipſe convertetur ad nos. Qui noſter fuiſſet ſeveriſſimus judex, fiet ſtatim piiſſimus advocatus. Scit ultro miſereri, ſi, ut decet, verbis & opere veniam poſtulemus.

3. Pro hac igitur venia a Redemtore noſtro precibus & operibus impetranda, hoc ſacro-ſanctum Baſileenſe concilium auctoritate apoſtolica in Spiritu-ſancto modo congregatum eſt. Huc merito omnis Chriſtianæ religionis ſtatus confluere debet, ac cum omni diligentia laborare, ut tot monſtris hæreſium, bellorum, vitiorum tamdem cum gratia Dei finis imponatur. Propterea ut unanimi conſenſu per univerſos univerſali bono ſalubriter provideatur, decrevit hæc ſancta ſynodus non expectare, ut majores populi Chriſtiani cujuſcumque ſtatus huc ſe conferant; ſed ipſos in tanta totius Chriſtianitatis neceſſitate pro conſilio aut auxilio ad fidei Catholicæ defenſionem, ad pacem & concordiam in populo Chriſtiano componendam, ad vitæ ac morum cujuſlibet ſtatus reformationem, & divinorum præceptorum obſervantiam opportune importune interpellare. Domum ſanctæ matris eccleſiæ, in qua nos habitamus & vivimus, vehemens flamma ignis undique jam incipit devorare: ſi Chriſtiani ſumus, ſi cura nobis eſt propriæ ſalutis, non pigritemur amplius, afferamus aquam, extinguamus ignem, accurramus omnes, magni & parvi, nemo ſe excuſet, quia nulla, ubi de vita agitur, juſta eſt excuſatio. quilibet ferat opem, clamando etiam, ſi non poſſit aliter.

4. Quapropter veſtras paternitates hortamur & obſecramus in Domino Jesu Christo, ac noſtra auctoritate monemus & requirimus, in vim a quolibet veſtrum in ſui conſecratione præſtiti juramenti, & in virtute S. obedientiæ & ſub pœna excommunicationis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus quam primum commode poteritis, vos ad hoc ſacro-ſanctum concilium pro univerſali bono omnium Chriſti fidelium accedere debeatis. Quod ſi forſan corporale impedimentum ab itinere vos merito excuſet, volumus ut quilibet veſtrum quoſdam viros moribus & litteratura ornatos, de omni ſtatu veſtrarum eccleſiarum inſtructos, loco veſtri cum pleno mandato deſtinetis; idem ut prælati omnes exemti & non exemti, in veſtris diœceſibus conſtituti, capitulaque veſtrarum eccleſiarum cathedralium, quæ ſolita ſunt ad concilia convocari, faciant, noſtra ex parte requiratis & moneatis. Vos autem ſive a vobis mittendos efficaciter admonemus, ne huc pompoſe ac cum multa familia, ſed cum ea moderatione & honeſtate, quæ Viros exemplares decet, accedatis. Volumus ut has litteras ſine mora, vos venerabilis domine archiepiſcope, veſtris ſuffraganeis, capitulo veſtræ metropolitanæ, ac aliis veſtræ diœceſis prælatis exemtis & non exemtis; vos autem domini ſuffraganei, veſtrarum eccleſiarum capitulis & veſtrarum diœceſium prælatis exemtis & non exemtis inſinuare curetis; eoſque ad concilium noſtri auctoritate requirere, monere mandatis, urgere modo & forma præmiſſis. Datum Baſiliæ XIX. die Septembris, anno Domini MCCCCXXXI. indictione

* al. judicet.

IX. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Eugenii divina providentia papæ IV. anno primo.

Extant in alio mſ. codice ejuſdem bibliothecæ & in Aquicinctenſi ad univerſos archiepiſcopos & eorum ſuffraganeos concilii litteræ ejuſdem tenoris.

LITTERÆ

miſſæ capitulo Remenſi per dominum Reginaldum Remenſem archiepiſcopum & Franciæ cancellarium.

Concilium propter papæ mandatum non diſſolvendum, ſuadet ut ad illud mittant.

Anno 1431. Ex mſ. regii collegii Navarræ.

VEnerabiles fratres, amici cariſſimi, recepi litteras veſtras per latorem præſentium. Et quia materia in eis contenta tangebat concilii generalis factum, &c. volui quantum potui certificare eventum rei, videlicet, an propter mandatum domini noſtri papæ illud concilium diſſolvetur, vel ſi aſſiſtentes in eo perſeverarent in effectu. Scio pro vero quod ex voluntate domini noſtri papæ ad præſens non celebrabitur, nec in loco Baſileæ. Et ſcio quod jam ſtantes in ipſo concilio propter ipſum dominum noſtrum non diſſolvetur, nec mutabunt locum. Multos habent fautores, & credo firmiter quod obtinebunt. Nam imperator incluſive illius opinionis eſt, & faciet quod prælati ſui venient. Dux Mediolanenſis, dux Sabaudiæ mittunt ſuos prælatos. Pariſius concluſum eſt, quod prælati & ceteri ad quos pertinet, vadent, nec petunt excipi, niſi quatuor prælati, qui conſueverunt aſſiſtere conſilio eorum. Dominus dux Burgundiæ mittet. Spero quod in regreſſu noſtro rex mittet, & faciet notificare, ut prælati vadant. Et ego mittam procuratorem nomine meo. Nec volo ab ipſis excommunicari. Et ſic facietis, ſi mihi credatis. Sumus hic ex parte regis pro pace tractanda. Spero omne bonum; attamen quid faciemus non eſt concluſum, & per nuncium mihi miſſum a ſcabinis, vobis & ipſis ſcribam quid fecimus. Venerabiles fratres & amici cariſſimi, vos conſervet omnipotens Deus.

R. archiepiſcopus Remenſis, cancellarius Franciæ.

Superſcriptio erat:

Venerabilibus fratribus ac amicis cariſſimis præpoſito & capitulo eccleſiæ noſtræ Remenſis.

EPISTOLA CONCILII BASILEENSIS ad Carolum regem Francorum.

Concilia ad compeſcendas hæreſes, bella inter principes tollenda, & emendandos mores corruptos celebrari. Qua propter hortatur regem ut ſuos ad Baſileenſe concilium oratores mittat.

CHriſtianiſſimo & ſereniſſimo domino, domino KAROLO Dei gratia regi Francorum, JULIANUS miſeratione divina S. R. E. Sancti Angeli diaconus cardinalis, in Germania apoſtolicæ ſedis legatus, præſidenſque in ſacro concilio generali Baſileenſi, prælatique & ceteri in eodem concilio exiſtentes ſalutem in Domino ſempiternam. Anno 1431. 7. Octob. Ex mſ. regii collegii Navarræ.

In eccleſia Dei ad hoc ſacra generalia concilia inſtituta ſunt, ut fidei unitas, animorum concordia, ac puritas vitæ inter Chriſtianos ubique debito ordine conſerventur. Sed cum omnia per hæreſes, bella & vitiorum illecebras turbari & impediri contingat, neceſſarium maxime eſt, ut in ſacris conciliis his tollendis cum ſumma diligentia provideatur. Et quoniam diebus noſtris, proh dolor! ſupra modum hæreſes & errores, bella, odia & contentiones, morum ac diſſolutio vitæ & divinorum præceptorum tranſgreſſio totam undique eccleſiam vexant ac deformant, & quaſi morbus contagioſus in dies magis augentur; ideo ſummopere omnes Chriſti fideles eniti debent, ut tot & tanta mala de medio eccleſiæ exſtirpentur. Profecto ſi undique Chriſtianam religionem conſideremus, ita ipſam multis modis contaminatam reperimus, ut in ea nec decor, nec ſpecies eſſe videatur. Quæ enim regio eſt, in qua vel hæreſes aut bella non vigeant? Quis autem locus aut patria, ubi plurima quibus offenditur & irritatur Deus, quotidie non perpetrentur? Quam raræ & paucæ perſonæ ſunt, quæ ea niteant vitæ puritate qua decet? Quod præterea a paucis temporibus Chriſtianorum terras ac provincias Turci Sarraceni & alii infideles armis ſubjugaverunt & devaſtaverunt, quotidieque ſubjugare & devaſtare nitantur, quantam etiam utriuſque multitudinem continue in diverſis regionibus captivam ducant, quorum plerique credulam non ferentes ſervitutem, poſtea fidem abnegant: quantum proh dolor! noſtra Chriſtianitas propter indignationem fidelium, quibus Chriſtianorum diſcordia reſiſtere non permittit, jam ad anguſtum redacta ſit, ac quotidie anguſtetur, lacrymabile nimis eſt referre. Jam igitur ipſa eccleſia tot procellis undique commota eſt & a fundamentis concuſſa ut ruinam pene minari videatur, niſi divina miſericordia ad nos oculos ſuæ pietatis convertat, quod utinam facere dignetur. Nos quorum pro ſacerdotali officio

officio maxime intereſt, lingua & vita prout oportet redemtorem noſtrum quotidie interpellare decrevimus,& quantum ſua gratia nobis conceſſerit, totis viribus in hoc ſacro concilio laborare, ut adverſus tot peſtiferos morbos congrua remedia adhibeantur. Propterea ut unanimi conſenſu per univerſos univerſali bono ſalubriter provideatur, hoc ſacroſanctum Baſileenſe concilium auctoritate apoſtolica in Spiritu ſancto legitime congregatum decrevit non expectare, ut majores populi Chriſtiani utriuſque ſtatus huc ſe conferant; ſed ipſos in tanta totius Chriſtianitatis neceſſitate pro concilio & auxilio, ad fidei catholicæ defenſionem, ad pacem & concordiam in populo Chriſtiano componendam, ad vitæ & morum cujuſlibet ſtatus debitam reformationem opportune & importune convocare. Et quoniam inter alia hoc præcipue in præſenti concilio agitabitur, quemadmodum ſopitis guerris ac diſcordia, pax & tranquillitas in ſingulis regnis provinciiſque ſtatuatur. Cum etiam ad reſiſtendum hæreticis infidelibus Chriſtianitatem impugnantibus, eorumque armatam rabiem vi armorum comprimendam neceſſaria ſit regum & principum potentia, quam eis Deus conceſſit ad laudem bonorum, vindictam vero malorum, omnino expedire videtur, ut ipſorum regum & principum oratores de prædictis omnibus ſufficienter inſtructi, una nobiſcum in ipſo ſacro concilio interſint. Quapropter ſerenitatem veſtram per viſcera miſericordiæ Dei noſtri ex toto corde hortamur, deprecamur & obſecramus, ut aliquos inſignes viros habentes zelum domus Dei, & rerum agendarum experientiam, in omni ſtatu veſtro & regni veſtri plene inſtructos, ad hoc ſacratiſſimum concilium pro honore Dei, & quiete populi Chriſtiani, quam primum commode poteſt, deſtinare dignetur. Datum Baſileæ, &c.

Similis formæ in mſ. codice Aquicinctenſi eſt epiſtola ad ducem Burgundiæ data 22. Septemb. 1431.

EPISTOLA CONCILII BASILEENSIS ad univerſos Chriſticolas regni Franciæ.

Hortatur ad unionem & concordiam, ſuamque ad id operam omnem promittit.

Anno 1431. Ex mſ. illuſtriſſimi dom. Chauvelin.

SAcroſancta generalis ſynodus Baſileenſis in Spiritu ſancto legitime congregata univerſalem eccleſiam repræſentans, univerſis Chriſticolis regni Franciæ, nobis ſincere dilectis, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Etſi devotioni fidelium pretioſiſſimo Chriſti ſanguine redemtorum conveniat aſſiduis virtuoſis operationibus vacare, & piis orationibus divinam implorare clementiam pro ſua, ſuorum proximorum ſalute. Hæc ſiquidem ex radice caritatis, qua tenemur omnes Deum ſuper omnia, & proximos noſtros ſicut nos ipſos diligere, oriuntur. *Nemini*, præcipit apoſtolus, *quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis*; his tamen ſacris operibus amplius & amplius totis viribus incumbere neceſſe eſt, quo divina vindicta in peccatores iſtis infauſtis temporibus creviſſe occulta facie cernimus. Quis enim non videat flebilem eccleſiæ ſtatum, pleriſque in locis variis exortis erroribus, ſortilegiis, & variis ſuperſtitionibus; ita ut plurimi a ſinceritate ſacræ fidei deviaverunt, & Petri navicula horribili dejecta tempeſtate adverſis flatibus adeo concutitur, ut ruptis jam magna ex parte compagibus, vix ſibi paucæ admodum partes ſolide cohæreant. Iſti tamen periculoſo naufragio, quantum Spiritus ſanctus illuſtrare mentes dignatur, providere curamus. Veſtris orationibus, ſuffragiis, interceſſionibus ad tam arduum opus adjuvari per miſericordiam Dei noſtri poſtulamus. Operæ pretium ſiquidem eſt, ad divinam impetrandam miſericordiam, malos & indiſcretos mores deſerere. Nempe non eſt pretioſa laus Dei in ore peccatoris, & cum inimicus ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Et hoc eſt profecto radix & origo turbationum noſtrarum, & flagellorum divinitus in Chriſtianos immiſſorum. Sic enim teſtatur ſæpenumero divina hiſtoria, punitiones immitti ad punienda peccata, bella ſiquidem ſeu guerræ, diviſiones, ſeditiones regionum, & depopulationes, rapinæ, homicidia, &c. immania flagitia Deum teſtantur nobis iratum, & ex peccatis veſtris irritatum, quod per facile advertetis, ſi regni veſtri gloriam, opulentiam & omnium pene abundantiam poſſediſſe retroactis temporibus; nunc autem quid vobis acciderit ex mutuis diſcordiis, bellis inteſtinis, domeſticis familiaribus; quin immo & conſanguineis, quibus interna viſcera ſeſe uſque ad interemtionem inſanierunt, vos ipſi agnoſcitis. Non utique novum hoc accidiſſe cognovimus, ſatis ex litterarum monumentis cernere datum eſt, quoſnam exitus bella civilia & inteſtina ſoleant habere; quot regna, quot imperia, quantas urbes & provincias, quantos validos potentatus everterunt. Nulla enim potuerunt Romanos rerum atque orbis dominos ex ſummo faſtigio in has clades atque ruinas, quibus nunc premuntur, dejicere, quam civilium certaminum, ardentis furoris rata rabies, præceps atque irrefrenata temeritas. Sed præſtat remedia quærere, quam tam horrenda flagitia ex bellicis cladibus nimium, proh dolor! exorta divinare. In primis ſiquidem rixæ, contentiones, æmulationes & malivolentiæ a cordibus prorſus eradicandæ ſunt & eripiendæ. Ante omnia autem ca-

ritatem habete quæ eſt vinculum perfectionis. Deindeque divina ſuppliciter exoranda eſt clementia pro defunctorum peccatis remittendis, eorum potiſſime, a quibus ortum habuit tam noxia diſcordia. Sic etenim in divina confidimus miſeratione, quod piis interceſſionibus exoratus, flagella ſuæ iracundiæ immittere deſinet, quoniam non vult mortem peccatorum, ſed potius ut convertantur & vivant, facientibuſque quod in ſe eſt, adjutor adeſt propitius petitorum liberaliſſimus conceſſor. Hoc itaque præcipuum eſt, & niſibus totis amplectendum, ut rationibus hinc inde diſſimilis accedat mutuus amor. Nos vero de variis mundi regionibus in Spiritu-ſancto adunati ſynodaliter, noſtras operas & diligentias per vigiles ad tam ſacrum unionis & concordiæ [opus] unde regi & incolarum ejus, etiam regni principum & magnatum opus, adhibere præſtantiſſimis offerimus animis, nihil omittentes, quod tam ſacræ rei cognovimus expedire. Tantum vero ipſi diligentiſſimis operationibus ad hoc idem laborate. Neque enim immemores ſumus beneficiorum a veſtro Chriſtianiſſimo regno ſæpius eccleſiæ Dei impenſorum, quamobrem reddere vices decrevimus. Ad hoc enim congregati ſumus, ut exſtirpatis hæreſibus, dejectis perverſis credulitatibus, & emendatis fidelium hominibus, utriuſque ſtatus, eccleſiaſtici & ſæcularis pacem & concordiam [inter] reges denus, & regionibus pacatis, diſcordiis & diſſentionibus ſemotis. Exoramus autem divinam omnipotentiam, quatenus ad hæc ſalubria opera perficienda & conſequenda nos dirigere dignetur Altiſſimus, & corda fidelium ſua illuſtrare gratia ad hæc ſuſcipienda & ſanctis operationibus promerenda, quæ vobis & nobis annuat miſericors Deus, cujus pax exuperans omnem ſenſum cuſtodiat corda & intelligentias veſtras, & quietem dignetur in regno veſtro perenniter elargiri. Amen. Datum, &c.

EPISTOLA

concilii Baſileenſis, ad epiſcopos Germaniæ.

Mandat ut quam citius veniant ad concilium ſine pompa, & aliquos religioſos ad reformationem religioſorum idoneos venire jubeant.

Anno 1431. 7. Octobris. *Ex mſ. regii collegii Navarræ.*

JULIANUS miſeratione divina, &c. prælatique, &c. reverendo in Chriſto patri domino epiſcopo N. ſalutem in Domino, & mandatis noſtris firmiter obedire.

Cum in hac civitate Baſileenſi auctoritate apoſtolica ſacrum generale concilium in *Spiritu-ſancto congregatum ſit*, in quo præcipue de exſtirpandis hæreſibus, componenda pace in populo Chriſtiano, ac reformatione vitæ & morum utriuſque ſtatus, tam eccleſiaſtici quam ſæcularis, ſumma cum diligentia providendum erit; neceſſarium eſt, ut multitudo copioſa tam prælatorum quam aliarum nobilium perſonarum huc confluat, ut earum conſiliis & auxiliis hujuſmodi ſancta opera debitæ executioni mandari poſſint. Propterea omnibus archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis Germaniæ & aliarum partium, per noſtras litteras, ſub pœna excommunicationis, & in vim præſtiti juramenti in eorum conſecrationibus, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus, ceſſante corporali impedimento, perſonaliter ad prædictum concilium acceleraverint, alioquin ſuos mitterent ambaxiatores, moribus & ſcientia ornatos. Sed quia *omnis mora in hujuſmodi* jam neceſſaria proviſione eſt ſupra modum præjudicialis, & forſan a veſtro metropolitano litteras valde tarde præſentari contingeret. Ideo prædictum renovantes mandatum, præcipimus ſub eadem excommunicationis pœna, in vi præſtiti juramenti, & in virtute ſanctæ obedientiæ, quatenus a die præſentationis harum litterarum iter accipiatis, illud poſtea continuando ad hanc civitatem Baſileenſem. Et ſi forte corporale impedimentum *ab intimatione vos merito excuſet*, pro vobis aliquem vel aliquos moribus & litteratura ornatos, de omni ſtatu eccleſiæ veſtræ inſtructos, loco veſtri cum pleno mandato deſtinetis. Vos autem ſive mittendos a vobis efficaciter ammonemus, ne hic pompoſe ac cum multa familia, ſed cum ea moderatione & honeſtate, quæ viros exemplares decet, accedatis. Volumuſque & præcipiendo mandamus, ut has litteras ſine mora prælatis veſtræ diœceſis, exemtis & non exemtis, veſtræque *eccleſiæ capellano inſinuare curetis*, & eos qui ad concilium intereſſe vel venire tenentur, id facere noſtri auctoritate efficaciter jubeatis. Mandamus etiam ut omnes prælatos ſingularum regionum veſtrarum, civitatum & diœceſum convocetis auctoritate noſtra, & de qualibet religione eligatis duos vel ad minus unum prælatum vel ſubditum, meliores & doctiores ac magis inclinatos ad reformationem, qui loco omnium aliorum expenſis communibus veniant ad præfatum ſacroſanctum concilium, cauſa reformationis in prædictis religionibus faciendæ. Datum Baſileæ die ſeptima menſis, Octobris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo xxxi. indictione ix. pontificatus SS. in Chriſto patris & domini noſtri domini EUGENII divina providentia papæ IV. anno 1.

EPISTOLA

concilii Basileensis, ad abbates, præpositos, &c. diœceſis Basileensis.

Arguit eos quod ad concilium necdum acceſſerint, mandatque ut ad illud quam citius veniant.

Anno 1432. 7. Octobris. *Ex mſ. regii collegii Navarræ.*

JULIANUS miſeratione divina S. R. E. ſancti Angeli diaconus cardinalis, in Germania apoſtolicæ ſedis legatus, præſidenſque in ſacro concilio generali Basileensi, prælati & ceteri in eodem concilio exiſtentes, univerſis & ſingulis abbatibus, præpoſitis, ceteriſque collegiatarum eccleſiarum prælatis, exemtis & non exemtis, diœceſis Basileæ, ſalutem in Domino.

Ignorare aliqualiter non debetis, generale concilium celebrari hoc tempore inſtitutum eſſe in hac civitate Basileæ, pro cujus celebratione, nos qui ad præſidendum in eodem ſumus auctoritate apoſtolica deſtinati, jam diu vices gerentes noſtros deſtinavimus ad eamdem, & tandem nos ipſi perſonaliter advenimus. Et cum etiam de longinquis partibus ad celebrationem advenerint concilii memorati; mirandum ſatis eſſe videtur, vos qui propinquiores eſtis, nullatenus adveniſſe, nec vos noſtræ exhibuiſſe præſentiæ. Cui etiam tranſeunti pro reverentia ſanctæ ſedis apoſtolicæ, cujus vices gerimus, occurrere deberetis. Veſtram igitur tarditatem merito arguentes, unumquemque veſtrum, ſaltem eorum qui munus benedictionis acceperunt, monemus & exhortamur attente, ac in virtute ſanctæ obedientiæ & a quolibet veſtrum præſtiti juramenti, ac ſub pœna excommunicationis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus hucuſque ad diem ſabbati proxime ſequentem, quæ erit XIII. hujus menſis, ad noſtram præſentiam perſonaliter veniatis, ut certæ ſolemnitati, quæ pro cauſa dicti ſacri concilii die Dominica ſequenti fieri debet, intereſſe poſſitis, & deinde aliis in concilio, Spiritu ſancto dirigente, peragendis conſilium & operam, quatenus ad vos pertineat, exhibere. Datum Basileæ die VII. Octobris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo, indictione nona, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini EUGENII divina providentia papæ IV. anno I.

EPISTOLA

concilii Basileensis ad regem Poloniæ.

Hortatur eum ad pacem cum Wictrigaldo fratre ejus.

Anno 1432. *Ex mſ. regii collegii Navarræ.*

SEreniſſime princeps & illuſtriſſime domine, magno dolore affecti ſumus, cum primum audivimus inter ſerenitatem veſtram & illuſtrem principem dominum Wictrigaldum germanum veſtrum talem ſuſcitatam eſſe diſcordiam, ut alter alterum bellis impugnet, tum propter Chriſtianorum ſtrages, ac deſolationem patriæ, & infinita mala inde eventura; tum quia inter fratres uterinos tantum facinus agitur, apud quos jure ſanguinis idem velle & idem nolle in rebus omnibus eſſe deberet. Et ſi multum timenda ſunt damna quæ ex bellis naſci conſueverunt, non minus vereri debetis notam atque ignominiam, quæ ex fraterna diſcordia utrique accedet. Solent etiam hujuſmodi contentiones eſſe deteriores, majoraque inde produci odia, quo majus eſt ſanguinis vinculum. Nam omnis injuria quam alter alteri ex fratribus inſtat, tanto moleſtior eſt & acerbius pungit, quanto ab eo fit, a quo minus fieri debite alter exiſtimat. Auxit etiam doloris noſtri cauſam nefanda hæreſis Bohemorum, cum ad eam exſtirpandam veſtra ſerenitas bellis privatis occupata, intendere ſicut ſperabamus non poterit. Ipſi etiam hæretici ſentientes catholicos principes inter ſe diſſidere, audaciores & obſtinatiores in ſua perverſitate efficientur. Gaudebunt pro hoc veſtro diſſidio Tartari, Turci, & alii infideles vobis finitimi, cum audient populum Chriſtianum bellis agitari, & ſanguinem Chriſtianum effundi. At populus catholicus ſupra modum ubique triſtabitur, cum ſenſerit Chriſtianos principes & germanos fratres capitalibus inimicitiis ſeipſos perſequi, & patriam illam, in qua noviter ex idolis cultus veri Dei pullulavit, in prædam ac ruinam exponi. Quæ cauſa tanti odii eſſe poſſit, ut frater fratrem hoſtiliter invadat ignoramus. Sed hoc valde execrabile eſſe ſcimus, quod tam catholici principes in extremam jam provecti ætatem, ex eodem utero geniti, ita naturalis affectionis obliti ſint, ut alter alterius damna, infamiam ac exitium quærat. Si ſecundum ſententiam Salvatoris, qui fratri iraſcitur, reus eſt gehennæ; quæ illi pœna ſervabitur, qui in fratris vitam ſeu honorem machinatur? Quis jure vel injuria hoc agat, nobis non conſtat adhuc. Potius autem noſſe optamus quomodo ſopiri poſſit diſcordia, quam quis diſcordiæ ſit auctor. Hoc autem aſſerimus, quod qui veſtrum ſapientior eſt, quique juſtiorem ſuam cauſam putat, is honeſtius ac laudabilius fecerit, ſi oblitus injuriæ, fratri reconcilietur, & cum carne ſua in priſtinum amorem redeat. Ad quid bellum geritur? cujus vel victor vel conflictus, æque ſunt plena luctu. Qui fratrem bello ſuperaverit, habet potius unde fleat quam gaudeat. Quicquid mali in prælio uni accidit, cum eadem ſit caro, alteri etiam accidiſſe judicandum eſt. Et quoniam propter memoratas cauſas totius Chriſtianitatis intereſt, ut hujuſmodi fraterna diſſenſio penitus extinguatur: ideo hoc ſacroſanctum

concilium pro pace populi Christiani principaliter congregatum, ad hanc vestram dissentionem tollendam totis viribus laborare intendit. Propterea vestram serenitatem rogamus, ut causam & originem hujus guerræ ac discordiæ, & quicquid pro pace & concordia inter vos & germanum vestrum facere debeamus, quamprimum nobis significet. Laborare enim toto posse decrevimus pro his omnibus quæ ad pacem, quietem, & tranquillitatem vestram & dominiorum vestrorum quoquo modo pertinere videntur. Iterum autem rogamus atque consulimus, ut modum aliquem adhibere velitis, per quem prædictæ guerræ suspendantur. Nos autem per litteras vestras postea plene instructi curabimus, si opus erit, notabiles oratores destinare, qui pacem ac concordiam cum Dei adjutorio perficiant. Datum Basileæ, die XXI. Octobris, anno Domini MCCCC. XXXI. indictione IX. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Eugenii papæ IV. anno I.

LITTERA
missa per concilium religiosis Prutenis.

Hortatur eos ut studeant pacem componere inter regem Poloniæ & ducem Lituaniæ.

Ex mſ Aquiſ.

VEnerabiles & religiosi viri in Christo nobis dilectissimi. Non mediocriter mentes nostras afflixit rumor guerræ, quam inter serenissimum principem dominum WADISLAUM Poloniæ regem, & illustrem principem dominum SWITERGALDUM Lituaniæ ducem cœptam nuper audivimus, tum propter Christiani sanguinis effusionem, & innumera mala quæ inde sequentur, tum quia hæretici Bohemi sentientes principes catholicos inter se armis certare, in Christi fideles audaciores & in sua hæresi pertinaciores existent. Quanta hinc detrimenta fidei catholicæ & ecclesiæ Dei oriri possint, si hæc guerra, quæ nimis crudeliter inchoata esse asseritur, celeriter non extinguatur, nemo est qui non magnifice percipiat. Et quoniam inter alia in hoc sacratissimo concilio tractanda, hoc erit potissimum, quemadmodum firma pax ac concordia in Christiano populo componatur. Ideo tam ad prædictas guerras, quam alias ubique tollendas summo studio intendere volentes, scribimus utrique dictorum principum, admirantes ac dolentes, quod hujusmodi tam sæva dissentio inter ipsos germanos orta, exhortando ipsos ad pacem & fraternam caritatem, & ut nobis causam & originem ipsius guerræ, & quid per nos ad illam tollendam faciendum videretur, significent: eosque rogamus atque consulimus, ut interim aliquem modum adhibere procurent, & omnes offensiones hinc & inde suspendere. Postquam autem ab ipsis & a vobis plene de omnibus informati fuerimus, nostros notabiles ambassiatores ad pacem perficiendam illuc destinare; & ut omnia nobis melius constent de causis discordiæ ac remediis opportunis, hortamur vos, ut *serioſe tam ipſas cauſas quam remedia* necessaria per latorem præsentium quamprimum intimetis. Rogamus etiam & quanto efficacius possumus admonemus, ut pro viribus laboretis, quatenus omnis dissentio inter eos amputetur, ac vos pacis mediatores & amicos communes constituatis, & satisfacietis primo officio ecclesiastico & religiosæ vitæ vestræ, cujus maxime interest seminare pacem, procurare concordiam, & causas odiorum reprimere; providebitis fidei catholicæ & toti Christianitati, quæ ex hujusmodi guerra, si duratura sit, maximam jacturam omnino pateretur. Ipsos deinde principes & eorum subditos vestræ religioni pro tanta caritate in eos exhibita perpetuo obligabitis. Nam pacem & concordiam a vobis recognoscentes, tanti beneficii memores, ipsi & eorum posteritas vos semper diligent & honorabunt. Propterea hoc præcipuum debet esse vestrum officium, ut pro pace ipsorum principum omnem adhibentes diligentiam, ut ad eorum reconciliationem & mutuam caritatem summo studio intendatis. Quod opus utrique erit gratum & utile, Deo valde acceptum, & apud homines supramodum laudabile. Valete in Domino feliciter. Scriptum Basileæ, &c.

EPISTOLA CONCILII BASILEENSIS
ad Fridericum ducem Austriæ.

Hortatur eum ad pacem cum duce Burgundiæ, ut liber ſit prælatis ad concilium venientibus tranſitus.

JULIANUS, &c. prælatique & ceteri, &c. illustri principi FRIDERICO duci Austriæ salutem in Domino, & Christianæ fidei sanctæque Dei ecclesiæ velut princeps Catholicus opem ferre. *Anno 1431. Ex mſ. regii collegii Navarræ & Autiſſiodor.*

Instant necessitates quæque plurimæ populi Christiani, ut ad exstirpandum hæreses, quæ velut cancer pestifer Christianitatis corpus serpere & maculare nimium moliuntur; sedandum bella, quibus undique populus Christianus devastatur; pacem componendam, & mores in melius reformandos, generale concilium in multitudine prælatorum & aliorum virorum ad hoc prodesse valentium in Spiritu-sancto solemniter celebretur. Ad hoc hæc Basileensis civitas ex præcedentis concilii est electa decreto. Propterea nos ad ipsam convenimus civitatem, omne studium & sollicitudinem, quantum cum Deo possumus, adhibentes, ut de omnibus Christianitatis partibus ad ipsam civitatem ea conveniat multitudo, per quam tantis tamque difficilibus

congruum provisionis, Christi auxiliante gratia, possit adhiberi remedium, & salus publica procurari. Cum autem, rerum magistra experientia edocente, noverimus, immo ex se notum cunctis existat, huic tam salutifero operi impedimentum maximum provenire ex guerra, quæ in finibus & circumadjacentiis hujus civitatis inter vos & illustrem ducem Burgundiæ est paucis ante temporibus susceitata: unde ad hanc civitatem prælatis & aliis veniendi non est libera & quieta facultas, cum inter gentes armorum, quas uterque hinc inde tenetis, non sit transitus sine probabili metu: unde a veniendo ad hoc sacrum concilium plurimi retrahuntur, in maximum totius Christiani populi detrimentum, & perturbationem concilii memorati. Per viscera misericordiæ JESU CHRISTI, cujus res agenda est, vos quanto efficacius possumus, monemus, exhortamur, & instanter requirimus, quatinus inimicitias* cum dicto illustri duce Burgundiæ, quem consimiliter per alias nostras his similes litteras exhortamur, monemus & instanter requirimus, saltem pro tempore hujus concilii, & pro terris circumadjacentibus huic civitati, vos deponatis omni modo cum affectu ita & taliter, quod in omnibus convicinis & circumadjacentibus locis & terris huic civitati sit tutus, liber & pacificus transitus, & habitationis receptio, omnibus & singulis ad dictum concilium venire volentibus & recedentibus ab eodem. Quod si his nostris salubribus monitis pro tanta necessitate populi Christiani, justisque requisitionibus consensum non præbueritis & operam cum affectu, quod de tam Catholico principe non est aliqualiter sperandum; oportebit nos, licet invitos, contra vos tamquam perturbatorem & impeditorem sacri concilii generalis, & boni publici totius populi Christiani procedere juris remediis opportunis. Datum Basileæ, &c.

* al. ad incundas treugas.

A

B

C

D

EPISTOLA SIGISMUNDI IMPERATORIS ad ducem Burgundiæ.

Hortatur mandatque duci Burgundiæ, ut sic agat cum Austriæ duce, ut accedentibus ad concilium libera & tuta sit via.

Anno 1431. Ex mss. regii collegii Navarræ & A. quicinctensis.

ILlustris princeps, consanguinee carissime. Ex insinuatione reverendissimi in Christo patris domini JULIANI cardinalis legati & præsidentis, ac prælatorum in sacro concilio Basileensi congregatorum, amicorum nostrorum dilectorum percepimus, qualiter guerra inter tuam dilectionem & illustrem FRIDERICUM ducem Austriæ, principem & avunculum nostrum carissimum suborta, ipsi concilio permaxima incommoda inferatsita quod tam accedentes quam redeuntes vias in dispendioso perlustrent discrimine; immo plerique venire volentes, propter hujusmodi pericula se retrahant, jacturæ, ut humanum est, se submittere formidantes. Impediuntur etiam mercationes & victualium ad idem ductores; & ut mala quæ exinde proveniunt summatim perstringamus, ex ipsa guerra imminet quasi totalis dissolutio, quam Deus avertat, concilii memorati; de quo tanto vehementius perturbaremur, quanto ex ea, si fieret, nedum ipsi concilio, verum etiam tori Christianitati, quam repræsentat, calamitates proventuras conspiceremus & doleremus ex corde, si hæc res, cooperante Spiritu-sancto, feliciter prænunciata, tantisque exspectata temporibus, & pro exstirpatione hæresum & errorum, reformatione corruptorum undique morum, ac pacificatione sanctæ matris ecclesiæ & Christi fidelium præstolata, consummatione votiva frustrari deberet. Et quanta partibus diffidentibus, & ex hoc malum causantibus ingloria & improperium exinde succresceret, cum diceretur impetentes se se turbatores esse concilii, tantique boni, tu ipse recense. Et revera incuti vellemus hoc tuæ dilectioni, partique tibi adversæ adscribi debere. Ob quam rem apud præfatum ducem FRIDERICUM institimus una cum oratoribus concilii memorati, quod ipse, ut ad plenum confidimus, se acclinabit ad ea quæ sunt honestatis & debiti in hoc facto, prout ex oratoribus ipsius concilii, qui, ut credimus, in re ipsa illico ad te accedent, enucleatius concipere poterit dilectio tua. Adhortamur te, & monemus summopere desiderantes, ut ad prosecutionem hujus tam sanctæ rei te sic flectas, quod de impedimento seu negligentia ipsius non possis aliquatenus inculpari: immo fidelitati tuæ auctoritate Romana* regia omnino mandamus, quatenus ita solerter provideas disponasque, ut per te aut gentes subditosque tuos dicto concilio & ejus membris adeuntibus & recedentibus, ac etiam victualia, merces, aut res alias ad ipsum ducentibus, ipso durante concilio, nulla læsio rerum ac corporum aliqualiter inferatur, quemadmodum & ipsi duci FRIDERICO & universis imperii subditis pænaliter præcepimus. Age igitur, consanguinee carissime, in re ista salubriter, tamque opportune, prout necessitas facti requirit, ne umquam dici possit ex operatione tua aliquid sinistri præfato successisse concilio. Per hoc enim nobis complacebis gratissime, prout de te indubitanter confidimus, & ultra mercedem omnipotentis Dei, quam recepturus es, sanctæ matris ecclesiæ & sæculi favorem & gloriam tibi indubie cumulabis. Datum *Ffaltkreth* Curiensis diœcesis, anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo trigesimo primo, die XXX. Octobris, regnorum nostrorum Hungariæ, &c. XLIX. Romani XXII. & Bohemiæ XII. anno.

* *al. deest* Romana.

EPISTOLA EUGENII PAPÆ IV. ad Petrum archiepiſcopum Januenſem.

Diſſolvit concilium Baſileenſe, ac novum indicit Bononiæ, ad quod cum invitat.

Anno 1431. 18. Decemb. *Ex inſt. illuſtriſſimi domini Ch. Duvelin.*

EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri PETRO archiepiſcopo Januenſi ſalutem & apoſt. Ben.

Cum paſtorali officio, cui diſponente domino præſidemus, & ſedis apoſtolicæ auctoritate nihil magis convenire putaremus, quam tota mente incumbere & efficaciter B proſequi, ut perſonæ eccleſiaſticæ per ſemitam JESU CHRISTI incedentes, abjectis illecebris, cum ſinceritate religionis & fidei, vitam honeſtam ducerent, & Deo, prout profeſſi ſunt, ſeipſos veris affectibus dedicarent; dilecto filio noſtro JULIANO ſancti Angeli diacono cardinali ſedis apoſtolicæ legato, de venerabilium fratrum noſtrorum conſilio, per noſtras certi tenoris litteras dedimus in mandatis, ut ad civitatem Baſileenſem accederet, & ibidem, ſi prælatorum congregatio eſſet facta, noſtro & Romanæ eccleſiæ nomine præſideret, & in quantum in C eo eſſet, reformationem cleri, hæreſium exſtirpationem, ac pacem & ſalutem fidelium procuraret. Verum licet in propoſito conſtantes ſimus, tamen certis rationabilibus cauſis inducti, in cedula præſentibus interclusa denotatis, putantes concilii celebrationem neceſſariam eſſe, & ad longam dilationem protrahi non debere, de eorumdem fratrum conſilio, hujuſmodi concilium, ſi quod congregatum videatur, diſſolvendum, & in civitate noſtra Bononienſi uſque ad *annum cum dimidio*, a *die diſſolutionis* hujuſmodi computandum, celebrandum eſſe decernimus. Ideo fraternitati tuæ, quæ noſtram & ſedis prædictæ auctoritatem ejuſque conſervationem deſiderat, ſignificare volumus, ut eorum quæ in eccleſia eveniunt notitiam habeat, & ea etiam intercluſa cedula tuis ſuffraganeis ſignifices, quibus ac fraternitati tuæ, cum ad reformationem cleri, reductionem Græcorum, exſtirpationem hæreſum, ac pacem *fidelium concilia & aviſamenta* prælatorum maxime neceſſaria ſint, harum ſerie in virtute ſanctæ obedientiæ & præſtiti juramenti præcipimus & mandamus, ut ſtatuto tempore ad hujuſmodi concilium veniatis, cui, Deo auctore, perſonaliter præ- E ſidere intendimus: alioquin non venientium excuſationem, niſi infirmitate, aut gravi ſenectute oppreſſi fuerint, minime acceptabimus. Volumus inſuper, ut dictis tuis ſuffraganeis *etiam exemtis, ſi qui in* territorio tuæ juriſdictionis exiſtant, auctoritate noſtra præcipias, ut ad præfatum concilium ſtatuto termino accedant, ſuper qua re litteris exemtionis a ſede apoſtolica eiſdem A conceſſis non obſtantibus, & quibus in hac parte derogamus, plenam tenore præſentium eidem fraternitati tuæ concedimus facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ MCCCCXXXI. XV. calendas Januarii pontificatus noſtri anno I.

EPISTOLA archiepiſcopi Strigonienſis & aliorum Hungariæ prælatorum ad concilium.

Excuſant ſe quod in propria perſona ad concilium non poſſint accedere, certoſque faciunt patres de victoria in Bohemos reportata.

Anno 1433. 28. Decemb. *Ex inſt. Anguicianſi.*

REverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, univerſoque cœtui digniſſimo in ſacra ſynodo Baſileenſi conſtitutis, &c.

Reverendiſſimi patres, evangelicæque veritatis cultores eximii, viri ex omni gente in Sancto Spiritu vocati, obedientiam paratam cum debita reverentia & honore.

Inter cunctas noſtræ ſollicitudinis curas, quibus paſtorale officium nobis ex alto commiſſum exercendo lætamur, jocundamur, indeſinenterque affligimur, concutimur & turbamur, conſiderationis noſtræ intuitum, intra cordis noſtri arcana ſedula meditatione revolventes, ad ſacro-ſanctam Baſileenſem ſynodum, univerſalem eccleſiam repræſentantem, erigere curavimus ſtudioſe. Sane de celebri & glorioſa veſtra congregatione quantum lætitiæ & jocunditatis fervorem pro amœnæ tranquillitatis ſtatu ſanctæ eccleſiæ Dei noſtra præcordia conceperint, difficile poſſumus explicare ſermone, & tanto flagrantis amor caritatis in nobis exardeſcit, quanto veſtras inclytas dominationes divino munimine ſuffultas ad rædificandum Dei eccleſiam unicam ſuper petram divinitus fabricatam promtiores & in ſancto cœpto opere perſeverantiores audiemus, ne Petri navicula a modo in antea & deinceps procelloſis fluctibus agitetur, ne grex dominicus nunc fluido regimini ſubjectus, ex ſomnolentia & deſidioſa incuria paſtorum eccleſiæ, hæreticorum & tyrannorum & nonnullorum ambitioſorum per luſtra devia oberrantium *per improviſæ* moræ tædium in abyſſum damnabiliter deducatur. Quidnam deſiderabilius vita ſuperſtite, quid poſt funera glorioſius, patres digniſſimi, quam vineam ſabaoth unico & indubitato cultori vicario JESU CHRISTI mundi monarchæ divinitus commiſſam, non tam in membris quam in capite in unum reducere ovile, hæreſes potenter exſtirpare, principes pacificare Chriſtianos, & in clero ſotte Domini mores & virtutes ſeminare glorioſas? Certe hi ſunt actus nobiliſſimi hierarchici in ſacroſancta arca Domini noſtri boni Salvatoris, qui a quolibet orthodoxo & fideli Chriſticola ſunt ardenter amplectendi, nempe nos veſtris di-

gnis dominationibus toto cordis & mentis affectu in prædicta ſancta ſynodo Baſileenſi noſtra in perſona veluti ſacroſanctæ eccleſiæ filii obedientiæ & devoti alumni repræſentaſſemus, acta, facta, geſta, deliberata, & concluſa ac agenda, tractanda & concludenda promta & devota mentis alacritate humiliter recepturi; ſed res pungitiva amaritudinis veneno fideles Chriſti ſua contagione contaminans, nos undique affligit & perturbat; impietas videlicet filiorum ſatanæ & viperarum, hæreticorum Huſſitarum regni Bohemiæ contra ſanctam matrem eccleſiam ejuſque fideles oviculas, tamquam materni uteri corroſores, ſæviſſime inſultantium, qui de anno præſenti & menſe Octobri funiculos ſuæ ſævitiæ crudeliſſime extendentes, regnum Hungariæ manu armata, forti & terribili cum eorumdem Thabor, hoſtiliter clam & furibundo impetu invadendo ſanguinem multorum fidelium immaniſſime effundentes, pluribuſque miſerabili nece manu ſacrilega gladio peremtis, nonnullos manicis & compedibus ferreis ligatos in captivitatem abduxerunt. His dicti filii ſceleratiſſimi minime contenti, nos & quamplures eccleſias ſeu loca Deo dicata, bonaque noſtra, oppida, villas, poſſeſſiones, & decimas jam recollectas, & præſertim eccleſiæ Strigonienſis, fere omnino devaſtantes depopularunt, ſpoliarunt, & ignis voragine conſumſerunt; ſed pater miſericordiarum afflictionem ſui populi, ſanguinemque occiſorum ad ſe clamantium, & gemitus flebiles compeditorum, pupillorum, viduarum, & orphanorum, proh dolor! humiliatorum, dono gratuitæ pietatis ab alto proſpiciens, corda noſtrarum fidelium gentium compaſſionis amore accenſa miſericorditer erigere curavit: qui armis virtutis divinæ bonitatis præcincti, gravia pericula, & deflenda facinora deteſtendæ impietatis vindicare volentes, in virtute Altiſſimi confiſi, qui in ſe ſperantes non deſpicit, furioſam ſuperbiam hoſtium orbis univerſi ſtrenue ſunt aggreſſi, adeo viriliter certantes, quod eorum onuſtiſſimis curribus & vehiculis pluribus ſpoliis & rebus oneratis turpiter retrojectis, ſubſidiiſque peregriniſque penitus deficientibus, tutiora loca petere ſunt aſtricti. Ibi Hungarorum ſæviſſima jacula, multis gladio proſtratis, pluribuſque atrociter ſauciatis, diræ mortis pocula ipſis perfidis hæreticis ſæviſſime miniſtrarunt, ſicque viri ſanguinum virtute divina draconum faucibus concuſſi, venerunt ebrii, non tamen capita præda ſunt adipe pinguium ſaturati. Sed fama vulgata deferente, peſtiferæ impietatis ſuperba furia ſic, ut præmittitur, Deo volente, illuſa, fremens & dolens ſe eſſe deceptam, priſtinum ſpiritum elationis reaſſumens, carbones in nos reaccendere & toto poſſe gladio ultionis vindictam ſumere machinatur. Nos vero humilitatem noſtram, omniaque noſtra opera illius arbitrio, voluntati & piæ diſpoſitioni committimus, qui omni creaturæ de ſua liberalitate munifica dat eſſe & vivere prout vult, ſicut vult & quando vult. Ipſum tota mentis devotione flexo poplite obſecrantes & deprecantes, quatenus ſua immenſa clementia, nos a malis omnibus eripere, oveſque ſuas ſuo pretioſo ſanguine redemtas in pace optata collocare dignetur, ut tandem ſuæ redemtionis fructum ſalutiferum in nobis celerem ſentientes, ad cœleſtem curiam cum felici tripudio una nobiſcum pervenire mereantur. Præterea, patres & domini glorioſi, ſæviſſima Turcorum paganorum rabies ſacroſanctæ fidei catholicæ ac gregis dominici notoriorum æmulorum, in noſtrum & totius regni Hungariæ exterminium & ruinam tendentium, nunc in abſentia ſereniſſimi principis domini noſtri domini SIGISMUNDI Romanorum & Hungariæ, &c. regis, qui congregata multitudine copioſa Turcorum cum exercitu validiſſimo, fama publica volante, manu feroci regnum Hungariæ ſibi ipſis ſubjicere moliuntur, nos vehementer quorum horrenda formido tyrannide referta, totum regnum Hungariæ & regnicolas cum ingenti cordis acerbitate turbavit & graviſſime commovit. Et quia nos præmiſſorum hæreticorum & paganorum aculeis ſæviſſimis ſæpe ſæpius, divina permittente gratia, ſtimulamur; idcirco noſtros armigeros & ſtipendiarios diſponere, banderiaque (a) eccleſiarum noſtrarum, non parvis ſumtibus & expenſis erigere, perſonis etiam noſtris propriis minime parentes, ſed & loco & tempore occurrentibus nunc campeſtres, nunc ſilveſtres, nunc vero lutoſos tenemus deſcenſus, calores & frigora, imbres & pluvias, promta voluntate ſufferentes, ac noctes plerumque inſomnes, ut quietem aliis præparemus, in quorum quiete quieſcere deberemus patienter; tranſeuntes contra & adverſus dictos hæreticos & paganos, dextra Dei concedente, exurgere, & arma movere, defenſioniſque patriæ noſtræ naturalis obſtaculum nunc pro poſſe, omnibus noſtris viribus appoſitis, opportuna neceſſitudine ponere oportebit. Vos igitur, egregii & inclyti domini, ex premiſſis impedimenta diverſa mente acuta poteritis perſpicaciſſime conſiderare, propter quæ & nonnulla alia ardua negotia hujus regni Hungariæ humeris noſtris incumbentia, & impoſita, ſacroſanctam ſynodum adire nequimus. Cupientes tamen ab intimis ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ univerſalis veluti filii obedientiæ obedire mandatis, honorabilem Nicolaum in artibus magiſtrum archidiaconum Nitrienſem, & canonicum in eccleſia Strigonienſi, virum moribus & ſcientia ornatum, noſtrum certum nuncium miſſum &

(a) Banderia ſeu banda ſunt vexilla militaria.

procuratorem legitimum, ſufficiens mandatum noſtram abſentiam excuſandi habentem, quæ per eum fuerint facienda, gerenda pariter & agenda, ad dominationes veſtras tranſmittimus, qui præmiſſa impedimenta canonica, & nonnulla alia, clarius, diſtinctius & diffuſius coram veſtris dignis dominationibus proponet & allegabit; cui in dicendo, proponendo, allegando & referendo credulam fidem adhibere velitis, ipſumque benivole & benigne auditum cum expeditione optata, dataque ei licentia ad nos & ſuos proprios lares redeundi cum proſperis auſpiciis de veſtrarum dominationum ſpeciali benevolentia remeare. Nos vero veſtras præclaras & Deo devotas dominationes rogamus, & in domino exhortamur, quatenus per viſcera miſericordiæ domini noſtri JESU CHRISTI, cujus res per vos agitur, opus ſanctiſſimum per V. R. paternitates ad laudem & gloriam ſacroſanctæ univerſalis eccleſiæ & populi voluntarie & libere inchoatum, ad effectum deſideratum perducere non deſiſtatis, permaxime tamen ad exterminium & excidium hæreſis canceroſæ, nunc in regno Bohemiæ pernicioſe currentis laborando. Ipſa namque ſua contagione peſtifera multos fideles & quaſi innumerabilium pias mentes inficit & necat ſcandaloſe. Nos quippe magnæ ſpei fiduciam gerimus, patres orthodoxi & Deo amabiles Domini, ut per veſtra opera glorioſa ſalutaris conſequatur effectus, erroreſque & hæreſes eccleſiam Dei lacerantes & notorie ſcandala, pericula animarum & regnorum, ac terrarum deſolationes, depopulationes & devaſtationes parientes, cenſura veſtri judicii exterminabuntur, & niſi adhibita diligentia ſolerti, hæreſes, opprobria, blaſphemiæ hæreticorum Huſſitarum regni Bohemiæ prædictæ gladio materiali ſuccidantur, revera antiquæ & novæ pejores prioribus deteriori germine periculoſe ſuccreſcent. Amplectimini igitur domini & patres reverendiſſimi, hunc laborem ſalutiferum, quem opifex univerſi fœcunder & fructificet, taliter, ut orbis univerſus optatam pacem & ſacroſancta eccleſia in ſuo toto ambitu recuperet unitatem, voſque pro inquietiſſimis & officioſiſſimis laboribus, quos nullo gravati tædio, ad laudem Dei omnipotentis & ſuæ ſanctæ eccleſiæ ſuffertis, miſericordiam Altiſſimi & alia retributionum præmia, quæ glorioſus Deus bene operantibus præparavit, uberius conſequi, & vitam æternam poſſidere feliciter valeatis. Præſentes ſigillis noſtris annullatibus, quibus utimur, fecimus conſignari. Datum Strigonii die XXVIII. menſis Decembris MCCCCXXXI.

Sacroſanctæ univerſalis eccleſiæ & V. R. P. humiles & devoti GREGORIUS archiepiſcopus eccleſiæ Strigonienſis, PETRUS Agrienſis, CLEMENS Jaurienſis & SIMON Weſprimenſis eccleſiarum prælati, &c.

EPISTOLA G. SERRARII ad dominum de Anthima magnifici ducis Burgundiæ cancellarium.

Mittit ei concluſiones affixas Romæ in valvis palatii principis apoſtolorum, ſignificatque nativitatem primogeniti ducis Burgundiæ.

MAgnifice & inſignis domine mi metuendiſſime, humillima ſemper recommendatione præmiſſa. Anno 1431. 31. Decembris. *Ex mſ. regii collegii Navarræ.*

Pauca jam occurrunt veſtræ dominationi ſcribenda, niſi ea quæ ſequuntur, per magiſtrum Johannem *Bont* de Romana curia ad partes iſtas nuperrime miſſa, & illa ad veſtras paucas delicias duximus præſentance vobis ſcribenda.

SEQUUNTUR CONCLUSIONES poſitæ in valvis palatii principis apoſtolorum Romæ, Mercurii VIII. *Novembris, anno Domini* MCCCCXXXI.

CUm notorium ſit toti Chriſtianitati, quod a concilio Conſtantienſi citra indicibilis numerus Chriſtianorum à fide exorbitaverunt medio Huſſitarum, dietimque a corpore militantis eccleſiæ membra ſuccidunturt, nec eſt qui obviet vel ſuccurrat, aut qui conſoletur eam ex omnibus filiis quos genuit in Domino: Ideo duo ſereniſſimi principes Chriſtianitatis dolores maternos excipientes, infraſcriptas dirigunt & tranſmittunt principibus Chriſtianitatis concluſiones, ut pariter fidem defendant, viſas, dictas, & approbatas per certos excellentiſſimos tam ſacræ paginæ quam juris canonici & civilis doctores, quas in concilio generali celebrando juxta decretum concilii Conſtantienſis in proximo menſe Martii, contra omnem hominem contrarium aſſerentem profeſſi ſunt & ſponderunt defenſare.

PRIMA CONCLUSIO. Fides catholica adeo eſt privilegiata, quod eſt omni homini præferenda, ſic quod ob metum, amorem, favorem, aut gratiam cujuſcumque mortalis, quacumque præfulgeat dignitate, non debet obmitti quod ad exaltationem, ſalvationem, dilatationem; vel tuitionem ipſius noſcitur pertinere.

SECUNDA CONCLUSIO. Nedum eccleſiaſtici verum & ſæculares, & maxime principes, quibus datus eſt gladius ad faciendam vindictam in nationibus, poſſerenus adſtricti ſunt fidem Chriſtianam defenſare, aliter alieni a fide cenſendi ſunt.

TERTIA CONCLUSIO. Sicut hæreſes Novatiani, Arrii, Sabellii, Macedonii, Neſtorii, & aliorum hæreticorum per generalia concilia exſufflatæ fuerunt: ita neceſſe eſt pro eradicatione hæreſis Huſſitarum, concilium de menſe proximo Martii inevitabiliter celebrare.

QUARTA

QUARTA CONCLUSIO. Cum celebratio concilii generalis ſit medium neceſſarium exſtirpandi dictam hæreſim, quiſquis Chriſtianus ſecundum magis & minus obnoxius eſt promovere ſub pœna peccati mortalis celebrationem concilii generalis fiendam dicto tempore.

QUINTA CONCLUSIO. Ubi papa vel cardinales deſiſtant promovere, aut velint impedire celebrationem concilii generalis dicto tempore, fautores hæreſis ſunt cenſendi.

SEXTA CONCLUSIO. Ubi papa in proximo menſe Martii concilium generale per ſe aut alium ſeu alios ab eo deputatos non incipiat, quod præſentes tunc in concilio jure divino, ſicut ſunt obnoxii, ei primo obedientiam nomine totius Chriſtianitatis ſubtrahere, & omnes Chriſticolæ tenentur præſentibus in concilio generali parere.

SEPTIMA CONCLUSIO. Si appareat papam & cardinales nolle promovere concilium, aut impedire, ſeu nolle venire, ceſſante infirmitate vel captione, ex poteſtate concilio data a Deo, concilium contra non promoventes, vel impedientes, aut non venientes tenebitur procedere ad illius vel illorum privationem & depoſitionem ſummarie & de plano, & alias pœnas a jure ſtatutas contra fautores hæreſis.

Dictæ concluſiones hodie, quæ eſt octava Novembris, cum notario & teſtibus affiguntur ad duos fines.

Primus, ut ſint notæ papæ & collegio, & omnibus curialibus.

Secundus finis in concilio explicabitur & declarabitur.

Iſtæ ſunt mirabiles concluſiones, quæ, ut veriſimiliter creditur, emanarunt a duce Brigenſi, omnino a dictis Huſſitis deſtructo, & a marchione Brandeburgenſi, &, ut alii dicunt, a duce A. Auſtriæ. De aliis ſuperventibus novis veſtræ dominationi ſcribam diligenter, & ceteris occurrentibus, paratus in his & quibuſvis aliis modicis pro viribus meis ſervire, obſequi & complacere, prout teneor. Magnifice & inſignis domine mi metuendiſſime, Altiſſimus veſtrum celebrem ſtatum conſervare dignetur, & ad votum fœcundare. Scriptum Bruxellis die penultima Decembris.

Paulo poſt præſentium confectionem, domina mea metuendiſſima, domina duciſſa enixa eſt filium cunctis fidelibus Burgundis deſideratiſſimum: unde dominus meus metuendiſſimus, dominus & dux ſupra modum & numerum lætus exultavit, & tota Brabantia ac ſua gens & familia, cantans & replicans: Benedictus qui venit, &c. Iſta pro lætiſſimis & ſingularibus novis dominationi veſtræ ſignifico. Et peperit dicta domina mea primogenitum ejus filium, recte in puncto meridici dici prædicti penultimi Decembris, &c. Pro novis meis talibus & tantis caligas peto.

Veſter humillimus & obediens ſervitor G. Serrarii magnifico & inſigni domino, domino de Anthima domini ducis Burgundiæ cancellario domino meo metuendiſſimo.

Vet. Script. & Mon. ampl. Collect. Tom. VIII.

COPIA

quarumdam prætenſarum litterarum apoſtolicarum ſuper diſſolutione ſacri generalis concilii Baſileenſis, &c.

IN nomine Domini, amen. Quia dignum eſt & rationi congruum veritati teſtimonium perhibere, in his præcipue debet quicumque Catholicus incumbere, ubi ad ſtatum ſanctæ matris eccleſiæ & conditionem intenditur. Hinc eſt quod cum reverendus pater dominus DANIEL Dei & apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopus Parentinus, apoſtolicæ ſedis & domini noſtri papæ theſaurarius, & ad præſens commiſſarius apoſtolicus ad civitatem Baſileenſem deſtinatus, quaſdam litteras apoſtolicas vera bulla plumbea domini noſtri papæ in filis ſericiis rubei & crocei coloris, more Romanæ curiæ, bullatas, cum ſubſcriptionibus S. R. E. cardinalium manu propria ſubſcribentium roboratas, cum quodam inſignio in modum gyri & rotundi caracteris ſignatas, prout in ſimilibus eccleſiæ majoribus negotiis fieri ſolet, inferius per omnia tranſcriptas & copiatas, mihi Johanni de Ceparellis Pratenſi decretorum doctori, apoſtolica & imperiali auctoritatibus notario, tradiderit tranſcribendas, & cum ſuis ſolemnitatibus in formam publicam redigendas, mandatis dominationis ſuæ obtemperare cupiens per omnia, unà cum Nicolao Bovis preſbytero, & Nicolao de Mota notariis infraſcriptis, in præſentia teſtium & perſonarum fide dignarum teſtimonio ad hæc vocatorum ſpecialiter & rogatorum, coram præfato domino theſaurario & commiſſario prædicto collationem de verbo ad verbum de præſenti copia ad dictas bullas & litteras apoſtolicas fecimus diligenter, quarum quidem litterarum apoſtolicarum tenor per omnia ſequitur & eſt talis.

Anno 1431. 8. Januarii. *Ex mſſ. regiis collegii Navarræ, & Aquicinctinis.*

EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam alto & incomprehenſibili Deo conſtituimur reddere vota, &c. *ut apud Labbeum tom.* 12. *conc. pag.* 937. *ubi pro his verbis*, Clerum in diverſis mundi partibus reformatione indigere, *in mſ. legitur*: Univerſumque clerum, paucis admodum exceptis, incedere per tramitem peccatorum. *Item pro* ſollicitat quod tot malis, *in mſ.* ſollicitat quomodo tot malis. *Item pag.* 937. E. *poſt hæc verba*; Dum nulla ibi prælatorum con-

gregatio adhuc facta foret, *in mſ. additur*: Intervenerunt magnæ & neceſſariæ cauſæ, quibus obſtandum fuit Bohemicæ cladi, & ſaluti fidelium providendum: unde ipſe cardinalis, ſicut notorium eſt, pro conſervatione fidei in partibus illis magnis fuit exercitiis occupatus. Secuta demum occulto Dei judicio Catholicorum fuga. *Item linea ultima*, congregatione ſecuta, *mſ.* congregatione ſtatuta. *Pag.* 938. A. principatus guerræ, *mſ.* initi belli. *Ibid.* ſuper hæc omnia, &c. *mſ.* Hæc omnia verſantes animo, nec non etiam quia proximis diebus cariſſimus in Chriſto illuſtris filius JOHANNES PALÆOLOGUS C. P. imperator, & venerabilis frater noſter JOSEPH apud Græcos C. P. patriarcha, ſuum oratorem ad nos & venerabiles fratres noſtros S. R. E. cardinales tranſmiſerunt, qui nos requiſivit juxta* tractata per prædeceſſorem noſtrum cum conſilio ipſorum cardinalium, de quorum numero tunc eramus, pro unione Græcæ orientalis eccleſiæ cum Romana & univerſali eccleſia concilium in loco eis apto celebrari. unde nos ſecundum dictas conventiones & propter exſecutionem tanti boni, obtulimus pro adventuris Græcorum prælatis & oratoribus, pro tranſitu ad Italiam, & tranſitu ad Græciam, pro galeis & aliis neceſſariis impenſas opportunas. *Ibid.* E. Quo præfati patriarcha, &c. *mſ.* Promiſerunt itaque præfati imperator & patriarcha ſolemnes oratores ſuos tranſmittere, ſicuti ante notitiam obitus, &c. *Item ibid.* dimiſſis erroribus, reductam videri ad ritum Romanæ & univerſalis eccleſiæ, *mſ.* dimiſſo errore, unam fieri cum eccleſia Romana. Comprehendimus neceſſarium eſſe ad conveniens ſpatium temporis in Bononia generale concilium convocari. Quapropter ſi prælati de novo ad Baſileam vocarentur, quod convenire non poſſet ſine temporis intervallo, utrumque concilium fere uno tempore concurreret, & ſic utrumque minus auctoritatis haberet, nec prælati poſſent in utroque intereſſe. Unde pro commoditate prælatorum, nobis habeant convenire, & cauſis ſuperius declaratis, & aliis magnis urgentibus ſuis loco & tempore declarandis, majus bonum minori præponentes, præter concilium quod ſecundum ſtatuta ſynodi Conſtantienſis in decennio venit celebrandum, quodque in ipſo decennio in civitate noſtra Avenionenſi volumus celebrari, ex abundanti in civitate Bononiæ pro ipſorum Græcorum reductione, reformationeque cleri ac populi Chriſtiani, aliud generale concilium decrevimus convocare, & in eo intendimus perſonaliter præſidere apoſtolica auctoritate, & ſubſcriptorum fratrum noſtrorum JORDANI Sabinenſis, ANTONII Oſtienſis, HUGONIS Peneſtrini epiſcoporum, JOHANNIS tituli ſancti Laurentii in Lucina, ANTONII tituli ſancti Marcelli, JOH. tituli ſancti Sixti, FRANCISCI tituli S. Clementis, A ANGELOTI tituli ſancti Marci preſbyterorum, LUCIDI ſanctæ Mariæ in Coſmedin, & ARDECHINI SS. Coſmæ & Damiani diaconorum, ejuſdem eccleſiæ Romanæ cardinalium unanimi conſenſu indicimus & convocamus, ac præfatam ſynodum Baſileenſem, ſi quæ inibi congregata videatur, diſſolvimus & totaliter liberamus. Inſuper in nomine Chriſti Dei, ad cujus populi ſalutem totis affectibus aſpiramus, univerſis & ſingulis patriarchis & archiepiſcopis, epiſcopis, prælatis & clericis ad quos intereſt, ubicumque conſtitutis, indictionem & diſſolutionem prædictas, indictis & B diſſolutis prædictis declaramus & notificamus, ipſoſque requirimus & monemus in Domino JESU CHRISTO in vim præſtiti juramenti in conſecrationibus eorumdem, in virtute ſanctæ obedientiæ, & etiam apoſtolica auctoritate noſtra præcipimus & mandamus, ſub pœna excommunicationis & aliis pœnis juris, quatenus in anno uno cum dimidio a publicatione præſentium computando, ad præfatam civitatem Bononienſem pro hoc ſacroſancto concilio celebrando, & ſubſequenter in decennio in civitate Avenionenſi debeant convenire; quos omnes præſenti C ſcripto intendimus eſſe monitos, peremtorieque citatos, ac ſi eorum ſingulis directæ fuiſſent monitoriæ litteræ ſpeciales. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ diſſolutionis, liberationis, declarationis ac præceptionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem id attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & B. Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis dominicæ MCCCC XXXI. ſecundo idus Novembris, pontificatus D noſtri anno primo.

Sequuntur ſubſcriptiones cardinalium, ut apud Labb. in præcedenti bulla.

In cujus viſionis ac diligentis collationis & aliorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, ego Johannes de Caparellis decretorum doctor, apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, propria manu præſens hoc publicum inſtrumentum ſcripſi & ſubſcripſi, & tam notariatus ſolito meo ſigno, quam doctoratus ſigilli mei impreſſione ſignavi, & de præfati domini theſaurarii & commiſſarii apoſtolici prædicti mandato ſigilli majoris dignitatis ſuæ impreſſione munivi, ſub anno a nativitate E Domini MCCCCXXXII. menſis Januarii die VIII. præſentibus ibidem honorabilibus & diſcretis viris magiſtro Georgio de Gayeto ſacræ theologiæ doctore & preſbytero, Luca Liparelli cive & canonico Anconitano, & Johanne de Patavia dicto Johanne de Padua teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Hæc omnia in civitate Baſileenſi ſub anno, die, menſe prædictis, acta ſunt ſub pontificatu SS. in Chriſto patris ac domini noſtri, domini EUGENII divina providentia papæ IV. anno I.

tur, autoriſati opus, tanta cum ferventia inchoatum, nunc parvipendere, ſeu leviter ludibrioſeque deſertare? nihilominus tamen quidam Johannes de Prato alias de Cipparellis prætenſus decretorum doctor, nuper decem diebus nondum elapſis, quaſdam apoſtolicas litteras ſive bullas in fratrum Prædicatorum hujus loci conventu palam exhibuit, atque legit, diſſolutionem hujus ſacri concilii Baſileenſis, velut præterdit, continentes, fundatas falſis evidenter ex cauſis, ut aſſeritur, undecumque ſanctitati domini noſtri ſiniſtre ſuggeſtis, in eiſdem expreſſatis. Quarum quidem falſitas opportuno tempore legitime probari poterit atque clarius demonſtrari. Prætendens, ut creditur, quod propterea dictum ſacrum concilium Baſileenſe diſſolvi potuit, ſitque habendum pro diſſoluto, cum tamen minime credendum ſit, ſeu quovis modo præſumendum videatur, intentionis ſanctitatis domini noſtri papæ fuiſſe aut eſſe, ipſam ſynodum tam neceſſario ac legitime congregatam, &, ut præmittitur, autorizatam diſſolvi velle, niſi cauſis in dictis ſuæ ſanctitatis expreſſis cauſamque eidem ſuæ ſanctitati diſſolvendi præbentibus, veris exiſtentibus. Neque tunc facile, ut creditur, attentis ſcandalis atque periculis, quæ propter Huſſitarum vocationem, & tractatus ſupradictos taliter, ut præmittitur, pendentes, ulteriori ceſſante proſecutione, ſeu reſponſorum præſtolatione indubie naſcerentur. Propterea non eſt præſumendum, ſeu leviter credendum, quod dictus dominus noſter decretis & ordinationibus Conſtantienſis, cui ſua ſanctitas necnon reverendiſſimi cardinales intererant & approbabant, ac Senenſis conciliorum immemor, quicquam in præjudicium ſeu diſſolutionem præſentis Baſileenſis concilii decerneret attentari. Quorum decretorum altero in effectu cavetur, quod quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi papalis exiſtat, ſubjaceat concilio, & in iis quæ ad fidem ac generalem eccleſiæ Dei reformationem pertinent, obedire tenetur. Poſtquam igitur hoc ſacroſanctum Baſileenſe concilium, legitime, ut præmittitur, congregatum exiſtat, atque firmatum, agenſque cauſam fidei, ac eccleſiæ Dei reformationem, quomodo ſua ſanctitas in præmiſſis obediret concilio, ſi ſua diſſolutione, ne cauſa fidei agitari & eccleſia Dei reformari valeant, evidens impedimentum miniſtraret? Et eſto etiam quod dictus dominus noſter undecumque inſpiratus, vellet amplecti, quod abſit, rigorem, adeo quod præmiſſis minime ponderatis, hoc ſacrum concilium pro diſſoluto, & ad Bononiam cum tanto temporis diſpendio ſeu prorogato forſan habere voluit, accedat prohibitio alterius decreti dictorum conciliorum, quod incipit: *Frequens generalium conciliorum, &c.* quo inter cetera cavetur, ſi forte caſus aliquis occurrerit, quo neceſſarium videretur ipſum locum concilii mutari, puta obſidionis, guerrarum, peſtis aut ſimilis, tunc liceat ſummo pontifici de fratrum ſuorum, aut duarum partium eorumdem conſenſu atque ſubſcriptione, alium locum prius deputato viciniorem & aptum ſub eadem tamen natione ſubrogare. Si igitur ſubeſſet, prout minime ſubeſt, cauſa neceſſaria tranſlationis hujus concilii Baſileenſis, nequaquam de Baſilea Germanicæ ad Bononiam Italicæ nationis, obſtante decreto prædicto, poſſet transferri, nec decretum concilii Conſtantienſis præfatum, tradens Romano pontifici poteſtatem concilia ex cauſis prædictis transferendi, ſi bene inſpiciatur, comprehendit concilia firmata & inchoata, ſed potius inchoanda. pendente enim termino concilii congregandi, ſi locus pro ipſo congregando deputatus urgentibus cauſis neceſſario fuerit mutandus, tunc poterit alius eo modo quo præmittitur, per Romanum pontificem deputari, ſecus ubi concilium ſufficienti auctoritate legitime jam firmatum, & ſeſſionibus ac proceſſibus ſynodalibus actuatum & radicatum exiſtit, ut in caſu præſentis concilii. Tale namque non ſubjacet mutationi per Romanum pontificem abſque conſenſu concilii faciendæ. Sed Romanus pontifex juxta mentem primi decreti ſuperius annotati, obedire tenetur, non impedire. Quibus omnibus debite recenſitis, nequaquam præſumendum eſt, ſed credendum ſanctitatem domini noſtri papæ hoc ſacroſanctum Baſileenſe concilium cum tanto ſcandalo & periculo, ſic ex abrupto, præſertim falſis cauſis ſuæ ſanctitati quomodolibet inſtillatis, ut præmittitur, per ſuas litteras diſſolvere voluiſſe, aut pro diſſoluto habere. Attento etiam quod propterea ſua ſanctitas notam graviſſimam ac ſedis apoſtolicæ dedecus & ignominiam non minimam apud Chriſti fideles, utriuſque videlicet, eccleſiaſtici atque ſæcularis ſtatus perſonas irrevocabiliter, ut timetur, foret incurſura. Sentiens igitur me dicti Jo. de Prato & maxime ipſius incauta ac manifeſta litterarum prædictarum pro diſſolvendo præſenti concilio exhibitione, non mediocriter gravatum, timenſque in poſterum fortius poſſe gravari: ea propter a dictis prætenſis litteris, ſic, ut aſſeritur, exhibitis, atque lectis, ac ipſarum exhibitione, lectione, & ejuſdem concilii prætenſa diſſolutione, aut loci mutatione, ſalva ipſius nullitate, necnon a quibuſcumque prætenſis proceſſibus pœnalibus, & cenſuris eccleſiaſticis propterea forte fulminatis ſeu fulminandis, contra quoſcumque prolatis ſeu proferendis, quibuſve mandatis a quocumque, quamvis etiam domini noſtri papæ ſurrepticie informati, auctoritate emanatis, publicatis, ſeu publicandis quomodolibet in futurum, omnibuſque & ſingulis aliis gra-

vaminibus per quemcumque ad effectum prædictum quavis auctoritate illatis & inferendis, quæ semper colligi poterunt quomodolibet ex præmissis, ad sanctam sedem apostolicam & sanctitatem domini nostri papæ, ad ipsum de veritate rei gestæ melius atque clarius avisandum & informandum, vel saltem ad hoc sacrosanctum generale Basileense concilium pro me & mihi adhærentibus & adhærere volentibus in his scriptis provoco & appello, & apostolos peto instanter, instantius, & instantissime, unico contextu verborum, si quis sit, qui illos mihi dare velit aut potest, subiciens me ac omnes & singulos mihi adhærere volentes, tuitioni & protectioni sedis apostolicæ, & sacrosanctæ synodi Basileensis prædictarum. Protestor insuper quod hanc meam appellationem prosequi, ac omnibus quorum interest insinuare volo & intendo, locis & temporibus opportunis, salvo jure addendi, minuendi, corrigendi, mutandi, seu aliam vel alias appellationes interponendi totiens quotiens videbitur necessarium, seu quomodolibet expedire. Requirens vos notarium publicum hic præsentem, quatenus super hac mea appellatione omnibus & singulis præmissis unum, vel plura, conficiatis publicum seu publica instrumenta.

EPISTOLA CONCILII BASILEENSIS ad episcopum Noviomensem.

Illum capitulumque Noviomense invitat ad concilium, mittitque ei decreta ultimæ sessionis.

Anno 1432. 25. Januar. *Ex mss. illustrissimi viri Dominici Chauvelin.*

SAcrosancta synodus generalis Basileensis in Spiritu-sancto legitime congregata, universalem ecclesiam repræsentans, reverendo patri episcopo Noviomensi, salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Mirari satis non sufficimus, reverende pater, cur gressus vestros ad hoc præsens generale concilium nondum direxistis, cum tempus assignatum a sacro concilio Senensi de celebratione hujus Basileensis a pluribus mensibus inchoatum fuit, & jam per alias litteras nostras fueritis monitus, sub pœnis juris, & de longinquis regionibus prælati & diversi legati jampridem advenerint; nec opus fuerat alia vocatione, quam quæ decreta fuerat in generalibus synodis Constantiensi & Senensi. Præter juris pœnas, vos monere debent instantia pericula fidei & ecclesiæ, præsertim ex illa armata hæresi Hussitarum, longe lateque suas fimbrias & venenatas doctrinas dilatante, atquè ex pluribus rebellionibus magnarum Germaniæ civitatum contra suos prælatos & clerum; quibus maximis inconvenientibus una cum morum reformatione & Christianorum pacificatione opportuna remedia paramus atque disponimus, quod & vos facere ex dignitate suscepta incumbit. Quapropter ex superabundanti vos hortamur in visceribus Domini nostri Jesu Christi, & nihilominus mandamus, & districte sub debito juramenti & pœnis juris & excommunicationis latæ sententiæ præcipimus, quatenus celerrime, saltem infra viginti dies a die notificationis præsentium, iter arripiendo, & illud sine fraude continuando, ad præsentem generalem synodum accedere non obmittatis, (a) commonentes nostri ex parte vestrum capitulum, & alios vestræ diœcesis, qui de jure vel consuetudine ad sacrum generale concilium comparere aut mittere tenentur, quos & nos tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ, & sub præfatis pœnis monemus, quatenus ad hoc sacrum concilium compareant infra tempus prædictum, aut viros in scientia & moribus notabiles celeri gressu, & sine longiori dilatione, studeant destinare. Et ne diu moveamini quibusdam rumoribus contrariis, aut frivolis assertionibus, quæ utique subreptitiæ sunt, tenorem decretorum in ultima nostra sessione publicatorum vobis transmittimus. Præterea nostras litteras patentes universis Christi fidelibus directas, in vestris civitate & diœcesi publicare & notificare seu publicari & notificari, & notificum mandare velitis ad Dei laudem, suæ ecclesiæ & hujus sacri concilii exaltationem, errorum exstirpationem & fidelium in magnis calamitatibus proh dolor! existentium sublevamen. Ad quæ saluberrima opera vos dirigat Spiritus-sanctus, in cujus hic nomine convenimus. Datum Basileæ, &c.

Sub eadem forma, paucissimis verbis exceptis, reperio in mss. codice regii collegii Navarræ epistolam ad alios episcopos per concilium Basileense transmissam, datam Basileæ 23. Januarii.

EPISTOLA SIGISMUNDI regis Romanorum, ad concilium Basileense.

Gratulatur patribus, quod in concilii celebratione perseverent, suamque eis promittit protectionem, monetque eos scripsisse se ad papam & principes.

Anno 1432. 31. Januarii. *Ex mss. Aquicinctinis.*

REverendissimis in Christo patribus & dominis sacrosanctæ Basileensis synodi in Spiritu-sancto congregatæ, amicis nostris carissimis, ac grate & sincere dilectis.

Reverendissimi in Christo patres, amici carissimi, grate & sincere nobis dilecti, quamvis post exortam novitatem, quam sanctissimus dominus noster papa pridem per publicationem dissolutionis concilii Basileensis paravit, nos trinos nuncios ad ejusdem sancti-

(a) Eum tanquam regi necessarium, postea excusavit Johannes dux Belfordiæ, regni tunc pro rege Angliæ administer, uti & Morinensem Belvacensem & Parisiensem episcopos.

Et ego Nicolaus Bovis presbyter Laudunensis diœcesis, publicus imperiali auctoritate notarius, omnibus & singulis præmissis præsens fui, & cum prædicto Johanne de Cipparellis de hujusmodi copia ad dictas bullas in præsentia domini thesaurarii & testium præscriptorum, diligentem de verbo ad verbum collationem feci, ideo me subscripsi, & signum meum consuetum de hoc per dictum dominum thesaurarium requisitus posui in fidem & testimonium præmissorum, anno, mense, die, loco, & pontificatu prædictis.

Et ego Nicolaus de Mota clericus Ambianensis diœcesis, publicus, &c. *ut in præcedenti.*

LITTERA MISSA IMPERATORI per sacrum Basileense concilium.

Monent imperatorem de bulla dissolutionis per episcopum Parentinum allata, seque nihilominus in incæpto bono opere perseveraturos.

Anno 1432. *Ex ms. illustrissimi dom. Chancellarii & Agnicurtensis.*

SAcrosancta generalis Basileensis synodus in Spiritu-sancto legitime congregata, sereniſſimo atque invictiſſimo SIGISMUNDO Romanorum regi semper augusto, salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Sereniſſime rex, atque invictiſſime, noverit vestra Cæsarea celsitudo, nos cum ingenti mentium nostrarum jubilo vestras recepisse litteras gratiosiſſimas, quibus lucide perpendimus ferventiſſimum zelum, quem fidei orthodoxæ atque sanctæ matri ecclesiæ, nunc, proh dolor! nimium collapsæ per hæreticorum impugnationem, morum deformitatem, atque cladium bellicarum immanitatem, intimo corde geritis. Benedictus Deus, qui tam salubrem voluntatem immisit in cor regis, quique talem tantumque pugilem & advocatum ecclesiæ suæ sponsæ sibi paravit & conservavit. Verum, rex sereniſſime, opus est vestram Cæsaream majestatem accingi ad celebre sublevamen ecclesiæ Dei, & sacrosanctæ hujus sanctæ synodi generalis, quoniam inimici ejus multiplicati sunt. Quidam enim episcopus Parentinus SS. domini nostri summi pontificis assertus thesaurarius, quasdam prætensas litteras apostolicas dissolutionis dictæ sacræ synodi, ut accepimus, attulit, per quas præsens sacrum generale concilium nititur dissolvere, & novum in unum annum cum medio ad civitatem Bononiensem indicere, tametsi præfatus episcopus pluribus reverendis patribus oppositum paulo antea promiserit. Viderit augusta vestra majestas, quantum hæc dissolutio afferret nocumenti, nedum ecclesiæ Christi, sed & toti populo fideli, qui summam spem sublevationis a tantis tribulationibus & cladibus, quæ, heu! in tota Christianitate debacchantur, firmiter posuit. Sane hæc congregatio zelo ardentiori domus Dei accensa, dissolutioni huic viribus totis renititur, atque adjutore Deo & vestra Cæsarea majestate, remedia efficacia tantis calamitatibus perquirere studebit. Ea propter vestram præsentiam in hoc sacro concilio ex intimis cordis desiderat, ut sit coadjutrix exstirpationis hæresum, reformationis omnium ecclesiæ statuum, atque pacis & concordiæ Christianorum, veluti causa extitit unionis ejusdem in concilio Constantiensi. Supplicamus igitur sereniſſimæ vestræ majestati, quatenus dignetur avisari & concipere omnia remedia opportuna tam pestilenti cladi, & ea ad effectum usque deducere, quanto celerius fieri poterit, obsecrantes etiam celeriter & efficaciter illustri principi domino GUILLELMO duci Bavariæ, hujus sacri concilii vestra sacra ordinatione protectori, atque omnibus prælatis Germaniæ, per vestram serenitatem reſcribi pro celeriori ad hunc locum adventu, quoniam eorum præsentia est hic summe necessaria ad hoc sacrum opus Dei & suæ sanctæ ecclesiæ feliciter continuandum & consummandum. Super prædictis autem ambassiatam nostram ad regalem vestram majestatem in brevi destinare disponimus, & hic firmi & stabiles persistere intendimus totis viribus, procurantes bonum ecclesiæ & totius Christianitatis, quantum Deus ex alto concesserit, qui serenitatem vestram conservare & dirigere dignetur ad suæ sponsæ ecclesiæ salubria præstanda obsequia. Datum Basileæ, &c.

COPIA LITTERARUM scriptarum per concilium regibus Hispaniarum.

Ejusdem sunt tenoris cum epistola scripta ad regem Poloniæ edita apud Labb. tom. 12. concil. pag. 832.

EPISTOLA SIGISMUNDI Romanorum regis ad concilium.

Bullam de concilii dissolutione a papa acceptam eis mittit; hortatur ut nihilominus ab incepto bono opere non desistant.

Anno 1432. 10. Januar. *Ex ms. Aquicinctensi.*

REverendiſſimo in Christo patri domino J. cardinali S. Angeli præsidenti, venerandisque patribus prælatis, ac ceteris in sacro generali Basileensi concilio congregatis, amicis nostris cariſſimis & sincere grateque dilectis.

Reverendiſſime & venerandi in Christo patres, amici cariſſimi & sincere grateque dilecti, hodie recepimus bullam domini nostri papæ, notificantem nobis dissolutionem sacri Basileensis concilii, quam sua sanctitas hinc inde fecit per bullas suas publicari, cujus copias hic inclusas habetis, de qua re ul-

tra modum ſtupenda tanto amarius turbati A ſumus, quanto ex hujuſmodi diſſolutione, nedum innumera mala & pericula, quin immo totalis ſubverſio catholicæ fidei & alia diſcrimina ſunt indubie ſucceſſura, & non poſſumus continere dolorem & lacrymas, ſi ipſa ſacra ſynodus, quæ omnium imminentium diſcriminum eſt portus ſalutis, & multarum rerum fructuoſa inceptio, ſic vane & ſine ratione ſuo effectu ſicque periculoſe debet fruſtrari, & ſuper eo, ut in tempore provideatur, miſimus feſtinantiſſimè ad ſanctitatem domini noſtri litteras noſtras & inductiones opportunas, ut ſanctitas ſua protinus B remediare velit, & ea quæ facta ſunt illico revocare, quemadmodum copia legationis noſtræ ad ſanctitatem ſuam miſſa hic incluſa vos clarius edocebit; & ſperamus quod eadem ſanctitas, penſatis ſcandalis ex hujuſmodi diſſolutione provenientibus, quæ utique ignoravit, & nihilominus fructibus qui ſperantur, mentem ſuam mutabit & conventioni felici ipſius concilii paternos miniſtrabit favores, prout eamdem ſanctitatem, cum ſecum conſtituemur, ut in brevi ſperamus, clarius informabimus viva voce. Adhortamur ergo veſtras paternitates in Domi- C no noſtro Jesu Christo, cujus res agitur, ut nulla ſuggeſtione aut alio quovis modo diſſolvi velitis, ſed incepta feliciter proſequi & finire, firmam habentes fiduciam, quod ſanctitas domini noſtri aviſata clarius de conditionibus ipſarum rerum, ſi ſaltim non voluerit deſtructionem Chriſtianitatis, & notam indelebilem incurrere, illico aliter & ſalubriter providebit. Abſit enim, & iterum abſit, ut rem tanti ponderis & fidem tam inteſtine tangentis, valeat ſeu poſſit tam fa- D cilis irritare promotio, quoniam in brevi aliud ſentietis. Confortemini ergo & eſtote robuſti, quoniam ad continuationem ipſius ſacri concilii vobiſcum conſtanter & fideliter uſque ad mortem perſeverare volumus: quia ſic nos fides inſtruit, conſcientia noſtra admonet, & imminentia mala perurgent. Et quicquid ſuper illo decreveritis, nobis quantocius intimate: quoniam ſi tale concilium ſicut & præcedentia tam leviter ſine fructu & ratione deberet diſſolvi, in extinctionem totius Chriſtianiſmi, tæderet nos a modo vivere inter filios hominum, & revera mors E pretioſior in tantis deformitatibus vita eſſet. Providete ergo celeriter & cuſtodite Chriſtianitatis ſalutem, ut ſcitis. Datum Placentiæ die x. Januarii regnorum noſtrorum anno Hungariæ, &c. XLV. Romanorum XXII. & Bohemiæ XII.

Sigismundus Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. rex.

Ad mandatum domini regis
Gaspar Sligk.

COPIA BULLÆ DISSOLUTIONIS concilii miſſæ domino regi Romanorum.

Extat apud Labbeum, tom. 2. conc. pag. 940.

SEQUUNTUR AVISAMENTA per dictum dominum Romanorum regem domino noſtro papæ tranſmiſſa.

Extant apud Labbeum tom. 12. *conc. pag.* 956.

COPIA APPELLATIONIS *interjectæ per nonnullos dominos de concilio a domino papa ſuper diſſolutione concilii per dominum papam facta, &c.*

CUm appellationis remedium in relevamen indebite gravatorum ſalubriter inventum, a ſanctis patribus ſit rationabiliter inſtitutum, idcirco ego N. &c. animo appellandi & ad ſanctam ſedem apoſtolicam, vel ſaltem ſacroſanctam ſynodum Baſileenſem provocandi, propono & dico, quod quamquam in hac civitate Baſileenſi tam ordinationibus & decretis Conſtantienſis & Senenſis conciliorum, quam olim domini Martini V. & ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Eugenii IV. moderni Romanorum pontificum auctoritatibus, ac de expreſſis ipſorum mandatis generale concilium in Spiritu-ſancto, pro hæreſum exſtirpatione, morum reformatione, pacis quoque inter Chriſtianos reges & principes ceteroſque fideles reintegratione, legitime ſit congregatum atque firmatum, præfatum quoque ſacrum concilium jam manum ad aratrum miſerit, Bohemos ipſos, qui Huſſitæ vulgo nuncupantur, pridie cum omni manſuetudine ſub ſpe ſalubris reductionis eorumdem vocando, necnon cum illuſtri principe duce Burgundiæ & certorum militum & militarium ſocietate, tractando, nonnullaſque eiſdem militaribus proviſiones faciendo ad finem quatenus in eventum, in quem dicti Bohemi in ſua pertinacia, quod abſit, perſiſtere contingat, valido dirigente domino exercitu inſtituto, eoſdem manu forti reducere ſeu exterminare moliantur, ſingulique prædictorum & ipſi Bohemi ſperentur huic ſacro concilio Baſileenſi ſuper præmiſſis grata, quæ deſideranter expectat, reſponſa daturi. Adeo quod eadem ſynodus propterea, ſalvis aliis cauſis *prægnantibus, ceſſante ſaltim univerſali fidelium ſcandalo, ac totius eccleſiaſtici ſtatus gravi periculo, ſeſe quoviſmodo diſſolvendo retroſpicere nequit, prout nec debebit. Quid enim periculoſius, quidve ſcandaloſius, ſeu etiam, ut ita dicam, ridiculoſius, quam tam ſalubre laudabileque hujus concilii taliter, ut præſer-

Anno 1431. 17. Januar. *Exmſ. Aquiſtenſi & regii cadigit Navarre.*

* *ſ.* pragmatibus.

tatis suæ præsentiam pro revocatione illius & remediis necessariis, ad fomentum & confirmationem concilii facientibus, adhibendis, incontinenti miserimus, firmam habentes fiduciam, quod eadem sanctitas propositum suum mutabit, & ipsi concilio, quo nihil in republica Christiana sanctius, nihilque salubrius, paternos ministrabit favores. Tamen recepta heri V. P. littera, quodam immenso gaudio perfusi fuimus atque sumus, in tanto ut alacritas scriptorum vestrorum nobis mentis nostræ turbationem ex toto subrepserit, & nos præ dolore collapsos restituit ex eo, cum sentiamus vos huic periculo sissimæ dissolutioni totis velle reniti viribus, atque ad ejus concilii stabilimentum perquirere remedia opportuna. Et credimus indubie quod scripta nostra, quæ super illo vobis incontinenti transmisimus, jam vos certos reddiderint de diligentia & sollicitudine nostra, quam impendimus & impensuri sumus pro continuatione ipsius concilii usque ad mortem. De ea namque re stylum hic retrahimus, cum vos sufficienter prius informatos sentiamus; avisantes vos, quod iterum solemnes nostros oratores, prælatos & nobiles ad sanctitatis suæ conspectum promtos fecimus super re ipsa, & eorum vestigia illico subsequentur. Dispositi autem xx. die proximi mensis Februarii abhinc nos levare, directo tramite iter nostrum versus Urbem & ad sanctitatem suam directuri, apud quam, ut speramus, utique tantum faciemus, prout expedierit; quamquam arbitremur sanctitatem suam remediaturam ad prima scripta nostra, super quibus responsum quotidie præstolamur. Præterea ad desideria vestra scribimus fratribus nostris catholicis regibus & aliis, præcipue Almanniæ principibus & prælatis, ac illustri duci GUILLELMO, etiam trina serioſissima nostra scripta venient. Insuper incontinenti oratores filii nostri ducis Mediolani ad ipsum concilium, & multi Lombardiæ episcopi & prælati, qui jam ad iter sunt accincti, & ad reges Hispaniæ omnes notabiles nuncios nostros transmisimus, & dum ambassiata vestra quam missuri estis, ut scribitis, ad nos applicuerit, ipsam gratissime audiemus, & juxta ipsius consilia sedula mente intendemus ad singula quæ ipsis necessaria videbuntur. Rogamus ergo & requirimus, hortamurque P. V. in Domino nostro JESU CHRISTO, cujus res agitur, quatenus in constanti vestro proposito, quod Spiritus-sanctus cordibus vestris insudit, velitis firmiter perseverare, & agere ea continue quæ sunt pro bono ecclesiæ sanctæ Dei, certissimam habentes fiduciam, quod nos vobis & sacro concilio assistemus fideliter extremas usque ad vires, nec ab hoc voto nostro retrahere nos poterit nec debebit quicumque rerum eventus. Speramus quod sanctitas domini nostri papæ, auditis nostris persuasionibus & avisamentis sibi missis, similiter faciet, & tanto amplius quanto concilium persentiet esse intrepidum, quemadmodum V. P. in brevi, dante Domino, clarius describemus. Datum Placentiæ, die ultima Januarii, regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. XLV. Romanorum XXII. Bohemiæ XII.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. rex.

EPISTOLA

ducis Mediolanensis, ad concilium Basileense.

Monitos de proximo suorum episcoporum adventu, hortatur ut dissolutioni concilii non assentiantur.

SAcrosanctæ generali synodo Basileensi in Spiritu-sancto legitime congregatæ. Anno 1432. 1. Februarii. *Ex ms. Aquicinctensi.*

Reverendissimi in Christo patres & domini, quidquid agimus & acturi sumus pro sacro Basileensi concilio, ex debito fidei nostræ procedit, neque proinde nobis habendæ sunt gratiæ. Tenetur quisque catholicus princeps, tenemur & nos jure merito ita facere, & eo amplius quo majorem principatum Deus omnipotens pro sua pietate concessit.

Continebant, ut scribitis, præcedentes nostræ litteræ missuros nos esse oratores nostros, & insuper territorii nostri prælatos, ac daturos alia quæque præsidia. Eadem mens, idemque animus nobis est, eritque per singulos dies melior. Et postquam litteras hujusmodi vobis dedimus, omnis cura & diligentia versata est in accelerandis ipsis oratoribus ac prælatis: & ita factum est, ut jam omnes in procinctu veniendi sint, statimque habitis litteris vestris, magis atque magis acceleravimus iter eorum, & certi quidem reddimur quod in brevissimo spatio illic eos vobiscum habebitis, reverendissimum scilicet in Christo patrem dominum B. (a) sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopum, primum inter prælatos Italicæ nationis, quo nullum digniorem, nullum præstantiorem habemus, & cum eo duos insignes ac singulares viros. Id ergo vobis ita persuadere potestis, ut nihil certius habeatis. Sed cum res ipsa satis exigua sit ad quam tenemur ex debito, sicut diximus; cogitate vos ipsi quibus possimus modis aliter juvare concilium, quia non deficiemus in aliquo. Agitur de causa fidei periclitantis, de universo Christianitatis statu perturbato, de moribus reformandis, de pace fidelium, quibus in rebus non ea tantum quæ scimus & possumus, sed ipsam animam debemus omnes expo-

(a) Bartholomæum a Johanne XXIII. creatum anno 1414, & a Martino V. in concilio Constantiensi confirmatum.

nere. Commendabile igitur eſt, & judicio A noſtro ſanctiſſimum propoſitum quod habetis continuandi ac firmandi concilii, non aſſentiendi quærentibus illud ſolvere & differre. Et nos quidem hoc propoſitum veſtrum apud ſereniſſimum principem & dominum noſtrum dominum Romanorum regem, libenter juvare diſponimus, ac una cum majeſtate ſua cogitare, & in effectu ponere, ſicut ſcribitis, opportuna quæque remedia, ut ipſum concilium dictim amplius augeatur, & in rebus catholicis ac divinis meliores continuo ſucceſſus obtineat, in quo nihil dubitamus Deum ipſum adjutorem habere. B Certi etiam quod prælibatus dominus rex pro devotione & religione ejus maxima eidem concilio favoribus & juvaminibus ſuis ſemper aſſiſtet, nec aliqualiter ipſum diſſolvi patietur, cum maxime certificatus ſit, quod nec poteſt, nec debet diſſolvi de jure. Proſequamini igitur & vos dictum concilium bonis animis, neque rem tantæ ſanctitatis ac divinitatis deſtituatis ullatenus, ſicut nec vos deſtituturos aſſeritis, intendendo principaliter, ut officium veſtrum eſt, ad hæreſim exſtirpandam, ad honeſtatem & bonum eccleſiæ, ad reformandos pravos mores, & ad C pacem populi Chriſtiani. Quæ ſi diligenter & bene feceritis, æternam vobis gloriam comparabitis. Datum Mediolani die 1. Februarii MCCCCXXXII.

PHILIPPUS-MARIA-ANGELUS, dux Mediolani, &c. Papiæ, Angleriæ comes ac Januæ dominus.

EPISTOLA SIGISMUNDI
regis Romanorum, ad ſacrum concilium.

Scribit ſe nullum a ſummo pontifice accepiſſe reſponſum.

Anno 1132. 7. Februarii. *Ex mſ. Aquicinctinenſi.*

REverendiſſimo in Chriſto patri domino J. cardinali S. Angeli præſidenti, venerabilibuſque patribus in ſacro concilio, &c.

Reverendiſſimi in Chriſto patres, amici cariſſimi, ac grate & ſincere nobis dilecti. Omni die & de hora ad horam ſcripta noſtra & nuncios ad ſanctitatem domini noſtri papæ iteramus, & juxta exigentiam tantæ rei nedum opportune, verum etiam importune pulſamus, ut famam diſſolutionis ſacri Baſileenſis concilii omnino velit ſopire, & ad continuationem ipſius paternos impertiri fa- E vores, & non habendo reſponſum in admirationem vehementem perducimur, quænam cauſa adeſſe poſſit. Sed adviſati quod ſanctitas domini noſtri circumdata exiſtit aliquibus hominibus, ea quæ ſua non Chriſti ſunt quærentibus, timemus multum quod fortaſſis nedum noſtræ & veſtræ, ſed & aliorum pro concilio inſtantium litteræ taliter ſupprimantur. Et pro eo honorabilem magiſtrum Johannem de Monte canonicum Leodienſem, ſacræ paginæ magiſtrum, domini noſtri papæ cubicularium, qui jam de curia ad propria erat iturus, arreſtavimus, ipſumque conſtrinximus, quia eſt homo magnæ ſcientiæ, bonæ audacitatis & ſingularis domeſticitatis, cum eadem ſanctitate, ut ipſe eidem ſanctitati facta detegat ut ſe habent; qui incontinenti rediturus eſt ad eamdem ſanctitatem. Nec pro hoc omittemus quin perſeveranter ſemper cumulabimus apud ſanctitatem monita noſtra. Velitis ergo, amici cariſſimi, vos conſtanter tenere & agere diligenter ea quæ agenda ſunt pro bono eccleſiæ, quoniam nos taliter inſtabimus apud ſanctitatem domini noſtri, quod ipſe utique propoſitum ſuum, ut indubie ſperamus, in melius commutabit. Audivimus etiam quod oratores veſtri Jacobus de *Sirck* & Thomas *Fiene* officialis Pariſienſis, quos miſiſtis, aſſecutis aliquibus officiis in Romana curia, inibi demorentur. Et hæc vobis pro aviſamento intimanda duximus, ac oratores veſtros ſolemnes quos miſſuri eſtis, ut ſcribitis, eo magis acceleretis. Datum Placentiæ die VII. Februarii MCCCCXXXII.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex.

EPISTOLA
ducis Mediolanenſis, ad concilium Baſileenſe.

Laudat patrum zelum erga concilium, certoſque eos facit de proximo adventu prælatorum ſuorum.

SAcroſanctæ generali Baſileenſi ſynodo in Spiritu-ſancto legitime congregatæ, univerſalem eccleſiam repræſentanti. D

Anno 1431. 14. Februar. *Ex mſ. Aquicinctinenſi.*

Reverendiſſimi in Chriſto patres & domini præſtantiſſimi, non minori gaudio litteras veſtras vidimus, quam vos ipſi audiveritis, quæ venerabilis orator noſter dominus Franciſcus *de la Couce* retulit noſtri parte. Inſinuant enim litteræ ipſæ nobis firmam & irrevocabilem diſpoſitionem, quam habetis perſiſtendi in illo ſacro concilio; ardentem præterea affectionem veſtram omnia diligenter curandi & agendi, quæ poſſint in amplitudinem ejus tendere: quæ res ita nobis grata & acceptata eſt, ut nihil gratius, nihil acceptius audire poſſimus. Nam quemadmodum ad præſtandos ipſi concilio quoſcumque favores diſpoſitiſſimi ſumus, ut certe debemus, cum agatur de fide catholica & bono quorumcumque fidelium; ita juvat intelligere, quod idem animus eademque diſpoſitio vobis ſit, in quorum manibus præcipue conſtat ipſius concilii firmamentum. Precamur igitur & ſupplices exoramus omnipotentem Dominum

Dominum noſtrum, ut hoc ſanctum propoſitum veſtrum pro ſua clementia confirmare ac ſtabilire dignetur, & pro amplitudine illius benedicti concilii manus porrigat. Hortamur etiam ex abundanti vos, ut continuo ſitis ad incrementa ipſius concilii promtiores, & quandoquidem nihil eſt, in quo magis Deo placere & fidei prodeſſe poſſitis, omne veſtrum ſtudium, omnem curam, omnemque diligentiam huic ſancto operi apponatis. Nos enim oratores noſtros ac prælatos noſtri territorii acceleramus, ut requiritis, quantum poſſumus, jamque aliqui ex eis ſe commiſerunt itineri, & ceteri uſquequaque ſequuntur, brevique vobiſcum illic eos omnes habebitis. Si quid autem eſt aliud, quod apud ſereniſſimum dominum noſtrum regem, aut alibi pro ipſo concilio benefacere valeamus, id continuo faciemus, & ad hæc fidei præſidia pariter & ad alias divinas res in concilio illo tractandas, nos continuo promtiores habebitis. Neque pluribus modo agimus, cum jam ſatis bonam diſpoſitionem noſtram tam verbo quam litteris percipere debueritis, & magis quidem optamus affectionem noſtram vobis effectibus ipſis oſtendere. Datum Mediolani, die xiv. Februarii 1432.

PHILIPPUS MARIA-ANGELUS dux Mediolani, &c. Papiæ Angleriæque comes, ac Januæ dominus.

QUARTA LITTERA regis Romanorum, ad concilium.

Scribit ſe novos ad papam miſiſſe nuncios, a quo brevi reſponſum expectat.

Anno 1432. 10. Februar. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

REverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, ſacroſanctæ generali Baſileenſi ſynodo, &c.

Reverendiſſimi in Chriſto patres, amici cariſſimi, grate & ſincere nobis dilecti. Poſtquam litteras veſtrarum paternitatum haberemus per præſentium gerulum, ut earum effectum nobis placabilem revolveremus, attigerunt majeſtatem noſtram venerabiles viri oratores veſtri, per vos ad dominum noſtrum papam tranſmiſſi, quibus audientiam amplam gratiſſime dedimus, & ipſorum legationem quam nobis tam prudenter quam eleganter diſſeruerunt, lætanter audivimus, commendantes ea quæ ſanctitati domini noſtri nunciatis. Sunt enim magna & veritati evangelicæ conſona: ſed quia tam veſtra ſcripta, quam etiam oratorum veſtrorum propoſitio nos hortantur, ut ſcribere velimus regibus, principibus, prælatis, univerſitatibus, & aliis, ut ad ſacrum concilium confluant: ecce mittimus vobis hic annexas litteras tales quas juxta libitum deſtinetis; & ſi quæ non ſunt, ſciatis noſmet illas ſuper hujuſmodi materia tranſmiſiſſe. Miſimus enim jam dudum præcipue ad omnes reges Hiſpaniæ ſtrenuum militem noſtrum HUGONEM DE VILLAFRANÇA, & aliis hinc inde ſcripſimus juxta deſideria veſtra, nec deficiemus in aliquo quod conferre poterit ad proſecutionem hujus ſanctæ concilialis congregationis, in quo præſidium & ſalus tota Chriſtianorum dependet, & hodie iverunt ad dominum apoſtolicum ambaſſiatores noſtri ſolemnes, videlicet nobilis baro regni noſtri Bohemiæ Jo. *de Rozemberg*, ac honorabiles Benedictus Albarienſis præpoſitus, & magiſter Nicolaus *Seok* decretorum doctor, qui urgentiſſime ſanctitatem ſuam ſuper factis ſacri concilii debent requirere, & eidem ſanctitati aperte referre, quod majeſtas noſtra intendit penitus, eidem concilio adhærere uſque ad mortem, & nos quoque ipſorum veſtigia ſubſequemur illico, ad dandam operam ipſi concilio, cui revera rebus qualitercumque ſuccedentibus hic magis accommodi eſſe poterimus ad obviandum adverſantium conatibus callidis, & aliis quidem variis reſpectibus, quam in medio veſtri exiſtentes. Ubicumque enim ſumus, nihil aliud agimus nec acturi ſumus, quam id quod concernit proſecutionem ſacri concilii, & bonum ac commodum eccleſiæ ſanctæ Dei: intendentes ad hoc ſummopere, & ſperantes quod diſpoſitis rebus ad laudem Dei, ad vos quantocius revertemur, ob quas res V. P. obteſtamur, requirimus, & monemus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quatenus firmi in loco concilii perſiſtatis, intendentes ea quæ ſunt pro eccleſia ſancta Dei; & quicquid nos facturos volueritis, nobis frequenter ſcribite. Inſuper oratores illuſtris filii noſtri ducis Mediolanenſis jam ſunt in puncto, & prælati Lombardiæ omni die procedunt, ſic quod omnipotens Deus per ſuam clementiam rem ſuam quæ agitur proſpere felicitat, & ſuccedent jugiter in dies meliora.

Præterea, amici cariſſimi, dum hæc noſtra concluderentur, ſupervenit nobis ſcriptura nobilis ULRICI *de Rozemberg* baronis Bohemiæ Pontis, & fideliſſimi nobis, continens de geſtis Bohemorum, quid inter eos faciant, & quid partes illæ intendant. Cujus ſcripturæ & aliarum rerum copias miſimus illuſtri conſanguineo noſtro cariſſimo duci WILLELMO, ſacri concilii Baſileenſis protectori, veſtris paternitatibus noſtro nomine præſentandos, ex quibus nobis ſpes bona præbetur de reductione ipſorum. Sed quia iſta fama diſſolutionis ſacri concilii, ſi ad Bohemorum veniret notitiam, multa mala poſſet efficere, rogamus V. P. ut incontinenti ipſis Bohemis velitis ſcribere, & eis inſinuare quod ſacrum concilium ſit ſtabilitum & firmiter permanſurum, & litteras veſtras Egrenſes noſtri dum habuerint, incontinenti Pragam tranſmittent. quoniam illo audito, ipſi non deſiſtent in-

tendere ad missionem, quemadmodum hæc fama, si attingeret eos, faceret dissolutos. Et nos quoque scribimus præfato domino de *Rozemberg*, ut & nostri parte eos hoc modo confortet. Omnia quoque illa incontinenti domino nostro papæ transmisimus, ut videat quantum scandalum accresceret in his Bohemorum & aliis rebus, si concilium, quod absit, effectu suo deberet frustrati. Et ultimo avisati sumus hodie, qualiter dominus noster papa dominum SERVANDUM Lucensem episcopum, abbatem S. Justinæ de Padua, & quemdam nepotem domini cardinalis de Comite, ad nos miserit, qui infra dies IV. apud nos, ut fertur, debent constitui. Quibus auditis, vobis quasque res curabimus quantocius intimare: recommendantes vestris paternitatibus negotia Christianismi in Domino nostro JESU CHRISTO. Datum Placentiæ die XX. Februarii, regnorum anno Hungariæ, &c. XLV. Romanorum XXII. & Bohemiæ XII.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus, & Hungariæ ac Bohemiæ &c. rex.

EPISTOLA AMEDEI

ducis Sabaudiæ, ad concilium Basileense.

Suum patribus promittit auxilium, certosque eos facit de proximo suorum episcoporum adventu.

Anno 1432. 25. Februar. *Ex mss. Aquicinctens.*

REverendissimis reverendisque in Christo patribus ac ceteris venerabilibus viris, sacrosanctum generale concilium Basileense celebrantibus, amicis meis præstantissimis.

Reverendissimi reverendique patres & amici præstantissimi, litteras vestras per dilectos fideles consiliarios magistrum Philibertum de Rupe licentiatum in legibus, procuratorem meum in Romana curia, & dominum Petrum *de Gillarens* bacalaureum in decretis, canonicum Augustensem; alias etiam vestras litteras per egregium militem & doctorem dominum Baptistam Cigala regiæ majestatis consiliarium subsequenter ad me eventum mihi exhibitas acceptabiliter recepi, ipsorumque credentiam separatim vestri parte per eos mihi eleganter expositam audivi, regratians de honorabilibus oblationibus, deque aliis ingentibus affectibus, quibus erga me vestrarum spes mentium afficitur. Et quia, prout nostis, semper ad omne quod posset bono pro optimo exquiri concilii sacri & consummationis ejusdem hucusque me pro viribus exposui: ita & indubie, Deo auxiliante, geminatis affectibus, juvamina toto conatu quæ possibilia mihi fuerint præstabo, cum honestum licitumque nec Deo gratum videatur dari posse repugnantiam turbationemque operi tam sancto tamque divino atque laudando, in quo de fidei opere, hæresum exstirpatione, ac ecclesiæ militantis reformatione tractatur, deque sedanda principum guerra tam durissima adhuc regnante laboratur, proh dolor! unde per unumquemque debet requiri quod exstirpare & hæc sedare gratia possitis, prout affectatis, Spiritus-sancti. Præterea super exhortatione illustrium & magnificorum principum, parentum, vicinorum & benivolorum meorum per vos a me fieri postulata, id faciam ubi conveniens mihi videbitur. Et propterea destino in præsenti dictum procuratorem ad illustrissimum principem dominum ducem Burgundiæ nepotem meum carissimum, de præmissis eumdem informaturum, ad ipsumque inducendum & exhortandum ad summum bonum auxiliumque & consolationem tam necessariæ concilii hujusmodi celebrationis, ex qua inenarrabilia subsequutura sunt. Qui magister Philibertus, obtento ab ipso illustrissimo nepote meo responso, ex directo ad vos redibit, ejusdem responsum vobis relaturus. Quoad id quod in dictis litteris vestris describitur, videlicet quod in via ad sacrum concilium eundi sunt reverendi patres Tharentasiensis archiepiscopus compater noster, Maurianensis & Bellicensis episcopus, consiliarii mei carissimi, quorum eventum per actus suos si nondum sensistis, hoc fuit non ad tardandum eorum illuc adventum, causa ægritudinis ipsius Maurianensis episcopi, quem solum relinquere noluerunt. Tamen nisi jam illuc sint, sicut spero quod sint, denuo litteris meis & credentialiter in personam dicti domini Petri *de Gillarens* ipsos ad vos ire festino, prout idem dominus Petrus vobis latius referare poterit. Insuper, sicut nostis, dominus meus Romanorum rex auctor est & principalis operis hujus protector, in quo pendet id totum per quod hujus sacri concilii consummatio potest subsequi. Igitur frequenter advertatis & sollicitetis quod ipse qui habet posse, velle demonstret per effectum. Scriptum Thononii, die XXV. Februarii.

AMEDEUS dux Sabaudiæ, Chablaysii & Augustæ princeps, marchio in Italia, comes Pedemontium & Gebennensis, Valentinensis, & Diensis.

EPISTOLA PHILIPPI

DUCIS BURGUNDIÆ

ad concilium Basileense.

Gratias agit quod libertati Petri de Vaudrey & restitutioni pecuniæ per ducis Austriæ fautores interceptæ operam impenderint.

SAcrosanctæ generali Basileensi synodo concilium generale facienti, ecclesiamque militantem repræsentanti. Anno 1431. 26. Februar. *Ex mss. Aquicinctens.*

Reverendi patres ac venerabiles & præ-

clari receptis jocundanter veſtris glorioſis apicibus audivimus, quæ veſtri parte nobis eloquenter narraverunt egregii oratores veſtri, magiſter Johannes Pulcri-patris, in ſacra pagina, & Henricus Nitardus in jure canonico doctores eximii, ſuper quibus eiſdem, ut materiæ congruit, acceleratum dedimus vivæ vocis reſponſum, veſtris reverentiis noſtri parte referendis, offerentes eccleſiaſticæ commoditati ſactique concilii beneplacito ſemper obſequium poſſibile. Præterea, reverendi patres ac venerabiles & præclari, vobis regratiamur pro vitibus ex intimis, quoniam ad liberationem dilecti & fidelis ſervitoris noſtri & Pincernæ Petri *de Vaudrey* domicelli, ac certæ pecuniæ apud *Briſac* per ducis Auſtriæ FREDERICI fautores arreſtatæ veſtra bonitas generoſe laboravit, eamdemque bonitatem ſinceris affectibus deprecamur, quatenus cœptis ſuis laudabilibus inſiſtendo, velit operam efficacem impendere, ut totalis hujus rei expeditio ſubſequatur quam brevius, & in dicendis ſuper hoc noſtri parte oratoribus præfatis adhibere plenam fidem. Reverendi patres ac venerabiles ac præclari; bonorum cunctorum largitor veſtro cœtui aſſiſtat, & infundat gratiam uberrimam. Scriptum in villa noſtra Divionenſi XXVI. die Februarii.

PHILIPPUS dux Burgundiæ, Brabantiæ, & Lingburgiæ, comes Flandriæ, Artheſii, Burgundiæ Namurci, &c.
LIBERTI.

PROPOSITIO FACTA PER EPISCOPUM Lauſanenſem coram domino noſtro papa ex parte concilii Baſileenſis.

Ex mſ. Aspicitelleoſ.

BEatiſſime pater, antequam aliqua ex parte nos mittentium dicamus, Deum teſtamur & ejus ſanctos, quod quidquid dicturi ſumus, de mente eorum & noſtra procedit ex ſincero & bono corde, & ex zelo honoris divini, fidei orthodoxæ, univerſalis boni totius populi Chriſtiani, & honoris veſtræ ſanctitatis & ſedis apoſtolicæ, & pro introductione aſſumendorum aſſumo thema materiæ noſtræ congruum ex ſanctis litteris, quod ſcribitur originaliter Jeremiæ 31. tranſumtive per Matthæum evangeliſtam 2. cap. ſui evangelii, videlicet *vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus, &c.* Rama quæ ſecundum B. Jeronymum excelſa interpretatur, Dei eccleſiam ſignificat, quam nunc ſacrum concilium generale Baſileenſe, auctoritate apoſtolica in Spiritu-ſancto legitime congregatum, repræſentat. Quid enim excelſius eſſe poteſt, quam ſancta mater eccleſia, cujus fundamenta ſecundum David ſita ſunt in montibus ſanctis? profecto excelſum & ſublime culmen eſt, cujus fundamenta ſunt in montibus. Equidem tam altus eſt vertex eccleſiæ ſanctæ Dei, ut non ſolum cœlum ipſum attingat, ſed etiam tranſcendat, & uſque ad latus Domini noſtri JESU CHRISTI ſe extollat, unde ſanguis ille pretioſiſſimus prodiit, ex quo fundata eſt pariter & fœcundata atque ornata ſecundum illud: *Planavit eccleſiam ſanguine ſuo*, & illud Apocalypſis 1. *Qui dilexit nos & lavit a peccatis noſtris in ſanguine.* Hæc eſt profecto illa ſancta Jeruſalem, quam in Spiritu ſancto prophetico vidit Johannes evangeliſta de cœlo deſcendentem Apoc. 21. In Rama igitur, id eſt in ſancta matre eccleſia, vel ſacro ipſam repræſentante concilio audita eſt vox ploratus & ululatus, tantus ſtupor & admiratio, tam vehemens dolor & cruciatus, ut profecto numquam diebus noſtris auditus eſt ſimilis: non aliter quam ſi quædam pia & dulciſſima mater unicum haberet filium, qui ad mortem ægrotaret, pro cujus vita & ſalute procuranda omni diligentia & ſollicitudine medicum peritiſſimum advocaret, advocatum pater pueri de domo expelleret, & pueri ac filii ſui ſalutem impediret. O quanta amaritudine pia mater ploraret & ulularet, videns tam propinquam ſui unici & dilectiſſimi filii, quem propriis oculis lacrymabiliter intuetur, nullo alio ſibi remanente, per eum qui cauſa ſuæ ſalutis eſſe debuerat impediri. Magnus profecto dolor matri ineſſe debuerat ex vicina morte filii; major, ſi propinquum & immediatum auferetur remedium; & maximus, quia ab eo qui pari humanitatis officio & affectu debebat curæ pueri inſiſtere, ruminans illud David prophetæ *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi*, &c. Triſtabatur quidem mater de periculoſa morte filii, ſed certam ſpem & conſolationem accipiebat de peritia medici; firmiter credebat ſponſum ſuum patrem pueri medico occurrere, ipſum ſalutaribus monitis exhortabatur, dulciſſimis colloquiis honoribus & muneribus ad ſalutem pueri procurandam inclinare. Sed ecce ſpes in deſperationem, conſolatio in amaritudinem converſa eſt, & unde vita ſperabatur, inde mors ſequuta eſt. Sponſus in inimicum, pater in filicidam eſt mutatus. O mutatio, ſed non dextræ excelſi.

2. Sed numquid S. V. advertit, quorſum dicta ſunt iſta? Numquid conſiderat quæ eſt iſta mater flens, qui filius, qui pater, qui denique medicus, aut quæ exitialis infirmitas? Nonne mater ſancta & apoſtolica atque catholica eccleſia dicitur? Nonne filius quiſque fidelis in utero ſanctæ matris eccleſiæ fide & caritate conceptus, ac ex aqua & Spiritu-ſancto regeneratus, communione ſacrorum nutritus, & angelorum atque cœleſti pane refectus, paſtus & ſatiatus? Quis vero ſecundum hanc corruptibilem vitam & mortalem, ſponſus eccleſiæ & pater omnium

Christi fidelium dicitur, nisi vicarius Christi summus pontifex, quem Christus relinquens in terris loco sui ducem, patrem & pastorem omnium ovium suarum instituit & esse voluit dicens Joh. ultimo ter replicans: *Petre amas me? pasce oves meas*? Quis denique medicus sapiens atque peritissimus, curans omnem infirmitatem & omnem languorem sanctæ matris ecclesiæ filiorum, nisi sacrosanctum generale concilium, quod a Spiritu-sancto regitur, dirigitur & agitur, & per quod solitæ sunt sanari omnes ægritudines & vulnera fidelium, sanitas conservari, fortitudo & vires roborari, decor & pulchritudo augeri? Sacrorum enim conciliorum est & hæc causa celebrationis ipsorum, videlicet auctorizatio scripturarum, explicatio fidei, exstirpatio hæresum, ordinatio cleri, ritus & usus sacrorum, dispositio totius reipublicæ Christianæ, debita & conveniens ac moderata regulatio & gubernatio, denique expulsio vitiorum, reformatio morum, sublatio schismatum, & incredulorum reductio, pacificatio populorum, ab infidelibus defensio, bonorum exaltatio, depressio malorum, & quicquid boni, quicquid virtutis, quicquid pulcritudinis aut decoris est aut esse potest in tota ecclesia & republica Christianorum ab iis aut sumsit originem, aut confirmationem, aut perfectionem.

3. Horum auctoritatem præsidentia & assistentia Spiritus-sancti confirmat, & nisi ita credatur, omnino auctoritas ecclesiæ vacillabit. Si enim ubicumque duo vel tres in nomine Christi fuerint congregati, ibi in medio eorum se Christus adesse fatetur. Quanto magis si in nomine Christi ecclesia congregatur, assistet spiritus paraclitus, docens ipsam omnem veritatem, & non sinens eam deficere aut errare in his quæ necessaria sunt ad salutem? Horum excellentiam sacer apostolorum senatus corroborat, qui in pauco temporis spatio tria Jerosolymis celebraverit concilia, in primo Mathiam eligentes, in secundo diaconos septem statuentes, in tertio circumcisionis & ceremoniarum Mosaicæ legis cessationem indicentes, & in quarto, cui Paulus in Epheso præfuit, multitudo episcoporum regimen ecclesiæ ordinavit, quibus & Paulus ait: *Attendite vobis & universo gregi.* Horum auctoritatem sancti doctores mira devotione venerantur, & veluti quatuor sacra evangelia statuta & decreta quatuor principalium conciliorum a SS. papa Gregorio acceptantur & venerantur.

4. Sacra igitur synodus prædicta sedula & devota mente considerans, quanta sit generalium conciliorum auctoritas, quanta utilitas, & ex ipsorum frequenti celebratione, quantus fructus sequatur in ecclesia, & neglectus ipsorum quantum damnum inferat, statuit & decrevit per capitulum *Frequens*, ut a modo sacra generalia concilia in ecclesia frequententur. Præfato igitur decreto felicis recordationis Martinus papa V. post assumtionem suam in Constantia, volens satisfacere, sacro præfato concilio Constantiensi approbante, elegit Papiam pro loco concilii in quinquennium celebrandi. Quod & ibidem celebrari extitit inchoatum, & postmodum Senis continuatum & completum, in quo similiter juxta præfati Constantiensis decreti tenorem, pro loco concilii in septennium celebrandi fuit electa civitas Basileensis, in qua pro præsenti sacrum extat concilium legitime congregatum, legitime, inquam, tum ratione auctoritatis, tum ratione temporis, tum ratione loci, tum etiam ratione causæ & necessitatis. Ratione quidem auctoritatis, quia sacrorum conciliorum Constantiensis & Senensis auctoritate, felicis recordationis Martini papæ V. & triplici confirmatione V. S. Ratione temporis, quia in fine septennii, secundum statuta Constantiensis & Senensis conciliorum. Ratione loci, quia locus Basileensis est electus & deputatus per concilium Senense rite & legitime, secundum tenorem decreti Constantiensis, fuit ratificatus per Martinum V. & tandem tripliciter confirmatus per S. V. Et demum ratione necessitatis, quia propter reformationem morum, exstirpationem hæresum, utriusque status ecclesiæ pacificationem regnorum & totius populi Christiani. Secundum quæ attenditur multiplex infirmitas filiorum ecclesiæ, scilicet Christi fidelium, quæ eos vexat tam vehementer & graviter, ut ipsos ad syncopam, immo ad mortem, nisi eis succurratur & celeriter protrahat & perducat.

5. Quam periculosa enim sit infirmitas hæresis Hussitarum quis ignorat? quam lethali veneno fideles inficiat, quam subtiliter serpat, quam crudeliter vulneret, in quantum exterminium totius populi Christiani, & subversionem fidei catholicæ invigilet & laboret, quis non advertat? Hi enim omnium sceleratissimi, nomina contenti hæresi, omnium fere prædecessorum in unum hæreses conflaverunt, sacras ædes & divina templa destruunt, Domini nostri Jesu Christi & suæ gloriosæ matris ceterorumque sanctorum & sanctarum sacras ac venerabiles imagines confringunt, altaria dirimunt, sacramenta & præcipue divinæ Eucharistiæ, in quo verum corpus Domini nostri Jesu Christi & pretiosissimus sanguis, quo redemti sumus, & tota divinitas continentur, prophanis pedibus prosternunt; & quod abhorrendum est, non solum dictu, sed etiam cogitatu, in sanguine occisorum sacerdotum polluunt & conculcant, aliasque inexcogitatas injurias illi gloriosissimo sacramento ingerunt pariter & irrident. Insuper quantas crudelitates & inhumanitates in ministros & sacerdotes Domini exercent, cum humanæ aures au-

dire expaveſcant, commodius putavi tacendo pertranſire, quam horrorem piis auribus ingerere auditorum: quot enim miniſtrorum Dei oculis, naſo, lingua, auribus, naribus, digitis privaverunt? quot lapidibus obruerunt? quot fluminibus ſubmerſerunt? quot igne & flammis cremaverunt? Quot variis & innumeris cruciatibus peremerunt, potius dies deficeret, quam lugubris narratio. Et licet omnem ſtatum catholicorum impugnent, omnem ſexum perſequantur, omnem humanam politiam per civilitatem ſubvertant, tamen clericali & ſacerdotali caractere inſignitos truculentius perſequuntur, & quanto meliores ſunt, tanto crudelius in ipſos ſæviunt, non diſtinguentes gradum neque ſtatum, ſive Carthuſienſes fuerint, ſive alii monachi, ſive alias qualitercumque regulariter viventes. Quid autem ſanctimonialibus & Deo dicatis virginibus faciant exiſtimare poterit, quiſquis ad mentem reduxerit quid in Euchariſtiam attentare non verentur. Multa eſſent de hac miſerabili hæreſi dicenda, ſi tempus patereturr, quæ tam ſubtiliter & modo quodam imperceptibili mentes fidelium, clero nihilominus ex deformata vita occaſionem præſtante, inficit & pervertit, ut vix eſt, maxime ſimplicium, qui ſe ab ea valeat cuſtodire, niſi celeriter & ſine mora occurratur, in veritate factum eſt de ſtatu eccleſiæ & fide catholica.

6. Sunt etiam aliæ hæreſes in populo Chriſtiano, multæ ſuperſtitiones, & contra religionem Chriſtianam innumeræ obſervantiæ, quibus miſerabiles animæ, quia non eis ſuccurritur per paſtores, perierunt & damnantur. Eſt & alia infirmitas generalis totum populum Chriſtianum exterminans, & pene ad deſolationem ultimam deducens, & ad exitiale exterminium, videlicet guerra univerſa regna Chriſtianorum populorum depopulans & exſtinguens. Ecce chriſtianiſſimum regnum Francorum guerris & ſeditionibus pene exſtinctum remanſit: & nondum finis. Regnum etiam Angliæ, licet ab infra guerram non patiatur, nihilominus quotidie nobilibus & bonis ſpoliatur. Quis enim enumerare poteſt multitudinem nobilium & aliorum armatorum hominum de Anglia, qui in his guerris in Francia remanſerunt? Denique tota Italia fremit in armis; Germania tam intrinſeco, quam etiam Bohemorum gladio vaſtatur. Inter Poloniam, Lituaniam & Pruſſiam crudeliſſima parantur bella, niſi e vicino apponatur remedium, per quarum partium diſſidia caritatis facilis pateret ingreſſus. In promtu ſunt Hiſpaniarum regna ad conſligendum, & Hungariæ ac Cypri regna cotidianis Turcorum & aliorum infidelium patent inſultibus. Et, ut ſingula complectar, vix in Chriſtianitate patria aut civitas eſt, quæ non aliqua ex parte ſui ſtatus intus vel exterius perturbetur.

7. Eſt & alia infirmitas filiorum, quæ cauſa eſt omnium malorum prædictorum, videlicet difformitas ſtatus utriuſque populi Chriſtiani, & ſpecialiter clericorum, quorum luxus & pompa atque avaritia occaſionaliter omnes hæreſes inducit, guerras procurat, iram Dei provocat, in odium cleri populos concitat, & malo ipſorum exemplo univerſum laïcalem populum corrumpunt, ac per hoc merentur, ut in utroſque Dei ira atque vindicta deſæviat, nunc guerris, nunc peſtilentiis, nunc terræ motibus, aliiſque innumeris modis, quibus divina juſtitia novit punire delinquentes: quæ præcipue infirmitas niſi per Spiritum-ſanctum curetur, per reformationem, quam ſacrum intendit facere concilium, impoſſibilis eſt exſtirpatio hæreſum & pacificatio regnorum: quia manente cauſa, ſemper manebit effectus, &, ut dixit propheta: *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.*

8. Advertit-ne igitur S. V. pater beatiſſime, quæ eſt hæc mater tam miſerabiliter flens & ululans? quia ſancta & Catholica eccleſia. Quis filius ejus dilectiſſimus? quia quiſque fidelis. Quis ſponſus? quia ſummus pontifex, ſeu S. V. Quis medicus? quia generale concilium, cui Spiritus-ſanctus præſider. Quæ vero infirmitas? quia hæreſes multiplices, guerræ, & deformitates, quibus filii eccleſiæ multipliciter infirmantur pene uſque ad mortem. Si igitur matres illæ, a quarum uberibus Herodes rex impius filios necandos abſtraxit, magnum ploratum dederunt in Rama & ululatum, multo utique majores nunc eccleſia dat gemitus, videns filios ad mortem infirmari, & medicum ſibi ſubſtrahi, qui pro ſalute noſtrorum jam venerat, domumque non aliunde, ſed per oſtium & ſciente patre atque ſponſo, immo conſentiente & volente atque mandante, intraverat. Quod ſacrum Baſileenſe concilium legitima auctoritate, & te patre ſanctiſſimo volente & mandante, inchoatum eſt & firmatum. Conſolata ſiquidem paulo ante fuerat ſancta mater eccleſia, videns ſacrum generale concilium congregari. Sperabat & tenebat indubie per illud poſſe filiorum ſuorum ſalutem inveniri, nec aliud remedium tam efficax videbatur. Poſtquam enim hæc fama concilii per orbem diffuſa eſt, magni & parvi & omnis ſexus, omniſque ſtatus ineffabilem ſuſcepit lætitiam, expectans tot infirmitatibus & peſtiferis morbis ſalubriter provideri. Jam orationes & obſecrationes per ſingulas eccleſias fiebant, jejunia erant indicta, eleemoſynæ erogabantur, jubilabat orbis, & quaſi novus ſol in mundo ortus eſſe videbatur. Incipiebat pia mater eccleſia lugubria deponere, veſtes nuptiales induere, quia filios ſuos quaſi mortuos videbat reſuſcitare. Sed heu! heu! ecce jam gaudium in planctum vertitur, & cythara in luctum. Ecce eclipſatur ſol, & tenebræ apparent ſuper uni-

versam terram. Ecce ploratus & ululatus magnus. Sperabamus pacem & ecce turbatio. Sperabamus salutem, & ecce mors. Jam igitur deponere potest ecclesia vestes lætitiæ quas sumserat, & recipere lugubria : quoniam quidem filii sui, qui resuscitari videbantur, iterum moriuntur : & tanto magis ingemiscere potest, quanto per sponsum suum patrem filiorum, si verum sit, quod pene impossibile existimat, talia procurentur. Heu! cur non consideratur tanta infirmitas, quæ undique ecclesiam Dei vexat & usque ad mortem deducit? Qui ista non credunt, audiant quæ & quanta mala & pericula ex hujusmodi dissolutione sequantur.

9. In primis impediretur vel retardaretur exstirpatio hæresum, & præcipue Bohemicæ, quæ quantum sit periculosa & crudelis, quanta mala faciat in Christianitate, quam subtiliter serpat & interficiat fideles; in quanto periculo sit tota Almannia, & Anglia, & ceteræ iis circumvicinæ partes, profecto inexplicabilia & inenarrabilia mala sunt hæc, quibus nisi cito & indilate occurratur, fides, status ecclesiasticus, status principum & nobilium, & universa politia Christiana ultimo & exitiali exponuntur discrimini. Item, quoniam nullo convenientiori modo, ut videtur, potest prædicta hæresis exstirpari, tum propter assistentiam Spiritus-sancti, qui est director conciliorum tam in consiliis quam in agendis, tum propter generalem subventionem, quæ commode imponi non potest, sine omnium generali consensu, ut patet per decretum Constantiense, & patuit tempore MARTINI, cui multæ regiones & nationes contradixerunt, & noluerunt, prout ipse volebat, subvenire; nec est spes aliunde, attenta infirmitate & guerris quas passa est in principio sui pontificatus : attentis etiam guerris & divisionibus totius Christianitatis. Item, impediretur & prorogaretur reformatio morum, quod cederet in maximam offensam Dei, maximam damnationem animarum, & in maximum periculum status ecclesiastici, qui nisi reformetur, dato quod numquam esset hæresis Bohemica, propter difformitatem vitæ suæ clerus est in maximo & propinquo status sui periculo, præsertim in Almannia. Item, hoc cederet in maximam depressionem & vilipensionem auctoritatis & libertatis ecclesiasticæ : quia principes sæculares quanto plus viderent nos differre reformationem nostram, tanto plus nos haberent contemtui : & si usque nunc modicam habuerunt devotionem ad nos, contemserunt auctoritatem, vilipenderunt censuras & processus, depresserunt libertates & jurisdictiones ecclesiasticas; jam profecto totali contemtui, vilipendio & ludibrio atque prædæ exponeremur universi. Item, retardatio hujus concilii aut dissolutio, quod ad componendam pacem in toto populo Christiano est congregatum, esset fovere guerras & inimicitias, quæ ubique pene per totam Christianitatem crudelissime desæviunt, ut patet in regno Franciæ, & Angliæ, Almanniæ, Poloniæ, Italiæ, & vix in tota Christianitate est patria, quæ non laboret intus & extra guerris & divisionibus in maximum exterminium fidei, & totius populi Christiani; ex quo sequeretur maxima indignatio regum & principum & etiam populorum contra clerum, videndo se deseri & quasi sperni a clero, quasi non esset ei cura de exterminio ipsorum, & de desolatione populi Christiani. Item, retardatio hæc aut dissolutio cederet in maximam desperationem & tristitiam totius populi Christiani, qui jam maximum gaudium & spem conceperat ex congregatione hujus sacri concilii, in quo tot & tanta bona audiunt & perceperunt debere procurari, cujusmodi sunt exstirpatio hæresum, reformatio morum, & pacificatio populi Christiani.

10. Item, ex hoc adversarii fidei majorem assumerent audaciam, & facilius insicerent & impugnarent fideles. Timent enim nunc hanc sanctam congregationem, & multum dolent de ea, ut patet ex libellis famosis, quibus eam nituntur denigrari apud fideles. Item, plures principes, communitates, civitates & militares post turpem recessum & fugam exercitus fidelium a Bohemia in tractatibus cum Hussitis pro treugis, quæ jam in maximum præjudicium fidei fuissent conclusæ, nisi spe hujus concilii subnixi oculos ad ipsum habuissent, quo sublato aut dissoluto sine fructu, sine dilatione cum eis cogerentur facere trengas, quemadmodum & plures civitates fecerunt, ut Pluza, Egra & aliæ quam plurimæ dictum faciunt in maximum præjudicium fidei & cleri. Item, ex hac prorogatione tolletur spes cujuscumque alterius concilii celebrandi, attentis modis qui fuerunt in Papia & Senis, & qui tenentur nunc, & considerato loco in quo ad annum cum dimidio esset celebrandum, qui locus annuas & incessantes pestilentias patitur, populus satis infestus dominio ecclesiastico, & de facili ad rumores & seditiones mobilis. Necdum finis est guerrarum Italiæ, & ita dissoluto concilio sine fructu & cum scandalis innumeris, nulla spes remaneret de quocumque futuro concilio in maximum damnum, immo totalem desolationem & destructionem fidei, quæ per concilia conservatur, & populi Christiani. Item, prædicta prorogatio cederet in maximam denigrationem famæ S. V. quæ usque nunc apud universos Christicolas semper fuit habita sine macula & ruga; in maximum vituperium curiæ Romanæ, de qua confirmabitur opinio, quod ab ea procedant omnia mala & deformitates, & etiam in maximum damnum & intolerabile totius ecclesiæ.

11. Supplicamus igitur, pater beatiſſime, ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, cujus res agitur, devotiſſime obſecramus, quatenus matri tam pie flenti & ululanti compati, filioque tam graviter ægrotanti ſuccurrere ac taliter providere dignetur S. V. quod iſtud ſacrum generale concilium ad exſtirpationem hæreſium, reformationem morum, ac pacificationem populorum Chriſtianorum ſpecialiter, ut præfertur, congregatum, ſuum habeat votivum & felicem progreſſum ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, conſervationem fidei orthodoxæ, utilitatem eccleſiæ, & honorem veſtræ ſanctitatis, quam felicem & incolumem ſponſæ ſuæ diutius tueri dignetur omnipotens ipſe, qui vivit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum. Amen. Amen.

LITTERA

miſſa conſulibus civitatis Auguſtenſis.

Concilium a civitate Auguſtenſi auxilium & favorem petit.

Ex mſ. Aquicinct.

SAcroſancta ſynodus Baſileenſis, &c. honorabilibus viris, conſulibus, juratis civitatis Auguſtenſis, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Honorabiles viri, ſatis divulgatum eſſe apud vos & omnium Chriſtianorum religionem exiſtimamus, ſacram hanc ſynodum in hac civitate Baſileæ congregatam exiſtere, pro rebus eccleſiæ & omnium fidelium bene gerendis, pro veprium hæreticarum eradicatione, morum deformium in cunctis ſtatibus emendatione, proque cladium bellicarum, a quibus omnimoda calamitas exoriri noſcitur, ſedatione. quibus nihil dignius & fidelibus ſalubrius afferri valet. Hæc quippe arduiſſima cunctos Chriſtianorum ſtatus concernentia, non niſi per generalia concilia a Spiritu-ſancto directa optime perfici poſſunt. Quamobrem ſi quis zelum Dei in corde gerat, ſi quis ſalutem animarum atque commune omnium bonum quærat, ſacrum hoc concilium dignificare, favoriſare, ejuſque ſacris determinationibus adhærere, auxilium, conſilium, & omnimodum famulatum præſtare debet & tenetur, & quicquid eidem obvium, impeditivum, repugnans, aut præjudiciale cognoverit, hoc poſſetenus amovere & tollere, amoveri & auferri viribus totis procurare. Vos itaque pro Dei honore & fidei Catholicæ illibatione, atque pro omnium ſalute obſecramus, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quatenus ſi quid impeditivum celebrationis & felicis ſucceſſus hujus ſacri concilii agnoveritis, quantocius viis omnibus rationi & juri conſonis repellere curetis, firmam ejuſdem determinationibus adhæſionem præbere, & favoribus omnibus velitis proſequi generoſis. Et ſi quas ejuſdem præjudiciales litteras, cartas, membranas inveneritis, a quocumque fuerint emanatæ, mox & indilate ad noſtram ſacram congregationem non omittatis tranſmittere. Pro quibus omnibus explicandis & latius informandis, venerabilem virum magiſtrum Henricum *Nitard* decretorum doctorem ad vos præſentialiter deſtinamus, cujus relatibus in præmiſſis velitis fidem credulam propenſius adhibere. Hæc & alia proſperis ſucceſſibus hujus ſacræ ſynodi deſervientia peragentes, altiſſimo Patri, cujus res hic agitur, gratum obſequium, toti Chriſtianitati celebre patrocinium, nobiſque ſingulare ſolatium exhibebitis, nec non veſtri conſulatus glorioſe complebitis officium, ſempiternum quoque promerebimini præmium, quod vobis concedat, in cujus hic nomine convenimus, Spiritus-ſanctus.

Datum Baſileæ, &c.

EPISTOLA

concilii Baſileenſis ad Bohemos.

Hortatur eos ad unionem & ut libere accedant ad concilium, promiſſo eis ſalvo-conductu.

Anno 1433. Ex mſ. Aquicinct.

SAcroſancta generalis Baſileenſis ſynodus, &c. univerſis & ſingulis ſacerdotibus, nobilibus, conſulibus, clientibus, ceteriſque regni Bohemiæ incolis, concordiam, unionem, caritatem, & pacem in Christo Jesu Domino noſtro.

Dum eminentiſſimam Redemtoris noſtri dilectionem, qua pro noſtra ſalute non dubitavit manibus tradi nocentium, & ignominioſæ mortis ſubire tormentum, qui & præcepit nobis alterum alterius onera portare, & mutuam ante omnia caritatem habere, attentius conſideramus; cum maxima cordium noſtrorum amaritudine veſtram a nobis conſpicimus diſſentionem. Quamobrem ex intimis affectionibus cupimus tam gravem & noxiam diviſionem ad concordiam revocare, ut omnium noſtrum ſub uno paſtore Chriſto, quemadmodum paulo ante fuerat, ſit eadem credulitas & caritativa dilectio, & ejuidem ſpiritualibus pabulis in caulis refici mereamur dominicis, prout latius ex epiſtola noſtra, a vobis reverenter, ut certificati ſumus, recepta, lucide potuiſtis cognoſcere. quod & confirmaverunt oratores noſtri Nurembergæ exiſtentes, ſuis litteris veſtris diſcretionibus noviter tranſmiſſis, ex quibus grandem mutuæ unionis ſpem concepimus. Teſtificamur enim coram Deo magnam triſtitiam & dolorem aſſiduum cordibus noſtris ineſſe de tam diuturna & merito deflenda diviſione. Super omnia autem pacem, concordiam, & in credendis ſalubrem unionem ex intimis affectionibus deſideramus, quantum Deus annuerit, perficere, nec ab hac ſacra ſynodali congregatione quovis

modo intendimus discedere, donec omnia nobis possibilia pro votiva & optata nostrûm ad invicem unione peregerimus, in Domino sperantes, qui præsto adest invocantibus se in veritate, quique neminem vult perire, sed omnes viam veritatis agnoscere; quod priorum intercessionibus exoratus, & diligentiis humanis ad hoc ut decet adhibitis, Spiritus-sancti illustrati gratia mutuam concordiam & affectuosissime hujusmodi desideratam unionem consequemur. In hoc autem amplius confidimus, quod potentissima medicina talibus dissentionibus subvenire solita parata est, sacra scilicet præsens synodus, cujus director est ipse Spiritus-sanctus, eam deficere aut quoquomodo deviare non permittens, in his præsertim quæ salutem animarum concernunt. neque enim potuit quin Christi oratio, qua Patrem exoravit, ut ecclesiæ fides non deficeret, non fuerit exaudita. Est itaque certa regula, indeficiens mensura cunctos fideles rectissime regulans, quæ credenda aut agenda sint saluberrime demonstrans. Adhortamur igitur vos in visceribus Christi, & in salute quam a justo judice Christo speratis, quatenus omnes vestros conatus ad tam sanctum & divinum concordiæ & unionis opus apponentes, viros timoratos in lege Christi exercitatos, communem salutem, non particularia commoda affectantes, de quibus aliàs vobis scripsimus, ad hoc sacrum placeat quantocius destinare concilium, quibus plenam & omnimodam securitatem accedendi, standi, & redeundi promtis & non fictis animis dabimus, atque apud quoscumque fuerit necessarium aut opportunum procurare non omittemus, nec in aliquo deficiemus, quantum vires nostræ suppetent, tam salutiferæ & Deo gratæ operationi. Super salvis conductibus scribimus illustrissimis principibus dominis Alberto Austriæ & Jo. Bavariæ ducibus, marchioni Brandeburgensi, & nobili baroni Ulrico de *Rozembergh*, ac consulibus Nurembergensibus & Ægrensibus, nec non ambassiatoribus nostris in locis vobis vicinis persistentibus. Accingimini itaque sacro fidei baptismate insigniti, operas vestras efficaces apponere ad regni vestri cum ceteris firmam pacem, concordiam & unionem. Tædeat vos, quæsumus, cladium bellicarum, & hinc inde tantorum flagitiorum perpetratorum, ac totis viribus communem animorum & corporum salutem effectualiter procurare satagite. In iis siquidem, Deo auctore, vobis coassistemus fideles cooperatores. Hoc tamen quantocius fieri rogitamus, quatenus morum omnium statuum emendationi, prout inchoavimus, latius & efficacius intendere valeamus ad honorem Dei & suæ immaculatæ sponsæ ecclesiæ. Pax autem Christi exuperans omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras, qui ad divitias gloriæ & agnitionem suæ veritatis vos perducere dignetur. Datum Basileæ sub sigillo reverendi in Christo patris domini episcopi Constantiensis provinciæ Rothomagensis, quo utimur de præsenti, die mensis Martii MCCCCXXXII.

LITTERA

missa concilio per ambassiatores ejusdem existentes in Nuremberga pro facto Bohemorum.

Extat apud Labb. tom. 12. conc. pag. 979.

QUINTA LITTERA REGIS ROMANORUM,

missa concilio Basileensi.

De dispositione curiæ Romanæ & Bohemorum erga concilium.

Anno 1431. 5. Martii. *Ex msc. d. quicunque.*

Reverendissimis in Christo patribus & dominis, &c.

Reverendissimi in Christo patres, amici carissimi, ac venerabiles, grati & sincere dilecti. Recolimus V. P. alias bene scripsisse, qualiter præstolaturi essemus ad nos venturos oratores domini nostri papæ, videlicet venerabilem Servandum Lucensem episcopum, abbatem S. Justinæ Paduensis, & Albertum de Comite. Itaque habuimus noviter bullam suæ sanctitatis, in qua scribit eos illico venturos esse, quos quotidie præstolamur. Insuper ambassiatores quos ad suam sanctitatem transmisimus, septimana ista indubie cum sanctitate sua erunt. Sed venerandi patres, quemadmodum avisamur, tunc in curia Romana non multum advertuntur nostra, & vestra, aliorumque prælatorum & principum consilia. Immo concilium istud sacrum quasi pro nihilo ducitur. Quamvis modo informati simus, quod nonnulli cardinales & magna pars Romanæ curiæ ad concilium continuandum se deflectant, & quotidie plures attrahuntur, & quasi omnes inclinabuntur, si viderint P. V. stare velle fixos: quoniam multi adversantium sperant de recessu V. P. Omnipotens Deus sic aliorum corda inspiret, ut cognoscant imminentia pericula Christianorum, & eis provideant uti speramus. Præterea miseramus novissime ad suam sanctitatem quemdam magistrum Jo. de Monte, canonicum Leodiensem, qui de Romana curia veniens, propositi erat eundi ad patriam. Et hoc ideo fecimus, quia idem magister Jo. nobis multum commendabatur, & quod haberet audaciam & domesticitatem magnam loqui sanctitati domini nostri, ad informandum quoque eam de his omnibus, quæ per alios ad notitiam suæ sanctitatis forsitan non admitterentur, & sic sibi expensas sufficientes donavimus: sperantes quod per operam suam multa

multa bona deberent fieri. Qui omnes grate A
ſuſcepit, & ſe dixit omnem velle diligentiam
adhibere. Et dum veniſſet Florentiam, tactus
quodam metu, & oblitus ſuſcepti oneris,
quod pro Deo & nobis ſubiit, non fuit auſus
Romam uſque procedere, ſed legationem
noſtram ſibi impoſitam, quæ ſecretiſſima erat
& ſolii papæ dicenda, ad aliquos cardinales
& certos ſuos amicos deſcripſit, petendo
conſilium, an cum tali legatione Romam
poſſet intrare. Qui ſibi reſcripſerunt, quod
nequaquam cum tali ambaſſiata venire de-
beret, & quod mirarentur qualiter ſe de ta-
libus rebus contra dominum apoſtolicum ſe
intromittere auderet, ſique intraret, time- B
rent de incarceratione ipſius. Ipſe autem
magiſter Jo. acquieſcens conſilio adverſan-
tium, plus curans obedientiam mundi quam
Dei, mox retroceſſit & ad patriam remea-
vit, reſcribendo ea quæ ſic geſta erant. Nos
itaque, qui de fraude nedum in nobis, ve-
rum etiam in ſacro commiſſa concilio, mo-
leſti ſumus, quemadmodum condecet, an-
gimur quod idem Jo. nos in reditu ſuo non
acceſſit, quoniam illa abſentatio nobis ſuſ-
picionem incutit: rogantes P. V. ut rem il-
lam velitis ſumere menti, & deſuper ita co- C
gitare, ut amplius talia per ipſum ſeu alios
non contingant in fraudem & negligentiam
rerum tantarum. Denique notificamus vobis
qualiter præſens familiaris noſter dilectus Jo.
Honynget noviter de Bohemia veniens nobis
retulit, qualiter ipſe cum certis hæreticis qui
pro eo miſerant, ſit locutus: qui ſibi dixe-
runt qualiter audiſſent famam diſſolutionis
concilii, quam moleſte ferebant, quoniam
ipſi utique diſpoſiti eſſent ſe unire, pro mit-
tendo ad illud, rogantes eum, ut nos vellet D
hortari, quod illud concilium manuteneremus, quemadmodum ipſe V.P. clarius dicere
poterit, ſicque ipſum remittimus ad con-
fortandum eos de continuatione concilii, &
hortandum ut ad illud omnimode mittant.
Ob quam rem quemadmodum V. P. per-
prius perſuaſimus, ita nunc nobis utile vide-
tur, & ſic petimus, ut eiſdem Bohemis ve-
litis ſcribere, eoſque adhortari, ut indubii
ſint de ſacro concilio, & quod ad illud ſuos
utique oratores mittant. Et ipſe familiaris
noſter illas litteras, ſi vobis videbitur, ſecum
bene deferet, præſentaturus eaſdem. Et ul- E
timo obſecramus & petimus V. P. quatenus
læti & fortes exiſtentes, conſtanter & ani-
moſe tractare velitis ea quæ concernunt bo-
num eccleſiæ ſanctæ Dei. Scientes quod vos
in his relinquere non intendimus, quemad-
modum ſæpenumero ſcripſimus, uſque ad
mortem, bonam habendo fiduciam, quod
ſanctitas domini noſtri papæ aliter provide-
bit. Et quidquid ex noſtris de Roma habue-
rimus, mox V. P. intimabimus, rogantes
ut nos de veſtris ſucceſſibus, utinam votivis,
velitis pro ſingulari ſolatio aviſare. Datum

Vet. ſcript. & mon. ampl. Collect. Tom. VIII.

Placentiæ, die v. Martii, regnorum noſtro-
rum Hungariæ, &c. XLV. Romanorum XXII.
& Bohemiæ XII.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum
rex ſemper auguſtus, ac Hungariæ, Bo-
hemiæ, &c. rex.

LITTERA SEXTA
regis Romanorum, miſſa concilio.

Certos facit patres de ſua conſtanti uſque ad mortem adhæſione ad concilium, omnemque eorum ea de re removet dubitationem.

REverendiſſimis ac venerabilibus in Chri- Anno 1433.
ſto patribus & dominis, &c. 16. Martii.
Reverendiſſimi in Chriſto patres, &c. ho- *Ex mſ. Aquicinctenſi.*
die a Boletariis, qui pro illuſtri filio noſtro
duce Mediolanenſi in hoc loco agunt, rece-
pimus unam V. P. epiſtolam, geminas in ſe
partes continentem; unam conſolatoriam,
ubi dicitis quod ad res in ſacro concilio
conceptas & feliciter peragendas niſibus to-
tis incumbitis: aliam vero admiratione com-
mixtam, quando ſubjungitis vos intellexiſſe
quod aliquæ notabiles perſonæ nos ſunt bre-
viter acceſſuræ, ad ſeducendum nos a bono
propoſito, utque hæc attentata diſſolutio
progreſſum habeat, & requiritis nos quate-
nus in noſtro concepto & ardentiſſimo zelo
perſeverare velimus, cum aliis inductioni-
bus & perſuaſionibus perornatis, quæ in ipſa
V.P. littera comtius continentur, &c. Præ-
poſterando ergo reſponſionis noſtræ ſeriem,
ammiratione vehementi perducimur, quis
vobis talia ſuggerat, & de nobis ſpem tam
debilem vobis præſtet. Deberent enim præ-
terita V. P. merito dare fiduciam de futuris,
ut quid laboris & oneris pro ſacro Conſtan-
tienſi concilio pertulerimus, adhuc ad lau-
dem Dei humeris noſtris audeamus impo-
nere. Tractati enim debebat ibi de unione
eccleſiæ, exſtirpatione hæreſum, & reforma-
tione morum. Unio, Deo volente, & noſtra
opera & fatiga accedente, ſubſecuta eſt; ce-
tera vero ſunt pro derelictis habita, & quam-
vis inſtantiſſime pro morum reformatione
tunc inſtaremus, fuimus tamen per omnes
nationes deſerti, & ſic res infecta defluxit,
ex qua revera negligentia hucuſque tantæ
calamitates in eccleſia Dei ſubortæ ſunt,
quas totus Chriſtianiſmus ad plenum de-
flere non ſufficit. Doluimus nunc de præter-
miſſione hujuſmodi agendorum, & uſque
hunc diem cor noſtrum a doloribus ſuſtinere
nequivimus, quouſque almus cordium inſpi-
rator hanc ſuam nimium laceſſitam eccle-
ſiam per hoc ſacrum concilium Baſileenſe
dignatus eſt inviſere, & tantis malis per ſuam
miſericordiam finem imponere, prout in cle-
mentia ſua ſperamus. Hæc fuit & eſt ſemper
noſtra conſolatio, hæc ſumma ſpes, ut hunc

F

diem videre poſſemus, in qua neglecta ſacri Conſtantienſis concilii compleverit, alia quoque proviſio fieret in populo Chriſtiano, & ſuper eo V. P. & ſacro concilio favores & promotiones noſtras ſemper obtulimus, & in effectu ultroneo animo id quod requiſiviſtis perfecimus, ac vobis uſque ad mortem nos aſtituturos polliciti ſumus, prout in re ipſa erga dominum noſtrum papam & alios quoſcumque uſque modo oſtendimus, & in antea conſtantiſſime oſtenſuri ſumus. Quomodo ergo titubatio hæc corda veſtra obrepere potuit, ut de nobis qui in rebus fidei jugiter, ne id nobis trahamus ad gloriam, inconcuſſi perſtitimus, dubium conciperetis? Si ex hæſitatione & timore proprio hoc vobis evenit; non occurrerunt vobis tunc fortitan in præteritis rebus noſtra approbata & ſemper dutatura conſtantia, ſoliditaſque. Si vero per aliquos vobis foret ſuggeſtum, hos non amicos, ſed honoris & fidei noſtræ detractores cenſere poſſemus. Invident noſtro bono propoſito, & fortaſſis gauderent, ſi immiſſo in cordibus veſtris dubietatis fermento conſtantiam veſtram poſſent corrumpere, & per hoc illas ipſas ſacri concilii res fraudulenter confundere. Quas ob res V. P. attente requirimus & hortamur in Domino noſtro Jesu Christo, cujus res agitur, quatenus hujuſmodi vaniloquiis inantea non velitis aures apponere, ſed de conſtantia noſtra ſolidaque & intemerata fiduciam firmam concipere. Sumus enim diſpoſiti, & ſic affirmamus & dicimus, prout plerumque & ſcripſimus & diximus, velle jugiter adhærere V. P. & ſacro Baſileenſi concilio, cum plus debeamus obedire Deo quam mundo. Sic pro Deo & eccleſia ſua quæcumque incommoda erunt nobis dulciſſima. Onus enim ſuum leve eſſe ſacræ teſtantur ſcripturæ, & ab illo propoſito nos quicumque & quorumcumque potentum hujus ſæculi amovere non poterit ſeu debebit ſuggeſtio: Et ut clarius vobiſcum loquamur, non ſuffecerunt nuncii ſcripta & aviſamenta, quæ domino noſtro papæ & dominis cardinalibus tam crebro in illa conciliali materia miſimus: immo per oratores noſtros qui modo ſunt in ſuæ ſanctitatis præſentia, ſibi dici fecimus aperte, quod ſi ſua ſanctitas deliberaverit in hac diſſolutione perſiſtere, & non continuare ſacrum concilium, quod imperialem coronam noſtram nequaquam velimus de manibus ſuis ſuſcipere. Videte, reverendiſſimi patres, quid refugimus, quid dimittere diſpoſiti ſumus pro manutentia & favore hujus concilii, ſi dominus noſter papa in diſſolutione perſeverare voluerit. Nulla enim mundialis dignitas nos unquam, Deo concedente, ita ſeducet, ut pro ipſa amittere debeamus ea quæ æterna conferunt; & ſic concluſive redeundo ad primam noſtrarum harum apicum particulam, *rogamus, obteſtamur, & obſecramus* V. P. iterum atque iterum, ut res cœptas quas directione Sancti-Spiritus aſſidue geritis, pro Deo & eccleſia ſua ſancta habeatis commiſſas, ſic operando, ut ex ſollicitudine veſtra fructus bonus ſuccedat. Et quicquid nos & ubicumque corpore & rebus ad id conferre poterimus, ita facturi ſumus. Unum tamen præterire nolumus, immo aviſatos vos reddimus, quod præſentia noſtra his in partibus huic concilio eſt ſumme neceſſaria, & eam utiliorem judicamus rebus hinc inde penſatis, quam ſi in medio veſtri eſſemus. Rurſum oratores domini noſtri papæ ſunt in proximo venturi, quibus auditis, & vos aviſabimus de quibuſvis rebus propoſitis & reſponſis: aſſecurantes vos denuo, quod nullus penitus a ferventiſſimo noſtro erga ſactum concilium, & perfecto zelo nos umquam avertet, & ſic oramus, ut dominus Jesus Christus in ſolida conſtantia & ſalubri perſeverantia corroboret corda veſtra. Datum Placentiæ, die XVI. menſis Martii, anno MCCCCXXXII.

Sigismundus Dei gratia Romanorum rex, &c.

ISTA FUIT AMBASSIATA

ſereniſſimi & invictiſſimi principis & domini domini Sigismundi *Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. regis, qua oratores dictæ majeſtatis, videlicet magnificus dominus Jo. de* Roſenberg* *regni Bohemiæ haro & venerabiles Benedictus præpoſitus eccleſiæ B. Mariæ Albæ-regalis, ſedis apoſtolicæ protonotarius, & Nicolaus* Scolz *decretorum doctor, per organum dicti doctoris coram domino noſtro ſummo pontifice* Eugenio *papa IV. & etiam in audientia publica* XVII. *menſis Martii anno Domini* M CCCC XXXII. *præmiſſa breviſſima collatione, propoſuerunt, &c.*

* al. Riſenberg.

Anno 1431. 17. Martii. *Ex miſſ. Aquicinctenſi & regii collegii Navarræ.*

BEatiſſime pater, ſereniſſimus & invictiſſimus princeps, dominus noſter Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rex glorioſiſſimus & ſemper auguſtus, filius S. V. devotiſſimus, recepit quaſdam bullas V. S. cum ea qua decuit reverentia, de manibus nuncii V. S. & contenta eorumdem nedum bene concepit, & tam lætanter quam gratanter intellexit, immo omnia & ſingula tenaciſſime menti ſuæ impreſſit. Et quia eædem bullæ magnis abundant affectibus, & continentias in ſe gerunt tam graves, quod ſtylus ad plenum ad eas non ſufficiebat reſpondere, idcirco ſua excelſa majeſtas regia miſit nos oratores ſuos & nuncios ad V. S. præſentiam, ad reſpondendum veſtræ beatitudini vivis relatibus ſuper ſeriem dictarum bullarum, ad intentionem ſuæ majeſtatis eidem beatitudini propalandum.

2 Primo namque, beatiſſime pater, V. S. in una bullarum commemorat, quod de adventu ejuſdem majeſtatis ad partes Italiæ eadem beatitudo lætetur : quoniam cum ſua majeſtate cupiat colloqui, & vivis vocibus ſua conſilia participare ſuper multis magnis & arduis rebus, ſtatum univerſæ reipublicæ Chriſtianæ concernentibus. Sed gratior eſſet S. V. ſuæ majeſtatis adventus, ſi ſentiret cauſam fidei prius eſſe defenſam, & exterminatos Bohemos hæreticos vel reductos, prout in dicta Nuremburgenſi concluſum erat. Superaddidit tamen eadem ſanctitas, utcunque ſit, cum eadem majeſtas veniet, beatitudo veſtra perſonam ſuam libenter videbit & honorabit, ſibique imperiale diadema, & quidquid aliud honeſte poterit, ad ornandum regiam majeſtatem conferet, & quantum in veſtra ſanctitate erit, dabit operam, ut totus mundus intelligat, nullo umquam tempore ſummum pontificem cum Romanorum imperatore fuiſſe vinculo ſtrictiore conjunctum, prout verba ejuſdem apoſtolicæ bullæ dulcioribus & amplioribus verbis perorant.

3 Aſſurgit itaque, beatiſſime pater, majeſtas regia memorati domini noſtri illuſtriſſimi V. S. quanto devotius & humilius poteſt, ad omnia genera gratiarum, de tanta paterna & cordiali affectione, humanitate, gratia & honoribus erga ipſam clementer conceptis, offerens ſe vice reciproca V. S. prona mente, non parcendo corpori neque rebus, ſed omnem filialem devotionem, protectionem, & quarumcumque rerum exhibitionem, ut ſancta mater eccleſia & V. S. aperte cognoſcant, ultroneum in eo habere advocatum.

4 Alter articulus tangit cauſas introitus regiæ majeſtatis ad has partes Italiæ & conſequenter ad S. V.

Dico quod dominus noſter excellentiſſimus Altiſſimum conteſtatur, quod hunc ſuum ad partes Italiæ fecit introitum, non ambitione dignitatum mundanarum ſeu potentatuum, non divitiarum, non denique quæſtus cujuſcumque allectus cupidine, ſed pure ad dandam operam & ad exponendum ſe totaliter pro exſtirpatione hæreſum, incremento & felici ſtatu fidei catholicæ & reipublicæ Chriſtianæ, ſanctæ Romanæ eccleſiæ, S. V. ac ſacri Romani imperii, totiuſque eccleſiæ, quæ proh dolor! ut clarum eſt, multis inſeſtationibus & injuriis perturbatur, & in pejorem conditionem prolabetur, niſi apoſtolica & imperiali auctoritate citius provideatur : quoniam eadem majeſtas nihil magis affectat quam pacem, venitque huc cauſa dandi eamdem cum aſſiſtentia V. S. toti Italiæ, omnibuſque illam amplecti volentibus, & non gladium mittendi, ſi poſſibile fuerit.

5 Sperat & rogat eadem regia majeſtas, quod veſtra ſanctitas, dum tempus aderit, taliter ſe exhibebit, quod lucide cognoſci poſſit hos duos gladios in unitate conſiſtere, & ſibi mutuis reſpectibus & auxiliis indiviſibiliter reſpondere, prout & majeſtas regia ſe paratiſſime offert facturam, & de veſtra ſanctitate indubiam etiam fidem gerit.

6 Quoniam indubium eſt & certo plus certius, quod vobis duobus tali ſtructura & unitate & voluntate conjunctis, poteritis ſtatum univerſæ reipublicæ Chriſtianæ taliter aptare, quod Deo ſuccedet ex inde honor & gloria terris, hominibuſque pax & ſecuritas, & Chriſtianiſmo proviſio optata & ſalubris.

7 Super eo autem, beatiſſime pater, ubi V. S. ſubjungit, quod gratior eſſet V. S. ejuſdem majeſtatis adventus, ſi ſentiret cauſam fidei primo eſſe defenſam, &c. Dicit ſua majeſtas, & luce meridiana clarius conſtat, quod pullulatio hujuſmodi damnoſæ peſtis a principio huc uſque ſemper ſuæ majeſtati moleſta fuit, prout dignum erat, & quantum pro exſtirpatione ipſius ſua majeſtas fecerit, ultra omnes mundi principes, prout & ſibi conveniebat, tum ex officio imperiali, tum etiam jure hæreditario, mundus non ignorat. Senſit itaque illud perſona ſua in hiemali aſperitate algoribus campizando plurimum læſa & aliis irreparabiliter corporalibus afflicta incommodis. Sentiunt regna ſua nobilibus ingenuis & aliis probis viris per bella, ſtrages & gladios notabiliter deſolata. Sentiunt æraria ſua, quæ tam in Hungaria, quam Bohemia copioſe per Dei gratiam redundabant, ſuum totalem interitum & exhauſionem finalem ; ſic quod nihil ſupereſſe videri poteſt pro tollenda hac calamitate, quod ſua majeſtas non fecerit, & quotidie facit, utinam profuiſſet & proficeret. Et ut fervor ſuæ majeſtatis, quoad hoc negotium fidei cunctis liquieſceret, & aliquem poſſet ſuis temporibus fructum procreare, anno præterito licet eſſet imbecillis corpore & ægritudine magna, ut etiam in ſede ferretur proſtratus, ab inſultu quoque Turcatum contra regnum ſuum Hungariæ, non bene tutus, tamen Deo cuncta committendo, ſe ad tales partes Alamanniæ duci fecit, & particulariter cum principibus & aliis crebrius habendo conſilia, ſummam operam adhibuit pro adhibendo ſubſidio contra hæreticos, vel cotidiana guerra inſtauranda : nec tamen ipſas concluſiones effectus aliquis ſequutus fuit, quouſque ſua majeſtas conventionem generalem ad Nurembergam cunctis indixit, ubi decretum fuit unanimi conſilio, ut exercitus potens contra ipſos hæreticos mitteretur. Cui etiam reverentiſſimus dominus Julianus cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus aſſenſit, ſibique placuit, & hinc inde peragrando etiam quantum potuit illum ſollicitavit. Sua quoque majeſtas a loco Nurembergenſi diſcedere noluit, licet ejdem

arduiſſima incumberent, nec etiam potuit propter ſuum caſum præcipitem, ſed conſtituit in capitaneum generalem illuſtrem dominum marchionem Brandeburgenſem, faciendo ſibi proviſionem cum ſua parata pecunia, & in Nuremberga moram continue traxit, ſollicitando & mandando nedum opportune, ſed importune, ſcriptis & nunciis, omnibus qui requirendi erant, fecitque omnes promotiones ac amminicula, quæ exercitui fidelium quoquomodo conferre poterant: & revera in fide non ficta ac ſecure dici poteſt, quod ſi ſerenitas ſua tantam diligentiam non adhibuiſſet, exercitus ille, licet decretus eſſet, numquam tamen compilatus fuiſſet, & utinam ſuccedentibus rebus, ut nunc, progreſſum non adhibuiſſet. Redeuntibus itaque, pater beatiſſime, principibus & aliis ac toto exercitu ſuo, quod dolenter ſua refert ſerenitas, ex inopinata quadam ruptura, ut informata eſt, nullo hoſtili preſſi timore, quamvis cum damno, prout præfatus dominus cardinalis legatus, qui ſingulis affuit, V. S. ut dominus noſter indubius eſt, plene ſcripſit, majeſtas regia die altera qua ipſe dominus legatus Nurembergæ applicuit, & etiam die ſequenti hoſpitium ſuum intravit; & convocatis ſingulis tam electoribus quam aliis principibus, & his qui tunc aderant, audivit, ubi & nos per totum præſentes fuimus, illos recentes ſucceſſus infelices; & demum petivit dare conſilia, quid in ea re amplius eſſet peragendum, quoniam parata eſſet ipſa majeſtas omnia ſibi poſſibilia ſubire, ad remedia his periculis adhibenda. ipſi vero habito conſilio, in præſentia domini legati reſponderunt, in eorum poteſtate nullam ſubſiſtere concluſionem, ſed neceſſarium eſſe, ut univerſitas tota ſacri imperii ſuper eo convocaretur, & ſic diæta iterum indicta fuit ad Francfordiam ſuper feſto S. Galli proxime elapſo, & ad illam diætam majeſtas regia oratores ſuos ſolemnes pleno mandato fulcitos, & perſonam ſuam repræſentantes, tranſmiſit. Et nihilominus interim tam litteris quam nunciis mandavit & diſpoſuit, ut hi qui taxam gentium ſibi impoſitam in exercitu ſuo non habuerunt, eamdem mox ad fronterias Bohemiæ ad gentes tres menſes ibidem moraturas contra hæreticos mitterent, ad ipſorum inſultibus reſiſtendum, & denique omnes & ſinguli eſſent in puncto, ſi ipſos hæreticos Almanniam manu potenti, ut aviſatur, invadere contingeret, ipſi ad ſubveniendum fidelibus tota ſua potentia equeſtrium & pedeſtrium parati. Et cum pro Alamannis ſolis iſtud negotium conducere & dirigere eſt ſatis difficile, multis conſideratis reſpectibus, & quod nedum opportunum, immo ſumme neceſſarium eſt, ut etiam ex aliis Chriſtianorum finibus ſubſidia exquirantur, quæ ſine conſilio & ex auxilio V. S. & ſanctæ ſedis apoſtolicæ nullatenus poterunt excitari: Idcirco movetur majeſtas domini noſtri prælibati ad conveniendum cum V. S. & utendum conſiliis, & amminiculis ejuſdem in negotiis memoratis. Sperat enim indubie ipſe ſereniſſimus dominus noſter, quod exiſtente ipſo cum S. V. tales dabuntur modi & viæ, quibus hæc calamitas decenter tolli poterit e medio populi Chriſtiani. Sic habet, beatiſſime pater, V. S. quid majeſtas fecerit ad cauſam fidei defendendam, & quotidie facit, & facere intendit uſque ad effuſionem ſanguinis, quoad vixerit in humanis, & ut efficacius poſſit, veſtram eſt acceſſurus ideo ſanctitatem.

8 Item, alius articulus eſt de pace & concordia inter majeſtatem regiam ex una, & inter communitatem Venetorum ex alia. Similiter inter illuſtrem ducem Mediolanenſem ex una & inter dictam communitatem Venetorum ex alia tractanda.

9 Beatiſſime pater, S. V. in una bullarum dicit ſe ſtatum & pacem illuſtris domini ducis Mediolani & totius Italiæ, ac compoſitionem majeſtatis regiæ cum Venetis cordi habere, & quod ipſe dux Mediolanenſis fuerit primus, cui V. S. poſt aſſumtionem ſuam obtulerit operam ad pacem ſuam & totius Italiæ, & quod V. S. in proximo ad hoc pium negotium intendat ad Lombardiam mittere duos S. R. E. cardinales, & poſtremo S. V. acceptat ſuper controverſiis inter majeſtatem regiam & Venetos, quas olim in Conſtantia promotione veſtra diſpoſita erat componere cupidiſſime, manum mediatricem apponere: quoniam in pace illa videt veſtra ſanctitas multa & innumera bona Chriſtianæ fidei in regno ſuo Hungariæ aliiſque locis proventura. Et quando ſuæ majeſtati videretur, mitteret ſuper eo oratores ſuos pleno mandato fulcitos, in qua pacis promotione cognoſceret, qualibet alia affectione depoſita, vos eſſe communem omnium fidelium patrem, & non minus ſui honoris & ſtatus, quam propriæ veſtræ patriæ zelatorem.

10 Non dubitamus quin V. S. ſciat tractatum pacis habendum, ubi, & per quem, inter dictum ducem & dictam communitatem.

Beatiſſime pater, majeſtas domini noſtri regratiatur beatitudini veſtræ, nedum de tam bona & affectuoſa V. S. erga majeſtatem regiam & negotia illa diſpoſitione, verum etiam de tam clementi & paterna oblatione.

11 Et dixit, quod pax cum omibus Chriſti fidelibus, præſertim cum Venetis ſuæ majeſtati ſemper & ſummo cordi fuit, immo nedum illam affectavit, ſed etiam, prout notum eſt, ſemper quæſivit, & indubie ſcit, quod non ſolum ſacro imperio & regno ſuo Hungariæ, ſed & toti Chriſtianitati exinde commoditas multa proveniret, & multa mala evitarentur, nec tamen illam huc uſ-

que apprehendere potuit, licet in omnibus quæ cum Deo & honore fuiſſent, omni tempore libenter quieviſſet : ſed ipſi Veneti cum ſuis adhærentibus jura ſacri imperii & regni ſui Hungariæ retroactis temporibus contra Deum & juſtitiam uſurparunt, & adhuc de præſenti in deterius uſurpare conantur. Nihilominus tamen eadem majeſtas, ut in ipſa nihil videatur deficere, cupidiſſima eſt, V. S. quam in minoribus conſtitutam Conſtantiæ inter eum & Venetos mediatricem habere deſideravit, etiam hodie ſuſcipere ultra omnes mundi dominos, pro compoſitione & æquitatis ac juſtitiæ directione. Et ſi promotionem a V. S. deſideravit, dum eſſet in minoribus, quanto magis in ſummo apice conſtituto. Itaque S. V. rogat majeſtas præfata, ut V. S. in ſingulis ſit indifferens, æqualis, & communis pater, non affectus ad partes, ſed ad ſolam juſtitiam, quam V. S. ex officio vicariatus tota mente & anima fovere, proſequi, & manutenere debet : quoniam majeſtas ipſa inclinata eſt ad omnia licita & honeſta ſe deflectere.

12 Addendo quod ſi S. V. videatur eamdem majeſtatem aliquo modo a ratione diſcedere, gratiſſime vult per S. V. informari, & inclinari ad ea quæ cum Deo & honore facere poteſt.

Confidens de V. S. quod ſi Veneti & eorum colligati propriæ voluntati inniti vellent, & a licitis & honeſtis declinare, eadem V. S. eis non dabit favorem, prout multi S. V. aperte dicunt feciſſe & facere, quamvis majeſtas regia hoc minime credat : ſed eos efficaciter informabit, & ducet ad ea quæ ſunt licita & honeſta, amplectendo juſtitiam & jura imperii, & verbo & opere eadem manutenendo, quemadmodum majeſtas regalis promtiſſime vice verſa parata eſt & offert ſe facturum in rebus S. R. E. & V. S. Et jure merito hoc debet fieri, quia Chriſtus hos duos gladios ex eo in terris conſtituit, ut ſibi mutuis reſpectibus reſpondeant, & ad ſublevandum jura utriuſque & omnium Chriſti fidelium ſemper in unitate concurrant, prout etiam ſunt de hoc litteræ apud regiam majeſtatem, Conſtantiæ propriis manibus omnium reverendiſſimorum dominorum cardinalium & V. S. dum eadem in minoribus erat conſtituta, ſubſcriptæ, in quibus jurant & promittunt ſub fide, etiam ſacro imperio & majeſtati regiæ in ſuis juribus aſſiſtere, & eadem manutenere, quemadmodum & ſua majeſtas tamquam fidelis advocatus eccleſiæ erga ipſos & eccleſiam, reciproca vice, fecit, & etiam in effectu huc uſque ſe talem monſtravit, & in futurum ſemper facturus eſt.

13 Eſt ultimus articulus qui de ſacro concilio Baſileenſi, per Spiritum ſanctum decretis conciliorum Conſtantienſis & Senenſis, atque auctoritate Martini felicis recordationis prædeceſſoris V. S. & ejuſdem V. S. approbatione & mandato congregatum, cujus diſſolutionem V. S. in certis bullis majeſtati prædictæ inſinuavit, cauſas inſerendo.

14 Inter cetera ſuam majeſtatem exhortando, quod cum ipſe eſſet ille qui ultra omnes mundi principes fidem defendere, & fidelium pacem, & ſtatum eccleſiæ, & conſervationem ſedis apoſtolicæ & V. S. deberet procurare, ſi aliqua aviſamenta ad hæc facientia excogitaſſet, vel excogitaturus eſſet, V. S. per ſuos oratores vellet communicare.

15. Nunc, nunc, beatiſſime pater, tempus adeſt, & ſua majeſtas requiſitione V. S. permota, & etiam devotione ſincera inducta, quam ad bonum eccleſiæ & ſtatum univerſæ reipublicæ gerit, per nos oratores aviſamenta veſtræ ſanctitati in ſcriptis pauco tempore per equitatorem ſuæ majeſtatis miſſa, & ea quæ expoſt excogitavit, veſtræ ſanctitati exponit.

16. Et primo fatetur quod ille ſit ille, qui ex dignitate regali & ex officio advocatiæ adſtrictus ſit ad ſuperius expreſſata. Propterea ſincero corde, rubore depoſito, aperte dicit, quod nihil ſanctius, nullum ſalubrius in his rebus humanis excogitari poſſit præſidium, quo navicula Petri ſe ab extremis horrendiſque fluctibus jam undique inſultantibus, & fides queat tueri, nequam labes hæretica ſopiri, pax Chriſti fidelibus inſtitui, mores Chriſtianorum in præſtantius reformari, ſtatus eccleſiæ & conſervatio auctoritatis ſedis apoſtolicæ & V. S. procurari, quam per continuationem ſacri concilii Baſileenſis : cum utique multifaria bona ex conciliorum celebratione, & multa mala ex eorum prorogatione leguntur exorta.

17. Et primo ſua majeſtas reſpondet ad cauſas inſertas bullæ diſſolutionis, dicens quod cauſa Græcorum nullatenus ſufficere poteſt ad diſſolutionem dicti ſacri concilii, quamvis bene eſſet res ſancta & multum optabilis ipſos Græcos reductos videre ; nec eſt prætermittendum ſuo tempore ad dicta intendere modis convenientibus per regiam majeſtatem perſonaliter V. S. exponendis.

18. Sed non poterit nec debebit ipſa reductio Græcorum, quæ tot centenis annis ſic perſtitit, & dubioſa quidem eſt, rebus tam periculoſis quoquo modo præponi : quia utique res illa moram pati poteſt, quæ huc uſque tanto tempore perduravit ſine læſione Romanæ eccleſiæ ; cum utique hæc hæreſis peſtifera Bohemorum præ omnibus eſt eradicanda, quæ quaſi in corde Chriſtianitatis die ac nocte, hieme & æſtate, igne & gladio, trucidando, nec parcendo ſexui vel ætati, tamquam morbus contagioſus ſerpere non deſiſtit.

19. Nec eſt credendum Græcos ad ritum Romanæ eccleſiæ reduci, videntes ſuppoſita ejuſdem Romanæ eccleſiæ in tanta ſtrage,

dissentione atque morum deformitate, nec aliquam correctionem adhibere; sed de die in diem in pejora corruere, & ritum nostrum ac obedientiam Christicolarum quasi penitus exstingui, possent omnino veridice dicere:

Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum.

Sed si viderent ea esse composita & reformata, atque intendere ad reformationem hæresum & pacem fidelium, profecto facilius flecti possent.

20. Aliæ enim causæ dissolutionis cessant, cum earum cessat effectus. Nam treugæ factæ sunt inter illustres Burgundiæ & Austriæ duces. Hiems transiit, nec aliqua hæresis circa dictum locum concilii pullulat. quicumque enim V. S. hanc causam inseri consuluit, utique dictas partes non probavit, nec opus est ad alias causas respondere, cum & ratio cujuslibet his satisfacere potest.

21. Etiam, beatissime pater, sciat S. V. quod sacrum concilium misit regiæ majestati certas litteras ipsis Hussitis pro reductione ipsorum eos vocando dirigendas. Mox istas sua majestas cum suis litteris adhortatoriis ipsis direxit: quibus a Pragensibus lætanter receptis, & coram omnibus qui tunc aderant publice lectis, iidem dixerunt sine tractatu cum aliis habendo non posse ad hoc respondere, propter quod necessario habebant diætam cum aliis ibidem pro dando responso celebrare.

22. Et quemadmodum a quibusdam majestas regia est avisata, speratur quod dicti hæretici ad concilium mittant, ducti etiam timore, ex eo quod audiunt concilium potissime pro exstirpatione hæresum fore congregatum, & verisimiliter etiam tanto magis ad hoc stringuntur, quanto jam in regno Hungariæ conflicti sunt, & magnam partem sui exercitus equestrium & pedestrium, ac bellicorum instrumentorum & curruum perdiderunt, & etiam per illustrem ALBERTUM ducem Austriæ ætate præterita in Moravia potenter depressi, ac novissime in ducatu suo per eumdem sunt prostrati.

23. Quibus hæreticis comparentibus, sperat majestas regia eosdem per sacrum concilium ita informari, quod recredent, & contenti redibunt, & ita hæc pestis, Deo dante, cessabit.

24. Et in casu quo nihil proficeret, videns sacrum concilium ipsorum pertinaciam, de remedio opportuno ex omnibus regnorum finibus ferventius pro eorum suppressione provideret, quoniam hoc opus conducere solis Alamannis, est difficile & importabile.

25. Et si concilium a loco Basileensi, qui est deputatus hæreticis, mutaretur, quibus etiam majestas regia ad dictum locum veniendi obtulit cum certis principibus securitatem, & propinquiores eis principes tam spirituales, quam seculares, promiserunt Hussitis, quod eos velint in propriis personis ad dictum concilii locum conducere; quid aliud dicerent sentientes concilii dissolutionem, aut ejus mutationem, nisi quod ecclesia fugerit eos, & quodammodo succubuit contra eorum rationes? Et quia ipsi suos errores in articulis promiscue cum sacra scriptura ad diversas mundi partes ad seducendum populum fidelem miserunt, magis ac magis totum populum Germaniæ mortali contagione inficiendi colorem haberent, qui populus postremo ecclesiam Romanam in fide ficta consistere, & dictos hæreticos vera sentire dicere possent.

26. Et revera ipsi hæretici sub anno cum dimidio in prorogatione concilii, quasi totam Germaniam, si de remedio opportuno medio tempore non provideretur, capere possent, prout in magna parte fecerunt. Et cum laici clericis in certis partibus Almaniæ oppido sint infesti, caperent in longum occasionem irruendi in eos, dicentes, in congregandis & dissolvendis conciliis sine fructu illusiones fieri, prout prius etiam factum est; & manifeste clamant, quod non exspectant nisi finem hujus sacri concilii.

27. Et ut principium hujus mali ostendatur, ipsa civitas metropolitana Magdeburgensis, expulso suo archiepiscopo cum clero, jam per terras ipsius ecclesiæ in fortitudine curruum, more Hussitarum, vagatur, & ei incipiunt adhærere plures maritimæ civitates in dictis partibus. Et, ut famatur, in diœcesi Wormacienſi multa millia laicorum fuerunt congregati, & in obsidione civitatem Wormacienſem ad certum tempus tenuerunt, postulantes tradere manibus eorum presbyteros & Judæos trucidandos, per quos multa scandala in mundum venisse clamabant.

28. Item, civitas Patavienſis castra sui diœcesani parata est expugnare.

29. Et civitas Bambergensis propter certa privilegia eidem per regiam majestatem ad fortius dictis hæreticis resistendum gratiose concessa, cum clero incipit discordare.

30. Et iterum, proh dolor! nova hæresis in quadam valle notabili in diœcesi Curiensi de die in diem incipit pullulare, quæ gladio & igne omnes vicinos & extraneos adhærere compellit.

31. Item, ipsum concilium pro ponenda pace, pro qua inter cetera congregatum existit, jam inter quamplures reges, principes, civitates, & alios, plura apparamenta & initia fecit ad dandum modos pro pace, & cum aliquæ ob reverentiam sacri concilii, certæ vero propter ejus timorem, tardius bella movent, aliquæ vero propinquiores, ad inductionem dicti sacri concilii treugas cum dictis Hussitis mire recusant, omnem spem suæ liberationis post dissolutionem exercitus in solum concilium ponentes, & cum prædicta loca, quasi omnia præfatis hæreticis sint vi-

cina, ſentientes diſſolutionem dicti concilii, aliquæ converterent ſe ad gladium ; propinquiores vero Huſſitis ſtupefacti, ad redimendas vexationes, ne cum corporibus, pueris & uxoribus, omnibuſque ſuis rebus perirent, treugas cum Huſſitis inirent. Et quid in longum ſequeretur, cum viderent ſe non ſolum derelictos, ſed dicere poſſent ab eccleſia deceptos, niſi illius hæreticæ pravitatis adhæſio in perniciem totius ſubverſionis fidei catholicæ, & abſtractio obedientiæ a ſede apoſtolica & a V. S.? & fieret error noviſſimus pejor priore, & dato exemplo, proh dolor! haberent ſequelam multorum, nec poſtea eſſet aptitudo illud faciendi, cum principes eſſent exhauſti, terræ per clades, cædes, & ſanguinis effuſionem deſertæ, in periculum innumerabilium animarum & corporum, quæ infra has prorogationis inducias, proh dolor! corruerent.

32. Rurſum ceſſarent multæ proviſiones ſalubres quæ in dicto concilio pro republica Chriſtiana fieri poſſent : & innumera ſcandala orirentur in deſtructionem ſedis apoſtolicæ, V. S. ac totius religionis Chriſtianæ.

33. Item, beatiſſime pater, in ultima bulla S. V. ſcribit dictæ majeſtati regiæ, mirando quod ipſa majeſtas ſit plurimum perturbata, & plena ſollicitudine & timore propter diſſolutionem concilii prædicti, &c. Beatiſſime pater, non mirum quod reverendiſſimi patres & domini cardinales certi de hoc admirantur, cum & aſtronomi dicunt, quod etiam ſapientes admirantur de hoc quod ſol eclipſatur, cum cauſam ejus ignorant. Sua enim majeſtas ad oculum periculum diſſolutionis perſonaliter videt, & futura timet, ex eo ſua majeſtas plurimum turbata ſollicitatur, ut illis tamquam fidelis advocatus, protector & defenſor eccleſiæ prudenter obviare poſſet. Et in eadem ſubjungit V. S. quod tranſitus regiæ majeſtatis debeat eſſe pacificus. Reſpondet ſua majeſtas, quod tranſitum ad has partes Italiæ fecit ex cauſis ſupradictis : & ita itura eſt pacifice, & ſine læſione cujuſcumque, qui pacem licitam & honeſtam affectat habere, quam etiam ſua majeſtas, ut dictum eſt, ample offert, & eamdem jam per ſuos Florentinis & aliis nunciavit ; & ſi aliqui temeritate ducti vellent a debito ac licitis & honeſtis diſcedere, ad illos oporteret adhiberi remedium, quemadmodum jure merito fieri debet.

34. Prædictis omnibus periculis & multum majoribus, quæ ex diſſolutione ſacri concilii evenire ; etiam multis bonis, quæ ex ejuſdem continuatione & nulla mala oriri poſſent ponderatis, dictus dominus noſter glorioſiſſimus filius V. S. devotiſſimus, tamquam fidelis advocatus & protector eccleſiæ, ſupplicat, & quantum efficacius poteſt, V. S. per viſcera miſericordiæ Jesu Christi, cujus vicarius eſtis, & cujus res agitur, & V. S. requirit & hortatur, ut eadem his periculis velit ſalubriter obviare, ut fama diſſolutionis dicti concilii ſopiatur ; cum revera multa jam ex ſola fama diſſolutionis ſacri concilii Baſileenſis ſcandala ſint exorta, & ſcribere quod ſolum in nomine Domini ſuum habeat progreſſum, ad feliciter inceptа continuandum, dando eidem operam & favorem poſſibilem, ne fides & eccleſiaſticus ſtatus inevitabiliter ruat, ex quo ſedi apoſtolicæ & V. S. gloria & honor ultra commodum Chriſticolarum accreſcet : & non dubitat majeſtas domini noſtri, ſi V. S. tantam multitudinem congregatam bene informata fuiſſet, & tot mala & ſcandala evenire, etiam neceſſitatem concilii celebrandi ſciviſſet, numquam in diſſolutionem declinaſſet.

35. Fortaſſis aliqui incutiunt timorem V. S. quod in concilio agendum eſſet contra eamdem : non curet S. V. nec reverendiſſimi cardinales de his, cum nec V. S. nec domini cardinales vocati ſunt. Si enim veſtra ſanctitas poſſet intereſſe, laude dignum & perutile eſſet : ſi autem non, V. S. plures reverendiſſimos patres & dominos de collegio cardinalium ad ſalubrius iſtud dirigendum mittere poſſet, contentum manebit concilium & mundus de V. S. dummodo concilium continuetur. Et ſi V. S. poſtea perſonaliter intereſſe vellet ſuper reductione Græcorum, vel aliis quæ non requirunt tantam feſtinationem, poterit aliud concilium congregare, quod fieret cum majori aptitudine, quam nunc hæc mora poſſit tolerari. Nam iſto diſſoluto, neſcimus ſi per annum cum dimidio aliqui congregari poſſent, propter diſpendia quæ interim, ut dictum eſt, evenirent. Et revera, ſi ſacrum concilium Baſileenſe non eſſet congregatum, propter ſolam exſtirpationem hæreſis Bohemorum de novo deberet congregari, nec prælati, nec alii de Almannia in loco alio diſtanti extra Almanniam pro conciiio celebrando convenire poſſent, cum medio tempore ipſi Huſſitæ omnia bona ipſorum tollerent ac deſtruerent, quo tunc tales diverti haberent neſcitur.

36. Beatiſſime pater, in bulla noviſſime regiæ majeſtati per ejuſdem majeſtatis equitatorem tranſmiſſa, notificat V. S. eidem majeſtati, qualiter ipſa cum conſilio & aſſenſu reverendiſſimorum dominorum S. R. E. cardinalium ex juſtis & rationabilibus cauſis cum magna deliberatione & maturitate diſſolutionem, & indictionem alterius concilii fecerit, & adveniente regia majeſtate velit eam ſic informare rationibus & cauſis, de quibus ſperat eamdem majeſtatem bene ſtare contentam, &c. Dicit ſua majeſtas quod numquam poterit remanere contenta, quibuſcumque cauſis & adinventionibus hæc diſſolutio coloretur, attentis extremis periculis & diſturbationibus totius Chriſtianiſmi

ex ipsa dissolutione eventuris. Quomodo ergo quispiam Christianus contentus manere poterit, dum de subventione Christianæ fidei tam periculose agitur?

37. Et superaddit sua majestas, quod hi qui V. S. dissolutionem suaserunt, indubie causas non funditus, nec tot mala ventura intellexerunt. *Utinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent.* Mora enim in hoc negotio est periculosa, & nullatenus sufferenda, nec mirum quod non intellexerunt, cum error facti peritissimos fallit. Sed cum hoc modo manifeste sapiunt, si in hujusmodi errore & sacrilegio pertinaciter persistere intenderent, ponderent ipsi quomodo summo enti in extremo judicio de hoc vellent reddere rationem. Et si fortassis certi pertimescerent aliqua contra statum ecclesiasticum debere tractari, dicit sua majestas, quod timere non deberent: quia laïci falcem suam non habebunt in messem illam immittere, cum ipsi sæculares in hac re nullam debeant habere, prout nec de jure habent, protestatem: immo profecto induciæ dissolutionis quæ quæruntur, laïcos facient contra clericos insanire: quod tamen per istud concilium ordinate tolleretur de medio, dum laïci videbunt clerum omni bono intendere.

38. Consideret sanctitas vestra quod sacrum concilium Basileense ad hujusmodi dissolutionem nullatenus consentiet, cum quo & major pars regum, principum, prælatorum atque communitatum concurrent.

39. Insuper regia majestas non sufficit mirari, quod S. V. quæ hucusque in ecclesia Dei sine ruga & macula tenta est, suspicionem inter Christicolas nunc facere intendit, & quæ in principio sui regiminis ferventissima erat pro honore Domini Dei de fide catholica & Christi fidelium salute laborare, de quo totus mundus ultra modum, & de electione V. S. erat gavisus: quia dici poterit, quod sanctitas vestra hac occasione foveat hæreses, cædes, & morum deformitates, atque schisma in ecclesia Dei facere intendat.

40. Avisat etiam V. S. majestas regia, quod ipsa sanctitas non posset aliquid facere, quod esset ita nocivum omnibus Christi fidelibus, sacræ sedi apostolicæ, & V. S. quam concilium turbare, ex quo infinita & innumera scandala profluere, nulla autem mala ex ejus continuatione evenire possent. Et promittit majestas regia V. S. si eadem concilium continuabit, & indifferens, æqualis, & communis pater in rebus agendis erit, uti debet, quod vult V. S. in omnibus usque ad mortis passionem adhærere, & assecurare eamdem sanctitatem, quod ibi nihil tractabitur in diminutione sedis apostolicæ ac vestræ sanctitatis.

41. Si autem V. S. hoc minime facere, sed persistere in dissolutione intenderet, & esse, quod absit, causa tanti mali; ex tunc sua majestas per expressum V. S. per nos commisit exponere, quod eadem majestas sacro concilio per Spiritum-sanctum & ut supra congregato, & communitati Christi fidelium, toto posse adhærere vult & intendit: quia nullatenus posset videre eversionem fidei & ecclesiæ ruinam. Perpendit etiam sua majestas, quod obedientia, quæ V. S. & ecclesiæ debetur, in pluribus Christianorum & signanter Germaniæ finibus, multum deficit, nec curatur tam per ecclesiasticos quam sæculares, quemadmodum apparet in episcopatibus Trevirensi, Trajectensi & aliis multis, qui nec excommunicationes, nec mandata apostolica curant, & alios ad similia trahunt. Modo si concilium deficeret, quid de aliis fieret, S. V. animadvertat.

42. Et informata est eadem majestas ex dictis doctorum, & signanter reverendissimi patris domini Francisci de Zabarellis * piæ memoriæ, qui non minimus tunc temporis, cum hæc dicta composuit, in scripturis & collegio dominorum cardinalium erat, quod imperator & rex Romanorum non solum concilium in Spiritu-sancto auctoritate ecclesiæ congregatum manu tenere & protegere tenetur: immo in certis casibus concilium de novo potest congregare. Et dicit sua majestas casum prope esse in foribus. * al. Sabellis.

43. Et rursum sua majestas dicit, quod V. S. una cum certis dominis & patribus reverendissimis cardinalibus mature debeat ponderare, quod ubi fortassis sibi per dissolutionem concilii providere putat, ne sibi ipsi & dictis cardinalibus interitum infligat.

44. Postremo majestas domini nostri gloriosissimi supradicti supplicat humiliter V. S. quatenus omnia & singula supradicta & majora non expressa velit diligentissime ac mature considerare, & præsentem exhortationem, quam fideliter & sincera mente, urgente conscientia & necessitatibus, in quibus Dei ecclesia constituta est, fecit, a sua majestate, tamquam ab advocato sanctæ matris ecclesiæ paterne & benigne suscipere, ut & V. S. quæ est luminare majus, & ipsa regia majestas quæ est luminare minus, ita gregem vobis creditum in spiritualibus & temporalibus regere valeatis, ut una cum eo ad conspectum prædictæ Trinitatis feliciter valeatis pervenire. Amen.

Explicit.

COPIA INSTRUCTIONUM missarum nuntiis concilii existentibus in Nuremberga.

1 IN primis quod non incipiant tractare aliquid cum nunciis vel ambassiatoribus Bohemorum in Egra vel alibi, nisi prædicti nuncii

Anno 1431. 28. Martii. *Ex mss. Aquisgranensi.*

nuncii Bohemorum habuerint plenum mandatum, & ſufficientem facultatem, & poterunt ſuper hoc ſcribere Pragenſibus, & aliis in regno Bohemiæ, quibus opus fuerit, aviſando eos, ut mittant cum ſufficienti mandato, & ſimiliter quod venturi ad concilium generale habeant plenum & ſufficiens mandatum.

2 Item, quod in Egra vel alibi pendente dicto tractatu cum prædictis Bohemis, propter præſentiam ipſorum non teneatur interdictum, & ſimiliter in aliis civitatibus ſive locis, per quæ ipſos tranſire contingeret, veniendo ad concilium Baſileenſe, ipſis tamen excluſis a divinis. Quod quidem interdictum dominus legatus ex nunc tollit & removet.

3 Item, ſi pendente dicto tractatu, vel veniendo Baſileam, aut ſtando, vel etiam redeundo, voluerint ſecundum modum & ritum eorum dicti Bohemi celebrare, quod poſſint & celebrent in domibus eorum, januis tamen clauſis, & excluſis fidelibus noſtris.

4 Item, numerus nunciorum Bohemiæ venire debentium ad concilium, & tempus durationis ſalviconductus eiſdem nunciis & ambaſſiatoribus Bohemorum impendendi, relinquitur diſcretioni dictorum ambaſſiatorum concilii: ita tamen quod reſtringant & numerum perſonarum & tempus quantum poterunt.

5 Item, inſtabunt, laborabunt quod a principio quo iter arripient præfati nuncii Bohemorum ad veniendum Baſileam, & quouſque reverſi fuerint ad propria, habeantur abſtinentiæ guerrarum generales inter regnum Bohemiæ & ceteros fideles: de hoc tamen ambaſſiatores concilii faciant ſecundum conſilium & voluntatem domini marchionis Brandeburgenſis, & aliorum principum & communitatum.

6 Item, ambaſſiatores dictorum Bohemorum & ipſorum familia veniant pacifice & modeſte, & ſine notabilibus armis bellicis; & ſi qua forte eis deferri permittantur, quod in introitu civitatum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum, in quibus habebunt hoſpitare, deponant ea apud hoſpitem: ita quod in prædictis locis incedant ſine armis.

7 Item, quod nullus prædictorum veniendo, ſtando hic in Baſilea & redeundo, ibit aut ambulabit per civitates, villas, & alia loca in quibus continget eos aliquo modo moram trahere, niſi præſentibus deputandis, & hoc propter pericula & ſcandala vitanda, quæ poſſent oriri hinc inde.

8 Item, quod veniendo, ſtando hic, & redeundo in audientia, in collocutionibus, diſputationibus, & quibuſvis aliis mutuis humanis converſationibus, cavebunt ab injuriis, opprobriis, detractionibus, & quibuſvis contumelioſis verbis, aut invectivis quarumcumque perſonarum cujuſcumque ſtatus, gradus aut dignitatis fuerint, cum verſa vice velit ſacrum concilium hujuſmodi obſervare, & ubique facere & procurare obſervari pro poſſe.

9 Item, quod veniendo, ſtando & redeundo, nullo modo palam aut occulte prædicent aut doceant, nec cum quocumque, niſi in præſentia ſacri concilii vel deputatorum aut deputandorum ab eodem, diſceptabunt ſive diſputabunt.

10 Item, quod non ſcribent litteras quibuſcumque, maxime noſtris fidelibus, abſque viſitatione deputatorum concilii, nec ullo modo libellos aut cedulas, ſive quaſcumque ſcripturas ſeminabunt aut diſpergent, ſive dimittent poſt ſe in locis in quibus fuerint, veniendo, ſtando & redeundo.

11 Item, quod tam in veniendo, quam in redeundo, ambulent & ſervent vias publicas, ſecundum quod ductores eorum, qui ad hoc deputabuntur, ducent eos.

12 Item, ſi petant audientiam publicam, promittatur eis quod habebunt coram toto concilio, quotiens opus fuerit. Si autem inſtabunt ad habendam audientiam coram laicis, nullo modo concedatur eis, inconſulto concilio, niſi viderint eos propter hoc velle omnino deſiſtere ad veniendum. Quo caſu, cum magna difficultate poterunt eiſdem conſentire, omni tamen cautela & conditione adhibita, ne ex dicta & taliaudientia ſequatur inconveniens aliquod aut ſcandalum.

13 Item, prædicti ambaſſiatores concilii in tractando cum eis, converſando, & loquendo, cum omni manſuetudine, benignitate, humilitate, patientia atque caritate ſe habebunt, & ſecundum gratiam eis datam a Domino, omni via & modo poſſibilibus, pacem & unionem inter nos & ipſos procurabunt.

14 Item, prædicti ambaſſiatores concilii poterunt converſari eum eiſdem nunciis & ambaſſiatoribus Bohemorum in omnibus ſecundum diſcretionem ipſorum, exceptis divinis.

15 Item, quod prædicti nuncii Bohemorum in receſſu ipſorum vel aliter, non ducent aliquem de noſtris ſecum, etiam volentem eos ſequi.

16 Item, quod prædictæ inſtructiones teneantur occulte, ita quod nullo modo veniant ad aures ſeu notitiam dictorum Bohemorum.

17 Item, quod in prædictis communicent, & habeant conſilium domini marchionis, & aliorum principum eccleſiaſticorum & ſæculatium, nec-non & communitatum, ſecundum quod prædictis ambaſſiatoribus concilii videbitur expedire.

18 Item, in præmiſſis omnibus & ſingulis taliter prædictis ambaſſiatoribus provideant, quod omnis captioſitas, fraus & dolus evitetur.

Acta fuerunt hæc in congregatione noſtra generali, præſentibus dictæ noſtræ ſanctæ ſynodi Baſileenſis notariis & ſcribis infra ſcriptis, ſub ſigillo reverendi in Chriſto patris domini epiſcopi Conſtantienſis provinciæ Rothomagenſis, quo utimur ad præſens, die Veneris XXVIII. menſis Martii, anno a nativitate Domini MCCCCXXXII.

LITTERA VII.
regis Romanorum miſſa concilio.

Mittit eis articulos a legatis papæ ſibi propoſitos, hortaturque eos ut in concilii celebratione conſtanter perſeverent.

Anno 1432. 31. Martii. Ex miſ. Aquiſtenſi.

REverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis ſacroſanctæ, &c.

Reverendiſſimi in Chriſto patres, ac venerandi, grate & ſincere nobis dilecti, tanta nos affectio, tantuſque amor & fervens deſiderium trahunt ad hanc ſanctam ſynodum Baſileenſem, in Spiritu ſancto pro ſalute univerſalis eccleſiæ & omnium Chriſti fidelium legitime congregatam, ut nihil cogitemus, niſi ea quæ continuationi & felici progreſſui ipſius conferre poſſunt. Et ut V. P. quæque res apud nos geſtæ una nobiſcum communes ſint, notificamus eiſdem quod oratores domini noſtri papæ, videlicet epiſcopus Magalonenſis, & abbas S. Juſtinæ, hic nobiſcum fuerunt, & poſt multas propoſitiones & requiſitiones ſanctitatis domini noſtri, nobis tradiderunt in ſcriptis mentem ſanctitatis præfatæ, quibus ſuccincte reſpondimus cum manſuetudine regia, prout in copiis tam propoſitionis quam reſponſionis hic incluſis videbitur clarius contineri, & in propoſito illo firmi & ſtabiles permanere volumus, rogantes V. P. ut ſi aliquis vobis contrarium vellet ſuggerere, vel fortaſſis dicere, nos alias pratticas cum domino papa habere in facto concilii, quatenus hoc nullatenus velitis credere, ſed pro firmo tenere, quod ſicut vobis crebro deſcripſimus, ita immota conſtantia volumus ſemper uſque ad mortem in favoribus ſacri concilii fideliter perſeverare, ammonentes & requirentes vos in Domino noſtro JESU CHRITO, ut rebus cœptis, quas ipſe cujus ſunt, felicitare dignetur, omni poſſibilitate inſiſtere, & pro bono ſuæ eccleſiæ ſancte velitis proſequi diligentia exquiſita. Præterea, reverendi patres, dum hæc noſtra littera ſcriberetur, ſuperverunerunt nobis ſcripta oratorum noſtrorum, quos in Roma habemus, ex quibus concipimus dominum noſtrum papam adhuc opinioni ſuæ inſiſtere, quamvis indubie ſperemus, quod dum oratores ſui cum intentione noſtra ad ipſius ſanctitatem pervenerint, eadem ſanctitas in melius propoſitum ſuum commutabit, & ſic ambaſſiatores noſtri qui in Roma ſunt, ididem ſperant, uti ſcribunt. Aviſamur etiam qualiter ſua ſanctitas velit ſubito pro celebratione concilii in Bononia, illuc aut perſonaliter advenire, aut aliquos ex dictis cardinalibus tranſmittere, præveniendo prorogationem anni cum dimidio, intendatque ſuper hoc omnes in concilio & extra exiſtentes citare. Sed quia, reverendi patres, hæc omnia non fiunt niſi ad diſſolutionem ſacri Baſileenſis concilii, quæ ex hac loci tranſmutatione indubie per indirectum ſuccederet, quia in curia ad hoc intenditur, adhortamur V. P. ſuademus eiſdem & conſulimus, quatenus in continenti, & omni dilatione ſemota, non obſtante ſeſſione ſecunda proxime celebrata, quæ ſancta & ſalubris eſt, ita providere velitis, quod hujuſmodi ſiniſtri conatus turbatorum concilii per vos opportunis remediis prævenientur, & cito. Indubii enim ſumus, quod dum dominus noſter papa ſtabilitatem veſtram & noſtram, quam ſibi per ſuos oratores jam ſatis clare deteximus, tam firmam perſentiet, aliter faciet. Cum quo etiam reſponſo votivo ambaſſiatores noſtros præſtolamur, requirentes vos, ut in illo ardentiſſimo veſtro zelo & conſtanti propoſito perſeverare velitis, dirigendo res concilii & omni vigilantia prævenientes molimina adverſantium, quæ parant in diſturbationem concilii; & nos quoque a vobis & ſacro concilio nullatenus diſcedemus, quemadmodum crebro ſcripſimus: quoniam ſi ſecus fieret, quod abſit, ingens fidei & eccleſiæ ſanctæ Dei ſcandalum generaretur, necnon nobis & ſtatui noſtro evidentiſſima pericula, propter adhæſionem quam vobis & concilio facimus & facturi ſumus pararentur, quæ etiam in obnubilationem famæ, honoris, & ſtatuum veſtrorum diſcrimina periculoſiſſima permaxime cederent. Et ſic oramus in Domino JESU CHRISTO, ut in rebus illis agendis conſtantes & vigiles ſitis, prout ſuper iis omnibus illuſtris WILLERMUS Palatinus Rheni & dux Bavariæ princeps locum tenens & avunculus noſter cariſſimus V. P. clarius dicet mentem noſtram. Datum Parmæ die ultima Martii, regnorum noſtrorum anno Hungariæ, &c. XLV. Romanorum XXII. & Bohemiæ XII.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex, &c.

ARTICULI PROPOSITI
per dominum papam domino regi Romanorum.

SEreniſſime princeps ac invictiſſime rex, ſanctiſſimi domini noſtri ac beatiſſimi EUGENII papæ IV. oratores & nuncii veſtræ majeſtati Cæſareæ, prout injunctum per ſanctitatem ſuam extitit, in ſecreta audientia ipſis data expoſuerunt quæ ſequuntur.

Et primo, SS. dominus noſter motus deſi-

derijs pacis totius populi Christiani, & ecclesiæ sanctæ reformationis, sciens serenitatem vestram Italiam intrasse, ut pacem in Italia det, ut reformationem universi cleri & populi Christiani procuret, atque ut coronam, & unctionem ab eo recipiat, de dicto adventu admodum exhilaratus, nos ambasiatores suos ad visitandum majestatem vestram mittit, & exhortandum ac monendum clementiam vestram, ut in tam sancto proposito perseverare dignetur, quia Deus omnipotens perfectionem operis dabit; nec non offerendum personam suæ sanctitatis, & omnia sua majestati vestræ in & super præmissis ab olim per ipsum optatis.

Secundo, cum majestas vestra Cæsarea pacifica Italiam intraverit, & talem omnibus se exhibuerit; SS. dominus noster summus pontifex ipsam exhortatur, monet & deprecatur, ut pacificus, clemens & benignus cum suis gentibus, cum quibus Italiam intraverit, & non cum exteris dignemini Romam venire, quia ipsa sereniratem vestram cum honore possibili, etiam sumtibus suis, recipiet, mittendo aliquos ex reverendissimis patribus dominis cardinalibus, cum prælatis & aliis notabilibus viris, sibi obviam, ac viam securam & pacificam, ac iter tutum sibi faciet, ipseque capitaneos cum gentibus eccleſiæ in confinibus dominiorum & terrarum ecclesiæ, serenitati vestræ mittet, ut ab ipsis capitaneis juramentum quod volet habere exigat, ac cum ipsis secure veniat, ut coronam & unctionem ab ipso SS. domino nostro in titulo pacis recipiat.

Tertio, quia jura disponunt, quod serenissimi reges Romanorum in adventu eorum in Italiam, ut coronam recipiant, &c. in ingressu Italiæ juramentum summo pontifici, seu deputatis ab eo, præstent; in quo juramento non cavetur aliud quam illud ad quod quilibet Christianus ecclesiæ sanctæ tenetur, SS. dominus noster nos sufficienti potestate fultos mittit, ut dictum juramentum a majestate vestra recipiamus, prout a prædecessoribus vestris Romanorum regibus in dicto adventu juratum extitit, & prout alias juris existit.

Quarto, SS. dominus noster ad intimandum & significandum majestati vestræ sinceram suam intentionem, quam semper habuit, ut reformatio debita ecclesiæ sanctæ tam in capite quam in membris fieret, nos misit, quæ talis in effectu existit. Ipse enim SS. dominus noster in principio suæ assumtionis desiderio magno, ut in concilio Basileensi in propria interesset persona, desideravit, licet per sanctitatem suam aliquibus asserentibus aliter scriptum seu dictum reperiatur, ut guerræ ac aliæ afflictiones quæ pro tunc Romæ, seu ejus in confinibus imminebant, in longum non protraherentur, quæ pro nunc præsentia sua fuerunt debito modo sopitæ, gravissima vero infirmitate detentus usque ad mortem exclusive, considerans impossibilitatem tanti desiderii sui, ut tam longe pergere valeret, & quod tam ardua tamque urgentia negotia, ut universalis reformatio cleri & populi Christiani, hæresum exstirpatio, & sacrum passagium omnino ejus præsentiam & sacri collegii exigebant; ac quod in Basilea per annum & ultra pauciſſimi convenerint prælati, qui ad talia ac tanta non sufficiebant, dictum concilium quo ad locum tantum dissolvit, illud in Bononia assignando, quæ commutatio, continuatio potius potest dici, quam dissolutio; quia Bononiam in convalescentia in qua est poterat venire, & medio tempore plenam sanitatem recuperare. Ipse enim interesse in generali concilio, corporali cessante impedimento, debuit, velle & commutare illud, & continuare potuit. Ex ista magna urgente ratione, aliis non semotis, quas in præsenti fastidium esset explicare, potissime si in dicto concilio de totali ecclesiæ reformatione agi deberet; si vero reductio Bohemorum & reformatio cleri Germaniæ non debeat aliqualiter differri, propter pericula quæ imminere allegantur, placet SS. domino nostro, ut super illis concilium celebretur tamquam provinciale, in illo domino legato præsidente in Frankfordia, vel in Nurembergha, vel alibi ubi dominis archiepiscopis, electoribus & domino legato placuerit, & illo finito, consestim ad Bononiam veniant, non alibi divertendo, ubi dominum nostrum reperient cum sacro collegio reverendissimorum dominorum cardinalium, ad dictam reformationem efficaciter promtos. Vel si prædicta utilius per concilium generale expediri videantur, veniant nunc prælati & alii vocandi, qui in Basilea sunt & alibi, ut sanctissimus dominus noster una cum majestate vestra, facta ipsius coronatione, ac dominis cardinalibus & ceteris illico Bononiam conveniant, ac ad omnimodam debitam reformationem procedant: quam nobis concedere dignetur dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula benedictus. Amen.

FINALIS MENS ET CONCLUSIO

majestatis regiæ super propositis oratorum apostolicorum, quorum copiam Theodericus secum habet, est ut sequitur.

VIdelicet, si sanctitas domini nostri papæ voluerit effectualiter continuare concilium Basileense & illud non turbare, quin potius id ipsum fovere; & si etiam voluerit esse indifferens, & communis pater, non partialis, prout ad ipsum, tamquam vicarium Christi, pertinet, ex tunc eadem majestas pacifice, non cum armatis gentibus, sed sub

Ex mſ. Aquicinctenſi.

suo & suorum cardinalium & cleri, quos suæ serenitati obviam miserit, conductu, & ad voluntatem suæ sanctitatis vult venire ad Urbem, & suæ sanctitatis præsentiam, assecurare eamdem, quod in memorato Basileensi concilio nihil tractabitur de dubio electionis suæ. vult etiam de manibus suæ sanctitatis coronam suscipere, sibique juramentum in hujusmodi coronatione fieri solitum præstare, omniaque alia facere, quæ concernunt honorem, statum, commodum & profectum suæ sanctitatis, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, & sibi ut tamquam devotus filius & advocatus usque ad finem vitæ fideliter adhærere.

Si autem sua sanctitas hujusmodi dissolutioni concilii, aut partialitati inhærere vellet, ex tunc majestas regia non intendit venire, nec coronam de suæ sanctitatis manibus recipere quoquomodo, sed in istis partibus suis & imperii sacri rebus intendere, prout fuerit opportunum, adhærendo semper concilio sacro.

Item, sint avisati oratores regii, quod voluntas domini papæ fuit, quatenus majestas regia iter suum faceret per Romandiolam & terras ecclesiæ, ubi sanctitas sua eamdem majestatem honorifice & sumtibus suis conducere vellet. De qua quidem ultronea & placida domini nostri papæ oblatione majestas regia multum contentata, intulit sanctitati suæ grates, cum hoc ipsum dignabitur erga sanctitatem suam & Romanam ecclesiam condignis affectibus compensare. Et quia dicta via sibi congrua & apta non foret ad eundum, deliberavit ire versus Lucam & Senas, civitates imperii, quæ a rebellibus imperii variis modis opprimuntur, ut eisdem consulere valeat. Et dum majestas regia usque in Senas, dante Domino, pervenerit, cunctis ducatibus & aliis armorum gentibus dimissis cum sua familia domestica quam habebit, sub domini papæ & dominorum cardinalium & cleri suorum, quos sanctitas domini papæ sibi miserit, conductu, per terras ecclesiæ ad domini nostri papæ præsentiam confidentissime vult proficisci, faciente sua sanctitate illis duobus quæ superius requiruntur.

LITTERA

missa per concilium Universitatibus,

ut mittant aliquos nobiles, doctores, &c.

Anno 1432. 1. Aprilis. *Ex mf. Aquicinct.*

SAcrosancta, &c. egregiis, &c. salutem, &c.

Satis denique divulgatam esse apud vos omnium Christianorum religionem æstimamus, & sacram hanc synodum in hac Basileæ civitate auctoritate superni numinis congregatam existere, pro rebus ecclesiæ & omnium orthodoxorum promovendis & bene gerendis, pro veprium hæreticarum, maxime Bohemicarum eradicatione de finibus fidelium, pro morum deformium in cunctis statibus emendatione, proque bellicarum cladium, a quibus omnimoda calamitas originem ducit, sedatione: quibus nihil dignius & fidelibus salubrius afferri valet; pro quibus ex talento sapientiæ vestris perspicacibus intelligentiis de supernis credito, vos credimus pro viribus benivolos & obnoxios esse. Hæc quippe arduissima causa cunctos Christianorum status concernens, nos hic ex omni natione in vinculo caritatis congregavit, quæ etiam cum aliis incumbentibus rite per generalia concilia a Spiritu-sancto directa optime perfici possunt. Quamobrem si quis zelum Dei in corde gerat; si quis salutem animarum ac communem omnium profectum & utilitatem quærat, mox sacrum hoc concilium ampliare & promovere tenetur, ejus sacris determinationibus inhærendo, & quicquid eidem contrarium, repugnans aut præjudiciale cognoverit, possetenus impedire & tollere, & ab aliis ut auferantur viribus totis debet procurare; præsertim cum hæreticos de Bohemia ad hoc sacrum concilium pro ipsorum instructione & informatione per nostras littteras & oratores vocaverimus, ipsique Bohemi prædictis nostris oratoribus in Nuremberga existentibus, omnino velle suos huc destinare ambassiatores pridie rescripserint: ex quorum adventu in Spiritu-sancto merito sperandum est, quod audita instructione & informatione hujus sanctæ synodi, ad viam convertentur unitatis. Vos itaque, pugiles Christi ac fidei catholicæ zelatores, pro Dei honore, & nostræ rectissimæ fidei illibatione, ac pro omnium fidelium salute obsecramus & exhortamur per viscera misericordiæ Dei nostri, quatenus ad portandum in præmissis nobiscum onus superlaudabile & suave jugum Domini hujusmodi, quantocius poteritis, aliquos solemnes doctores & viros in divina & humana lege peritos, nobiscum saltem per tres aut quatuor menses permansuros, ad tam necessarium omni Christianitati opus ac commodum destinare velitis. Nam si viri sæculares corpora morti & facultates perditioni exponentes, totiens manu armata in Bohemiam profecti sunt, quanto magis viros ecclesiasticos dumtaxat verba pro tot animarum salute exponere convenit. Si quod autem impedimentum celebrationis & felicis successus hujus sacri concilii perceperitis, vir omnibus repellere curetis, & a tam sanctissimo proposito nullus vos deterreat per epistolam, vocem, vel alium modum qualitercumque, quoniam in hac stabilitate firmiter intendimus permanere. Rogamus ut harum litterarum tenorem, ubi visum fuerit expedire, publicari faciatis, ut viri litterati & bono publico affecti, audientes tantum bonum fidei in januis con-

fistere, ad illum promovendum libentius se accingant. Quod si forsitan nonnullos huc venire cupientes, inopia expensarum retrahi contingat, reverendi patres domini episcopi & alii prælati hic constituti, cognoscentes facultates ecclesiæ in nulla re laudabilius, quam pro fide & ecclesiæ defensione posse distribui, paratos se offerunt per tempus prædictum magistros & doctores pauperes huc venientes propriis sumtibus sustentare. Datum Basileæ die prima Aprilis, anno Dom. MCCCCXXXII.

EPISTOLA

PHILIPPI DUCIS BURGUNDIÆ ad concilium.

Declarat se Angliæ regi scripsisse, ut concilio adhæreat, seque eidem adhæsisse.

Anno 1431. 7. Aprilis. *Ex mss. Aquicinctensi.*

SAcrosanctæ generali Basileensi synodo, concilium generale facienti, ecclesiamque militantem repræsentanti.

Reverendissimi patres, venerabiles & præclari amici nobis dilectissimi, ad vestrarum paternitatum monitus justissimos, nobis per venerabilem religiosum priorem Chamberiaci, sacri generalis concilii nuncium declaratos, scripsimus affectanter modo regi cum supplicationibus & hortamentis copiosis, ut eidem sacro concilio velit adhærere, non sustinens quicquid a re hujusmodi sanctissima qualitercumque dehortari suaderet. Velit etiam ad hoc idem sacræ congregationis concilium suos solemnes ambassiatores destinare quambrevius, prælatos quoque suorum regnorum inducere, quatenus ad illud se transferant, ut tenentur. Scripsimus una cum hoc cardinali Angliæ avunculo nostro, ut velit ad id laborare, & operam dare quam poterit. Nos vero, reverendissimi patres venerabiles & præclari, concludimus & irrevocabiliter intendimus eidem sacro concilio firmissime adhærere, suisque laudabilibus cœptis assistere pro viribus, ambassiatamque nostram illuc propterea transmittere de proximo. Prælatos insuper ditionum nostrarum monuimus, & iteratis superadditisque vicibus excitare ac stimulare volumus, ut ad concilium accedant supradictum. Eia ergo reverendissimi patres venerabiles & præclari, huic salubberimo negotio divinitus non hæsitamus inspirato constanter persistere. Confortentur corda vestra, laboriosoque sudores speratum & debitum tantæ rei præmium alleviet. Jam dictus prior nuncius vester adhuc aliquantulum detinetur, donec venerint ambassiatores KAROLI Franciæ nobis adversantis, quos de die in diem venturos exspectamus. Reverendissimi patres venerabiles & præclari, amici nostri prædilecti, vestra beneplacita, quæ nobis assidue velitis intimare, parati sumus adimplere jocundanter, Altissimo suffragante, qui vos dirigat & conservet. Scriptum in villa nostra Divione VII. die Aprilis, anno Domini MCCCCXXXII.

PHILIPPUS dux Burgundiæ, Brabantiæ & Limburgi, comes Flandriæ, Artesii, Burgundiæ & Namurci, &c.

Sic signata, HIBERTI.

LITTERA IX.

DOMINI IMPERATORIS, &c.

Monet patres de proximo adventu cardinalis Anglici, & de his quæ papa machinatur ad dissolutionem concilii.

Anno 1431. 8. Aprilis. *Ex mss. Aquisinct.*

REverendissimis ac venerabilibus in Christo patribus & dominis, &c.

Reverendissimi in Christo patres, &c. recepimus per præsentem gerulum V. P. litteram super locatione domorum in civitate nostra Basileensi, in qua vos gravatos prætenditis, quam revera molestæ gerimus, & super eo civibus Basileensibus seriose scribibus & mandamus, ut modum portabilem super illo imponant. Scribimus etiam illustri locum tenenti nostro duci WILLERMO, ut omnem operam addat & sollicitet, quatenus illud quod exposcitis fiat. Est enim totum nostrum desiderium, ut personæ ad illud venientes, & ibi stantes, humaniter & benigne tractentur, nec aliud fieri permittemus. Mittimus etiam V. P. hic adnexas litteras ad prælatos & principes Germaniæ, ut ad ipsum concilium accelerent & mittant, & similiter ad certos reges, prout in copiis præsentibus intercluſis intuebimini. De aliis autem quæ occurrerunt, venerabiles episcopus Lausanensis, & decanus Trajectensis, & certi cives nostri Basileenses & Argentinenses, quos cum plena informatione ad vos misimus, vos, non ambigimus, jam clarius avisarunt. Verum, venerandi patres, quia semper cogitamus de his, quæ augmento & progressui hujus sanctæ concilialis synodi conferre possunt, noluimus præterire, quin & ea quæ occurrunt, P. V. significaremus. Audimus enim qualiter reverendissimus in Christo pater dominus cardinalis Angliæ pro sacro concilio multa commoda facere potest. Adhortamur ergo eum quatenus dum advenerit, firmiter adhæreat, & se non det in commotionem. nam audivimus, quod ulterius Romam ire velit. Et nos quoque præfato illustri locum tenenti nostro duci WILLERMO, & venerabili Ratisponensi episcopo super eo scripsimus, & informationes transmisimus, quibus viis secum agendum sit parte nostra. Et quicquid nobis de Roma novi advenerit, V. P. curabimus subito nunciare. Præterea, reverendissimi patres, dum hæc ipsa littera scriberetur, venit nobis una litteræ ambassiatorum

nostrorum de Roma, in qua nobis scribunt, qualiter dominus noster papa mandaverit reverendissimo patri domino cardinali sancti Angeli, ut omnino de Basilea recedat, & intret aliam civitatem Almanniæ, pro celebrando provinciali concilio, pro reformatione cleri Almanniæ, & exstirpatione hæresum tantum. Item, quod idem dominus cardinalis V. P. conetur flectere, ad consentiendum quod concilium generale Bononiæ vel Romæ ad statim celebretur. Item, qualiter dominus noster papa quemdam episcopum [a] (a) Matisconensem ducatus Burgundiæ expediverit Basileam, qui jam est in via, ad pervertendum bonas voluntates vestras, & signanter ad ducem Burgundiæ, ducem Sabaudiæ, Ludovicum Palatinum Rheni, ad dominos archiepiscopos electores, & alios quamplures, requirendo eos, ut non adhæreant concilio, neque suos illuc mittant, immo revocent, si quos ibidem habent. Item qualiter ipse dominus noster papa decreverit mittere quatuor viros notabiles & doctores, ad conferendum cum P. V. super facto concilii, &c. quæ revera omnia nobis molestiam inferunt, quod dominus noster papa ad dissolutionem hujusmodi concilii tantum laborat, non attendendo pericula & scandala, quæ evidentissime in subversionem fidei imminent, præcipue factum Bohemorum, qui Basileam venturi sunt, ut ex copiis nobis per vos transmissis clare percepimus. Et aliunde etiam avisati sumus, quod Bohemi nullatenus ad concilium particulare venirent, quia aperte dicunt, se ad generale concilium vocatos esse, nec etiam venirent ad quascumque partes Italiæ, quia ad Basileam vocati sunt, & infinita fatiga requiritur eos illuc posse conduci. O Deus! quid dicent Bohemi, si hoc fiet, videntes universalem ecclesiam occasionem quærere? Nonne clamabunt, quod subterfugia quærimus, & propter timorem eorum loca mutamus & tempora? Parcat illis Deus qui talia suggerunt, per quæ tantum bonum, proh dolor! negligi potest. Scribimus etiam prælatis & principibus, præveniendo ea quæ ex Romana curia ad eos mittuntur: Rogantes, obsecrantes, & requirentes vos, quatenus in hoc necessitatis articulo constantes & robusti esse velitis, non permittentes vos seduci quorumcumque persuasionibus, nec locum mutari, quia mox per indirectum sequeretur ipsa dissolutio. Scribentes etiam una cum litteris, nostris regibus, prælatis, rectoribus, & aliis, ut concilio sacro adhæreant, nec flectantur in devium per quemcumque ad eos missum, nisi velint fidem & ecclesiasticum statum subverti. Velitis etiam avisati & præmuniti esse, ut si id episcopus Matisconensis, seu illi doctores papales advenerint, ut justitiam vestram sciatis defendere. Alia ad præsens non occurrunt, nisi quod vobis constanter adhærebimus, quoniam in hoc facto nihil tantum requiritur, quantum animositas, fortitudo animi, & perseverantia: quibus habitis, res, Deo dante, votive succedent. Et quamvis dominus noster papa erga ambassiatores nostros in responso adhuc durus sit, sperant tamen de meliori, & quicquid inantea habuerimus, vobis curabimus subito nunciare. Datum Parmæ die octavo Aprilis MCCCCXXXII. regnorum nostrorum, &c.

Sigismundus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, ac Hungariæ & Bohemiæ, &c. rex.

(a) is erat Johannes *de Treveriis* decretorum doctor, anno circiter 1431. creatus episcopus, & anno sequenti missus ab Eugenio IV. papa Trajectum ad Rhenum, ut eivs qui ab episcopo defecerant suos ad debitum revocaret obsequium.

EPISTOLA FRIDERICI ducis Saxoniæ, ad sacrum concilium.

Excusat se quod propter Hussitarum tumultus episcopum Misnensem ad concilium non miserit.

Anno 1431. 28 Aprilis. Ex ms. Aquisgranensi.

Sacrosanctæ synodo Basileensi in Spiritu sancto legitime congregatæ, universalem ecclesiam repræsentanti, Fredericus Dei gratia dux Saxoniæ, sacri Romani imperii archimarescallus, Thuringiæ Lantgravius, marchio Misnensis, & princeps elector, pronam in eo & propter eum qui corda fidelium dirigere & illustrare dignatur, obediendi voluntatem.

Antiqui patres Christi adventum non expectarant ardentius, quam nos hujus sacri concilii Basileensis, siniştro rumore revocationis ejusdem & translationis agitati, saluberrimam perpetuitatem; cujus voluntas est præterita mala lenire, difformitates in ecclesia Dei suoque imperio ad reformationem vere felicem, damnabilem hæresim desideratis edictis evellere, diversarum dolores mentium fugare, & oppressos multarum tribulationum aculeis relevare, prout super his litteræ vestræ sacræ synodi nuper nobis missæ, fidem fecere sufficientem: inter cetera, quatenus doctos juris divini & humani nostræ ditionis, & præcipue reverendum in Christo patrem dominum Johannem episcopum ecclesiæ Misnensis, sacræ theologiæ professorem, ad dictam sacrosanctam synodum mittere curaremus, indicantes. Cumque, patres & domini, prædictæ sacræ synodi directores & gubernatores disertissimi, nostri cordis aciem ad certos, prout refertur, peritos ac expeditos legandos destinassemus, nedum vestris jussionibus præcurrentibus, immo diversis anxietatibus, tum ipsorum hæreticorum Bohemiæ, dominantium nostris dominiis vicinorum, nostrasque terras suis potestatibus, quod summa avertat potestas, subjicere satagentium; tum ex multis aliis di-

risque necessitatibus per oratores nostros demum mittendos exponendis, inimicus Dei & hominum, ductor & rector perfidiæ hæreticorum, filios iniquitatis Bohemiæ hæreticos in terra Lusaciæ, quam prædis, incendiis, & perturbationibus innumeris subdiderunt, nuper collocavit, & eosdem ad marchionatum Brandeburgensem demum traduxit, quem hodie supprimere moliuntur, devastationi commendare, & in retrocessu ducatum nostrum Saxoniæ tamquam viam ipsis congruam, cum callidis ipsorum machinationibus, & turbidis horroribus, quibus itinerando consueverunt insudare, nituntur pertransire: quod ipsius adjutorio qui pro nobis pependit in ligno, intendimus remediari. Eapropter nostrum fecimus congregari exercitum, eumdem illustri principi domino JOHANNI marchioni Brandeburgensi consanguineo carissimo quantocius transmissurum, * felicem & victricem expectantes triumphum. Estne ratio propter quam velociter nostros doctos modo præmisso, præsertim dominum JOHANNEM episcopum ecclesiæ Misnensis, cujus potentia ac jure non modicum censetur opportuna, mittere nequeamus, prout super his vestri continentia affectus ostentarat? Nihilominus ad dictam sanctam synodum, cujus rem in præsentiarum gerimus, post rei prædictæ exitum, nostros cum qua poterimus festinitate mittere, nosque in ipsius nomine cujus congregata non hæsitatur, teneres manus nostras exponere non prætermittemus, quemadmodum possetenus nos fecisse dudum est compertum, quod brevi compendio potius libet præterire, ex quo quid fecimus non sit peregrinum, quam jactando animos devotarum mentium perturbare, licet auspicia demeritis forte nostris & plurimum dissuadentibus licia venerint, heu! subtracta. Cum igitur patribus prioribus desiderio ardenti supplicamus, quatenus sacrosanctam vestram synodum præfatam eatenus dignemini confovere, quatenus Dei honor multiplicetur, ecclesia ipsius salubri regimine sustentetur, lolium hæreticæ pravitatis suffocetur, ne tota Christianitas ejus versutiis formidolosis supplantetur; ut cuncti quorum interest, nosque, qui diei & æstus pondere a perfidis Hussitis dudum & sæpenumero offensi hodieque premimur, subito liberemur, ita quod exclamare poterimus cum sanctis patribus: *Veni ad liberandum nos* principes & fideles Christi, *ostende faciem tuam & salvi erimus.* Hoc est enim quod ingemiscimus, hoc est quod suspiria nostra quærunt, sub umbra alarum vestrarum quiescere, & vestris decretis salubribus errores submovere universos, ad quod Altissimus dirigat corda & corpora vestra. Datum in civitate Misnensi XXVIII. mensis Aprilis &c.

* *Id est* transmittendum.

LITTERA SACRI CONCILII responsalis litteræ superius scriptæ, &c.

SAcrosancta, &c. illustri ac potenti principi domino F. duci Saxoniæ, & marchioni Misnensi, &c. salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Audivimus, inclyte princeps, ex vestris litteris excusationes sufficientes, cur ad præsentem synodum nequivistis hucusque, ut optabatis, legationem vestram transmittere, adventumque reverendi patris episcopi Misnensis *impeditum*. Nobis siquidem summe displicet illorum Hussitarum temeritas & bellica rabies, qua catholicos invadere & possetenus suis ditionibus subjugare enituntur. Laboramus possetenus ad eorum reductionem, & tantorum malorum cessationem. Prosperet Deus, cujus res agitur, vestros conatus, & ad effectus votivos perducere dignetur. Exhortamur autem in visceribus Christi vestram illustrem dominationem assidue agere, quæ noveritis sacro huic concilio convenire, & pacto negotio vestri exercitus, prostratis aut expulsis fidelium inimicis, quantocius oratores vestros, dictumque reverendum patrem episcopum Misnensem præcipue, cujus præsentia propter ejus scientiam, experientiam & virtutes, maxime dum præfati Bohemi advenerint, quamplurimum *desideramus unum ex dictis vestris oratoribus*, quemadmodum scriptis vestris nobis insinuastis. Placeat etiam vestris expensis, cum, ut audivimus, suis propriis sumtibus venire ac stare non possit, ac ceteros dominiorum vestrorum prælatos ad hanc sacram synodum transmittere. Sic enim participes efficiemini maximorum meritorum & sanctissimorum operum, quæ in hac sacra conventione aguntur, & amplius in dies perficientur, cum Spiritus sancti directione, qui præfatam dominationem vestram inclytam illustret dona suæ gratiæ conferendo, & ad æternam patriam feliciter perducendo, ut optamus. Datum, &c.

EPISTOLA EUGENII PAPÆ IV. ad Sigismundum regem Romanorum.

Promittit se missurum aliquos suo nomine ad concilium.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Sigismundo Romanorum, &c. S. & A. B. Anno 1434, 1. Maii. *Ex mss. Aquicinctinensi.*

Grata nobis dies illuxit ex paterna affectione quam tuæ serenitati gerimus, cum pridem vidimus oratores tuos, sperantes ex ipsa tua serenitate finem salutarem ecclesiæ Dei & pacem universo populo Christiano, quibus anxius mentis ardor, omnis sensus,

& meditationes noſtræ, omniſque demum nos opera & cura ſollicitant. Nam cum directum noſtrum ad univerſalem ſalutem officium videamus, cui ſub continuatæ religionis inſtituto, ut mundo cognitum eſt, ſemper anhelavimus, poſtquam in hanc ſedem, in hanc ætatem, in hanc mundi neceſſitatem provecti ſumus, quæ nos diſcordia rationis vexaret, ſi præcogitatum præcognitumque nobis finem deſereremus? Nam per anteactam ætatem ſi religioni ad alium finem dicavimus noſtras operas, ſi alium adhuc quam ſalutis Chriſtianæ finem nobis præfiguravimus, teſtamur in nos ipſum omnipotentem *Dominum, cujus ſemitam ſervare aſſeverabimus* ſecuri & intrepidi, quantumcumque in adverſum filii iniquitatis niterentur. Hoc igitur præfixo nobis fine, avide præſtolati ſumus, ſi tua ſerenitas, quam ſemper Chriſtianiſſimam putavimus, in hunc finem duceretur. *Quamobrem attente ſatis animadvertimus* quæcumque oratores ipſi tuæ ſerenitatis diverſis articulis explicaverunt, quibus reſpondere diſtulimus, propter expectare reſponſum oratorum noſtrorum, quos ad tuam ſerenitatem deſtinavimus; quibus *auditis, magnam affectionem noſtram brevibus* litteris expandere aut patefacere non valentes, ſperantes præſto affuturum acceſſum tuum ad hanc Urbem pacificum, quietum, & tranquillum, quodque cum tua ſerenitate multa prementia mentem noſtram *communicare poterimus; non oportere* arbitrati ſumus ad præſens ipſis articulis ſigillatim reſpondere. Nam cum tua ipſa ſerenitate, quæ nos gravant gerendarum rerum pondera partiemur, & invicem dare poterimus operas efficaces ad ea quæ ſpectant communi bono Chriſtianorum. Verum quia ſerenitas tua nobis referri fecit, nec ſuper mutatione loci concilii, nec ſuper temporis prorogatione aliquid poſſe tractare, ſed hoc tractandum ſpectare & pertinere congregationi exiſtenti in Baſilea, quodque ad ipſam civitatem Baſileæ nuncios noſtros mitteremus, inſtituimus propterea mittere perſonas eccleſiaſticas notabiles ad ipſam congregationem Baſileæ, ad conveniendum mutuoque deliberandum quæcumque expedientia videbuntur pro conſequendo omnium & ſingulorum effectu, pro quibus celebrandum venit concilium generale. Diſponimus enim ita ad univerſalem Chriſtianitatis ſalutem omnes vires noſtras intendere & procedere, quod eadem tua ſerenitas & totus mundus merito contentari debebunt, percipientque nihil honeſtum ad hunc finem nos prætermiſſuros, & ſine moræ diſpendio, etiamſi quod ſupra vires eaſdem noſtras præſtabit Altiſſimus, colligemus, noſque totos multiplicabimus his rebus ad Dei laudem catholicæque eccleſiæ reformationem & univerſale bonum profuturas eſſe credemus. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXII. calendis Maii, pontificatus noſtri anno ſecundo.

SEQUUNTUR INSTRUCTIONES datæ domino Petro Pointeti, *ſuper agendis Baſileæ pro parte oratorum domini noſtri papæ.*

PRimo, præſentata littera credentiali reverendiſſimo domino domino legato S. Angeli, ſupplicet dominationi ſuæ, quatenus ob reverentiam domini noſtri, amorem ipſorum dominorum, procuret, ut habeat tres ſalvos-conductus, unum ab his qui dicuntur facere concilium in Baſilea & eorum præſidentibus, alium a domino duce WILLELMO locum tenente pro ſereniſſimo domino rege Romanorum, tertium vero ab *ipſis civibus ſive magiſtris* civium cum clauſulis opportunis & maxime infraſcriptis. *Ex mſ. Apt. cinſenſi.*

2. Quod præfati oratores & nuncii, ſcilicet reverendi patres & domini JOHANNES archiepiſcopus Tarentinus, ANDREAS archiepiſcopus Collocenſis, BERTRANDUS epiſcopus *Magalonenſis* & ANTONIUS DE S. VITO, juris utriuſque doctor, domini noſtri papæ capellanus, & ipſius ſacri palatii cauſarum auditor, cum familiaribus ſuis omnibus & ſingulis, ac equis & rebus omnibus poſſint & valeant tute, libere, ac ſine ullo gravamine, *necnon offenſione reali vel verbali* omnes civitates, terras, oppida, & villas, ac loca, & ſtratas ſubjectas, & ſuppoſita tam civitatis Baſileenſis, quam ſereniſſimo domino regi Romanorum, & etiam cuicumque communitati, vel domino tam ſæculari quam *eccleſiaſtico confœderato, cum præfatis dominis*, ſcilicet domino rege Romanorum, civitate Baſileenſi, & dominis ibidem congregatis, vel aliquo ipſorum uſque ad Baſileam incluſive & ultra, quocumque ire voluérint, ibique tute & libere ad ſui beneplacitum ſtare & morari valeant, necnon libere, pure & privatim loqui, exponere, & tractare valeant, etiam & ſingula quæ placuerit præfatis dominis oratoribus quæ expedire videbuntur pro ſanctitate domini noſtri papæ, ſine periculo, moleſtia, vel offenſa cujuſcumque perſonali, vel reali, ſeu verbali; in eaque civitate Baſileenſi tute & libere, necnon ſecrete & impune mittere & recipere valeant omnes & ſingulos nuncios & familiares, undecumque mittendos vel ad quemcumque per ipſos dominos mittendos pro rebus & negotiis eis commiſſis vel committendis ac rebus aliis quæ videbuntur eis expedire.

3. Item, quod inde præfati domini oratores & nuncii cum perſonis ſuis ac familiaribus, necnon equis, bonis, & rebus ſuis & ſuorum, ad ſui beneplacitum, ſine alia requiſitione, vigore præfatorum ſalvorum-

conductuum

conductuum poſſint & valeant libere, tute, & impune recedere, ſine alicujus cujuſcumque contradictione vel offenſa, damno vel injuria, tam perſonali quam reali & verbali, & ſe transferre ad quæcumque loca eis dominis placuerit, in eiſdemque ad libitum morari & ſtare valeant, &c. & quod data præfatorum ſalvi-conductuum trahatur & extendatur a die datæ litteræ credentialis per ipſos dominos oratores datæ in perſona domini Petri domino cardinali, hoc eſt ad diem IX. Julii MCCCCXXXII.

4. Ponantur etiam omnes aliæ clauſulæ, quæ videbuntur expedire, ſcilicet ſine impedimento juris vel facti, ſecundum naturam trium ſalvorum-conductuum, per tres partes dominorum prædictorum.

EPISTOLA JOHANNIS

ducis Bethfordiæ, ad concilium Baſileenſe.

Excuſat epiſcopos Morinenſem, Noviomenſem, Belvacenſem & Pariſienſem pro regni negotiis occupatos, quod perſonaliter ad concilium non accedant.

Anno 1432. 7. Maii. *Ex mſ. Apoſtolicenſi.*

REverendis in Chriſto patribus & amicis cariſſimis, cardinali S. Angeli præſidenti, prælatiſque & ceteris, &c.

Quamquam, reverendiſſimi in Chriſto patres & amici cariſſimi, pro re tanta tamque ſalubri & neceſſaria, utpote pro exſtirpatione illius peſtiferæ hæreſis, proh dolor! pullulantis Bohemorum, ac univerſalis eccleſiæ in capite & in membris reformatione, necnon totius populi Chriſtiani unione & tranquillitate, ad quæ vos feliciter pervenire concedat auctor ille, cui ſervire regnare eſt. Vos pro ſacri generalis concilii celebratione in Baſilea civitate congregati in unum, litteras a veſtris paternitatibus emanantes, prælatis hujus regni monitorias, cum præcepto & injunctione dictum ſacrum concilium perſonaliter adeundi, tranſmiſeritis; ſingulos exhortantes ſub gravibus pœnis, ne differant ad hujuſmodi concilium dirigere ſuos greſſus; quas incidere nec immerito formidantes reverendi in Chriſto patres, epiſcopus Morinenſis (*a*) conſanguineus meus prædilectus, cancellarius Franciæ, necnon Belvacenſis, (*b*) Noviomenſis, (*c*) & Pariſienſis (*d*) epiſcopi, domini mei regis conſiliarii ſpeciales, præmiſſa mihi retulerunt, & veſtris litteris acquieſcere parati, regiæ celſitudinis, cujus nomine in hoc Franciæ regno fungor regentia & regimine, intentionem & voluntatem requiſierint ſibi ſuper hoc aperiri, & licentiam impertiri. Nihilominus reverendiſſimi in Chriſto patres & amici cariſſimi, ex eo quod præfatus domini mei regis cancellarius Franciæ & conſiliarii prædicti, pro rebus arduis & negotiis publicis dictum dominum meum regem & rempublicam hujus ſui regni Franciæ vario modo concernentibus, & in conſiliis ſuis de die in diem occurrentibus, ſunt continue adeo præpediti, quod ſine magna ipſius domini regis jactura, poſſent a ſuo, immo reipublicæ dicti ſui regni, ſervitio diſcedere, attenta potiſſime & ſpecialiter materia, quæ per adventum reverendiſſimi in Chriſto patris cardinalis S. Crucis ad has Franciæ partes ſanctæ ſedis apoſtolicæ legati, eſt in brevi, Deo duce, pertractanda, ſuper quo jacta ſunt jam aliqua præparatoria ſive fundamenta; in qua quidem materia dictus dominus meus rex & ego præſentia & aſſiſtentia dictorum cancellarii Franciæ & conſiliariorum, qui principales exiſtunt, in deductione negotiorum hujus regni, multum indigemus, non poſſunt a ſervitio dicti domini mei regis commode diſcedere de præſenti, rationibus prætactis & aliis pluribus de cauſis, quas longum eſſet calamo explicare. Quapropter, reverendiſſimi in Chriſto patres & amici cariſſimi, vos cordialiter requiro & exoro, ut cancellarium Franciæ & alios tres conſiliarios ſupradictos, ut prædicitur, continue in obſequiis regiis & reipublicæ regni occupatos, ſi perſonaliter non adeant, dum tamen procuratorium ſufficiens ibidem pro ipſis aut quolibet ipſorum ad omnia ſuo nomine peragenda, quæ ſancta ſynodus ſtatuere decreverit, tranſmittere non omittant, veſtræ dignentur paternitates reverendiſſimæ tenere & habere, domini mei regis & mei contemplatione, excuſatos: ſcientes, patres reverendiſſimi & amici cariſſimi, quod dum temporis opportunitas ingruerit, & res ac negotia hujus regni poterunt ſub aliquo tuto ſiſti & diſponi, cupiens exitum felicem rerum per vos ſalubriter inceptarum, dictis reverendis epiſcopis Morinenſi, Belvacenſi, Noviomenſi & Pariſienſi, cancellario & conſiliariis dicti domini mei regis, ſuæ voluntatis habenas laxare non differam; quin immo, quantum erit mihi poſſibile, operam dabo pro tam ſalubri negotio, puta pro unitate ſanctæ fidei orthodoxæ, & exſtirpatione hæreſum de domo Dei, quibus de cauſis veſtrum cœtum in Spiritu-ſancto ſcio congregatum, quem feliciter dirigere, & ut conſtanter perſeveret concedere dignetur ille, cujus res agitur, Filius Virginis glorioſæ. Scriptum Pariſius die VII. Maii.

JOHANNES gubernans & regens regnum Franciæ, dux Bethfordiæ.

MILET.

(*a*) Is erat Ludovicus de Luxemburgo, præſes cameræ computorum Pariſiis, atque Henrici Angliæ regis dictus cancellarius, cujus inauguration in æde Pariſienſi S. Mariæ interfuit.

(*b*) Petrus *Cauchon* doctor Pariſienſis, factione ducis Burgundiæ factus epiſcopus Belvacenſis, Henrico regi Angliæ addictiſſimus, cujus judicio Johanna de Arcia puella Aurelianenſis flammis addicta eſt.

(*c*) Johannes *de Mailly*, qui poſtea fuit unus ex conciliatoribus pacis inter Philippum ducem Burgundiæ & Carolum VII. Franciæ regem Atrebati in monaſterio S. Vedaſti initæ.

(*d*) Jacobus *du Chaſtellier*.

EPISTOLA PETRI BELVACENSIS, Johannis Noviomenſis, & Jacobi Pariſienſis epiſcoporum, ad concilium Baſileenſe.

Occupati paci in regno componendæ, excuſant ſe quod perſonaliter ad concilium non veniant.

Anno 1432. *Emſ. Aquicinctenſis.*

REverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, &c.

Magnam veræ exultationis materiam, reverendiſſimi patres ac domini, veſtræ patentes litteræ nobis juſſu veſtro præſentatæ tribuerunt. Quid enim lætius audiri ſoleat, quam veſtrum glorioſiſſimum cœtum ad exſtirpationem hæreſum de domo Dei eſſe in Spiritu-ſancto congregatum? Quid præterea deſiderabilius in rebus terrenis ac mortalibus valebat concupiſci, quam ſponſam Chriſti catholicam eccleſiam ad componendum pacem in Chriſticola populo eſſe cum Deo Abraham congregatam? Neque enim poterat aptiori ullo medio, quam illa felici veſtra congregatione pax Domini exilio relegata, populo fideli, cui Chriſtus illam teſtamento reliquit, redonari: quam tamen qui perdiderit, niſi eam ſollicite experat & requirat, inevitabiliter, Auguſtino teſte, abdicatur a Patre, exheredatur a Filio, & nihilominus a Spiritu-ſancto alienus efficitur. Quid denique melius inveniri delectat, quam mores ac vitam eccleſiæ, qui in tantam omnium abominationum creverunt inſaniam, ut vix umbram prioris habere videantur eccleſiæ, ad antiquam gravitatis ac ſanctitatis innocentiam reparari? Sic enim eccleſiæ triumphanti ſimilata, ſine macula atque ruga, abjecta priori vitiorum fœditate, caſtis ſe æterni ſponſi læta reddet amplexibus. Gratulamur igitur plurimum, reverendi patres ac domini, ſancto illi propoſito, vobis, ut firmiter arbitramur, cœlitus inſtillato, quo ſic decorem domus Dei diligentes, ejus miſerationis oculo languores aſpicitis, lugetis miſerias ejus, denique irreparabili propemodum ruinæ, antequam ſpes ſalutis ejus excidat, mederi diſponitis. Venit enim tempus miſerendi ejus. Sed ex adverſo non minus affligimur, quod ſanctæ illi congregationi, mandatis veſtris obtemperando, ut vellemus, & Deo teſte optaremus, nunc perſonaliter intereſſe non poſſumus, quod meritorum veſtrorum ac laborum, immo & altiſſimorum, quæ vos manent apud divinam miſericordiam, præmiorum conſortes eſſe nequimus. Mente enim tenemus noſtrum quemlibet ſanctiſſimis patrum ſynodis intereſſe, cum ipſum ad eas vocari contigerit, in ſua conſecratione jeraſſe: quod etiam libentes, viſa neceſſitate urgenti, abſque ullo ſuperiori præcepto, ſi noſtræ poteſtati ſubeſſet, faceremus; ſed non latet V. R. P. ſanctiſſimum dominum noſtrum ſummum pontificem, hujus regni Chriſtianiſſimi, quod baculus & firmamentum eccleſiæ Romanæ eſſe ſolebat, miſeratum labores, ad componendam pacem inter principes ipſius, dominum cardinalem S. Crucis cum poteſtate legati a latere, ad has partes Franciæ deſtinaſſe, cujus medio ac providentia jam aliqua tractandi cum diſſidentibus partibus jacta ſunt fundamenta. Non ignoratis etiam, patres ſancti, quantum fructum, non tantum regno huic, ex quo ſalus aliorum non modicum dependere videtur; ſed & eccleſiæ univerſæ ac rei quam cœpiſtis pax iſta ſit, Deo auctore, allatura; ad quam tamen cum domino cardinali præfato pertractandam, regiis præceptis, quibus in re tam ſalubri inobedire non licet, ſumus conſiliarii atque aſſeſſores evocati, abeundi a regno nobis ſimpliciter interdicta licentia, donec quid in hac re tam ardua poſſibile fuerit, ſit compertum. Nec tamen ab hoc veſtro penitus aberimus conſortio glorioſo: mittimus enim nonnullis veſtri percelebris cœtus reverendis patribus ac præclaris doctoribus & magiſtris plenariam poteſtatem ac ſpeciale mandatum ad omnia nomine noſtro vobiſcum peragendum, quæ ſancta ſynodus, aut major pars ipſius ſtatuere decreverit. V. R. P. affectuoſiſſime deprecantes, quatenus excuſationes noſtras legitimas ac neceſſarias admittentes, nos habere dignemini, prout rationis ordo dictat, excuſatos. Sed nihil vos, obſecramus, a proſecutione cœptorum impediat, aut retardet. Omnes enim aliæ ſunt a vobis curæ, quæ hoc unum bonum impedirent auferendæ, tamquam utilitatis publicæ turbativæ, immo omnium malorum in agrum eccleſiæ inductivæ. Tantus præterea debet illius finis in vobis ardor eſſe, tanta affectio, tantum deſiderium, ut omnis via bona videatur, qua ad tantum poſſit bonum pertingi, & omnis mala, qua a tanto bono averti aut elongari contingeret. Scimus enim vobis non defuturas ſatanæ contrarietates ac inſidias, quæ jam glorioſum cœtum veſtrum ſolvere, ac voluntates veſtras, ut audivimus, rumpere pertentant. Sed circa talia elucebit virtus veſtra, & exercebitur, ſuamque vim & potentiam atque victoriam demonſtrabit, quæ multo minus laudis aſſequeretur, ſi per plana & facilia eſſet ad præſtitutum finem veniendum, ad quem inoffenſo calle dirigere dignetur R. P. V. ille cujus res agitur, ſponſus & paſtor eccleſiæ JESUS CHRISTUS. Scriptum Pariſius.

Veſtri glorioſiſſimi cœtus humiles capellani, domini noſtri regis Francorum conſiliarii.

P. Belvacenſis,
Jo. Noviomenſis,
Ja. Pariſienſis epiſcopi.

EPISTOLA CONSERVATORUM

& capitum regionum urbis Romæ, ad Sigismundum regem Romanorum.

Laudant ejus zelum pro concilio celebrando, inſtantque ut illud Romæ celebretur.

Anno 1432. 8. Maii. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

SEreniſſimo ac invictiſſimo principi & domino, domino SIGISMUNDO Romanorum, Bohemiæ, Hungariæ, &c. regi, benefactori noſtro.

Conſervatores & capita regionum almæ Urbis regimini præſidentes, populuſque Romanus. Invictiſſime rex, majeſtati veſtræ ſeſe admodum commendant: qui quidem ubi adventum veſtrum in Italia eſſe cognovere, quam maxima voluntate affecti ſunt. Tanta enim, ut nihil plane ſuavius, nihil gratius, nihil denique expectatius hoc quidem tempore illis eſſe potuiſſet, præſertim cum compererint eo animo, eoque inſtituto vos id facere, ut & flagrans bello Italia tandem aliquando veſtra auctoritate ac diligentia pacata ſit, & aureo illo atque imperatorio diademate in hac urbe Roma digniſſima veſtra tempora exornentur. Quæ quidem cum majeſtati veſtræ, tum populo Romano optatiſſima ſunt, non diutius univerſæ Italiæ, cui nihil optatius eſſe debet, ſed & aliud unum eſt, & multo excellentius, quod, ni fallimur, ſereniſſima veſtra majeſtas nullomodo prætermittere inſtituit, in primis agendum eſſe dixit, quod ut quam primum generale concilium celebretur, cum ad diluendam hæreſim, tum ad augendum, tutandum amplificandumque Chriſtianum populum. Sunt profecto, ſereniſſime rex, illa duo ſuperiora magnopere laudanda, ſed hoc tertium non jam laudandum, ſed potius honorandum, cum divinitatis plurimum particeps videatur, atque ne litteræ vagentur, ita & hoc tertium Romano populo placet, ita gratiſſimum eſt, ut nihil honoretur, & quaſi diuturna ſiti gravatus avidiſſime id efflagitet. Itaque, ſereniſſime rex, jam habet celſitudo veſtra ad unamquamque rem, quam ſibi agendam eſſe nunc cupiat, Romanum populum paratiſſimum, quod quidem haud parvi faciendum eſt. Quem quidem in hujuſmodi rebus magnum adjumentum afferre ille poſſit veſtræ imperatoriæ voluntati, ſed eam legem habet, ut invito SS. domino noſtro ſummo pontifice nihil umquam non ſolum fiat, ſed nec quidem cogitetur. Non enim contra ſanctiſſimam & Romanam eccleſiam tentare volumus, ſed illam ipſam & opere & conſilio in omni re defendere: ſiquidem ad necem expoſiti non ſolum ipſimet, verum & conjuges & dulciſſimi filii ante ora patrum ſemper erunt pro ipſa Romana eccleſia liberanda. Hæc ſcribimus, ut celſitudinem veſtram non in hoc aliquid diſſentire ſentiamus, ſed ut ardentiorem animum noſtrum intelligatis. Abſurdum enim foret putare illum ipſum contra Romanam eccleſiam umquam eſſe facturum, qui quidem omni ſtudio curaque ſemper elaboravit eamdem extollere, qui ſemper arma ſumſerit in clauſtris eccleſiæ defendendis, qui omne tempus ætatis ſuæ conſumſerit, ad id dumtaxat efficiendum, ut magis magiſque cotidie illa floreat. Quod ut ita ſit, non moleſtum vobis fore arbitramur, ſi circa celebrandum concilium noſtram omnem ſententiam his pauciſſimis oſtenderimus. Sumus plane, invictiſſime rex, ea mente eoque conſilio, ut nihil utilius nihilque æquius jam ſit, quam ut id etiam cum reliquis omnibus Romæ fiat, quod autem nihil æquius ob loci dignitatem atque præſtantiam, etenim quæ civitas tam clara, magnifica, excelſa ullo umquam tempore fuit, quæ vel imperio, vel in omnibus huic Romanæ fuerit comparanda? Quod ſi id imperium ſpeculatur, hæc illa profecto eſt, a qua ſereniſſimum nomen imperii emanavit. Hæc illa eſt quæ univerſo terrarum orbi dominata eſt, quæ & inſtitutis & legibus non modo ſibi optima fuit; ſed omnem mundi plagam quaſi ſale condivit, adeo quidem ut uſque in noſtra tempora jam nulla jura, niſi quæ a Romanis introducta ſunt, obſerventur. Hæc eſt illa civitas, in qua clatuit ſemper Chriſtiana fides, in qua ſedes ſummi pontificis conſtituta eſt, in qua Petrus ille princeps apoſtolorum eſſe voluit, cujus veſtigia ac reliquias omnes poſtea pontifices uſque in hunc diem quoad fieri licuit, diligentiſſime conſecuti ſunt. Et quoniam majores noſtri id optimum factu cenſuerunt, hanc ipſam ampliſſimis dotibus munire, & eo maxime, ut numquam ullo tempore hinc ea ſedes dimoveretur. Quid dicemus de infinita pene copia SS. corporum, quibus hæc noſtra inclyta civitas paſſim quidem ornata eſt? tot enim illa ſunt, ut in commemorandis ſolum omnium ille hiſtoricorum princeps & eloquentiæ Tullianæ fluvius claudicaret. Sed nos pro tempore pauca nunc in medium afferamus. Hæc illa eſt urbs, ſereniſſime rex, quæ & apoſtolorum Petri & Pauli, Simonis, Judæ, Philippi, Jacobi, Mathiæ ac Bartholomei ſepulchrum eſſe meruit, & Johannis Baptiſtæ divino illo ac mundano capite gloriatur. In hac Stephanus, Laurentius, Fabianus, Sebaſtianus, contineri mortui voluerunt: qui quidem glorioſiſſimi omnium martyrum & habiti ſunt & fuere. In hac & Gregorius & Hieronymus præſtantiſſimi illi doctores ſepulti eluceſcunt. In hac & Agnetis & Ceciliæ ſanctiſſima & immaculata corpora venerantur, atque una omnium voce duo ſplendidiſſima virginitatis exempla. Ad ſummam, o invictiſſime rex, hæc illa eſt civitas, in qua &

domini noſtri ſanctiſſima & veriſſima vultus effigies, quæ vulgo Sudarium appellatur, ſemper exiſtere dignata eſt. Quæ omnia cum animo volvimus, non poſſumus non judicare, jam in hoc ipſo concilio celebrando & optimum auſpicium & firmamentum procul dubio futura eſſe, tum ad defendendam ipſam eccleſiam, tum ad hæreſim deprimendam, cum profecto non ſatis appareat, quis dignior, ac proinde quis æquior locus inveniatur. Tum & alia ſunt, quæ quidem in hujuſmodi rebus in primis quæri ſolent, vel quibus veſtra ſereniſſima majeſtas facile ſibi perſuadere debet hoc ipſum concilium non alibi quam Romæ celebrandum eſſe, tum ad opportunitatem veſtram, tum omnium gentium, quæ in iſto cœtu atque conventu futuræ ſunt. Nam ſuſcepto aureo illo atque imperatorio ferto, quid optabilius nunc ſerenitati veſtræ fuerit non ſatis conſtat, quam ut quam primum fieri poſſet, hoc reliquum abſolvere. Sed ubi id maturius quam Romæ? ubi tam opportune, ut videtis, ſingulis cum beatiſſimo papa noſtro veſtra celſa ſerenitas eſſe honori poterit, quod quidem potentiſſima pars eſt ad rem peragendam. Præterea hic fere univerſa eſt curia, quæ cum non mutandum eſſe ſibi locum hac de cauſa animadverterit, vix ſe præ gaudio tolerabit, quando quidem peragrare totum orbem per mille ſaltus & latrocinia in ſummo vitæ periculo non opportebit. At vero ſi quis abſens fuerit, quandoque pauci ac rari illi ſunt, longe commodior huc quam alio proficiſcendi facultas ſibi erit, cum locus ille ad unamquamque provinciam æque ſpecter. Præterea libentius huc quam alio accelerabunt, tum quia locus eſt tranquillus, & in ſumma pace conquieſcit, tum quia neceſſariis omnibus quæ ad victum pertinent fœcundiſſimus ſimul atque lautiſſimus eſt. Quid plura videre in hac creditum nobis fuerit, jam quicquid optet alta veſtra ſerenitas, confectum eſſe, ac propterea ducere jam vos nobis ante oculos glorioſiſſimum illum Romanorum regem, quali celſitudo veſtra jure optimo forma deſiderat, vel qualem longo jam tempore in tam inclyto triumpho neminem comperimus. Sin autem ſecus a veſtra majeſtate peragitur, veremur ne in aëre piſces vos piſcari exiſtimemini. Nam res in diſpendium pertrahetur; quod quidem, ut cujuſdam ſapientis ſententia eſt, rebus magnis plerumque afficit: quarum etſi merito atque commodiſſime, cum etiam incredibili ornamento ac gloria majeſtatis veſtræ omnino, ut cernitis, concilium Romæ faciendum ſit, tum & ſupplicamus omnes imperatoriæ celſitudini veſtræ, ut honorem non mediocriter conſideretis cum recta ſentimus, cum non negari id nobis ullo modo poterit, quando conſilium noſtrum capiendum tum in ſummo beneficio & gratia illud quod exoramus. Erit igitur ſerenitatis veſtræ officium id efficere, ut beatiſſimo pontifici & Romanæ eccleſiæ cardinalibus, ceteriſque prælatis ſuadeatur, ut omnino hoc novum concilium Romæ fiat, quod facillime feceritis cum auctoritate, cum gratia, cum diligentia, cum etiam quod cum honeſtate mixta utilitas commoneat. Nos autem cum omnibus rebus, tum vel maxime ad hanc ipſam perficiendam imperatoriæ celſitudini numquam deerimus. Romæ anno a nativitate Domini MCCCCXXXII. indictione X. menſis Maii die VIII.

CONSERVATORES ET CAPITA REGIONUM.

EPISTOLA SIGISMUNDI
REGIS ROMANORUM
ad conſervatores & capita regionum Urbis.

Reſpondet ad præcedentem, non poſſe Romam transferri concilium Baſileenſe.

Ex mſ. Aquicinctinenſi.

NObilibus & honorabilibus conſervatoribus, & capitibus regionum almæ urbis Romanæ regimini præſidentibus, ejuſque populo, noſtris & imperii ſacri fidelibus dilectis. Nobiles & honorabiles fideles dilecti, cum Roma teſtetur eſſe mundi caput, & auctrix imperii, ac Romanorum imperator a Romæ vocabulo nuncupetur, ut ſibi nominis & honoris auſpicia merito debeamus; nimirum ſi res ejus corde ſumimus, ſi quæcumque ejus deſideria nobis poſſibilia, præ ceteris grata & accepta haberemus. Hac igitur conſideratione & ſingulari affectione, qua erga almam Urbem accendimur, gratiſſime ſuſcipimus litteram nobis per veſtrum nuncium præſentatam, in qua primo de adventu noſtro congratulari videmini: quia pro ſuſceptione imperatorii diadematis & optatæ pacis procuratione; & tandem laudatis, ut ad diluendam hæreſim, ad tutandum amplificandumque populum Chriſtianum generale concilium celebretur. Ex ponitis tamen, ut ſicut reliqua Romæ fienda ſunt, & ipſum ſacrum concilium Romæ fiat: allegando perſuaſiones per quas oſtendere vultis, id non poſſe æquius fieri, &c. prout eadem veſtra littera ampliori verborum perorat contextu. Quantum ergo, fideles noſtri, illam ipſam pacem Italicam haberemus cariſſimam, etiamſi ornamentum coronæ Cæſareæ tantillum maneret dilatum, ille noſcit qui nihil ignorat. Plus enim revera nos coëgit ad veniendum extinctio bellorum, quibus Italia, proh dolor! undique flagrat, quam mundialis honoris & coronationis noſtræ cupiditas; & ſic pro ea pace aſſequenda laboramus, & laborare tantum intendimus, quod totus mundus intelligat nos illam ſummopere appetere & quærere. Benedictus Deus

illam dignetur concedere quam optamus.

Super facto autem generalis celebrandi concilii ſententiam veſtram ſumme laudamus. Nullum enim convenientius præſidium jamjam exquiri poſſet, quo ſanctiſſima mater eccleſia ſæpe ab horrendis & imminentibus undique periculis tueri poſſet, quam per hujuſmodi celebrationem concilii, quæ nedum commendanda, ſed quia res ſapit divinas, ſummo cultu veneranda eſt. Sed non eſt noſtræ auctoritatis concilium Baſileenſe, nec huc, nec illuc poſſe inducere, quemadmodum quilibet compos rationis clare poteſt concipere; nec etiam nos, ut mundus cognoſcit, ipſum ſacrum concilium inſtituimus. Eſt enim decretis ſacrorum Conſtantienſis & Senenſis conciliorum auctoritatibus ad Baſileam indictum. Demum per dominum MARTINUM papam V. qui legatum ſuum illuc tranſmiſit, & hunc SS. dominum papam EUGENIUM legitime approbatum. Quomodo ergo illud poſſemus mutare aut quiſquam alius deberet ſeu poſſet, quod tanta auctoritate tantaque diuturnitate ac maturitate ſtabilitum eſt. Inculpamur indigne quod nos de rebus eccleſiæ ingeramus, quæ nobis non pertinent, cum numquam contra ſanctiſſimam matrem eccleſiam ejuſque ſummos pontifices aliquid facere, nedum tentare, ſed nec cogitare ſtatuimus. Patent noſtra opera, ſi ponantur ad examen debitæ rationis, luce clarius videbitur nos ſemper, ne id nobis trahamus ad gloriam, omni ſtudio, omnique cura elaboraſſe ad extollendam eam & amplificandam, tutandumque poſſe tenus populum Chriſtianum. Et ſic progenitorum noſtrorum imitando veſtigia, qui illam ſumma diligentia coluerunt, & venerati ſunt eamdem ſanctam eccleſiam, & ejus pontifices revereri diſponimus, & ea jugiter facere, quæ ad fidelem & devotum eccleſiæ pertinent advocatum. Eſt bene verum, quod ad reverentiam ſedis apoſtolicæ & ejus legati, ſolerter adhortati per ipſum & ſacrum concilium, eidem favores & promotiones impendimus: ſperantes ſuæ ſanctitati & eccleſiæ Dei per hoc complacere, quemadmodum adhuc nos indubii reddimur, quod eadem ſanctitas ſumme gratam tenet promotionem illam, per quam tenditur ad abſtergendam hæreſim, cujus rabies tam acriter ſævit in Chriſtianum ſanguinem; reformandos mores populi, quibus divina majeſtas offenditur, & pacificandum populum diffidentem: quæ omnia per Spiritum ſanctum in ſacra ſynodo tam ferventer, quam diligenter tractantur, & ejus inſpiratione bene proficiunt quemadmodum ea omnia ſanctiſſimo domino ſummo pontifici per nuncios noſtros ſatis exponi fecimus. Sic habet veſtra ſinceritas inſtitutionem Baſileenſis concilii, aut ejus tranſlationem nobis minime convenire, ſed eſſe extra limites noſtræ poteſtatis. In quibuſcumque vero nobis licitis & poſſibilibus vobis complacere, poſſemus, tamquam benefactor Romani populi, ſicut ſibi ſemper complacere ſtuduimus, ſingulari beneficentia promovere. Datum, &c.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus, &c.

EPISTOLA UNIVERSITATIS VIENNENSIS IN AUSTRIA ad concilium Baſileenſe.

Exponit ſuum in compeſcendis eccleſiæ cladibus zelum, mittitque ad concilium unum ſacræ paginæ profeſſorem.

SACROSANCTÆ SYNODO BASILEENSI, &c.

Anno 1432. 9. Maii. *Ex mſ. Aquiſgranenſi.*

REverendiſſimi in Chriſto patres, &c. Quantam operam quantamve poſſe tenus ſollicitudinem univerſitas noſtra accuratiſſima providentia impenderit inceſſanter ad obviandum cladibus crebris, ruinis & humanis vix evaſibilibus periculis, eccleſiæ tam a foris quam intrinſecus imminentibus, arguendo, obſecrando, increpando, prout rerum efflagitabat opportunitas, & caſuum poſtulabat eventus, V. R. non ambigimus latere paternitates. Equidem non modo varia aviſamenta in præmiſſis ſcripto tenus dedimus: ſed & ad partem conſiliis, & in palam coram illuſtriſſimo principe & domino noſtro gratioſiſſimo domino ALBERTO duce Auſtriæ ſuiſque conſiliariis proceribus & communitatibus varia perſuaſimus ſalutis antidota, quibus inſtantia pericula pariter & futura, fidelibus interitum comminantia, ſalubrius poſſint remediari, per ſalutiferam quamdam eccleſiæ Dei in capite & in membris reformationem, & variarum inordinationum atque abuſuum exſtirpationem, præſertim tamen ad exſufflationem modernæ deteſtandæ & armatæ iſtius Bohemorum hæreſis, quæ in noſtris quodammodo laribus, in medio eccleſiæ, heu! noſtris ex tunc expoſcentibus culpis intonuit, inclytum Bohemiæ regnum ac vicinas regiones devaſtavit, ſacras polluit ædes, cleri genus electum vertit in parabolam vulgarium, ac nefando quodam commercio omnem ſtupravit cœlibatum, & quod deterius eſt, fidei orthodoxæ unionem perfidia, & errorum vertiginoſo quodam caumate in nonnullorum mentibus obtenebravit, uſque adeo quod ſuis non contenta finibus, cum multorum fidelium ſanguinis profluvio, verum & vitæ diſpendio, exteras etiam nationes impeteret, & in præceps mitteret erroris & gehennæ. Noviſſime autem nedum ex litteris reverendiſſimi in Chriſto patris & domini JULIANI tituli S. Angeli diaconi cardinalis, ſed & ſacræ ve-

ſtræ concionis & concilii Baſileenſis intelligentes V. R. P. ad idem per omnia votum & flagrantiſſimum deſiderium in domino, [aſpirare] mox dilectum nobis in domino Thomam *Ebendorffer* artium & ſacræ paginæ profeſſorem, &c. ad cooperandum noſtri nomine totis conatibus pro bono & ſalubri ſtatu fidelium, in præmiſſis deputavimus; ſed obſtante aeris inſolita aſperitate, & aliis rationabilibus cauſis præpedientibus, propoſitum uſque modo, quouſque ambaſſiata illuſtriſſimi principis & domini noſtri diſponeretur, proſequi nequivimus. Quare reverendiſſimi patres omni qua poſſumus inſtantia P. V. exoramus, quatenus præfatum magiſtrum Thomam velint paterne ſuſcipere, ipſumque & poſterius per nos fortaſſis mittendos, noſtræ univerſitatis nomine gratioſius aſſumere, ac in proponendis per ipſum autem in ſingulis adhibere creditivam. Spiritus-ſanctus paraclitus conſervet & corroboret R. P. V. corda ad pacem & ſuæ ſanctæ eccleſiæ commodum & incrementum feliciter & longæve. Datum Wiennæ IX. menſis Maii MCCCCXXXII.

Reverendiſſimarum V. P. humiles & devoti filii rector & univerſitas ſtudii Viennenſis.

LITTERA SACRI CONCILII

directa univerſis Chriſticolis, & ſpecialiter Franciæ & Angliæ ſuper pace, &c.

Anno 1432. 10. Maii. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

SAcroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, &c. univerſis & ſingulis regni Franciæ Chriſticolis, cujuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis, conditionis & ordinis exiſtant, ſalutem in Domino, & ejus pacem pronis mentibus amplecti, ac omnipotentis Dei benedictionem.

Mediator Dei & hominum redemtor noſter Jesus Christus, qui inſcrutabilis conſilii ſanctæ Trinitatis arcanum diſpoſuit in hanc noſtram venturus lacrymarum vallem, in eo tempore quo mundus hoſtilium ſubjacuit bellorum & turbationum furoribus; ſed captata ſibi tranquillitatis plenitudine temporis, dum medium ſilentium tenerent omnia, ſub unoque monarcha univerſus orbis gratiſſimæ pacis in ſignum deſcribebatur; ipſe princeps pacis, futurique pater ſæculi, de Virgine naſci & homo fieri voluit, ut noſtra ſuæ humanitatis divinitatiſque natura, ſimul in unum dives & pauper, Deus & homo, ſub uno pacis globo conglutinarentur. Ipſo ergo pacifico nobis adveniente rege, voces angelorum in excelſis auditæ ſunt canentium & dicentium: *Gloria in altiſſimis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ipſe namque vera pax de cœlo deſcendens, cum hominibus converſatus, ut cœleſtis regni portas reſeraret, viam pacis aliis prætulit, docens beatos fore pacificos, quoniam filii Dei vocarentur, & non ſolum illatas injurias remittere, ſed pro inferentibus preces effundere voluit, & exemplo demonſtravit. Denique pro pacificis coheredibus ſponte moriturus, inæſtimabili prævia caritate teſtamentum pacis condidit, ſuis fidelibus pacem relinquens, ipſamque etiam ore divino, poſtquam ab inferis reſurrexit, prima votum voce repetens, ait: *Pax vobis, ego ſum, nolite timere.* Quid ergo hac Chriſti pace gratius? quid optabilius? nihil quippe generoſius in rebus creatis ſolet audiri, nihil delectabilius concupiſci, nihil & utilius poſſideri, quæ vinculum eſt amoris, conſortium caritatis, quæ bella tollit, iras comprimit, ſuperbos calcat, diſcordias ſedat, inimicos concordat. Hanc quoque qui perdidit repetat, qui amat exquirat, nec ad hereditatem Domini noſtri Jesu Christi venire poterit, qui præfatum pacis teſtamentum obſervare contemſerit. Hinc eſt, filii fratreſque cariſſimi, quod his, proh dolor! noſtris temporibus caritate refrigeſcente, hominumque ſuperabundante malitia, divina permiſſione, humani generis inimicus pacem de terra auferens, cuncta fere Chriſtianorum regna, principatus & dominia, Chriſto prophetizante, in ſeipſa diviſa, guerrarum & diſcordiarum turbinibus conceſſit, victaque pietas exinde jacere, ac fratrum proximorumque gratia rara exiſtere comprobatur. Tamdem divina miſericordia ſuæ pietatis oculis populum ſuum Chriſti pretioſo ſanguine redemtum clementer reſpiciens, ſuo ſancto Spiritu inſpirante, hanc ſanctam ſynodum coadunari, ſibique populo deperditam pacem reſtitui voluit. Etenim ipſa, quamvis cunctis Chriſtianis populis guerrarum turbinibus laceſſitis, maternis in viſceribus compatitur: Chriſtianum tamen & inclytum veſtrum Franciæ regnum, ejuſque guerras & diſturbia, nec non inteſtina & hoſtilia bella, pauperes etiam incolas ejuſdem regni, qui innocenter deprædantur, capiuntur, occiduntur; eccleſiarum quoque & piorum locorum devaſtationem, & divini cultus diminutionem miſerabili quodam luctu lugere cogitur. Cujus namque pectus tam ferreum, cujus cor tam lapideum foret, ut gemitus non exprimeret, & lacrymas non effunderet. Hujus feliciſſimi ſtatus memor, ubi communia præferebantur propriis, ubi vigilabat cura communis, quodamque quondam in amoris vinculo & unitatis conſortio colligatum ſe tranquillitatis muris undique vallare, hoſtibus repugnare, ſimul & rerum ac virtutum opulentia redolere ſtuduit, ſanctam Dei eccleſiam honorans, potenter defendit, patiter & extollendo confortavit. Nunc, heu! diviſo in ſe regno, pax fugata procul abiit. O lacrymabile regni dedecus, quod optimarum quondam legum tranquil-

litate viguit, nunc hoſtilitatis furore proſtratum areſcit ! O quæ tanta licentia belli, qualiſve calicis iræ propinatio ! Cur non potuit populus iſte in bono tantam ſervare pacem, ut ſibi in idipſum participaret, & vires ſuas in pace cognoſceret ? Quibus omnibus, filii fratreſque cariſſimi, ſolerti indagine turbatiſque mentibus limpide penſatis, eadem ſancta ſynodus, Spiritu-ſancto cooperante, providere cupiens, ſolemnes ſuos oratores ad inclytos utroſque Chriſtianiſſimos reges, de ipſo regno contendentes, & illuſtrem principem ducem Burgundiæ, pro pace & concordia inter eos attentanda, dirigere ; & nihilominus præſentium ſub tenore populo glorioſi regni Angliæ, ſecundum facti convenientiam ſcribere diſpoſuit ; ſperans in ipſam veram pacem, eumdem Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, ut gratiæ ſuæ manus apponens adjutrices, lumen pacis in eorum cordibus infundat. Idcirco vos omnes & ſingulos per viſcera miſericordiæ ejuſdem Domini noſtri JESU CHRISTI, ac in virtute Spiritus-ſancti rogamus & exhortamur, qualiter quilibet veſtrûm operas ſuas ad pacem eamdem procurandam exhibere ſtudeat efficaces, prout orthodoxæ fidei ac univerſali eccleſiæ in Domino noſtro JESU CHRISTO tenetur, ipſos inclytos principes, ſi commode poterit, alioquin alios eorum conſiliarios, officiarios, nobiles & magnates, juxta poſſibilitatis & conſcientiæ ſuæ conatum, ad tam neceſſariæ & ſaluberrimæ pacis amplexum inducatis, & induci procuretis, ne ſanguis fidelium taliter effundatur innoxius, quin immo pace procurata, generoſi animi contra crucis Chriſti inimicos & hæreticos, eamdem Dei eccleſiam his malis temporibus invadere & ſupprimere curantes, fortius ſtudeant dimicare. Et nihilominus devotis & aſſiduis orationibus, eleemoſynarumque largitionibus, miſſarum & proceſſionum celebrationibus, & aliis piis operibus, omnipotentis Dei, Chriſtique ejus filii, tentetis iram flectere, aureſque ſuæ miſericordiæ concitatis lacrymis propulſetis, ut ipſius ſanctæ ſynodi, veſtraque in præmiſſis pia & deſiderata vota propitius exaudire dignetur. Et ut præmiſſa ſecurius conſequi valeatis, attendite ad petram, qui Chriſtus eſt, cujus ſequentes veſtigia, rancores, malevolentias & odia, quibus vos affligitis invicem, poſtponatis, & ex cordibus veſtris expellatis. Illatas quoque injurias, exemplo Chriſti, unus alteri, & e contra liberaliter remittatis. Et inſuper monet & requirit viſceribus in eiſdem quemlibet veſtrum, & præſertim eccleſiaſtici ſtatus, ac preſbyteros ſæculares & regulares, curatos & non curatos ordinum quorumcumque, qui in ſemine verbi Dei inſiſtunt, ut præſentes litteras ipſarumque tenorem populo, etiam in prædicationibus publicis, & in vulgari ſermone intimare & exponere curetis, ut populus ipſe ferventius ad unionem & pacem aſpiret. Quod ſi præmiſſa facta fuerint, preces veſtræ non incaſſum ad Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM aſcendent, ſed redibunt cum optato fructu, quem ille vobis concedat, qui pro pace veſtra mori voluit, benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Datum Baſileæ, &c. die decima menſis Maii, anno Domini MCCCCXXXII.

INSTRUMENTUM PUBLICUM de reſponſis factis a domino papa oratoribus Sigiſmundi regis Romanorum.

IN nomine Domini noſtri JESU CHRISTI. Amen. Anno a Nativitate ejuſdem MCCCC. XXXII. indictione X. die vero XVII. menſis Maii hora nonarum vel quaſi, in aula curiæ ducalis Parmæ, pontificatus SS. in Chriſto patris & domini domini EUGENII divina providentia papæ IV. anno II. ſereniſſimo & glorioſiſſimo principe & domino domino SIGISMUNDO divina favente clementia Romanorum rege ſemper auguſto, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rege feliciter regnante, anno ſui imperii XXII. in noſtrorum notariorum publicorum teſtiumque infraſcriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum præſentia, perſonaliter conſtitutus præfatus ſereniſſimus dominus SIGISMUNDUS Romanorum rex, habens & tenens in ſuis manibus quaſdam ſcripturas duorum foliorum cartæ papyreæ, ſibi per nobilem Johannem *de Zazenberg* alias de *Swihouv*, & venerabiles Benedictum præpoſitum * Albanenſem, & Nicolaum *Stok* decretorum doctorem, quos ad SS. dominum noſtrum EUGENIUM apoſtolicum præfatum, ad Urbem ipſe dominus rex deſtinaverat, reſponſum ipſius domini apoſtolici ſuper legatione ipſorum continentes, ſigillis ipſorum dominorum ſiguatas, & propriis manibus ipſorum ſubſcriptas, nos infraſcriptos Petrum & Simonem publicos notarios cum inſtantia requiſivit, præſcriptas ſcripturas per nos tranſſumi & exemplari, quodque exinde copias authenticas, & tranſſumtum, & publica inſtrumenta facere deberemus ; cujus quidem ſcripturæ tenor per omnia ſequitur in hæc verba :

Anno 1432. 17. Maii. *Ex miſ. vigil collegii Navarræ, & Agostiniensis*

* *I.* Albæregiæ.

Infraſcripta reſponſio data eſt nobis ambaſſiatoribus ſereniſſimæ Cæſareæ majeſtatis per SS. dominum noſtrum Eugenium papam IV. in camera paramenti die XXV. menſis Aprilis, hora tertiarum, in anno MCCCCXXXII. præſentibus ibidem reverendiſſimis dominis cardinalibus, & patriarcha, reverendiſque patribus protonotariis, epiſcopis, abbatibus, auditoribus, cubicularîis & advocatis, quorum nomina in fine ſunt deſcripta.

Primo, regratiamur filio noſtro domino regi Romanorum, de eo quod offert ſe nobis & ſedi apoſtolicæ ad omnem filialem de-

vationem & protectionem, & ad quæcumque alia, noſtrum & ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſtatum & honotem concernentia.

Secundo, quoad hoc, ubi dicit nos ſcripſiſſe ſuæ majeſtati, quod gratum haberemus ipſius introitum ad partes Italiæ, ſed magis contenti eſſemus, ſi prius hæreſis Bohemica exſtirparetur, & hæretici exterminarentur. Dicimus quod id quod ſcripſimus, ſemper deliberate ac de conſilio & voluntate venerabilium fratrum noſtrorum dominorum cardinalium ſcripſimus, & ita etiam nunc ſumus facturi, prout ſincere ſcripſimus, dum tamen majeſtas ſua veniat pacifica, ut dicit; ſed videbatur magis convenire, quod exſtirpata prius in regno ſuo Bohemiæ hæreſi, in concilio Conſtantienſi condemnata, cujus exſequutionem in hujuſmodi hæreſum exſtirpatione ipſe, ut rex Romanorum & advocatus eccleſiæ, facere debuit, prout & nos in hoc diligentia ſua ipſum feciſſe credimus; quamvis multi aliud dicunt & teneant, ſicut etiam dominus Johannes tempore felicis recordationis domini MARTINI papæ prædeceſſoris noſtri, ipſum de hoc excuſabat, & vos apud nos, dicendo quod tota Hungaria & tota Alamannia non ſufficerent ad exſtirpationem ipſarum hæreſum: de quo ſatis miramur, cum crederemus, quod ſolus unus angulus illarum partium ſufficeret ad exſtirpationem illarum hæreſum: & nos credimus quod ipſe dominus rex habuit & habet ad hoc voluntatem, quamvis apud alios de hoc non habet creditum, ſicut jam diximus; pacificaret ſe prius cum ſuis de regno Bohemiæ, & demum liberius intendere & vacare potuiſſet circa pacificationem Italiæ & aliorum.

Tertio, quia ipſe dominus Romanorum rex, adhuc in Almannia conſtitutus, nobis ſcripſerat, quod prius quam Italiam ingrederetur, mitteret ad nos ſuos ambaſſiatores. Quoad hoc dicimus quod nos grate expectabamus* & expectavimus ad nos mitti per eum hujuſmodi ambaſſiatores, cupientes cum eiſdem tractare pro utilitate rerum agendarum, & utinam ſperato tempore miſiſſet, ut ſcripſerat: quoniam ſi tunc ſui veniſſent, ſicut & cum deſiderio præſtolabamus, utique negotia de quibus nunc agitur non fuiſſent deventa ad ea in quibus nunc ſunt.

* *al.* expectabimus & expectamus.

Quarto, quoad hoc quod ipſe Romanorum rex veniret ad nos pro ſuſcipienda corona imperiali, ac pro exſtirpatione hæreſum & pace Italiæ, dicimus quod per Dei gratiam non ſunt aliquæ hæreſes in Italia, pro quarum exſtirpatione opus eſſet ipſum laborare; ſed ſunt veri & boni catholici, ſicut eſſe debent. De adventu autem ſuo dicimus, quod parati fuimus ſemper & ſumus, quantum in nobis eſt, ipſum, dummodo ut rex pacificus veniat, honorare, & facere effectualiter omne id quod cum honore poterimus, pro ipſius honore & ſtatus exaltatione. Nam ut ſciant omnes, ſub expectatione ſui adventus, ex quo intimaverat velle venire de menſe Februarii, nos quamvis magna neceſſitas noſtræ ægritudinis, qua tenebamur, exigebat, prætermiſimus ire ad balnea naturalia, exiſtentia in Apulia, cauſa recuperandæ noſtræ ſanitatis, & remanſimus fixi in hac Urbe, volentes potius ſibi complacere, quam propriæ ſanitati providere; ſed gratias agimus Deo, per cujus miſericordem propitiationem ac proviſionem ſperamus jam abſque balneis priſtinæ reſtitui ſanitati.

Quinto, quoad hoc ubi dicit nos ſcripſiſſe ſtatum & pacem illuſtris ducis Mediolani & totius Italiæ cordi habere, dicimus quod etiam tunc, dum in minoribus conſtituebamur, optavimus cunctorum pacem, & demum poſt noſtri ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumtionem, ſemper fuimus & ſumus parati ad pacem dandam, nedum Italiæ tantum, ſed & toti Chriſtianitati juxta poſſe, cum nihil magis appetamus, nihil carius videre habeamus, quam videre & pacem & bonum totius Chriſtianiſmi. Quantam autem operam dederimus pro pacificatione ducis Mediolani cum Venetis & Florentinis, ſciunt multi, quamvis profectus non ſit ſubſequutus; & utinam nunc Deus det partibus ipſis pacem per horum medium, qui ſunt in tractanda inter ipſos hujuſmodi pace, aut per quemcumque alium, dummodo habeatur pax inter eos. Dolenter enim & cum cordis amaritudine videmus & audimus quorumcumque Chriſticolarum guerram & ſanguinis effuſionem, quam ſumme horremus.

Sexto, quoad hoc ubi dicit nos ſcripſiſſe etiam velle dare operam compoſitioni ſuper differentiis inter ſuam majeſtatem & Venetos habitis, de qua eadem majeſtas nobis regratiatur; & ubi nos rogat ut reddamus & teneamus nos indifferentem, & æqualem & communem patrem, quoniam diſpoſita eſſet nos inter ſe & Venetos pro mediatore habere; etiam dicimus quod nos non fuimus nec ſumus, nec eſſe volumus in aliqua re mundi partiales, cum nec eſſe debeamus exiſtendo in hoc ſummo apice apoſtolatus, quamvis rationabilibus cauſis potuiſſemus & poſſemus nos feciſſe partem, quia ab una parte fuimus impugnati, & ab alia parte adjuti. Sed volumus pro poſſe noſtro, quantum in nobis eſt, ſi partes conſenſerint, pro pace inter majeſtatem ſuam & Venetos habenda interponere partes noſtras. Si vero cauſæ differentiarum prætactarum devolventur ad nos tamquam ad judicem, faciemus quod fieri poteſt de jure, etiam ſi eſſet contra patrem* noſtrum.

* *al.* patrimonium.

Septimo vero & ultimo, quoad propoſita ſcripta factum concilii tangentia, quia de celebratione & continuatione concilii aliqua dicta ſunt, & etiam aliquæ rationes allegatæ, quæ

quæ contrariantur evangelio Jesu Christi, A
ſacræ ſcripturæ, ſacris canonibus, & legibus
civilibus; licet ſciamus quod iſtæ rationes
non proceſſerunt ab eo, quia ipſe non eſt in
talibus peritus, ſed melius ſcit bellare, ſicut
viriliter conſuevit contra Turcos & alibi,
& utinam proſperaretur; & etiam in eiſdem
dicta & ſcripta exiſtunt aliqua alia ſatis inho-
neſta, ad quæ ex honeſtate prætermittimus
reſpondere. Succinctius quantum poſſumus
dicimus, quod quia ipſe dominus Romano-
rum rex inter cetera noſtris ad eum deſtinatis
oratoribus reſpondit, quod prorogatio ce-
lebrationis & mutatio loci concilii non ad B
eum, ſed ad concilium ſpectaret. Ideo nos
jam deputavimus de conſilio venerabilium
fratrum noſtrorum dominorum cardinalium,
certos noſtros prælatos notabiles & doctores
ad illos de Baſilea in proximo mittere. Et ſi
videbitur illis quod neceſſe ſit ut concilium
celebretur, tunc celebretur ſuper exſtirpatio-
ne hæreſum & morum reformatione, licet
jam per Dei gratiam nos incœperimus no-
ſtram curiam reformare; & ſperamus quod
cum illis erunt concordes; & quod placebit
eis, placebit nobis; & quod voluerint ipſi, C
volumus & nos, & libenter videremus quod
hæreſes exſtirparentur, & hæretici reduce-
rentur, tum pro honore Dei, tum etiam in-
tuitu domini regis. De pacificatione autem
principum non eſt opus laborare, quia nos
fecimus jam noſtram diligentiam, mittendo
unum ex his noſtris fratribus dominis cardi-
nalibus in Hiſpaniam, & alium in Franciam,
& ad quaſcunque mundi partes erit opus,
ſimiliter faciemus, ſicut ſpecialiter ad nos
pertinet pacem Chriſti fidelium procurare.
Rogamus ergo ipſum filium noſtrum, & vos
noſtri parte eumdem rogate, ut non ingerat
ſe de talibus, quæ non pertinent ad eum; D
nec laboret turbare nos & eccleſiam Roma-
nam, cum non ſpectet ad eum niſi obedire
ſummo pontifici & ſanctæ Romanæ eccle-
ſiæ, ac revereri eoſdem, ſicut etiam oratores
noſtri retulerunt ipſummet dixiſſe, quod non
ſpectaret ad eum facere vel diſſolvere con-
cilium, ſed ſolummodo facere eccleſiaſticis
reverentiam & obedientiam. Non enim ſpe-
ctat ad eum quicquam de nobis aut de con-
cilio; ſed pertinet ad eum exſequi ea quæ a
nobis vel a concilio fiunt, & revereri, ut di-
ximus, ſummum pontificem in ſedem beati E
Petri poſitum, & exſequi ea gladio quæ ſunt
decreta in conciliis contra hæreticos, ſicut
in concilio Conſtantienſi. Et ſi ingerere ſe de
talibus attentabit, ipſe videat. Deus autem
eſt in cœlis ſupra eum & ſuper omnes reges
mundi, & defendet ſuam eccleſiam, & nos
vicarium ſuum, & ſucceſſorem Petri apoſtoli,
in cujus ſede ſedemus. Plurimi namque e-
tiam temporibus præteritis, eccleſiam Dei &
ejus vicarium & ſucceſſorem B. Petri apoſtoli
turbare præſumſerunt, quos tamen Deus,

quando placuit, humiliavit. Et ideo rogamus
cum, ut non ingerat ſe de talibus, quæ ad
eum non pertinent; & vos noſtri parte eum
rogate. Salutetis dominum regem noſtri par-
te, præſentibus ibidem reverendiſſimis in
Chriſto patribus dominis S. R. E. cardinali-
bus, videlicet de Urſinis, Rotomagenſi, de
Comitibus, S. Marcelli, Novarienſi, Vene-
tiarum, & Angeloto S. Marci, Blasio pa-
triarcha Gradenſi; necnon reverendis domi-
nis protonotariis Pandulfo de Ursinis,
Nicolao Cunelli. Item, dominis epiſcopis
Fernando Lucenſi, fratre Petro Electenſi,
Jacobo Adrienſi, domino Bartolo de Uni-
cio Falnenſi, Daniele Parentino. Item, do-
minis abbatibus Rotomagenſi, Hugone Gal-
liacii de Peruſio. Item dominis auditoribus
Geminiano de Prato, Petro Nardi, Johanne
Walvig, Antonio de S. Vito, aliiſque quam-
pluribus fide dignis perſonis præſentibus ibi-
dem; abſentibus tamen pro tunc dominis
cardinalibus, videlicet reverendiſſimis do-
minis Bononienſi, de Cypro, S. Petri ad Vin-
cula, Arelatenſi, & S. Sixti, qui tamen fue-
runt præſentes in Urbe. Nos vero notarii in-
fraſcripti eaſdem ſcripturas de manu ejuſ-
dem regis recipientes, ipſas copiavimus, &c.
Acta ſunt hæc anno, indictione, menſe, &c.
quibus ſupra, præſentibus ibidem reveren-
diſſimo in Chriſto patre & domino domino
Jacobo archiepiſcopo Ebredunenſi, vene-
rabili domino Mathia præpoſito Quinque-
eccleſiarum, regis Hungariæ vice-cancella-
rio, necnon magnificis & nobilibus viris do-
minis Stephano Signiæ & Modiriſſiæ, Wil-
lelmo *de Montfort*, & Johanne de Corva-
nia comitibus, & quampluribus aliis fide di-
gnis teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter vocatis
& rogatis.

Et ego Petrus *Kalde* de *Steterich* clericus
Colonienſis diœceſis, publicus ſacris apoſto-
lica & imperiali auctoritatibus notarius, quia
ſupradicti domini Sigismundi Romanorum
regis, &c. requiſitioni, una cum honorabili
viro domino Simone *de Aſparn*, &c. præſens
interfui, &c.

Et ego Simon Annuan. *de Aſparn*, clericus
Patavienſis diœceſis, publicus imperiali au-
ctoritate notarius, quia ſupradicti domini
Sigiſmundi regis &c. requiſitioni, una cum
honorabili viro domino Petro *Kalde* &c.
præſens interfui, ſupradictaſque ſcripturas
una cum eodem domino Petro exemplavi,
&c.

LITTERA DOMINI IMPERATORIS lecta penultima Maii 1432.

Certos eos facit de citationibus ab eo factis, mittitque ad concilium unum ex suis ad papam oratoribus.

Anno 1432. 18. Maii. *Ex ms. Argentinensi.*

REverendissimis ac venerabilibus in Christo patribus, &c.

Reverendissimi, &c. Binas V. P. noviſſime recepimus litteras; primam, veſtram perſeverantiam, aliquas quoque reſponſiones ſuper ſcriptis noſtris continentem, amicabilem atque gratam; reliquam vero nos requirentem, ut citationes decretas velimus & debeamus exſecutioni mandare, &c. Breviter ergo reſpondendo, dicimus, quod citationes hujuſmodi habuimus, & onus exſecutionis benivole ſuſcipientes, quemadmodum quæcumque onera, ad proſecutionem illam ſynodalem libenter ſubimus, illas curabimus ad effectum exſecutionis dirigere, prout in brevi a nobis ſentietis. Dominum autem cardinalem Placentinum propria in perſona citavimus, nos certos reddentem quod in ſacro concilio comparebit. Sed quia ea quæ nuncii & legati noſtri a domino apoſtolico pridie reportarunt, non poſſent bene deſcribi; idcirco ſtatuimus honorabilem doctorem noſtrum magiſtrum Nicolaum *Scolæ* unum ex illis oratoribus noſtris ad vos tranſmittere: qui habita jam licentia vos incontinenti adibit, & vos de ſingulis quæ acta ſunt, & aliis mentis noſtræ conceptibus clarius informabit. Perſeverate igitur conſtanter, amici cariſſimi, & res Dei & eccleſiæ votive dirigite, de noſtra conſtantia & ſollicitudine ſolita vos jugiter certos reddentes. Datum Parmæ die XVIII. Maii, regnorum noſtrorum, &c.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus.

COMPOSITIO FACTA

Inter ambaſſiatores concilii Baſileenſis & nuncios Bohemorum in oppido Egræ, per fratrem videlicet HENRICUM *abbatem S. Ægidii Nurembergæ, doctorem in decretis, fratrem* Johannem Nyder *priorem Prædicatorum Baſileenſium, Henricum* Tok *canonicum Magdeburgenſem, ſacræ paginæ profeſſores; Fredericum* Praſpager *decanum Ratiſponenſem, licentiatum in decretis,* ALBERTUM *plebanum S. Sebadi Nurembergenſis, & fratrem* JOHANNEM *de Mulbruno ordinis Ciſtercienſis, concilii &c.*

Anno 1432. 18. Maii. *Ex ms. Argentinensi.*

IN nomine Domini noſtri JESU CHRISTI. Anno a nativitate ejuſdem MCCCCXXXII. die XVIII. menſis Maii, concluſa ſunt inter nuncios & ambaſſiatores ſacri Baſileenſis concilii, & oratores de regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ, articuli & forma ſalvi conductus, qui ſequitur in hæc verba, in civitate Egrenſi.

1. Dabitur ambaſſiatoribus & nunciis de regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ, ad generale concilium Baſileenſe mittendis, quam primum applicuerint & petierint, audientia plena & libera, coram tota congregatione ejuſdem concilii, totiens quotiens in Baſilea manentes popoſcerint, eis opportuna, & negotiis, præſertim de quatuor articulis, pro quibus ſe expoſuerunt, per ipſos deducendis, accommoda. Et nihil tractabitur interim in eodem concilio per dictum tempus, quod proſecutionem & expeditionem hujuſmodi audientiæ & cauſæ impedire poterit, ſine dolo & fraude.

2. Item, ſi petierint deputabuntur aliqui notabiles boni & litterati viri de concilio, qui cum ipſis vel eorum deputatis, ſuper propoſitis ſive proponendis benigne & fraterne conferant, totiens quotiens opus fuerit.

3. Item, aſſignabitur ipſis pro tali audientia in congregatione ante mutuam noſtram unionem, honeſtus & decens locus: poſt unionem vero habebunt locum ſibi, juxta exigentiam ſuæ legationis debitum & honeſtum.

4. Item, dabitur eis tempus unius, duorum vel plurium dierum mature deliberandi ſuper hujuſmodi ſua audientia, & reſponſis, ſive replicationibus ex adverſo proponendis, ſecundum quod petierint.

5. Item, dabitur eis copia ex adverſo propoſitorum in ſcriptis, ſi petierint: ſic & ipſi dabunt ſimiliter in ſcriptis, ſi petitum fuerit.

6. Item, quod nulla jura canonum, decretorum, decretalium & ſtatutorum quorumcumque edita vel edenda, aut quævis alia ſcripta in & contra quantumcumque facinoroſos homines, etiam uſquequaque a fide deviantes, ſonantia cruciatæ & ſententiarum executionum qualitercumque in præfatos dominos Bohemos & Moravos eis adhærentes utriuſque ſtatus ſæcularis & ſpiritualis, & a quocumque ſive per quemcumque fulminata decreta, ſive determinationes, præſertim conciliorum Conſtancienſis & Senenſis, aut quæcumque declarationes eiſdem debebunt aut poterunt, quovis modo excogitato, ſalvo conductui & audientiæ eorum prædictis derogare, ea infringere, infirmare, aut quovis modo annullare.

7. Item, in cauſa quatuor articulorum, quam, ut præfertur, proſequuntur, lex divina, praxis Chriſti, apoſtolica & eccleſiæ primitivæ, una cum conciliis doctoribuſque, fundantibus ſe veraciter in eodem pro veraciſſimo & indifferenti judice, in hoc Baſileenſi concilio admittentur.

8. Item, liberum erit illis ſicut & nobis, ſalva pace & bona honeſtate, coram dicto concilio, ſi placuerit, objicere ſive accuſare quoſcumque ſtatus, exorbitates, defectus ſibi invicem quos ſenſerint modeſte exponendo.

9. Item, ſicut domini nuncii in Bohemia inſtiterunt, ut publica crimina eliminarentur ab eccleſia Dei, & præſertim a loco dicti concilii: nos nuncii ejuſdem concilii pro viribus cooperabimur, quod hæc gradatim & opportune, ſicut & alia in eccleſia Dei reformanda, Deo propitio, expediantur.

10. Item, ad quemcumque locum eundo, ſtando & redeundo, per totum tempus ſalvi conductus eos contigerit declinare, nulla fiet ceſſatio a divinis, nec interdictum ſervabitur propter eorum præſentiam.

11. Item, dabimus operam per honeſtam ordinationem, ita quod in ſuis divinis, in ipſorum hoſpitiis agendis, non inquietentur aut turbentur.

EPISTOLA PROCOPII directoris Thaboritarum ad Sigiſmundum regem Romanorum.

Orat ut cum eis ad concilium accedat.

Anno 1432. feria 4. ante feſtum S. Urbani. 21. Maii. *Ex mſ. Aquicinct.*

SEreniſſimo principi & domino SIGISMUNDO Dei gratia Romanorum regi, ac Hungariæ, Croatiæ, &c.

Sereniſſime princeps & domine, domine SIGISMUNDE, Dei gratia Romanorum, Hungariæ, &c. rex, ſervitium meum cum adeptione rerum temporalium præmiſſum. Notifico vobis ex parte mei & aliorum nunciorum noſtrorum regni Bohemiæ & marchionatus Moraviæ; qualiter nunc in Egra cum nunciis veſtris, & cum illuſtribus principibus FREDERICO marchione Brandeburgenſi, & JOHANNE duce Bavariæ, & doctoribus de concilio, ad hanc congregationem ad Baſileam pro conductibus ac modis ſub quibus in Baſilea ad concilium ſtare debemus, jam concordavimus. Ideo ſtudioſe optamus, quatenus etiam in hoc concilio perſonaliter eſſe dignemini, & hoc non negligere, quia de hoc nobiſcum ſæpius loquebamini, quod utique huic concilio vultis intereſſe. Ulterius peto mandetis domino *Puote*, domino Zdeſlao, domino Wllermo de Neiztina, Jo. *Otzepanolberz*, & aliis qui nos alias ad gratiam veſtram conduxerunt, ut & nunc per terram noſtram, & ſic ulterius uſque Baſileam ad gratiam veſtram nos conducere non pigritentur. Etiam quando gratia veſtra litteram conductus veſtri nobis dabit, petimus ut apud dominum Zdeſlaum reponatur. Datum Pragæ feria quarta ante Urbani, anno Domini MCCCCXXXII.

PROCOPIUS preſbyter director communitatis Thaboritarum in campo laborantis.

Ver. Script. & Mon. ampl. Collect. Tom. VIII.

EPISTOLA SIGISMUNDI REGIS ROMANORUM, ad Procopium Thaboritarum directorem.

Reſpondet ad præcedentem.

Ex cod. ms.

PRocopio preſbytero gubernatori communitatis Thaboritarum.

Procopi, quemadmodum nobis ad præſens ſcripſiſti parte tua & aliorum nunciorum veſtrorum, qualiter cum principibus cumque doctoribus per ſacrum concilium ad Egram miſſis, *concordes ſitis ſuper adventu veſtro* ad Baſileam pro ſalvis conductibus & modis ibidem tenendis, &c. ita tibi notificamus, quod memoratum ſacrum concilium ſuper rebus illis etiam ad nos miſit religioſum fratrem Jo. de Mulbruno ordinis Ciſtercienſis, qui etiam illi diætæ Egrenſi interfuit, informando nos de omnibus modis concluſis, quos bene intelleximus, ac libenter ac multum lætanter audivimus, *ſperantes in Deo omnipotente*, quod res illæ cedent ad laudem ſuæ divinitatis, & ad profectum Chriſtianiſſimi, & pacem & tranquillitatem coronæ regni Bohemiæ. Et quicquid ſacrum concilium de ſalvis conductibus & aliis rebus neceſſariis requiſivit a nobis, mox expedivimus, & omnia vobis mittentur. Etiam ſcripſimus Bohemis de parte noſtra, ut vos per regnum Bohemiæ conducant. Super illo autem ubi deſideratis in ſacro concilio perſonalem præſentiam noſtram, etiam clare præfato fratri Jo mentem noſtram deteximus, qui eam vobis latius notificabit quam poſſemus deſcribere. Nam in omnibus quæ tendunt ad bonum & pacificum ſtatum regni præfati, numquam deficiemus; ſed ita nos exhibebimus, ſicut rex gratioſus & dominus. Datum Lucæ, &c.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex, ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. rex.

INSTRUMENTUM

exſecutionis, citationis & monitionis contra dominum papam & dominos cardinales, &c.

IN nomine Domini. Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno a nativitate ejuſdem Domini noſtri JESU CHRISTI MCCCCXXXII. indictione x. die verò Veneris VI. menſis Junii, hora primarum vel quaſi, pontificatus SS. in Chriſto patris & domini noſtri EUGENII divina favente clementia papæ IV. anno II. ſereniſſimo & glorioſiſſimo principe & domino domino SIGISMUNDO divina favente clementia Romanorum rege ſemper auguſto, ac

Anno 1432. 6. Junii. *Ex mſ. Aquicinct.*

Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, A &c. rege feliciter regnante, anno ſui imperii XXII. in alma urbe Romana, ante valvas eccleſiæ B. Petri apoſtoli, in mei notarii publici, teſtiumque infraſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum præſentia, conſtitutus perſonaliter honorabilis & diſcretus vir Nicolaus *Albæ de Yawitz* Veſprimienſis diœceſis, ſupradicti ſereniſſimi domini SIGISMUNDI Romanorum regis procurator, per eum ad infraſcriptam exſecutionem & cauſam exſequendam legitime conſtitutus, prout hoc in hujuſmodi procurationis & mandati publico inſtrumento deſuper ſibi tradito B clarius continetur, habuit & tenuit in ſuis manibus quamdam litteram patentem monitionis, requiſitionis & citationis contra & adverſus præfatum dominum EUGENIUM papam, & reverendiſſimos in Chriſto patres & dominos, dominos cardinales S. R. E. a ſacroſancto Baſileenſi concilio generali emanatam, ejuſdemque concilii generalis ſigillo rotundo pendenti ſub cera rubea in ejuſdem ſigilli medio capitum prælatorum multitudo, in circuitu vero ſigilli ejuſdem fuit ſcriptum, videlicet hoc modo: *Sigillum ſacri generalis concilii Baſileenſis univerſalem eccleſiam repræſentantis*, ſanam & integram, & omni ſuſpi- C cionis vitio carentem; cujus quidem litteræ tenorem volo hic habere tamquam pro inſerto. Eamdem litteram præfatus Nicolaus procurator ad valvas ſupradictæ eccleſiæ S. Petri affixit, ibidemque affixam, præfato domino EUGENIO papæ & dominis cardinalibus majori numero in urbe Romana exiſtentibus, ſtare dimiſit publice ad legendum, ipſamque ac omnia in eadem contenta, tamquam per edictum publicum, intimavit, inſinuavit & publicavit, & ad præfati domini EUGENII papæ & dominorum cardinalium notitiam, D prout melius potuit, deduxit; ſicque quod non ſit veriſimile hujuſmodi monitionis, requiſitionis & citationis ſacri Baſileenſis concilii litteram taliter, ut præfertur, intimatam, ad ejuſdem ſanctiſſimi domini papæ & dominorum cardinalium notitiam non perveniſſe, cum conſter hoc tum publice in loco prætacto actum fuiſſe. Proteſtans idem Nicolaus, quod ad ulteriorem & ad perſonalem hujuſmodi citationis exſecutionem procedere non auderet, ob metum cadentem in conſtantem virum, cum ad eoſdem dominos papam & E cardinales citatos tutus ſibi non patebat acceſſus. Super quibus omnibus & ſingulis dictus Nicolaus procurator, cum proteſtatione debita requiſivit me notarium publicum infraſcriptum, ſibi deſuper unum publicum inſtrumentum, aut plura conficere, tot quot fuerint neceſſaria, publica inſtrumenta. Acta ſunt hæc Romæ anno, indictione, menſe, die, hora, pontificatu & loco quibus ſupra, præſentibus ibidem diſcretis viris Andræa de Alba-regali, & Johanne *Cudlowiez* Veſprimienſis & Olomicenſis diœceſis, teſtibus fide dignis ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Mathias, olim Johannes Dezima, clericus Olomicenſis diœceſis, publicus auctoritate imperiali notarius, dictæ citationi, intimationi, &c. una cum prænominatis teſtibus præſens fui, &c.

EPISTOLA DOMINICI CARDINALIS, ad concilium Baſileenſe.

Cum paci inter reges Aragonum, Caſtellæ, & Navarræ vacet, orat ne ad concilium citetur.

SACRO CONCILIO BASILEENSI.

REverendiſſimi patres, & præſtantiſſimi domini ſalutem & ſani conſilii in domino, qui crucis aram ſcandens, catholicam eccleſiam ſibi inſeparabiliter copulavit, ſemper ſpiritum comperire ad felicium ſucceſſuum beatiſſima incrementa. Anno 1431. 11. Junii. Ex inſ. Aquicinct.

Poſt labores multiplices partibus in remotis, juſſu apoſtolico ſalubriter aſtrictus, exorta zizania inter illuſtriſſimos matris eccleſiæ filios pugiles, Aragonum, Navarræ quoque & Caſtellæ reges mutuo dimicantes, cum nonnullis collegis meis ab olim jugiter intendens, pacificationis ad littus nequeundo adhuc, proh dolor! cohvenire, afflictio his addita eſt, afflictio mihi dura. Putans etenim zizaniæ partem evulſiſſe, dum ad reſiduam pergerem finaliter evellendam, meis eſt auribus reſonatum, vos dominos venerandos omnes dominos cardinales, ut ad concilium properent, citari decreviſſe: de quorum tamen numero, licet immeritus, alter ego, cum his ad quæ concilium in ſui parte aſſeritur congregatum, ad reſarciendum ſcilicet diſſuta inter principes ſæculares, huc uſque vacaverim, vacem ad præſens, ac mandato apoſtolico, ut præfertur, & nihilominus juramento parte ex altera, quibus artor in poſterum vacare, credo ab hac regula excipi ſpecialiter generali: ſuper quibus obtinendis Guillelmum Bartholomei ſecretarium meum, de intentione mea inſtructum, pleniſſime ad vos cum præſentibus deſtinare decrevi; quem in his, quæ meo nomine vobis duxerit proponenda in excuſationem mei, cum exauditionis effectu, tribuendo illi plenam fidem, benigniùs audientes, Dei potius intuitu, regnorumque ipſorum regum efficaci ſalute, ne citatus, ut dictum eſt, deſerere hujuſmodi laudabilia continuata, veſtramque præſentiam compellar accedere, dignemini diſcernere me vobis ſupplico excuſatum, ſuper quibus Altiſſimo, cujus cauſa ventilatur, profecto ſervitium, & dictis regnis tutelam incunctanter impenditis, ad laudem eccleſiæ matris omnium

militantis, cui debite providere ad ſalutem propriam pariterque communem, largiatur clemens dextra eccleſiæ principis triumphantis. Scriptum Teraſconæ XI. Junii MCCCCXXXII.

Dominicus (a) tituli SS. Johannis & Pauli preſbyter cardinalis.

EPISTOLA KATARINÆ reginæ Aragonum & Siciliæ ad concilium Baſileenſe.

Dominicum cardinalem concilianda paci inter reges Caſtellæ & Aragonum occupatum excuſat ne ad concilium accedat.

RVerendis ac venerabilibus in Chriſto patribus dominis, præſidenti in ſacro concilio Baſileenſi, &c.

Reverendi ac venerabiles in Chriſto patres, &c. Percepimus noviter reverendum in Chriſto patrem dominum Dominicum tituli SS. Johannis & Pauli S. R. E. cardinalem, ad ſacrum concilium Baſileenſe convocatum fuiſſe: cujus convocationis prætextu cardinalis idem ſe parabat ad iter, ut poſſet in dicto concilio intereſſe. Verum quia ſuper dirimendis & ſedandis contentionibus & controverſiis, quæ, ſatore zizaniæ operante, ſubortæ ſunt inter illuſtriſſimum principem regem & dominum virum, & dominum noſtrum cariſſimum & illuſtriſſimum regem Caſtellæ & Legionis, amantiſſimum fratrem noſtrum, quas non abſque amaris ſuſpiriis recenſemus, jam dictus dominus cardinalis inter ceteros, ut præcipuus & ſingularis electus eſt, illum affectuoſe rogavimus, quod tanta & tam ardua negotia, quorum merita non parvo a diu collecta novit ſtudio, & labore, non velit deſerere inexpleta, onus aſſamendo in nobis, quod pro illius excuſatione ad reverentias veſtras hos noſtros apices mitteremus. Cumque jam dictus cardinalis ſit vir alti conſilii & magna circumſpectione præditus, propter quæ & propter ſuæ dignitatis reverentiam poterit indubitanter, fructuoſe & ſalubriter proficere in jam dictis: paternitates & reverentias veſtras affectuoſe rogamus, quatenus attenta mente quæ ſcribimus cogitantes, quantiſque diffidiis, diſpendiis & deſolationibus dicti cardinalis interceſſio poterit obviare, ſinceris affectibus recenſentes, cardinalem eumdem vilitis habere ab acceſſu ad dictum concilium ratione prævia excuſatum. Etenim ſi ibi eſſet, illum cogitamus P. V. pro tanto negotio ad partes iſtas mittere debuiſſe. Iterum igitur ex intimis noſtris præcordiis vos rogamus, quatenus illum excuſatum a præ-

Anno 1432. 15. Junii. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

(a) Dominicus *Ram* dictus, Hiſpanus, fuit ex Oſcenſi Ilerdenſis epiſcopus, deinde archiepiſcopus Tarraconenſis factus, a Martino V. creatus cardinalis titulo S. Sixti, deinde SS. Johannis & Pauli, ac demum Portuenſis epiſcopus.

dicto acceſſu, ut præ tangitur, habere velitis, gratum ex hoc Deo indubitanter ſervitium, maximumque nobis placitum impenſuri. Datum Barchinonæ XV. die Julii MCCCCXXXII.

Regina Aragonum & Siciliæ, &c.

Sic ſignata propria manu Katherina.

EPISTOLA REGIS NAVARRÆ ad concilium Baſileenſe.

Dominicum cardinalem excuſat quominus ad concilium accedat, utpote occupatum conciliandæ paci inter reges Hiſpaniarum.

RVerendis ac venerabilibus in Chriſto patribus præſidentibus in ſacro concilo Baſileenſi, devotis nobis, &c.

Anno 1432. 24. Junii. *Ex mſ. Aquicinctenſi*

Reverendi ac venerabiles in Chriſto patres & amici cariſſimi, juſtitia exigit, ratio expoſcit, & debitum interpellat, ut quæ veritate præpollent, licet nonnullis umbroſo neſcientiæ modio ſub quodam interdum contegantur, opportuno tamen in tempore veritatis cacumen adeo præciſe panditur, quod neſcitur quandoque utile talium reddere certiores. Vobis igitur ſignificamus, quod nuper inter illuſtriſſimum regem Aragonum cariſſimum fratrem noſtrum ac nos ex una, regemque Caſtellæ partibus ex altera, nequiſſimo generis humani ſatellite ſua nequam philacteria prætendente, contentionis materia eſt inſerta, qua conflictus & ſcandala hinc inde varia pullularunt; ſuper quibus conſedandis cariſſimus frater noſter rex idem Aragonum, reverendum in Chriſto patrem dominum Dominicum titulo SS. Johannis & Pauli nunc preſbyterum cardinalem, tunc autem antiſtitem Ilerdenſem, virum utique providum, ſcientia moribus & vita laudabilibus circumſpectum, cum certis collegis ejus, ad reſarciendum ſic diſſuta deputandum decrevit. Quo ſiquidem antiſtite deputato in reſartione prædicta, cum collegis eiſdem provide inſiſtente, ipſoque in cardinalem, iis pendentibus, ſic aſſumto, ad certam compromiſſi viam juramento medio ab ipſis collegis una cum adverſariis noſtris, futuræ ſub ſpe pacis in viam juris & alias adipiſcendæ, eſt perventum. quibus ſic ſe gerentibus hinc & inde, mandatoque apoſtolico quodam eidem cardinali ſuper his præſentato, a biennio citra & ultra cum collegis eiſdem, & plerumque ſine illis, in noſtris confinibus etiamque regum prædictorum, cum adverſariis jam dictis vacavit continue, vacareque non definit indefeſſe, non parcendo perſonæ propter ea, laboribus & expenſis. Quocirca attenta meditatione penſantes vigilantiam, ſinceritatem, animi conſtantiam, actiones quoque, quibus idem dominus cardinalis ad laudem cun-

ctipotentis, reique publicæ utilitatem, ac regum regnorumque hujuſmodi & principum ac populorum ſuorum feliciores ſucceſſus, ob æternæ pacis obtentum noſcitur nedum apud nos, quin immo vulgus univerſum, inter alios collegas ejus merito collaudari. colendam providentiam veſtram attente propterea præſentibus deprecamur, quatenus ne propter ipſius cardinalis fructuoſæ præſentiæ, ut præfertur, abſentiam in hujuſmodi damnoſam, his præſertim temporibus, quibus præfatus dominus rex frater noſter a ſuis regnis & terris citramarinis perſonaliter abſens, alibi variis reſidet præpeditus, pacis amœnitas, quæ per ipſius medium, largiente Domino, ſperatur, aliquatenus dirimatur: ſed ut poſſit liberius in his effectu ſalubri pervagare, a convocatione veſtra, qua, ſicut accepimus, cardinales & prælatos ad concilium ceteros convocatis, penitus eximentes, eumdem dominum cardinalem in his libere tamdiu inſiſtere permittatis, quo uſque, dante Domino, præmiſſorum ad limites pervenerit concluſivos; in quibus Deo ſervitium, eccleſiæque pro qua certatis, debitum conſolamen, & reipublicæ ſauciatæ medelam compræſtabitis ſalutarem. Et ſi qua reverendi ac venerabiles patres & amici cariſſimi, pro vobis agere poſſumus in his partibus, nobis confidenter reſcribite. Datum in civitate Cæſarauguſtana ſub noſtro ſigillo ſecreto, die XXIV. Junii MCCCCXXXII.

Rex Navarræ infans & gubernator generalis Aragonum & Siciliæ.

REVOCATIO FACTA

Per fratrem Guillemum Joſſeaume *in congregatione generali die Mercurii* IX. *Julii* MCCCCXXXII.

Anno 1431. 9. Julii. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

EGo frater Guillelmus *Joſſeaume* cum omni humilitate ſacri concilii imploro clementiam, & ſupplico miſericorditer mecum agi, & non ſecundum diſtrictum judicium, prout exigeret qualitas mearum culparum: quoniam ego licet in fervore zeli, tamen non ſecundum ſcientiam debita diſcretione temperati, multa in prædicationibus dixi vulnerantia unitatem fidelium, ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiva, & aliqua etiam non veræ doctrinæ, per errorem credens illa eſſe vera catholicæque doctrinæ. Numquam tamen fuit pertinacia in mea voluntate, ſed Dei miſericordiam ſemper volui, & nunc volo, & in æternum volam, eam fidem & veritatis doctrinam tenere, credere & confiteri, quam ſancta mater eccleſia tenet, & confitetur; publiceque revoco illud quod aliquando dixi, quod niſi quis per integram diem abſtineat a peccato, non habuit veram contritionem, & per conſequens ſibi non valuit facta confeſſio. Aſſeroque & confiteor, cum ſancta matre eccleſia, quod poſſibile eſt aliquem habuiſſe veram contritionem, per ſacramentum pœnitentiæ obtinuiſſe veniam peccatorum, & in gratia Dei in caritate fuiſſe, & eodem die, immo poſt modicum temporis cadere a caritate, & peccare mortaliter. Et de prædictis & aliis circa fidei catholicæ veritatem illam fidem me tenere profiteor, & defendere promitto uſque ad animam & ſanguinem, quam ſancta mater eccleſia profitetur & tenet, paratumque me offero eam ſuſpicere pœnitentiam, quam hoc ſacrum concilium mihi decreverit imponendam, iterum & ſemper veniam & miſericordiam humiliter poſtulando.

ORDINATIO CONCILII

Super præmiſſa revocatione.

QUia ad audientiam hujus ſacri concilii de te, frater Guillerme, multa alia, quam quæ modo expreſſiſti, delata fuerunt te prædicaſſe, dixiſſe, & aſſeruiſſe, inſana, erronea, ſcandaloſa, & unitatem fidelium vulnerantia, & piarum aurium offenſiva. Ideo ut veritas non occulteatur, ſed omnibus pateſiat, volumus & ordinamus, quæcumque contra te aliquis objecerit ſeu objicere voluerit legitima, probaſſe debeat per totum menſem Septembris proxime ſequentem, coram reverendis patribus dominis Papienſi & Ratiſponenſi epiſcopis, & abbate Ciſtercienſi, judicibus fidei per ſacrum concilium deputatis, vel duobus ex eis. Et quia tunc certum erit quæ pœna pro commiſſis tibi conveniat, ipſius pœnæ determinationem uſque ad dictum terminum duximus differendam. Interim autem aſſignamus tibi pro carcere locum aliquem ſecundum determinationem prædictorum judicum, a quo mandamus te nullatenus recedere. Alioquin eam pœnam incurras, quam incurreres ſi omnia contra te objecta, eſſent legitime probata, aut ore proprio confeſſus fuiſſes. Et quoniam contra interdictum tibi factum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, a judicibus per ſedem apoſtolicam deputatis, auſus fuiſti prædicare * prædictam ſententiam excommunicationis incurrendo, mandamus tibi, ut cures a prædictis judicibus ſanctæ ſedis apoſtolicæ abſolutionis beneficium ab irregularitate, quam te divinis immiſcendo incurriſti obtinere.

* *f.* appellans

LITTERA CONCILII

miſſa univerſis archiepiſcopis, ad exorandum Deum pro reductione Bohemorum.

SAcroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, &c. venerabili fratri archiepiſcopo, &c. ſalutem, &c.

Hæc ſancta ſynodus juxta decreta ſacrorum Conſtantienſis & Senenſis conciliorum & auctoritate apoſtolica in Spiritu-ſancto legitime congregata, pro divinæ majeſtatis gloria populique Chriſtiani ſalute, ad exſtirpandum hæreſes, pacemque ac reformationem morum in Chriſtiano populo componendam, accurata ſollicitudine, cum divinæ gratiæ adjutorio, ſatagens, jam dudum ad partes Bohemiæ ſuas litteras deſtinavit, ipſos Bohemos ad hoc ſacrum generale concilium convocando, benignam audientiam, quam ſibi denegatam ſæpiſſime queſti ſunt, caritativamque informationem, & pacem evangelicam offerendo. Quas quidem litteras cum ab ipſis de Bohemia reverenter intellexit eſſe ſuſceptas, atque ſe ad contenta in eiſdem velle diſponere, pro ulteriori debita proſecutione ad confinia regni prædicti ſuos ambaſſiatores tranſmiſit. Qui quidem ſacri concilii ambaſſiatores, nonnullique principes & communitatum ambaſſiatores adjacentium regionum, in oppido Egræ diœceſis Ratiſponenſis, cum nunciis & oratoribus omnium ſtatuum regni Bohemiæ & marchionatus Moraviæ, convenerunt: inter quos, aſpirante Spiritus-ſancti gratia, concordatum eſt & concluſum, quod ad hoc ſacrum generale concilium pro dictis regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ, grandis & ſolemnis debet ambaſſiata tranſmitti, atque, prout dicti ambaſſiatores hujus ſacri concilii referunt, quibus fidem plenariam dari experta prudentia zelique ſinceritas, & integritas vitæ facit, ſpem magnam de illorum converſione probabiles conjecturæ demonſtrant. Hæc ſiquidem a dictis ambaſſiatoribus relata, veluti quaſdam Spiritus-ſancti primitias, cum gaudio magno hæc ſancta ſynodus ſuſcepit, omnipotenti Deo gratias magnas, devotaſque preces, jejunia & ſacrificia obtulit, qui tale dignatus eſt propoſitum inſpirare, hocque ſpei bonæ gaudium Chriſti fidelibus nunciari dignum non immerito arbitrata eſt, fideleſque populos exhortandos, ut devotis orationibus aliiſque operibus caritatis pro hujus rei felici conſummatione divinam ſtudeant clementiam exorare. Quantum quidem hujus rei ſalubris & votiva concluſio ſit cunctis optanda Chriſticolis, palam eſt omnibus, conſiderantibus maxime cædes, ſtrages, eccleſiarum & monaſteriorum everſiones, terrarumque depopulationes; & quod magis lacrymabilibus oculis referendum, interitus tantæ multitudinis animarum, quæ ex diſceſſu ipſorum ab eccleſiæ catholicæ unitate ſequuta ſunt, & conſequi ſperantur, niſi per inſpirantem Spiritus-ſancti gratiam convertantur. Si enim pro unius converſione laborandum eſt plurimum, lacrymiſque & ſuſpiriis divinam clementiam interpellandam ſacra dogmata patrumque exempla demonſtrant, quanto magis pro tam numeroſa multitudine animarum. Eapropter hæc ſancta ſynodus per univerſas orbis eccleſias ſingulareſque Chriſti fideles, divinæ majeſtati preces & ſacrificia offerri dignum arbitrata, omnibus archiepiſcopis per univerſum orbem ſimiles litteras deſtinare decrevit. Tuam igitur fraternitatem attentius exhortatur in Domino, ac in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit & mandat, quatenus omnes & ſingulos ſuffraganeos tuos per litteras tuas harum ſeriem continentes, exhortari cures, eiſque mandare, ſicut & hæc ſancta ſynodus tibi præcipit & mandat, quatenus per omnes eccleſias hæc facias Chriſti fidelibus nunciari, ſpecialeſque preces fieri in ſingulis inſtituas eccleſiis, fideles Chriſti piis exhortationibus ammonendo, ut devotis orationibus, jejuniis & aliis operibus pietatis omnipotentis Dei ſtudeant exorare clementiam, quatenus ſicut ſpei bonæ conceſſit initia, largiri dignetur optatum concluſionis effectum, ad ſuæ majeſtatis gloriam, exaltationemque fidei Chriſtianæ, hæc ut in remiſſionem ſuorum peccatorum eis proficiant injungentes. Datum Baſileæ xvi. calendas Auguſti, anno MCCCCXXXII.

ÉPISTOLA

D. epiſcopi Cæſar-auguſtani, ad concilium Baſileenſe.

Laudat zelum cardinalis Dominici in concilianda pace inter reges, cujus opus inceptum non æquum ſit interrumpi.

Anno 1433. 17. Julii. *Ex mſ. Aquitanicenſi.*

REverendiſſimis in Chriſto patribus, &c. Reverendiſſimi in Chriſto patres, illuſtriſſimi, ſpectabiles, potentes, magnifici, egregii & nobiles domini, poſt requiei dationem debitam & pacem, qua pontifex ſummus Chriſtus decrevit peramplius caritate mutua cariorem ejus ſponſam ſine ruga ubique conſovere, tam in capite quam in membris ſalubriter dilatare: zelus domus Altiſſimi me impellit, jus dominicum attrahit, virtutum quoque ratio pia mater angit, ut quæ vidi & audivi veritate nitere, loqui non prohibear in teſtimonium rei geſtæ. Dudum ſiquidem hoſtis antiquus phialas toxicationis ſuæ in filios eccleſiæ Hiſpaniarum principes Aragonum & Navarræ ex una, Caſtellæque illuſtriſſimos partibus ex altera reges catholicos perfundens, tanto abſinthio amaricavit, ut illuſtri proſapia, qua mutuo ſe complectuntur, ac ſi non foret, oblita, conflictibus & ſcandalis hujuſmodi pullulantibus, ſe ſic lethaliter invaſerunt, quod niſi fuiſſet reſiſtitum hujus principiis per media infraſcripta, clima fere Hiſpanicum univerſum hodie, ut reor, univerſali ruinæ ſubjaceret. Verum Chriſtus ipſe ſublimis triumphator hæc adverſa pie reprimens, reverendiſſimum in Chriſto patrem dominum Do-

minicum tituli SS. Johannis & Pauli nunc presbyterum cardinalem, tunc autem antistitem Ilerdensem, virum utique providum, vita, scientia, & moribus, negotiorumque experientia laudabiliter circumspectum, qui negotiis ecclesiæ & variis sæcularibus a juventute ipsius jugi exercitio ultro semper prospiciens, fama etiam publica veraciter contestante, velut miles strenuus indebellabiliter pervagavit, pronum & voluntarium cum nonnullis collegis ejus ad amata hujusmodi dulcioribus temperandum, in viam acquirendæ pacis per ipsius domini regis Aragonum organum salubertime deputavit. Qui quidem sic deputatus, manus aratro immergens, laudabili more suo condonavit ipso Christo per obtentum quinquennalis treugæ hac intemperie utillime temperata, etiam postquam assumtus fuit ad apicem cardinalatus, ut pace perpetua initiata, hæc finirentur, certo præstito juramento cum dictis ejus collegis, ac *jussione* apostolica eumdem præterea coarctante, a præteritis duobus annis citra & ultra intentus, præmissis assidue insistens, vacare non desinit incessanter, nec desistere puto honestum, salva ejus constantia, *juramento & jussione* prædictis intuitis diligenter quam maxime. A cetero cum rex idem Aragonensis, cujus naturalis vassallus est, in præsens ultramarinis agat partibus in remotis, cui non puto eum placere, si hoc negotium desereret, *sic finaliter* concluſum, eo præsertim considerato, quod si ipse desisteret a prædictis sic continuatis, ejus collegæ prædicti utique recederent a regnorum confinibus prædictorum, ubi residunt pro præmissis: & *convicini confinium regnorum* prædictorum, qui vix continere possunt se adinvicem deprædari, reinciperent gravem guerram, quam plerumque intentarunt, sed a dictis collegis victi, male ablata debite restituentes, a suis nequam *ausibus refrenati*, hinc inde quiescere sunt compulsi. Non mirentur præterea vestræ reverentiæ merito venerandæ, si eisdem pandere hæc decrevi. Nuper enim Terraconensis episcopus tunc domini antistitis Ilerdensis *metropolitanus* existens, talem qualis prædictus existit agnovi incunctanter, nunc autem cancellarius prælibati domini regis Aragonensis, licet immeritus, existens, ac dicti domini cardinalis actiones fore utiles, ut est dictum, ipsis regnis prospiciens, in fervore Spiritus sanæ mentis pro communi climatis prælibati salute ac *excusatione sui*, contra quem percipio nonnullorum detractorum susurrationem exortam, pro eo quod his salubribus derelictis, Romam aut ad concilium postquam effectus est cardinalis non pergit, sacro conspectui vestro decrevi præsentibus quæ dicta sunt referare, ut qui semper pro ecclesia in statu utroque, ut dictum est, militavit, & militare non desistit, non dicatur ullatenus contumaciter retroire. Et conservet V. R. P. Altissimus prospere temporibus duraturis. Ex Barchinona xvii. Julii.

Ad V. R. P. & D. servitia, mandata, honores, placita semper paratus D. archiepiscopus Cæsaraugustanus, serenissimi domini regis Aragonensis cancellarius.

EPISTOLA PHILIPPI

ducis Burgundiæ, ad sacrum concilium.

Promittit oratores & prælatos suos ad concilium se missurum, ac pro pace operam suam impensurum.

REverendis in Christo patribus prælatis ceterisque in sacra synodo Basileensi, &c. Anno 1431. Ex ms. S. quicunque.

Reverendissimi in Christo patres, &c. Cum ingenti desiderio ad vestræ sanctæ congregationis in Spiritu-sancto felicem progressum, reverendum in Christo patrem episcopum Laudensem, spectabilem & egregium militem dominum Racellum de Auro de Bononia, & sacræ paginæ professorem eximium, priorem conventus Chamberiaci ordinis fratrum Prædicatorum, vestros ad nos destinatos oratores audivimus in his quæ vi litterarum vestrarum credentiæ, *in nostri præsentia* consilii nobis ex parte vestra eleganter exposuerunt, & succincte ad tria nos signanter exhortantes, ut videlicet ad vestram sanctam synodum nostros transmitteremus ambassiatores, *dominiorum nostrorum* prælatos & ceteros ecclesiasticos viros hortaremur & moneremus ad eamdem se transferre, & ad pacem populi Christiani nostram vellemus operam præstare propitiam. Super quibus eisdem in eodem nostro consilio dedimus ad singula responsum, nos videlicet ad sanctam vestram synodum nostros, ut ex animo jam proposuimus, ambassiatores tempore quo poterimus aptiori destinaturos, & dominiorum nostrorum prælatos, ut ad eamdem sanctam synodum gressus suos accelerent, quantum in nobis erit, hortaturos, nosque ad populi Christiani pacem & tranquillitatem nostras vires, quantum in nobis erit, imposituros adjutrices, & eo nos efficaciter intenturos, quantum cum Deo bene congruit principi Christiano, sicut eosdem vestros ambassiatores unica vobis fienda relatione vos super singulis latius speramus informaturos, nos semper ad ea quæ ad ecclesiæ sanctæ quietem, orthodoxæ fidei, quam semper optavimus, exaltationem & pacem populi Christiani profutura credimus, offerentes, nec corpori, neque bonis quibuscumque parcituros. Celebrem cœtum vestrum ille prospere conservare & ad sui laudem feliciter dirigere dignetur, in cujus nomine estis congregati,

gregati, Jesus Christus. Scriptum in villa nostra S. Audomari.

Philippus dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c.

COPIA LITTERÆ

directæ concilio per dominum episcopum Dunelmensem.

Promittit se missurum ad concilium suo nomine procuratorem.

Anno 1432. 19. Julii. *Ex mss. Aquicinctensi.*

REverendissimis in Christo patribus, dominis egregiis, ceterisque fratribus amicis in sacro concilio Basileensi congregatis, recommendationem devotissimam, ac in optati Spiritu-sancto examinis justissimi effectum fieri salutarem.

Nuper sane sacratissimæ synodi memoratæ per reverendissimos patres virosque probatissimos ambassiatores dignissimos litteras credentiales recepi, jubiloque cordis intellexi optima sanctissimaque operis vestri frugiferi desideria viscerosa ad laudem Dei, reductionem eorum qui vane seducti sunt, integritatem pacis populi Christiani, ac morum deviantium multorum canonicam affectuosissimamque correctionem. Regat, quæso, Spiritus sanctus omnia prospiciens, cujus auxilio cœptum est quod intenditis, viam honoris deifici, tranquillitatis catholicæ, vitæ profectus virtuosæ, amplissima summæ caritatis opera, quibus profecto quia possibilitas grata, quam negat senectus, mihi deest, & gravant quæ veteres consequuntur incommoda per naturam, ad præsens personaliter interesse non potero, mittere dispositi procuratorem idoneum, qui omnia quæ juris erunt diligenter facere poterit vice mea, ad honorem & gloriam omnipotentis Dei, omnium gaudium celebre sanctorum, ecclesiæ sacrosanctæ Christianissimum uberrimumque profectum, qui vos in Spiritu-sancto paraclito unanimiter congregatos regere dignetur, ut digna percipiatis præmia meritorum. Amen. Scriptum Londoniæ, xix. die Julii mcccxxxii.

Earumdem P. V. servitor humilis N. episcopus Dunelmensis.

COPIA LITTERÆ

archiepiscopi Eboracensis.

Agnoscit se & suos suffraganeos ad concilium citatos.

Anno 1432. 22. Julii. *Ex mss. Aquicinctensi.*

REverendissimis in Christo patribus, inclytisque principibus, nobilibus dominis, & egregiis viris sacrum Basileense concilium in Spiritu-sancto congregatum, quod universalem repræsentat ecclesiam, facientibus, orator vester humillimus Jo. Eboracensis ecclesiæ minister indignus, devotissimam filialem recommendationem cum orationum suffragiis & semper ad omnia paratum.

Litteratum vestrarum, quas pridie cum omni filialis devotionis humilitate de manibus venerabilis in Christo patris domini Laudensis episcopi, nobiliumque virorum collegarum suorum excellentiæ vestræ has ad partes legatorum recepi, & credentiæ super his singularum dicti patris tam facundo, quam fœcundo vivæ vocis oraculo luculenter expositæ læta series exprimebat, sacratissimum illum & divinitus inspiratum vobis zelum in perpetuas æternitates justissime recolendum, quo ad hæresum errorumque exstirpationem, perditorumque morum & vitiorum explantationem, discordiarum & bellorum seductionem, & in summa ad universalis ecclesiæ debitam reformationem, communis illa vobis & concors fertur & tendit intentio, utinam felicibus & indilatis, ut res exigit, prosperanda successibus juxta vota. O felicem supra modum intentionem eunctorum Christi fidelium merito promovendam, auxiliis & studiis prosequendam! O per omnia laudabile propositum altisonis attollendum præconiis! O sacrum exercitium, opus sanctum, opus dignum, benedictione plenum, a præstantissimis dudum viris, a doctissimis & devotissimis pariter christianæ religionis professoribus a nonnullis temporibus peroptatum, persuasum & præstolatum, tanto quidem promtius, ardentius & instantius, tarditatis & moræ dispendiis incommodisque postpositis, aggrediendum in promtu, quanto apparet evidentius, hoc non acto, non expedito, ecclesiastici status & hierarchiæ deplorandum excidium in foribus imminere. Et quamquam plerisque visum sit & verum, altissimum & arduissimum extiturum hoc negotium multiplicibus involutum periculis & difficultatibus implicitum; adeundus tamen videri potest qum fiducia thronus ejus cujus res agitur, cujus causa tractatur, qui nec fallere novit, nec falli, & ante conspectum misericordiæ suæ præsentanda promissio, qua nos erigit in spem firmam obtinendæ petitionis, si quam sibi, maxime pro se & in suo nomine, porrigimus, offerimus & flagitamus. Quia vero beatissimo cœtui vestro complacuit me & per me ceteros suffraganeos & subditos meos, hactenus ad sacras synodos venire solitos, admonitos esse de veniendo jam indilate non impeditos legitime, personaliter, & reliquos per procuratores idoneos sufficienter ad hoc instructos; obedienter & juxta vires exsecutioni demandabitur ad Dei laudem & V. D. complacentiam, sicuti cum ea qua decuit humilitate respondere curavi præfatis nobilissimis dominis sacri cœtus vestri legatis, qui commissa sibi V. S. ex parte, Deum contestor, tam singulariter, tam laudabiliter, tam

excellenter, & tali cum induſtria & moderamine ſunt exſecuti, quod regiæ celſitudinis & regnicolarum animos non inculti ſermonis aut ignavi, ſed diſertiſſima ſuadenti copia, cui nec ornatus vel efficacia defuit, ad annuendum poſtulatis, non difficile perduxere ad honorem ſacratiſſimi cœtus veſtri, quem in divinitus aggreſſi laboris votivo progreſſu ad exitum uſque felicem dirigere dignetur & proſperare clementia Creatoris. Scriptum Londoniæ die XXII. Julii MCCCCXXXII.

Sacræ concionis veſtræ orator humillimus JOHANNES Eboracenſis archiepiſcopus.

LITTERA

directa per dominum regem Romanorum, domino duci WILLELMO Bavariæ, protectori ſacri Baſileenſis concilii, &c.

Mittit ei ſummi pontificis bullam, monetque eum de illius diſpoſitione.

Anno 1432. *Ex mſ. Aquicinct.*

GEneroſe, dilecte princeps, & avuncule, dilectioni tuæ perprius ſatis ſcripſimus, quod ambaſſiata noſtra in concilii ſacri negotiis apud papam nihil facit, & quomodo de poſt reverendus JACOBUS (a) archiepiſcopus Ebredunenſis, princeps noſter & devotus dilectus, ſe ipſum exhibuit ad laborandum & mediandum apud papam, prout etiam ivit Romam, ibidem aliquandiu fuit, & poſt multos tractatus ad nos reverſus eſt, taleſque bullas attulit, quarum tibi cum præſentibus mittimus tranſſumtum: in quibus dilectio tua conſiderare poterit, quam intricati ſint articuli ſtantes in eiſdem, quos tamen ipſe archiepiſcopus, ut aſſerit, in alia forma exhibuit, quamquam in bulla contineatur, quod ipſe eoſdem articulos exhibuerit. Intelligis etiam quæ papa a nobis deſiderat, a quibus nos Deus cuſtodiat, quod ea umquam faciamus. Nos autem conſideramus quod papa induratus eſt, timentes etiam quod Veneti & Florentini, quibus colligatus eſt, & qui eum requirunt, ipſum nihil concluſive facere permittant: quamquam non velimus dimittere, quin iterum ad eum mittamus, pulſando, & diligentiam noſtram faciendo, prout tibi in brevi ſcribemus. Idcirco, dilecte avuncule, velis hujuſmodi ad ſacrum concilium deducere, ut bene conſiderent & videant quid nobis expediat reſpondere, cum prædicta nobis non placeant: intelligentes, quod exinde deſtructio & integra annullatio ejuſdem ſacri concilii ſequeretur. Quæ tuæ dilectioni pro tanto ſcribimus, quod tu & concilium ſciatis quam intentionem papa habeat in præmiſſis. Scriptum etiam nobis eſt, quod papa meliora caſtra ſua, præſertim Surianum & Canuale muniverit cum Venetis, & ſimile voluit feciſſe in Bononia; ſed cives eum prævenerunt, & adhuc ſtant in diſcordia cum ipſo. Sciat etiam dilectio tua, quod nos gratiâ Dei proſpere & bene venimus ad locum iſtum, quamvis attentatum fuerit nobis præſtari impedimentum. Et confidimus in Deo, quod facta noſtra debeant meliorari. Quicquid autem deinceps nobis occurrerit, tuam dilectionem ſcire faciemus: deſiderantes, quod tu etiam nos de circumſtantiis eorum, quæ ibidem aguntur, ſcire facias, & præſertim quomodo cum ambaſſiata, quam papa miſit ad Baſileam, res aguntur. Datum Senis feria quarta poſt Margaritæ.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus, &c.

GASPAR SLICK.

[a] Cognomine *Gelu*, antea archiepiſcopus Turonenſis, cujus vitam ab ipſomet conſcriptam edidimus tomo tertio Anecdotorum.

COPIA LITTERÆ

magiſtri Jo. de Rokizano Pragenſis, directæ priori Prædicatorum Baſileenſium.

Petit pro ſuis ad Baſileam ſalvum conductum, & ut de honeſto eis providcatur hoſpitio, ſignificatque damna in regno Bohemiæ ex aquarum eruptione facta.

Anno 1432. *Ex mſ. Aquicinct.*

DEbita reverentia cum omni famulamine. Præporrectis litteris concilii Baſileenſis, ſalvi conductus ſcilicet, cum epiſtola coadjuncta nobis multum placida, grate una cum noſtris ſæcularibus dominis, reverentia qua decet ſuſcepimus, lætabunde in Domino JESU qui eſt ſpes noſtra confidentes, quia qui cœpit opus bonum, perficiet. Nam auribus noſtris inſonuerant novitates, difficultatem cœpti operis præmonſtrantes, ut puta quod concilii pars magna nollet annuere per vos ex una, & nos parte ex altera, in Egra diſpoſitis & ordinatis. Sed jam aſpicimus, quod grato vultu cernentes videmus, quia mentita eſt iniquitas ſibi. Veſtris etiam notifico paternitatibus, quomodo ſathan, cujus eſt ea quæ ſunt ſalutis deſtruere, & qui Paulum apoſtolum magnum olim in ſalutiferorum progreſſu impedire moliebatur, ſic & opus in Egra cœptum per plures Bohemos ſpirituales & ſæculares conabatur & modo conatur, ſi quomodo quiret, impedire. Sed Dominus, cui mare & venti obediunt, imperat, & ſpero quia & plus imperabit, ut obmuteſcant, ſicut jam obmuteſcere cœperunt, digitum ori ſuo imponentes. Quapropter ſalvos conductus, juxta diſpoſitionem per nos & vos utrimque factam, ſine procraſtinatione diſponere ſatagentes, feſtinate, ut illis habitis, poſſimus in unum conſulere, & caritativis vultibus ſeipſos aſpicere; in domo quoque Domini læti manentes, quæ diaboli

destruere, evellere & dissipare, & quæ sunt Domini Jesu ædificare & plantare, ut sic eamus, & in Basileam, Domino juvante, veniamus, fructumque cum magnorum virorum inibi congregatorum, nos misceri populo Dei velut dulcia poma in Bohemiam redeundo afferamus. Opto, nostrique optant, paternitates vestras humiliter exorantes, ut de hospitiis honestis pro nostris & nostrorum personis curam & sollicitudinem habeatis. Novitates vestris reverentiis quæ occurrerunt his diebus, satis dolenter refero, sic quod inundatione facta in regno nostro, damna infinita sunt facta, villæ multæ funditus destructæ, partes civitatum disruptæ, pons Pragensis civitatis, cui similis in multis non fuit regnis, destructus, molendina omnia circa Pragam destructa, alibique per regnum Bohemiæ asportata, & alia innumera mala inaudita per magnam partem regni, & fere per totum regnum etiam multi homines sexus utriusque, & cum pueris per aquam submersi, cum subito factus est concursus aquarum pernimius, immo nec a plerisque visus & auditus. Hæc acta sunt feria II. ante Magdalenæ (a) MCCCCXXXII. [a]

COPIA PROTESTATIONIS

Facta per ambassiatores domini nostri papæ in civitate Constantiensi super factis concilii Basileensis.

Anno 1432. 26. Julii. *Ex inf. Aquicinctensi.*

REverendi in Christo patres & domini Jo. & Andreas Tarentinus & Collocensis archiepiscopi & Bertrandus episcopus Magalonensis, ac Antonius utriusque juris doctor, causarum palatii apostolici auditor, oratores & nuncii S. D. N. ac beatissimi Eugenii papæ IV. & de mandato ipsius S. D. N. progredientes pro exstirpatione hæresum, & reformatione universalis ecclesiæ, ac pacificatione regum & principum totius populi Christiani, nec non pro libertate ecclesiæ sublevanda, ad reverendissimos in Christo patres & dominos archipiscopos, episcopos, & ceteros venerabiles patres, abbates, priores, decanos, præpositos, archidiaconos, magistros in theologia, ac doctores utriusque seu in altero jurium, & alios dominos in civitate Basileensi congregatos. cum occasione & ratione captionis, arrestationis, & detentionis in carceribus & vinculis venerabilis viri domini Jo. de Prato decretorum doctoris, ipsius S. D. N. cubicularii & nuncii apostolici, & accessus non securi nunciorum apostolorum per patriam Germaniæ, cum dictæ civitati Basileæ appropinquant, quos nonnulli insequuntur & capiunt, ac mandata & litteræ apostolicæ, si reperiuntur, ab ipsis auferuntur, ut communiter fertur, nec non cujusdam prætensi statuti seu ordinationis per ipsos in dicta civitate editæ, vigore cujus liber exitus de dicta civitate, ibidem existentibus & de novo venientibus prohibetur, nisi cum certis qualitatibus per nonnullos ibi existentes concedatur, ac aliorum plurium incivilium & a jure exorbitantium, quæ inibi contra præfatum dominum nostrum, & sanctam sedem apostolicam facta extiterunt, & de die in diem fiunt, nec non & aliorum quamplurium suis loco & tempore explicandorum, instantissime petierunt & rogaverunt per medium venerabilis viri domini Petri Boniterii sacri collegii dominorum sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium clerici & archidiaconi de Martello in ecclesia Metensi, per ipsos specialiter destinati ad præfatos dominos in Basilea existentes, quatenus dictis oratoribus salvum conductum concedere, cum quo tute & libere & secure ire Basileam, ibique morari, loqui & agere quæ ipsis per dictum dominum nostrum injuncta fuerunt, & præmissa concernebant, indeque ad libitum recedere valerent: hi quidem domini per reverendos in Christo patres & dominos M. Albiganensem & Jo. abbatem de Bonavalle, & Henricum *Nitard* decretorum doctorem, præpositum Ulmensem, suos nuncios & oratores, quemdam salvum conductum captiosum & illaqueativum miserunt, sub quo nemini tutus esset accessus, nedum præfatis oratoribus, ut clare constat ex responsionibus præfatorum oratorum super salvo conductu datis, & aliis quampluribus rationibus; ideo præfati domini oratores protestantur publice, quod per eos non stat neque stabit, quominus ad præfatos dominos in Basilea vadant, ad explicandum circa omnia prædicta bonam, rectam, & sanctissimam intentionem & voluntatem præfati SS. domini nostri, quam semper habuit in præmissis, & hoc de præsenti: sed per præfatos dominos, qui salvum conductum in forma bona & rationabili ac juridica non concesserunt, nec miserunt. Petuntque denuo ipsi oratores præfati S. D. N. ab eisdem dominis & ab ipsorum oratoribus salvum conductum in bona forma & honesta eis dari, cum sint promti & parati jussa & mandata ipsius S. D. N. promte circa præmissa demandare executioni. Protestantur insuper de majori & evidentiori, ac notoria nullitate omnium illorum, quæ acta hactenus inibi contra dispositionem & ordinationem S. D. N. sunt, & eorum quæ in futurum contingent attentari, omnibus melioribus modo, jure, & forma quibus possunt, salvo jure addendi, diminuendi & corrigendi. Præmissa dicuntur, fiunt, & protestantur, citra injuriam cujuscumque, &c. De præmissis vero vos notarii publici & testes, &c. sitis rogati ut unum

(a) Anno 1432. festum S. Magdalenæ incidit in diem Jovis, ac consequenter feria secunda in qua contigit inundatio in diem decimam nonam. Paucis vero post diebus hæc epistola fuit conscripta.

& plura conficiatis inſtrumenta, & tot quot erunt neceſſaria. Exhibita anno MCCCCXXXII. XXVI. Julii. Conſtantiæ in ambitu majoris eccleſiæ in capella S. Sepulchri, præſentibus venerabilibus dominis, domino Jo. Luci decano, Alberto *Valart* & Henrico de *Henner* canonicis Conſtancienſibus teſtibus, &c.

SEQUITUR DECLARATIO

ſalvi conductus concilii miſſi oratoribus domini noſtri papæ exiſtentibus in Conſtantia.

LIcet ſalvus-conductus per vos petitus ad hanc civitatem veniendi, minime neceſſarius fuiſſet ex cauſis in aliis litteris noſtris, & per oratores noſtros expreſſis, nihilominus nos volentes veſtræ poſtulationi, quantum cum Deo & honeſtate fieri potuit, ſatisfacere, ipſum ſalvum-conductum in forma plena & ſufficienti per dictos oratores ad vos tranſmiſimus. Verum quia dubitare videmini, ubi dubitandum non eſt, & in re clara ſcrupulum quæritis, difficultatem in aliquibus clauſulis non neceſſariam facientes: ideo ut cognoſcatis hanc ſanctam ſynodum in ſpiritu lenitatis & manſuetudine procedere, & ne veſter acceſſus, qui utinam fructuoſus ſit, impediri ex parte ipſius ſynodi videatur, prædictas clauſulas dicti ſalvi noſtri conductus hoc modo ex ſuperabundanti duximus declarandas, videlicet ut privata colloquutio quo ad res familiares & privatas, & non concernentes negotia hujus ſacri concilii generalis Baſileenſis in læſionem ipſius ſacri concilii nullatenus interdicta vobis intelligatur. Quodque verba illa: *Vult*, &c. *hæc ſancta ſynodus, ut poſtquam ad veſtra propoſita & explicata reſponſum dederit, vel vos requiſierit*, &c. intelligantur, ut terminus octo dierum referatur ita ad reſponſum dandum, ſicut ad requiſitionem fiendam. Item, quod verbum *per viam rectam* intelligatur per eam qua veniſtis, vel per aliam vobis gratam & ſecuram verſus partes Italiæ, ſine dolo & fraude tendendo, &c.

EPISTOLA SIGISMUNDI REGIS ROMANORUM ad concilium Baſileenſe.

Significat concilio acta a Jacobo archiepiſcopo cum ſummo pontifice, mittitque ei bullas ſibi a papa miſſas, &c.

Anno 1432. 27. Julii. *Ex inſ. Aquicinctenſi.*

REverendiſſimis ac venerabilibus in Chriſto patribus & dominis ſacroſanctæ generali Baſileenſi ſynodo, &c.

Reverendiſſimi in Chriſto patres, &c. Scripſeramus alias V. P. qualiter venerabilis JACOBUS archiepiſcopus princeps noſter & ſacri imperii, dum in Parma pro feudis atque regalibus ſuis ſacramentum præſtaret, videns differentias quæ erant cum domino ſummo pontifice ſuper factis ſacri Baſileenſis concilii, ſe obtulit zelo quodam ductus, mediare, ut ad evitanda ſcandala hæc res ad bonos terminos poſſet conduci, qualiterque nos eidem nedum indulſimus, verum etiam inſtanter petivimus, ut Dei & eccleſiæ ſanctæ intuitu, illos ſubire vellet labores: Et ecce idem archiepiſcopus ad nos nunc eſt reverſus, afferens quaſdam bullas domini ſummi pontificis, requirenſque a nobis inſcriptionem quamdam: quorum omnium copiam ſive tranſſumtum illuſtri locum tenenti noſtro WILLELMO duci Bavariæ tranſmiſimus, V. P. ulterius præſentandas. verum quia illa negotia magna ſunt, & quodammodo involuta, ac extra poteſtatem noſtram, videbatur nobis ſumme expedire, ut illa ſubito ad V. P. devenirent notitiam: ad quarum cognitionem arbitramur talia pertinere. Nos enim ſcripturam quæ a nobis requiritur, nulla via ſeu inſtantia traderemus, nec dare diſpoſiti ſumus, niſi ad votum & conſilium veſtrum. Et ne ſanctitas domini noſtri papæ propter moram tædio afficeretur, & ut etiam non deficeremus, ſanctitatem ſuam denuo pulſare ſuper favore concilii, remiſimus per archiepiſcopum eumdem, adjunctis ſibi venerabilibus epiſcopo Curienſis & LADISLAO gubernatore cruciferatus Budenſis, qui per Dei gratiam ſubito reverſuri ſunt, & quicquid attulerint V. P. intimabimus. Nihilominus velint P. V. nobis incontinenti die noctuque reſcribere mentem veſtram ſuper illis articulis, noſque informare qualiter acturi ſumus, etiam quicquid feceritis uſque huc cum oratoribus apoſtolicis ad concilium deſtinatis. Non eſſet enim nobis ingratum ſi V. P. cum ſanctitate domini papæ concordare poſſent ad evitandum ſchiſma, dum tamen ſacrum concilium remaneret in libertate agendi ſine talibus limitationibus ſuper his pro quibus congregatum eſt, prout hactenus generalia concilia peregerunt; & ne idem concilium ſic per indirectum diſſolveretur, quod nobis profecto deificum & honeſtum videretur. quicquid tamen V. P. quæ res illas eccleſiam tangentes clarius nobis cognoſcunt, concluſerint, nobis acceptum erit. quoniam a votis veſtris nequaquam declinamus, ſed ut ſemper & ſcripſimus & nuntiavimus, uſque ad mortem vobiſcum perſeverabimus, & quæque adverſa ſuſtinebimus, quemadmodum præſentialiter propter adhæſionem ipſam nobis omnia impetrata undique auferuntur. Quæ omnia libenter ſufferimus & tolerare diſpoſiti ſumus pro bono & commodo populi Chriſtiani. Rogantes inſuper ut interim & quouſque veſtris paternitatibus non ſcripſerimus mentem & reſponſum domini papæ ſuper hujuſmodi re-

quisitionibus nostris, quas vobis præfatus locum tenens noster ostendet, in processu contra ipsum dominum papam velitis esse lenti & pii in finem, quod hæ res commodius adaptentur, quoniam avisationes nostræ vos non tardabunt. Datum in civitate nostra Senarum die XXVII. Julii regnorum nostrorum, &c.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus, &c.

TRANSUMTUM MISSUM

per imperatorem in quo inseruntur duæ bullæ papales, & una cedula, concernentes sacrum Basileense concilium, &c.

Ex mss. Argentinensi.

IN Christi nomine. Amen. Anno a nativitate ejusdem MCCCCXXXII. indictione X. die vero XV. mensis Julii, hora tertiarum vel quasi, pontificatus SS. in Christo patris & domini nostri, domini EUGENII, divina providentia papæ IV. anno II. serenissimo & glorioſissimo principe & domino, domino SIGISMUNDO divina favente clementia Romanorum rege semper augusto, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. rege feliciter regnante, anno sui imperii XXII. in nostrorum notariorum publicorum præsentia, præfatus sereniſſimus dominus rex SIGISMUNDUS Romanorum rex habens & tenens in suis manibus duas certas litteras apostolicas præfati domini nostri Eugenii papæ IV. ejusque bullis plumbeis more suæ Romanæ curiæ pendentibus sigillatas, super negotiis & causis sacri Basileensis concilii generalis emanatas, nec non & cedulam in pergameno scriptam inferius sic signatam *A. de Florentia secretarius*, quæ in se quædam capitula continebat, nos infrascriptos Petrum & Simonem publicos notarios cum instantia requisivit, prætactas litteras apostolicas & præfatam cedulam per nos transsumi & exemplari, quodque exinde copias authenticas & transsumata ac publica instrumenta facere deberemus, cujus quidem unius bullæ tenor sequitur in hæc verba.

EUGENIUS *episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio* SIGISMUNDO *Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ regi illustri salutem & apostolicam benedictionem.*

Satis notæ debent esse tuæ serenitatis tum per nostras litteras, tum per oratorum & tuorum & nostrorum relationes, causa & rationes quæ nos moverunt ad dissolutionem concilii Basileensis, quæ, Deo teste, solæ fuerunt, ut nobis præsidentibus concilio, hæreses tolli, pax inter Christi fideles poni, & ecclesia Dei perfecte, sicut semper optavimus, possent cum Dei adjutorio & tua ceterorumque principum assistentia reformari. Et licet multi varia sententiant, tamen Altissimo, qui scrutatur renes & corda hominum, manifesta est intentio nostra, & toti orbi suo tempore innotescet. Verum nuper venerabilis frater noster JACOBUS *archiepiscopus Ebredunensis, a tua serenitate veniens, motus bona devotione quam gerit ad ecclesiam Dei, & cupiens vitari scandala, quæ forsan culpa hominum oriri possent, nobis nonnulla capitula obtulit, in quæ propter tui reverentiam & tua contemplatione consensimus, ut appareat nihil nos malle quam hæresum exstirpationem, pacem fidelium, & reformationem ecclesiæ; & nostras exinde litteras fieri fecimus, quarum copiam, ut ad tuam notitiam deducantur, justimus præsentibus intercludi. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ* MCCCCXXXII. VI. *calendas Julii, pontificatus nostri anno* II. *G. de Gallio.*

Tenor secundæ bullæ seu alterius litteræ sequitur & est talis.

EUGENIUS *episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.*

Inter cetera vota nostra potissime vellemus hoc tempore, ut sicut Altissimo nota est, ita & universo mundo palam esset intentio nostri cordis, cessarent profecto multæ & diversorum altercationes, qui nostræ mentis puritatem non recte interpretantur. nam omni tempore & omni statu in quo fuimus, anhelavimus semper præ ceteris rebus, ad exstirpationem hæresum, quibus populum Christianum vexari videbamus, & ad ecclesiæ reformationem, quæ quidem res satis manifesta esse debuit in Constantiensi concilio, ubi omnibus innotuit, quanto cum desiderio cupierimus plenam & perfectam ecclesiæ universalis reformationem. Postea vero quam domino placuit nos ad universalis gregis sui curam assumere, reputavimus maxime ad singularem gratiam ab Altissimo nobis datam, voluisse illum eo tempore nos ecclesiæ suæ præesse, in quo deberet universale concilium celebrari, ut possent opera & diligentia nostra, nobisque præsidentibus, & hæreses tolli & reformari ecclesia in his quæ opus essent. Sed cum ad nos maxime spectaret hujusmodi rerum & reformationis onus, & omnino vellemus pro honore nostro & utilitate ecclesiæ eo loco & tempore concilium celebrari, in quo personaliter præesse possemus, malignitas autem temporis & infirmitas nostra præter alias rationabiles causas talis esset, ut nullomodo ad Basileam possemus personaliter proficisci, non ad fugiendum, sed ad perfectiorem & stabiliorem reformationem faciendam, & hujusmodi hæreses firmius exstirpandas, dissolventes concilium Basileense, in civitate nostra Bononiensi tempore tunc expresso illud duximus celebrandum, prout in litteris nostris plenius continetur. ex quo sequutum est, ut nonnulli hanc nostram dissolutionem, non eo animo quo facta est, ceperint, & perfectum propositum nostrum non rite intellexerint. Cum autem venerabilis frater noster JACOBUS *archiepiscopus Ebredunensis, zelo fidei & singulari ad ecclesiam devotione motus, nonnulla capitula nobis obtulerit, per quæ mul-*

tis scandalis sperat posse obviari; nos ut omnibus innotescat, nos nihil magis quam hæresum exstirpationem, Christi fidelium pacem, morum reformationem cupere, & reformationem ecclesiæ sanctæ Dei, eisdem capitulis duximus annuendum, quæ mandavimus ut ad notitiam omnium deducantur, de verbo ad verbum describi inferius & sunt ista: Quia impossibile est sine fide placere Deo, & sanctissimus dominus noster sub continuatæ religionis instituto a puero vacaverit, fidei observationi; nihilque amplius desideret post animæ salutem, quam ipsius fidei conservationem & incrementum, contentabitur eadem sanctitas, quod existentes in loco Basileæ & qui erunt, auctoritate eis per dominum nostrum concedenda, & præsidentibus nunciis sive legatis per sanctitatem suam deputandis intendere possint & valeant exstirpationi hæresum vigentium in partibus ulramontanis & potissime Bohemorum nunc vigenti, tam per instructionem quam per reductionem eorum ad sacro-sanctam fidem catholicam, & aliis viis debitis, licitis & honestis: proviso tamen, quod si oriantur dubia magna urgentia seu notabilia ejusdem domini nostri, cum concilio illorum qui sunt in Basilea & dominorum cardinalium, sit decisio auctoritati, vel remittantur decidenda ad concilium alind futurum, ubi dominus noster personaliter interesse poterit, si prædicti Basileenses maluerint.

Item, contentabitur idem dominus noster quod prædicti circa reformationem morum in omni statu ecclesiastico invigilare habeant, & advisare etiam particulariter; prout Spiritussanctus administrabit unicuique, proviso quod eorum avisamenta per oratores suos ipsi domino nostro transmittant, qui correcto & addito quod suæ sanctitati videbitur, commutatione facta correctorum & additorum ab existentibus in Basilea firmitatem obtineant, prout domino nostro videbitur, approbantibus illis in Basilea congregatis. Et si non concordaverit sanctitas domini nostri cum prædictis, remittantur ad futurum aliud concilium, in quo Dominus noster personaliter interesse possit, ut per hoc & alias debitus honor sedi apostolicæ servetur & deferatur.

Item, quia pacis bonum inter omnia desiderabile est, cum non nisi pacis in tempore bene colatur pacis auctor, contentabitur dominus noster, quod prædicti omnibus modis avisandi de pacis procuratione se interponant, media ad eam quærant, & eidem effectualiter intendant, salva semper in omnibus prædictis sanctæ sedis apostolicæ auctoritate, cui devote obsecundare tenentur, qui Christiano nomine gloriantur, & propterea remittenda est ei decisio, saltem ut in superiori capitulo continetur.

Item, quod omnes & singulæ requisitiones, exhortationes, monitiones, citationes, dierum appositiones, & processus incepti, & qui inciperentur post præsentium concessionem, per Basileæ congregatos contra quascumque personas, A cujuscumque dignitatis aut conditionis existant sive status, & omnia per quæ, sive quorum medio seu auctoritate ad ipsos vel ipsas ventum est, pro non factis habeantur, perinde sint ac si nullo unquam tempore facta, facti seu factæ extitissent. Ita quod omnia remaneant in statu quo erant ante dictam congregationem Basileæ, & etiam omnes monitiones, citationes & processus incepti in audientia contradictorum, & alibi auctoritate apostolica, & qui inciperentur post præsentium concessionem contra dictos Basileæ congregatos seu singulares eorumdem, qui ibidem erunt, existunt & fuerunt, habeantur B pro non factis, ac si numquam evenissent, sive facta aut factæ extitissent: ita quod in nomine Domini nostri Jesu Christi in vera pace, caritate non ficta, & bona unione animorum, modo & forma præmissis, & non aliter, nec non in aliis cum maturitate debita procedatur una cum legatis domini papæ deputandis.

Item, paratus est dominus noster abbreviare tempus concilii proxime futuri Bononiæ, & & etiam locum mutare, dummodo fiat in terris ecclesiæ immediate subjectis in Italia, ubi dominus noster cum sacro collegio possit personaliter præsidere, juxta consilium in Basilea existentium, & ibi poterunt convenire & papa & C dominus rex personaliter in concilio, ubi multa bona fieri poterunt, quæ fieri non possent sine papæ ad minus præsentia. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXII. VI. calendas Julii, pontificatus nostri anno II.

Tenor autem prædictæ cedulæ sequitur per omnia in hæc verba:

Quia dominus archiepiscopus Ebredunensis concluserit cum reverendissimis dominis cardinalibus deputatis per sanctitatem domini nostri, ad facta illorum qui sunt in Basilea, idem dominus noster vult habere litteras a domino rege D Romanorum authenticas, cum sigillo majestatis & subscriptione propria manus suæ, quod si illi non consentirent, nec acquiescerent concordatis: aut si consentirent, & postea in aliquo contra vel præter facerent, idem dominus rex promittat & juret sub fide regia per se quod eos deseret, tamquam homines turbatores pacis & quietis ecclesiæ & totius Christianæ religionis, ad simplicem requisitionem ipsius domini nostri, sicut ipse per juramentum est obligatus, & adhærebit suæ sanctitati, tam in concilio per eamdem sanctitatem suam tenendo, quam alibi.

E Item, quia idem dominus Ebredunensis asserit præfatum dominum regem affectare accedere ad urbem Romam, & præfatum dominum nostrum visitare, quem semper præcipua caritate dilexit, & sperat quod per communicationem ipsorum ad invicem multa bona poterunt fieri concernentia fidem & ecclesiam ac totam Christianitatem, idem dominus noster contentatur de accessu suo, cum ipsum a tempore concilii Constantiensis, quo cognovit eum, semper fuit magna dilectione & affectione prosequutus,

dummodo ejus adventus pacificus, id eſt cum illis de domo ſua tantum, ut alias cautum fuit. Et certificatus de tempore adventus ſui, mittet obviam ſibi uſque ad confinia terrarum eccleſiæ, duos ex reverendiſſimis dominis cardinalibus, & alios prælatos & clericos ad ipſum aſſociandum honorifice, & ipſum ſecure conducet & tenebit per Dei gratiam, & remittet cum honore, pace, & benedictione Domini noſtri JESU CHRISTI, *& SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ac ſua; & ſi voluerit in comitiva ſua habere de gentibus armigeris præfati domini noſtri, tam in veniendo, quam in revertendo; & ſi petierit quod dictæ gentes faciant ſibi juramentum conveniens prædictæ materiæ, contentatur dominus noſter quod fiat hoc etiam, declarato quod antequam intret terras eccleſiæ, ipſe præſtabit juramentum, quod de jure præſtare tenebatur antequam intraret eccleſiam, juxta formam Clementinæ.*

Item, ad oſtendendam caritatem, amorem & benevolentiam erga perſonam domini regis, conſideratis magnis expenſis habitis per præfatum dominum regem, dominus noſter eſt paratus ſubvenire eidem domino regi poſtquam intraverit terras eccleſiæ, & cum illa paternali caritate amplectetur, qua pater bonus filium optimum complecti debet, & prout per oratores ſuos alias oblatum fuit, & ſuper hoc dominus noſter paratus eſt deputare aliquos qui habeant tractare cum deputandis per dominum regem, & infallanter ſperat, quod erunt in bona concordia cum Dei adjutorio.

Nos vero notarii publici infraſcripti eaſdem litteras apoſtolicas & cedulam præfatam de manu ejuſdem domini SIGISMUNDI Romanorum regis recipientes, ipſas copiavimus, exemplavimus, & de verbo ad verbum tranſumſimus, ac in formam publicam redegimus, nihil addendo vel minuendo quod ſenſum mutet aut variet intellectum. Acta ſunt hæc in civitate Senarum, in domo reſidentiæ prædicti domini Romanorum regis, anno, pontificatu, regnorum, die, hora, & loco quibus ſupra, præſentibus ibidem venerabili domino KAROLO epiſcopo Senenſi, ac honorabilibus Benedicto præpoſito Albanenſi, ſedis apoſtolicæ protonotario, Mathia præpoſito Quinqueccleſienſi regni Hungariæ vice-cancellario, & Johanne *Scok* Ezelburgenſi præpoſito, necnon magnificis & nobilibus viris dominis STEPHANO Seginæ & Modeuſſiæ, WILLELMO DE MONTFORT comitibus, GASPAR *Sligk* de Lazano burgravio Egrenſi, aulæ Romanæ regiæ vice-cancellario, LADISLAO de Thamaſi, LAURENTIO DE HEDERWAT mareſcallo regni Hungariæ, MUTIKONE DE RAGUSIO comite Kewinenſi, & quampluribus aliis fide dignis teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter vocatis & rogatis.

Et ego Petrus *Kalde* de *Stetterich* clericus Colonienſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, &c.

Et ego Simon Amman. de *Aſparn* clericus Patavienſis diœceſis, publicus imperiali auctoritate notarius, &c. præſens fui, &c.

EPISTOLA HUMFREDI ducis Gloceſtriæ, ad ſacrum concilium.

Promittit ei omnem ex parte ſua favorem, hortaturque ad viriliter agendum.

SAcro Baſileenſi concilio in Spiritu-ſancto legitime congregato, univerſalem eccleſiam repræſentanti, HUMFRIDUS regum filius, frater, & patruus, dux Gloceſtriæ, comes Pempurgiæ, magnus camerarius Angliæ &c. vineam Dei Sabaoth diligenter excolere, in populis Chriſtianis pacem contexere, firmare fidem, virtutes conſerere, vitia reſecare. Anno 1432. 17. Julii. *Ex mſ. Aquiſtrictenſi*

Excitarunt me pridem veſtræ, quas mihi per reverendum in Chriſto patrem egregioſque viros dominum G. epiſcopum Laudenſem, Racellum præceptorem S. Johannis Jeroſolymitani Januenſis, & fratrem Guidonem Flammoceti ſacræ theologiæ profeſſorem, in hac parte legatos & eloquentiſſimos oratores miſiſtis, litteræ: ſed & zelus Dei & unicæ ſponſæ ſuæ animoſum me reddidit, ut veſtris beatis devotiſque deſideriis gaudenter velim meas, utcumque poſſum, impertiri libentius ſollicitudines, aſſiſtentias, & favores. Quod utique ſi minus egerim, ſi ſegniter manum arreperim, ſi denique circa maturandum celerius tam felix, ſanctum & ſalubre propoſitum lentus in via ullatenus hæſerim ſatis referre norunt eruditiſſimi oratores veſtri prædicti, & ſi quid inſuper deinceps occurrerit, quod in ſancti operis veſtri ſubſidium expeditionemve facere queam, ut fidelem & devotum eccleſiæ filium, me ad ſemper paratiſſimum ſentietis. Ergo viriliter agite, principes & patres conſcripti, cauſa ſiquidem quam tractatis, cauſa Dei eſt, cauſa ſacroſanctæ univerſalis eccleſiæ eſt, cauſa denique omnium qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, palam eſſe dignoſcitur, cum univerſi Chriſti fideles, maxime autem principes & potentes tenentur aſſiſtere, & decertantes in ea defendere & tueri. Sacrum concilium veſtrum Spiritus-ſanctus inſpiret, & in finem uſque fructuoſum deducat ſummi cœleſtis conſilii altitudo. Scriptum in meo manerio de *Grenvvigh*, menſis Julii die XXVII.

HUMFRIDUS dux Gloceſtriæ & comes Pemburgiæ, &c.

Droin.

EPISTOLA SIGISMUNDI regis Romanorum, ad concilium Basileense.

Cum in Italia fructuose laboret pro concilio, declarat non expedire ut in propria persona ad illud accedat, &c.

Anno 1431. 1 c. Augusti. Ex mss. Aquicinctensi.

REverendissimis in Christo patribus, &c. Reverendissimi in Christo patres, &c. Scimus nihil magis ad nostrarum laudum cumulum pertinere, quam res sacrosanctæ Basileensis synodi extollere, & accuratius eas promovere. Ad hoc enim onus nostri conatus student & tendunt, pro eo susceptimus labores, fatigas, & immensas expensas, & usquequaque cum persona propria subivimus discrimina varia, semper revolventes in animo potius nos sollicitare & effundere in Dei & ecclesiæ suæ servitiis, quam commodis propriis insudare. Multa enim, uti cognovimus, Christianæ religioni accesserunt per operas Romanorum impetatorum & regum. Utinam nos proficeremus in rebus illis, quas pro facto fidei sollicitudine procuramus. Redditæ sunt nobis, reverendissimi patres, successu dierum duæ bullæ, inter cetera nos ad veniendum requirentes; quas reverenter & gratanter susceptimus, agentes Christo Deo gratias de felicibus processibus sacri concilii, & utinam rerum conditiones paterentur, quod vobiscum constitui deberemus: sumus indubii quod multa ad laudem omnipotentis Dei & suæ sanctæ ecclesiæ perficerentur. Sed si oculatim videretis quantum præsentia nostra his in partibus sacro concilio præstet favorem, indubie si non adessemus, adhuc nos decerneretis isthac transmittere, quemadmodum V. P. in brevi distinctius informaturi sumus. Præterea reversi sunt de Romana curia, venerabilis Curiensis episcopus & alii oratores præter archiepiscopum Ebredunensem, quos alias ad sanctitatem summi pontificis miseramus cum instructionibus vobis novissime per cursorem ducis WILLELMI destinatis, super quibus dominus papa cardinalem de Ursinis & cardinalem de Montesorti de Britannia ad nos transmisit, qui omni die accessuri, immo de prope sunt, nostros salvos-conductus expectantes. Auditisque illis, incontinenti V. P. de singulis avisabimus, nihil tamen effectualiter concipimus, quemadmodum ex cedula dominorum cardinalium sacro concilio in Roma adhærentium nobis transmissa hicque inclusa clarius colligetis, maxime super quibus cautelis dicti cardinales accedunt. Nihil tamen per nos eis respondebitur, nisi quod ea apud vos quærant quæ tentant. Mittimus etiam vobis hic annexam procurationem eorumdem dominorum cardinalium laudabilem, atque bonum sperantes in Domino Deo nostro, quod omnia in melius successura sunt. Nec credatis nos destituturos quin his in partibus pro favore sacri concilii nos totaliter effundemus: immo jam cum Florentinis, qui solemnes oratores suos apud nos habuerunt, super illo verba habuimus, & speramus vobis subito felicia nunciare. Qualitercumque tamen res succedant, nos ille sumus qui vobiscum & sacro concilio perseverare statuimus, & in ea firma sententia usque ad mortem permansuri sumus. Eßote igitur R. P. constantes & firmi, parvipendentes suggestiones & contrarietates quorumcumque, quoniam indubie res ecclesiæ quæ quotidie palpabiliter adaugentur, proficient ad laudem Dei, commodum ecclesiæ, sacrique concilii decus & honorem: & si vestri oratores nos accederent, quemadmodum V. P. alias per fratrem Jo. nunciavimus, gratissimum nobis esset, & possent quæque res absque dubio in melius promoveri. Datum in civitate nostra Senarum die XV. Augusti MCCCCXXXII.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, &c.

COPIA CUJUSDAM BULLÆ missæ episcopo Taurinensi per dominum papam, ut non adhæreat concilio Basileensi.

Ejusdem est tenoris cum bulla ad archiepiscopum Colonienſem, edita tom. 12. concil. pag. 931. dat. 3. id. Feb. 1432.

SEQUITUR LITTERA PATENS convocationis prælatorum regni Francie, &c.

Anno 1431. 19. Aug. Ex mss. Aquicinct.

CHARLES par la grace de Dieu roy de France, à tous archevesques, evesques, abbés & aultres prelas, doiens, soudoiens, archediacres, chapitres, recteurs, docteurs, & regens, & aultres maistres clercs, & gens notables tant d'eglise, que des universitez de nos royalmes, Dauphiné, signeuries, salut & dilection.

Comme par plusieurs ambaxades & meissives derenierement par l'evesque de Novare, & l'abbé de S. Ambroise de Milan envoyes devers nous, de par cheux qui sont assemblez à Basle pour le saint concile general, aions été requis & exhortés de par le saint concile, de envoyer à icelui concile nostre ambaxade notable, & aussi de vous exhorter que pareillement y ailliés & assistés, comme il est de coustume, & que tenus y êtes. Sçavoir vous faisons que après plusieurs deliberations sur ce, tant aveques les gens de nostre grand conseil, que plusieurs autres notables personnes d'eglise: nous avons conclut & arresté pour tousjours faire nostre debvoir, &

& enſievir les bonnes couſtumes de nos predeceſſeurs, de briefment envoyer noſtreditte ambaxade notable audit ſaint concile. Et ce vous ſegneſions par ces nos lettres patentes, au *vidimus* deſquelles fait ſous ſcel royal ou autentique, volons foy eſtre adjouſtée comme à l'original, à ce que ſoiés plainement informés de notre entention & volenté ſur les choſes devant dittes, & que ung caſcun * de vous en droit ſoi fache ſon debvoir ſelong que tenus y eſt de comparoir ou envoier deuement audit ſaint concile. Donné en noſtre chaſtel d'Amboize le XIX. jours du mois d'Aouſt l'an MCCCCXXXII.

* *Id eſt* chacun.

Par le roy en ſon grand conſeil,
J. Le Piquart.

EPISTOLA NICOLAI DE GARA regni Hungariæ palatini, ad Sigiſmundum Romanorum regem.

Lecta die Veneris ante feſtum Andreæ.

Significant Poloniæ regem non iniiſſe fœdus cum Bohemis.

Anno 1432. 19. Auguſt. Ex mſ. Aquicinctenſi.

SEreniſſimo principi & domino domino SIGISMUNDO Dei gratia Romanorum regi.

Sereniſſime princeps & domine, domine mi generoſiſſime, ſcire dignetur V. S. quod exiſtentibus nobis, videlicet prælatis & baronibus regni veſtri Hungariæ ſimul in congregatione, rex Poloniæ prælatique & barones ſui, cum litteris credentialibus mittendo nuncium proprium, aperte nunciarunt in hæc verba. » Vobis dominis prælatis, baronibus, » & aliis Hungaris, volumus eſſe notum, ne » audiatis ab aliis contraxiſſe nos unionem & » ligam cum Boſiemis contra omnem natio- » nem, & præſertim Teutonicam, excepta » dumtaxat liga veſtra Hungarorum, quibus » volumus ſemper tranquilliſſimam pacem & » amicitiam conſervare. » Hæc itaque, generoſiſſime domine, V. S. duxi intimanda. Datum Budæ in profeſto S. Stephani regis. MCCCCXXXII.

Ejuſdem veſtræ ſerenitatis ſervulus NICOLAUS DE GARA regni veſtri Hungariæ palatinus.

LITTERA

cujuſdam Inquiſitoris ordinis Minorum, ſacro generali concilio Baſileenſi, &c.

Reddit rationem de actis ab eo adverſus hæreticos, excuſatque ſe quominus ad concilium veniat.

Anno 1432. 15. Auguſt. Ex mſ. Aquicinctenſi.

SAcroſanctæ Baſileenſi ſynodo univerſalem eccleſiam repræſentanti, frater PETRUS FABRI ordinis Minorum, hæreticæ pravitatis inquiſitor immeritus, præmiſſa recommendatione humili, cum debita promtitudine famulandi.

Cum parvulo mentis oculo conſpicio ſanctæ fidei catholicæ roſarium, comperio clara luce torpedine longingua hæreſis ejus doloroſum interitum, multorum titillante in diverſis mundi partibus hæreticorum rabie; quodque Deus ſacrum Baſileenſe concilium erexerit in titulum & defenſionem fidei ſuæ, plantans ipſum quaſi olivam fructiferam in vinea Domini, in qua multa eſt meſſis, cujus prælibatam ſanctam congregationem conſervatricem & cultricem conſtituit, ne degenerent propagines vineæ in labruſcam, pro eo quia ſurrexerunt retroactis temporibus, & actu inſurgunt falſorum dogmatum prædicatores, doctores mendacii, hoſtes veritatis, & fidei ſubverſores, blandi & ſimplices ut agni, ſed vulpes aſtutia ſunt, & rapaces ut lupi, qui laqueos & pedicas tendunt in capturam ſimplicium, ſeque cum aliis in præcipitium damnationis æternæ demoliuntur. Ideo quia zelus domus Domini accenditur in prætata ſancta ſynodo ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, & ad reducendum devios a fide: propter quod dominus JACOBUS ALBERTI litterarum ſacri prælibati generalis concilii executor, cauſa præmiſſorum caritative me monuerit, quamvis ad Dei honorem & exaltationem fidei ſuæ ſanctæ, & ad exterminium hæreticæ pravitatis & ſectæ Valdenſium, quæ, proh dolor! in vallibus Puteclufionis Argenteriæ & Freiſſeneriæ meo officio ſubjectis damnabiliter retroactis temporibus viguit, & actu inceſſanter viget, taliter quod ager Dominicus ibidem quaſi ſqualet inculteus, licet magnas executiones de multis hæreticis & Faccineriis fecerim a duobus annis citra & ultra, etiam actualiter in carceribus tam Ebredunenſibus quam Brianſſonii ſex hæreticos relapſos habendo, qui plus quam quingentos de eorum ſecta mihi revelarunt, quorum executio propter complices ne fugam rapiant, necnon propter eorum proceſſus, conſultationem maturam & digeſtam commode de magno tempore fieri non poteſt, quia nemo repente fit ſummus; præſuppoſitis etiam aliis legitimis & manifeſtis excuſationibus meis, videlicet infirmitatibus corporalibus actu me affligentibus, & indicibili paupertate quam ſum paſſus, quia ab eccleſia Dei numquam habui denarium, neque ſtipendia habeo a quocumque alio, quare impoſſibile eſt indigentem bene operari. Hinc eſt quod præfato concilio generali ſupplico humiliter, ut meas excuſationes legitimas de præſenti dignetur acceptare propenſius, cum nemo teneatur ad impoſſibile, & fidem indubiam ſuper præmiſſis, dicto domino Jacobo Alberti canonico Ebredunenſi, præbere ſi placet, & mihi tantum tempus liberaliter conferre, ut opus fidei per me inchoatum valeam & poſſim

ad Dei laudem & exaltationem fidei ſuæ ſanctæ, modo poſtquam materia prædictorum hæreticorum eſt aperta, abſque ejus interruptione & medio liberaliter terminare, ſaltem hinc ad tempus breve, quia poſtpoſitis quibuſcumque aliis ad præfatum ſacrum concilium incunctanter intendo & diſpono accedere, quod Deus votive & proſpere conſervare dignetur. Amen. Ex Ebreduno XXIII. Auguſti.

Ejuſdem ſacri concilii generalis humilis orator & ſervitor fidelis prænominatus.

EPISTOLA
SYNDICI ET CONSILII AVENIONENSIS
ad concilium Baſileenſe.
Gratias agunt quod rectorem eis dederit cardinalem S. Euſtachii.

Anno 1432. 25. Auguſt. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

REverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, ſacroſanctum Baſileenſe generale concilium digne celebrantibus, dominis noſtris metuendiſſimis.

Reverendiſſimi in Chriſto patres, &c. poſt humillimam recommendationem. Dudum diebus non longe præteritis cognovit hæc civitas peculiaris ac fideliſſima eccleſiæ Avenionenſis operis per effectum, quanto zelo caritatis in viſceribus cordium earumdem P. R. ſit ſtabilita, dum pro ejus totalis ruinæ evitatione, proviſionem ſaluberrimam in perſonam reverendiſſimi in Chriſto patris & domini, domini A. miſeratione divina ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ diacono cardinalis, S. Euſtachii vulgariter nominati, de vicario generali in ſpiritalibus & temporalibus ejus nomine miſericorditer providit. [a] Et licet pro tanto beneficio eadem civitas ad gratiarum humiles actiones rependendas, merito ſit aſtricta, cum tamen conſideret in perſonam tam nobilem tamque fructuoſam regimini ſibi commiſſo, & multo majori experientia teſte comprobata, civitati eidem fuiſſe ſalubriter proviſum; multo plus ad illas aſtringitur, dum non ad ipſius poſtulationem, quin immo veſtri motu proprio vigilando ſuper gregem dominicum, earumdem paternitatum cura pervigili tantæ proviſioni operam dare placuerit celerem & efficacem, pro quibus non ceſſamus, nec ceſſare intendimus humillime eiſdem P. R. continue regratiari. O patres reverendiſſimi, quam felix & glorioſa fuit illa proviſio & eſt, per quam hæc civitas & patria eccleſiæ dilectiſſima ſola citra montes & unica eccleſiæ ſanctæ Dei conſervatur. In verbo enim veritatis atteſtamur, quod ſi hæc proviſio ſaluberrima non facta aut dilata plus debito extitiſſet, dominium eccleſiæ in eadem, quod Deus avertat, preſſura & verſutia malorum hominum, eccleſiaſticam pacem & ſacroſanctæ ſynodi robur turbare nitentium, corruiſſet. Ex poſt vero quod hunc patrem in Chriſto ſupradictum reverendum, per ſacrum concilium in rectorem nobis datum, tota hæc eccleſiæ terra non ſolum venerata, quin immo & timorata ab æmulis & invidis fuit. Ipſam igitur civitatem, & ſua ſuppoſita, patriamque circumvicinam eccleſiæ ſubjectam, ſic intra pectorum veſtrorum arcana continue gerere & fovere placeat, quod præter beneficia accepta, continue majora, ut confidit, recipiat. Nam ejus augmentatio eſt eccleſiæ exaltatio. Per illam enim eccleſiæ Romanæ & ejus felicis ſtatus ſolum & dumtaxat citra montes geritur memoria, augmentatur gloria, habet ipſa in his partibus ubi caput ſuum reclinet, & gregem dominicum recolligat, per quam *inimicos compeſcat, amicos vero* cognoſcat, prout latius teſtimonio authentico reverendiſſimi in Chriſto patris & domini, domini patriarchæ Antiocheni, dominorumque prælatorum, aliorumque patrum univerſitatis generalis ſtudii Avenionenſis, ad eamdem deſtinatorum, greſſuſque ſuos in domino dirigentium, percipere poterit indefeſſe. Illam igitur materno oculo reſpicere placeat, continuiſque atque benignis beneficiis & favoribus opportunis confovere dignetur ille, in cujus nomine eſt legitime congregata, uſque ad finem laudabilem & intentum, totique univerſali eccleſiæ neceſſarium feliciter & votive. Scriptum Avenione die XXV. Auguſti MCCCCXXXII.

Earumdem V. R. P. humillimi ſervitores ſyndici & conſilium civitatis Avenionenſis.

[a] Hæc proviſio non din locum habuit, ut patet ex Eugenii bulla, quæ extat inter acta concilii Baſileenſis apud Labb. tom. 12. pag. 536. in qua hæc leguntur. *Nam quod nunquam eſt factum, ipſi in civitate noſtra Avinionenſi & contra noſtram voluntatem conſtituere legatum auſi ſint, illam tyrannidi unius cardinalis, nuper cum eis conventionis, ſubjiciendo, ſpreto vero legato de latere per nos & ſedem apoſtolicam conſtituto, unde tot guerrarum fragor, tot rapinæ, tot homicidia, tot incendia ſuborta ſunt. Sed tandem clementiſſimus Deus ſua miſericordia fecit, partis juſtorum causam habenti; quia noſtro vero dominio, & ſub noſtro legato ipſa civitas ſubjecta eſt*, &c. Data eſt hæc bulla Romæ 18. cal. Januarii 1433.

EPISTOLA
JO. EPISCOPI ZAGRABIENSIS
ad Sigiſmundum regem.
Monet eum de initis confœderationibus adverſus Teutonicos ſeu Germanos.

SEreniſſimo principi domino, domino SIGISMUNDO, &c.

Anno 1431. 26. Auguſt. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

Sereniſſime princeps & domine excellentiſſime, poſt humilem mei recommendationem orationumque ſuffragia devotorum.

Scire dignetur eadem ſerenitas, quod prælati & barones regni veſtri Hungariæ in feſto S. Laurentii proxime præteriti, pro parte majori ad civitatem veſtram Budenſem pro defenſione prædicti regni veſtri contra inſultus Turcorum & perfidorum Huſſitarum in unum convenerunt; inter quos ego etiam perſonaliter fui, quibus quidem dominis prælatis & baronibus, ut præmittitur, invicem exiſtentibus in præſentia eorumdem, acceſſit ambaſſiata regis Poloniæ, primo ex parte ipſius regis, demum ex parte reginæ conthoralis ſuæ, & tandem majorum, & ex poſt minorum filiorum ſuorum, prælatis & baronibus veſtris retulit ſalutes. Tandem autem in perſona ejuſdem domini regis queruloſe protulit, quomodo illi mali homines Pruteni ligas & confœderationes cum eodem rege contractas non tenerent, & ſibi & regno ſuo multa damna feciſſent, & ipſi etiam contra ipſum cum duce SWIDRIGAL eſſent confœderati. Hoc etiam retulit, quod ipſe dominus rex & filii ſui ac barones ejus uniti eſſent cum Bohemis, vellentque cum ipſis contra omnes Teutonicos ſeu Germanos tenere, ſed non contra Hungaros, quoniam a tempore ſancti regis STEPHANI, & tandem a tempore ſancti regis LADISLAI, qui ex parte matris fuiſſet de regno Poloniæ, uſque ad tempora LUDOVICI regis, & durante eo ſemper fuerunt unum, & domini Hungari ducebant matrimonialiter ſorores dominorum regni Poloniæ. Et cum ego & hoc idem prælati & barones regni ejuſdem intimaſſent dominis prælatis & baronibus regni V. S. domini tamen prælati & barones veſtri ſuper illis nullum dederunt reſponſum. Et hæc ſereniſſime princeps veſtræ majeſtati pro aviſatione volui intimare. Scripta Kaprinieze feria II. proxima poſt feſtum Bartholomæi apoſtoli M CCCC XXXII.

Ejuſdem V. S. capellanus humillimus Jo. epiſcopus Zagrabienſis cancellarius.

EPISTOLA SIGISMUNDI REGIS ROMANORUM,

ad patres concilii Baſileenſis.

Orat proceſſus in papam tantiſper ſuſpendant, donec miſſi ad eum a pontifice cardinales advenerint.

Anno 1432. 28. Auguſt. *Ex mſ. Aquitinenſi.*

REverendiſſimis ac venerabilibus in Chriſto patribus & dominis ſacroſanctæ ſynodo Baſileenſi, &c.

Reverendiſſimi in Chriſto patres, &c. Per proximum curſorem civitatis Baſileenſis V. P. ſcripſiſſe recolimus de reditu ambaſſiatorum noſtrorum a domino ſummo pontifice ſine reſponſo, & qualiter ipſe deliberaverit ſuper rebus per nos requiſitis, dominum cardinalem de Urſinis & dominum de Monteforti ad nos tranſmittere. Et quamvis iidem domini cardinales ante plures dies de Roma exiverint, noſque eiſdem noſtros & alios ſalvos-conductus per dominum apoſtolicum petitos dudum miſerimus; tamen uſque in præſentem diem nondum acceſſerunt. Aviſamur nihilominus quod infra ſex dies indubie adventuri ſunt, & cum rebus gratis & acceptis, quod Deus concedat. Et quamquam ipſe dominus apoſtolicus per venerabilem Jacobum *de Sirch* protonotarium, quem pro ſalvis-conductibus ad nos præmiſerat, a nobis inter cetera petiverit, quatenus apud V. P. & ſacrum concilium inſtare vellemus, ut cum proceſſibus quibuſcumque abſtineretur per totum Septembrem: nos tamen illud ſibi denegavimus, & nos id facere non poſſe diximus, niſi auditis prius dominis cardinalibus ad nos deſtinatis. Nec in vanum movebamur, quia nobis dicebatur quod in curia Romana pariter proceſſus fulminandi paterentur, & verebamur ne & nos in aliquo præveniremur. Sed audientes iterum quod iſti domini cardinales cum bonis veniunt, videretur nobis, & ſic P. V. rogamus, quatenus cum proceſſibus & aliis rebus, ſi quæ contra dominum apoſtolicum eſſent conceptæ, ad tempus modicum, & quo uſque illos dominos cardinales audiverimus, ſuperſedere velitis; & ſi grata fuerint, proderit illa mora ſuppreſſionis multum ad evitandum ſchiſma in eccleſia Dei. Si vero ipſos dominos cardinales perſenſerimus ambagibus uti, & rem tendere ad finiſtrum, poterunt nihilominus V. P. procedere uti viſum fuerit, & de illis omnibus quid cum eis peregerimus ſubito V. P. aviſabimus. Eritque illa jam ultima & finalis miſſio oratorum inter nos, nec amplius apud ſuam ſanctitatem diſponemus inſtare, aviſando P. V. quod licet ſua ſanctitas a nobis pro ſcriptis iſtis, ad V. P. faciendis inſtiterit, tamen quod ea tranſmittimus ſuæ ſanctitati incognitum eſt, nec ſibi affirmare voluimus, immo clare denegavimus, ut ſua ſanctitas illo ſubſtrata timore, prout eſt, ad mutationem propoſiti citius flecteretur. Datum in civitate Senarum die XXVIII. Auguſti regnorum noſtrorum, &c. MCCCCXXXII.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus, &c.

A

EPISTOLA CAROLI VII.

Francorum regis concilio Basileensi.

Promittit se legatos suos & episcopos &c. regni sui sacro concilio missurum.

Anno 1432. 1. Septemb. *Ex ms. Aquicinctensi.*

ANos tres chiers & tres especialx amis, les prelats & autres gens etant au saint concile de Basle.

CHARLES par la grace de Dieu, roy de France, salut & dilection.

Tres chiers & tres especialx amis, par vos B ambaxeurs l'eveque de Novare, & l'abbé de S. Ambroise de Milan, avons rechu vos lettres, contenant creance, laquelle yceulx vos ambaxeurs nous ont notablement exposée, & apries che que avons sur ce eu grant & meure deliberation avecque les gens de nostre grand conseil, & plusieurs aultres notables personnes d'eglise, avons conclu brief envoyer notre ambassade notable audit saint concile de Basle, & avecque che segnefier a tous prelats & aultres de nos royalme, Dalphiné & signories qui sont tenus de droit ou de coustume de comparoir aux sains con- C ciles, que audit concile de Basle voisent ou envoyent pour eulx personnes notables, en cas qui auroient excusation legitime de non y aler. Et de ceste nostre ordonnance pour es estre certifies par voisdits ambaxeurs, & par nos lettres patentes à eulx sur ce baillées. En oultre tres chiers & tres especials amis, avons sçu que nostre S. Pere le pape a envoyé à Basle ses ambaxeurs pour appaiser aucun discort, qui pouvoit estre entre luy & vous, & aussi qu'il vous a envoyé certains chapitres pour proceder à l'extirpation de plusieurs heresies, que on dist de present estre en diverses parties de la Chrestienté, D & à la reformation de bonnes mœurs en sainte eglise, dont sommes tres joieux, vous exortans & requerans tant certes que plus povons, que en tant que vous sera possible voellies eviter toute matiere dont se puist ensievir aucune devision en l'eglise. Et se aultre chose aviśés qui soit pourfitable à l'exaltration de nostre mere sainte eglise, faites le nous sçavoir, & de bon cuer nous nous y empioyrons. Escript à Amboise le primier jour de Septembre MCCCCXXXII.

CHARLES.

PICART.

HÆC CAPITULA

Fuerunt oblata serenissimo principi CAROLO *Francorum regi Christianissimo, per B. episcopum Novariensem, & A. abbatem S. Ambrosii Mediolanensis, oratores concilii Basileensis, & petierunt, ut ad singula responderetur.*

PRimo, quod majestas sua dignetur & velit adhærere concilio, idque defendere & confovere favoribus possibilibus & opportunis modis, mittendo quantocius fieri potest, suos ambassiatores solemnes ad illud, exhortandoque & commonendo strictissime litteris & nunciis prælatos omnes regni & dominii sui, quatenus, omni mora postposita, ad sacrum ipsum concilium accedere debeant, in qua re non debet serenitas sua difficilem se reddere: quoniam cum ecclesia sancta Dei & fides cathólica in magnis periculis sint propter excrescentes hæreses & morum deformitates, per solam viam hujus sanctissimi concilii potest his malis omnibus provideri. Anno 1431. *Ex ms. Aquicinctens.*

Secundo, quod fiant litteræ patentes, quibus idem sereniſſimus dominus rex declaret voluntatem suam erga concilium, & licentiam det omnibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, capitulis ecclesiarum cathedralium tam Delphinatus, quam Linguæ-Occitanæ, & aliarum quarumcumque provinciarum regni & dominii sui, & aliis quibuscumque ad concilium ire volentibus aut debentibus de jure vel consuetudine, quod ad sacrum ipsum Basileense concilium accedant, neque vereantur se incidere in perjurium aliquod, ratione alicujus juramenti præstiti per eos, quoniam & in eorum consecrationibus jurant, quod vocati ibunt ad synodum.

Tertio, quod majestas sua dignetur scribere speciales litteras ad dominos archiepiscopos regni Delphinatus & Linguæ-Occitanæ, nec non aliarum quarumcumque provinciarum dominii sui, quod cito ad sacrum concilium proficiscantur, quodque mandare debeant eorum suffraganeis, abbatibus, capitulis ecclesiarum cathedralium, ac ceteris omnibus, qui de jure vel consuetudine ad concilium ire debent, quod ad illud celeriter accedant, & quod specialiter scribatur reE verendis dominis episcopis Claromontensi, (a) Montis-Albani (b) & Conseranensi. (c)

Quarto, quia ipsi domini ambassiatores habent facere exsecutionem mandatorum contra prælatos, ut vadant ad concilium, arripientes iter infra terminum per ambassiatores ipsis assignandum, a die factæ exsecutionis

(a) Is erat Martinus *Gouge* dictus *de Charpaigne*, ducis Bituricensis, deinde regis cancellarius.

(b) Bernardo *de la Roche* Carolo regi pergrato, cujus mandato plures legationes egregie obivit.

(c) Gerardo hujus nominis secundo.

contra eos, illud poſtea ſine fraude continuaturi, & hoc ſub pœna excommunicationis in prælatos, & ſuſpenſionis in capitula eccleſiarum; petunt ut regia majeſtas declaret, an velit ipſam exſecutionem fieri ſecundum formam ipſius citationis, poſtquam prælatos ipſos licentiaverit, & litteras prædictas patentes conceſſerit.

Quinto, ut ſerenitas ſua eligat aliquos ex præſtantioribus doctoribus & magiſtris in theologia, qui in regno ſuo poſſunt reperiri, & eos celeriter ad concilium mittat. Cum enim Bohemi jam in Baſilea ſint aut venire debeant menſe Septembris infallanter, poterunt ipſi doctores & magiſtri magnum fructum facere in eccleſia Dei, & plurimum proficere in eorum reductionem: ex quo etiam majeſtati fama & gloria acquiretur ſempiterna.

Sexto, cum auctoritas ſuæ regiæ majeſtatis ſit apud omnes principes plurimum valitura, quod dignetur ſcribere ad duces & principes ſibi benivolos, ut velint ſacro concilio adhærere, & ſuos oratores ad illud mittere, ſcribendo ſpecialiter ad regem Yſpaniarum, quod audivit eum optime ad concilium diſpoſitum, laudando ejus propoſitum, exhortandoque ut perſeverer, & plenius diſponat, & quam cito oratores ſuos mittat ad Baſileam.

Septimo, ut majeſtas ſua dignetur pati & ſuſtinere, ſicut & alii principes omnes concilio adhærentes faciunt, maxime Almanniæ, Burgundiæ, Sabaudiæ, Auſtriæ, Angliæ, Lombardiæ, quod collectores & alii debentes aliquid, vel qui in futurum debebunt cameræ apoſtolicæ, de ipſis pecuniis reſpondeant theſaurario ſacri concilii & non alteri, ut pro ipſis fieri poſſit expenſa neceſſaria pro cauſa fidei & eccleſia defendenda, quia conveniens eſt & debitum, ut camera apoſtolica faciat & ſuſtineat omnes expenſas, quæ fieri contingit pro celebratione & proſecutione ſacrorum conciliorum generalium, & ita pactum eſt pluries, & temporibus noſtris in Conſtantienſi tempore JOHANNIS: aliàs non poſſent fieri expenſæ neceſſariæ in mittendo ambaſſiatores & nuncios quamplurimos hinc inde pro reductione hæreticorum, pace procuranda inter reges & principes, communitates & civitates, & ubique locorum per Chriſtianitatem, & alias faciendo quæ pro bono publico expediunt.

Octavo, ut dignetur non præbere aures aliquibus nitentibus & molientibus in diſſolutionem, prorogationem aut loci mutationem ſacri concilii. Nam ipſius diſſolutio, prorogatio, aut loci mutatio cedent in evidens damnum Catholicæ fidei & eccleſiæ ſanctæ Dei.

Ultimo, ut per majeſtatem regiam provideatur, quod tuti & ſecuri recedant & vadant ſaltem uſque Lugdunum, data eis primum expeditione votiva & celeri, ne patres in ſacro concilio exiſtentes, & ipſi ambaſſiatores, qui ſemper crediderunt & firmiter tenent votive expediri, ſpe ſua fruſtrati remaneant; maxime quia omnes reſpiciunt, quomodo majeſtas ſua ſe habeat in hac re, & omnes ſacri concilii patres in ſacroſancta corona ſua ſpem omnem eorum & fidei ſuſtentationem poſuerunt.

RESPONSIO REGIA.

PRimo capitulo reſpondit ſerenitas ſua, velle huic ſacro concilio adhærere, illudque proſequi & manutenere favoribus poſſibilibus & opportunis. ad quod intendebat oratores ſuos ſolemnes cito mittere, & alia facere quæ in capitulo continentur.

Secundo capitulo reſpondit, quod erat ſibi gratiſſimum hoc facere, & ſtatim commiſit ipſas litteras, quas hic habemus duplicatas; alias videlicet ſub ſigillo regni, & alteras ſub ſigillo Delphinatus.

Tertio capitulo iſtud etiam fecit ſua majeſtas, & ex ipſis litteris nos aliquas præſentavimus, aliquas commiſimus præſentandas, & una eſt hic, cui adhibere modum oporter. Speciales litteræ ad aliquos epiſcopos conceſſæ non ſunt, quia ſatis viſum eſt conſuetum morem ſervare, qui eſt ut ad ſolos archiepiſcopos ſcribatur.

Quarto capitulo, ex reſponſo dato ad iſtud capitulum, rex oſtendit ſuam affectionem, quam habet ad eccleſiam Dei & hanc ſynodum ſacratiſſimam. nam non ſolum conceſſit licentiam citandi eos, ſed etiam rogavit, ut ſingulos per quæcumque juris remedia compelleremus, dando tamen eis terminum competentem.

Quinto capitulo, in hoc dixit ordinem appoſiturum, faciendo quod de univerſitatibus ſtudiorum dominii ſui, aliqui præſtantes doctores & magiſtri ad concilium venient.

Sexto capitulo, hoc etiam dixit ſe facturum, & jam ſcripſit ad regem Yſpaniarum, & hoc amplius quia ſcripſit ad regem Scotiæ litteras, quibus ipſum ad adhærentiam & favores concilii exhortatur; ex quo etiam poteſt percipi, quod bonum animum habeat ad concilium.

Septimo capitulo dixit, quod non fuerat moris ſui, neque etiam ſuorum prædeceſſorum, impedire ſe de rebus aut factis eccleſiæ; propterea ipſi domini de concilio, qui prudentiſſimi ſunt, provideant, & faciant facta ſua, quia eius majeſtas nulla impedimenta præſtabit; ſed omnia patietur exſecutioni demandari.

Octavo capitulo ad hoc reſpondit, ſe deliberaſſe quod ſequi volebat, & numquam erat ſententiam mutaturus.

Ultimo capitulo, circa receſſum noſtrum

optime providit, dando nobis aliquos milites & viros notiſſimos, qui nos conducerent; & quamquam in multis periculis fuerimus, tamen, favente Altiſſimo, omnia pericula evaſimus, & uſque ad hunc locum ſani & ſecuri, ſicut videtis, perducti ſumus.

EPISTOLA GEORGII DE TRIMOLLIA, ad concilium Baſileenſe.

Scribit benigne a rege exceptos fuiſſe nuncios a concilio miſſos, commendatque eis ea quæ ad regem ſpectant in concilio tractanda.

Anno 1432. 2. Septemb. Ex mſ. Aquicinctenſi

A Tres reverens peres en Dieu, tres honnourez & redoubtez ſigneurs, les ſigneurs prelas, & aultres gens d'egliſe du concile de Baſle.

Tres reverens peres en Dieu, tres honnourez & redoubtez ſigneurs, je me recommande à vous tant comme je puis, & vous plaiſe ſçavoir que j'ay recheu vos lettres, qu'il vous a pleu à m'eſcripre, & envoiier par reverens peres en Dieu meſſieurs l'eveſque de Novaire & l'abbé de S. Ambroiſe de Milan vos ambaſſeurs, leſquels ſont venus devers le roy mon ſouverain ſigneur, qui pour l'honneur du concile & de vos perſonnes, les a tres-humblement recheus & volentiers oïs & veus, & oſſi ay oï la creanche que m'ont ditte de par vous voſdis ambaxeurs; ſur leſqueleces choſes que il vous a pleu m'i faire ſçavoir, tres reverens peres en Dieu, je me ſuis emploïé de tres bon cuer, & tant que aveques le bon voloir, que le roy mondit ſouverain ſigneur avoit audit concile & à vous complaire, ils ont obtenu che qu'ils ont volu requerir, & eſt le roy a deliberé de envoyer audit concile ſon ambaſſade, & a conſenti que les prelas & clergié de ſon royalme y envoyent, en eſperant touſiours toutesfois, tres reverens pere en Dieu, comme il le vous eſcript, que ſes fais, s'il en eſt faitte mencion, ſoient traittiez audit concile en tout honneur & bien pour luy & ſa ſignourie, & favorablement: de laquelle choſe je vous ſupplie, que auſſi vous plaiſe le faire, car ſe aultrement ſe faiſoit, il me tourneroit à charge, veu que *j'ay tres fort tenu la main à ce que voſdis* ambaxeurs euſſent ce qu'il requeroient, comme plus à plain porez ſçavoir par eulx. Auſſi, tres reverens peres en Dieu, touchant ma perſonne, mes fais & affaires, je vous recommande tres-humblement en vous ſuppliant, que touſiours vous plaiſe me faire aſſavoir vos bons plaiſirs, & à mon povoir, je les accompliray; priant mon Signeur, tres reverens peres en Dieu, & tres honnourez & redoultez ſigneurs, qu'il vous doint bonne vie & longue, & vous ait en ſa ſainte garde, & doint accomplir l'euvre dudit concile à l'onneur de luy, & au bon gouvernement de la Chreſtienté. Eſcript à Amboiſe, de Septembre le deuxieſme MCCCCXXXII.

Le tout voſtre humble GEORGE, ſigneur de la Trimoulle, de Suly & de Craon, grant chambelan de France.

EPISTOLA PHILIPPI ducis Burgundiæ, ad ſacrum Baſileenſe concilium.

Scribit in gratiam Ulrici de Manderscheit electi Trevirenſis.

Anno 1432. 3. Sept. Ex mſ. Aquiſtadienſi

R Everendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, ſacroſanctæ generali ſynodo Baſileenſi, &c.

Reverendiſſimi patres & domini, & amici præſtantiſſimi, reverentiam debitam gratiſſimumque animum complacendi. Audivimus jam dudum multimodas exuberantiſſimaſque V. P. ſacræ congregationis cauſas, percepimuſque vigilantiſſimas earum curas, quas pro manuductione incœpti operis diverſis in partibus, tam pro hæreticorum reductione, quam patriarum Chriſticolarum reparatione, impendere curarunt. Animati itaque ex his adeo conſtanter ſolerterque inchoatis, & Deo duce continuandis, eaſdem paternitates veſtras paucis ſub verbis ac maxime ſollicitamus cum affectu, rogitantes quatenus in eo divino Spiritu, qui omnis concordiæ origo finiſque exiſtit, in medio veſtrum ſua pietate habitante, Trevirenſi eccleſiæ, cujus dudum diſpendioſiſſimas magni periculi controverſias noſtis, pacem placeat procurare. Nam firmiter tenemus, quod nedum pro illa dumtaxat, verum & pro diverſis aliis, & maxime vicinis eccleſiis, ac animabus pene infinitis, felicius, Deoque gratius per hoc agi præſtolatur, penſatis his periculoſiſſimis ſcandalo plenis rebus, dietim ex eadem radice pullulantibus, media pro hac re aptiſſima ſpero paternitates veſtræ poterunt & habebunt invenire, ſi rei ſeries & facti finis debite compenſentur. Et quamquam apoſtolica ſedes forſan non ei, cui patria ſtatuſque omnes favent, ob prænuntiatam tranſlationem reverendi patris Spirenſis epiſcopi, arriſerit. Non hoc tamen univerſalem eccleſiam movere merito deberet; ſed juxta temporis locique qualitates, obviandum potius eſt periculis ac ſuccurrendis animabus. Quod etſi paternitates veſtras apoſtolica tranſlatio forſitan movere poterit; moveat etiam pene conſimile factum in eccleſia Trajectenſi, ubi poſtquam imminere ſtrages & cædes præceſſerunt, non abſque rerum noſtrarum detrimento, quas, ut apoſtolicæ proviſioni quoad poſſemus aſſiſteremus, periculo perditionique habuimus, ta-

men ratione ſuadente conſultum extitit, illum potius præeſſe debere, cui licet a primordio proviſum non fuerat; per quem hodie pax ſaluſque patriæ procuratur, quam non acceptam perſonam patriæ gentique omni adverſam continuare. Speramus quamobrem, quod ſi reverendus ULRICUS DE MANDESCHEIT electus Trevirenſis, de ejus perſona facta inquiſitione, repertus fuerit, uti per eum pax dari patriæque ac multis ærumnoſis diſceptationibus ſalubriter poterit provideri, nec alius ad has res acceptior dictæ patriæ, &c., ut audivimus, gratior invenitur. Non ambigimus juſtiſſime & abſque ſcrupulo aliquo ſtabilietur confirmabiturque, ejus etiam adverſario renitente. Moveat paternitates veſtras, quod nedum perſonæ, quin immo & eccleſiæ ac toti patriæ foret, his diebus maxime, in creatione paſtoris & præſidentis pontificis erectione providendum. Quis nempe credere poſſet, patres reverendiſſimi, tantorum hominum animos ad oppoſitum umquam præceptione apoſtolica flecti poſſe, ut illum quem mediis juramentis pro domino firmaverunt, ac fidem conſtantiſſime præſtiterunt, abnegarent. Quanta præcipue orirentur ſcandala, antequam conſtantiſſimi vaſſalli cenſuris ab illo cui tam ſolemniter ac notorie jurarunt, pellerentur. Hæc ipſa rogamus in Chriſti viſceribus pie ſingulorum animis revolvi, & demum per poſſibilia media pacem tantæ eccleſiæ præparari. Cetera penitus inexcogitabilia media tamquam inania propellenda. Nihilominus non minus prudenter agi putaremus, ſi hæc alterius etiam partis aſſenſu interveniente primo tractarentur, ut hinc inde moderata æquitate juxta ſubjectam materiam ſublatis ſcandalis tranquillitas ſubſequeretur, quæ pro bono univerſalis eccleſiæ ex cordis intimis fieri deſideramus, nos ad quævis poſſibilia V. P. grata & accepta offerentes. Datum in oppido noſtro Lovanienſi, menſis Septembris die [illegible] MCCCCXXXII.

Ad quæque V. P. beneplacita parati PHILIPPUS Burgundiæ, Brabantiæ & Limburgi dux, ac Flandriæ, Arteſii, Burgis atque Namurci, &c. comes, ſacri imperii marchio.

Dinter.

EPISTOLA JO. DE ROCKIZANO ad Johannem abbatem de *Mulbrun*, concilii Baſileenſis nuncium.

Petit ſalvum-conductum, declaratque deſignatos ad concilium ambaſſiatores.

Anno 1432. 10. Septemb. Ex *mſ. Augustinensi.*

IN Domino dilecto Jo. de *Mulbrun* nuncio concilii Baſileenſis ſibi favoroſo, benedictionis divinæ imbrem & ſupereffluentis gratiæ rorem.

In CHRISTO JESU dilecte, congregationa generali baronum, civitatum, &c. jam conſummata, quid ſit actum quidve concluſum, tenor litterarum dominorum Pragenſium poterit vos edocere. Treugas pacis per nos & concilium poſtulatas, quas meo judicio huic negotio putant accommodas, quia non eſt Deus diſſentionis ſed pacis, labori non peperci, meipſum pro eiſdem quantum valui exponendo; ſatana vero inſtigante & corda plerorumque movente, ut quæ ſua ſunt, non quæ JESU CHRISTI perquirant, hac pro vice locum non valuerunt ſaltem generaliter quoad omnes obtinere, licet cum pleriſque treugæ ſint deputatæ, prout latius littera Pragenſium dominorum poterit declarare. Et cum viri conſtantis non facile ſit perturbari, ſed viriliter agere, & in Domino confortari. Manus ergo elevantes & cor ad Deum erigentes, procedite in ulteriora voſmetipſos extendendo, & ſalvos-conductus ſine mora ſatagite reclinare. Nam & olim populus Judaïcus Jeruſalem reædificando graves labores, inſidias pariter & pericula ſufferebat, una manu labori inſiſtendo, & altera gladium ob inimicorum invaſionem acceptando; ſic & modo, quia nondum finis eſt malorum, volentes populum Chriſtianum ſicut Jeruſalem reædificare & reformare, cordatos oportet eſſe viriles, & manus diſſolutas præcavere; ſique non ſic ſingula debito tramite, prout placeret, aguntur, non fas eſt dejici & conturbari. Ambaſſiatores electi & in Baſileam deſtinandi ſunt nobiles Menhardus de Nova domo, Wentzelaus de *Cravvars*, ſtrenui Willelmus de *Poſtupich*, Koſtka & plures alii qui pridem fuerunt in Egra, & omnes alii qui ordinationi Egrenſi interfuere. Dominus ſit vobiſcum adaugendo robur fortitudine, pariter & virtute. Plerique ex nunciis deputati Baſileam exire nolunt, niſi complete ſalvi-conductus reponantur, de quibus expreſſa mentio fit per litteram Pragenſium dominorum. Datum feria VI. poſt nativitatem B. MARIÆ. MCCCCXXXII.

Magiſter Jo. de Rockizano veſter ſervitor, &c.

EPISTOLA magiſtri & conſulum civitatis Pragenſis, ad nuncios concilii Baſileenſis.

Urgent ad habendos ſalvos-conductus.

Anno 1432. 10. Septemb. *En mſ. Aquicinct.*

REverendis ac religioſis fratribus HERMANNO abbati monaſterii Ebracenſis, ac J. de Mulbruno nunciis concilii Baſileenſis. Deus pacis & ipſe dominus noſter JESUS CHRISTUS exhortetur corda veſtra & confirmet in omni opere & ſermone bono, repleatque deſiderium veſtrum, ut fruſtra non

currentes, pacem in orbem ecclesiæ sanctæ vestra pia sollicitudine pariter & labore inducere valeatis. Reverendi & religiosi fratres in Christo, nuper congregatione baronum, nobilium, militum, civitatum, communitatum &c. generali in montibus Cuthinis celebrata, Deo Patre, a quo omne datum optimum, immo & donum perfectum, operante, corda inibi congregatorum gratia Spiritus-sancti afflavit, omnes in unum, idipsum faciens sine quavis contradictione persentire: ita quod ea quæ in Egra per nuncios utrosque tam nostros quam concilii Basileensis pro rato & multum grato acceptarunt, simulque in unum dives & pauper, omnes docti & indocti, magni pariter & parvi, voce alacri concurrentes resederunt, immo & finaliter concluserunt, ut ad concilium prætatum Basileense, ambassiatores qui electi sunt & nominatim deputati, servatis servandis, dirigantur, & post bene cœpta pro fine bono & completo unionis & pacis salubri destinentur. Quod quidem nos auscultantes & in nostris animis de felici conclusione Deo gratias referentes, confidimus in Domino, quia tolletur aquilo, a quo omne panditur malum, & jam perflare incœpit auster in ipsum ortum, qui est populus Dei, more sui flatus radicem omnis boni inferendo. Quare, reverendi & in Deo salutari nostro diligendi, cum juxta commune proverbium, qui differt, aufert, & plerumque nocuit differre paratis, salvos-conductus pro quibus repetitis vicibus vestris reverentiis scripsimus, plene & integre ad manus nostras reponere satagite, protractione, quæ huic cœpto negotio sancto officere posset, qualibet procul mota. Hoc scientes notanter, quod quamvis nuncii & ambassiatores regni Bohemiæ & marchionatus Moraviæ fere ad ultimum sint dispositi & parati, laborem itineris versus Basileam ineundo, nisi plene salvi-conductus juxta pacta altrinsecus in Egra facta, reponantur, minime attentabunt. Vestra ergo protelatio & salvorum-conductuum procrastinatio, expeditioni nunciorum in viam inducit dilationem pariter & moram. Tres namque in manus nostras salvos-conductus habemus repositos, puta domini regis Bohemicum, concilii Basileensis, & civitatis Egrensis. Cupimus autem ut ducum sive principum, marchionis Brandeburgensis pro eo & filiis, Johannis comitis Palatini & ducis Bavariæ pro ipso & filio sonantes, Willelmi comitis Palatini & ducis Bavariæ & concilii protectoris, necnon civitatis Basileensis, quem multum necessarium pro nostris nunciis reputamus, salvi-conductus, & domini regis in Latino, quem, prout concipimus, habetis in paratis, prorogatione & excusatione quavis semota, apud nos omnino reponantur, cum, ut repetitum secundo verbum memoriæ vestræ infigatur, nuncii nostri absque jam tactis salvis-conductibus compromissa in Egra facta impleri non cernentes, versus Basileam exire declinabunt. Et cum nescit tarda molimina Spiritus-sancti gratia, præfatos salvos-conductus Christi gratia adjuti reponere festinate, ut sic cœptum unionis nostræ & vestræ ac pacis commune bonum, suum citius valeat sortiri effectum & prosecutionem. Ceterum pro pace inter vos & partem nostram firmanda, qualiter in montibus Cuthinis in eadem generali baronum & comitum congregatione sit conclusum, domini Egrenses poterunt vos clarius informare, tum quia ipsis pro eodem puncto satis diserte scribitur. Datum Pragæ feria VI. ante exaltationem sanctæ Crucis MCCCCXXXII.

Magistri civium & jurati consules majoris civitatis Pragensis.

EPISTOLA

Mathiæ *Chlunitzan* capitani Prestensis, ad Johannem de Mulbruno abbatem concilii *nuncium*.

Instat pro habendis salvis-conductibus.

Anno 1431. 10. Septemb. *Ex msc. Aquisiactensi*

HOnorando viro & fratri carissimo Johanni de Mulbruno, &c.

Honorande vir & frater carissime, quia pro inchoati boni communis felici progressu per tot terrarum spatia migrans, corpus & res variis exponendo periculis, operose & fructuose laborasti, non tantum a Domino bonorum operum liberalissimo præmiatore, verum etiam a regni Bohemiæ rectoribus ingentia laudis præmia te meruisse confidenter agnoscas, sciasque in his quæ tua & tuorum collegarum vota poscebant, me operam adhibuisse solertem, ut jam ex omnium regni comitatuum consensu unanimi ad Basileam transmittantur legati. Sed revera mirari non sufficio, quod illuc mittendi salvi-conductus seu assecurationis paginæ tam lente tamque intercalate & nondum destinantur ad plenum, ut proinde plerisque possit suspicio sinistra & retractiva propositi suboriri. Qui itaque in principio horum felicium tractatuum fidele, diligens & utile impendisti studium, in mediis, quæso, nequaquam videare remissus, ne lente stet præconium priori diligentia acquisitum. Nam nonnullorum principum & Basileensis concilii regnum Bohemiæ salvos-conductus & assecurationis litteras hactenus præstolatur, juxta pactum in Egra digestum, vel saltim edoceri cupit de certo tempore missionis, quia legati ad eundum omnino sunt parati. Et quemadmodum optabatur in Egra, ut legati regni Bohemiæ in locum concilii aliquos possent *præmittere cursores, qui concilium certificent de legatorum & oratorum adventu,*

ecce

ecce impensis & labori nequaquam parcendo, duos idoneos viros illuc destinare ipsius regni decrevit universitas, quibus & optat de salvis-conductibus tuæ cooperationis studio quantocius provideri, quatenus utique, annuente Altissimo, per media opportuna, utraque pars nanciscatur terminum Deo & universali ecclesiæ ipsius gratum pariter & acceptum. Nec molestè feras, frater carissime, quod more scripturarum utendo, tibi in singulari & non in plurali scribitur; nam & Christus magister omnium neminem umquam legitur vobisasse, & parem modum scribendi erga me, dum opus exegerit, opto ubilibet observari. Super præmissis omnibus & singulis peto tuis litteris habere certum & finale responsum, quo possim infallibilia præfato regno Bohemiæ nova perferre. Scriptum Pragæ feria VI. ante exaltationem sanctæ Crucis MCCCCXXXII.

MATHIAS DE CHLUMITZAN capitaneus Prestensis.

EPISTOLA

magistri civium & consulum Pragensis civitatis ad consilium Egrense.

Expectant salvos-conductus, & declarant quæ acta fuerint pro pace.

Anno 1432. 11. Sept. Ex ms. Aquicinctensi.

PRudentibus & circumspectis viris dominis & amicis, consilio Egrensi, magister civium & consules urbis veteris Pragensis.

Vobis prudentibus & circumspectis dominis nostra servitia mandamus, & notum facimus, quod jam in nostra congregatione super montes *Cuthins* omnes domini milites & populares, capitanei, communitates & civitates, parvi & magni, senes & juvenes, de ordinatione unanimiter ad ambassiatam versus Basileam sumus electi, & nuncii qui ituri sunt dispositi & expositi fuerunt; & iter eorum non fuisset impeditum, nisi quod omnes litteræ salvi conductus ex parte vestri, juxta conditum apud nos factum, adhuc non sunt in nostram potestatem positæ, & specialiter domini marchionis Brandeburgensis, ducis JOHANNIS, & WILLERMI, ceterorumque principum Bavariæ, & etiam ex parte civitatis Basileensis. Eapropter rogamus vos, quatenus omnem diligentiam vestram facientes, laboretis, sicut incœpistis, ut prædictæ litteræ nobis dirigantur. Ceterum sciatis quod litteræ vestræ nostram congregationem in monte præfato non attigerunt, sed de pace, sicut ambassiatores concilii & vos cum vestris subditis scribitis, in hoc stamus, quod omnes illi qui nostros nuncios in suum salvum-conductum recipient in Basileam deducendos, & ceteri conductores secundum definitionem nostrorum nunciorum pacifice stare debent cum omnibus terris eorum, & marchio Misnensis cum omnibus terris suis nunc finalem nobiscum pacem composuit. Similiter tota Slezia, & Luzacia, exceptis duobus aut tribus principibus, de quibus & quibusdam aliis nuncii nostri, cum ad vos pervenerint, melius vos oretenus informabunt, rogantes quatenus ambassiatoribus concilii sic de pace, ut præmittitur, informare velitis. Insuper ut sciatis quod nos de omnibus communitatibus nostris aliquas personas, ad vos & ad ambassiatores concilii directas, ad statim quantocius poterimus transmittemus. Supplicamus quatenus nos eosdem concilii ambassiatores aliquo tempore vobiscum detinere velitis, quia de pluribus necessariis articulis nostri cum eisdem loqui habebunt, & eisdem nostris nunciis litteras vestri salvi-conductus, & illorum de Ellepogensi feria V. proxima in *Lutitz* cum quibusdam vestris armatis, ad nostros nuncios conducendos destinare velitis; & si fieri poterit, quod dictus *Sefeller* in eadem ambassiata sit. Datum feria VI. ante exaltationem S. Crucis, anno MCCCCXXXII.

Magister civium & consules urbis veteris Pragensis.

LITTERA CREDENTIALIS BOHEMORUM.

Anno 1432. 18. Sept. Ex ms. Aquicinctensi.

REverendissimis in Christo patribus feliciter in Basilea congregatis, barones, nobiles, milites, capitanei, Praga, aliæque civitates & communitates regni Bohemiæ, & marchionatus Moraviæ, debitam reverentiam cum condigna exhibitione honoris.

Reverendissimi in Christo patres, egregios & spectabiles viros Nicolaum de *Hunpolecz*, notarium majoris civitatis Pragensis, Johannem *Jacz* fideles & specialiter dilectos exhibitores præsentium, de intentione nostra & voto plenius eruditos, V. P. duximus transtegandos, accuratius supplicantes, quatenus P. V. dignitas insignis ipsorum singulis relatibus nostri ex parte pro hac vice referendis, dignetur adhibere fidem creditivam per omnia, tamquam vestræ assistentes præsentiæ, nostris propriis loqueremur in personis. Datum Pragæ sub sigillo nostro communi quo utimur ad præsens, ex unanimi consensu, anno Domini MCCCCXXXII. feria IV. quatuor temporum ante festum B. Matthei apostoli & evangelistæ.

EPISTOLA JOHANNIS EBRACENSIS ET JOHANNIS DE MULBRUNO ABBATUM

Ad Julianum legatum concilii Basileensis præsidem.

De mittendis salvis-conductibus ad Bohemos.

Anno 1432. 15. Sept. Ex mss. Agnetiens.

REverendissimo in Christo patri ac domino, domino JULIANO divina miseratione S. Angeli diacono cardinali & apostolicæ sedis legato, domino & præceptori nostro glorioso, cum humillima recommendatione quicquid usquam poterunt reverentiæ.

Reverendissime pater & domine, nuper dum essemus in via veniendi ad Egram, occurrit nobis nuncius Egrensium, qui de Praga nobis attulit litteras, quarum copias dominationi vestræ 2ª. die vel 3ª. mensis currentis cum scriptis nostris direximus, ex quibus utcumque claruit, quod Bohemi pro securitate mittendorum nunciorum suorum, salvum-conductum civitatis Basileensis poscebant sibi in Pragam cum aliis præmissis salvis-conductibus extemplo transmitti. Sed quia consultum nobis fuit, ne simul omnes salvorum-conductuum litteras, cum tam simplici cursore, sub tanto dubio & discrimine viarum, mitteremus, ne forte suppressæ vel subreptæ, profectio ambassiatorum Bohemicorum nimium retardaretur: nos eadem consideratione salvos conductus domini regis Bohemiæ & alium communitatis Egrensis, cum quibusdam aliis litteris ad congregationem ipsorum in montibus *Cuthins*, per solitum nuncium transmisimus, ipsis in commune significantes, & quibusdam ad partem, quod dicto respectu salvos-conductus, unum sacri concilii ad cautelam repetitum, unum domini regis & principum, marchionis Brandeburgensis, JOHANNIS & WILLELMI ducum Bavariæ, tres apud dictam communitatem Egrensem reposuissemus, sicut & eisdem dominis de Egra ipsis clare scripserunt, petentes atque certis rationibus & motivis persuadentes, quatenus de salvo-conductu civitatis Basileensis, quem securum & plenum dedissent, & dicto domino WILLELMO duci, protectori sacri concilii, præsentassent, non causarentur; quia utilius apud eumdem dominum ducem reponeretur, quam si ipsis præsentaretur. Verum si omnino eumdem vellent habere, speraremus, quod nullam omnino per hoc nunciorum suorum securitas sive transitus impedimentum sive difficultatem reciperet, quin ipsis in Basileam vel prope venientibus, idem dominus dux eumdem salvum-conductum, vel ipsi Basileenses alium sibi similem salvum-conductum traderent, & quod propter hoc nequaquam suam deberent differre

A profectionem, & generales treugas juxta factam nobis commissionem, ipsis ex parte sacri concilii & totius partis nostræ obtulimus, & fieri petivimus. super quibus omnibus postquam usque ad XVI. dies expectassemus, nobis per litteras suas responderunt, prout in copiis præsentibus inclusis intelligere poteritis, & licet nostro judicio de dicto salvo-conductu nullam prorsus habeant difficultatem, neque eumdem sibi putemus taliter promissum, ut ipsis dirigi debeat, ac etiam quod ex aliis causis dictorum suorum nunciorum differant missionem, quia ante dictam congregationem in montibus *Cuthins* B apud plerosque ex ipsis & plurimos de nostris, non modicum fuit dubium atque difficultas an mittere vellent. Et postquam nunc per Dei gratiam apud se deliberaverunt quod mittere volunt aliquos, tamen prævios nuncios præmittere disponunt: nihilominus nostræ negligentiæ suam protractionem imponunt, super quibus cum eis verbis vel scriptis contendere minime expedit, ne occasionem ipsis aliquatenus præbeamus retrospiciendi. Ideo cum omni mansuetudine secum, prout melius possumus, agimus, ut cœC pta prosequantur, & a proposito nequaquam resiliant, spem ipsis dantes, quod quantocius desideratum conductum Basileensium ipsis procurabimus, & alias paratos quam primum secure poterimus ipsis destinabimus. Quare, gloriose pater, perspectis diligenter ipsorum scriptis, ipsa inclyta V. P. perpendat, quod in publicum deducendum, & qualiter providendum sit, ne a proposito, in quo nunc fervere videntur, tepescant, vel totaliter, quod absit, declinent. Et si nostrum, salvo semper meliori, placeret consD silium, vellemus quod de consulatu Basileensi, de principalioribus aliqui per medium illustris principis & domini, domini WILLELMI ducis Bavariæ & quorumdam ex vobis notabilium, instantius convenirentur & rogarentur, ac cum rationabilibus persuasionibus inducerentur, quatenus juxta effectum dati per eos salvi-conductus, in lingua nostra Almannica, & ipsi duci traditi, adhuc alium in meliori & pleniori, si fieri posset, forma, litteralem subito & absque dilatione darent & sigillarent salvum-conductum, reE secatis verbis, si quæ in eis ponerentur, quæ ipsos aliquatenus exacerbare possent, eisque simul suggereretur, quod nos nuncii vestri satis timeremus, ne forte aliqui ex Bohemis, occasionem per hoc quærentes resiliendi a præmissis, hujusmodi salvo-conductu non manerent contenti, si similem ab eis habere vellent, sicut a quatuor principalibus suis conductoribus, dominis marchione Brandeburgensi, JOHANNE & WILLELMO ducibus Bavariæ, & communitate Egrensi, licet eis minime fuerit promissus. ne tamen eis aliquatenus loco a tanto bonus declinandi pateat,

rogaretis, quatenus ad cautelam hujuſmodi conductum darent & ſigillarent. Et ſi ad hoc induci poſſent, omne apud nos dubium ſublatum eſſet, ſi nobis citius in Nurembergam, in domum Ebracenſis, ſi ambo vel alter noſtrum ibidem reperiretur, vel huc in Egram, vel alibi, ubi in veſtro obſequio eſſemus, mitterentur; tunc nos illa uteremur indubie cautela, quod primo priorem mitteremus in Pragam ſalvum-conductum, & ſi manerent contenti, reliquum ipſis Baſileenſibus incunctanter reſtitueremus. Si alium requirerent, ne tantum bonum per hoc impediretur, ſecundum offerremus: & ita eos ad veniendum cum inſtantia, ſicut & fecimus, requireremus. Si autem domini Baſileenſes ſalvum conductum ſecundum ſub forma principum principalium conductorum omnino dare recuſarent, ſub alia ſaltem forma repetitum litteraliter aſſignarent, & nobis ſine mora mittatur, & faciemus quod nobis fuerit poſſibile. Non tamen videmus quod Baſileenſibus aliquod foret in hoc periculum, cum adeo a Bohemia diſtent, quod ipſis per viam facti nocere omnino non poſſent. Si tamen aliter judicaveritis eſſe faciendum, veſtræ humiliter cedimus ſententiæ. Fideliter tamen unum hoc ſuggerimus, quod nulla mora diſpendioſa in exequendis interveniat. Nam omni adhibita diligentia ex parte concilii, adhuc labor nos manebit non modicus, ſed difficilis, ac laborioſa difficultas. Uſque adhuc nullas omnino de ſucceſſibus veſtris ac domini regis Romanorum audivimus novitates. Si quæ ſunt ad conſolationem, rogamus, multorum, nobis clarius deſcribantur, & omnino quæratis colligere diſperſos & licentiatos, & vocare ad concilium abſentes, ut præfati Bohemorum præcurſores notabilem inveniant & concordem in Spiritu-ſancto congregationem. Et credimus quod infra octo dies poſt præſentium exhibitionem, iidem præcurſores ad Baſileam veniant. Præſentium hic portitor infra duos dies de Baſilea, ut aſſerit, poterit eſſe expeditus, & ad Nurembergam ſimul & Egram de propinquo protinus revertetur. Placeat igitur V. D. nobis per eumdem demandare quæ decreveritis. Altiſſimus ad laudem ſuam & conſolationem ſuorum fidelium vos confortare & conſolari dignetur. Scriptum Egræ die XVIII. Septembris anno Domini MCCCCXXXII.

Reverendiſſimæ V. P. humiles obedientiarii frater HERMANNUS abbas Ebracenſis & JOHANNES de Mulbruno nuncii concilii Baſileenſis.

SALVUS-CONDUCTUS

marchionis Brandeburgenſis & JOHANNIS ducis Bavariæ conceſſus Bohemis.

GRratia Dei FREDERICUS marchio Brandeburgenſis, ſacri imperii archicancellarius, & Burgravius Nurembergenſis, JOHANNES comes Palatinus Rheni & Bavariæ dux, ad univerſorum notitiam deducimus per præſentes, quod ſicut communitates, barones, nobiles, viri eccleſiaſtici, ac populus de regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ, ſuos ad ſacroſanctum generale concilium Baſileenſe ambaſſiatores & nuncios, pro ſuæ intentionis limpidiori elucidatione deſtinare deliberarunt, nos ad honorem Dei, univerſalis eccleſiæ pacem, fraternæ dilectionis reconciliationem, inſtanteſque ac multiplicataſque ſacri præfati concilii preces, & præſertim præclari regni Bohemiæ gloriam & ſalutem, omnes hujuſmodi ſuos ambaſſiatores & nuncios ad locum dicti concilii conducendi, ac deinde ad metas regni ſui reducendi, in noſtros humeros & curam, ut ſequitur, ſuſcipimus, præſentibus pro nobis A. B. etiam marchionibus & D. duce filiis, ac omnibus hæredibus ſubditis amicis & fautoribus noſtris, cunctiſque noſtræ partis fidelibus extra regnum Bohemiæ conſiſtentibus. Recognoſcentes & bona fide puroque corde, ſub diſcrimine & perditione honoris & famæ utriuſque noſtrum promittentes, quod ſalvos-conductus per memoratum ſacrum concilium & illuſtriſſimum principem & dominum noſtrum glorioſiſſimum dominum SIGISMUNDUM Romanorum Hungariæ, &c. regem, eiſdem ambaſſiatoribus & nunciis, ac quibusvis aliis & ſingulis, ſecum ad præfatum concilium deſtinandis, conceſſos cum omnibus ſuis clauſulis, modis, punctis, & conditionibus, ac etiam noſtro ſalvoconductu, quem præſentibus ipſis plenum, ſecurum & liberum concedimus, pure, integre, illæſe & inviolabiliter ſervabimus, & ipſi ſervabunt; adjicientes quod eoſdem ambaſſiatores & nuncios cum omni ſua familia rebus & bonis, quæ ſecum ferre decreverint in Tuſca, Tachonia, vel *Engelſpurg*, tempore per vos opportune nobis intimando, cum manu gentium armigerarum, in noſtram protectionem & firmam cuſtodiam favorabiliter recipiemus, & uſque ad Baſileam ſalvos & ſecuros perducemus, ubi juxta pacta, conditiones & modos inter ſe & dictum concilium concordatos, ſecure & libere morari, ſibique commiſſa perorare, & expedire poterunt; & poſtquam ad propria redire voluerint, mox ut requiſiti fuerimus, ipſos in fortitudine gentium armatarum ad aliquem locum prædictorum, quem ipſi maluerint, cum familia & rebus ſuis ſalvos & ſecuros

Anno 1432. Ex mſ. Aquicinct.

sine contradictione, offensa, injuria & impedimento nostris aut cujuscumque alterius reducemus: ita tamen quod servatis singulis punctis & omnibus clausulis salvorum conductuum, plene & inviolabiliter illis concessorum, quamprimum ad regnum suum redierint, de dicto salvo-conductu ultra non obligemur. Sinceris insuper fide & corde, absque dolo & fraude promittimus, quod si per præfatum concilium Basileense, aut dictum dominum regem Romanorum, aut partem ipsorum, nos aut aliquem nostræ partis, cujuscumque conditionis vel status exiterit, præscriptæ assecurationis forma & modus in quocumque puncto vel clausula violati, & non servati fuerint, quod Deus avertat, & sufficiens emenda juxta modum excessus sive defectus, mox non fuerit subsequuta, a dictis legatis secundum æquitatem merito approbandam, ex tunc prout ex nunc, & ex nunc prout, ex tunc, censemus & præsentibus profitemur palam & publice nos fidem violasse, & honorem cum omnibus bonis nostris perdidisse. dantes dominis baronibus, civitatibus, & capitaneis, & communitatibus regni Bohemiæ & marchionatus Moraviæ, & eis adhærentibus quibuscumque, plenam, liberam & omnimodam potestatem bona nostra omnia mobilia & immobilia pleno jure occupandi, arrestandi, de eisdem se intromittendi, ac ea rite & juste possidendi, accusatione, excusatione, resistentia & contradictione quibusvis omnino procul motis.

EPISTOLA SIGISMUNDI
REGIS ROMANORUM
ad Willelmum comitem Palatinum Rheni, &c.

Legatos sibi a papa cardinales retulisse nihil ad concilii intentionem; iturum se Romam, ut unioni papam inter & concilium sedulam navet operam, interim suspendantur processus omnes adversus papam.

Anno 1432. 29. Septemb. *Ex ms. Aquisgranensi.*

GEneroso Willelmo comiti Palatino Rheni, ac duci Bavariæ, nostro locum tenenti, amico & principi nostro carissimo.

Quemadmodum tuæ dilectioni alias scripsimus, qualiter dominus papa duos de cardinalibus suis ad nos transmittere vellet: ita in septimana præterita iidem cardinales de Monteforti & de Comitibus adfuerunt, quia cardinalis de Ursinis venire non potuit; & quia præfatus cardinalis de Monteforti bonæ memoriæ, permissione Dei omnipotentis mortuus est, cardinalem de Comitibus audivimus, & quicquid nobis ex parte papæ retulit, intelleximus; & ex quo ipsius propositio multum extra viam & contra nostram & sacri concilii intentionem fuit, consideravimus plane nihil finale concludere aut agere secum posse, quod cederet ad utilitatem sacri concilii, nisi personaliter cum sua sanctitate constituti simus, prout de hoc per ipsum cardinalem & nostros proprios ambassiatores plene specificati sumus, quod quandocumque secum constituti fuerimus, ex tunc sine dubio nostram intentionem obtinebimus in omnibus rebus, ad quod propter melius bonum nostram voluntatem & nos inclinavimus. Ex quo enim usque modo tot fatigas & labores propter hanc causam subivimus, neque in futurum laboribus parcere volumus, si forte in hoc Christianitati possemus deservire, sicut speramus in Domino rem bene prosperari. Et quamquam papa omnem securitatem nobis obtulerit pro nostro ad ipsum adventu, tamen noluimus hanc acceptare, ne quis dicere possit, quod nos cum ecclesia & cum papa uniti, discordias seminemus, & quod nemo dicat Romanorum regem, mediante salvo-conductu, Romam intrasse. Sed intendimus libere & confidenter suæ sanctitati confidere, etiam disponimus cuncta pro via; & sicut notum est tuæ dilectioni, qualiter Florentini has nostras terras, Senas videlicet & Lucam, & alias imperio subjectas in Tuscia, guerris multum occupant; non possemus ullomodo hinc ad Romam proficisci, & nostros sic in guerris deserere, propter quod cardinalis de Comitibus laborat treugas per aliquot menses inter partes ponere in præsenti septimana: quo facto, intendimus nos iter arripere, & speramus in omnipotenti Deo, postquam ad suam sanctitatem venerimus, quod inter concilium & ipsum bonam concordiam & unionem faciemus, & factum bono & laudabili fine concludemus, prout etiam super hoc concilio scribimus, secundum tenorem cedulæ præsentibus interclusæ. Quapropter, amice carissime, si quispiam sacro concilio sinistre aliquid suggereret, & nostram bonam intentionem suggillare vellet, & forte dicere quod vellemus nos cum papa componere, & concilium relinquere, quod talia nulla via credant. nam pro certo scire debent, si non propter concilium Romam properaremus, quod nullomodo propter nostram coronationem ex nullo pacto ab hinc recederemus. Et si Dominus Deus per bonam concordiam nos jungat, est nobis cordi coronam suscipere. quod si concordare non possemus, quod Deus avertat, sine nostra coronatione revertemur, sacro concilio assistendo cum omni diligentia, tam in his partibus quam alibi, quod poteris dominis & patribus de concilio, consolando eos, dicere. quia non audemus eis tam clare scribere, pro eo quod ipsa causa papæ ne innoresçat interim quod secum agemus, ne daretur occasio discordiæ. Etiam velis dare operam, quod ipsi contra papam

& alios non procedant, ſed expectent noſtram honorabilem ambaſſiatam, quam in brevi cum plena inſtructione ad te & ad ipſos dirigemus. Hic etiam cautum extitit, quod in Romana curia omnes proceſſus & alia quæ contra concilium forte attentata eſſent, etiam ſuſpenſa ſint, & non dubitent cum facta fuerit, Deo dante, hæc inter nos unio, quod omnes perſonæ in concilio exiſtentes, parvæ & magnæ, ita aſſecurabuntur, quod ex hoc complacentiam habebunt. Etiam ſperamus, facta inter nos concordia, quod auxilio papæ, Deo propitio, omnes Italiæ partes in bona pace ponemus, quod cum fructu & honore ad noſtra deinceps redeamus. Inde rogamus te, omni mora poſtpoſita, quod nobis inſinuare velis, quis modus in Baſilea habitus ſit cum ambaſſiatoribus papæ, quia illius notitia in factis noſtris multum nobis poterit prodeſſe. Et omnia iſta poteris domino cardinali Placentino, domino S. Angeli, domino archiepiſcopo Mediolanenſi, civitati Baſileenſi & aliis noſtris ſecrete revelare. Datum Senis in die S. Michaëlis MCCCCXXXII.

SIGISMUNDUS, &c.

EPISTOLA SIGISMUNDI REGIS ROMANORUM, ad patres concilii Baſileenſis.

Cum ſtatuerit perſonaliter adire ſummum pontificem, orat ut interim proceſſus in eum ſuſpendant.

Anno 1432. 29. Sept. Ex mſ. Aquiſgranenſi.

REverendiſſimis ac venerabilibus in Chriſto patribus ſacroſanctæ ſynodi Baſileenſi, &c.

Reverendiſſimi patres in Chriſto, &c. ſcripſimus alias V. R. P. de adventu reverendiſſimorum cardinalium, quos SS. dominus ſummus pontifex ad nos huc deſtinare decreverat. Itaque ſeptimana tranſacta, reverendiſſimi patres domini cardinales de Monte-forti & de Comitibus hunc locum intraverunt, & ſicuti Deo placuit, ipſo domino de Monteforti ab hoc ſæculo tranſmigrante, audivimus R. P. dominum cardinalem de Comite, ac ea quæ nobis ex parte ſuæ ſanctitatis expoſuit, concepimus. Et cognoſcendo quod nihil utilitatis proficere poſſemus in rebus gerendis, niſi cum ſanctitate domini ſummi pontificis perſonaliter jungeremur, illud amplexi ſumus, & jam modi & viæ pro hujuſmodi tranſitu parantur, nulla revera penitus privata cauſa ſeu alia ratione ad hujuſmodi tranſitum noſtrum permoti, niſi ſolum ad bonam concordiam & unanimitatem inter ſanctitatem ſuam & ſacrum concilium adaptandam. Et ſic ſperamus, quod cum Dei adjutorio illa ſuccedet. Statuentes vobis patribus hæc ſcripta noſtra præmittere, ne iſte noſter tranſitus vobis patribus aliter quam ſit interpretetur, quemadmodum in brevi eaſdem P. V. per ſolemnes nuncios noſtros de ſingulis rebus clarius informaturi ſumus. Unde rogamus, ſuademus, petimus, & affectuoſiſſime adhortamur V. P. ne tempore medio aliquod ſcandalum oriatur, aut intercidere poſſit quomodolibet caſus hujuſmodi ſalutiferi negotii turbativus, ut interim a proceſſibus & aliis rebus, quæ contra dominum apoſtolicum aut alias perſonas fort. jam fierent, ſuperſedere velitis uſque ad proximam clariorem noſtram aviſationem. & ſic etiam hic diſpoſitum eſt & ampliùs diſponetur, quod de omnibus ceſſabitur, quæ forſitan tentata eſſent contra vos, ut ſic in tranquillitate & fiducia poſſint tractari ea, quæ ſunt ad concordiam & unanimitatem mutuam, & ſalutem eccleſiæ Dei, uti ſperamus in Domino, feliciter paritura. Datum in civitate noſtra Senarum, die XXIX. Septembris, anno Domini MCCCCXXXII.

SIGISMUNDUS, Dei gratia, &c.

PROPOSITIO *ambaſſiatorum univerſitatis Colonienſis.*

Ex mſ. Aquiſgranenſi.

QUia pgolixitas mater eſt tædii, nec hanc requirit præſentis pondus negotii; idcir co non ſermonem aut perfectam collationem, ſed qualemcumque breviter noſtræ præſentationis huic ſacro concilio, ad quod ſumus nomine univerſitatis ſtudii Colonienſis deſtinati, introductionem, ego in medio ſeniorum, ubi potius audire quam loqui mihi congruit, trepide conſtitutus ſub correctione, probaturus aſſumo pro themate: *Stellæ dederunt lucem in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt; vocatæ ſunt, & dixerunt: Aſſumus.* Baruch. 3. O ſacroſanctum & toti religioni Chriſtianæ ſaluberrimum collegium, in Spiritu-ſancto, qui eſt inſtaurator pacis, fidei & virtutis, legitime congregatum, utinam ſine offendiculo finaliter proſperandum! Quoniam, juxta ſententiam Apoſtoli, in firmamento veritatis Dei una eccleſia, quæ eſt fidelium Chriſti uno baptiſmate efficienter, una fide formaliter, uno Spiritu finaliter adunatorum monarchia, ad inſtar Jeruſalem cœleſtis ſuæ matris, per ordinatas regni ſacerdotalis Hierarchias diſpoſita, princeps pacis & virtutis, auctor fidei & veritatis, paſtor juſtitiæ & bonitatis, idem Deus a quo omnia ſunt ordinata, ſecundum verbum Apoſtoli ad Rom. 13. primo poſuit apoſtolos, primitias Spiritus habentes, velut aſtra matutina; ſecundo prophetas, legis divinæ interpretes & oratores, velut luminaria meridiana; tertio doctores, infantium in lege divina rudium eruditores, velut ſtellas veſpertinas, prout innuit Apoſtolus 1. ad Cor. 12. Hinc eſt quod fidelis eccleſiæ propagatrix ſtelliffera, ac per hoc ſchiſmatis unitatem reg-

ni dividentis, hæresis sacerdotium fidei impugnantis, & vitæ irregularis pontificium justitiæ exemplaris pervertentis, detestatrix catholica universitas studii Colonienſis, alma mater & nutrix noſtra ſcholastica ad hoc ſacrum concilium frequenter vocata, hortata & invitata, cum jam conſpicit ſe per apoſtolos & prophetas, id eſt principales eccleſiæ prælatos & eorum oratores præventam, ac per hoc ſuæ vocationis tempus adveniſſe legitimum, inexcuſabiliter opportunum, tamquam provida & ſollicita ſui cuſtos ordinis, verbo & opere ſatagit prorumpere in præfati formam thematis: *Stellæ dederunt lucem in cuſtodiis ſuis*, &c. Stellæ, inquam, de quibus ſcribitur, Danielis 12. quod *qui ad juſtitiam eruduit multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Cui alludit illud Eccleſiaſtici 24. *Qui elucidant me, vitam æternam poſſidebunt.* Hæ quippe ſtellæ, in noſtræ prænemoratæ univerſitatis lucentes firmamento, dederunt lucem in cuſtodiis ſuis, ſuæ vocationis ordinem, & ſuæ poſſibilitatis congruitatem perpendentes, & lætatæ ſunt ſuum matutinum ad perfectum hujus ſacri concilii deſiderium appe..... veſpertino commergentes, ex quo deſiderium completur, lætificat animam Proverbiorum 13. vocatæ ſunt, *Vox turturis in terra noſtra audita eſt: Surge Aquilo, veni Auſter, perfla ortum meum, & fluent aromata illius.* Cant. 4. quæ eſt vox Spiritus-ſancti ſuæ eccleſiæ, quam in unitate fidei congregavit, ruinas, proh dolor! multifarias gemitu inenarrabili deplangentis, & ad reformationem ejuſdem nos invitantis; quam etiam æterna ſapientia a Spiritu-ſancto incarnata foras in plateis, in capite turbarum & foribus urbium prædicat, dicens: *Uſquequo parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam? convertimini ad correctionem meam. En proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea.* Prov. 1. Stellæ noſtræ univerſitatis, quarum nos ſumus puſilli radii, ut præmittitur, *vocatæ dixerunt, Aſſumus.* dudum nos ſuos ambaſſiatores ad hoc ſacrum concilium tempore congruo ſibi deſtinandos eligendo, & nunc per eoſdem ſe eidem concilio præſentandos, quemadmodum poteritis confidenter intelligere, ſi & nunc per eoſdem ſe eidem concilio præſentando per litteram miſſivam, quam una cum procuratorio offerimus, juſſeritis legi publice: Itaque uterque noſtrûm in ſignum noſtræ legationis individuæ, in perſona noſtræ univerſitatis, cujus legatione fungimur, ſingulariter poteſt dicere: *Ecce ego quia vocaſti me.* 1. Reg. 3. ne tangamur ab illo horrendo divinæ comminationis improperio, quod ſubditur Prov. ubi ſupra: *Quia vocavi, & renuiſtis; extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo, cum vobis quod timebatis advenerit, cum irruerit in vos repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & angustia: tunc invocabunt me, & non exaudiam; mane conſurgent, & non invenient me, eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperunt, nec acquieverunt conſilio meo, & detraxerunt univerſæ correctioni meæ.* Sic ergo verificamus præmemoratam thematis ſententiam, *Stellæ dederunt lucem, &c.* in obedientia ſanctæ matris eccleſiæ, quam ejus rex & legiſer, ſacerdos & legiſdator, pontifex ſive paſtor, Altiſſimus in pacifica regni unitate, ſacerdotali Chriſtianæ legis veritate, & paſtorali exemplarium morum bonitate dignetur feliciter conſervare, ex quo ſine legitima talis ternarii harmonia, nequit conſiſtere eccleſiaſtica hierarchia.

LITTERÆ ALPHONSI regis Aragonum.

Quibus Bernardum Serra procuratorem ſuum generalem ad concilium Baſileenſe creat.

Anno 1431. 7. Octobris. *Ex mſ. Lequeinienſi.*

UNiverſis hujuſmodi ſeriem audituris inſtrumenti quomodolibet ſeu viſuris pateat evidenter, quod nos ALFONSUS Dei gratia rex Aragonum, Siciliæ, Valenciæ, Majoricarum, Sardiniæ & Corſicæ, comes Barchinonæ, dux Athenarum & Neopatriæ, ac etiam comes Roſſilionis & Ceritaniæ, de fide & animi puritate venerabilis & dilecti eleemoſynarii noſtri fratris Bernardi Serra ordinis Ciſtercienſis, plenatie confidentes, nos eumdem fratrem Bernardum Serra præſentem, & onus hujuſmodi procurationis in vos ſuſcipientem, procuratorem noſtrum certum & ſpecialem, & ad infraſcripta generalem facimus, conſtituimus, & ordinamus tenore præſentium: videlicet ad comparendum, & præſentialiter intereſſendum, ſeu vos vice & nomine noſtri præſentandum coram reverendo in Chriſto patre domino JULIANO divina providentia ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ S. Angeli diacono cardinali, in Germania ſedis apoſtolicæ legato, præſidenteque in ſacro concilio Baſileenſi, aut quovis alio, necnon reverendis ac venerabilibus in Chriſto patribus, religioſis, ac illuſtribus, ſpectabilibus, magnificis, egregiis & nobilibus viris miſeratione divina archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, aliiſque perſonis eccleſiaſticis vel ſæcularibus in eodem ſacro concilio exiſtentibus, inibique nomine noſtro, illuſtriumque fratrum noſtrorum, ſeu cujuſvis eorum, ac ſubditorum & vaſſallorum noſtrorum, quæcumque vobis pro intereſſe ſeu jure noſtro, ſeu illorum, aut cujuſvis eorum, vel alias videbuntur vobis ibi agenda ſeu expedienda proponendum, dicendum, explicandum & allegandum de jure

noſtro & eorum, docendum, proteſtandum quoque, & requirendum, ac ſi vobis videbitur contradicendum, ſive diſſentiendum, ſeu opponendum, & de eiſdem ſeu eorum quolibet inſtrumentum ſeu inſtrumenta publica confici requirendum pariter & habendum, & generaliter omnia alia faciendum & libere exercendum, quæ nos ipſi poſſemus perſonaliter conſtituti, etiamſi majora & graviora fuerint, ſuperius expreſſatis; & etiam quæ de jure vel de facto mandatum exigerent ſpeciale, vel ſine quibus prædicta vel eorum aliqua ad effectum debitum perduci nequirent. Quoniam nos in & ſuper eiſdem omnibus & ſingulis ac dependentibus ſeu emergentibus ex eiſdem, vices noſtras plenarie vobis committimus, cum omnimoda facultate promittendi vobis in noſtra regia bona fide, & notario & ſecretario noſtro ſub ſcriptis tamquam publicæ perſonæ pro nobis & omnibus illis quorum intereſt vel intereſſe poterit, nunc vel in futurum ſtipulanti & legitime recipienti. Nos ſemper habere ratum, validum atque firmum, quicquid per vos ipſum procuratorem noſtrum procuratum & actum fuerit ſive geſtum, & nullo tempore revocare ſub bonorum noſtrorum omnium hypotheca. Quod eſt datum & actum in civitate Siracuſarum die VII. menſis Octobris, anno a nativitate Domini MCCCCXXXII. regnique noſtri XVII.

Signum ALFONSI Dei gratia regis Aragonum, Siciliæ, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ, & Corſicæ, comitis Barchinonæ, ducis Athenarum & Neopatriæ, ac etiam comitis Roſſilionis ac Ceritaniæ, qui prædicta concedimus & firmamus, huicque ſigillum noſtrum impendendum juſſimus apponendum. Rex ALFONSUS.

Teſtes ſunt qui prædictis interfuerunt nobiles BERNARDUS Johannis de Capraria comes de Modica, DALMACIUS vicecomes de Rupebertino, & RAYMUNDUS de Petilionibus gubernator Roſſilionis & Ceritaniæ, milites, conſiliarii domini regis prædicti.

Signum mei Johannis Olzma ſecretarii domini regis prædicti, ejuſque auctoritate notarii publici per univerſam ditionem ſuam, qui de ipſius mandato prædicta ſcribi feci & clauſi.

EPISTOLA ALPHONSI regis Aragonum, ad concilium Baſileenſe.

Mittit ad concilium Bernardum Serra ordinis Ciſtercienſis.

Anno 1432. 7. Octobris. *Ex mſ. Aquitinenſi.*

REverendo in Chriſto patri domino JULIANO divina providentia ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli S. Angeli diacono cardinali, in Germania ſedis apoſtolicæ legato, præſidentique in ſacro concilio Baſileenſi, amico nobis cariſſimo, ALPHONSUS Dei gratia rex Aragonum, Siciliæ, Valenciæ, Majoricarum, Sardiniæ & Corſicæ, comes Barchinonenſis, dux Athenarum & Neopatriæ, ac etiam comes Roſſilionis & Ceritaniæ, ſalutem, & votivis ſucceſſibus gratulari, necnon reverendis ac venerabilibus in Chriſto patribus, & religioſis ac illuſtribus, ſpectabilibus, magnificis, egregiis & nobilibus viris miſeratione divina archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, perſoniſque ſæcularibus in eodem ſacro concilio exiſtentibus, devotis, nobiſque ſincere dilectis, ſalutem & devotionis affectum.

Super nonnullis negotiis ſacroſanctæ matris eccleſiæ noſtrique commodum concernentibus & honorem, deſtinamus ad ſacrum ipſum generale concilium de noſtræ mentis intentu informatum venerabilem & religioſum & dilectum eleemoſynarium noſtrum fratrem Bernardum Serra Ciſtercienſis ordinis, præſentium exhibitorem, rogantes affectuoſe reverendas paternitates, illuſtres magnificentias & nobilitates veſtras, quatenus dicti noſtri eleemoſynarii relatibus velitis, velut noſtris, fidem credulam adhibere. Datum in civitate Syracuſarum ſub noſtro ſigillo ſecreto, die VII. menſis Octobris, anno a Nativitate Domini MCCCCXXXII.

ALFONSUS propria manu.

EPISTOLA ALPHONSI regis Aragonum, ad concilium Baſileenſe.

Notam facit concilio victoriam a ſe reportatam in regem Thuneti.

Anno 1432. 7. Octobris. *Ex mſ. Aquitinenſi.*

REverendo in Chriſto patri domino divina providentia ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ S. Angeli diacono cardinali, in Germania ſedis apoſtolicæ legato, præſidentique in ſacro generali concilio Baſileenſi, amico noſtro cariſſimo, ALFONSUS Dei gratia rex Aragonum, Siciliæ &c. ſalutem & votivis ſucceſſibus gratulari. Necnon & reverendis ac venerabilibus in Chriſto patribus, & religioſis ac illuſtribus, ſpectabilibus, magnificis, egregiis & nobilibus viris miſeratione divina archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, perſoniſque ſæcularibus in eodem ſacro generali concilio exiſtentibus, devotis, nobiſque ſincere dilectis, ſalutem & dilectionis affectum.

Non ambigimus pro veſtra & religione in Deum, & caritate in nos, & zelo in cunctum catholicum populum, gaudium non mediocre vos ſuſcepturos, ſi quid enarrari audieritis, in quo ſummi Dei laus, ac gloria noſtra, inſignis victoria denique, & nominis Chriſtiani exaltatio manifeſta, conſiſtat, hoc nobis ita jam eſſe certo perſuadentes, judicamus nulla ratione prætermitti a nobis debere, quin acceptum a Deo ſingulare donum

penes vos profiteamur, pariterque vestros animos ingenti quadam lætitia replcamus. His enim proximis diebus, cum in nostrum Siciliæ regnum classe non invalida stipati pervenissemus, tametsi alia gravia mente ageremus, quæ nondum sui natura commode exequi posse arbitrabamur, tamen non immemores injuriæ, quam e triennio lapso nostræ insulæ Mileveti rex Tunisensis inferre, quamquam frustra, conatus fuerat, & in alios Christi fideles quotidie inferebat, statuimus primum antequam illa ipsa agenda aggrederemur, hujus regis littora hostiliter visitare, ut secum, si vellet, armis decertare possemus. Audientes autem eum duas tantum dietas ab insula sua Eerborum distare, locum veluti sibi proximiorem, ac navigiis nostris magis quodammodo portuosum, delegimus, molem scilicet quamdam lapideam, quæ insulam hanc Punico littori annectit. Die itaque solemni assumtionis gloriosæ Virginis MARIÆ, qua primum ad eam insulam applicueramus, fretum inter insulam ac Libica prædicta littora medium, subtili arte ac diligenti studio per quasdam fere ariditates seu exigua maria navigantes, ad mirabilem illam molem pervenimus. Est hæc moles tamquam pons longitudinis sex millium passuum, & supra solida, non fornicibus constructa, fretum illud medium intersecans. Hanc molem circa ejus medium sine mora conscendimus atque occupavimus, occurrentes resistentesque barbaros hostes oppressimus, atque in fugam vertimus, tentoria nostra ibi fiximus, vexilla & Christiana intersignia & particularia nostra gerentia firmavimus. Insulam illam Eerborum populosam, fertilem, opulentissimam, prima nostri adventus hora ita obsedimus, ut jam incolæ sui non tam de fortunarum jactura, quam de liberorum, de conjugum, de propria deditione cogitarent. Nos vero non quidem prædæ cupidine moti, cum rapinæ incendio cæci eam subjicere, ferroque ac flamma frondentes agros depopulari, ac prorsus vastare sine magna difficultate possemus, regem inimicum nostræ navigationis non ignarum adventare cum innumerabili militum ac peditum multitudine intelligentes, maluimus, ut cum eo confligeremus, expectare, quam in ipsam insulam irruere. Tum rex Tunisensis barbarorum omnium regum & potentissimus, atque ante hoc tempus invictus, cognita molis illius nostra captione, aliquos dies moram fecit, nec ulterius progredi ausus est, ni prius bene omnibus exploratis. Litteras interea ad nos præmisit, quibus petebat ut suum adventum præstolaremur, turpe ac ignominiosum ei fore commemorans, qui terga ostendisset. Polliciti fuimus hosti nos, quod sponte aliquandiu feceramus, proinde ipso poscente sat amplius facturos; idque dies per undecim ex tunc in ponte expectantes, at cibaria nostra paulatim consumentes, ut promiseramus, implevimus. Nam cum invadendi insulam occasio peropportuna esset, ea prætermissa, non prius ex ponte pedem retulimus, quam regis inimici adventus notus nobis esset, castra proxima, conflictus exercitus, fuga perspecta. Hæc enim ita acta sunt, ut dicimus, copiosiusque, ut firmiter credimus, gavisi fuissemus, non de regia fuga, sed de captivitate, non de prostrata exercitus parte, sed de toto partim cæso, partim in vincula conjecto; non de tentoriis aut hostilibus vexillis, sed de universis impedimentis, si consilia suscepta exsequi designata die potuissemus. Sed fuit, nescimus an dixerimus voluntas Dei, an vero fortunæ invidia, quæ tantam gloriam per nos comparari prohiberet, quamquam non sine memorabili victoria transierimus. Nam cum penultima die Augusti undique hostes, & Pœni, & insulares, uno consilio, una hora, non solum ab insula, sed etiam a littore Punico, nos acriter invasissent, magnaque virtute a nobis utrimque rejecti cum magna sua strage fuissent; statueramus die secunda Septembris acie ordinata in ligneas arces, quas rex barbarus penes extremitatem pontis fortissimas fecerat, atque eo tempore sæpius inhabitabat, ac in omnem exercitum suum impetum facere, lintribus exploratoriisque navigiis, quæ brigantinos vulgo appellamus, & scaphis bene instructis, aridum mare juxta latam pontis seu molis navigare, & arces illas ac reliqua tentoria regia, quæ multa erant in ponte, ne quis inde in terra regredi posset circuire, obsidere, atque expugnare. Sed pridie quam id acturi essemus, hostes animo deliberato & instructa acie impetum in alteram ex barreriis seu bastidis nostris circa medium pontem constructis fecerunt, graviter injuriis atque ignominiosis verbis fideles nostros, qui ob mandatum nostrum prævio intuitu exire nullo pacto intendebant, latescentes aliquandiu cum seipsos milites nostri continuissent, tandem insolentiæ tantæ impatientes, e castris prosiliunt, in hostes irruunt, illos trucidant, occurrentes alios plurimos premunt, atque ita cædunt, ut magna barbarorum multitudo Christiana tela sustinere non valens, inter suas arces se conferre necessario studuerit. At vero nos impetu quodam ac fervore animi, non temere provecti, hostilia munimenta simul cum hostibus invadimus, diruimus, ac solo æquavimus. Pervenimus ad regis Africi tentoria, quem tantæ stragis novitate attonitum, in gynecium equum velocissimum sui imponunt, fugientemque filius rex Bugiæ, nepotesque qui cum eo erant, aliique nonnulli primates, ac totus ferme exercitus per tria millia passuum fugiendo comitantur, sicque una evadunt. Fuerunt magnanimi plures ex inimicis viri præstantes ac primarii. Hi se nobis victoribus

objicere

objicere voluerunt, ut morte sua victoriam nostram illustriorem redderent. Trucidati namque fuerunt nepotes & gener quidam regis barbari, trucidati & alii de regia stirpe, plurimique milites tam potentia quam dignitate apud regem primi. De reliqua multitudine occisa, quæ maxima fuit, de tormentis bellicis in nostram potestatem redactis, de vexillis propriis, regiis de tentoriis, de casside, de mucrone, ceterisque regiis ornamentis ad nos perlatis, nolumus ad jactantiam nostram meminisse. Hæc omnia parte militum nostrorum pugnante adversus innumerabiles pene barbaros suæ innitentes ferocitati confecimus. Quid die sequenti a nobis præstituta [illegible] fuissemus, cum toto exercitu præmed[illegible] ad pugnam accedente, facile ex comparatione quadam judicare quisque valet. Hic negotii exitus fuit, quod hoste fugato, in nostrum Siciliæ regnum, exhaustis fere alimentis, incolumes cum exercitu rediimus. Nunc laudem tantam divinæ clementiæ, non virtuti nostræ attribuendam censentes, ejus vos conscios, quæ nos velut ministros ad nominis Christiani exaltationem habuit, his litteris nostris quo brevius fieri potuit facere studuimus, latius si gesta omnia diffuse duxeritis audienda, coram vestro consessu narrabit venerabilis dilectus eleemosynarius noster frater Bernardus Serra Cisterciensis religiosus professus, quem cum aliis mandatis nostris ad sacrosanctam ipsam synodum mittimus, ut aliæ nostræ litteræ dilucide ostendunt. His pro tantis in nos Dei beneficiis, ut nobiscum Deum benedicatis, & in psalmis ac canticis, sicut nostra in eum devotio fert, jubiletis, petimus, hortamur, atque oramus. Datum Siracusis, die VII. Octobris, anno a Nativitate Domini MCCCC. XXXII.

Rex ALFONSUS manu propria.

EPISTOLA ELECTORUM IMPERII ad concilium Basileense.

Mittunt nuncios ad concilium quibus fidem adhiberi rogant.

Anno 1432. 10. Octob. *Ex mss. Aquicinct.*

REverendissimis reverendisque in Christo patribus & dominis, dominis & amicis præstantissimis, &c.

Reverendissimi reverendique in Christo patres, &c. recommendatione devota antelata. In lapide angulari JESU CHRISTO militantem solidatam ecclesiam duplici robore, sacerdotio & imperio divina providentia stabilivit, nosque imperii electores, quos Dei ecclesia sacerdotes, & imperium sacrum principes constituit, ad sanctam catholicam & universalem ecclesiam & ejus unitatis bonum sic oportet & expedit sic habere respectum, quod nostri partes officii votive explere non possumus, si in ecclesia Dei dis-

criminibus imminentibus pro viribus non occurramus. Quantum itaque catholicæ ecclesiæ astringamur sollicita meditatione pensantes, unanimi & devota mente ad vestrum celeberrimum cœtum convertimur, nostros destinantes oratores & nuncios præsentes, harum bajulos, quibus dedimus in mandatis nonnulla nostri parte sacræ vestræ concioni referre, universalem ecclesiam, sanctissimum dominum EUGENIUM papam, & sereniſſimum dominum nostrum Romanorum regem concernentia, per quos cum reverentia sanctæ congregationi vestræ loquimur in sinceritate pura, rogantes, ut fidei nostræ zelum ipsa synodus sancta respiciens, nostræ devotionis alloquium placidius suscipiat, pro hac vice fidem adhibens eisdem oratoribus nostris creditivam, in his quæ super præmissis excellentiis vestris retulerint; sicque ad ea se sancta synodus clementer inclinet, ut a diffidiis & dispendiis quibus possit ecclesiæ catholicæ imminere periculum, caveatur, ad laudem & gloriam domini salvatoris, qui personas vestras votive dirigere & conservare dignetur ad profectum ecclesiæ sanctæ Dei. Datum Francofordiæ die X. mensis Octobris MCCCCXXXII.

CONRADUS Maguntinensis } archiepiscopi.
THEODERICUS Colonienſis }
LUDOVICUS comes Palatinus Rheni & dux Bavariæ, &c.
FREDERICUS dux Saxoniæ & marchio Misnensis.
FREDERICUS marchio Brandeburgensis & Burgravius Nuremburgensis, sacri Romani imperii principes electores.

EPISTOLA ADOLFI DUCIS Juliacensis ad concilium Basileense.

Mittit ad eos Wimarum de Wachtendonk legum doctorem.

REverendissimis nobilibus ac venerabilibus & dominis cardinalibus, archiepiscopis, episcopis cetetisque venerabilibus dominis prælatis & etiam amicis meis singulariſſimis Sancti Spiritus circa initii salubris perfectionem affit gratia pro salute. Anno 1432. 23. Octob. *Ex mss. Aquicinct.*

Reverendissimi ac venerabiles patres & domini, vestrarum devotionum initium ac propositum, ut orthodoxæ religionis membrum, piæ congratulationis affectu commendo, sperans in magnorum discriminum, proh dolor! præsentis temporis augustiis, ubi domestica consilia remedium non invenerunt, vestrarum dominationum suffragio, quorum prudentiam in altioribus negotiis laudabilibus experientiæ frequentia approbavit salubre remedium. Et ne in tam sancti & salubris propositi perfectione domestica vinea arguatur sterilis in mea persona, acti-

bus vestris felicibus monitus & exemplis, promta consurgo voluntate, vestro felici initio operam dare nitens. Ea propter mitto ad præsens honorabilem virum Wimarum *de Wachtendonk* legum doctorem, meritis suæ probitatis mihi dudum consiliarium, acceptum ad exponendum V. R. P. meæ piæ inclinationis desiderium propositum & intentum; rogando quatenus eidem in referendis & agendis meo nomine, fidem plenariam & auxilium V. R. P. dignentur impertiri, quas dominus noster JESUS CHRISTUS ad suæ ecclesiæ tranquillam reformationem feliciter conservare dignetur. Datum Coloniæ die B. Severini episcopi XXIII. mensis Octobris MCCCCXXXII.

Sanctæ matris ecclesiæ devotus filius ADOLFUS Juliacensis & Montensis dux & comes de *Ravensberg*.

EPISTOLA CONCILII BASILEENSIS ad consules civitatis Argentinensis.

Ut viros aliquos doctos ad concilium mittant.

Anno 1431. 29. Octob. *Ex mss. Aquicinctens.*

SAcrosancta generalis Basileensis synodus, &c. Dilectis ecclesiæ filiis, magistro civium & consulibus civitatis Argentinensis, salutem, &c.

Inter cunctas hujus sacri concilii sollicitudines, nulla major est, & nobis magis fuit cordi, quam ut Bohemiæ regnum in eadem nobiscum unitate conjungatur, ad quod sanctum opus perficiendum, nihil quod necessarium aut utile visum fuerit hactenus prætermisimus. Nam ut primum hæc sancta synodus congregata est, mox ad ipsum regnum piissimas litteras transmisimus, cum omni efficacia exhortantes, ut cum pleno mandato suos oratores ad hunc locum divinæ convocationis destinaret, ubi futuram nobiscum ipsorum unitatem in Dei misericordia sperabamus. Sæpe deinde versus Bohemiam nostros notabiles oratores misimus, qui hujusmodi sanctum negotium diligentius sollicitarent, ac celerius expedirent. Actum est tandem interventu Spiritus sancti, ut convenientibus in oppido Egræ ambassiatoribus nostris & Bohemorum, cooperantibus ad hoc dilectis ecclesiæ filiis nobilibus viris, FREDERICO marchione Brandeburgensi, & JOHANNE duce Bavariæ, oratoribusque Nuremburgensibus, & civibus Egrensibus, aliisque insignibus personis, unanimi consensu concluderetur, ut nobilis ambassiata omnium statuum regni Bohemiæ ac marchionatus Moraviæ, ad hoc sacrum concilium proficisci deberet; postquam a nobis certos salvos conductus accepissent. Quos jam pridem in plena forma, prout conventum fuerat, ad eos destinavimus. Post hæc duo nuncii ex regno Bohemiæ, cum litteris credentialibus supervenerunt, asserentes se præmissos ad denuntiandum, post ipsorum reditum in Bohemiam, incontinenti ambassiatores dictorum regni & marchionatus, jam electos, ad concilium venturos, nec non ad hospitia & alia necessaria pro ipsis ambassiatoribus præparanda. Hi duo nuncii & in via & hic cum omni humanitate suscepti, & tandem de nobis bene contenti, in Bohemiam reversi sunt, affirmantes quod post ipsorum reditum, dicti ambassiatores sine mora iter huc veniendi arripient. Ex quorum verbis, quantum conjecturare possumus, circa finem sequentis mensis Novembris, aut ad plus ante festum nativitatis Domini, memoratam ambassiatam nobiscum constitui arbitramur. Et quoniam hæc res tam pia & necessaria communis est omnium Christianorum, & ad eam promovendam consiliis & auxiliis quilibet catholicus pro viribus obnoxius est, cumque eo promtiores ipsos Bohemos ad unitatem nostram suscipiendam sperandum sit, quo plures personas insignes in hoc loco adesse viderint, expediens fore existimavimus inter alias magnificas civitates, quas ad tam sanctum opus accersivimus, vestram etiam invitare, cujus prudentiam plurimum Bohemorum reductioni accommodam esse speramus. Vos igitur cum quanta possumus instantia deprecamur, ut omni quo potestis affectu ac favore, rem istam saluberrimam velitis prosequi ac promovere, aliquos magni consilii & bonæ conscientiæ viros, huicque prosecutioni affectos destinando, ut ipsorum præsentia gentis Bohemiæ reductioni consilium & auxilium afferre valeat. Ex qua re Deo omnipotenti, cujus res agitur, vos gratissimos reddetis, Christianæ religioni plurimum proderitis, vestræque præclaræ nationis Germanicæ quietem & tranquillitatem procurabitis, & nos omnes sacrum concilium celebrantes, ad quæque vobis grata obligatos efficietis. Datum Basileæ die XXIX. Octobris anno Domini MCCCCXXXII.

Explicit littera missa principibus Almanniæ & communitatibus civitatum pro facto Bohemorum.

EPISTOLA LUDOVICI comitis Palatini Rheni, ad concilium Basileense.

Mittit ad concilium doctores universitatis suæ Heidelbergensis.

RVerendissimis in Christo patribus & dominis, &c. *Ex mss. Aquicinctens.*

In Christo reverendissime pater, & domine præcipue, ac patres reverendi amici peramandi, &c. Exhortati dudum & rogati nostros destinari oratores ad cœtum incly-

tum, ubi ſollicita pietatis cura adverſus mala Chriſtianis populis impendentia, de opportuno agitur auxiliationis præſidio; noſtræ ſemper fuit intentionis propoſitum, expetitam legationem doctorum tam libenti quam grato animo deſtinare, nec ab eo declinandi *cupido unquam inceſſit*; quamquam ſubortа ſuſpenſionis concilii fama loquaci, nonnullis etiam aliis intercedentibus, paululum retracti, huc uſque noſtram legationem diſtulerimus. Tamen quia periculoſe inter difficiles orbis motus humana jactatur mortalitas, grave naufragium factura, niſi communibus periclitantium ſuſpiriis, ut adverſis imperet flatibus, ſpiritus ſuſcitetur Altiſſimi, *in cujus nomine congregati*, veſtri, ut ſpe pulcherrime confidimus, ſinceri ſuſpirant affectus, ut jacula quæ ad ultionem peccatricis carnis Dei immiſit indignatio, provocata offenſa acerbitatis per reformationem Chriſtianæ religionis depoſita, pio humani generis turbam miſerationis conſpiciens intuitu, pater provocatus clementer eripiat. In qua re quantum noſtris in*cumbit humeris, oppreſſo populo* relevationis ſperatæ ſincero præſtantes corde adminiculum, noſtro & prælectæ filiæ inclytæ univerſitatis ſtudii Heidelbergenſis nominibus, egregios magiſtros Nicolaum Magni de *Janwer*, Gerardum *Brand* ſacræ theologiæ, & Ottonem de Lapide decretorum doctores, viros pietate, ſcientia & circumſpectione inſignes, legatos & oratores noſtros, ad *cœtum veſtrum celeberrimum* deſtinavimus, pleno eoſdem veſtris paternitatibus & benignitatibus recommendantes affectu, & rogantes ut pietatis & noſtræ contemplationis intuitu, benigniter eos ſuſcipientes, caritative inantea pertractetis, ut eo placidioribus promtioribuſque animis in vinea Domini pro optata ſalute fidelium obſequia impenſuri, boni cujuſcumque, in laudem Jesu Christi & ſalutare humani periclitantis generis remedium, exinde futuri participes nos conſtituant. Datum, &c.

Ludovicus Dei gratia comes Palatinus Rheni, ſacri Romani imperii archidapifer & proviſor in partibus Rheni, Sueviæ, & Franconici juris, & Bavariæ dux.

EPISTOLA SIGISMUNDI regis Romanorum, ad concilium Baſileenſe.

Monet concilium de ſuo papam adeundi propoſito, & de confœderatione Polonorum cum hæreticis Bohemiæ adverſus Teutonicos.

Anno 1432. 11. Octob. Ex mſ. Aquiſgranenſi.

REverendiſſimis venerabilibus in Chriſto patribus, &c.

Reverendiſſimi in Chriſto patres, &c. Audito pridem reverendiſſimo domino cardinali de Comitibus, quem ſanctiſſimus dominus ſummus pontifex una cum reverendiſſimo domino cardinali de Monteforti jam vita functo, alias ad majeſtatem noſtram tranſmiſerat, & capta cum paternitate *ejuſdem* pro acceſſu noſtro ad *Urbem* & ad ſuam ſanctitatem concluſione, nulla tamen alia de cauſa, niſi ſolum ad bonam concordiam & unanimitatem inter ſacrum concilium & ſanctitatem ſuam adaptandam, mox P. V. ſcriptis noſtris, prout decuit, aviſatas effecimus, ne tranſitus noſter eiſdem paternitatibus veſtris aliter quam ſit interpretaretur: modo ſupervenit nuncius Baſileenſis Barbatus, afferens nobis bullam ſacri concilii, quæ continebat ea quæ per oratores ſummi pontificis in Baſilea acta ſunt, ac etiam reſponſum laudabile ipſis per ſacrum concilium datum; quæ omnia, quia nobis nedum grata, ſed & neceſſaria erant, lætanter ſuſcepimus, & libenter audivimus, ac ea indubie ex Spiritu-ſancto proceſſiſſe cognoſcimus. Verum quia eadem bulla nos admoner, ut a tractatibus quibuſcumque cum ſummo pontifice & aliis ſuperſedere, illoſque amputare velimus, niſi ſanctitas ſua ſacro concilio Baſileenſi ſimpliciter & abſolute adhæreat, &c. libenter valde audivimus aviſationem illam, quoniam & illud ſemper intentionis noſtræ fuit, nihil penitus cum ſanctitate ſua peragere, niſi concilio ſacro ſine qualicumque limitatione annueret; nec *mediatio illa*, quam archiepiſcopus Ebredunenſis, non de mandato noſtro, ſed propria promotione interpoſuit, nobis umquam placuit, nec etiam quicquam acceptaremus, quod vergere poſſet quolibet modo in diminutionem ſeu derogationem ſacri concilii Baſileenſis, & decreti Conſtantienſis, quod incipit *frequens*: ſed ut omnia perſonali præſentia noſtra melius adaptare poſſemus, nos *dedimus & obtulimus* ſuam ſanctitatem velle viſitare, quoniam nobis ſpes firma data eſt, quod ex mutua conventione, & non aliter, illud negotium aptari poſſet. Et pro eo nunc præmittimus ſolemnes oratores noſtros, prælatos, barones, & nobiles ad ſuam ſanctitatem, qui ſibi exponerent ea quæ V. P. mittimus præſentibus intercluſa, & etiam videbunt diſpoſitiones pro tranſitu noſtro aptatas, *ſecundum quas nos poterimus* regere. Idcirco V. P. attente rogamus, quatenus in re illa nullum penitus ſcrupulum mentibus veſtris velitis immittere, ſed firmiter ſcire, quod tranſitus noſter in nullum finem fiet, niſi ut dominus papa concilio adhæreat. Quod ſi obtinere poterimus, laus Deo: ſi non, ex tunc ſine corona & omnibus aliis privatis commodis huc revertemur, & ita *inter nos & præfatum dominum cardinalem* extitit prolocutum. Et licet, ut aviſamur, multi noſtro contrarientur acceſſui, tamen

in nomine domini nullum periculum nos removere debebit ab his quæ conferre poſſunt ad proſecutionem ipſius concilii, & ejus felices ſucceſſus, quemadmodum V. P. ſubito per ſolemnes nuncios noſtros informaturi ſumus. Iterum rogantes, ut cum proceſſibus contra dominum apoſtolicum & ſuos uſque ad proximam aviſationem noſtram ſuperſedere velitis; quoniam & hic diſpoſitum eſt, ut ita fiat erga vos. Et hoc ſua ſanctitas per venerabilem dominum Jacobum *Sirk* prothonotarium facere velle nobis affirmavit. Reliquum eſt, quicquid dicatur aut fiat, non reperiemur in alia ſententia, niſi cum adhæſione totali ſacri concilii uſque ad mortem. Præterea, reverendiſſimi patres, his noviſſimis diebus habuimus nova de regno noſtro Hungariæ, de quadam confœderatione Polonorum & hæreticorum Bohemiæ contra omnem nationem & præſertim Teutonicam, demta natione Hungarica, quam, ut dicunt, excipiunt. Credimus tamen quod hoc fiat ſub quodam velamine, quemadmodum in copiis præſentibus interclusis V. P. comprehendere poterunt. Quæ quidem res ſatis horrenda apud omnes arbitrari poteſt, quod hi qui fideles cenſentur, cum perfidis hæreticis in ſuppreſſionem catholicorum ſic ſe connectunt, & jam apertius monſtrant ea ſubſidia quæ ipſis hæreticis a prima pullulatione hujus pravitatis ſemper dederunt, quemadmodum conſtat omnibus nationibus convicinis, quod niſi fuiſſet adhærentia Polonorum, ipſi hæretici dudum ad alia fuiſſent deflexi. Hæc V. P. intimanda duximus, ut deſuper cogitetis, & provideatis, ne iſti conatus Chriſtianiſmo pericula patturiant duriora. Datum Senis die ultima menſis Octobris, regnorum noſtrorum anno Hungariæ, &c. XLVI. &c.

SIGISMUNDUS, Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus, &c.

Lecta cum copiis immediate ſubſcriptis.

LITTERA

miſſa per concilium Baſileenſe dominis cardinalibus in curia Romana exiſtentibus, VII. idus Novembris.

Ut ſi contingat ſedem apoſtolicam vacare, non procedant ad electionem; ſed ad concilium veniant.

Anno 1432. 7. Novemb. Ex *mſ. Aquicinctenſi.*

SAcroſancta, &c. venerabilibus ac dilectis eccleſiæ filiis S. R. E. cardinalibus ſalutem, &c.

Cogitationes unitatis & pacis hæc ſancta ſynodus jugiter cogitat, ſolertique cura ac vigili meditatione intendit omnem occaſionem ſchiſmatis & diviſionis tollere, ac prudentiæ ſtylo amputare, in his ſollicita intentione acies conſiderationis excitans, rata eſt fore ad modum opportunum ad veſtri memoriam revocare decretum ejuſdem concilii, jam dudum editum in quarta ipſius concilii ſeſſione, cujus verba ſunt hæc: *Ad providentiæ ſpectat officium, &c.* atque ne forte exiſtimari poſſet tempus decem dierum vobis ad intrandum conclave præfinitum, per conſtitutionem editam in concilio Lugdunenſi vobis currere, ſaltem a tempore notæ vacationis, in loco hujus ſacri concilii certam declarationem, ipſum ad LX. dierum terminum prorogando, in proxima ſeſſione promulgavit, cujus tenor eſt talis: *Dudum hæc ſancta ſynodus, &c.*

Admonemus igitur vos omnes & ſingulos, & per viſcera miſericordiæ Chriſti propenſius exhortamur, atque in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis in dicto decreto appoſitis & contentis, diſtricte vobis præcipiendo mandantes, quatenus in caſu vacationis apoſtolicæ ſedis, ad electionem procedere, contra dicti decreti tenorem, minime attententis; ſed ad locum hujus ſacri concilii venire feſtinetis, omni mora poſtpoſita. Ecce vobis congruum tempus offertur, ecce vobis panditur via unitatis & pacis. Si eccleſiam Dei diligitis, cujus lacte nutriti eſtis, cujus honoribus maxime ſublimati, pacem & unitatem diligite, oblatam vobis amplectimini viam unitatis & pacis. Nolite occaſionem dare, ut inconſutilis Chriſti tunica diſcerpatur. Nolite agere ut mutuis contentionibus materna viſcera quatiantur. Cœlum in teſtes invocamus & terram, divinum judicium obteſtamur, ſcandala omnia atque mala, quæ ex eo ventura eſſent, ſi contra dicti decreti tenorem, ad electionem procedere tentaretis, in culpam hoc attentantium animarumque ſuarum onus & periculum redundare, ac recepturos eſſe pro tam gravi flagitio in diſtricto Dei judicio ultionem. Speramus autem in ejus miſericordia, de quo dictum eſt per prophetam, quod non relinquet virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, quod ſi qui talia præſumerent attentare, hæc ſancta ſynodus freta divinæ miſerationis auxilio, talibus providebit remediis, quod eorum malitia mox ut orta eſſet, cum Dathan & Abiron abſorpta, conſummationem accipiet divinæ dexteræ ultione. Confidimus autem de vobis meliora & viciniora ſaluti, ut matris veſtræ ſanctæ Dei eccleſiæ velut viri obedientiæ filii obſequentes mandatis, ad hanc ſanctam ſynodum properantibus, & tam *in prædictis* quam *in omnibus* quæ ad exſtirpationem hæreſum, generalem reformationem, & pacem pertinent gregis Chriſti, pro ſapientiæ, auctoritatis & rerum experientia, vobis a Deo collatis muneribus, ad culturam agri dominici partes impertiemini veſtræ ſollicitudinis & laboris, pro quibus accepturi eritis mercedem gloriæ ſem-

piternæ. Super præmiſſis autem univerſis Chriſtianitatis principibus litteras noſtras ſcripſimus harum ſeriem continentes. Datum Baſileæ VII. idus Novembris MCCCCXXXII.

A cunctis harum partium Chriſticolis conſolationem paternam facietis. Scriptum in oppido noſtro Korunorumburg XIV. die menſis Novembris MCCCCXXXII.

ALBERTUS Dei gratia dux Auſtriæ marchioque Moraviæ.

LITTERA DOMINI ALBERTI DUCIS Auſtriæ reverendiſſimis in Chriſto patribus, &c.

Bohemos inducias cum ipſo acceptare noluiſſe, ſed terras ejus hoſtiliter intraſſe.

Anno 1432. 1. Novemb. Ex mſ. Argentinenſi.

REverendiſſimi, &c. poſt debitam ſui recommendationem. Recepimus V. P. litteras in effectu continentes, vos intellexiſſe Bohemos ad treugas nobiſcum ſervandas noluiſſe condeſcendere, prout hæc & alia in litteris eiſdem plenius continentur. Eſt verum P. R. quod dicti Bohemi pluries recuſarunt treugas habere nobiſcum, uti credimus V. P. per nuncios ſacri concilii ad Egram miſſos luculenter inſtructas. Quidam etiam ex ipſis Bohemis captioſe tractarunt nobiſcum ſuper redemptione captivorum, quos tenemus mancipatos, ſatagentes variis modis nos defraudare. Quos tamen modos neceſſitate impellente non modica apprehendere non potuimus, prout adhuc ſine gravi nocumento ſuſcipere non valemus. Cogноſcant igitur R. P. V. hanc rem taliter & non aliter fore geſtam, contrarium ſuſurrantibus minime credentes. Utinam dicti Bohemi dono Spiritus ſancti ad cor redirent, ac ad obedientiam debitam S. R. E. condeſcenderent! Sed ex ipſorum geſtis revera nefandis illuſio vehementer eſt timenda. Nunc vero cum polliciti eſſent ſuos ad ſacrum concilium cauſa pacis nuncios deſtinare, ſuo exercitu ac munitione curruum fulciti, terras noſtras, Auſtriam & Moraviam intraverunt hoſtiliter, depræda tiones, incendia, latrocinia, ſtupra, inceſtus, & quam plurima alia crimina committere non verentes, prout adhuc, timore Dei penitus poſtpoſito, magis ac magis, quod dolenter referimus, committere non verentur in dies; ex quibus non pax, ad quam ſe quodam velamine anhelare teſtantur, quin potius pacis & Chriſti fidelium turbatio non modica oſtenditur in effectu. Cum igitur dictis Bohemis ad terras noſtras, cum maluerint, pateat ingreſſus, rupium, nemorum, alpium, aut aquarum obſtaculis minime obſtantibus, niſi quantum nos fidelium noſtrorum aſſiſtentia hactenus reſtitimus, & adhuc reſiſtere intendimus eiſdem, totum noſtrum juxta poſſe; ſupplicamus V. P. humiliter & devote, quatenus nobis providere libeat de auxilio opportuno, ut dictis Bohemis eccleſiam Dei & ſignanter ſtatum eccleſiaſticum multifarie multiſque modis crudelibus turbantibus reſiſtere valeamus, in eo utique Altiſſimo, cujus res agitur, obſequium acceptabile, nobiſque &

PROPOSITIO domini epiſcopi Nivernenſis, ambaſſiatoris domini ducis Burgundiæ facta in congregatione generali concilii Baſileenſis.

Ex mſ. Argentinenſi.

PRo & ex parte illuſtriſſimi, generoſiſſimi, potentiſſimi, eccleſiæ ſanctæ devotiſſimi filii, noſtrique domini metuendiſſimi, PHILIPPI Burgundiæ, Brabantiæ, ac Limburgiæ ducis, Flandriæ, Artheſii &c. comitis, domini noſtri ſupremi, ad hoc præſens ſacroſanctum Baſileenſe veſtris in perſonis, reverendiſſimi reverendique in Chriſto patres, illuſtris princeps, ceterique ſpectabiles viri ac domini noſtri honorandi, congregatum concilium, ſui humiles oratores credentiales litteras parte ſua preſentaturi, orationemque tenuiſſimam facturi advenimus. Si Secundus philoſophus in tantum ſilentio aſſiduerit, ut Adriano mortem minitante, ſilentium cervici præponeret; & Zenocrates in concione ſolita crebrius tacens, increpanti ſe diceret: nuſquam tacuiſſe nocuit, frequentius puduit eſſe loquutum; & Heſter pro populo Dei regem Aſſuerum ſupplex exoratura, inviſum apparatum, regiamque celſitudinem admirata, exanimis corruens, vocem pariter & ſpiritum ſuppreſſerit; ſi pluris hic quam Adrianus, ſi pluris hic quam Aſſuerus, ubi eccleſiæ univerſalis veſtris in digniſſimis perſonis paradigma compoſum eſt; rem profecto grandem atque inſupportabile onus noſtris humeris injecimus, cum in præſentia P. veſtrarum, digniſſimi patres, qui vix balbutire noveramus, eloqui præſumſimus. Attamen experti in conſpectu parentum leviores filiorum ſermones frequenter jocundius admitti, orationem quam votis ſuſcepimus peragendam, ſub omni moderantia & correctione inantea proſequemur. Pro dicendorum hypotheſi aſpicientes ad temporum congruentiam, offerentes in medium illud regii prophetæ: *Oculi mei ſemper ad fideles terræ.* Et ſi oculi omnium ad Deum fidelium auctorem, tamquam ad eſſendi, originandi, & gubernandi primum & univerſaliſſimum verum principium, a quo cuncta ſuis aptantur in locis, debitoſque in univerſo ſuos moliuntur gradus, ſecundum illud pſalmorum, *Oculi omnium in te ſperant, Domine, & tu das eis eſcam illorum in tempore opportuno.* Intellectualis tamen natura quodam familiari & ſecretiori proſpectu ſuæ intentionis oculos dirigit in Deum, ſecundum illud Hermetis

ad Aſclepium ſecundum animam & corpus homo duplex & illa pars ſimplex, quam vocamus divinæ ſimilitudinis formam, quæ jugi intentione in ſuum auctorem perſeverat. Proinde rationali quodam inſtinctu admoniti, homines de bene acceptis vices ſuo creatori poſſibiles refundere edocti, per varios religionis actus nunc devotione, nunc oratione, nunc decimis, nunc oblationibus, nunc ſacrificiis divinæ majeſtatis excellentiam profeſſi ſunt; & hanc inter illos gratitudinis ſpeciem adeo conſpersam cognovimus, ut nulla hucuſque fuerit tam barbara natio, quæ Deum ſupra ſe magnum quoddam exiſtimans, illum ſuſpiriis non advocaverit, confictiſque ceremoniis & immolatitiis muneribus ſibi placabilem fieri non aſpiraverit. Unde ille Trimegiſtus: Hæ ſunt ſummæ intentiones Dei, cum divinis obſequiis a mortalibus gratiæ peraguntur. Et propheta regius: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Ceterum oculi omnium ad quoſdam dignitate præfulgidos, aut quia ceteros ad recte, ſancte, & politice convivendum docuerunt; aut quia excellentioribus heroïciſque donis communiti, glorioſiores & deificatiores facti, reliquos in admirationem pertraxerunt: ſicut & religione Deum, ita & illos quodam amantiſſimo veneracionis cultu, quem noſtrorum quidam honorem, alii duliam, alii yperduliam dixerunt, incolere ſtuduerunt, quæ in tantum apud homines invenitur adaucta urbanitas, ut urbium conditores virtute claros & victoriis glorioſos, de ſomno Scipionis, Macrobio teſte, frequentius Deos appellarint, eiſdem humanos honores acclamaſſe non contenti, niſi & divinos impendiſſent. Qui gratiarum exuberantiſſimus affectus inter noſtros admodum invaluit, ut ſi quod habitationis clima, laude, gloria, commendationeve dignum poſſediſſet, orbem fere totum ad ſui contemplationem pertraheret. Anne Salomonis probatiſſima virtus orientalium conſpicuos ad ſui inviſionem pertraxit? Quid dixerim de illo ſanctorum commendatiſſimo Antonio, qui intra deſertorum vaſta cohabitans, feroces tyrannos ad ſuorum oſcula pedum devotius adduxit? Quod ſi in mortalibus viris, quodve cœli incorporatum munus ceteros ad ſe incolendum in ſuam redegerit operationem, quid de gente ſancta, populo acquiſitionis, veſtro regali ſacerdotio, digniſſimi viri, in quo eccleſiæ triumphantis verum relucet pontificium, in quo eccleſiæ militantis irrefracta reſultat ſpecies, in quo utriuſque gladii collata poteſtas irradiat, a quo gratiarum exuberantiſſimi fontes in convalles populorum copioſius refluunt, & apud quod illud miſericordiarum a latere Chriſti profluxum permanet ærarium? Hoc veſtrum ſanctiſſimum, glorioſiſſimum, beatiſſimumque ſacerdotium prædicant homines, extollunt populi, nationes venerantur, verentur, reverenturque: quos devotius imitari ſtudens illuſtriſſimi principis ac domini noſtri celſitudo, certo comperiens eccleſiam ſanctam Dei hoc in Baſileenſi loco adunatam ad incolendum venerandum reverendumque veſtrum ſecundum ordinem Melchiſedech ſacerdotium, nos ſuos humiles ſervitores tranſmittere curavit: cujus parte illud offerimus regii prophetæ, *oculi mei ſemper ad fideles terræ.* Profecto, digniſſimi patres, profecto illuſtriſſimi principis ac domini noſtri ducis excellentia ad vos fidelium conductores oculos ſuæ piæ intentionis direxit, quæ per omne gratitudinis genus optans diffundi, in primis veſtris reverendiſſimis reverendiſque paternitatibus de reſcriptis & frequentius tranſmiſſis ambaſſiatis affectuoſius regratiatur, apud eaſdem devotius deprecans de tardatione forſitan optatæ viſitationis favorabilius excuſari; in tantis enim & arduis hactenus implicata, quæ diutius votis conceperat uſque in præſentia tempora minime exſolvere valuit. Præterea quia ad certum didicit eaſdem veſtras reverendiſſimas reverentiaſque hoc in ſacerrimo Baſileenſi loco eſſe conjunctas ad exſtirpandum hæreſes, & præſertim illam Huſſitarum Bohemorum noſtris temporibus ceteris procelloſius debachantem, ſuoque damnabili rugitu fines noſtros attingentem, catholicorum principum pacem, eccleſiaſticorumque virorum reformationem requirendam, in his tam ſanctis veſtris votis condelectata, eiſdem congaudet, congratulatur, & alludit, exiſtimationem firmiſſimam ducens, nullo ævo eccleſiam ſanctam Dei ſuper grandioribus fuiſſe congregatam, voſque digniſſimos viros, quos Dominus conſtituit ſuper teſtamentum ſuum & ſacrificia, nullum uſquequaque acceptius ſacrificium præſtituros; obinde R. P. V. in viſceribus Chriſti precatur & exhortatur ducalis celſitudo, quatenus in his tam Deo placentibus & dignificis rebus Deum præ oculis habentes, vices veſtras, exactam quoque diligentiam exhibere ſtudeatis: ſeque pro his juxta vires exequendis voluntarium devovet. Rurſus quia frequentius ad memoriam traxit ducalis majeſtas, quod ſolerti & vigilanti cura Dominus noſter Jesus Christus, ſupremus eccleſiarum paſtor, inter ſuos pacem & unionem haberi optaverit, qui omnem diviſionis atque ſchiſmatis occaſionem eradicare ſollicitus, ad Patrem ſuum omnipotentem orationem fundens inquiebat, *non pro eis tantum rogo te, Pater, ſed pro eis qui crediturí ſunt per eos, ut unum ſint, ſicut tu in me, & ego in te, &c.* Et per Apoſtolum 1. ad Cor. 1. *Obſecro vos, fratres, per nomen Domini noſtri* Jesu Christi, *ut id ipſum dicatis, & non ſint ſchiſmata in vobis, ſed perfecti eſtote in eodem ſenſu & in eadem ſententia.* Nec mirum, quia ipſe eſt illa unitas, quæ per numeros coex-

tensa suo virtuali amplissimo ambitu omnem creaturarum congeriem in unum glomeravit universum, quæ inter duo extrema angularis lapis defixus, utraque faciens unum, nos quidem natura sejunctos, per gratiam uniformisans, sibi ipsi copulavit, & hanc sacerrimam suorum communionem attestatus, in ecclesia sancta Dei unum pastorem unicumque gregem demulgavit, suæ amantissimæ consorti, ecclesiæ sanctæ, Petrum & successores suos pastorem unicum præficiens, secundum illud Johannis: *Simon diligis me plus his? pasce oves meas*; ut sub uno sempiterno capite Christo una fide, uno baptismate, una sacrosancta matre ecclesia, unicoque summo pontifice vitam agendo, ad gloriam quæ secundum B. Dionysium de cælesti hierarchia in unione deiforme consistit, traheremur. Etiam quia non immemoriter duxit ducalis magnificentia, nihil in sæculis esse perniciosius, nihil infidelibus delectabilius, catholicis scandalosius, & prospectantibus monstruosius discessu membrorum a capite, filiorum a parente, pastoris a grege, & sponsi a sua amantissima sponsa; percepto quod usque in præsentem diem domini nostri summi pontificis EUGENII sanctitas, huic sacerrimo concilio suam præsentiam minime exhibuerat: quæ tamen tam dignificis rebus tractandis, concludendis, atque expedite practicandis, non modicum aut saltem ejus demissa auctoritas non modicum, videtur accommoda, timens ne levi causa amplior dissidentia oriretur, in magnum adhuc tenerimæ unionis præjudicium ecclesiæ, in novumque antiquati schismatis exordium, decrevit nos suos obsequiosos ad ejusdem domini nostri summi pontificis sanctitatem quam citius progredi, eamdemque in omni humilitate, reverentia & obedientia filiali suppliciter exhortari, quatenus mollificatum cor patris convertens in filios, se ad hoc præsens Basileense concilium corporaliter transferre dignum ducat: in casu vero legitimi impedimenti, suos committere cum plenitudine potestatis; rogatque filiali affectu eadem excellentia, ut in his quæ auctoritatem, libertatem & honorem ejusdem domini nostri sedisque apostolicæ concernent, cum omni reverentia & mansuetudine hoc sacrum concilium agere dignum arbitretur, in Domino optime confidens, quod precibus catholicorum principum demulsus, se suis votis de proximo exhibebit promptiorem. Postremo, quia advolante fama, qua nihil in creaturis mobilius, ad aures illustrissimi domini nostri pervenit, Hussitarum Bohemorum ambassiatam sub certis præfixis conditionibus, & cum non modica spe reductionis eorum, ad hoc sacerrimum deveniisse concilium, dolore uterino compatiens, tam dudum glorioſum regnum, Gallicorum genti confidentissimum, & sibi ex genere propinquissimum, sub tanto periclitari discrimine, in futura eorum caritativa & amicabili reductione condelectatus, nos suos in hac materia auxilium, assistentiam & favores possibiles præstituros demandavit. Verum si, quod absit, indurata cervice atque pertinaci animo, hujus sacerrimi concilii rejecto consilio, effrenata facie suis in damnatis hæresibus morari prælegerint, de cunctis hoc abominabilibus detestatur nefas, aliam præter gladii viam non arbitratus, ecclesiæ sanctæ Dei huicque sacerrimo concilio ad beneplacita se devovet paratissimum, sub conditionibus & modis aliquando tactis, & in posterum explicandis, cum reliquis orthodoxis principibus apprehendere scurum & arma, & exsurgere in adjutorium populo sancto Dei, seque Gedeonis exemplo positurum murum pro defensione domus Dei Israël: gladium quoque ad vindictam malorum accinctum usque ad rei votivam consummationem pro viribus devibraturum, eo præstante, qui fortium manus dirigit ad prælium, & digitos eorum ad bellum, cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PROPOSITIO

Facta per dominum eleemosynarium regis Aragonensis in congregatione generali sacri concilii Basileensis.

Ex mss. Ajut. cimeriensi.

STelliferi conditor orbis, sublimis & excelsus, cujus ineffabilis altitudo clementiæ nullis est inclusa limitibus, nullisque est terminis comprehensa, de sede majestatis suæ ab æterno prospiciens, quod serpens ille hostis antiquus, humani generis insatiabilis homicida, qui primo nobis semen mortis invexit, ac mundum istum victo sibi homine subjugavit, venenumque suum decipiendo primorum hominum credulam novitatem in corpora nostra latenter immersit; ne quomodo homo ad amissam sapientiam suspiraret, vel debitum sibi quæreret testamentum, sic cuncta fuscis suæ artis infecit, ut stultitiam sapientiæ colore vestiret, & mortem mentitæ vitæ lenociniis obumbraret, consubstantialem sibi Filium & æternum humanitatis nostræ carne in utero induit virginali, qui adversis adversa destruxit, & per similes quasdam operationes ingenii illius artificis machinas elisit, ut paribus quibusdam vestigiis salutaribus, licet impressa illius mortifera stigmata delerentur. Sed adhuc atrox ille seductor aspiciens, quod in ecclesia, quæ fidelium mater est omnium & magistra, in qua idem sacerdos ipse est sacrificium JESUS CHRISTUS, virtutum utique spiritualium jocunda foret decoraque plantatio, ubi hortus conclusus in capita quatuor derivatur, & ex eadem sapientia vera virtus quadripartita procederet. Splendidissima quoque inibi

lilia vernant, ibi nardus sponsi fragrantissimum præstat odorem, ceteraque fluunt aromata, austro inspirante, aquilone fugato, ibique succisis spinis ac vepribus, quibus antea pungebatur, unctione misericordiæ profusus animus in ea feliciter requiesceret, superseminavit in agro Dominico zizaniam, ac multorum animos ab unitate ecclesiæ nefarie segregavit. Quamobrem ad exsuperandam malitiæ pravitatem, ac ne tunicam Christi inconsutilem scissura ulla laceratam exhibeat, vos excelsa templi luminaria, ecclesiæ pastores & præsules, vos nobiles, egregios, spectabiles, & sapientissimos viros, qui in hoc glorioſissimo cœtu unam sanctam catholicam & apostolicam repræsentantes ecclesiam, de diversis mundi partibus congregavit in unum Dei sapientia pontifex JESUS CHRISTUS. Ne igitur quisquam existimet, navem istam ecclesiæ turbidis hujus sæculi fluctibus, aut diabolicis fraudibus posse deficere, aut erroris naufragium in aliquo sustinere, caute duxi pro themate proponendum illud sacræ scripturæ eloquium, quod in libro Numerorum c. XVI. divinitus exaratum est, videlicet: *Sufficiat vobis, quod omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus.* In quibus verbis tria per ordinem proponuntur, quæ manifeste obtinet hæc sacrosancta synodus generalis, primo sufficientiæ & abundantiæ adoptionem, quia *sufficit vobis*; secundo, concordiæ & excellentiæ unionem, quia *omnis sanctorum multitudo est*; tertio, securitatis & permanentiæ consummationem, quia *in ipsis est Dominus.*

Primo enim hæc sancta synodus obtinet sufficientiæ & abundantiæ adoptionem, quia *sufficiat vobis.* Quid enim huic deesse poterit, in qua præsidet Verbum illud æternum, quod erat in principio apud Deum, quod Verbum factum est caro de carne Virginis, secundum Verbum suum, non verbum prolatum ut transeat, sed conceptum ut maneat; non verbum scriptum & mutum, sed incarnatum & vivum, hoc est non mutis figuris mortuis in pellibus exaratum, sed in forma humana castis MARIÆ visceribus vivaciter impressum? O immaculatam Dei ecclesiam! ô sponsam Dei electam! ô deargentatam Christi columbam, divinis eloquiis eruditam! in qua omnes sapientes cortinas decem ad explendum opus tabernaculi mirabiliter exstruxerunt, in qua cœlestis artifex propitiatorium, id est oraculum de auro erexit mundissimo, duosque Cherubim ex auro ductili alas in singulis summitatibus propitiatorii extendentes, & candelabrum ductile de auro mundissimo, de cujus vecte calami, scyphi, sperulæ ac lilia procedebant. Magnum nempe pietatis sacramentum erga dilectam Dei ecclesiam in hoc evidenter possimus intueri, quod divina providentia in ea singulis quibusque temporibus viros sanctos quasi novas quasdam stellas in cœlo apparere facit, secundum quod temporis exigentia hoc exposcit, sicut tuba veritatis Gregorius eleganter insonuit dicens: Licet inter hæc merito divinæ dispensationis opera cernere, quomodo ad illuminandam noctem vitæ præsentis, astra quoque suis vicibus in cœli faciem veniant, quousque in finem noctis redemtor humani generis, quasi verus Lucifer surgat. Nocturnum namque spatium, dum tendentium succedentiumque stellarum cursibus illustratur, magno cœli decore peragitur. Ut ergo noctis nostræ tenebras suo tempore editus vicissimque permutatus stellarum radius tangeret, ad ostendendam innocentiam venit Abel, ad docendam cordis mundiciam venit Enoch, ad exhibendam spei & operis longanimitatem venit Noë, ad manifestandam obedientiam venit Abraham, ad demonstrandam conjugalis vitæ continentiam venit Isaac, ad insinuandam laboris tolerantiam venit Jacob. Ecce quam fulgentes in cœlo stellas cernimus, ut inoffenso operis pede ecclesia iter suæ peregrinationis valeat peragrare. Nam cognitioni hominum divina pietas quot sanctos vel justos exhibuit, quasi tot astra super peccantium tenebras misit; & non solum in veteri testamento hoc fecit, sed etiam in novo. Unde in principio misit apostolos & discipulos fide armatos, contra incredulos; postea martyres armatos patientia contra tyrannos; postea doctores illustratos sapientia contra hæreticos; postea confessores coruscantes sanctimonia contra male viventes Christianos; denique vero vos electos Dei operarios gemina potestate fulgentes, hoc est imperio duplici, spirituali videlicet & temporali, evangelicus ille paterfamilias ad excolendam ejus vineam horanovissima destinavit. Est enim hæc civitas illa Jerusalem duodenis virtutum præfulgens radiis, quam cœlestium arcanorum scrutator Johannes in Apoc. c. 21. vidit descendentem de cœlo, cujus muri fundamenta ornata erant omni lapide pretioso, in cujus laudes Psalmista cecinit, qui Christum lyra prædicat, & in decacordo psalterio ab inferis excitat, sic dicens cap. 52. *Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem civitas sancti... Sternam per ordinem lapides tuos, fundabo te in saphiris, & ponam jaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, omnesque terminos tuos in lapides desiderabiles.* Hinc etiam sicut propheta Ezechiel testatur cap. 16. Juravit Dominus, & ingressus est pactum secum, *inquiens, Lavi te aqua, & emundavi sanguinem tuum ex te, unxi te oleo, & vestivi te discoloribus, & calciavi te janthino, cinxi te bysso, indui te subtilibus, & ornavi te ornamento, & dedi armillos in manibus tuis.... & ornata es auro & argento, & vestita es bysso & polymito, multisque coloribus.* Cum ergo

ergo hæc ſacroſancta ſynodus tot ac tantis gratiarum donis ſufficienter abundet, ac non paucis virtutibus ſit copioſius irrorata, dicere non incongrue cum Apoſtolo poſſumus illud 2. Cor. 3. *quod omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui idoneos nos novi teſtamenti fecit miniſtros, non littera, ſed ſpiritu.* Et hoc de primo.

Secundo, obtinet hæc ſacroſancta ſynodus concordiæ & excellentiæ unionem, quia *omnis multitudo ſanctorum eſt*, de qua dicitur illud 2. Paral. 6. *Convertit rex faciem ſuam, & benedixit multitudini Iſraël.* Hæc eſt etiam illa ſapientum multitudo, quæ ſanitas eſt orbis terrarum, cujus rex ſapiens, id eſt Chriſtus, ſtabilimentum eſt, merito ſecundum præſentem viatorum ſtatum catholica ſive univerſalis eccleſia nuncupatur. Non enim ſicut hæreticorum conventicula in aliquibus regionum partibus coarctatur, ſed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur, ut dicit Iſidorus l. 1. de Summo Bono. Hæreſes aut in aliquem angulum mundi, aut in unam gentem verſari inveniuntur; eccleſia vero catholica, ſicut per totum mundum extenditur, ſic & omnium gentium ſocietate conſtituitur. Præſertim quia omnes omnium hominum diverſitates colligit, & nullam abjicit; non rituum varietates reſpuit, quia & Judæos & gentiles pariter vocat; non nationum diverſitates, quia & Græcos & barbaros, Scytas & Medos; non conditionum, quia ſervos & liberos; non ſexuum, quia maſculos & feminas; non animorum, quia doctos & indoctos, ſapientes & ſimplices; tandem vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hanc enim, quam fecit Chriſtus per prædicatores ex multorum collectione populorum in una fidei confeſſione, arca Noë, quam fecit ſecuribus & dolabris ex multorum lignorum materia & bitumine, typice deſignavit, quam Chriſtus gubernator inter hujus vitæ procellas regens, per ſe ducit ad ſe; quod autem in ſupremo ad unius cubiti menſuram arca contrahitur, hoc ſignificat, quod Chriſtus, qui eſt caput eccleſiæ & ſanctus ſanctorum, per naturam conſimilem inter homines eſt, per virtutem ſingularem ſupra homines eſt. Nec illud prætereundum videtur, quod ſicut eccleſiæ univerſitas non tollit ejus unitatem; ſic nec ejus unitas tollit univerſalitatem, immo in ipſa univerſalitate unitas deſignatur, ut probat Iſidorus 8. etimol. libro, quoniam ab uno cognominata eſt univerſalitas, & ideo in unitate colligitur. Nam in dialectica Univerſale dicitur, quia multa in unum colligit: eſt enim unum in multis & de multis; accipitur enim in intellectu ex convenientia & conformitate multorum. Omnis autem convenientia unitas eſt. Eſt igitur eccleſia ita una, quod univerſalis, & ita univerſalis quod una. Idcirco vere dici poteſt reſpublica, c. *de ſacro*, & *ut inter divinum*. Nam reſpublica eſt res populi; populus autem eſt multitudinis cœtus juris conſenſu & utilitatis communione ſociatus, ut patet ex diffinitione Tullii, quam Auguſtinus ſæpe inducit; immo ſecundum hanc diffinitionem nulla communitas dicitur vere reſpublica, niſi eccleſiaſtica, quia in ea ſola eſt vera juſtitia & vera utilitas, & vera communio, art. XII. q. 1. *dilectiſſime*. Ac ſummopere advertendum, quod hæc ſolum non dicitur multitudo, ſed ſanctorum. Nihil enim ſanctum apud veteres dicebatur, niſi quod ſanguine hoſtiæ eſſet conſecratum atque conſperſum. Unde hi qui purificari volebant, ſanguine hoſtiæ tangebantur; ſic hæc fidelium multitudo accedens cum corde vero in plenitudinem fidei, ad ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel, ſeu ad eum qui unam pro peccatis ſemel offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, ſanctificatur in ſanguine ipſius hoſtiæ, & ab operibus mortuis plenius emundatur. Flecto igitur genua mea pro vobis ad Deum Patrem, & oro cum Paulo, ut vos Dominus multiplicet & abundare faciat veſtram caritatem in invicem & in omnes, *ſolliciti ſemper ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis; unum corpus & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis, in una ſpe vocationis veſtræ, unus dominus, una fides, & unum baptiſma*: ita ut in hac credentium multitudine, cujus eſt cor unum & anima una, ille qui venturus eſt glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus, omnem voluntatem bonitatis ſuæ in vobis adimplere dignetur, & opus fidei in virtute ut clarificetur nomen ipſius in vobis, & vos in illo, ad cujus ſanctæ multitudinis ſequendum judicium atque conſilium, fideles omnes hortatur Apoſtolus ad Epheſ. 3. dicens: *In caritate radicati atque fundati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, &c.* Et hoc de ſecundo.

Tertio & ultimo, hæc ſancta ſynodus obtinet ſecuritatis & permanentiæ conſummationem, quia *in ipſis eſt Dominus.* Quibus, quæſo, patres reverendiſſimi atque doctiſſimi, major poteſt eſſe ſecuritas, majorque fiducia, quam vobis ſacrum concilium facientibus, cum quibus certiſſime inhabitat ſancta & ineffabilis Trinitas unus Deus? quod ſacrum concilium quantæ ſit auctoritatis, quantæ virtutis, ex Auguſtini, Hieronymi, Gregorii, Cæleſtini, Iſidori, aliorumque ſanctorum patrum auctoritatibus ſufficienter colligitur, & ex ipſa divina inhabitatione plenius comprobatur. Nec credendum eſt in hac ſancta electorum multitudine pro exſtirpatione hæreſum, & reformatione eccleſiæ in Sancto Spiritu legitime congregata Deum non habitare, cum, Luca teſtante, in medio duorum vel trium ſit, qui in ejus nomine congregantur. Unde Johannes in Apoc. c.

21. cum vidiſſet civitatem ſanctam Jeruſalem deſcendiſſe de cœlo a Deo, paratam, id eſt militantem eccleſiam, ſtatim audivit vocem magnam de throno dicentem: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis.* Hoc etiam videtur tangere Auguſtinus in Enchiridion cap. 34. quærens quare in ſymbolo ſtatim poſt SS. Trinitatis commemorationem ſequitur articulus *Credo in ſanctam eccleſiam catholicam*, dicit: Rectus confeſſionis ordo poſcebat, ut Trinitati ſubjungeretur eccleſia, tamquam habitatori domus ſuæ, & Deo templum ſuum, & conditori civitas ſua. Et idem Auguſtinus ſuper pſalmum 9. Deus habitat in Sion, id eſt in ipſam eccleſiam: niſi enim inhabitaret, iret in errorem, quantumcumque ſtudioſiſſima eſſet ejus ſpeculatio. Præterea vas electionis & magiſter gentium, inquit ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, ut ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ſibi eccleſiam gloriosam, non habentem maculam neque rugam, neque aliquid ejus, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Quomodo autem Chriſtus ita ſponſam ſuam dilexiſſet eccleſiam, ſi eam in his quæ pertinent ad neceſſitatem ſalutis permitteret fornicari? Aut quomodo ipſa permaneret virgo immaculata ſine macula, & ſine ruga, ſi ejus judicium maculam aut erroris rugam poſſet in aliquo fermentare? Eccleſia etiam gubernatur per Spiritum-ſanctum, qui eſt Spiritus veritatis, Johannis 15. & docet omnem veritatem, Johan. 14. idcirco deficere non poteſt. Unde illa cœleſtis fiſtula Ambroſius ſtabilitatem ejus & excellentiam evidenter inſinuat, dicens: Quid per navem denique niſi Dei eccleſiam intelligere debemus, quæ crebris ventorum flatibus & aquarum fluctibus, id eſt tentationum plagis & verberibus fatigatur, quam turbidi fluctus, id eſt hujus ſæculi poteſtates conantur ad ſaxa perducere, quæ etſi undarum fluctibus aut procellis ſæpe vexatur, tamen numquam poteſt erroris naufragium ſuſtinere, quia in arbore ejus, id eſt in cruce Chriſtus erigitur; in puppi ejus, id eſt in poſteriori parte, Pater Deus præſidet gubernator; proram vero ejus, id eſt priorem partem Paraclitus conſervat Spiritus. Hanc etiam per anguſta hujuſmodi freta duodeni remiges ducunt, id eſt XII. apoſtoli, & ſimilis numerus propheterum. Tandem Chriſtus oravit pro eccleſia, Petro inquiens Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Orat eccleſia triumphans, quod ſollicita valde eſt pro eccleſia militante, ut in lib. Enchiridion Auguſtinus eleganter deducit, dicens: Eccleſia quæ beata perſiſtit, parti ſuæ peregrinanti, id eſt eccleſiæ militanti, ſicut oportet opitulatur, quia utriuſque una erit conſortia civitatis ſicut nunc eſt, una confœderatio caritatis. Et Ambroſius in libro de Abraham patriarcha, inquit: Sanctorum & juſtorum fides nos ſervat, ipſorum juſtitia ab exilio nos defendit. Sodoma quoque ſi habuiſſet X. viros juſtos, potuit non perire. Ex quibus omnibus evidenter infertur, quod tam ratione interceſſionis Chriſti, qui propter ſui reverentiam meruit exaudiri, quam etiam triumphantis eccleſiæ & juſtorum, qui ſunt in eccleſia militante, hæc ſancta eccleſia ab erroris macula præſervatur, cujus, ſicut dicit B Hilarius l. 1. de Trinit. proprium eſſe ſolet, ut tunc vincat cum læditur, tunc intelligat cum arguitur, tunc ſecura ſit cum reparata videtur. Quare confidimus quod ille qui poſt nubilum dat ſerenum, inclytam ſponſam ſuam ſuccedentibus turbationum fluctibus agitatam, oculo interiori vel clementiori ex alto reſpiciet, non ferens eam in ſui nominis injuriam conculcari diutius.

SECUNDA PROPOSITIO

domini epiſcopi Nivernenſis contra dicta per vicarium Moguntinum, ſuper poſſeſſionibus domini ducis Burgundiæ, & dominorum electorum, ſeu oratorum eorumdem in concilio Baſileenſi.

Ex mſ. d. quietiſtiſ.

SI quid ſuperiorum favor, ſi quid vere indita lex, ſi quid patrum reverentialis timor in nobis ruboris aut verecundiæ ſuffudiſſent, jam ô reverendiſſimi reverendique in Chriſto patres, & domini honorandi, manus ori impingentes, erubeſcere ſatius & tabeſcere debueramus, qui aliquando & nudius tertius noſtris ſtridentibus ſermonibus aures veſtras permulcebres colliſiſſe non contenti, orationem rudi, vili, indigeſtoque ſermone contextam, in tam dignifico cœtu exordiri præſumſimus: conſultius nobis perpetuum ſilentium impoſituri, niſi & rei tractandæ & utinam non tractandæ perurgens neceſſitas, & veſtra per orbem diſſeminata caritas noſtros pene deficientes ſpiritus in ampliorem dicendorum copiam erexiſſent. Itaque ab illuſtriſſimo, potentiſſimo, glorioſiſſimo domino, domino Burgundiæ, &c. duce, Flandriæ, Artheſii, Hannoniæ, Hollandiæ, &c. comite, majoris atque minoris Friſiæ domino, eccleſiæ ſanctæ devotiſſimo, ad hoc ſacerrimum concilium Baſileenſe præcurſores deſtinati, audientes quemdam doctorem ambaſſiatorio nomine defungentem pro parte reverendiſſimorum reverendorumque in Chriſto patrum ac illuſtrium & potentum dominorum, dominorum electorum ſacri imperii, minime tamen de eorum mandato, ſed nomine proprio, ſuorumque ſociorum, in magna prorupiſſe, ejuſdem dictis occurrere affectantes, orationem quam mente formavimus, inantea proſequemur, illud pro themate accipientes: *Fir-*

metur manus tua, exaltetur dextra tua, juſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ, quod ut in dicendis certius proceſſerimus.

Proteſtamur in primis quod huc non advenimus compariturі ad acceptandum, recipiendum aut inchoandum ſtrepitum proceſſus, aut formam juris, ſed tantum ad petendum locum illuſtriſſimo domino noſtro debitum, & in concilio Conſtantienſi aſſignatum. Secundo quod per præſentem audientiam, aut quamcumque aliam in futurum concedendam, non intendimus recedere a via per hoc ſacerrimum concilium introducta, ſcilicet quod in hac materia ſummarie de plano & ex officio procedetur. Tertio quod ea quæ dicturi ſumus, non de mandato illuſtriſſimi domini noſtri ducis, ſed propriis nominibus tantum, ut defenſores, & ad retrudendum ea quæ per doctorem dictum in dicti domini noſtri ducis ac ſuarum patriarum præjudicium & ſcandalum poſita ſunt, aliquid quod in præjudicium aut diminutionem ſtatus aut honoris cujuſcumque principis viventis, præſertim reverendiſſimorum in Chriſto patrum illuſtriumque dominorum, dominorum electorum ſacri imperii, dicere minime intendentes: quod ſi oppoſitum contingeret, imputetur loquenti, non menti.

His proteſtatis, etiam occurrat illud primæ Petri c. 2. *Fratres obedite omni creaturæ, regi tamquam præcellenti, & ducibus tamquam ab eo miſſis*, ex cujus textus ſerie accipitur, quod in principibus eſt excellentia; excellentia autem cum ab excedo dicatur, notat virtutis ſuperexcreſcentiam. Cum enim principes & reipublicæ rectores ſive temporales ſive ſpirituales, ceteroſque re & æſtimatione, vel exiſtimatorie præcellere debeant in virtute, in principibus ſuſpicatur eſſe excellentia ſive præcellentia. Et quia philoſophorum potiſſimis teſtibus optimum decoratis hac in vita eſt virtus, illa optimum debuit recompenſari. Optimum autem in hac eadem vita eſt honor, de quo, inquit philoſophus 5. Ethic. *de juſtitia*, quod ſi pluſquam honorem exquiſierit princeps, tyrannus eſt. Ideo virtus honore recompenſanda eſt. Unde & idem philoſophus honor eſt primum in ſignum virtutis. Et quia ſunt plures partes virtutum, ut dicit Plotinus Platonicus, & repetitur a Macrobio 3. de Somno Scipionis, & ab Auguſtino de Civitate Dei; quatuor ſunt virtutum genera, ſcilicet exemplares, purgatoriæ, purgati animi, & politicæ ſive civiles. Secundum commenſurationem harum expetenda eſt diſtributio honorum. Nam exemplaribus ſive divinis debetur latria, purgativis & purgativi animi dulia & yperdulia, politicis autem ſive civilibus pietas, reverentia, laus, gloria, ambitus. Et ſicut reverentia eſt in quadam corporis & membrorum preſtatione, & pietas in famulatu, & præſertim reſpectu parentum, laus in voce, gloria in applauſu: ita ambitus in præeminentia locorum & ſedium, quam etiam Chriſtus in evangelio atteſtatus inquiebat: *Recumbe in noviſſimo loco, ut cum honoratior venerit, dicat qui te invitaverit: amice, aſcende, &c.* Et quia hæ partes honoris ad juſtitiam pertinent, non quamlibet, ſed ad diſtributivam, ut docet doctor ſanctus 22. q. &c. Et juſtitia diſtributiva maxime ad principes & reipublicæ rectores pertinet, inde eſt quod ſolliciti eſſe debent refundere honores ſecundum commenſurationem virtutum & meritorum. unde cum dixiſſet Petrus in catholica: *Obedite regi tamquam præcellenti*, ſubjunxit: *Deum timete, regem honorificate.* Et quia virtutes judicantur ex actibus, & actus ex affectibus, exinde prærogativas, honores, & excellentias illuſtriſſimi principis & domini noſtri metuendiſſimi ex tribus dimetiri conabimur. Indulgeat tamen mihi, o ſereniſſime princeps, majeſtas veſtra, ſi veſtra tam toti orbi manifeſta altitudo me improbum laudatorem inveniat. Numquam exhaurientur res ipſæ, & ſi verba deficerent, me vobis excuſatum reddat ignorantia, & temporis me anguſtans brevitas. Potentum ſublimitas ex generoſitate, ex potentatu, & ex auctoritate dominii communis accipitur.

Propterea ſi extollere hunc inclytiſſimum principem ex genere acceperim, magnus & inexplicabilis labor. Nam ex parte patris triplicem originationem accepit, primum ex illa Chriſtianiſſima, glorioſiſſima, & potentiſſima domo Franciæ, & tanto excellentioribus gradibus, quanto ex ea internam originationem accepit. Quod ſi ad priora viam extenderim, per illam ex illo Trojanorum Franco principe ortum accepit Dardanicum. Altera ex parte illi inclyto principi ac Burgundionum regi GONDULGO generationis progreſſu ſuccedens, ut teſtatur tripartita hiſtoria, originem ab Evandro rege ſeptem montium, a Jano filio Japhet filii Noë decurſis temporibus exorto. De regibus etiam ante Urbem conditam generationem accepit. Rurſus quia hereditario ac natali jure ab illa antiquiſſima Lotharingiæ domo, quæ jam communi nomine Brabantia dicitur, nomen habuit ab illis potentiſſimis, famoſiſſimis & glorioſiſſimis principibus Karolo Martelli, Pipino, Karolo Magno, Ludovico Pio, Karolo Calvo Franciæ regibus, & ut plurimum imperatoribus, tanto digniorem recepit natalitiam, quanto eiſdem ſanguine & dominio clarus ſucceſſor effectus eſt. Nec tacuerim ex parte genitricis, per quam de illa vetuſta Germanorum Bavarorum domo, quæ nullos niſi Cæſares, reges aut duces parturire ſolita eſt, glorioſam attraxit originem. Tanta enim ei adeſt generis claritas, ut Francorum, Anglorum, Caſtellæ, Portugalliæ,

Aragonum, Navarræ, Cypri, & Siciliæ reges cognatione habeat propinquissimos, illumque in Germania victoriosissimum principem ALBERTUM ducem Austriæ cognatum germanum complectens.

De potentatu in dominiis res ipsa se manifestat. Assunt quatuor dignissimi ducatus, quindecim comitatus, Efiliæ majoris & minoris dominia, patriæ ecclesiis dotatissimæ, militia & divitiis abundantes. Tertio dimensuranda erat excellentia hujus principis ex auctoritate dominii Burgundiæ, quam tria ingenuam præcommendant, utpote antiquitas in potentatu & dominio. Secundo, obedientia ad fidem catholicam. Tertio, obsequia ecclesiæ & fidei præstita. De primo fidem facit illud quod habetur in Iulii *de censibus*, ubi, in servitutem derelictis Colonienſibus, Romani sub dominio aristocratico & democratico rempublicam agentes, per quingentos annos ante passionem Christi, Burgundiones libertate frui mandaverunt. Nec obmittendum, quod eodem sub dominio Romanis degentibus, illa antiqua Burgundiæ inclyta civitas Senonis ex suo gremio trecenta millia bellatorum in Italiam & Græciam exsufflavit, quibus attonita Urbs se præter capitolium optioni eorum dedit, gensque hæc in Græciam pertransiens, locum & nomen accepit, ut patria Gallo-græcia, & gens Gallo-græci referantur. Nec obmiserim quod recitat de ethimologiis Isidorus, quod superiori subacta Germania sub Tyberio Cæsare, nationem hanc in plus quam centenorum millium militarium coiisse. Etiam Julius Celsus introduxit civitates inclytas, Augustodunum & Chrysopolim; quæ hodie Edua & Bisuntium appellantur, frequentius Julio Cæsari ducenta millia armatorum præstitisse, quorum suffultus auxilio, cum ceteris receptis legionibus Germaniam & Gallias Romanorum ditioni adduxit. Nec omiserim, quod dum Huni fere totam Galliam ferro & igne consumsissent, hæc gens catholica sancta, manu & virtute fortis, totam illam barbarorum Hunorum congeriem fere extinxit. Insuper refert Tripartita historia, quod dum sub Honorio imperatore Romanum imperium irreparabilem pateretur, scissuram, & jam nationes sibi diademata imponerent, regesque constituerent, eisdem fere temporibus in Francia sibi Franci constituerent regem, & in Burgundia Burgundi circa annum Domini CCCC. & decursis temporibus, regibus sibi invicem succedentibus, deventum est, ut ille flos dignissimus sancta Cloxedra regis Burgundiæ neptis Clodoveo regi Francorum, sed pagano, matrimonio copularetur. Ex tunc in unam Clodovei personam duo Franciæ & Burgundiæ regna coeuntes, post tamen filiorum successiyam generationem prius copulatum, distinctum regnum ad posteros rediit, manſitque in diademate regio usque ad Caroli Magni tempora, sub quibus ducatus & provincia factum est: non tamen transiit, ingloriam. Nam cum KAROLUS Magnus, sibi ad regendam rempublicam universalem de omnibus nationibus adjutores constituerit, illosque pares nominaret, ducem Burgundiæ de cunctis primum, & parium decanum constituit, ut si altem transisset corona, non transiret dignitatis insignia, cujus honoris ateſtes sunt marescalia & cancellaria ducibus Burgundiæ & nulli aliorum principum Franciæ in perpetuum derelicta. Nec hic gloria & potestatus hujus domini in GERARDO DE ROSSILIONE minuta est, qui dominium Burgundiæ ab Alpibus ad montes Pyrenæos, a Rhepo ad Gallias coextendit, tanto honorato dominio, plurimum Carolo Calvo Franciæ regi & Imperatori restitit, adhucque ceteris paribus, hæc clarissima provincia, potentia famosissima perstaverat.

Etiam auctoritas hujus collaudandi dominii ex obedientia ad sacrosanctam fidem catholicam decernenda est, pro quanto populus ille devotissimus ejusque principes Deo devoti, sua colla obsequio fidei submiserunt. Unde Augustinus de Civitate Dei inquit: Non ideo principes gloriosos dicimus, quia hostes devicerunt, sed quia fidem catholicam augmentare studuerunt. Et alibi in eodem libro, quod reiectis gigantum fortissimis & Esau potentissimis filiis, Enos, qui primum incepit invocare nomen Domini, & filiis Jacob Hebræorum regnum reservatum est. Unde post Christi passionem, Petro in Urbe cathedram tenente, Linus ejus discipulus ad Burgundiam descendens, verbum Dei prædicavit, & ecclesias ædificavit. Etiam eodem Petro adhuc Romæ degente, variæ ecclesiarum structuræ in honorem S. Petri viventis usque in diem præsentem concernuntur. Nec prætereundum, quod sub Aureliano Nazarius, Celsus, Benignus, & magna Burgundionum gens ut ovis ad occisionem perducta est. Amplius, sub Diocletiano & Maximiano imperatoribus, dum illa sancta Thebæorum legio morti daretur, fere tota Burgundionum natio peremta est. Nec prætermittendum, quod tempore Honorii in fide instructa, de auxilio Christi non modicum sperans, Hunorum gentem, ut dictum est, prostravit. Quid dicerim de illis sanctissimis Burgundiæ regibus, qui prius fidem quam diadema recepissent, & simul uncti, reges & sancti clamarentur? Ex quibus illa SS. Clocidra, quæ regi Clodoveo sicut & coronam, ita & fidem catholicam detulit, perinde in Gallias & in Germaniam illam contribuens. Hunc fidei zelum attestantur quatuor religionum principalia coenobia ædificata, utpote Cluniacum, Cistercium, Cartusia & Vallis-olerum, absque ecclesiis cathedralibus, collegiatis, & magnis monasteriis ea

dem in provincia etiam tempore Constantini constructis.

Posterius auctoritas in dominio ex devoto famulatu ad ecclesiam sanctam concluditur, unde rejecto Cham, Sem & Japhet ad jus dominandi sunt vocati, quia patri debitum obsequium devotius præstiterunt, & Jacob quia patri devotum præbuit famulatum, benedictionem ante Esau accepit. Hæc autem Burgundionum natio a toto ævo fidei & ecclesiæ servitiis dedita fuit; unde cum illa damnata hæresis Arianorum fere totum orbem suo inextinguibili igne conflagrasset, gloriosa illius sanctæ mulieris Clocidræ proles cum Clodoveo eorum parente ad senium declinante, totam Aquitanorum gentem potentia & armis ab illa damnata hæresi liberavit, illamque ad fidem reductam sibi dominio perpetuo subegit. Etiam sub Karolo Martello gens Burgundionum eidem operam præstans, in strage CCC. millia paganorum consoix fuit, ad cujus attestationem auctoritate papæ ecclesiarum decimas Burgundiæ militaribus, quas etiam plerique usque in præsentem diem possident, largitus est.

Nec reticendum est quanta subsidia præstiterint inclyti Burgundionum principes Karolo Magno in conquesta Lombardiæ contra Desiderium, quorum in devincendis munitionibus Lombardorum in districtibus Alpium destinatis, tanta fuerit strages, ut usque in hodiernum diem Claustrum mortalitium a morte dictum appareat. Quid in conquesta Jerusalem, quid in repulsa Saracenorum ab Hispaniis, quid in reductione Saxonum sub Karolo, quid in conversione Bohemorum sub Ludovico Pio? In his etenim tam sollicite egerunt, ut usque in præsentia tempora laudes eis remaneant exsolvendæ. Non obmiserim de illo GERARDO DE ROUSSILIONE, quod toto suo tempore Burgundiones ad paganorum & Saracenorum gentem a confinibus Hispaniæ evellendam pugnatores habuit, ut etiam XVII. bella peragerent; nec cessavit ille gloriosus Burgundiæ dux RADULFUS, de quo scriptum est:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Radulfo.

Qui rex Italiæ factus, demum Franciæ in Senonensi civitate sepultus quievit. Quid dixerim de ducibus in frequentatis transfretationibus sub Godefrido & ceteris, ut testibus veracibus historiis, Jerusalem semper haberet venientes, redeuntes aut morientes; quod attestantur privilegia pontificalia duci Burgundiæ concessa in antiquis cum capella ducis Burgundiæ, imitati quorum vestigia inclyti principes PHILIPPUS avus, pater & modernus, se obsequiis ecclesiæ devoverunt. Unus ad exstirpationem schismatis usque ad mortem elaborans; alius juventute, uxore, patria natali rejectis, in Hungariam cum tota Burgundionum militia ad Turcos debellandos cum serenissimo SIGISMUNDO Romanorum rege transiens, suorum strages & proprii corporis capturam in magnum fidei excidium sustinuit. Et jam PHILIPPUS secundus se ecclesiæ paratissimum defensorem exhibuit.

Redeat ea propter thema præscriptum; *Firmetur manus tua, exaltetur dextra tua*; &c. Colligebam quod dominium Burgundiæ sub dominio Romanorum inter reges & Cæsares quod aristocraticum & democraticum appellatur, & fere per quingentos annos ante Christum prærogativa & gloria eminebat; quod circa annum Domini CCCC. Burgundiones sibi regem & fidem catholicam ex integro acceperunt; circa annum D. regnum Burgundiæ regno Franciæ in persona Clodovei copulatum est. Circa annum DCCL & LXII. regnum Burgundiæ in provinciam mutatum est, & de rege factus est par Franciæ, decanus parium. Sub anno DCCC. Saxonia conversa ad fidem; & sub Ludovico Pio DCCCXVII. conversa est Bohemia. Sub Ottone III. fere anno DCCCXXXVI. pontificatum tenente Gregorio V. Saxo natione per eumdem Gregorium eligendi imperatorem concessum est officialibus curiæ imperialis.

Ante solutiones rationum per adversarium inductarum, ponendæ sunt quædam suppositiones. Prima est, quod multum differt inter dominium & officium. Dominium enim in statu naturæ lapsæ etiam a jure naturali indictum est. Officium autem omnino a voluntate pendet. Inde est quod dominus rei etiam naturali motu ducitur ad conservationem ejus, & propter hoc appellati sunt domini temporales, patres patriæ sive patricii. Officiarius autem non, quia mercenarius est. Ex prima surgebat secunda suppositio, quod prærogativæ & tituli consequentes dominium sunt digniores & præferendæ sunt illis quæ sequuntur officium. Tertio supponendum, quod electiva auctoritas in electoribus ultra dignitatem ecclesiasticam & auctoritatem principatus, quia quidam eorum sunt prælati, alii principes, non addit nisi officium, & non dominium. Tum quia illa auctoritas pendet a voluntate alterius, ideo non est de permanentibus, sicut est dominium. Tum quia ex illa auctoritate solum officiales appellantur ab Augustino de Anchona in quæstione de translatione imperii, & ad id in Martiniana & in Karolina &c.

FACULTAS

imponendi subsidium caritativum.

SAcrosancta, &c. dilectis ecclesiæ filiis capitulo ecclesiæ Ratisponensis; universisque & singulis abbatibus, præpositis, decanis, curatis & capellanis, & etiam eorumdem locatenentibus, exemtis & non exemtis, per civi- Anno 1411. 20. Novem. *Ex mſ. Aquicinctenſi*

tatem & diœceſim Ratiſponenſem conſtitutis, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Quia id quod ad honorem ac commodum publicum vergit, debet publicis ſumtibus ſublevari, & legalis teſtetur auctoritas, omnes in commune, ſi neceſſitas exegerit, conveniant, utilitatibus publicis obedire, & in neceſſitatibus ſubventionem, juxta ſuæ dignitatis privilegia miniſtrare, nec debeat ulla ratione quis ad hoc quod in commune omnibus profuturum eſt, ſejungi, conceſſumque reperiatur a ſacris canonibus epiſcopis, dum rationabilis & manifeſta cauſa exſtiterit, cum caritate moderatum auxilium ſive ſubſidium a ſuis ſubditis poſtulare. Eapropter cum reverendus pater dominus CONRADUS epiſcopus Ratiſponenſis, non ſine magnis laboribus & expenſis, ad hoc ſacrum concilium, quod pro exſtirpatione hæreſum, reformatione morum, & pace Chriſtianorum procuranda ſalubriter congregatum dignoſcitur, ut obedientiæ filius vocatus acceſſerit, ibidem pro præmiſſis, & præſertim exſtirpatione hæreſis damnatæ Huſſitarum, eccleſiæ & ſubditis ſuis vicinæ fideliter laboraverit & laboret, ac ut pugil conſtans pro fide Chriſtiana ſe in dies magis exponere non formidet, in quo nedum univerſali eccleſiæ, verum etiam eccleſiæ ſuæ & vobis univerſis notorie obſequium impendere non ceſſat fidele, ut ipſe eoſdem ſuos labores & conſilia neceſſaria & perutilia melius impendere, & in hac re ſuos continuare valeat inceptos labores fructuoſe, vos omnes & ſingulos attentius monemus, requirimus & hortamur, ac in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus eidem veſtro patri de caritativo ſubſidio, juxta impoſitionem per venerabilem magiſtrum, &c. cum conſilio capituli veſtri Ratiſponenſis, vel ſaltem duorum ex ipſis factam, vel forſitan adhuc faciendam, omni ceſſante contradictione, rependere, & ſibi illud tamquam ii quorum negotia utiliter agit, & obedientiæ filii præſtare velitis, cum effectu taliter in his vos habendo, prout apud eccleſiam ſanctam Dei commendari, & noſtros graviores pœnales proceſſus contra rebelles utique fulminandos, volueritis evitare. Datum Baſileæ, &c.

LITTERA

modificationis certi indulti immediate præcedentis, facti quibuſdam prælatis per concilium ſuper caritativo ſubſidio imponendo ſupra ſubditos, &c. quod non præjudicet exemtis.

SAcroſancta generalis ſynodus Baſileenſis in Spiritu-ſancto legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentans, univerſis & ſingulis venerabilibus archiepiſcopis, epiſcopis, & dilectis eccleſiæ filiis locorum ordinariis, præſidentibus prælatis & aliis quorum intereſt, ſeu intereſſe poterit in futurum, exemtis & non exemtis, quibuſcumque nominibus cenſeantur, & quacumque præfulgeant dignitate, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Non debet a quoquam reprehenſibile judicari, ſi ſacroſancta ſynodus conceſſa & indulta ſua pro tempore ſic modificare, ſuſpendere aut revocare ſtudeat, temporum aut perſonarum penſata qualitate, quod in eis jus alterius non lædatur, ac materia litium & diſſentionis inter fideles amputetur. Dudum hæc ſacroſancta ſynodus ad nonnullorum prælatorum & locorum ordinariorum in eadem conſtitutorum inſtantiam, quibuſdam ſibi expoſitis cauſis inducta, nonnullas gratias & indulta ſub litteris dicitur conceſſiſſe, ſub hujuſmodi tenore vel ſimili in effectu verborum Sacroſancta, &c. *require ſupra immediate.*

Conſiderans itaque hæc ſacroſancta ſynodus præfatis exemtis, tam in præſenti ſynodo, quam extra exiſtentibus, prætextu litterarum & indultorum præfatorum non modicum præjudicium generari, ac eos in ſuis juribus, privilegiis & libertatibus perturbari poſſe, omnem litium, diſſentionum & diſcordiarum materiam, quæ ex his formidatur provenire, ſubmovere ac tollere volens, præmiſſis & certis aliis ex cauſis rationabilibus, effectum præfatarum & quarumcumque aliarum litterarum concernentem, quarum tenorem præſentibus haberi vult pro expreſſis, ac ſi de ipſis de verbo ad verbum ſpecialis mentio præſentibus facta foret, ac omnia inde ſecuta & ſecutura in omnibus & per omnia, quoad ipſos exemtos dumtaxat, ſuſpendit: decernens præfatis exemtis nunc & in futurum nullum præjudicium generari aut fuiſſe generatum, nec ab eiſdem, prætextu earumdem litterarum, quicquam exigi poſſe ſeu debere; quodque ſi earum vigore contra eoſdem exemtos forſan ad aliquas cenſuras eccleſiaſticas proceſſum fuerit de facto, eaſdem cenſuras nullas denunciat, & declarat nullius eſſe momenti, nec non eoſdem exemtos, ſic forſitan ligatos, præſentium ſerie abſolvit. Quod ſi ad exſecutionem dictarum litterarum fuerit quoquo modo proceſſum, dictam exſecutionem vult præfata ſancta ſynodus dictis exemtis, ſi & in quantum opus eſſet, in nullo præjudicari, niſi per hanc ſacram ſynodum ante diſſolutionem ejus, contra dictos exemtos declaratum exſtiterit eaſdem litteras debere fortiri effectum; & ſi declaratum non fuerit, ſuper præmiſſis, ut præfertur, præfata ſynodus ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, litteras prætactas & quæcumque inde ſecuta, de certa ſcientia tenore præſentium revocat, caſſat, annullat, & eas nullius vult eſſe roboris vel momenti; diſtrictius inhibendo omnibus & ſingulis in virtute obedientiæ,

quibus litteræ præfatæ conceſſæ ſeu præſentatæ fuerint, ſeu præſentari contigerit in futurum, ne prætextu earumdem, quovis quæſito colore, eoſdem exemtos aut aliquem ipſorum audeant moleſtare ſeu perturbare, niſi, ut præfertur, per ipſam ſanctam ſynodum ipſas ſuum effectum debere ſortiri fuerit declaratum: decernens irritum & inane, ſi ſecus earum prætextu, ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentatum forſitan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam ſuæ ſuſpenſionis, denunciationis, abſolutionis, voluntatis, revocationis, caſſationis, annullationis, inhibitionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Baſileæ XII. cal. Decembris, anno Dom. MCCCCXXXII.

MEMORIALE

oratorum ſereniſſimi principis regis Romanorum, ad dominum noſtrum papam deſtinatorum.

Anno 1432. 15 Novemb. Ex mſ. Aquiciniſtenſi

Primo poſt recommendationem devotam & oblationem filialis obedientiæ, dicatur ſic: Beatiſſime pater, arbitratur majeſtas ſereniſſimi domini noſtri regis, quod beatitudo veſtra ſatis concipere potuit ex reverendiſſimo domino cardinali de Comite & magnifico domino de Camerino, redeuntibus alias a majeſtate ſereniſſimæ regiæ majeſtatis ad veſtram ſanctitatem, etiam per venerabilem Jacobum protonotarium ipſos præcedentem, illam affectionem filialem & amorem, quem dominus noſter rex gerit ad perſonam V. S. & ſanctam Romanam eccleſiam: etiam intelligere potuit ea, quæ ſuper adventu ſuæ ſerenitatis ad *Urbem*, & *V. S. viſitando* prolocuta fuerunt. quæ omnia dominus noſter mente tenuit, & uſque huc continue præſtolatus fuit expeditionem horum quæ expedienda, & pro tranſitu hujuſmodi fienda erant, & adhuc præſtolatur. Nihilominus quia ſacrum Baſileenſe concilium majeſtati domini noſtri noviſſime bullas ſuas tranſmiſit de expeditione nunciorum V. S. qui in eodem *fuerunt concilio... deſtinavit in ſcriptum*; ipſe ſereniſſimus dominus noſter nos decrevit ad præſentiam veſtræ ſanctitatis tranſmittere, ad oſtendendum eidem omnia, quæ ſuæ majeſtati per ipſum concilium intimata exiſtunt, & etiam copiam reſponſi oratoribus V. S. in Baſilea dati, quod quidem mittit ſua majeſtas, non ut illud veſtræ ſanctitati ignotum eſſe exiſtimet; ſed ut eadem ſanctitas ſciat ſuam majeſtatem de geſtis omnibus informatam eſſe, rogando & obſecrando eamdem V. S. humili inſtantia & quanto devotius poteſt, quatenus eadem V.S. conſiderando illas oblationes, quas ipſum concilium pro honore & ſtatu, nedum S. V. ſed & omnium veſtrorum, tam large & humiliter exhibet, & *non minus oblationes ſereniſſimi domini noſtri regis*, quas per varios nuncios fecit ſe effecturum, quod eadem ſanctitas temporibus vitæ ſuæ re & nomine pacificus papa permaneret, velit & dignetur eadem S. ipſi ſacro concilio Baſileenſi adhærere, quemadmodum majeſtas ſua indubie ſperat, quod ad evitandum ſchiſma in eccleſia Dei, quod palpabile quaſi eſt; attentis etiam ſcandalis *innumeris*, quæ in Chriſtianiſmo ex defectu concilii ipſius indubie ſucceſſura ſunt, & quibus ſolo verbo ſine ullo periculo perſonæ & ſtatus ſui providere poteſt, cum immortali gloria & laude ſui nominis illud indubie & gratioſo animo faciet. quo facto, & adveniente præfato domino cardinali reverendiſſimo de Comite ad præſentiam ſuæ regiæ majeſtatis, idem dominus noſter incontinenti diſpoſitus eſt iter arripere, & veſtram beatitudinem viſitare, præſtareque omnia juramenta debita & ſolita, & ſuſcipere imperiale diadema de manibus V. S. & ad hoc firmam adhibere operam, ut V. S. & eccleſia Romana pacem obtineant ab omnibus ſibi adverſantibus, ceteraque omnia facere fideliter, conſtanter & perpetue, quæ decent fidelem filium V. S. & eccleſiæ ſanctæ. Quantum autem ex hujuſmodi conventione mutua Chriſtianitas tota utilitatis percipiet, V. S. & majeſtas *domini noſtri*, & eccleſia & *imperium* honoris, gloriæ & commoditatis, V. S. clarius novit, quam conſervet Altiſſimus, &c.

Lectum fuit hoc memoriale ſupraſcriptum die *Veneris* ante feſtum ſancti Andreæ MCCCCXXXII.

EPISTOLA CONRADI archiepiſcopi *Moguntini*, ad concilium Baſileenſe.

Excuſat ſe quod propter infirmitatem perſonaliter ad concilium accedere non poſſit.

Anno 1432. 26. Novemb. Ex mſ. Aquiciniſtenſi.

Reverendiſſimis reverendiſque in Chriſto patribus & dominis, dominis & amicis cariſſimis ac venerabilibus ſincere dilectis, &c.

Reverendiſſimi reverendique in Chriſto patres, &c. Litteras veſtras bulla veſtra plumbea impendente bullatas, mihi pridem V. P. R. parte allatas, & in effectu continentes earumdem V. R. P. monita, & ſincera hortamenta, quatenus cunctis meis quantumlibet arduis negotiis poſtergatis, ad ipſam ſacram Baſileenſem ſynodum deberem ex juſtiſſimis fidei cauſis in ipſis veſtris expreſ-

satis, in persona propria properare, quemadmodum hæc & alia in eisdem vestris mihi directis litteris clarius sunt descripta, reverenter recepi & sano collegi intellectu. Et quamquam fidei fervor zelusque domus Dei una cum concurrentibus vestrarum R. P. exhortationum monitis internæ affectionis meæ pectora quodam suo impetu excitent & inflamment, ut optarem felicitate tanta potiri, quod concioni vestræ venerandæ ac rebus fidei & reipublicæ ibi Spiritu sancto feliciter dirigendis possim personaliter interesse, & cum paupercula vidua tantillum modicum quod valerem in Gazophilacium Domini reportare; tamen chronicus ille morbus continuo serpens & membris meis languidis medullitus admodum imbibitus, personam meam & valitudinem confractam, & corporali ægritudine conquassatam sua fetitate ita terruit & prostravit, ut licet plerumque de loco in locum in ditione mea modica distantia movear, quasi domi manens, istis tamen diebus non audeam, nec juxta medicorum consilia valeam ipsum imbecille corpus, & quasi viribus destitutum, intemperato hiemali & peregrino aëri extra terram propriam absque vitæ dispendio commendare, prout talia sunt me noscentibus bene nota. Et quia pridem hujuscemodi meo corporali impedimento pensato, meos sollemnes ambassiatores & oratores, morum decore nitentes, altique consilii viros, consiliarios meos fideles dilectos, ad ipsam sacrum synodum pleno cum mandato destinavi, ut iidem tamquam personæ meæ imaginarii, corporalem meam absentiam sua inibi præsentia adimplerent. Qui, ut intellexi, in paucis diebus post emanatas vestras litteras applicuerunt. Et si ante earumdem litterarum decretum evenissent, speraßem ipsas R. P. de me, immo de eisdem adeo fuisse contentas, ut non fuisset opus mihi hujusmodi vestras litteras direxisse, ut juxta punctum quem in eisdem vestris mihi directis apicibus paternali moderamine subjunxistis, ut si corporali infirmitate detinerer, ita ut illuc nequirem accedere, curarem viros notabiles de meo clero ad dictum sacrum concilium destinare, &c. Præfatos meos sic jam missos ambassiatores & nuncios V. R. P. recommitto, & de non veniendo personaliter per ejusmodi meam corporalem infirmitatem coram V. R. P. sinceriter me excuso, easdem V. R. P. devotis affectibus deprecando, quatenus hujusmodi mea allegata legitima paternaliter admittentes, me habere dignemini de hujusmodi meo non accessu personali benivole excusatum, prout & de hoc ipsa facti veritas & rei evidentia, proh dolor! apud Deum & homines me excusant, prout memorati mei ambassiatores & nuncii super his instructi distinctius V. R. P. poterunt & debebunt mei nomine vivis vocibus luculentius informare. Quibus opto adhibere dignemini pro hac vice fidem credulam in dicendis. Datum Hochte xxvi. Novembris MCCCCXXXII.

Conradus Dei gratia sanctæ Moguntinæ sedis archiepiscopus, sacri imperii per Germaniam archicancellarius, & princeps elector.

Ad mandatum domini Moguntini.

EPISTOLA THEODERICI archiepiscopi Colonienſis ad concilium.

Mittit novos nuncios ad concilium.

Anno 1432. 27. Nov. *Ex ms. Aquisgranenſi.*

Reverendissimis reverendis venerabilibusque in Christo patribus & dominis, sacrosanctum Basileense concilium facientibus, dominis & amicis honorandissimis.

Reverendissimi, &c. reverentiam debitam atque devotam. Sacræ Basileensis synodi & vestræ beatissimæ concionis litteras XXVII. Octobris datas novissime XXI. Novembris recepi, accurratissimam sacri Basileensis concilii diligentiam studiis multis confertam pro reducendo ad fidei unitatem regno Bohemiæ declarantes. Sanctissimum opus, celeberrimi patres, non mortali complendum ingenio, sed illius Sancti Spiritus per vos robore præsumendum, qui munere septiformi corruptam Bohemorum fidei puritatem non facile humana resarciendam virtute, potest limpida veritate mundare, qui regulos illos callidissimos ac funestissimos aspides vocem piissimæ matris incantantis ecclesiæ dudum a sacro Constantiensi concilio, citra obstinatione sævissima obaudientes, suæ potest claritatis indagine suscitare; qui viperam virus vomentem mortiferum antidoto salutari compescat, qui Babylonem superbam cum principibus Phlegethontis scorto pollutam, demum columbam puritate candidam fecit, speciosam amavit, concupivit electam; ac filium prodigum porcorum siliquis saturandum paterna benedictione prævenit, stola gloriæ induit, & pristinæ adoptioni restituit. Nulla fateor nostro ævo tanta necessitas, quam ut hii ferocissimi orthodoxæ religionis obices ratione vel ferro vincantur, & quod illa miseranda navicula, errorum fretis agitata, ingentibus pulsata a pseudoprophetarum acutissimis scopulis inobedientiæ, ac præsumtionis turbata crepidine, rectæ credulitatis vehatur ad littora, & anchora catholicæ professionis firmetur in portum. Hoc est, reverendissimi patres, salutare præconium, hæc sancta vicissitudo a cunctis fidelibus peroptanda. Hæc omnia quia tamquam ecclesiasticus præsul abunde sitiveram, dignissimi patres, nullis publicis seu privatis

tis peperci incommodis, nec communi utilitati mortalem vitam præposui, sed oppressam multa beilorum lassitudine patriam mihi creditam, atque relictam confectamque dudum armis militiam, mortibus & diris exponendam incommodis, pro subdendo Christianæ fidei jugo, illo ingenti portento, meipsum personaliter & realiter semper obtuli & impendi, ut extat notorium, præsertim multis reverendissimis patribus de concilio. Verum cum novissime sacræ synodi litteris fuerim sub pœna anathematis latæ sententiæ requisitus, quatenus occasione interessendi audientiæ Bohemorum, ad ipsam sacram synodum me conferam personaliter ante festum natalis dominici; rem mihi gratissimam & voluptate præmimia suavissimam, si facta votis meis non minus præstassent. Meminisse vero cupio excellentias vestras in vinea Domini sabaoth die æstuque laborantibus, ociosis paria impendia non deberi, nec confracta oneribus dorsa oportere sarcinulis amplioribus prægravari, ac juxta Moralis sententiam virgam trahi debere, non frangi. Idcirco ad sacratissimam synodum & vestram beatissimam concionem honorabiles Christianum *de Erpel* legum, sanctæ Mariæ ad Gradus, & Telmannum de *Limiff* decretorum, S. Florini Confluentiæ præpositos, doctores, consiliarios meos procuratores & ambassiatores, ceteris ambassiatoribus meis Basileæ existentibus adjungendos destinare decrevi. quibus super litteris sacri concilii mihi destinatis & aliis divisim & conjunctim nomine meo referentibus dignentur vestræ paternitates benivolam audientiam adhibere & dare credentiæ plenam fidem, recommendantem me & ecclesiam meam V.P. filialiter & devote. Datum Bruete die XXVII. mensis Novembris MCCCCXXXII.

Vestræ beatissimæ concionis devotus T. archiepiscopus Colonienſis.

PROPOSITIO FACTA

per vicarium Maguntinum in concilio Basileensi nomine electorum imperii, die penultima Novembris MCCCCXXXII.

Anno 1432. 29. Novemb. Ex mſ. Aquisgranenſi.

MEmoria repetente & crebrius mente revolvente, patres amplissimi, quam arduum ac ultra vires crediti mihi desuper ingenii ministerium aggredior, meus non immerito contremiscit animus. Nam etsi quandoque principes sæculi solitus affari, minaces illorum aspectus, vultu curvato, oculis ardentibus, furore cordis hiantes non pertimuerim: tamen illos divina plerumque permissio & nonnumquam fortunæ factio, cunctis animantibus merita, terreno locavit in solio. Nunc autem ad hos sermo dirigendus est, qui divinis animati mentibus, ex omnibus Christianorum finibus electi, cælestis irrigui gratia respersi, patrem semper intuentes, similitudinem servant auctoris. Ob id cœtui Deorum magis connumerandi sunt, apostolo dicente, ac noviter ecclesia repetente, *nostra autem in cœlis extat conversatio.* Deos igitur alloqui me videor, & cum divino Numine arbitror habere sermonem. sed e vestigio pollicita est mihi fandi fiducia, quod is, ad quem verba dirigo, paraclitus vestris benignissimorum patrum mentibus habitans, sperantem ac deprecantem in se peccare non sinet, sed & pro debito sensualitatis clementia vestra facile veniam petenti datura, patres optimi, quorum nonnullos conspicio, alios quidem qui me litteris reddiderunt eruditum, alios mihi cœvos, cum quibus & mihi familiaritatem edidit studendi consortium, *supportationis cujusque* lapsus præstolationem affert salutarem. Taceo quod grata & jocunda erit eloquii mei sententia, etsi confuso præposteroque schemate pererrata: cujus spei certissimum mihi præbet argumentum, quod nuper hujus nectaris hausto rivulo per organa vestrorum ambassiatorum, ab excelsis dominis meis principibus electoribus in vos derivato, exultantes vicaria lætitia *vitulum* mactastis saginatum. Quibus prælibatis ne usque ad fastidii necessitatem se tendat præfatio, ad conceptam materiam orationem converto, non tam de propria virtute confidens, quam de munere largitoris illius qui dat omnibus affluenter & non improperat.

2 Ut autem majorum normæ similitudinem mea servet imitatio, summariam quamdam *sententiam, narrationis* serie gravidam, more probatissimæ vetustatis, duxi præmittendam a verbis apostoli, quibus in laudem Dei perusa est ecclesia, sumens exordium. *Observate*, inquit, *eos qui ita ambulant, sicut habetis formam.* Quam inter consonas ipsi sententias velut hortatu familiarem decrevi meis epulis invitandam. Deus omnipotens, molis mundanæ artifex, conditorque innascentis naturæ primordiis, cœlo syderibusque creatis, elementis insuper indissolubili vinculo colligatis, inter hæc caduca, quibus sub his orbibus cœleis globisque sydereis loca deputavit, solam animam humanam, quæ vere homo, & ab omni mortalitatis conditione aliena est, ad imaginem sui creavit, ut quemadmodum ipse magnum hominem, sic & illa parvum mundum regat, dum a se corpus animatur, cujus ternam expedit assumere cognitionem. Primum namque principium cunctorum *fons* & origo superabundanti majestatis fœcunditate illam de se mentem creavit in absoluta consideratione, quæ conditorem inspiciens, plenam similitudinem servat auctoris. Quæ rursus ab alto dispiciens, animum de se radiat; qui divinarum atque humanarum rerum surgit in notitiam,

& poſtremo illam de ſe format animam, quæ corpus regit animatum. Horum autem medius, qui nos a brutis ſeparat, quamquam ab eſſentiæ divinæ ſimplicitate pauliſper abſcedat; quia tamen inter corporeas illecebras & cupiditatum dulces inſidias, vinctus corporali cuſtodia, non ſine maximo militat periculo, ab ipſius creationis initio divina tutela & providentia gubernatur. Et ecce protoplaſma primum a divinæ vocis organo legem accepit, deinde per gentilium vates & heroas ac electi populi prophetas nobis divinæ legis norma referata eſt, quouſque divina providentia viam ab æterno præmeditatam aggrediens, qua ſaltem unum noſtræ ſpeciei reformaret ſuppoſitum, divinam habens humanamque naturam, e quarum altera nobis ſuæ divinitatis particibus mori lege naturæ, ex alia vero neceſſitate divina reſurgere conveniat, fragilem aſſumſit naturam, ut poſt ipſius habitum de morte triumphum, nos tandem expletis munerum functionibus, quæ dator animarum in corporum carcere vinciens indixit, ſecum ævo fruamur æterno. Hic verus Deus & homo lege quam ſecundum humanam naturam ſubeundam ſuſceperat, exemplo vitæ verboque doctrinæ conſummata, tranſiturus ad patrem, apoſtolos, diſcipulos, gentiumque doctores inſtituit, quibus in exordiis fundationis eccleſiæ, vel maxime congregatis in unum, Spiritum ſanctum ſenſibiliter oſtendit, nonnumquam etiam clara revelatione tutor humani generis curam agens ſui gregis, arcam divini ſecreti reſeravit. At fide roborata, ſi ceſſent evidentia ſigna, ſuperſunt nobis ſuæ ſponſionis argumenta, quibus curam divinæ providentiæ nobis adeſſe non ambigimus, quamdiu per ipſum inſtituta in nobis ædificatur eccleſia. Verumtamen data eſt nobis forma, per quam inviſibiliter gratiam conſequamur, quæ dudum in legalibus & figuralibus ſacramentis, ac in novæ legis exordiis patribus noſtris viſibiliter invenitur fuiſſe conceſſam. in qua tamen eo cautius ambulandum arbitror, & traditam nobis formam accuratius obſervandum, quanto veritas inquiſitionis latentius abſolvitur, cum ſit omnium ratiocinationum labor communis, ut quanto remotius a per ſe notis, quas maximas appellant, diſcreditur; tanto ſuccreſcat anguſtior difficultas agnitionis. Ideo de veſtri benigniſſima ſupportatione confiſus, reverenter, inquam, *obſervate eos qui ita ambulant*, &c. Conſtat autem quoties priſcis ſæpe temporibus, repetitis malleis, crebriſque concuſſionibus in hæreſes conſciſſa eſt eccleſia veneranda, antiſtites formam divinitus traditam ſectantes, poſtquam a Conſtantino Auguſto cœpit eis eſſe conveniendi licentia, inſpirante ſacro flamine, ex omni orbe terrarum convenerunt, non requiro an principe procurante, an papa jubente. Sed hoc unum novi, quod qui ſuis concordiam perſuaſit diſcipulis, ubicumque duos pluresve ex ipſis in nomine ſuo convenire contingeret, ſe futurum promiſit in medio, & hanc arbitror eſſe divinitus traditam nobis formam divinitus cuſtodiendam. Ideo nec abs re quatuor ſynodi principales eccleſiam catholicam, ſicut quatuor flumina paradiſum irrigantia, veluti quatuor evangeliorum libri a ſanctis patribus ſummiſque pontificibus cum omni devotione venerati, ab imperiali quoque ſplendore in his quæ de ſumma Trinitate ſacroſanctis eccleſiis, eccleſiaſticis quoque titulis conſtituerunt, ſumma cum veneratione reveriti ſunt & recepti, a quibus hanc ſynodum non pluſquam Petrum a Gregorio diſtare qui neſciat, conſideret auguſtiſſimam ſemper moventis ſeriem naturæ. Quippe cum naturali ratione didicerim unam eamdemque continua ſucceſſione duraſſe eccleſiam, cui directione fidelium adeſſe promiſit, uſque eam quæ in hoc cœtu reverendo repræſentatur. Siquidem una eſt legio, unuſve populus partibus communicatis. vel decidat omne myſticum, & intereat humanæ ſocietatis univerſa civilitas. rerum quoque ſpecies diſcerptæ ſuo fonte ſatiſcant, recte deffiniendum eſt, quemadmodum humana ſpecies ex individuis compoſita mortalibus, auctore philoſophia, ſancitur perpetua; ita hanc venerandam ſynodum ex fragilibus hominibus indiſſolubili tamen almi pneumatis artificio contextam, in hac collectiva repræſentatione temone Sancti-ſpiritus gubernandam, a vero deviare non poſſe. Quod & veteribus philoſophorum principibus non eſt incognitum, ſancientibus nihil eſſe principi illi Deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia cœtuſque hominum jure ſociata, quæ civitates approbantur. in morali ſermone civitas non murorum ambitu continetur, ſed animorum unione conſtituitur, ſiquidem in legum conſenſerint obſequium. Quod huic ſanctæ civitati præcipue congruit, quam Veritas dominam mundi, lucem & ſal terræ fore teſtatur, cuique cuncta quæ a patre ſcivit patefecit. Hæc autem omnia civiliter aſſumenda ſunt. Habet enim promiſſio, ut univerſa traditæ nobis diſciplinæ forma diligentius obſervetur in agendis. Ideoque videndum arbitror, patres optimi, quomodo ambulemus ſecundum formam nobis ſanctorum inſtitutis divina largitione reſeratam. Unde ſi fas eſt Jovis laudes ſanctorum agminibus permiſceri apud egregium Homerum, dum gentis Graiæ princeps ad conſerendum cum hoſtibus manum ſub aperta promiſſione victoriæ foret animatus; ille velut divinum ſequutus oraculum, commiſſo prælio, amiſſis ſuorum plurimis, vix ægreque in caſtra remeavit. Num dicendum

est Deum mandasse mendacium? absit, non ita est, sed illum casum Græcis fata decreverant. Habuit enim præceptio, ut universalis produceretur exercitus; at iste, prætermisso Achille, qui tunc recenti laceſſitus injuria, ab armis cum suo milite feriabatur, progressus in prælium, casum qui debebatur excepit. Parem observantiæ diligentiam Homericæ per omnia perfectionis imitator Virgilius Maro, de Ænea nobilissimi Romani populi patre, ad regionem instruendo regno fataliter eligendam, instructo in talibus quoque rebus obtinuit & parum rebus profuit, nisi ut probemus traditam divinitus formam accuratius observandam, etiam gentilium traditionibus comprobati. Hæc succincta contractatione dixisse sufficiat. Audite & cetera. vos vero patres inclyti, reverendissimorum ac illustrium excelsorumque archiprincipum sacri Romani imperii electorum Achillei vestri, qui profecto plurimis atrocissimis injuriis perfidiæ Valdensis affecti, guerrarum periculis exagitati, subditorum, suorum suisque fortasse corruptelis. exinaniti, reparationi ferventius insistere studebunt, suffragia nullatenus aspernati, majorem quæsitis assistentiam, vestros celeberrimos ambassiatores destinando, qui sub quadam verborum densitate ab eisdem dominis principibus votivum habuerunt responsum. dudum tamen missionem eorumdem oratorum, Deo nobisque testibus, præconceptam, ut eximiorem dominorum oratorum ad hunc sanctum cœtum transmissorum declarat optata præsentia. Merito itaque pronunciandum est, vos duce paraclito prudenter ambulasse juxta divinitus traditam vobis formam, cum vos, divini patres, & ipsi præclari principes, quamvis diverso calle procedentes, ad eamdem tamen deliberationis metam pertigistis. Tres namque sunt morbi, quibus principaliter totius Christianæ professionis universitas vel proprio languore, vel aliena contagione laborat. Quorum primus ordine, labes quidem hæretica, alter morum corruptela, prior tempore & causalitate, posterior tamen scelerum ordine, quot animas præcipitaverit adeo divulgatum esse arbitror, ut montes excelsos transcenderit, vastas quoque solitudines habitationibus hominum interjectas permanaverit, maria transnataverit, ac in omnibus orientis alias obeuntis solis ultimis, aut Aquilonis Austrive partibus non lateat, quorum reparatio & reductio in expugnabilium luce rationum sacris conciliis imminens semper functio in superioribus fuit asserta. Guerrarum autem si quis ignoret discrimina, vel in scopulis habitans incolit antra, vel Cererem nescius glande pastus, fronde quærit amictum. Unde non minus nostræ curæ statuistis esse de pace publica meditari. Quæ quamvis non sit ipsa fides, per illam tamen iste grandis homo, qui est omnium collectio fidelium, ad laudem Dei pertingit secundum actuationem simultaneam totius potentiæ, sicut microcosmus sapientia & prudentia quiescente perficitur. Hoc etiam nobis testificatur, quod orto sole justitiæ, concomitante pacis abundantia, cetera præcinendo pastoribus desursum, non voluptates, & divitiæ, honores vel longitudo vitæ, robur, sanitas, seu pulcritudo; sed pax intonuit in quam.... cœlestis militia, cecinit angelica turba *gloria in excelsis Deo & in terra pax*, &c. Hinc est quod *pax vobis* Salus hominum salutabat, parem quoque observantiæ diligentiam imitati sunt ejus discipuli, quos patres conscripti vestra congregatio sancta repræsentat. Ergo pia dominis principibus succrevit confidentia, quod cœlestis provisio, curam agens hominum, hanc firmam basem divinæ fœcunditatis in Germaniæ confinibus juxta Galliæ metas ab æterno providerit, in qua militantem hoc tempore fundaret ecclesiam, quatenus ingruente loci opportunitate, fluctuans navicula, spirante sacro flamine, dirigatur in portum tranquillæ requiei: pro quibus feliciter peragendis, domini principes antefati quidquid eis largitor omnium, ecclesia, vel imperium contulit honoris, potentiæ, vel decoris, munifice conferre studebunt, ac si quid emerserit impedimenti, pro posse curabunt amovere.

3 His peroratis, ad exhortationem principum nostrorum mea procedat oratio. Jam etenim dudum & ante vestrorum ambassiatorum missionem, verbum inolevit S. D. N. papam certis in puncticulis ab hac veneranda synodo disceptare, plerisque formidantibus, ne supercrescente scintilla discordiæ, schismatis seminarium in agrum spargatur dominicum, corporum atque animorum interitu subsequente, ut sic ea quæ consolationi parata forent, in lacrymas luctumque dejicerent. Ipsi vero vestri oratores omnem formidinem ab illorum animi sede pepulerunt, spem firmam polliciti, quod venerandi patres, cives hujus sanctæ civitatis, cœlesti hierarchiæ configuratæ, ubi cunctorum civium est una voluntas, & illam civitatem repræsentantis, cujus civibus erat cor unum & anima una, idem eidem profunda meditatione pensantes, tam caute gressus dirigant in via pietatis & modestiæ, quod in syllam tanti periculi minime labantur. Hortantur itaque præfati principes per suos quos cernitis ambassiatores consulendo, hanc vobis esse sollicitudinem ac diligentem cautelam, ut fidei morumque causam pertractantes, præassumtam formam divinitus inspiratam taliter observetis, quod nullius extrinseci contactu sanctæ congregationis differatur opera salutaris. Sic etiam in causis perorandis disponunt legitimæ sanctiones, ne incidens quæstio vel emergens, si forte moræ dipendium allatura sit, principalem noceat

intentionem, quod recte fieri posse credunt, si spreta opinione quæ minus cautis animis pro certa ferebatur, inolita contra sanctissimum dominum nostrum conquiescat agitatio. Jam enim principes ipsi, quos utriusque gladii potestas spirituali temporalique dotavit honore, sua potissimum interesse putantes, inter hanc venerandam synodum & S. D. N. ac inter eumdem & gloriosissimum dignitatis terrenæ monarcham pertractare concordiam, quæ membra capiti nectit, servat & alit quicquid vitam spirat in orbe, inter hos suos ambassiatores, quosdam ad præfatos utriusque potestatis apices destinare decreverunt, ad precandum, exhortandum, atque postulandum, quatenus mutuas sibi præbeant alterutrum concordiæ vices. Ipse quoque sanctissimus dominus noster huic se sacro conformet concilio, largiaturque favores; quod & validissimis argumentis urgentibus sperant obtinere. Tunc etenim opere consummato, quicquid contra hanc venerandam synodum jaculatus est umquam motus livoris, seu forte jaculabitur, dissolutum erit. Et tandem cautela prudentiæ pedissequa servata, tolerantia filia fortitudinis invitata, modestia temperantiæ socia comitante, pietate quoque justitiæ satellite prosequuta, quibus rerum publicarum rectores hominum salutem gubernant, illa divina virtus non statuas plumbo inhærentes, nec triumphos arescentibus laureis, sed vobis cœlo definitum locum dispensabit, ubi beati ævo fruuntur sempiterno, ad quem nos perducat vivens per sæcula benedictus. Amen.

ITEM DE EADEM MATERIA

Super præsentatione litterarum.

REverendissimi reverendique patres, spectabiles & egregii, prælati, doctores, domini præstantissimi, ac ceteri merito venerandi in hac sacra synodo generali universalem repræsentante Christi fidelium ecclesiam, præclaris vestris excellentiis & devotis benignitatibus debitæ recommendationis puritatem offerunt reverendissimi in Christo patres, Maguntinus & Colonien sis archiepiscopi, illustresque & excelsi comes Palatinus Rheni, dux Saxoniæ, & marchio Brandeburgensis, omnes sacri Romani imperii principes electores. Cogitantes suarum auspiciis dignitatum, beneficijsque desuper eis munerum divinorum excellentius tributis non recte frui, si ecclesiæ sanctæ Catholicæ, quæ fluctuum cernitur procellis agitari, cunctis quibus poterunt studiis fidelis integritatem obsequii, pro distributa virium portione, non impenderint, & bene gerendarum consortes rerum comperti non fuerint. Docuit enim non solum priscorum antiquissima vetustas, verum & justa impellunt modernorum ingenia, & publicum sanctæ ecclesiæ decorem carpere satagentia, & Christi fidelium sub turbine vasto naufragium formidantium portum præcludere optatæ requiei supremis operum tollere laborent fulgentioribus in Christiana religione titulis relucen... ne in deteriores anfractus ac casus dubios & deflendos desidia deveniant, quæ sancto exordio in spe relevationis pulcra dependent, & sub tranquillitate in publicam poterunt deduci salutem, tanti venerandi cœtus temperantia, quæ plerumque intra licitum quiescit, & ultra non progreditur, metitur vires, & a medio non recedit, in genere bonorum utiliora instruit pertingere, & in malis quod pejus est effugere. ex præteritis æternum eventum docet colligere futurorum. unde & splendidior gloria vos patres celeberrimos respicit, quibus desursum datum est dispersa colligere, & confracta solidare. sub vobis cultoribus ficus sterilis floritura speratur, optimi dispositione regis, suæ immaculatæ sponsæ sanctæ Catholicæ ecclesiæ salubrius succurrentis. hac sacrosancta synodo generali, cujus ministerio hæreses supprimi, hostiles subduci insultus, & noxiæ tolli deformitates, ut virtus poterit libere exultare, spes pulcherrima Christicolas fovet. Hæc ipsa præfati reverendissimi illustresque sacri imperii domini principes electores secretius mentibus reponentes, eisdem consodiuntur jaculis, quibus sancta mater impugnatur ecclesia, pioque succensi desiderio, ambassiatam in vestro conspectu humiliter comparentem, quæ quorumdam personis absentium, viarum fortassis aut aliis subortis periculis, copiosior sperabatur, cum literis eorum creditivis reverenter destinarunt, quas de unanimi collegarum assensu benigne offero legendas. quibus lectis, communes eorumdem dominorum principum electorum sinceri referentur affectus.

Nota per versus sequentes, quid spectat ad officium electorum imperii.

archiepiscopi
Maguntinensis, Trevirensis, Colonien sis
Quilibet imperii sit cancellarius horum.
comes Rheni Saxoniæ
Et Palatinus dapifer, dux portitor ensis,
Brandeburgensis rex Bohemiæ
Marchio præpositus cameræ, Pincerna Bohemus,
Hi statuunt dominum cunctis per sæcula summum.

MANDATUM
DOMINI ROMANORUM REGIS,
missum illustri duci Bavariæ ad concordandum cum Bohemis.

Anno 1433. 3. Decemb. Ex ms. Argentinensi.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmaciæ, Croaciæ rex, &c. Notum facimus tenore præsentium universis, ineffabilis dispositionis clementiæ divinæ non ignari, collatam nobis cœlitus, quam habemus & recognoscimus dignitatem, illudque a nobis ab illo bono patrefamilias protinus exigi debitum, ut reddamus sibi talenta per eum nobis credita, duplicata: ad quod, prout tenemur, propositi & debiti nostri effectum diligenter impendimus, & temporale stipendium & retributionis æternæ præmium nobis proventura speramus. Et quoniam Romani regni fastigium & aliorum regnorum dignitas, in qua orbis conditor nos pietatis suæ clementia feliciter collocavit, jugiter mentem nostram sollicitant, ut cura pervigili & laboribus sollicitis universorum sacri imperii, ac regnorum nostrorum fidelium & subditorum amputemus incommoda, eisque votivæ quietudinis amœnitatem salubriter procuremus: Ad hoc nempe dispensationis munere principalis monarchiæ optavimus principatum, ad hoc sacri Romani imperii non leve pondus, sed suave, ac aliorum nostrorum gubernacula regnorum susceptmus, ut si ad alia extrinseca cotidiana sollicitudo nos provocet, ad ea tamen quæ processibus negotiorum improvide circumfluunt, reparationem felicem, statum quoque quietum ac reformationem nationum in sacro Romano imperio sub regiminis nostri felicitate respirantium respiciunt, tanto intendamus uberius, quanto præ ceteris mundi principibus solium magnificentius erexit cœlestis providentia Creatoris.

Sane quia pro bono sperato in nostro regno Bohemiæ certi deputati solemnes ambassiatores & nuncii, magnifici barones, nobiles & strenui viri, & magistri & sacerdotes, de regno Bohemiæ ac marchionatu Moraviæ, de Praga, & aliis locis eorumdem, omnibusque aliis ecclesiasticis & sæcularibus personis de utroque statu deputati, ad sedandum dissentiones in regno nostro Bohemiæ ac marchionatu Moraviæ exortas, ad sacrum generale Basileense concilium in Spiritu-sancto legitime congregatum, universalem ecclesiam Catholicam repræsentans, proponunt venire, & ad illud, prout accepimus, accedere dispositi sunt; pro cujus quidem negotii salubri consummatione, nos per præfatum sacrum concilium ac ejus nuncios & bullas, ac etiam per Bohemorum & Pragensium litteras ad dictam conventionem invitati, ac cum instantia rogati & requisiti sumus, ut nos ad idem sacrum concilium personaliter appropinquare, & eidem interesse dignaremur, pro celebriori causarum & rerum spiritualium & temporalium regni Bohemiæ expeditione. Et quia nos hic in Italia sollicitis laboribus pro bono statu universalis ecclesiæ ac ipsius sacri concilii, nec non arduissimis sacri imperii negotiis præoccupati, prædictum sacrum concilium personaliter tam cito accedere non possumus, sicuti tamen ex intimi cordis nostri affectione ac libenti animo interesse & facere vellemus: ne tamen propter nostræ personæ in hujusmodi conventione in ipso sacro concilio absentiam, pacis & unionis tranquillitas votiva apud Bohemos, auxiliante Deo, ordinanda, retardari aliquatenus possit, quam semper summopere desideravimus, & affectamus totis viribus procurare, Nos, quos hæc causa Bohemiæ regni nostri in temporalitate præcipue concernere dignoscitur, pro qua feliciter pertractanda & opportune peragenda, vice & nomine nostris procuratores nostros digne duximus deputare, habentes de immotæ fidei præclara constantia, ac singularis circumspectionis & providentiæ industria, illustris principis WILLELMI comitis Palatini Rheni, ducis Bavariæ, avunculi nostri carissimi, protectoris sacri concilii Basileensis, & nostri in eodem locum tenentis, ac venerabilis JOHANNIS episcopi Curiensis principis, consiliariorum nostrorum fidelium dilectorum, plenissimam & indubitatam fiduciam, ipsos & eorum quemlibet in solidum animo deliberato sanoque, nostrorum & imperii sacri ac regnorum nostrorum Hungariæ & Bohemiæ fidelium accedente consilio, & de certa nostra scientia, citra tamen potestatis alias per nos eidem WILLELMO super locum tenentiæ in eodem concilio concessæ, revocationem, fecimus, constituimus, creavimus & ordinavimus, ac tenore præsentium facimus, constituimus, creamus & ordinamus nostros veros, legitimos, certos & indubitatos procuratores, actores, factores, negotiorum nostrorum gestores, & nuncios generales & speciales: ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra. sic quicquid unus eorum incœperit, alter ipsorum prosequi valeat mediare & finire: dantes & concedentes eisdem procuratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum, plenam & omnimodam potestatem ad interponendum se nomine nostro ac auctoritate nostra cum omni possibilitate, una cum sacro Basileensi concilio, ut pax, unio & concordia in ipso regno nostro Bohemiæ, ac terris circumvicinis reformentur, auspice Domino, & sequantur. Insuper pro bono regni nostri Bohemiæ & ejus regnicolarum, ut dissentiones subortæ ibidem tam de rebus spiritualibus, quam etiam temporalibus, simul in eodem sacro concilio de medio populi Christiani submoveantur, unio-

que & tranquillitas cum optata concluſione redundent, vobis & cuilibet veſtrûm damus & concedimus, ut ſupra, plenam & omnimodam ac liberam auctoritatem, poteſtatem, facultatem, & mandatum ſufficiens tenore præſentium, nomine & vice noſtris regiis, ad tractandum cum ſupradictis ambaſſiatoribus & nunciis Bohemorum & Moravorum ad prædictum ſacrum concilium miſſis & mittendis, communiter & diviſim, accedentibus ad hoc, conſilio quorumcumque prælatorum & aliarum notabilium perſonarum eccleſiaſticarum, nec non ducum, principum, comitum, baronum, nobilium, civitatum & communitatum, ſeu eorum procuratorum, ambaſſiatorum & nunciorum, ac aliorum ſæcularis ſtatus regni noſtri Bohemiæ, qui nobis adhæſerunt, & obediunt & adhærent, aut majoris partis eorum ſeu deputatorum ab eis, qui ſunt & pro tunc erunt, dum & quando præmiſſa infraſcripta peragentur; nec non de conſilio ipſius ſacri concilii Baſileenſis, ſeu deputatorum vel commiſſariorum ab eodem, de & ſuper omnibus & ſingulis, quæ ad nos ratione temporalitatis regni noſtri Bohemiæ jure pertinere quoquo modo dignoſcuntur. Ad tractandum inſuper & diſponendum, ordinandum, concludendum, & acceptandum vias, modos convenientes, neceſſarios, congruos & opportunos, per quos in ipſo hereditario regno noſtro Bohemiæ & terris ei ſubjectis pacis dulcedo reſloreat, & feliciter conſervetur; ac etiam de reconciliando nobis omnes & ſingulos regnicolas ipſius regni noſtri Bohemiæ, nobis hucuſque contrarios, & alios ſibi de Moravia adhærentes, ac etiam de modo, via & forma recipiendi & reaſſumendi nos in regnum noſtrum Bohemiæ hereditarium, & ad alias terras noſtras eidem ſubjectas, ipſumque & ipſas intrandi, regendi & in eiſdem pacifice commorandi; & de ac ſuper retentione bonorum in eodem regno ac terris noſtris prætactis, ad nos & ad alios quoſcumque pertinentium, ac per Bohemos, Moravos & alios ſub præſentium guerrarum diſturbio occupatorum, nec non reſtitutione facienda de bonis immobilibus per eoſdem Bohemos vel alterum eorum occupatis, & quæ de præſenti occupantur, ad ſacroſanctas eccleſias venerabiliaque mônaſteria atque loca ſancta, & ad perſonas eccleſiaſticas & religioſas, ac etiam ad nos & noſtrum tamquam regis Bohemiæ fiſcale dominium & cameram; nec non ad quoſcumque alios principes eccleſiaſticos & ſæculares, comites & barones, nobiles, communitates, civitates, burgenſes, cives, & ad quaſcumque alias perſonas, de jure vel conſuetudine ipſius regni noſtri Bohemiæ pertinentibus, vel quovis modo debentibus, & eorum circumſtantiis, dependentibus & connexis, ſic quod unicuique hujuſmodi bona ſua libere reſtituantur, quodque unuſquiſque de regno Bohemiæ ad poſſeſſionem bonorum ſuorum immobilium admittatur pacifice & introducatur.

Ceterum pro uberiori reformatione pacis & tranquillitatis, ac ſalubris ſtatus in ipſo regno noſtro Bohemiæ felici reſtauratione, ad honorem Regis regum, per quem vivimus & regnamus, cui omnes actus noſtros offerimus, cui omne quod bene agimus imputamus, præfatis noſtris procuratoribus tenore præſentium damus & concedimus plenam & omnimodam auctoritatem & poteſtatem tractandi & concludendi cum ſupradictis ambaſſiatoribus, nunciis, & procuratoribus Bohemorum & Moravorum, ac cum omnibus & ſingulis ad noſtram benignam, largam gratiam, obedientiam & ſubjectionem debitam venire, noſque in ſuum verum naturalem dominum regem Bohemiæ recognoſcere & ſuſcipere volentibus, eoſque in noſtram gratiam recipiendi & aſſumendi. Ipſis quoque omnibus & eorum cuilibet noſtræ clementiæ gratiam pollicitandi, dandi, & benigne tribuendi, necnon ipſis omnibus & ſingulis omnes injurias, damna, culpas, tranſgreſſiones, offenſas, crimina quoque etiam læſæ majeſtatis quomodocumque in præterito per eos commiſſas ac perpetratas, ac commiſſa & perpetrata penitus remittendi, relaxandi, & dimittendi, ac reſtituendi eis omnes terras, civitates, caſtra, dominia, prædia, bona, & juriſdictiones ad eos pertinentes, & in regno & terris eiſdem exiſtentes, ac etiam reſtituendi eos & ipſorum quemlibet ad eorum privilegia & libertates, honores, dignitates, famam, atque ſtatum, in quibus retroactis temporibus fuerunt & eſſe conſueverunt, dandique & concedendi omnibus & ſingulis generalem & ſpecialem abſolutionem & remiſſionem de omnibus per eoſdem Bohemos, Moravos & alios ſuos adhærentes perpetratis, prout epiſcopis Bohemis & aliis & ſupradictis procuratoribus noſtris videbitur, concedendi; ac etiam ad aſſecurandum vice & nomine noſtris, ut omnes & ſinguli ejuſdem regni noſtri, ac totum ipſum regnum, & omnis ſtatus ejuſdem permaneant & gaudeant, & gaudere poſſint & valeant omnibus juribus, privilegiis & libertatibus, gratiis & honoribus, quibus ut ſupra antea gaudebant, ac freti & gaviſi fuere, & generaliter ad faciendum omnia & ſingula alia de ſimili conſilio prædictorum regni noſtri Bohemiæ, qui tunc affuerint, & de conſilio prædicti ſacri concilii Baſileenſis, vel pro parte ipſius deputatorum vel deputandorum, quæ nos faceremus, facereque poſſemus & deberemus, ſi perſonaliter præmiſſis vel alicui præmiſſorum intereſſemus, etiam ſi talia eſſent quæ mandatum magis iſto exigerent ſpeciale. Et quia in præmiſſis & dependentibus ab eis in tali

& tam grandi materia multi diversique casus possent occurrere, emergere, aut incidere, in quibus posset dubitari, an per superius expressata sufficienter explicari interpretarique possent: ut igitur nihil ex parte nostra desit vel deficiat; sed ut toti orbi & signanter regnicolis regni nostri Bohemiæ clare constet de nostra cordiali affectione, quam circa hujusmodi unionem & concordiam, & omnia alia præmissa habemus, idcirco prædictis nostris procuratoribus ex abundanti plenitudine damus & concedimus omnimodam & plenariam potestatem & facultatem, ut episcopi in omnibus hujusmodi casibus, si qui emerserint, occurrerint, vel evenerint, tam in expressatis quam non expressatis habeant & habere intelligantur omnem illam facultatem ac plenitudinem potestatis, quam nos in præmissis, si præsentes essemus, haberemus & habere possemus, etiamsi tales essent casus de quibus oporteret quovis modo vel jure mentionem fieri specialem; quodque illum & illos tot quot fuerint, eadem auctoritate nostra & nomine nostro declarare, interpretari, terminareque & concludere valeant secundum materiam subjectam de consilio prædictorum, prout videbitur expedire & fore faciendum: promittentes in verbo nostro regio per præsentes, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, omnia & singula habere & tenere rata, grata & firma, quæ procurata, tractata, acta, gesta, conclusa, & firmata fuerint per supradictos nostros procuratores, & de consilio eorum, ut supra, eaque aliis nostræ majestatis litteris, si opus fuerit & desuper fuerimus requisiti, curabimus confirmare præsentium, sub nostræ regimine majestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Senis, anno Domini MCCCCXXXII. die III. mensis Decembris, regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. XLVI. Romanorum XXIII. & Bohemiæ XII.

Ad mandatum domini regis GASPAR SLICK vice-cancellarius.

COPIA LITTERÆ

missæ universis regibus per dominum imperatorem pro concilio Basileensi.

Exmf. dqui. tiSinf.

SErenissime princeps, frater noster præcarissime, cognoscentes evidentissime, & in dies magis ac magis conditiones rerum perspicacius intuentes, videmus quod si sacrum Basileense concilium quoquo modo traheretur in longum, aut aliis machinationibus, quod absit, turbaretur, non succederet aliud, nisi ruina ecclesiæ, subversio fidei, adnihilatioque totius status ecclesiastici, & per consequens omnium Christianorum: & ob id ut imminentibus provideatur periculis, hucusque summam curam gessimus, & pro stabilimento & favore ipsius sanctæ synodi scripsimus vestræ fraternitati & aliis Christianorum regibus, prælatis & principibus, rogantes & ammonentes, ut illuc veniant, aut oratores suos plena potestate fultos transmittant. Verum, præcarissime frater, quia ipsa pro exstirpatione hæresum, reformatione morum, & pacificatione discordiarum in Spiritu-sancto legitime congregata contrarietatibus multorum, qui forsitan de periculis & scandalis, quæ inter Christicolas quotidie ingruunt, plenam informationem non habent, multum impetitur, quamvis per Dei gratiam sacrorum Constantiensis & Senensis conciliorum apostolicaque auctoritate, videlicet MARTINI papæ V. & hujus moderni domini nostri EUGENII, ac per istos venerandos patres in Basilea congregatos ita firmatum & stabilitum sit, ut indissolubile extet, operæ pretium censuimus, vestram fraternitatem & alios quoscumque, qui religionem fidei Christianæ amant, denuo sollicitare, ad illuc mittendum pro felici consummatione concilii memorati: quam ideo iterum atque iterum rogamus & requirimus, exhortamurque in Domino nostro JESU CHRISTO, cujus res agitur, quatenus ad laudem omnipotentis Dei, consolationem suæ sanctæ ecclesiæ, & promotionem præfati concilii, quod revera in hoc tempore tribulationis Deus pro salute fluctuantis naviculæ ab alto concessit, vestros solemnes ambassiatores subito illuc velitis transmittere, prælatos nihilominus regnorum vestrorum ad hoc inducentes, ut pari modo illuc accedant. Speramus enim indubie quod Deus omnipotens ipsam synodum felicitabit & augebit pro directione suæ sanctæ ecclesiæ undique impugnatæ. Nam si vestra fraternitas umquam præstitit Deo gratiarum obsequium, si reipublicæ Christianæ umquam impendit favorem, nobisque complacentiam, jam totum perficiet, si illud quod petimus pro solita vestra erga Christianam rem affectione impleverit, uti rogamus. Datum, &c.

EPISTOLA PHILIPPI

ducis Burgundiæ, ad concilium Basileense.

Orat ut causa Trajectensis ecclesiæ diffinitio differatur.

SAcrosancto generali concilio Basileæ nunc congregato.

Reverendissimi reverendique in Christo patres spectabiles & præclari, complacendi sincerum & copiosum affectum. Sævientibus pridem & nuper doleadis inimicitiis, seditionibus & guerris in civitate finibusque

Anno 1433. 13. Januar. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

(a) Trajectenſibus ac nonnullis Hollandiæ partibus, occaſione diſſentionis (b) duorum ad eccleſiam Trajectenſem contendentium, nos ut noſtro incumbebat Hollandiæ regimini, SS. domini noſtri papæ ſuper hoc imploravimus remedium. Veniens igitur ad has partes reverendus in Chriſto pater epiſcopus (c) Matiſconenſis ſedis apoſtolicæ nuncius, quaſdam proviſiones in hujuſmodi negotio ſagaciter adhibuit, quibus mediantibus, in eccleſia Trajectenſi & partibus antedictis ſedata eſt calamitatum rabies, & tranquillitas ſalubris ſubſequuta. Quapropter, reverendiſſimi reverendique in Chriſto patres ſpectabiles & præclari, quoniam ab eodem SS. domino papa expectamus & ſperamus ſuper petitis breve reſponſum ad bonum rei hujus, ac ſacroſancti Baſileenſis concilii favorem & progreſſum, Deo duce, valiturum, veſtras reverentias cordialiter deprecamur ex intimis, quatenus materiam & cauſam, quæ ratione diſſenſionis antedictæ in ipſo concilio vertitur, differre velitis, & tenere in ſtatu, donec ambaſſiata Trajectenſis, quæ, ut audivimus, diligenter diſponitur, ad ipſum applicuerit concilium. Nam pro certo, ſi hac in re præcipitantius debito quicquam agatur, ſtrages, homicidia, malaque priora in dicta patria Trajectenſi & noſtris partibus Hollandiæ & Zelandiæ, ac aliis circumvicinis recidivare veriſimiliter formidantur, & forſitan deteriora in eccleſiæ & Chriſtianitatis diſpendium & jacturam. Reverendiſſimi reverendique in Chriſto patres ſpectabiles & præclari, Omnipotens vos dirigat & conſervet in proſperis & votivis. Scriptum in villa noſtra Gandenſi XIII. die menſis Januarii.

Devotus & obſequioſus eccleſiæ filius PHILIPPUS dux Burgundiæ, Brabantiæ, & Lingburgiæ, &c. comes Flandriæ, Artheſii & Burgundiæ & Namurci, veſtris paratus beneplacitis.
HIBERTI.

LITTERA
regis Romanorum, lecta die Martis 3. Februarii.

Mittit eis litteras magiſtri generalis ordinis Teutonicorum, de confœderatione Bohemorum & regis Polonorum.

Anno 1433. 16. Januarii. Ex mſ. Aquiſtenſi.

REverendiſſimis ac venerabilibus in Chriſto patribus, &c.
Reverendiſſimi in Chriſto patres & domini, ac venerabiles grate & ſincere nobis dilecti, ſuperiori tempore non obmiſimus, prout conveniebat, veſtris paternitatibus aperire ſatis clare illam conſpirationem, quæ inter Bohemos hæreticos & Polonos conflata extiterat: quæ quidem revera ipſos Bohemos taliter extulit, ut etiam juxta condicta ad ſacrum Baſileenſe concilium venire minus advertant, & etiam in fideles Chriſticolas fortius & ſecurius debacchentur. Modo, reverendiſſimi patres, habuimus litteras a venerabili magiſtro generali Pruſſiæ &c. devoto noſtro & dilecto, cujus copiam hic incluſam tranſmittimus, quæ profecto clare affirmat ipſam editam conſpirationem contra orthodoxos, ubi dicit ipſos hæreticos non ſolum contra ordinem, ſed contra omnes alios velle procedere, qui adverſarentur regi Poloniæ adjutori & ſpeciali fautori ſuo, &c. Quæ res nedum miranda, ſed abhorrenda V. P. & ſingulos fidei catholicæ zelatores merito reddere debet aviſatos, ut huic morbo, ne in detrimentum fidelium amplius ſerpat, ſalubrius ſuccurratur. Ille enim ordo Teutonicorum, ut de ceteris Chriſticolis taceamus, eſt præcipuus: quem dicti Poloni ſubripere dudum conati ſunt; qui tamen colendus & merito manutenendus eſſet propter laudabilia geſta, & tantam amplificationem Chriſtianiſmi, quam ſanguine ſuo mercati ſunt. Non poſſemus deſiſtere, quin & ipſum ordinem, Chriſtianitatis ſcutum illis in partibus, quem ab ætatis noſtræ primordiis ſemper recommendatum habuimus, etiam V. P. commendaremus, & ſic facimus, veſtraſque paternitates affectuoſiſſime petimus & rogamus, quatenus eumdem ordinem, Dei & Virginis glorioſæ intuitu, ac contemplatione noſtri, velitis recommiſſum ſuſcipere, & cauſas ſuas ad V. P. deferendas quæ in Romana curia omnimode poſtponuntur, ita favorabiliter ſecundum Deum & juſtitiam tractare & dirigere, prout ipſe ordo meretur; & nos de paternitatibus veſtris ſumme confidimus ad complacentiam nobis gratiſſimam. Datum in civitate noſtra Senarum die XVI. Januarii MCCCCXXXIII. regnorum, &c.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ &c.

COPIA LITTERÆ ſuprafcriptis litteris incluſæ, & lecta prout ſupra.

HOnorabili, devoto ac religioſo viro domino Paulo de *Raſdorff* ordinis hoſpitalis S. Mariæ Teutonicorum Hieroſolymitani magiſtro generali, una cum omnibus ſuis fratribus officialibus, atque communitate ejuſdem ordinis, ſuiſque omnibus terrigenis

(a) Hic de civitate Trajectenſi ad Rhenum vulgo *Utrech* agitur, non de Trajectenſi ad Moſam vulgo *Maſtrech*.
(b) Hi erant Zwederus de Culenſio & Rodolphus de *Diepholt*, quorum primus a papa tranſlatus ad ſedem Cæſarienſem, locum reliquit Rodolpho.
(c) Johannes *Mareti*, qui legati apoſtolici apud Trajectenſes vices geſſit ſub Eugenio papa IV.

rigenis in Prussia & ubique locorum constitutis, nos *Johannes Czapko de Saan, Oćtiko de Loza*, capitanei communitatum orphanorum & Taborienſium, ceterique barones, milites, clientes, rectores civitatum, & tota communitas regni Bohemiæ & marchionatus Moraviæ legi divinæ adhærentes, cum eorum adjutoribus & ſubditis ubique terrarum nos circumadjacentium habitantibus, ſervitiis noſtris ſalutamus quos minime ſalutare debemus; quia, ut ſperamus, noſtris demeritis minime exigentibus, ſæpe in adjutorium ſereniſſimo principi ac domino SIGISMUNDO Romanorum, Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ &c. regi, in terram noſtram & alias contra noſtros ſubditos, veſtros in noſtram deſtructionem, & non tantum in noſtram deſtructionem, ſed quod plus eſt, in conculcationem veritatum divinarum, æternarum & invincibilium, miſiſtis & ordinaſtis. Qui venientes infinita damna nobis & noſtris intulerunt, & quantum in eis conſideramus & nos omnes deſtruere optaverunt. Et non mirum quod illa prætacta nobis feciſtis, ac plura facere voluiſtis; ſed & nunc noviter contra ſereniſſimum principem ac dominum WADISLAUM Poloniæ regem, ſupremum ducem Lituaniæ, heredemque Ruſſiæ, minus juſte, & tempore pacis & tranquillitatis inter vos roboratæ conſurrexiſtis, ſibique infinita damna intuliſtis, virgines, viduas, honeſtaſque matronas corrumpendo, pluresque occidendo, comburendo, devaſtando ſuas terras, atque ejus terrigenas ſexus utriuſque, quæ enormia facta audire & loqui deteſtabilia non ſolum non decent homines religioſos, prout vos eſſe dicitis; ſed nec paganos, qui fidem Chriſtianam minime confitentur; ſed totis viribus deſtruere conantur. Ideo adhuc ad vos caritate Chriſtiana moti, vos precibus ſtudioſis optamus atque monemus, ut exceſſus prætactos & alias veſtras deordinationes per dignam pœnitentiam emendare atque purgare feſtinetis, & ipſi domino ac domino WADISLAO regi Poloniæ, &c. ſatisfacere non recuſetis. Quod ſi facere recuſaveritis & diſtuleritis, ex tunc ſcitote nos infallibiliter ipſum, tamquam regem Chriſtianum, contra vos juvare velle, divino auxilio mediante. Et non ſolum contra vos, ſed contra omnes ipſum injuſte opprimere volentes, tamquam noſtrum adjutorem & ſpecialem fautorem juvare intendimus. Data in montibus *Cuthin*, in communi congregatione capitaneorum & communitatum regni Boheniæ & marchionatus Moraviæ, legi divinæ adhærentium, ipſo die nativitatis B. Virginis MARIÆ, anno Domini MCCCCXXXII.

Vet. Script. & Mon. ampl. Collect. Tom. VIII.

MODUS VIVENDI IN CONCILIO.

Ex mſ. Aquenſi.

1. ADmonet hæc ſancta ſynodus omnes ſacrum concilium celebrantes, ut omnem gravitatem & honeſtatem quæ viros eccleſiaſticos decet, diligenter obſervent, vitam ac converſationem exemplarem ducant. Et cum ad dandam legem toti orbi convenerint, ipſi prius in ſe legem ſuſcepiſſe demonſtrent. Sint eorum mores ſine macula & ruga, exhibeant ſe tamquam ſpeculum mundum, in quo alii ſe ſpeculantes, normam & exemplum ſanctimoniæ accipiant. Meminerint ſe eſſe ſal terræ, in quo opus eſt ut nunc ſaliatur mundus. Sint tales juxta præceptum Domini, ut lumen eorum luceat coram hominibus, ut videant bona opera ipſorum, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Ipſis inquit Apoſtolus in perſona Timothei: *Eſto exemplum fidelium in verbo, in converſatione, in caritate, in caſtitate.* Ipſis igitur neceſſaria eſt bona conſcientia propter ſeipſos, bona fama propter proximos.

2. Et quantum ad conſcientiam attinet, unuſquiſque eam examinet ſæpe & mundet, quantum fieri poteſt, ab his omnibus quæ divinam majeſtatem offendunt. Qui ſacerdotes ſunt ſæpe celebrent; alii vero ſæpe confiteantur. Hoc plurimum valebit ad gratiam Domini impetrandam. Alioquin ſi iniquitatem conſpexerit in cordibus eorum, non exaudiet Dominus, & oratio peccatoris fiet execrabilis.

3. Et quoniam opera quæ hoc ſacrum concilium proſequitur, nimis grandia ſunt, quæ quidem viribus humanis nullatenus effici poſſunt, neceſſario ad Dominum recurrendum eſt, orationibus, eleemoſynis & jejuniis. Quilibet igitur de concilio ſingulis diebus aliquam ſaltem brevem orationem ad Deum porrigat pro ſucceſſu hujus ſacri concilii. Mandat etiam hæc ſancta ſynodus, ut ſingulis feriis quintis, quamdiu durat tractatus Bohemorum, in majori eccleſia celebretur miſſa de Spiritu-ſancto, cum orationibus ad hoc inſtitutis, in qua omnes de concilio interſint. Ea autem die, necnon diebus Dominicis & aliis diebus ſolemnibus, quibus præſente concilio miſſæ celebrantur, quilibet de concilio offerat in gazophilacio ſaltem unum æs minutum, hoc modo, quod duo curſores cum pixidibus, unus ab uno latere chori, alius ab alio, intra miſſarum ſolemnia recipiant quicquid a ſuppoſitis concilii offertur. Poſt miſſam promotores concilii diſtribuant hujuſmodi oblationes pauperibus, de quibus ipſis videbitur. Eamdem miſſam de Spiritu-ſancto quinta feria ſancta ſynodus mandat ſolemniter celebrari in qualibet eccleſia collegiata & conventuali hujus civitatis. Mandat etiam tam ſuppoſitis

concilii celebrantibus, quam aliis sacerdotibus in hac civitate existentibus, ut in missis suis dicant aliquam orationem pro pace & unitate ecclesiæ.

4. Ut negotia, quæ in deputationibus concilii aguntur, Deus oculo pietatis aspiciat, & prosperari faciat, expedit ut hi qui illa tractant, ad ipsas deputationes devoti accedant. Propterea quælibet deputatio, antequam negotiari incipiat, audiat in communi missam in loco quem ordinaverit prope ipsam deputationem. ibidem omnes de deputatione curent interesse, nisi forsitan aliqui sint per se celebrantes.

5. Tempore divinorum non fiant invicem collocutiones & confabulationes, sed quilibet vel oret vel contempletur quæ aguntur & dicuntur in missa.

6. Et quoniam, ut inquit Tobias, bona est oratio cum eleemosyna & jejunio, quilibet de concilio saltem semel in hebdomada, feria VI. vel alia jejunet; & sicut Moïses antequam legem mereretur accipere jejunavit, ita & nos legem reformationis a Domino accepturi & tradituri mundo, facere curemus. Qui autem jejunare non potest, det eleemosynam.

7. Aliis autem diebus quilibet in mensa *sua* servet *sobrietatem, moderationem*que ciborum. Etiam si hospites adsint, non multitudine ac reprehensibili varietate ferculorum, sed modesta ac competenti refectione honorentur.

8. Prælati in mensis suis studeant servare decretum Toletanum, quod tale est: *Pro reverentia Dei & sacerdotum id universa constituit synodus. Et quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali convivio divinarum scripturarum lectio misceatur. Per hoc enim animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.*

9. Caveant supposita concilii ad tollendas tentationes & murmurationes, ne convivia vel suspecta commercia cum mulieribus habeant.

10. Supposita concilii abstineant a verbis detractoriis, contentiosis, scandalosis, & male ædificantibus. Quilibet accurate studeat ne factis aut verbis proximum scandalizet.

11. In via quilibet incedat pudicis oculis cum modestia & gravitate. Ad loca minus honesta non vadat, nec ad spectacula publica, choreas, ludos, hastiludia, tornamenta, & alia hujusmodi.

12. Vestimentis utantur, prout sacri canones statuunt: abstineant a coloribus rubeis & viridibus excessive. vestimenta deferant talaria, & tam retro quam a lateribus & ante clausa, & sine manicis ad cubitum pendentibus, & absque forraturis ultra oram excedentibus, etiam in fixuris. Nullus portet anulum, nisi cui competit ex officio dignitatis, & unum duntaxat, nec corrigias auri vel argenti ornatum habentes, nec caligas solatas, nec mitras sriceas, aut bireta longa, sed parva aut honesta capucia. Tonsuras deferant suis ordinibus congruentes, & capillos ita tonsos, quod aures pateant.

13. Non portent in frenis, sellis, aut pectoralibus equorum aurum vel argentum, aut ornamenta metalli depicti aut figurati, aut mappas sericeas, seu aliam hujusmodi superfluitatem; & quod *hujusmodi ornamenta* equorum sint unius coloris, non rubei aut viridis, nec calcaribus deauratis utantur.

14. Et ne prælati in multitudine, sed honestate familiæ gloriari videantur, curent incedendo per viam pedites vel equites, quanto pauciores possunt, præmittere familiares, cardinales decem, patriarchæ octo, archiepiscopi sex, episcopi quatuor ante se præire contenti sint.

15. Et quia qualis paterfamilias tales & domestici ejus, curandum est, ut non solum patres de concilio, sed eorum familiares decentem honestatem servent. Quilibet igitur familiares suos sæpe admoneat, ne quid reprehensibile aut scandalosum publice vel occulte perpetrare audeant. Hujusmodi familiarium vestes non sint breviores genu, nec *diversorum colorum, nec cum sciſturis* frappis vel (*a*) brobaturis seu (*b*) racamaturis; nec deferant cathenas vel alia ornamenta aurea vel argentea, nec cincturas excessive sumtuosas. Sint eorum caligæ unius coloris, similiter & capucia; nec dagas seu cultellos ultra longitudinem unius palmæ deferant. [a] [b]

16. Nemo de suppositis concilii ludat, aut familiares suos inhonestos ludos ludere patiatur. Non permittant a familiaribus suis per civitatem cum avibus se associari.

17. Familiares dominorum de concilio beneficiati vel in sacris constituti, clericaliter incedant, & non laicaliter, tamquam scutiferi.

18. Omnes religiosi existentes in hoc loco sacri concilii, portent habitus suarum religionum in colore, valore, longitudine & amplitudine. Cum incedunt per civitatem, vestes deferant superiores, juxta institutiones suorum ordinum, & canonici regulares pro veste exteriori portent crociam (*c*), mantellum vel redundellum. [c]

19. Ne in hoc sacri concilii loco religiosi sine causa vagari præsumant, teneantur statim post primam diem adventus sui, præsentare se superioribus suis, vel eorum vicariis, aut procuratoribus; & qui hic non habue-

(*a*) Forte brodaturis id est acu depictis seu opere phrygio ornatis.

(*b*) Racamas est panni pretiosioris species, racamatura videtur idem esse ac ornatus operis phrygii.

[*c*] Crocia sive crocca videtur esse genus vestimenti, quod ita describit auctor cæremonialis Romani l. 1. sect. 1. his verbis: *Crocea genus chlamydis longa ad terram a parte anteriori aperta, a summo ad imum rugosa, in formam capparum prælatorum, si demas cucullum.*

rint ſuperiores vel eorum vicarios, repræſentent ſe generali præſidenti. Et ſi ſine legitima cauſa huc advenerint, remittantur ad monaſteria eorum. Quod ſi, ut prædictum eſt, repræſentare ſe, aut ad monaſteria revetti contemſerint, de mandato prædictorum ſuorum ſuperiorum vel præſidentis, per ſoldarium carceri mancipentur.

20. In congregatione generali ac deputabilibus ſervetur debita modeſtia in loquendo, nullus alium maledictis aut contumeliis laceſcat, unuſquiſque de alio honeſte & reverenter loquatur, præſertim minores de majoribus. Nemo alium loquentem interrumpat. *Uno loquente ceteri ſilentium ſervent.* Quilibet proferat libere votum ſuum, ad neminem niſi ſolum Deum reſpectum habens. Nemo humana affectione ſeu paſſione moveatur. Animadvertant patres de concilio, verba illa quæ ſcribuntur in Paralipomenon: *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, & quodcumque judicaveritis in vos redundabit. Sit timor domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite.* Meminerit ergo quilibet juramenti in receptione ſua ad ſacrum concilium præſtiti, videlicet quod ſalubre conſilium dabit ſecundum Deum & conſcientiam ſuam. In hoc loco, ubi de communi totius Chriſtiani populi ſalute agitur, omnis minima culpa maxima eſt, in diſtricto Dei judicio ſeveriter plectenda. Studeant ſuppoſita concilii pacem & unitatem, quam mundo & eccleſiæ dare procurant, inter ſe prius cuſtodire, unum in Domino id ipſum ſentientes omnes. Non ſint inter eos ſchiſmata, contentiones, & æmulationes. Servent ſuper omnia fraternam concordiam, quia, ut inquit Dominus, *omne regnum in ſe diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum ruet.* Nemo ſuſcitet odiorum ac rancorum fomenta, quin potius extinguat: alter alteri, ſi forte ſe offenſum putet, ignoſcat. Et hoc eſt alter alterius onera portare & adimplere legem Chriſti. Nemo juxta juramentum ſuum vota ſingulorum revelet, unde veriſimiliter odium ſequi poſſit.

21. Hujuſmodi ordinationes & exhortationes quilibet præſidens per ſuppoſita ſuæ deputationis obſervari faciat, inquirendo diligenter an quiſquam tranſgrediatur. Tranſgreſſores autem caritative corrigat; & ſi ſe non emendent, adhibeat cum conſilio aliquorum de majoribus ſuæ deputationis, efficax & opportunum remedium. Promotores etiam concilii ſollicite hujuſmodi tranſgreſſores inquirant, & ſuæ deputationis deferant præſidenti.

22. Quilibet præſidens deputationis in principio ſuæ præſidentiæ, prædicta in ſua deputatione legi faciat, ut ſupervenientibus innoteſcant.

23. Præſidens autem concilii deputet aliquos, qui ſollicitent cives, ut ea quæ pro honeſtate concilii inſtituta ſunt, exſecutioni demandentur & debite cuſtodiantur.

MANDATUM AMBASSIATORUM regni Bohemiæ & marchionatus Moraviæ, lectum in generali congregatione, die Veneris XVI. *Januarii* MCCCCXXXIII.

Anno 1433. 16. Januar. *Ex mſ. Aquicinct.*

REverendiſſimis in Chriſto patribus ac dominis præſidenti, cardinalibus, archiepiſcopis, epiſcopis, doctoribus & magiſtris, totique cœtui ac ſynodo generali concilii Baſileenſis, capitanei exercituum, barones, nobiles, civitas Praga, milites, clientes, civitates, & communitates regni Bohemiæ ac marchionatus Moraviæ, veritatibus evangelicis adhærentes, reverentiam debitam pariterque & honorem, prout decet, ſic præfectis exhibere.

Quia audientiam generalem deſideranter dudum, veluti diem mercenarii, ſtibunde per nos optatam, appropiare cernimus, gratias ipſi Deo cunctorum reparatori, in animis noſtris exultanter decantamus; pro cujus quidem, utinam felici & toti eccleſiæ ſalubri, complemento, ſumtibus, laboribus, & quibuſlibet gravibus oneribus, huc uſque non parcebamus, nec modo manus diſſolvimus, nec impenſis parcere volumus. Veſtris quoque adhortationibus & crebris evocationibus volentes, juxta apoſtolum, omnia probare, quod bonum eſt tenere annuimus & conſentimus, dirigentes ad paternitates veſtras & concilium præfatum nobiles Willermum de *Poſtupicz* capitaneum in *Lithomyſl*, in *Gradek* reſidentem, Senciſium de *Mokrowns* in *Ulibicz* reſidentem, famoſum Georgium de *Rzeczicz* in *Clnk* reſidentem, providos & circumſpectos Johannem *Velmar* civem civitatis majoris Pragenſis, Matthiam de *Chlunepezan* & Gregorium de Curia, reverendos Johannem Rokyczano, & Petrum *Payne* Anglicum, artium liberalium magiſtros. Diſcretos & honorabiles ſacerdotes Procopium, exercitus Thaboritarum in ſpiritualibus rectorem, Nicolaum de Peleizimowo, Ulricum de Zuoynia, Martoldum de *Zbraſlanicz*, baccalaureos artium ſtudii Pragenſis, Martinum rectorem de *Chrudim* eccleſiæ parochialis in *Chrudim*, Petrum *Sacz*, oratores noſtros fideles ac cariſſimos, dantes eiſdem plenam poteſtatem & omnimodam auctoritatem, quam & præſentibus damus, atque concedimus, vota noſtra in materia quatuor articulorum aliaque nobis neceſſaria, conſenſu cum unanimi, coram ſpectato concilio proponendi, cum eodem placitandi, conferendi, tractandi, diſponendi, immo & concludendi, juxta ordinationem & diſpoſitionem per veſtros pariter & noſtros ambaſſiatores in Egra utrimque congeſtam, confectam, & exaratam, atque ſigillis utrorum-

que roboratam. Horum in evidentiam ſigillum coronæ regni Bohemiæ appenſum eſt præſentibus teſtimonio litterarum. Datum in plena congregatione regni, in Montibus *Cuthins*, die v. Septembris, anno Domini M. CCCC XXXII.

MANDATUM UNIVERSITATIS Pragenſis exhibitum per Bohemos in plena congregatione die Veneris XVI. *Januarii* MCCCCXXXIII.

Ex mſ. Aquicinctenſi.

REverendiſſimis in Chriſto patribus dominis cardinalibus, primatibus, archiepiſcopis & venerabilibus epiſcopis, præpoſitis, decanis, archidiaconis, ac egregiis ſapientiæ ac prudentiæ magiſtris ac doctoribus, ceteris quoque honorabilibus viris in veneranda Baſileenſi ſynodo congregatis, Chriſtannus de *Prachatica* canonicus capellæ Omnium-ſanctorum in caſtro Pragenſi & plebanus eccleſiæ parrochialis S. Michaëlis in majori civitate Pragenſi, rector omnium magiſtrorum, cœtus totaque univerſitas ſtudii Pragenſis, condignam reverentiam, & profectum in Jesu Christi veritatibus ſalutarem.

Olim paternæ gloriæ ſplendor æternus eclipſim neſciens, expers umbræ, ac ignorans occaſum, ex arcano & imperſcrutabili divinæ majeſtatis conſilio, noſtræ habitationis derivatus ad vallem, in virginei pudoris aula inſigni omnium cariſimatum redimita candoribus, Spiritus ſancti miniſterio humanitatis pelle contectus, lucernam ſummi fulgoris conſtituit, quam pro illuſtratione mirabilis in æquitate rempli ſui, vivorum ex lapidum conformi unione conſtructi, in terris ineffabili miſeratione perduxit, illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis deſidioſe ſedebant, ad dirigendos affectionum ipſorum pedes in viam pacis æternæ. Quæ profecto divinitatis lucerna, infinita fulgoris claritate clareſcens, licet varios & innumeros, quatuor tamen præcellentes non indigne creditur protuliſſe fulgores: quos nimirum quatuor immaculatæ legis veritates ex proprio ipſorum effectu congruo nuncupamus prætextu; atque inter eas ſingularis privilegii dignitate pollentem, iſtam ponimus in ordine primam, ut ſacramentum divinæ euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, ſcilicet panis & vini, omnibus Chriſti fidelibus diſpoſitis libere miniſtretur. Secundam, ut verbum Dei libere & ſine impedimento ordinate a ſacerdotibus prædicetur. Tertiam, quod non licet clero ſuper bonis eccleſiæ donatis, civiliter ſeu ſæculariter dominari. Quartum, ut omnia peccata mortalia & ſpecialiter publica, aliæque deordinationes legi Dei contrariæ, in quolibet ſtatu rite ac rationabiliter per eos ad quos ſpectat prohibeantur & deſtruantur: ita tamen ut circa earum & cujuſlibet ex eis executionem & obſervantiam ſanus ſenſus & circumſtantiæ catholicæ ſcripturæ ſacræ conſentaneæ jugiter obſerventur. Hi quippe divinæ claritatis fulgores promotivi fidei, roborativi ſpei, ac binæ caritatis auctivi, in hoc noviſſimo ac periculoſiſſimo tempore, quo, heu! abundante iniquitate, perit fides, languet ſpes, ac fervor caſtæ dilectionis frigeſcit, aut torporis præſidentium lecto, aut arcentis poteſtatis modio latuere, operti in detrimentum notabile fidelium populorum; pro quorum revelatione ac uſu fideli, utpote univerſali eccleſiæ ſalutari, dudum coram nonnullis regibus & principibus, ac ſtatus utriuſque præſidibus operoſe inſtantes, non adeo, ut affectabamus, profecimus uſque modo. Nunc autem ejuſdem paterni ſplendoris, orientis exalto, humanum quoque illuminantis intellectum, & inflammantis affectum, nutu ac diſpenſatione benigna, pro clarificatione eorumdem radiorum ſeu quatuor beatiſſimarum veritatum præſcriptarum per inæſtimabilem dignitatum veſtrarum clementiam, fraterna & ſecura nobis audientia non tantum caritative offertur: verum etiam ad eam magni favoris & gratiæ hortamentis multiformibus invitamur. Quali quidem munifica benignitate, ac benigna munificentia ſupra modum grati pariter & gaviſi, veluti de germine aut flore fructum allaturo beatum, en ad veſtrarum dignitatum tam celebrem præſentiam, honorandum & bene meritum, nobiſque acceptum virum Johannem de Rokiſano artium liberalium magiſtrum, noſtræque univerſitatis oratorem, noſtrum fidelem, quamquam ejuſdem munii onere ab eadem inclyta civitate majore Pragenſi oneratum, duximus tranſmittendum, & cum præſentibus deſtinamus, concedentes & dantes eidem plenam & omnimodam poteſtatem unum vel plures in conſortium ejuſdem miniſterii, cum eadem plenitudine poteſtatis & facultatis aſſumendi, dum & quotiens fuerit aut ſibi videbitur opportunum. Eaſdem quoque ſalutigeras veritates, juxta fœderis & pacti formam veſtrorum & noſtrorum legatorum unanimi conſenſu factam, diſpoſitam & ordinatam in Egra, nec non ratificatam utrimque litteris & ſigillis in publica hujus venerabilis ſynodi audientia, voce aut in ſcriptis propalandi, offerendi & declarandi, & ſuper eiſdem, ſi opus fuerit, tractandi & conferendi, eaſdemque defendendi, probandi & perſuadendi, per rationes, per ſcripturas ſacras, ac beatorum doctorum ſententias in eiſdem rite fundatas; de ipſis quoque ſacratiſſimis veritatibus placitationem, diſpoſitionem & ordinationem rationabilem ſcripturæ ſacræ, ac ipſis ſanctorum doctorum ſententiis conſonam faciendi, acceptandi, approbandi, ratificandi & emologandi, in his ac univerſis & ſingu-

lis circa ea quæ dicta ſunt, & alias cooperative ad reformationem eccleſiæ opportunis, promittentes bona fide, ſicut præmittitur, facta, diſpoſita, & ordinata; acceptata, approbata, ratificata, & emologata, fideliter, inviolabiliter & inconcuſſe ſervare, ac ſi per noſmetipſos ſponte deliberata & præſentialiter acta, geſta, placitata, diſpoſita, & ordinata, acceptata, approbata, ratificata, & emologata fuiſſent. In cujus rei teſtimonium ac robur perpetuum, ſigillum noſtrum generale de certa noſtra ſcientia & voluntate præſentibus eſt appenſum. Datum Pragæ anno ab incarnatione Domini noſtri JESU CHRISTI MCCCCXXXII. die 1. Decembris.

Communio divinisſimæ Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, panis ſcilicet & vini, eſt multum utilis & ſaluti expediens, toti credentium populo neceſſaria, & a Domino præcepta Salvatore.

Peccata mortalia publica, & quantum rationabiliter fieri poteſt, privata, aliæque deordinationes legi Dei contrariæ in communitatibus Chriſtianorum, a quolibet ſtatu earumdem, debite, juxta dictamen divinæ legis, per Chriſti fideles tam ſpirituales, quam temporales, prout congruit utriſque, ſunt cohibenda, corripienda, caſtiganda, & pro poſſe ab eiſdem propelienda.

Verbum Dei, exemplo Chriſti & apoſtolorum, a ſacerdotibus Domini libere & ſine impedimento fideliter & veraciter debet prædicari & annuntiari.

Sæcularis poſſeſſio, ſicut eſt civile dominium, de jure divino & humano ac doctorum ſacrorum ſententiis prohibetur clero Chriſti.

SEQUUNTUR ARTICULI

qui dicuntur dogmatizati in Bohemia, propoſiti per dominum legatum in generali congregatione, die Mercurii 28. Januarii MCCCC XXXIII. *præſentibus Bohemis*, &c.

Anno 1433. Ex inſ. Aquiſgran.

1 SUbſtantia panis & vini manet in ſacramento altaris poſt conſecrationem.

2. Accidentia panis & vini non poſſunt eſſe ſine ſubjecto in prædicto ſacramento.

3. Chriſtus non eſt in ipſo ſacramento identive & realiter in propria præſentia corporali.

4. In calice altaris pro conficiendo ſacramento ſanguinis, aqua nullatenus eſt admiſcenda.

5. Sacramentum confirmationis eſt inutile & ſupervacuum.

6. Si homo de peccatis ſuis fuerit corde contritus, confeſſio oris exterior apud ſacerdotem eſt ſupervacua & inutilis.

7. Sacramentum extremæ unctionis eſt inutile & ſupervacuum. Relatum eſt etiam ſacro concilio, quod nonnulli in Bohemia chriſma & oleum ſanctum turpiter dehoneſtant, & ſæpe ocreas hujuſmodi chriſmate & oleo perungunt.

8. Sacro chriſmate nullatenus inungendi ſunt qui baptizantur.

9. Nullus ritus ſeu obſervantia univerſalis eccleſiæ ſervari debet circa ſacramenta, tam in veſtibus & paramentis ſacris, quam in lectione ſacræ ſcripturæ, orationibus, & ſignando ſigno crucis, & aliis ceremoniis hactenus per eccleſiam obſervatis.

10. Poſt hanc vitam non eſt purgatorium, ſed omnis anima corpore exuta, ſive ſatisfecerit in vita de peccatis ſuis, ſive non, ſine ulla mora vadit ad perpetuam gloriam paradiſi, vel perpetuam pœnam inferni.

11. Vanum eſt orare pro mortuis.

12. Non ſunt orandi ſancti Dei, nec eorum ſuffragia quicquam proſunt hominibus.

13. Imagines JESU CHRISTI, aut ſalutiferæ crucis, ac B. Virginis, & ſanctorum Dei non ſunt venerandæ, ſed confringendæ & comburendæ. Similiter & reliquiæ quorumcumque ſanctorum, etiam beatorum Petri & Pauli.

14. Jejunia quadrageſimalia & alia ab eccleſia indicta, non ſunt curanda, nec ſervanda, nec etiam celebratio feſtivitatum ſanctorum Dei introducta ab eccleſia.

15. Præcepta eccleſiæ circa habitum & tonſuram clericorum & horas canonicas non ſunt ſervanda, & generaliter nulla præcepta eccleſiæ ſunt ſervanda, niſi ea dumtaxat, quæ continentur ſpecifice & verbotenus in lege evangelica.

16. Si epiſcopus vel ſacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conſecrat, non conficit, non baptizat.

17. Nullus eſt dominus civilis, nullus eſt prælatus, dum eſt in peccato mortali.

18. Populares & ſubditi poſſunt ad ſuum arbitrium dominos delinquentes punire, corrigere ac deponere.

19. Omnes religiones tam monachorum poſſeſſionatorum, quam fratrum mendicantium, ſunt reprobatæ, & a diabolo introductæ, & ſancti inſtituentes hujuſmodi religiones, ſunt viri diabolici, & omnes de ordine mendicantium ſunt hæretici, & qui dant eis eleemoſynas peccant.

20. Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.

21. Omnes orationes præſcitorum nulli valent.

22. Præſcitus habens perfectam fidem & caritatem, non eſt pro tunc in gratia Dei gratum faciente; nec eſt pars eccleſiæ, nec habet prælationem in eccleſia. E contra prædeſtinatus mortaliter peccans, non eſt membrum diaboli, nec extra gratiam Dei gratum facientem.

23. Univerſitates, ſtudia, collegia, & gra-

duationes, & magiſteria in eiſdem ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſunt eccleſiæ, ſicut diabolus.

24. Nulla excommunicatio papæ vel alterius prælati timenda eſt.

25. Fatuum eſt credere indulgentias papæ & epiſcoporum.

26. Omnia juramenta illicita ſunt quæ fiunt in judiciis, ſeu ad roborandum humanos contractus, & commercia civilia.

27. Sancta univerſalis eccleſia eſt tantum prædeſtinatorum univerſitas.

28. Obedientia eccleſiaſtica eſt ſecundum adinventionem ſacerdotum eccleſiæ, præter expreſſam auctoritatem ſcripturæ.

Cupit hoc ſacrum concilium certificari ab ambaſſiatoribus Bohemorum, quibus verbis ſacerdotes eorum utuntur in conſecratione corporis & ſanguinis Domini.

Item, an ſervetur in Bohemia præceptum de matrimoniis non contrahendis uſque ad quartum gradum conſanguinitatis & affinitatis inclusive; & ſi infra illum gradum contrahatur, an ſit verum matrimonium.

Item, quam poteſtatem putant ſacra concilia generalia legitime congregata habere in eccleſia Dei.

Item, an putent quod papa canonice electus ſit vicarius Chriſti in terris, & ſucceſſor B. Petri apoſtoli, & quam poteſtatem putant ipſum, ac etiam epiſcopos & ſacerdotes habere in eccleſia Dei.

Cupit etiam certificari, an credant Spiritum-ſanctum procedere a Patre & Filio, & an putent hæreticum, qui hoc non crediderit.

Item, an credant eſſe hæreticum, quicumque pertinaciter contradixerit iſtis quatuor conciliis, Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino 1. & Calcedonenſi, quæ univerſalis eccleſia veneratur ut ſancta quatuor evangelia.

CEDULA

data per magiſtrum Petrum Anglicum, ultra ſuam propoſitionem de temporalitate cleri, &c. in congregatione generali, die Mercurii quarta * *Januarii* MCCCCXXXIII.

* *f.* XXVII.

HÆc verba ſunt, quæ die heſterna procuratores concilii inſtanter petierunt inſcribi ad acta. Primo ex quo in actu de dominio cleri ſæculari facta eſt mentio, de uſu bonorum temporalium licito ipſi clero, de diſpenſatione; hoc ſcire dignentur V. P. quod uſus bonorum temporalium eſt ipſi clero licitus, omni reſecata ſuperfluitate & ſuperabundantia vitioſa. Sic tamen, quod ipſe uſus limites evangelicos non excedat, & ſemper circa hoc ſervata regula ſancti Pauli, hac ſcilicet: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Diſpenſatio vero prædictorum bonorum, quæ abſtrahit ab officio injuncto, & eſt impeditiva exſecutionis officii, ab ipſo Deo injuncti, excedens limites ei * inimicos, eſt reſecanda. Dominium autem civile ipſi clero Chriſti non congruit aut convenit, ſed nec licet ipſi in propria perſona civiliter dominari. Inſuper circa prædictum punctum tenemus, quod ad tantum poteſt iniquitas regnare in clero, quod in defectu ſpiritualis propoſiti, liceret brachio ſæculari auferre bona temporalia a viris eccleſiaſticis habitualiter delinquentibus.

* *f.* injuſtis

COLLATIO SEU PRÆSENTATIO

Bohemorum, facta coram domino legato præſidente in concilio Baſileenſi in ipſo primo adventu, (a) per magiſtrum Johannem de Rockozana in ſuo comodio ad S. Leonardum. [a]

IPſe dominus JESUS Nazarenus qui eſt & crucifixus, in cordibus omnium noſtrum ſit abunde fixus, pater reverendiſſime. Coram paternitate veſtra verbum proponendum jam ori affluens eſt illud: *Benedictus Deus & pater Domini noſtri* JESU CHRISTI, *pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, &c.* Cum, heu! his noſtris noviſſimis & periculoſis temporibus, refrigeſcente caritate, & ſuperabundante iniquitate, omnes delinquimus, projecimuſque a nobis judicia Domini vera, juſtificati in ſemetipſa, ac per hoc inutiles facti ſumus, cum non ſit qui faciat bonum, etiam uſque ad unum; ipſe tamen Deus benedictus, benignus, multum miſericors & præſtabilis ſuper malitia, qui non ſolum Pater miſericordiarum, ſed eſt Pater luminum, gignens ex ſe vero Deo & Lumine Lumen verum Deum & Lumen coæternum ſibi & conſubſtantiale, *a quo omne datum optimum & omne donum perfectum eſt deſurſum deſcendens.* Hic, inquam, pater miſericordiarum perfundens ſuæ miſericordiæ & bonitatis radios in orbis quamlibet partem, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione, nec eſt qui ſe abſcondat a calore ejus, cum ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Hic, inquam, talis eſt volens reducere deordinatiſſima noſtra ad ſua judicia primitiva, & ſi affligat filios eccleſiæ multiplicibus afflictionibus & variis perturbationibus; non tamen aufert ab illis miſericordiam, quia eſt Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, ſicut in pſalmo dicitur. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, & in viis meis non*

Anno 1433. Januarii. Ex mſſ. regii collegii Navarræ, & illuſtriſſimi ducis Cleavelli.

Pſal. 13.

Jobel. 2.

Jac. 1.

Matth. 5.

[a] Advenerunt autem Dominica ante epiphaniam anni 1433. ut docet idem Johannes de Rokozana in epiſtola ad ſuos Bohemos.

ambulaverint, si justitias meas, &c. Ipse enim more illius Samaritani, existens Pater misericordiarum, infundens vinum, infundit jam & oleum, cum secundum multitudinem dolorum nostrorum consolationes suæ animas nostras lætificavere. Et merito, quia est Deus totius consolationis. Consolatus est namque nos ex hujus venerandi concilii Basileensis simul tanta congregatione & celebratione; cum sciamus ipsa concilia, quæ cum sunt debite, rite, legitime per Spiritum-sanctum celebrata, plurimorum malorum resecativa sore & amputativa, sicut hoc apparet notanter in primo concilio apostolorum, de quo Act. 15. celebrato. Consolatus est de post nos ipse Dominus, qui est Deus totius consolationis, de pia ac multum paterna per ipsum venerandum concilium Basileense ad interessendum principaliter evocatione, sicut hoc apparet ex epistolarum variarum nobis missarum certissimis hortamentis. Consolatus est insuper nos ipse Deus per securam, tutam, honestam, seu honorificam variarum personarum spiritualium & sæcularium, probarum & honestarum in hanc civitatem Basileensem deductionem. Consolatus est & super hoc ipse Deus nos per honestam dispositionem, etsi non in actu exercitam, in debita tamen dispositione ordinatam, ut in adventu nostro & approximatione ad locum civitatis Basileensis, in via extra civitatem occursus certarum personarum, & exitus pro nostri decenti susceptione fuisset celebratus. Harum autem omnium consolationum, si tamen aliquid sapimus, hoc plene cognoscimus paternitatem vestram fore causam & actorem unum præcipuum & principalem. Quare nos præsentes, nomine absentium Bohemorum, sæcularium & spiritualium, grates reddimus cum debita reverentia pervalidas: cupientes paternitatem vestram bene valere, & in longa tempora per Altissimum singula conservantem, in profectum ecclesiæ conservari, offerentes nos paternitati vestræ in omnibus, in quibus saltem valemus secundum Deum, obsequi & famulari. Sperantes de paternitate vestra, super hoc in Deo confidentes, quia manum vestram in ulteriora dirigetis, ut ea quæ sunt veritatis legis Christi immaculatæ, justitia unionis sanctæ & pacis sortiantur effectum, finem debitum, & prosecutionem. Quoniam nos ipsi sic consolati, possemus ad propria remeando consolari & eos, qui sunt in omni pressura & anxietate, atque gravi oppressione per bella his annis & diebus periculosis altrinsecus contra se mutuo continuata, ut sic reveniamus cum exultatione, offerentes manipulos gaudii, unionis, pacis, & quietis; quod ipse Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis donare dignetur, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Explicit.

SEQUITUR (a) ALIA COLLATIO facta per magistrum Johannem de Rocozana ambassiatorem universitatis & civitatis Pragensis, in concilio Basileensi. [4]

1. IN nomine ejus feliciter amen, ex cujus potentia constat totius hujus mundi sensibilis confecta harmonia, cujus sapientia entium singulorum multitudo est effecta, cujus benevolentia in esse persistens extat conservata. Illius denique in cunctis humanorum agibilium & præsertim fidelis statum ecclesiæ concernentium, non modo primordiis, verum etiam ipsofum processibus & clausulis, humilium pectorum votis sincéris supplicandum, & accuratissime est jugiter auxilium implorandum: quia *si quis indiget sapientia, postulet a Domino*; quatenus omnipotenti virtute, qua nimirum omnium visibilium & invisibilium entium ingentem machinam ab esse ideali sempiterno suæ mentis divinæ, in esse reale forinsecum ac temporale perduxit. Nam *quod factum est in Christo, in ipso vita erat.* Sua quoque incomprehensibilis sapientia, qua summe novit omnia, unde *nuda & aperta sunt omnia in oculis ejus*, & irreprehensibiliter disponit, gubernat, & regit universa, attingens a fine creationis usque ad finem reconciliationis & salutis humanæ. Sua denique inæstimabili bonitate, cujus quidem participium omni plasmati suaviter indidit, ipsumque clementi dispensatione fovet & conservat in esse, quia aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, solitæ miserationis munificentia largiri dignetur huic venerando concilio, & nobis coadjutoribus ipsius, licet pusillis, efficax posse, perfectum nosse, piumque velle differendi, * tractandi & disponendi ea quæ pro reformatione, unione, & pacificatione militantis ecclesiæ sunt, aut censebuntur quomodolibet opportuna; & sic queat, notet & velit una nobiscum, propulsatis incommodis, generalem toti ecclesiæ procurare profectum. Hæc est quippe istius venerandæ concionis, tot dignitatum, tot graduum, totve potentatuum concentivæ, ut arbitratur, causa potissima, cunctorum Christi fidelium vere dignis & perpetuis magnificanda præconiis, devotis jugiter exoptanda desideriis, ac omni pariter opera studiosius prosequenda, illorum præcipue qui supra speculam vineæ Domini sabaoth ad hoc dinoscuntur esse locati, ut dissipent & evellant, & ædificent & plantent, propter quam & nunc a gubernatoribus & præfidelibus celeberrimi regni Bohemiæ & inclytissimi mar-

Ex mss. illustrissimi dom. Chauvelini & regii collegii Navarræ.

Jacob. 1.

Joh. 1.

Heb. 4.

Psal. 144.

* *al.* discernendi.

(a) In codice Navarræ ita titulus iste exprimitur: *Propositio facta Basileæ in publica congregatione per magistrum Johannem de Roquesana magistrum in artibus de Praga, ambaxiatorem ex parte Bohemorum cum pluribus aliis destinatum.*

chionatus Moraviæ, nos, quamquam inhabiles, legatorum & oratorum prædicti ministerio, in hunc locum tot & tantas ambientem personas variarum dignitatum pariter & graduum sumus transmissi. Hæc est siquidem spes, immo ipsa sperata quodammodo res prædictarum regionum, a quibus venimus, & nostri in veritate affectus, metaque nostri & limes itineris, quæ nos de lariim nostrorum nota mansione evexit, & a jocundo gentis & sodalium contubernio segregavit, & tanto itineris, sumtuum, laboris oneri onerosò expositos ad hoc vestrarum epistolarum disertissimis sumus evocati hortamentis, his attracti & illecti promissis, prout earumdem testatur tenor. Offerimus en nos sub ministerii nostri modis secundum Deum possibilibus, ad omnia & singula in materia quatuor articulorum pervios & paratos, & in cooperando atque parendo fideles Dei, si & in quantum, juxta unionis nostræ cum reverendis & religiosis viris & nunciis vestris formam, nuper in Egra digestam, scripturæ sacræ testimonium, una cum beatorum doctorum sententiis in eodem juste fundatis, locum censoris & præceptoris, absque ulla derogatione in hac sede audientiæ obtinebunt. Sed cum difficile sit & arduum adjicere loqui in medio magnatorum & sapientum, scientibusque legem Dei difficilius esset, & summe arduum est loqui coram altissimo creatore universorum dominatore; difficillimum, inquam, & altissimum negotium est loqui, non quasi hominibus, sed Deo placendo, non modulatione vel sublimitate sermonis adulterando verbum Dei, quasi gloriam ab hominibus quærendo, ne forte evacuetur crux Christi.

2. Cum tamen necessitas nos urgeat, divino auxilio primum implorato, assumo verba: *Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum.* Matthæi 2. scribuntur hæc verba, & per octavam solemnitatis jam celebratæ in Dei ecclesia decantantur. Quamquam ista digito Dei exarata, & olim ab illis regibus magis, ideo sanctis & beatis, ad Christum properantibus sint prolata: nobis tamen Bohemis in medio hujus concilii venerandi consistentibus, nostræ necessitati possunt alludere, immo & proposito familiari. Nos namque Bohemi, quia maledicimur, persecutionem patimur, blasphemamur, deridemur, hæreticamur, tamquam purgamenta ejus mundi, omnium peripsema, & spectaculum huic mundo facti sumus; conversi tamen retrorsum ad episcopum pastoremque animarum nostrarum Dominum Jesum Christum, cum bona multiplicia supra gentes ceteras a Deo salvatore nostro suscepimus, & de die in diem suscipere non cessamus, dicimus illud B. Job: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem cur non sustineamus?* Adjicientes ad illud Psalmistæ: *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas*; aspicimus & in auctorem nostrum consummatoremque fidei nostræ Dominum dicentem: *Cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et si in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet? Speranteque quia cum tentatione faciet proventum, & universorum creatori in orationibus nostris illud Davidicum dicentes: *Maledicent illi, & tu benedices.* Et super hoc cum Augustino exoptantes: Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas; cum eodem Augustino & perferentes secuti de Augustino quicquam libet, &c. secuti de Bohemo quicquam libet, sola me in Dei oculis conscientia non accuset. *Nam mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Vos autem patres reverendissimos, egregios doctores & magistros, ceteros vestros, viros spectabiles & fratres in Domino amandos, quanto obnixius valemus, in Domino petimus, obsecrantes per viscera Domini nostri Jesu Christi, ut de nobis piam, bonam, & caritativam æstimationem habentes, tamquam de illis qui Dominum Jesum crucifixum quærimus, dicto Isaiæ innixi: *Quærite Dominum dum inveniri potest.* Est namque dignum, justum, æquum & salutare, ut sic nos existimet homo tamquam ministros Dei, quia venimus adorare eum, & ipsum præ ceteris creaturis colere cupientes, venimus, inquam, non vacui, sed donarium *bonæ voluntatis sibi offerentes. Offerimus namque ei aurum, quod regiam: thus vero, quod sacerdotalem concernit dignitatem; & myrrha a corruptione præservans præsto est in manibus nostris: quia omnem corruptelam & fermentum totam massam corrumpens, optamus de medio status dignitatisque regiæ & sacerdotalis ejici, & ad bonum debitumque regimen perduci; & sic pro nobis nostraque omnium salute quærimus, dicentes: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum?* Quæ quidem verba sic introducta piam existimationem prætendunt, ut de nobis habeatis; nam piam & bonam æstimationem homo habens de proximis, secundum regulam caritatis in columbina simplicitate omnia credit, scilicet ad suum profectum; omnia interpretatur in melius, in omnibus etiam hominibus (a) ædificatur, juxta illud ad Romanos 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Cum vero inter nos alter de altero, non bonam, sed impiam & malam habet existimationem, contingit nobis ut dicamus mala bonum, & bona malum, & tunc impletur in nobis illud propheticum væ maledictionis, Isaiæ 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum,*

Matth. 5.

1. Cor. 4.

Isa. 55.

* al. detrium.

(a) Navar. *In omnibus & ab omnibus.*

ut

ut jam non ſolum in malis, ſed etiam in juſtis & bonis propter malam exiſtimationem ſcandalizemur. Quod jam eſt proprium naturæ perverſæ & infectæ, quodammodo in diabolum commutatæ, & generationis pravæ ſecundum altitudinem ſeductæ. Inde venit gravis percuſſio conſcientiarum & magna tribulatio animarum, qualis non fuit ab initio. Et hoc a multis, quin ab intimis, & ab iis qui videntur præeſſe in omni verbo & doctrina, in omni ſanctitate & virtute, in tantum quod jam juſti & electi ſecundum Spiritum Dei ambulantes, contremiſcunt & dubitant, ne forte & ipſi in via recta quæ eſt Christus Jesus ſint ſeducti. Habens namque bonam & piam exiſtimationem, de proximis gaudium ſoiet habere in Domino, & in Chriſto cum illis condelectari, juxta illud Pſalmiſtæ: *Ecce quam bonum & quam jocundum, &c.* Homines autem omni impia æſtimatione & crudeli privati ſunt maxima conſolatione & dulcedine ſpiritus caritatis, quæ plus reficiunt homines, quam cibus & potus. Bonam namque æſtimationem & piam habens de proximis, mala proximorum levius ſupportat. Nam ſicut immenſa Dei benignitas omnia mala noſtra & graviſſima facillime tolerat, ſic caritativa exiſtimatio ex amore bono procedens prædictos mutuos defectus, facit modicos & leves. Fit namque cum cari noſtri ſint infirmi, turpes, fœtidi, & deſpecti, caritativa & bona de eis æſtimatio omnia parvipendit, immo plagas illatas ab eis & damna caritativa æſtimatio annullat & demollit. Mala autem & impia æſtimatio defectus mutuos nimis aggravat, & de his quæ etiam nullius ſunt momenti facit magna, & quæ in ſe ſunt bona reputat vitioſa. Unde homo impiam æſtimationem de proximis habens, quamvis ſit animal manſuetum, civile, & ſociale, cogitur contra naturam fugere conſortium hominum, & ſic in tali inhumano modo permanens, cum non poteſt habere cum ſanctis angelis contubernium, neceſſe eſt quod habeat cum dæmonibus participium, a quibus videlicet ſpiritibus erroris illuſus, neceſſario habet inanata ſalutaria & dæmoniaca phantaſmata ſpeculari. Væ autem tali ſoli, quia cum ceciderit, non habet a quo & unde ſublevetur. Hæc ergo impia & crudelis exiſtimatio inter proximos eſt ipſa tyrannis, quæ conjuges ſæpe dividit; hæc filios cum parentibus ſeparat, ut patet de David & Abſalon. hæc ancillas a ſuis dominabus facit abire in devium, ut patet de Agar & Sara. hæc ſervum facit contra dominum blaſphemare, juxta illud Pſalmiſtæ: *Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis.* hæc amicos in amore diu conjunctos multis perturbationibus aufugit * & diſſolvit, ut patet de Job & ſuis amicis conſolatoribus oneroſis. hæc filios Jacob confratrem juſtum Joſeph vendere fecit Iſmaëlitis in Ægypto. hæc diſcipulos a magiſtro ſuo facit abire retrorſum. hæc pontifices, ſcribas & Phariſæos fecit introire conſilium, ut Jesum dolo tenerent & morti traderent; & ut brevius perſtringam, ipſa eſt maximum malum, quod in Chriſti fidelibus, & præſertim in clericis diabolus nititur ſeminare, ut per hoc auferat maximum relevamen inter homines, ſcilicet ſuſtentationem mutuam in bono & reſurrectionem * a malo. Et ideo ad hanc malam & impiam exiſtimationem removendam de nobis Bohemis, & piam ac caritativam exiſtimationem promovendam, optamus ut de nobis Bohemis bonam exiſtimationem retineatis, quia ipſum Jesum in omnibus & ſuper omnia inquirimus dicentes: *Ubi eſt qui natus nobis Rex Judæorum? Vidimus ſtellam ejus in oriente, & venimus &c.* quæ fuerunt verba veſtris reverentiis propoſita. In quibus quidem verbis ſic taliter qualiter introductis, tria tanguntur. Primo enim innuitur firma adhæſio & diligens inquiſitio Chriſti, ſuæ legis & evangelicæ doctrinæ, ibi *Ubi eſt qui natus.* Secundo tangitur nobis ad imitandum & inſpiciendum illa olim militans, ſed jam triumphans eccleſia, velut exemplar & tutiſſimum objectum, ibi *Vidimus ſtellam ejus.* Tertio tangitur profundæ humilitatis fidele miniſterium Chriſto & ſuæ eccleſiæ exhibendum, ibi *Venimus adorare eum.* Primum tactum eſt veritas doctrinæ, ſecundum veritas vitæ, tertium veritas juſtitiæ, quia ſic oportet nos omnem juſtitiam implere.

3 Dixi ergo primo, quod in verbis propoſitis tangitur firma adhæſio Chriſti, & diligens ſuæ legis atque evangelicæ doctrinæ inquiſitio, tamquam finalis intentio in ſuis modis, ibi *Ubi eſt qui natus eſt*, &c. Et hoc non immerito, quia ipſa doctrina evangelica & apoſtolorum eſt lex immaculata convertens animas, teſtimonium fidele, ſapientiam præſtans parvulis, eſt optimus modus, eſt regula, ac verbum (*a*) dirigendi intellectum hominis & affectum: cui ſi totis conatibus ſtuduerimus judicium noſtrum ſubjicere, omnem rationis diſcurſum ad ea quæ Dei ſunt reflectendo; ac per hoc ſi ipſum judicium ad ſupremam voluntatem (*b*) vigilanter ereximus, & quantum concedi- [*b*]
tur, ad ipſam æquitatem (*c*) commenſuraverimus, tunc facile poterimus nos ipſos demittere, nos ipſos dijudicare, qui ſunt erronei hæretici & qui catholici; quid ſit verum, quidve falſum; quid juſtum, quid prophanum, ſicque poterimus eſſe idonei ad profectum debitum & augmentum. Nos igitur volentes religioſe vivere & regulariter, ſtudeamus ſummopere doctrinæ prædictæ evangelicæ, legi perfectæ libertatis, quæ eſt ver-

* al. reſervationem.

* al. affligit.

[*a*] Navar. *Verbum Dei.*
[*b*] Navar. *Veritatem vigilanter exercemus.*
[*c*] Navar. *adæquate.*

bum Dei ; omnes motus noſtros, deſideria, A actus, voluntates, ſermones & omnem habitudinem corporis extrinſecam, tamquam infallibili regulæ coæquare, juxta illud ad Corinthios 10. *In captivitatem reducentes omnem intellectum in obſequium Chriſti :* videamus quomodo & diligenter inquiramus ſenſus & actus corporis, ſimul interrogemus an Jesus Dominus in medio illorum, velut olim in templo in medio doctorum obtinebat locum. Nam vulpes foveas habent & *Matth. 8.* volucres cœli nidos ; Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet, ut ſic fiat *in omnibus & ex omnibus*, quæ inter nos ſunt, debitus modus dirigendi ad benedicendum Deum, & dicendum cum David: *Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus.* Sicque ut inquiramus in veritate, dicamus quidem corde, ore & opere : *Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum.* Et tantum de primo principali.

4 Dixi ſecundo, quod in verbis propoſitis tangitur nobis ad imitandum & inſpiciendum olim illa eccleſia primitiva jam triumphans, velut exemplar tutiſſimum ab hac nube : *Vidimus ſtellam ejus in oriente.* Nam ipſa eſt velut quoddam objectum & mons, juxta illud Exod. 2. *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte.* Eſtque diligenter inſpicienda & imitanda, juxta illud ad Philippenſes 3. *Imitatores mei eſtote fratres, & obſervate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Illa namque eccleſia primitiva lucens erat ſicut lux mundi, & in ea luminaria lucentia ſicut dicit apoſtolus Philip. 2. *Inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo*, verbum vitæ continentia, quia *docti fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Dan. 12. Sed heu! nos præſentis ævi non attendimus ad hæc præclara luminaria, non aſpicimus ad illa primitiva exemplaria, non ſumus imitatores ſanctorum. Nam *illi* erant olim humiles, benigni, omnes avaritiæ & ſæculi contemtores : nos vero ſuperbi & crudeles, avaritiæque & quæſtus ſub ſpecie pietatis amatores, & ſæculi vanitatum præcipue ſectatores. Illi enim olim propriam abnegantes voluntatem, Dei voluntatem uſque ad mor- * *al.* explo- tem explere * ſatagebant ; nunc vero in eccle- *rare.* ſia ſimulata plerique propriam voluntatem uſque ad contemtum, offenſam facere Dei non verentur. Illi olim pro ſalute animarum ad grandia ſe pericula exponebant ; nos vero E pro ſalute noſtræ iniquæ vitæ mortalis, innumerabiles populos ad pericula damnationis exponimus. Olim unus de juſtis magis judicavit mori, quam totus populus periret ; hodie potius unuſquiſque eligit totam eccleſiam pati graviſſimum diſpendium, quam ſubire *momentaneam mortem* vel confuſionem. Ibi olim omnia ſuperimpendebant & ſuperimpendebantur pro ſalute æterna hominum. Nos vero omnia & ſingula ad noſtra lucra conquirimus *, quin immo ſcriptu- * *al.* torque- ræ ſacræ, cenſuræ eccleſiaſticæ poteſtatis au- *mus.* ctoritates, quæ olim data erant in ædificationem electorum contra reprobos, jam facta ſunt contra electos armatura reproborum. In *illis* olim multitudinis credentium erat cor unum & anima una, unus ſpiritus & una fides. Jam vero non facile invenies duos ſibi invicem in Chriſto conſentientes, quin potius jam impletur illud propheticum Jeremiæ 10. *Ergo unuſquiſque a proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabitur, & omnis amicus fraudulentus incedit,* B *& vir fratrem ſuum deridebit, & veritatem non loquetur.* Illi olim induti veritate ex alto & ſapientia, cum timore Dei ambulabant in omni ſanctitate & veritate : jam vero in omni pravitate dehoneſtati, abſque timore Dei ambulant in hypocriſi & fictione. Inter illos enim virtus & veritas maxime pollebant ; vitium autem ſe non niſi in abditis occultabat. Jam vero quaſi in capite omnium platearum & viarum veritas & virtus habent ſe jam non niſi in angulis occultare. Olim in conſortio ſanctorum virtus & veritas liberum & proſperum habebant ſucceſſum, & C peccata dignam ſui accipiebant ultionem : hodie vero omnis malitia & iniquitas libertate potitur, & accipit promotionem. Veritas autem & virtus, quæ olim ſuper omnia vincebant, jam rurſum crucifiguntur, conculcantur & oſtentui habentur. Et illud quod olim a ſanctis Spiritu Dei repletis grande vitium reputabatur, jam nullum inconveniens, immo honeſtas radicatur. Et ita veritas doctrinæ quo ad primum membrum, & veritas vitæ primitivæ eccleſiæ patenter diſcernit & dijudicat noſtram ſimulationem, quod videlicet obliti ſumus D donum Dei noſtri, qui fecit, creavit, nutrivit & exaltavit *nos*, *propter quod traditi* ſumus in deceptionem & conculcationem gentium, tamquam ſal infatuatum, quod ad nihilum valet jam, niſi quod ejiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum Dominum Jesum Christum, quem vendidimus, & adhuc vendere non ceſſamus in ſuis cariſmatibus & ſacramentis. Et tantum de ſecundo principali.

5 Et quia pro his reparandis neceſſario E requiritur nobis humilitatis fundamentum, ideo dixi tertio, quod in verbis propoſitis tangitur profundæ humilitatis fidele miniſterium, Chriſto & ſuæ eccleſiæ exhibendum. Et hoc ibi : *Venimus adorare eum*, ſcilicet per fidelis miniſterii exhibitionem. Ubi quæſo pauliſper perpendite, quod fidele miniſterium Chriſto & ſuæ eccleſiæ exhibendum eſt, omne bonum fortunæ naturæ & gratiæ in toto convertere, ad indulgentiam proximo-

rum & ad gloriam Chriſti & ſuæ eccleſiæ, etiamſi opus eſſet cum detrimento vitæ propriæ mortalis, plus quam ad lucrum proprium attendendo, juxta illud Philip. 3. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter imminentem ſcientiam* Jesu Christi *Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, ut ipſum lucrifaciam.* Rurſum fidele miniſterium Chriſti, eſt totam vitam Chriſti contemtibilem a mundo & pœnalem præponderanter in ſe ſentire, diligere & participare*, juxta illud ad Philippenſes 2. *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto* Jesu, ipſiuſque crucis gloriam mundanis valde hortibilem, verbo & exemplo prædicare, juxta illud 1. ad Cor. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis, Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Potio adhuc & vere humile miniſterium Chriſti eſt omnem altitudinem dominandi, ſive libidinem extollentem ſe ſuper omnem gradum ſubjectionis pro peccato debitum, abjicere pro Chriſto, inſtar Chriſti, juxta illud Matthæi 20. *Quicumque inter vos voluerit major fieri, ſiet veſter miniſter*, id eſt parvulum ſe habeat cum ſubditis & inferioribus, & intendat quod non ipſe ſit Dominus, ſed magis Dominus Jesus Christus; *& quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.* Id eſt intendat ut non ſibi ſervitium, ſubjectio, timor, honor vel gloria impendatur; ſed magis Domino Jesu Christo. Item, adhuc vere humile miniſterium exhibendum eſt vere recognoſcere proprium delictum, quantum ſit injuſtum, quantum offenderit propriam animam, quantave ſit offenſa contra dominatorem tantæ majeſtatis infinitæ, & tantum proportionaliter continue dolere, & quantum Deo diſplicet, deteſtari. ad hanc veram recognitionem propriorum delictorum, pervenerat olim ille latro, qui in cruce compunctus dicebat ad alterum, Luc. 23. *Nos digna factis recipimus.* Ad hanc pervenerant olim filii Jacob, qui olim pœnitentiam agentes dicebant: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum.* Ad hanc pervenerat olim ille qui poſt periculoſum lapſum, ex profundo cordis clamavit: *A peccato meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Ad hanc pervenerat olim ille piſcator, qui viſa multitudine piſcium in navi, conſideranſque dignitatem Domini ſui, tremulus exclamavit: *Exi a me, Domine, quia peccator ſum.* Et hæc eſt ſcientia ſanctorum. Et revera, ut dicitur Sapientiæ 13. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt hæc ſcientia Dei.* Et pro hac oravit omnis ſanctus in tempore adhuc hujus vitæ opportuno, ad quam timeo heu! quod nos nondum pertingimus. Vereor ne ſimus illi de quibus dicit Apoſtolus: *Semper diſcentes, & numquam ad hanc ſcientiam veritatis pervenientes.* Nihilominus tamen utinam totis noſtris ſtudiis & conatibus ad hanc veram & temporaneam recognitionem limpidæ veritatis veniremus, ut hic humiliati & tribulati, exaltaremur in futura gloria per Dominum ſcientiarum, Agnum humiliſſimum ab origine mundi occiſum, in ligno maledictum, quem decet laus, & honor, & imperium, cum Patre & Spiritu paraclito in ſæcula ſæculorum. Amen.

2. Tim. 3.

* al. piacevolezze.

Gen. 12.

POSITIO MAGISTRI JOHANNIS DE ROKASANA PRAGENSIS,

coram patribus ſacri concilii Baſileenſis pro parte Bohemorum propoſita.

COMMUNIO DIVINISSIMÆ EUCHARISTIÆ SUB SPECIE UTRAQUE, PANIS SCILICET ET VINI, UTILIS MULTUM ET SALUTI EXPEDIENS, TOTI CREDENTIUM POPULO EST NECESSARIA, ET A DOMINO PRÆCEPTA SALVATORE.

CUm ſuper omnia deſideramus honorem Dei, profectum ſanctæ eccleſiæ, & quod ſimus fidelia membra Jesu Christi Domini, qui eſt caput & ſponſus eccleſiæ ſanctæ, quam redemit; proteſtamur quod corde credimus, & ore ad ſalutem profitemur, quia in ſpe Domini noſtri Jesu Christi tenuimus, tenemus & firmiter tenere deſideramus omnem credibilem veritatem Deo noſtro placitam; confitentes corde integro totam legem Chriſti, tam firmæ veritatis exiſtere, quod nullum iota aut apex ipſius fallere poteſt. cujus ſingulos credimus articulos ad illum intellectum, ad quem benedicta Trinitas & Dominus Jesus præcepit & vult a quocumque ſuo fideli membro credi. Credimus inſuper domum ſuam ſanctam eccleſiam fundatam tam firmiter ſuper firmam petram, quod portæ inferi non poſſunt adverſus eam quomodolibet prævalere. Quæ, ſecundum Gregorium & Auguſtinum, eſt univerſitas fidelium per totum mundum diffuſa, creſcit & fructificat in mundo univerſo: adjicientes quia promti ſumus in ſpe ipſius capitis Chriſti Domini, mortis diræ potius ſuſtinere ſupplicium, quam elective aliquid dicere vel aſſerere, quod foret Chriſti ſuæque eccleſiæ veræ ſponſæ contrarium voluntati. Submittentes nos, ſicut & prius ſubmiſimus, ac in poſterum ſubmittere humiliter volumus, hujuſmodi ſacratiſſimæ legis ordinationi, & reconciliationi, ac obedientiæ; ſi forte, quod abſit, aliquid talium *diceremus, ſentiremus* vel tenerémus ex ignorantia, inadvertentia, aut quavis alia negligentia & imperfectione, quod Deo & ſuæ legi contrarium foret & adverſum; habemuſque ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, pro non dicto; parati emendare

Ex mſ. cod. Navar. I. articulus Bohemorum Actus primæ diei.

quicquid dixerimus, docti quod sit contrarium veritati. Omnem etiam sententiam doctoris cujuscumque in lege Dei juste fundatam, & Spiritu-sancto efflagitatam (a) approbamus. Propter quod clamamus ad Dominum JESUM, & dicimus : *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt, &c.* & alibi : *Notam fac mihi viam in qua ambulem. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, &c.*

Ipsam autem veritatem evangelicam, pro qua modo inter plurimos est disceptatio, puta de communione duplicis speciei ad laicos præsertim, quod sit præcepti & necessitatis, in propositione modo coram vestris paternitatibus & reverentiis proposita, pro præsenti probare proponimus.

1. Auctoritatibus divinæ legis.

2. *Firmissimis* sanctorum dictis & sententiis.

3. Exemplo & praxi sanctorum primitivæ ecclesiæ.

4. Conciliis antiquis roborando ; & sic judicem pro nobis dictantem, & nostræ praxi alludentem, juxta dispositionem in Egra factam, velut digito demonstrabimus. Sed antequam ad probationes ipsas accedamus, primum terminorum acceptiones, nostris propositis deservientes, & nostram intentionem exprimentes, enodabimus.

Notabilia.

I. Notabile. Unde primo noto, quia hic tractabitur & fiet sermo de communione corporis Christi, quod hoc complexum : Communio corporis Christi tribus modis accipitur, secundum communem usum sermonis. Dicitur enim communio corporis Christi, societas ipsorum sanctorum, secundum Augustinum, prout ecclesia sanctorum, & solum talium est unum corpus Christi mysticum, cujus caput est Christus : in qua ecclesia seu communitate fidelium, talis est & tanta unio, ut quodlibet membrum ejus sit particeps omnium bonorum, quæ fiunt in ecclesia, & tota ecclesia in nullo bono a singulis membris dividatur, nisi sit membrum per mortale peccatum mortuum & abscissum. Exemplum illius accipe de corpore humano, penes doctrinam Apostoli in multis locis. Et de illa communione, id est omnium beatorum bonorum participatione, quæ fiunt in ecclesia, est articulus in symbolo, ubi dicitur : *Sanctorum communionem.*

Secundo modo communio significat sacramentum corporis & sanguinis JESU CHRISTI, per cujus sumtionem dignam homo ingeritur ad communionem primo modo acceptam, & fit de societate sanctorum. Et istud dicit Augustinus in homilia super Johan. illo verbo evangelii : *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*, dicens : Corpus » Domini a quibus sumitur, immortales & in» corruptibiles reddit, & facit socios ipsorum

[a] *Forte*, & a Spiritu-sancto afflatam.

sanctorum, ubi pax erit perfecta & unitas plena. Propterea quippe, sicut etiam ante nos « hoc intellexerunt homines, Dominus noster « JESUS CHRISTUS corpus & sanguinem suum « in his rebus commendavit, quæ ad unum « rediguntur. Ex multis namque granis panis « unus conficitur, & ex multis racemis vinum « confluit. Et idem super verbo illo : *Litigabant ergo Judæi*, dicit : Litigabant, quia panem hunc non intelligebant. Nam qui manducant hunc panem, non litigant ad invicem, quoniam unus panis & unum corpus « multi sumus, omnes qui de uno calice & « de uno pane participamus ; & per hunc facit « Deus unius moris habitare in domo. Hæc « ille.

Tertio, accipitur communio pro congregatione omnium credentium in Christum, & fide formata caritate, & fide informi bonorum Christianorum simul & malorum, & hæc est vulgaris acceptio communionis & minus propria ; & ab ista communione sic accepta, fit excommunicatio hominum a judicibus ecclesiæ, quæ fertur quamplurimum non pro mortali peccato, contra hominem, & quandoque solum de facto & non de jure, quandoque non de jure & de facto ; sed solum pro veniali.

Prima communio est dicta principaliter & proprie, & est solum bonorum.

Communio secundo modo accepta, dicitur proprie ab effectu quem facit, sed non principaliter, nisi solum ob rationem primæ ; & est malorum & bonorum, quantum ad sacramentalem manducationem.

Communio tertio modo accepta, est dicta neque principaliter neque proprie ; quia boni Christiani cum malis habent unitatem vitæ & spiritus in Christo, sicut vivum membrum cum mortuo, & lumen cum tenebris. unde Apostolus 1. Cor. 10. *Non potestis calicem Christi bibere & calicem dæmoniorum.* Et alibi 2. Cor. 6. *Quæ est conventio Christi ad Belial ? aut quæ participatio lucis ad tenebras ?* Sed solum hujusmodi communio bonorum Christianorum & malorum, est dumtaxat in actu credendi, & in conversatione mutua, in cærimoniis, in adinventionibus, & traditionibus seniorum, & in ecclesiæ sacramentis.

Ex quo notabili hoc patet, quod omnis qui est de prima communione, est dignus secunda & tertia ; & omnis qui indignus est prima, indignus est secunda & tertia : quamvis non omnis qui ejectus est de tertia, puta per excommunicationem judicis, ejectus est de prima & secunda. Patet hoc ; nam multi sententiam ferunt judicis sine crimine mortali.

Sequitur secundo : magis est timendum ejici de communione primo modo accepta, hoc est per mortale peccatum, cuiliber Christiano, quam ejici de secunda vel tertia. Et

minus eſt perhitioſum & incautum communicare cum ſcito excommunicato a judice, quam cum ſcito mortaliter peccante. Patet; quia primum quandoque prohibetur ſolum a judice errante in ſententiam ferendo, & non a Deo: ſed ſecundum prohibetur a Deo & ab homine non errante. Unde Apoſtolus Epheſ. 5. *Nolite communicare operibus eorum infructuoſis tenebrarum.* Item, ſecundum eſt plurimum contagioſum, & communicativum peccatis aliorum; primum vero quandoque non.

Sequitur tertio, quod notorii peccatores ſeu manifeſti, obligati peccatis, ut adulteri, mœchi & concubinarii, ac uſurarii, iram manifeſtam invicem exhibentes, debent a communione ſanctorum repelli; ita ut publice a ſecunda communione & a tertia fidelium expellantur: ut ſciant fideles cum talibus non communicare in ſacramentis, nec etiam converſari, ne malis eorum polluantur, & ne tamquam conſentientes puniantur.

Exemplum illius habetur a Moyſe de Dathan & Abiron Num. xvi. ubi Moyſes ex mandato Dei dicit ad turbam populorum: *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, &c.* Et ad hoc eſt præceptum Domini Deut. 13. in multis locis veteris teſtamenti, ubi juſſit Dominus auferri malum de medio Iſraël, ne multus populus a contagione lethali unius iniqui pollutus, communiter experiatur divinam ultionem.

Idem patet ex evangelio. Nam ſi excommunicantur fideles, ut jam dictum eſt, a tertia communione per ſententias judicum, quandoque propter cauſas pecuniales & prophanas, & plerumque innocenter, vel ſolum propter peccata venialia, ut pote pro modica offenſa clerici, vel negligentia ad parendum juri in præſentia judicis, vel alias pro inobedientia, quæ non procedit ex contemtu Dei, vel ſuperiorum; ſed ſolum ex infirmitate, vel ex ignorantia juris vel facti: qui tamen tales nullo modo ſunt a prima communione & ſecunda ejecti, quia eos Deus nequaquam ſine culpa mortali excommunicavit: Quare igitur non excommunicentur illi prædicti notorii peccatores ita ſolemniter, ut dictum eſt, puta ex nomine, & in publico, pulſatis campanis, &c? Ex quo jam de facto ſunt a prima communione ejecti per Dei judicium, & a ſecunda deberent expelli; quia ex contemtu Dei & ejus eccleſiæ peccant, & quia ſunt contagioſi ſanctæ plebi ex multis cauſis: tum quia plebs videns eos non puniri per eccleſiam, & publice, credunt ea non eſſe peccata quæ ipſi faciunt, vel credunt non eſſe tanta peccata & tam gravia, prout in ſe ſunt; vel non tantum exhorreſcunt talia admittere, videntes ea impunita tranſire; tum quia alliciunt & ipſis alios ad peccandum peccatis ſimilibus: tum quia facilius admittuntur alia peccata forte majora, & habent excuſationem ſuæ malitiæ, dicentes: Modo iſti talia faciunt & iſti talia, & tamen impuniti pertranſeunt, & dicunt tunc: Deberent omnes damnari, quia talia faciunt. Ac ſi dicerent: Non eſt verum, quod hoc ſit peccatum, quod ſacerdotes oſtendunt eſſe peccatum; tum quia tota communitas damnatur coram Deo propter tales publicos peccatores, & luit pœnas divinæ vindictæ, & merito & juſte condemnatur; quia permittit Deo ſuo ita publice adverſari, Deum palam contemnere & blaſphemare impunite, ex quo nullus zelans contra tales iniquos pro Deo ab ejus dilectis exhibetur. Merito, inquam, plagandi ſunt quemadmodum conſentientes, ſic facientes.

Exemplum habes in multis locis in veteri teſtamento, ut de idolo Beelphegor & Belis, ubi tota communitas ſubjecta fuit divinæ vindictæ, & paſſa eſt propter quoſdam nequam mœchos. Sed & principes tribuum juſſi ſunt ſuſpendi in patibulis contra ſolem Num. 25. Ex hoc: Væ principibus, quoniam duriſſimum judicium pro eo cum his qui præſunt fiet, donec Phinees zelo Dei iratus, duos cœuntes in inguine perfodit, & tunc ceſſavit quaſſatio. Et ſimiliter de Achor, Joſue 7. anathemate, & de Jonatha 1. Reg. 14. & de aliis valde multis, ubi tota communitas fuit confuſa, propter crimen perſonæ unius, & eſt tota plebs paſſa exitium & jacturam. Et idcirco modo etiam veniunt peſtilentiæ publicæ, & ſtrages, & fames, & in populo Chriſtiano debacchantur; quod inde videtur manifeſte evenire, quia nequam hujuſmodi, publice peccando, publice Domini noſtri JESU nomen factis blaſphemando, permittuntur cum fidelibus communicare in eccleſia divinis ſacramentis, & impune pertranſire.

Etiam notandum, quod quia dicitur communio divinæ euchariſtiæ euchariſtia, ergo dicitur panis & calicis ſacramentum. Patet 1. q. 1. *Multi per gregem.*

Item ſecundo noto, quod differentia eſt inter iſtos terminos: *licet*, *expedit*, & *neceſſarium*; quod ponit Apoſtolus 1. Cor. 4. ubi dicit: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate*, in quo notat neceſſarium. Ponit etiam differentiam inter iſta magiſter David in libro de ſeptem proceſſibus hominis ſpiritualis. *Illud* licet, quod poteſt fieri honeſte & ſine peccato. Sed illud dicitur expediens, quod facere quidem eſt honeſtum & utile homini; neceſſarium vero eſt illud, quod homo tenetur facere, &, ſi non facit, peccat & damnum incurrit. Item, licitum eſt illud quod lex permittit, vel indulget, & rationi conſonat; ſed expediens eſt illud, quod lex conſulit, & ratio perſuadet: neceſſarium autem, prout eſt ad propoſitum, & prout communiter in moralibus accipitur, eſt illud quod lex præcipit, aut quod

II. Notabile.

fieri prohibet, vel quod ratio requirit, dicens omnino faciendum.

Duplex necessitas.

Tale autem necessarium duplex est sive necessitas; videlicet simplex seu simpliciter dicta, aut absoluta; & ista est inevitabilis. Alia est necessitas conditionata, & hanc distinctionem ponit Augustinus & habetur transsumtive, 23. q. 4. *Nabuchodonosor*. Et Aristoteles expresse 5. Metaphys. c. 5. & in Perihermeneias, & venerab. Boetius VI. prosa 5. & in ea fere concordant omnes philosophi & doctores. Necessitatem simplicem vocant philosophi, quæ non potest non esse, vel ejus contradictorium est simpliciter impossibile. Necessitas vero conditionata, vocatur necessitas non inevitabilis, sed ex certa conditione adjecta una vel pluribus, quam scilicet faciunt conditiones circumstantes, ut locus, tempus, commoditas, facultas, idoneitas, cum aliis similibus, quibus positis fit necessitas; sed illis demtis, cessat necessitas. Et sic loquendo de absoluta sive simplici necessitate, dicunt doctores, quod nullum sacramentum sensibile est de necessitate absoluta; quia sine quolibet tali potest fieri salus. Exemplum de bapt. dicit Thomas parte 3. q. 67. ar. 11. quod præter baptismum aquæ potest aliquis consequi effectum sacramenti ex passione Christi, *non solum* sine baptismo aquæ, sed etiam sine baptismo sanguinis. Et idem dicit q. 68. ar. 2. ubi allegat Augustinum dicentem super Leviticum, invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse & profuisse sine visibilibus sacramentis, visibilem vero sanctificationem, quæ fit sacramento visibili sive invisibili posse adesse, sed non prodesse. Hæc ille. Et subdit Thomas: Quod sacramentum baptismi est de necessitate salutis re vel voto, quia non potest esse homini salus, nisi saltem in voluntate habeat, quæ apud Deum pro facto reputatur; & subdit ibidem: » Potest ergo alicui sacramentum » deesse re, sed non voto; sicut aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu prævenitur » morte antequam baptismum suscipiat; talis » sine baptismo actuali salutem consequi potest » propter desiderium baptismi, quod procedit » ex fide per dilectionem operante, per quam » Deus interius sanctificat, cujus potentia sacramentis visibilibus non alligatur. » Hæc ille. Et allegat ibidem Ambrosium, & consequenter intelligit de quoliber alio sacramento, quod nullum tale est necessitatis; loquendo autem de necessitate conditionata, dico quod necessitatis quinque sunt sacramenta, scilicet baptismus, confirmatio, pœnitentia, ultima unctio, Corpus Christi. Ad idem est Hugo 1. de sacramentis parte 2. c. 1. qui dicit quod virtus Dei ex necessitate elementis non subditur, etiam si gratia Dei ex dispensatione per gratiam donetur. Hinc est » quod quosdam etiam sine ejusmodi sacramentis justificatos legimus & credimus salvatos, quemadmodum Jeremias in utero sanctificatus legitur, & Johannes Baptista ex utero matris Spiritu-sancto implendus prophetatur. Et qui sub naturali lege Deo placuerunt, hæc sacramenta habuisse non legimus, de quorum tamen salute nequaquam dubitamus in terra. Sed dicis: Quomodo hoc intelligemus quod scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c.* Et ego te interrogo: Quomodo intelligendum putas, quod scriptum est: *Qui credit in me, mortem non videbit in æternum*? Tu dicis quoniam qui hoc non facit, non damnatur. Quis ergo medius locus erit ejusmodi homines capiens, nec salvandos, quia aquam non habent, nec damnandos, quia fidem habent. Est homo qui fidem habet, & cum fide dilectionem, aquam non habet; non tamen contemnens, sed aquam habere volens, & non valens: hunc ergo aqua absens damnabit, & non potius fides & devotio præsens salvabit? Quid ergo, ais mihi, illud cum sacramentis? Habeo fidem & dilectionem & virtutes alias, & bonus ero & sufficit mihi. Vide ergo si dilectionem Dei habere potes & præcepta ejus contemnere. Si ergo dilectionem Dei habes, stude, satage, conare quantum potes perficere mandata ejus. Et si incidis in necessitatem, quære pietatem. Si enim necessitas non est quæ prætendatur, contemtus non excusatur. « Hæc ille.

Tertio, noto quod præcepta divina habent se in duplici differentia; quædam enim sunt quæ obligant ad semper & pro semper. Ad semper, id est omni tempore; & pro semper, id est pro qualibet parte temporis, ut est diligere Deum, &c. Alia sunt præcepta quæ obligant semper, id est omni tempore; sed non pro semper, id est pro qualibet parte temporis; & talia sunt: Prædicare, eleemosynare, jejunare, celebrare, communicare, circumstanciis quibuscumque, quæ habent objecta extrinseca, contingentia, multipliciter variabilia. Et de præceptis isto modo dicit Augustinus lib. 1. quæstionum Exodi q. 43. « Aliquid est quod præcipitur quousque fiat, ut quod septies circuiret muros arca: aliud cum præcipitur sic observari aliquid, ut nullus terminus præfigatur observationis, sive quotidie, sive per menses, sive per annos solemniter, sive per multorum sive certorum annorum certa intervalla. » Hæc Augustinus. Et isto modo capiendo necessarium & præceptum in proposito volumus ipsis uti.

III. Notabile.

Prima pars propositionis.

His notabilibus præmissis, accedo ad primam partem propositionis, quæ dicit: Communio divinissimæ eucharistiæ sub specie utraque panis scilicet & vini, utilis multum est & saluti expediens. Quam probo per illud Johannis VI. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, &c. Et iterum: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet*

& ego in illo. Et infra: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum, &c.* Ecce quanta utilitas dignæ communionis: quia vita æterna incorporatio Domini Jesu sive intima mansio in Deo salutari nostro. Nam nullibi & per nullum alium modum datum est hominibus frui Deo vel participare Deo tam intime & proprie, & ita in promtu, cuilibet volenti, & ita in abundantia gratiarum cœlestium; neque ita proxime vel immediate, neque ita apte homini & dulciter, sicut in communione corporis sui & sanguinis digne celebrata; dum tamen cetera sint paria, ubi omnis plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter, secundum Apostolum Colos. 2. & ubi sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei absconditi. Unde Lira super illo verbo: *Qui manducat meam carnem*, dicit: » Ostenditur hujus sacramenti utilitas, quæ » est augmentatio in vita spirituali, sicut cibus » corporalis non solum nutrit & conservat vitam: sed deducit ad perfectam quantitatem; » sic hujus sacramenti usus perducit hominem ad gratiæ consummationem quæ est » gloria æterna. Hæc ille. Et Gorra super Johannem VI. dicit, quod sacramentalis manducatio præstat utilitatem multam, quia virtute sacramenti augetur in nobis omne bonum. Hæc ille. Sic Alexander papa, quintus a beato Petro, dicit & habetur de consec. » di. 1. « Nihil in sacrificiis majus esse potest, » quam corpus & sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est; sed omnes hæc præcellit. » Hæc ille. Quare sequitur quod utilis est & expediens saluti diviniſſimæ eucharistiæ utraque communio, si fuerit digne celebrata.

Sed ut hoc clarius elucescat, sic persuadetur: Caro namque Christi sub prima specie valet ad tuitionem corporis, cum per ipsam tuetur a concupiscentiis carnis, & fomes reprimitur, atque tentatio debilitatur, juxta illud Psal. *Et panis cor hominis confirmet.* Sanguis vero, teste Ambrosio, fusus est, & sumitur pro anima, quia sanguis suas efficacias principaliter exercet in anima sumentis, scilicet ineffabilem exhilarationem animæ in Christo, juxta illud Psal. *Et vinum lætificet cor hominis.* Et hoc significat beatus Ambrosius super illud 1. Cor. XI. *Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem » bibetis*, dicens: Quia in morte Christi liberati » sumus, hujus in edendo & bibendo carnem » & sanguinem memores esse debemus, in » hoc consecuti novum testamentum, quod » est nova lex, quæ obedientem sibi tradit cœlestibus regnis. Testamentum ergo sanguine » constitutum est, quia beneficii Dominici sanguis testis est. Unde ad tuitionem corporis » & animæ percipimus, quia caro Christi pro » salute corporis, sanguis vero pro anima nostra sumitur & effusus est, sicut præfiguravit » Moyses dicens: Caro, inquit, pro corpore » vestro offertur, sanguis vero pro anima; ideoque non manducandum esse sanguinem « lex præcepit. » Hæc ille. «

Ad idem est S. Thomas parte 3. q. 74. art. primo, sic dicens: » Tertio quantum ad effectum consideratum in unoquoque sumentium, quia, sicut dicit Ambrosius super epistolam, hoc sacramentum valet ad tuitionem animæ & corporis, & ideo caro Christi « sub specie panis pro salute corporis, sanguis « vero sub specie vini pro salute animæ confertur, sicut dicitur Gen 12. Anima animalis « in sanguine est. » Hæc Thomas. Item pro « parte eadem q. 76. art. 2. ubi sic: Tertio, « quantum ad effectum, est conveniens dare « sub diversis speciebus ipsis fidelibus, eo quod « corpus Christi exhibetur pro salute corporis, « & sanguis pro salute animæ. » Hæc ille. «

Etiam patet utilitas communionis sub specie utraque. Sic namque est utilis & saluti fidelium expediens communio sub utraque specie, quia procedit ad augmentum gratiarum ex percepta digne sive celebrata hujusmodi communione. Patet hoc per beatum Augustinum super Psal. 22. in glos. ord. super illo verbo: *Et calix tuus inebrians quam præclarus est*, sic dicentem: « Qui calicem, « id est sanguinem Christi, per se ponit, quasi « aliam gratiam a mensa, id est a carne, ponit; « cum tamen nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne possint esse, vel sumi, nec « ibi sunt duo sacramenta, sed unum. Sed « quia nec caro est sanguis, nec sanguis est « caro; & panis in carnem convertitur, & vinum in sanguinem, & non e contrario; & « sub diversis speciebus utrumque sumitur; « ideo mensam & calicem hic distinguit, velut « diversas gratias. » Hæc ille. Ubi patet expresse « per Ambrosium, Thomam & Augustinum diversa gratia sive efficacia, & diversi fructus, quando sub duabus sumuntur speciebus. Quare ergo fideles intelligere debent radicem suæ utilitatis ex communione digna sub duplici specie provenientis, puta augmentum proveniens divini muneris & efficaciæ divinæ.

Adhuc pro eodem est Albertus libro suo de officio missæ, sic dicens: » Hic ultimo dicendum de proprii effectus operatione, de « quo quidem faciunt quæstionem, quia enim « totus Christus cum sanguine & anima & spiritu & divinitate habetur sub specie istius « cibi, qui est panis, videri potest alicui, quod « nihil operationis in sacramento habet potus sub specie vini. Si enim dicitur de natura, quod non abundat superfluis, neque deficit in necessariis, cum omnino major sit gratia quam natura, videtur quod in gratia nihil est superfluum. Cum igitur totus Christus « cum sanguine habeatur sacramentaliter sub « specie panis, videtur quod totum superfluit « id quod additur sub specie vini. « Hæc ille. Deinde respondendo transcurrit omnes evangelistas, allegans quomodo Christus in utra-

quæ ſpecie hoc ſacramentum inſtituit; quibus
» adductis ſic loquitur: » Ex omnibus iſtis ca-
» pitur, quod Chriſtus ſub una ſpecie panis
» corpus ſuum tradidit, & ſub altera ſpecie
» vini tradidit ſanguinem, & ſic ſervandum in-
» ſtituit; & cum Chriſti actio noſtra ſit in-
» ſtructio, pro certo hæc duo nobis ſervanda
» eſſe præcepit; & ideo ſub una ſpecie corpus,
» & ſub altera tradimus ſanguinem. « Et infra.
» « Et ſicut poſt nutrimentum corporale, ſu-
» mitur potus ad perfectionem nutrimenti, ita
» in nutrimento ſpirituali datus eſt potus ſpi-
» ritualis ad perfectionem nutrimenti ſpiritua-
» lis, qui a nutrimento diviſam habet opera-
» tionem in ſatisfactione ſitis & latione nutri-
» menti. Adhuc autem diviſam habet opera-
» tionem ſanguis a corpore. Corpus enim de-
» dit Chriſtus in communione ſui & mem-
» brorum, ſanguinem autem dedit in redem-
» tionem. Iſtæ autem diviſæ ſunt operationes.»
» Et ſequitur poſt pauca: « Diviſæ ergo eſſen-
» tialiter ad invicem ſunt gratia communio-
» nis, ſcilicet in ſpecie panis, & gratia redem-
» tionis, in ſpecie vini. Cum ergo Deus ſic or-
» dinaverit & multiplicaverit ſacramenta, quod
» omnes gratias ſacramentales habeamus in
» ſacramentis, & alia gratia ſit redemtionis per
» ſanguinem, quam communionis per corpo-
» ris ſumtionem, non ſufficit habere in ſacra-
» mento elementum ſignans communionem,
» niſi etiam haberetur elementum ſignans re-
» demtionem. Et ſic Chriſtus hac ratione in-
» ſtituit utrumque. » Hæc ille.

Etiam apparet manifeſte utilitas communionis ſub ſpecie duplici, quæ duplicem efficit in anima capaci operationem. Nam alterius eſt efficaciæ potus ſacramentalis, quam cibus; quia diviſam habet operationem potus a nutrimento, ſicut dicit Albertus.

Item, ad idem eſt Innocentius lib. ſuo de
» ſacramento euchariſtiæ ſic dicens: a ſimili
» modo licet ſub alterutra ſpecie ſumatur
» utrumque, ideſt corpus & ſanguis, utraque
» tamen ſpecies conſecratur, & neutra ſuper-
» fluit, ut oſtendatur quod Chriſtus naturam
» humanam totam aſſumſit, ut totam redi-
» meret. Panis enim refertur ad carnem & vi-
» num ad animam, quia vinum ſanguinem
» operatur, in quo ſedes eſt animæ. Unde le-
» gitur in Levitico: *Anima carnis in ſanguine*
» *eſt.* Moyſes quippe teſtatur, quod caro pro
» corpore, ſanguis vero offertur pro anima.
» Quocirca panis & vinum in ſacrificium of-
» feruntur, quod valet ad nutritionem carnis &
» animæ: ne ſi ſub altera tantum ſpecie ſume-
» retur, ad alterius tantum putaretur pertinere
» ſalutem. Et quamvis ſanguis ſub ſpecie pa-
» nis ſumatur cum corpore, & ſub ſpecie vini
» corpus ſumatur cum ſanguine; tamen nec
» ſanguis ſub ſpecie panis, nec corpus ſub ſpe-
» cie vini bibitur aut comeditur; quia, ſicut
» nec ſanguis comeditur, nec corpus bibitur,
» ita neutrum ſub ſpecie panis bibitur, aut ſub
ſpecie vini comeditur. Etſi conceſſibile videatur, quod corpus bibendo vel ſanguis comedendo ſumatur. Eſt ergo modus ſumendi carnem & ſanguinem, quo neutrum manducatur aut bibitur « hæc ille.

Et cum teſte Thoma p. 3. q. 64. ar. 1. idem agens principale utitur diverſis inſtrumentis ad diverſos effectus, ſecundum congruentiam operum; & ſimiliter virtus divina & paſſio Chriſti operatur in nobis per diverſa ſacramenta, quaſi per diverſa inſtrumenta. Hæc Thomas. In duplici ergo ſpecie cum ſint diverſa inſtrumenta, ſequitur quod virtus divina per eas diverſas efficacias operatur.

De triplici effectibus ſacramenti ſanguinis.

Ex quibus luce clarius patet, quam magnum bonum utile & ſaluti expediens faciunt, qui digne diviniſſimam euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumunt. Ut autem luculenter utilitas appareat communionis diviniſſimæ euchariſtiæ *ſub ſpecie utraque, quamque ſit expediens ſaluti hominis, præſertim* communio diviniſſimi calicis, pro qua his diebus labores & plurimæ difficultates emerſerunt, eſt advertendum. Ipſum namque ſacramentum ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini habet ſibi proprios effectus ſaluti fidelium valde utiles, qui per formam ſuæ conſecrationis exprimuntur, puta iſtos: remiſſionem peccatorum, æternitatem gloriæ, meritum fidei. De quibus dicit Th. parte 3. q. 76. ar. 3°. Quod per hæc verba: *Hic calix ſanguinis mei, ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem*, per verba autem ſequentia deſignatur virtus ſanguinis effuſi in paſſione, quæ operatur in hoc ſacramento: quæ quidem ad tria operatur. Primo quidem principaliter ad adipiſcendam æternam hereditatem, ſecundum illud Hebræ. 10. *Habemus fiduciam in introitu ſanctorum per ſanguinem ejus*, & ad hoc deſignandum dicitur *Novi & æterni teſtamenti.* 2°. Ad juſtitiam gratiæ quæ eſt per fidem, ſecundum illud Rom. 3°. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ejus, ut ſit ipſe juſtus & juſtificans eum qui ex fide eſt* Jesu Christi; & quantum ad hoc ſubditur: *myſterium fidei.* 3°. autem ad removendum impedimenta utriuſque prædictorum, ſcilicet peccata, ſecundum illud Hebræ. 10. *Sanguis Chriſti emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis*, id eſt a peccatis & quantum ad hoc ſubditur; *qui pro vobis & multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Hæc Thomas. Et ſubdit ibidem; quod ſanguis non ſolum habet efficaciam in ſacerdotibus qui hoc conficiunt, vel aliis qui ſumunt, ſed etiam in illis pro quibus offertur. Hæc ille.

Ecce quibus effectibus populos fideles exſpoliant, qui eis ſacramentum calicis detrectant. Fructus etiam communionis calicis tangitur per Cyprianum ad Cæcilium epiſtola 34. Sic dicentem «: Quemadmodum po-

tu

» tu vini communis mens ſolvitur, & anima » relaxatur, & triſtitia omnis exponitur : ſita » & potato ſanguine *Domini* & poculo ſalutari Dei, exponitur memoria veteris hominis, & fit oblivio converſationis priſtinæ ſæcularis, & mœſtum pectus ac *triſte*, quod prius erat, peccatis augentibus, divinæ indulgentiæ lætitia reſolvitur. » Hæc ille. Ipſe etiam *ſanguis Chriſti* quos effectus efficiat in omni digne ſumente, patet adhuc per Thomam ſermone 3. dicentem : » Sanguis » *Chriſti ut ſignificatur* per aquam, tres habet » effectus in anima fideli : arida ejus humectat » & mergit, male incenſa refrigerat & extin- » guit, cibum verbi Dei ad membra vehit ut » bene operari poſſit. De primo Iſaiæ 44. *Effundunt aquam ſuper ſitientem, & fluenta ſuper arida*, ut ſcilicet anima quaſi pulvis arida, » & fluit facile & prona ad malum, potu ſanguinis Chriſti perfuſa conjungatur & conglutinetur & roboretur ad bonum. » Et infra : Idem de ſecundo effectu pſalmiſta dicit: *Percuſſit petram & fluxerunt aquæ*, ad refrigerandum ſcilicet pravæ ſitis ardorem. Eccl. 3. ignem ardentem extinguit aqua, quia ſanguis Chriſti figuratus per aquam deſtruit fervorem iræ, avaritiæ & pravi amoris & concupiſcentiæ. Et infra de tertio effectu 3. Reg. 19. *Helias comedit & bibit aquam & ambulavit in fortitudine*, &c. Potus cibum ad membra vehit, & eumdem ad ambulandum ſive ad operandum movet : ſic potus ſanguinis Chriſti cibum verbi Dei ſive præcepti ad corda refert, ut vires animæ & membra corpori uniat. Poſt hoc ſubdens infra ibidem dicit, quod ſanguis Chriſti conſiderari poteſt ut vinum ſpirituale, & ſecundum hoc habet tres effectus. Quia lavat, calefacit, lætificat. Lavat ſordes culpæ, calefacit corda caritate, lætificat ſpirituali dulcedine. De primo Gen. 49. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum.* 1. Johan. 1. *Sanguis* CHRITI JESU *emundat nos ab omni peccato.* Hebræorum 9. *Si enim ſanguis hircorum* &c. *quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?* &c. ibidem poſita: Hæc Thomas in ſententia ſerm. 30.

De tribus effectibus ſanguinis Chriſti ut ſignificatur per aquam.

De tribus effectibus ſanguinis Chriſti ut ſignificatur per vinum.

Quam nobiles autem & quam neceſſariæ ſaluti ſunt calicis ſacratiſſimæ efficaciæ, egregie declarat eas Chryſoſtomus ſuper Johannem, morali 46. dicens. » Hic ſanguis imagi- » nem nobis floridam operatur regalem, hic » pulchritudo inconſtructibilis, hic marceſcere » animæ nobilitatem non permittit, irrigans » eam continue & nutriens. Nam qui quidem » a cibariis nobis fit ſanguis, non confeſtim » hoc fit, ſed aliud quid : hic autem non ita, » ſed confeſtim animam irrigans, magnam » quamdam virtutem inſpirat. Hic ſanguis my- » ſticus abigit quidem dæmones, & longe eſſe » facit ; vocat autem angelos ad nos, & an- » gelorum dominatorem. Ubicumque enim

A viderint ſanguinem Dominicum, fugiunt « quidem dæmones, concurrunt autem an- « geli, hic ſanguis effuſus omnem terrarum « orbem lavit. » Et infra. « Hic ſalus noſtrarum « animarum, hoc lavatur anima, hoc pulchra « fit, hoc ignitur, hic igne clariorem operatur « intellectum noſtrum, hic auro lucidiorem « animam noſtram facit, hic effuſus eſt ſan- « guis & cœlum vadibile fecit : horribilia val- « de myſteria, eccleſiæ horribile altare. Vere « aſcendebat de paradiſo fons ſenſibilia flumina « emittens. A menſa hac aſcendit fons flumi- « na emittens ſpiritalia : ſecus hunc fontem « B plantati ſunt, non ſalices infructuoſi, ſed & « arbores ad ipſum aſcendentes cœlum, fru- « ctum habentes maturum ſemper & immar- « ceſſibilem. Si quis æſtum patitur, ad hunc « veniat fontem & refrigeret æſtum. Etenim « ariditates ſolvit & incendentia omnia mi- « tigat, non quæ ex ſole ſolum, ſed quæ a re- « lis ignitis. Etenim principium deſuper habet « & radicem illic unde & irrigatur. Et infra. « Hic fons emittit veritatis radios, hinc & ſu- « periores virtutes aſſiſtunt ad pulchritudinem « inſpicientes rivorum, quia & manifeſtius « nobis ille propoſitorum conſiderat virtutem « & imitationes inacceſſibiles. Quemadmo- « C dum enim auro liquefacto, ſive manum « quis miſerit, ſive linguam, aureum eam « confeſtim facit, ita utique & hic animam « operantur ea quæ præjacent. Nam fervet qui- « dem igne vehementius hoc flumen, ſed non « ardet, ſed infundit ſolum quæcumque ſuſ- « ceperit. Hic ſanguis deſuper præfigurabatur « ſemper in altaribus in *juſtorum occiſionibus*, « hic honor orbis terrarum, hoc comparavit « eccleſiam Chriſtus, hoc honoravit eam uni- « verſam. Sicut enim homo ſervos emens, au- « rum dat & honorare eos rurſum volens, auro « hoc facit : ita & Chriſtus, & comparavit nos « D ſanguine, & ornavit ſanguine. Qui hoc par- « ticipant, ſanguinem digne cum angelis & ar- « changelis & ſuperioribus virtutibus ſtant, « hanc induti Chriſti regalem ſtolam, arma « habentes quæ ſpiritualia. Sed nihil adhuc « dixi. Ipſum enim induti ſunt regem, ſed ſi- « cut eſt magnus & *mirabilis*, ita & ſi cum « puritate acceſſeris, in ſalutem acceſſiſti : ſi « vero cum pernitioſa conſcientia, & in ſup- « plicium & *in cruciationem*. Qui enim man- « ducat & bibit indigne ſanguinem & corpus « E Domini, judicium ſibi manducat & bibit. « Hæc Chryſoſtomus.

Ex quo patet quam pretioſos & nobiles effectus gratiarum facit calix ſacramentalis illis, *qui cum puritate conſcientiæ* accedunt, & quam ſaluti omnium fidelium neceſſarios; & oportunos quidem efficit in eis ex vi ſacramenti, & ex inſtitutione Chriſti ſpeciali. Ideo univerſi fideles conſiderantes tam pretioſos effectus dari ſibi in ſacramento altaris, *propter mille mortes* & peſtes & ignes non deberent quidem, nec paterentur ſe abduci a

communione ſacratiſſimi calicis. Item, dominus Armacanus Hiberniæ primas lib. IX. tractans de utraque ſpecie corporis & ſanguinis Domini c. 8. ſic dicit : » Non eſt negandum, ſed firmiter aſtruendum, quod ſumtio ſacramentalis corporis & ſanguinis ſalvatoris noſtri, multum prodeſt fidelibus ad vitam ſpiritualem augendam. » Hæc ille. Inde eſt quod eccleſia primitiva, attendens diviniſſimæ communionis ſub utraque ſpecie utilitatem, quolibet die ipſi innitebatur, & diligens fuit de eadem, ſicut ſcribitur Act. 2. ubi ſic dicitur : *Quotidie quoque perdurantes in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Hoc idem patet per Anacletum lib. conciliorum, & habetur tranſſumtive de conſec. di. 2. *Peracta.* ubi ſic dicitur. » Peracta autem conſecratione omnes » communicent, qui nolunt eccleſiaſticis ca- * *l.* limi- » rere * luminibus. Sic enim & apoſtoli ſtatue- nibus. » runt & ſancta Romana tenet eccleſia. » Hæc ille. Et niſi tales magni & ſpiritu Dei repleti, fructum & utilitatem communionis diviniſſimæ ſub utraque ſpecie vidiſſent, non ſic diligentes de eadem fuiſſent. Nam & hoc bonum ipſa communio diviniſſimæ euchariſtiæ habet, ſingulare, certum, & a ſcripturis intentum & exercitium ſalubertimum, puta probationem ſui ipſius & ſuæ vitæ diſcuſſionem. Quoties etenim Chriſtianus vult accedere ad diviniſſimam euchariſtiam, toties ſemper habet ad ſeipſum redire, & ſuam vitam & conſcientiam judicare, & cum veritate concordare, & omnibus inimicis culpas condonare. Quod quantum ſit bonum & quam utile in hac vita, novit omnis qui habet rationem. & iſtud plane notatum eſt Exodi xv. ubi Dominus in figura hujus ſacramenti præcipit Judæis dicens : *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, egrediatur populus, & quæ ſufficiunt per ſingulos dies colligat.* Et tunc ad propoſitum : *ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non.* Et ſam patet quam utilis & expediens ſit ſaluti homini communio diviniſſimæ euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, a Chriſtianis digne celebrata. Hoc autem patet ex verbis Chriſti, ſententiis doctorum, praxi primitivæ eccleſiæ & libro conciliorum, ex dicto Anacleti ſupra jam & immediate adductis & allegatis.

Ex jam dictis ſequitur corollarium. QUAM vis totus Chriſtus plenus Deus & homo ſit ſub alterutra ſpecie cum plenitudine omnium gratiarum, non tamen uno modo omnem gratiam diſpenſat : ſed per diverſa ſacramenta diverſas gratias idem ipſe Chriſtus confert. Patet : Nam in prima ſpecie corpus dat in communionem, ſanguinem autem in redemtionem. Tum etiam quia in prima ſpecie dat ſe per modum cibi, in ſecunda per modum vitis veræ, optimum vinum ſpirituale de ſe derivantis. Et primam deguſtationem Chriſtus vocat comeſtionem, ſive manducationem, dicens : *Comedite, hoc eſt corpus meum.* Secundam vocat bibitionem, dicens : *Bibite ex hoc omnes.* Et ſic Chriſtus ibi inſtituit duplicem deguſtationem, ut ſcilicet guſtetur corpus ejus per comeſtionem, & alio guſtu guſtetur per bibitionem; & ſicut alia eſt guſtatio prima a ſecunda, ſic alia eſt ſpecies prima quam in ſecunda, quamvis ſit idem Chriſtus. Sic etiam alia eſt efficacia ſpiritualis ſub prima ſpecie, quæ datur per modum nutritionis; & alia in ſecunda, quæ datur per modum ſpiritualis refectionis; quod patet ex verbis Chriſti, qui ad primam ſpeciem dicit : *Comedite*, & ad alteram dicit : *Bibite.*

Patet ſecundo quod ſub duplici ſpecie capiens diſpoſitive, duplicem gratiam accipit ſupra illum qui in una ſpecie accipit, ceteris tamen paribus; & hoc innuit Auguſtinus ſuper pſalmo jam allegato. 2. Corolla.

Tertio ſequitur corollario & luce clarius patet, quam magnum ſacrilegium committunt, qui ſacramentum calicis ab eccleſia fidelium contemtibilites auferunt, patet quia non rem parvam a Chriſtiano populo, ſed tantam ſub altera ſpecie gratiam & efficaciam, quantacumque eſt in prima, damnabiliter abſtrahunt, & contra Chriſti liberaliſſimam inſtitutionem auferunt & decerpunt. 3. Corolla.

Corollarium quartum. Multum damnificantur fideles Chriſtiani altera ſpecie divinæ communionis ſubtracta. Patet; quia non recipiunt totalis ſacramenti compleram gratiam, nec Chriſti plenum fructum. Plus enim videntur damni inferre eccleſiæ, quam ſi medietatem ſacrificiorum veterum cum omnibus vitulis, bobus, ovibus, & hircis a Judæis abſtraxiſſent, paret quia omnia ſacrificia præcellit corpus Chriſti & ſanguis ejus. 4. Corollar.

Secunda pars propoſitionis eſt iſta. TOTI *populo credentium eſt neceſſaria.*

Primo quod ſit toti populo credentium ſub utraque ſpecie ad communicandum inſtituta, patet primò lege Dei, ſententia & inſtitutione ſalvatoris ſic dicentis : *Accipite & comedite hoc eſt corpus meum*; & : *Bibite ex hoc omnes. Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Et Johan. VI. Salvator omnes fideles obligans ad ſumtionem ſacramenti, dicit : *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus eſt potus, qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Et ne aliquis velit dicere : quod ſolis apoſtolis & eorum ſucceſſoribus Dominus JESUS inſtituit, ad ſic ſumendum ſub utraque ſpecie modo ſupradicto, Paulus apoſtolus fidelis in- Actus 1. 6.

1. Corollar. Quod per diverſa ſacramenta Chriſtus diſpenſat diverſas gratias.

terpres legis Christi, istam coenam sacramentalem Dominicam communitati fidelium dicit esse institutam propter dominicæ passionis commemorationem. Nam 1. cor. 11. ita dicit: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus* Jesus *in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hic calix novi testamenti est in meo sanguine, hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Et infra: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Et quod intelligitur de sacramentali manducatione dicit infra: *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* In hoc enim quod dicit, *indigne*, intendit de sacramentali manducatione & bibitione: quia nemo indigne potest manducare & bibere, qui spiritualiter manducat & bibit.

Achilles.

Rationes quod communio sub utraque specie omni populo credentium sit necessaria.

Quod autem communio divinissimæ eucharistiæ sub utraque specie toti credentium populo sit necessaria, patet per illud Johannis sexto: *Nisi manducaveritis*, &c. importat enim hoc dicto, *Nisi*, necessitatem præceptivam, non solum de comestione, sed & de bibitione sacramenti, obligativam omnium fidelium, sub carentia vitæ æternæ. Unde » dicit Lira sub prædicto textu.» Hic consequenter ostenditur hujus sacramenti necessitas. Judæi enim rudes reputabant Christi verba inutilia & impossibilia. Ideo ostendit necessitatem hujus sacramenti, dicens: *Nisi manducaveritis carnem*, &c. Sicut enim in vita corporali cibus est necessarius ad vitam conservandam, ita in vita spirituali hoc sacramentum est necessarium; quia est vitæ spiritualis conservativum.« Hæc ille. Item, Lira super illo Johannis: *Spiritus est qui vivificat*, » sic dicit: Hic exponit secundum de quo murmurabant, scilicet: quia dixerant, carnem » suam esse cibum necessarium ad salutem, & » ipsi intelligebant hoc; ac si daretur in propria specie, ac sicut laniatur vel venditur in » macello, quod esset horribile. Hæc Lira. Ex » cujus verbis expresse patet, ipsum sacramentum & carnem suam esse in sacramento cibum necessarium. Et ad idem est Augustinus lib. 5. homiliarum homilia 43. Sic dicens: » Intelligitur etiam hoc valde bene, » *panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* » Hoc est eucharistiam tuam, quotidianum » cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & » bonum est eos accipere panem quotidianum » huic tempori necessarium.» Hæc ille, ex quo » patet, quod eucharistia est panis huic tempori » necessarius, & sic ex necessitate & præcepto

A Christi expetendus & accipiendus. Item Ambrosius in gl. ord. Super verbo: *Cetera cum venero disponam*, « quasi, inquit diceret: Tenete quod dixi, cetera autem de eodem, id est quæ ad ejusdem sacramenti ordinem pertinent, cum venero disponam. Sed his carere non potestis. « Hæc ille. Ex cujus verbis patet, quod apostolus præcepit dicens: *Tenete quod dixi*, scilicet; accipite, manducate, & calicem bibite: Tenete, inquit, & non intermittite nec mutate. 2. Notandum hoc quod dixit: His carere non potestis, ubi & aperte notatur necessitas communionis sacramentalis sub utraque specie, tanta scilicet, quod ea fideles carere non possunt, si velint salvari, & in præsenti vivere vita spiritali. Quia sicut vita corporalis stare non potest neque continuari, nisi cibo & potu sibi congruo sustentetur: Sic vita spiritualis animæ, si non cibo suo & potu quotidie vel sæpe nutriatur, stare, vegetari, augmentari & continuari nequaquam potest, teste Lira superius allegato. Item, ad idem est Paschasius qui in tractatu de corpore Christi loquens c. 2. Sic dicit: Justum & perneccessarium est, ut redemtus homo alatur ad incorruptionem, & potetur ad vitam; propterea mox Salvator intulit. *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*; ac si diceret: Quia generaliter cibo & potu id maxime appetunt, ut non esuriant neque sitiant, & ne moriantur; hoc utique communis iste non patrat cibus & potus, sed caro mea & sanguis, qui immortales & incorruptibiles facit. Ideo vere cibus & potus nominantur. Constat igitur & liquet omnibus, quod in hac mortali vita *sine cibo &* potu non vivitur. Sic itaque ad illam æternam non pervenitur, nisi duobus istis ad immortalitatem spiritaliter nutriatur; & ideo bene simul in calice redduntur, quia de uno calice passionis hæc duo nobis ad vitam manarunt. Sed infelix est animus, qui hoc non satis credit; & tamen non dubitat, quod cibo & potu vita humana sustentetur. Si enim in hoc mortali cibo tanta vis est, ut quotidie vitam habentem reparet & vires restituat, *quid sentiendum de hoc immortali cibo &* potu, in quo vita æterna præstatur, & immortalitas regnat. veritas enim Deus est, & veritas Christus est, quod utique Deus est. » Hæc ille.

Quod nedum justum est, sed necessarium, sed & perneccessarium, id est valde necessarium cuilibet homini, ut alatur sacramento panis, & potetur sacramento sanguinis, quia *illis duobus ad immortalitatem spiritualiter* nutritur, & quod infelix est, qui non credit *illud de immortali cibo & potu* sacramenti. Ad idem est Thomas parte 3. q. 73. art. 3. ubi dicit: » Quod res alicujus sacramenti potest quandoque haberi ante perceptionem illius sacramenti, ex ipso voto sacramenti per-

» cipiendi. unde ante perceptionem hujus sa-
» cramenti potest homo habere salutem ex vo-
» to percipiendi hoc sacramentum, sicut & an-
» te baptismum ex voto baptismi, ut supra di-
» ctum est: tamen differentia est quantum ad
» duo. Primo quidem, quia baptismus est prin-
» cipium spiritualis vitæ & janua sacramento-
» rum, eucharistia vero est consummatio spiri-
» tualis vitæ, & finis omnium sacramentorum.
» Per sanctificationes enim omnium sacramen-
» torum fit præparatio ad suscipiendam eucha-
» ristiam; & ideo perceptio baptismi est neces-
» saria quoad inchoandam spiritualem vitam,
» perceptio autem eucharistiæ est necessaria ad
» consummandam ipsam. non ad hoc quod
» simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere
» in voto, sicut & finis habetur in desiderio &
» intentione. Hæc ille. Et consequenter patet,
quod perceptio eucharistiæ est necessitatis
modo supradicto. Item Thomas in scripto
» suo super 4. dist. 12. ait: Quod sacramentum
» eucharistiæ, etiam sine institutione ecclesiæ,
» est necessarium non simpliciter, ut sine quo
» non esset salus; sed ex suppositione finis, sci-
» licet, si homo in hac vita spirituali firmus per-
» sistere vellet. Hæc ille. Ex hoc patet planissi-
me distinctionem necessitatis supradictam esse
veram.

Item Thomas in suis quæstionibus super 4. quæst. 51. ubi movens istam quæstionem: Utrum communio sacramenti sit de necessitate salutis, respondendo ad illam, & conce-
» dendo in forma quæstionem, sic dicit: Di-
» cendum quod omnibus fidelibus viatoribus
» communio hujus sacramenti & duplex ejus
» manducatio pertinet ad necessitatem salutis,
» nisi necessitatis articulus non contemtus ex-
» cludat communionem vel evacuet; & hoc
» propter duo, scilicet propter efficaciam &
» virtutem sacramenti, & propter auctoritatem
» præcepti. Hæc Thomas. Ex quo patet, quod plane loquitur, quod communio sacramentalis omnibus est de necessitate salutis.

Item, idem in suis quæstionibus super 4.
» q. 39. dicit: Eucharistiæ institutio est propter
» duo, scilicet propter declinationem mali,
» quia propter peccata necessaria, necessarius
» est panis quotidianus. Ambrosius: Qui sem-
» per pecco, semper medicinam accipere de-
» beo. Hæc ille. Ex cujus dicto patet, quod eu-
charistia est necessitatis ex causa supradicta, scilicet propter remissionem peccatorum quotidianorum, immo & mortalium oblito-
rum, ut dicunt omnes fere doctores. Et pa-
tet de consecr. dist. 2. *Cum omne crimen.*

Ad idem est doctor subtilis, puta Scotus,
» super 4. dist. 13. qu. 2. Sumere eucharistiam
» est magis necessarium, quam conficere; &
» magis necessarium licet sit in se aliquando
» nobilius, pluribus tamen competit, quam
» minus nobile, quod est minoris necessitatis.
» Et infra: Et ita Christus expresse docuit, se

A velle eucharistiam sumi a quolibet Christia-
no. Johan. VI. *Nisi manducaveritis, &c.* & lo-
quitur omnibus: sed consecrationem seu dis-
pensationem noluit esse ita communem, quia
non fuit necessarium ut esset ita communis.
possunt enim pauciores dispensare, quam sus-
cipere. Hæc doctor subtilis. Ex cujus dicto
eleganter patet, 1°. quod sumtio seu com-
munio sacramenti *est majoris necessitatis*, quam consecratio, tamquam finis melior &
B nobilior ipsa consecratione, quod est contra
omnes adversarios hujus veritatis, dicentes:
Consecrationem esse de præcepto, non com-
munionem. 2°. Patet, quod illa auctoritas
communicandi extendat se ad omnes Chri-
stianos, ex Christi doctrina dicentis: *Nisi manducaveritis, &c.* quod omnibus loquitur, ut
ipse dicit; & omnes obligat ad manducan-
dum & bibendum sacramentaliter, sed non
sic ad conficiendum.

Positis jam plurimis testimoniis pro necessi-
tate communionis, lege scilicet CHRISTI JESU, & sanctorum sententiis, adhuc restat videre dicta canonum & conciliorum. Unde canon cum glo. ex concilio Martini papæ 26. q. 6. c. *Si quis*, ubi dicitur: Si quis de corpore
C exiens, novissimum & necessarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur: ubi glo. super verbo *Necessarium* dicit: Quod hoc sacramentum est necessarium ad salutem, nec alicui negatur, etiamsi debet suspendi. Allegat 23. q. 2. *Quanta.*

Probatur auctoritate canonum.

Item, ad idem concilium Nicænum, quod, secundum beatum Gregorium, ut evange-
lium est suscipiendum & venerandum, posi-
tum est q. ubi dicitur: De his vero qui rece-
dunt a corpore antiquæ legis, regula obser-
vabitur, etiam nunc ita, ut si forte quis rece-
dit a corpore, necessario vitæ suæ non defrau-
D detur viatico. Hæc ibi. Et patet, quod hoc sacramentum & ejus communio dicuntur hic esse de necessitate salutis, juxta expositionem glo. canonis præcedentis.

Item, ad idem legitur 1. q. 1. cap. *Remis-*
sionem: Sed notandum est, quod sacramen-
torum alia sunt necessitatis, alia dignitatis:
quia enim necessitas non habet legem, sed
ipsa sibi facit legem, illa sacramenta quæ sa-
luti sunt necessaria, auferri vel amitti non de-
bent: ubi glo. super verbo *Necessitatis* sic: Ne-
cessitatis quinque sunt sacramenta, scilicet,
E baptismus, confirmatio, pœnitentia, ultima
unctio, corpus Christi.

Nec valet hæc objectio adversariorum dicentium, quod hæc quinque sacramenta dicuntur ex præcepto ecclesiæ, & non ex præ-
cepto Christi & legis divinæ. Est enim figmen-
tum evasivum; quia, ut dicitur in prædicto §. sed notandum, quod necessitas illa, qua illa quinque sacramenta dicuntur necessaria, non habet legem, sed sibi facit legem, propter

quam auferri vel amitti non debent. Hoc autem proprium eſt neceſſitati legis divinæ, quia ſola ſibi facit legem abſque hoc, quod aliquis homo ſtatuat ſibi vel ponat legem.

Item, ad idem eſt extra lib. 1. cap. *Veniens*, ubi legitur, Quod monachi in parrochia S. Mariæ terras excolunt, & ab eadem eccleſia coloni eorum omnia eccleſiaſtica, tam neceſſaria quam voluntaria, ſuſcipiunt ſacramenta, & tamen eidem eccleſiæ decimas ſolvere contradicunt; ubi glo. 68. ſuper verbo *Neceſſaria*, ſic dicit: Quædam ſacramenta ſunt neceſſaria, quædam voluntaria. Hæc diſtinctio ponitur 1. q. 1. parag. Sed notandum eſt. Sacramenta neceſſitatis ſunt iſta, baptiſmus, confirmatio, pœnitentia, ultima unctio, corpus Chriſti. Et ideo dicuntur ſacramenta neceſſitatis, quia ſine iſtis homo ſalvari non poteſt, ſi ex contemtu omittantur & haberi poſſint. Hæc ibi. Ex intentione hujus gloſſæ patet, quod illa quinque ſacramenta ſic dicuntur neceſſitatis, & obligant.

Item, ad idem eſt Johannes Andræas ſuper rubricam de ſacramentis non iterandis, & Raymundus in ſumma e. rubrica parag. *Nullo*. Species ſacramentorum ſunt duæ cum multis concordantiis.

Item, ad idem eſt Hoſtienſis in præfato cap. *Veniens*, ubi ſic dicit: Quod prædicta ſcilicet ſacramenta quinque ideo dicuntur neceſſaria, quia ſine ipſis, ſi contemnantur recipi, non eſt ſalus. Et primo, quia ſcilicet, baptiſmo ſemel recepto, ad ipſum ſervandum, & alia quatuor recipienda quilibet eſt cogendus. Allegat multas concordantias.

Item, ad idem eſt Archidiaconus ſuper præfato parag. *Sed notandum*, dicens: In hac parte facit differentiam inter ſacramenta neceſſaria & voluntaria. Neceſſaria enim ſunt ſacramenta, ſine quibus nemo ſalvatur. Et infra: Notandum eſt, quod ſacramentorum alia ſunt generalia ſive neceſſaria, alia ſpecialia ſive voluntaria. Generalia dicuntur, quæ omnes contingunt & omnibus conveniunt; dicuntur neceſſaria, quia ſine eis vix aut numquam ſalus haberi poteſt; & ſunt quinque, ſcilicet, baptiſmus, confirmatio, euchariſtia, pœnitentia, extrema unctio. Hæc ille. Et etiam patet ex his dictis doctorum, quam diſtricte hæc quinque ſacramenta obligant & neceſſitant. Apparet ergo manifeſte ex dictis jam magnorum virorum pluribus allegatis, quod ipſa communio diviniſſimæ euchariſtiæ eſt neceſſaria, ſive eſt ſacramentum neceſſitatis; quod quamvis pluribus ſit oſtenſum modis, quia lege Dei, ſanctorum dictis & ſententiis, canonibus & conciliis, adhuc rationibus ipſa communio euchariſtiæ diviniſſimæ neceſſaria fore deducetur.

Sed jam adhuc præſens alia difficultas tangenda eſt & eliminanda. Quia poſtquam jam deducebatur, quod ipſa communio euchariſtiæ ſit neceſſaria, cujus neceſſitas, ut tactum eſt, Johan. VI. fundatur. Reſtat jam videre, & dictis ſanctorum declarare, quod illud dictum: *Niſi manducaveritis carnem, &c.* de manducatione ſacramentali & bibitione, & non de ſola ſpirituali intelligatur.

Patet per gloſſam interlinearem, quæ ſuper præfato textu ſic dicit: Uſque modo non fecit mentionem de comeſtione ſacramentali altaris; etſi ignoreris quis modus ſit dandi vel manducandi, tamen niſi manducaveritis carnem, &c. Hæc gloſſa in forma, prout in pluribus exemplaribus reperitur. Aliqua tamen exemplaria habent primam partem ejus in gloſſa marginali, & alteram partem in loco interlineari: ſed cum hoc nihil variet ad propoſitum, patet plane ex hac gloſſa, quod Chriſtus in prædicta littera incipit facere mentionem de manducatione & bibitione ſacramentali altaris, quam uſque modo, id eſt uſque ad illum locum litteræ nondum fecerat.

Patet etiam idem per litteram ſequentem, & ejus gloſ. ord. quia dicit Chriſtus: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo.* ubi gloſſa ordinaria dicit: Exponunt, inquit, quidam ſancti doctores de comeſtione altaris, & bene dicunt. Hæc gloſſa. Ex qua patet, quod iſtam litteram & præcedentem immediate allegatam ſancti doctores exponunt de ſacramentali manducatione, & quoad hoc bene dicunt: ergo per locum a contrario ſenſu omnes adverſarii, dicendo illam litteram duplicem non eſſe exponendam de ſacramentali manducatione & bibitione, ſed de ſola ſpirituali & myſtica, decipiunt & male dicunt.

Item, ad idem eſt Remigius in homilia ſuper verbo: *Niſi manducaveritis, &c.* ubi ſic dicit: Hæc ſacra lectio plena eſt ſalutis æternæ myſteriis & ſubſtantialibus ſacramentis animæ. Subſtantia quippe animæ Verbum Dei eſt. Nam quæ melior ſubſtantia eſſe poteſt, quam cibum ſpiritualem deſiderare, Verbum Dei in ſe habere, immo in ipſo manere, qui vere eſt, quique omnibus præſtat ut ſint? Nam qui ſine illo ſunt, non ſolum non vivunt, ſed etiam nihil ſunt. Qui vero hujus veræ vitæ veræque ſubſtantiæ participes ſunt, illi vere vivunt, & ſunt, nec ullo mortis metu attentantur, quia vitam ipſam in ſe ſuſceperunt, immo a vita ſuſcepti ſunt. Hoc tantum & tam admirabile præmium in Chriſto & per Chriſtum habemus, Deum & Dominum noſtrum, qui cum ſit Verbum Dei, & panis ſuperſubſtantialis & ſupercœleſtis, carnem ſuam nobis in cibum, & ſanguinem ſuum ſacroſanctum conceſſit in poculum, quoad æternam vitam veramque profitemur ſubſtantiam; ſicque mirabili quodam ineffabilique commercio carnis & ſanguinis ejus myſteria ſuſcipientes, ipſum Verbum Dei Deum nos ſuſcipere fideliſſime gauderemus ad hanc ſpiritualem alimoniam. Ad hoc myſticum epulum & divinum nos Dominus invitat, tamquam ne-

» ceſſitatem ſumendæ hujus alimoniæ nobis in-
» dicit, ut aliter vitam in nobis habere non
» poſſimus, niſi carnem ejus manducaverimus
» & ſanguinem ejus biberimus. Et infra: Filium
» hominis ſe utique dicebat, cujus corpus quo-
» tidie per ſacerdotes immolatur in altari. A-
» poſtolus enim dicit: *Panem quem frangimus,*
» *nonne corpus Chriſti eſt? & calix cui benedici-*
» *mus, nonne ſanguis Domini eſt?* Et ipſe qui-
» dem in corpore, quod de Virgine aſſumſit,
» ſemel paſſus eſt. Reſurgens enim a mortuis,
» jam non moritur, mors illi ultra non domi-
» nabitur: ſed myſterium ſui corporis & ſan-
» guinis quotidie a fidelibus per ſacerdotum
» miniſterium fieri mandavit rationali ſacra-
» mento, quia nimirum aliud eſt & aliud vi-
» detur. videtur namque panis, ſed eſt certiſſi-
» me corpus Chriſti. *Niſi igitur manducaveritis*
» *carnem filii hominis, & biberitis ejus ſangui-*
» *nem, non habebitis vitam in vobis*, videlicet
» animæ, ipſum Chriſtum, qui alibi dicit: *Ego*
» *ſum via, veritas & vita*, quam habere, vitam
» æternam eſt poſſidere. Unde ad hoc apertius
» adjungit: *Qui manducat meam carnem & bibit*
» *meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Poſ-
» ſunt quidem homines ſine hoc cibo tempo-
» ralem vitam hanc in præſenti ſæculo habere,
» æternam vero vitam habere nequeunt, quæ
» ſolum ſanctis carnem & ſanguinem Chriſti
» digne ſumentibus promittitur. Denique, ne
» putarent ſibi in iſto cibo & potu ſic promitti
» vitam æternam, ut jam nec corpore more-
» rentur, cum dixiſſet: *Qui manducat meam car-*
» *nem & bibit meum ſanguinem*, continue ſub-
» jecit & ait: *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo*
» *die.* Nam qui digne carnem Chriſti comedit
» & ſanguinem bibit, mortuus corpore, habet
» interim ſecundum ſpiritum vitam æternam.
» Et infra: Ad hanc denique demonſtrandam
» Dominus & redemtor noſter corpus & ſan-
» guinem ſuum ex illis rebus voluit conſecrari,
» quæ ex multis particulis ad unum rediguntur.
» Nam panis ex multis granis conficitur, vi-
» num ex multis acinis vel racemis in unum
» confluit; ſic & unitas eccleſiæ, quæ eſt corpus
» Chriſti, *ex multis fidelium perſonis conſtat.*
» Jam vero conſequenter exponit quomodo id
» fiat, & quid ſit manducare carnem & ſangui-
» nem bibere. *Qui manducat*, inquit, *meam car-*
» *nem & ſanguinem meum bibit, in me manet*, &c.
» Hoc profecto eſt hanc eſcam manducare &
» hunc potum bibere, manere in Chriſto, &
» Chriſtum in ſe habere manſorem. Atque ideo
» peccator aliquis indignus, qui non manet in
» Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, licet
» carnaliter & viſibiliter manducet, & ſacra-
» mentum corporis Domini dentibus atterat,
» & in viſcera transfundat; non tamen ſpiritua-
» liter manducare credendus eſt, non ad ſalu-
» tem, ſed ad judicium ſibi manducat & bibit,
» cum indignus, & maculatam habens con-
» ſcientiam, præſumit ad terrificum & vivifi-
» cum appropinquare myſterium, quod nullus

A alius digne ſumit, niſi qui mundum cor ha-
bere ſtuduerit. Et infra: *Multi itaque audien-*
tes ex diſcipulis ejus, dixerunt: Durus eſt hic
ſermo, quis poteſt eum audire? Redemtore no-
ſtro talia loquente, quæ ſupra expoſita ſunt,
& ſpiritalem carnis ſuæ cibum fidelibus pro-
mittente, quidam ex diſcipulis ſuis, quos plu-
res ſe ſequi præmiſerat, carnaliter ejus verba
accipientes, ſcandalizati ſunt, & verba Do-
mini dure acceperunt. *Quis autem poteſt eum*
audire? id eſt, quis poteſt illi obedire? Puta-
bant enim eum carnem; qua indutus fuerat,
particulatim inciſam credentibus in ſe diſtri-
B buere, & quaſi hoc eſſet contra naturam ho-
minum, videlicet humanam carnem in ci-
bum ſumere, quaſi de re difficillima & im-
poſſibili dixerunt: *Quis poteſt eum audire?*
Sciens autem JESUS quod murmurarent de
eo diſcipuli ejus, ſubjungit & exponit quid
interſit inter carnem & ſpiritum, & quid in-
ter carnaliter Chriſtum manducantem & ſpi-
ritaliter accipientem: *Spiritus eſt qui vivifi-*
cat, caro non prodeſt quicquam. Supra dixerat:
Niſi manducaveritis, &c. nunc dicit: *Caro*
non prodeſt quicquam; id eſt, ſi carnaliter vul-
tis intelligere verba, & ſi carnem meam ſi-
C cut alium cibum manducetis, caro mea ni-
hil vobis prodeſt. *Qui enim ſumit ita corpus*
Domini, ut tantum putet quod videt, & ni-
hil ibi myſterii latentis intelligit, ſit illi ſe-
cundum fidem ejus. Nihil enim ei prodeſt
ſine fide corpus Chriſti ſumere, quod tan-
tum panem credit, nihilque ab aliis cibis cor-
poralibus differre intelligit. Caro ergo nihil
prodeſt; ſed per carnem ſpiritus operatur a-
liud pro ſalute noſtra, quia per carnem Chri-
ſti quam ſumimus, operante ſpirituali ejus
gratia, vivificamur. Hæc Remigius, cujus
verba neceſſitatus duxi protrahere, ut ex ejus
dictis poſſit plana veritas apparere.

D Et ad confutandum ſiniſtrum intellectum
adverſariorum, quem hic confingunt: pri-
mo, ſuppono dictum Thomæ parte 3. q. 80.
art. 1. & 2. dicentis, manducationem ſacra-
mentalem eſſe manducationem divinam &
ſpiritualem, non carnalem; & ſimiliter dicit
Lira Johan. VI. Gorra, & Aug. ſuper præ-
fato textu *Niſi manducaveritis carnem, &c.*
Similiter enim ſacramentum eſt res ſpiritua-
lis & divina, quam iſte ſanctus & Auguſtinus
ſæpe vocant cœleſte myſterium. Sic ejus man-
ducatio & bibitio eſt ſpiritualis, cœleſtis, &
divina. Quo ſuppoſito tamquam vero & ne-
E ceſſario, faciliter intelliguntur dicta hujus
ſancti, exponentis illum textum: *Niſi man-*
ducaveritis, &c. de manducatione & bibitio-
ne ſacramentali ſeu ſpirituali in ſacramento;
quod probatur ex ejus aliquibus verbis.

Primo, quia dicitur quod illa verba: *Niſi*
manducaveritis, &c. ſunt plena myſteriis ſa-
lutis æternæ, & ſubſtantialibus ſacramentis
animæ. Ecce quod illa verba continent ſa-
cramenta ſubſtantialia animæ, intelligendo

per ſubſtantialia, id eſt neceſſaria ſaluti ipſi animæ: & hæc ſacramenta *ſubſtantialia* vocat ſpiritualem alimoniam, quia ſpiritaliter non carnaliter alit animam, & vocat ea *myſticum epulum*, quia ſpiritus noſter in eo debet epulari, non caro principaliter.

Secundo, patet ex hoc quod de illa alimonia & de illo myſtico corpore dicit, quod ipſum per ſacerdotes immolatur in altari, & *mandant a fidelibus fieri rationabili ſacramento*, & ideo appellat ipſum, myſterium, dans rationem & dicens: Quia nimirum aliud ibi eſt, & aliud videtur; videtur namque panis, & eſt certiſſime corpus Chriſti, de quo inquit: *Niſi manducaveritis carnem*, &c. Ecce quam plane illum textum allegat de myſterio in quo aliud eſt & aliud videtur, ſcilicet de ſuo viſibili ſacramento.

Tertio, patet ex hoc quod dicit, quod ſine illo cibo, qui ſolum ſanctis carnem & ſanguinem Chriſti ſumentibus promittitur, nequeunt homines vitam æternam habere.

Quarto, patet quoniam illud idem ſacramentum comparat compoſitioni ſacramenti ex multis granis & acinis, de quo ille Chriſti textus loquitur ad rem ejus.

Quinto patet quod ille digne manducat Chriſtum in ſacramento viſibili, qui manducat ipſum cum efficacia ſpirituali, ſcilicet incorporatione ejus membris.

Sexto, patet quod qui aliter manducat ſacramentum, non tamen manducat ſpiri*tualiter & efficaciter* ad ſalutem, ſed ad judicium, hoc terrificum & vivificum myſterium. Ecce quam plane loquitur de myſterio ſacramenti, & de ejus duplici manducatione; quod non poteſt intelligi de illa ſola ſpirituali *non ſacramentali*.

Septimo, patet quare vocavit illam ſacramentalem manducationem & bibitionem, ſpiritalem alimoniam, ut oſtendat quod non ſit carnalis, in qua laceratur caro & particulatim *inciditur*, quod *corpus* ejus ſpiritualiter ſumitur in ſacramento. Et ad hoc planiſſime adducit textum illum: *Niſi manducaveritis*, &c. de manducatione ſpiritali, dicens: Nunc dicit: *Caro non prodeſt quidquam*; ut ſcilicet ſic carnem meam ſicut alium cibum manducetis, putando ibi id ſolum quod videtis, ſcilicet panem, & non intelligere ibi myſterium veri corporis.

Falluntur ergo vehementer hic adverſarii, trahendo & intelligendo verba *hujus ſancti*, de ſpirituali nuda manducatione & bibitione, non de ſacramentali & ſpirituali; de qua tamen plene & plane verba hujus ſancti ſunt intelligenda, ut patet per allegationes ſcripturæ, Apoſtoli & aliorum, quæ non poſſunt intelligi de nuda myſtica manducatione & bibitione tantum. Item Aug. lib. 1. de me-
» *ritis & remiſſione* peccatorum dicit: « Opti-
» me Punici Chriſtiani baptiſmum ipſum nihil
» aliud quam ſalutem, & ſacramentum cor-
poris ipſi nihil aliud quam vitam vocant « A
Unde niſi *ex antiqua*, & ut æſtimo apoſtoli- «
ca traditione, quæ ritum eccleſiæ Chriſti te- «
net, præter baptiſmum & participationem «
menſæ Dominicæ vitam vocat, niſi quod «
dictum eſt: *Ego ſum panis vivus qui de cœlo* «
deſcendi, & *Panis quem ego dabo caro mea eſt* «
pro mundi vita; &: *Si non manducaveritis car-* «
nem filii hominis. Si ergo ita eſt, ut tot & «
tanta teſtimonia divina concinunt, nec ſa- «
lus nec vita æterna ſine baptiſmo & corpore «
& ſanguine Domini cuiquam ſperanda eſt. » «
Hæc ille. Ex quibus verbis patet, quod Pu- B
nici Chriſtiani optime ſentiunt de his duobus ſacramentis, de baptiſmo & euchariſtia, ponendo differentiam inter ea, & vocando baptiſmum nihil aliud quam ſalutem, & ſacramentum euchariſtiæ nihil aliud quam vitam; quod probat ex ſcripturis. Quod enim *ſacramentum euchariſtiæ ſit vita, immo* quod ſine ea non habetur vita, probat per illam ſcripturam: *Niſi manducaveritis*, &c. Quod, ut dicit, Dominus dixit de ſacramento dominicæ menſæ ſuæ, & de ſacramento altaris.

Idem Auguſtinus contra Creſconium grammaticum lib. 1. dicit: « De ipſo cor- « C
pore & ſanguine Domini, unico ſacrificio «
pro ſalute noſtra, ipſe Dominus dicit: *Niſi* «
manducaveritis, &c. Apoſtolus tamen docet «
hoc pernicioſum male utentibus fieri. Ait «
enim: *Quicumque manducaverit indigne*, &c. «
Ecce quemadmodum obſint divina & ſancta «
male utentibus, cur non & hoc modo bap- «
tiſmus? » Hæc ille. Ex quo patet quod Do- «
minus dicens: *Niſi manducaveritis* &c. loquitur de illo unico ſacrificio, quod poteſt & bene ſumi & pernitioſe, & tale eſt ſacramentum altaris, quod ſecundum Apoſtolum poteſt digne & indigne ſumi, de quo D
hic notanter Auguſtinus dicit, quod hoc illud ſacrificium in numero eſt quo Dominus dixit: *Niſi manducaveritis*, &c. Apoſtolus dicit: *Quicumque illud manducaverit indigne*; quod nullo modo poteſt competere ſacrificio myſtico.

Item, ad idem eſt Auguſtinus, quem anniverſarie cepit eccleſia in horis, lectione quarta Dominicæ primæ in adventu, qui ſic dicit in forma: « Propitia divinitate, fratres «
dilectiſſimi, jam advenerunt dies, in quibus «
natale Domini ſalvatoris cum gaudio deſi- «
deramus concelebrare; & ideo rogo & mo- « E
neo, ut quantum poſſumus, cum Dei adju- «
torio laboremus, ut in illo die cum pura & «
ſincera conſcientia & mundo corde & caſto «
corpore ad altare Domini poſſimus acce- «
dere, & corpus & ſanguinem ejus non ad «
judicium, ſed ad *remedium animarum no-* «
ſtrarum mereamur accipere. In ipſo enim «
Chriſti corpore vita noſtra conſiſtit, ipſo Do- «
mino dicente: *Niſi manducaveritis*, &c. Mu- «
tet ergo vitam, qui vult accipere vitam. «
Nam ſi non mutat vitam, ad judicium acci- «

» pit vitam, & magis ex ipſa corrumpitur quam ſanatur, & magis occiditur quam vificatur. Sic enim dicit Apoſtolus: *Qui manducat corpus Domini indigne, & bibit ſanguinem ejus indigne, judicium ſibi manducat & bibit*. Hæc ille. Ex iſto ſic patet quomodo Auguſtinus loquitur directe & pure de manducatione & bibitione ſacramentali, in qua fidelium omnium vita conſiſtit. Et de hac & pro hac præfatum dictum Chriſti allegans: *Niſi manducaveritis*, &c. continuanſque verba cum verbis, & ſenſum ex ſenſu ſubjungens: Mutet ergo vitam, qui vult in prædicta manducatione ſacramentali & bibitione accipere vitam, de quo in ipſo textu præmiſit Salvator: *Non habebitis vitam in vobis*. Nam ſi quis accedit ad ipſam vitam non mutans vitam, ad judicium & mortem accipit vitam, quod plane intelligendum eſt de ſacramentali manducatione & bibitione, de qua etiam textus Apoſtoli ſubjungitur. Quam cœci ergo de anno in annum repetunt prædicta verba Auguſtini: ſed non credunt corde, & quod ore loquuntur, contradicunt opere.

Item ad idem eſt Auguſtinus libro primo de baptiſmo parvulorum dicens: « Auferatur ergo dubitatio; jam Dominum audiamus, non ſuſpiciones conjecturaſque mortalium; Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de ſacramento lavacri dicentem, ſed de ſacramento menſæ ſuæ, quo nemo rite niſi baptizatus accedit. *Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quid ultra quærimus, quid ad hoc reſponderi poteſt, niſi pertinacia pungenti nervos adverſus conſtantiam perſpicuæ veritatis. « Hæc ille. Et patet planiſſime quod Auguſtinus intelligit illum textum: *Niſi manducaveritis*, &c. de ſacramento ſacræ menſæ, id eſt de ſacramento altaris.

Super pſal. XCVIII. ſuper illo verbo: *Adorate ſcabellum pedum ejus*, ubi dicit ſic: « Et quia in ipſa cruce hic ambulavit, & ipſam carnem manducandam ad ſalutem dedit; nemo autem ipſam carnem manducat, niſi prius adoraverit. » Et infra: « Tunc autem quando hoc Dominus commendavit, de carne ſua locutus erat & dixerat: *Niſi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam*. Scandalizati ſunt quidam diſcipuli ejus ſeptuaginta fere, & dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum intelligere, & receſſerunt ab eo, & amplius cum eo non ambulaverunt*. Durum illis viſum eſt quod ait: *Niſi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam æternam*. Acceperunt illud ſtulte, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt quod præſciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis, & dixerunt: *Durus eſt hic ſermo*. Ipſi erant duri, non ſermo; etenim ſi duri non eſſent, ſed mites eſſent, dicerent ſibi: Non ſine cauſa hoc dicit, niſi quod eſt ibi aliquod ſacramentum latens; manentes cum illo, leves non duri, & diſcerent ab illo, quod, illis diſcedentibus, qui remanſerunt didicerunt. Nam cum remanſiſſent cum eo diſcipuli duodecim, illis recedentibus, ſuggeſſerunt illi tamquam dolentes illorum mortem, quod ſcandalizati ſunt in verbo ejus & receſſerunt; ille autem inſtruxit eos, & ait illis: *Spiritus eſt qui vivificat, caro autem nihil prodeſt. Verba quæ locutus ſum vobis ſpiritus eſt & vita*. Spiritualiter intelligite quod locutus ſum: Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem quem fūſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi ſpiritualiter intellectum, vivificabit vos; & ſi neceſſe eſt viſibiliter illud celebrari, oportet tum inviſibiliter intelligi. » Hæc ille. Ex quo patet, quod plane loquitur de corpore ſuo naturali, quod traxit de Maria, quod credimus *in viſibili ſacramento eſſe exiſtentia ſpirituali*, quæ eſt res ſacramenti ſpiritualis, quam primo docet adorare in ſacramento ut verum Deum & hominem, antequam manducare. 2°. Docet quod ejus manducatio & bibitio non eſt carnalis, id eſt admodum alterius carnis, quæ cum comeditur, laceratur; ſed ſpiritualis in ſacramento, quia manducatio ſacramentalis eſt manducatio ſpiritualis, in qua ſpiritualiter manducatur corpus Chriſti, non carnaliter.

Ex textu Auguſtini. Coroll. 1.

2.

Et inde patet quod in his verbis Auguſtini plurimum errant intelligendo per manducationem myſtici corporis, eam quæ fit abſque ſacramento. Hic autem loquitur de ea quæ fit in ſacramento, poſt quam hic dicit: Sacramentum aliquod commendavi vobis: id eſt ut manducetur in ſacramento ſpiritualiter, ſacramentaliter, non carnaliter. Quod ſacramentum quamvis viſibiliter celebrari neceſſe eſt, oportet tamen *inviſibiliter*, & ſic ſpiritualiter & ſacramentaliter illud intelligi. Et patet quod hoc non poteſt intelligi de corpore myſtico diffuſo per orbem, quia illud non adoratur in ſacramento: ſed de corpore Chriſti reali & naturali, de quo dicit: *Niſi manducaveritis*, &c. & quod neceſſe eſt viſibiliter celebrari in ſacramento. Hæc ille.

Item Aug. homil. 23. ſuper Johannem, ſuper eodem verbo ſic dicit: « Quomodo quidem detur, & quiſnam modus ſit manducandi panem iſtum ignoratis; verum niſi manducaveritis carnem, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hæc ille.

Et quia dicunt quidam quod illud evangelicum dictum *Niſi manducaveritis*, debet ſolum intelligi de manducatione ſpirituali, & non ſacramentali & viſibili, ſimiliter & bibitione: ſubdit infra parum, idem in eadem homilia dicens: « Hujus rei ſacramentum, id eſt unitas corporis & ſanguinis Chriſti, alicubi

» alicubi quotidie, alicubi etiam intervallis die-
» rum in Dominica menſa præparatur, & de
» menſa Dominica ſumitur, quibuſdam ad vi-
» tam, quibuſdam ad exitium. » Hæc ille.

Item ad idem eſt Origenes homil. XVI. in
» Numerorum, dicens: « Dicant ergo nobis
» quis eſt iſte populus, qui in uſu habet ſan-
» guinem bibere? Hi erant, qui & in evangelio
» audientes, hi qui ex Judæis Dominum ſeque-
» bantur, ſcandalizati dixerunt: Quis poteſt
» manducare carnem & bibere ſanguinem? Sed
» populus Chriſtianus, populus fidelis, audit
» hæc & amplectitur, & ſequitur eum qui dicit:
» *Niſi manducaveritis carnem meam*, &c. Et
» utique qui hoc dicebat, pro omnibus vulne-
» ratus eſt: *Ipſe enim vulneratus eſt pro peccatis*
» *noſtris*, ſicut Iſaias dicit. Bibere autem di-
» cuntur ſanguinem Chriſti, non ſolum ſacra-
» mentorum ritu, ſed & cum ſermones ejus
» audimus. » Hæc ille. Ex quo patet quod po-
pulus Dei dicitur bibere ſanguinem Chriſti
ritu ſacramentorum, *aſtrictus illo* Chriſti
præcepto: *Niſi manducaveritis carnem*, &c.

Item ad idem eſt Johannes Chryſoſtomus
» in ſuo dialogo lib. 3. c. 1. « Illud eſt myſte-
» rium ſine quo nobis nec ſalus, nec ea quæ
» bona ſunt promiſſa divina redduntur. Nemo
» enim valebit ingredi in regnum cœlorum,
» niſi ex aqua renatus fuerit & ſpiritu; & qui
» non manducat Domini carnem, nec bibit
» ejus ſanguinem, non habebit vitam æternam;
» quæ per nullius alterius, quam ſancti manus
» efficiuntur ſacerdotis. » Hæc ille. Et patet
iterum qualiter iſte ſanctus exponit præfa-
tum textum Chriſti: *Niſi manducaveritis*, &c.
de manducatione & bibitione ſacramentali,
quæ duo habent effici per manus ſacerdotis
ſancti, quod non bene intelligitur de ſola
manducatione ſpirituali. Patet etiam ex dictis
hujus ſancti, neceſſitas communionis ſacra-
mentalis, ſine qua nemo valet ingredi re-
gnum cœlorum, ſicut ſine baptiſmo.

Item ad idem eſt Innocentius lib. de miſſa
» dicens: *Hæc quotieſcumque feceritis*, &c. « In
» perceptione corporis & ſanguinis Chriſti ma-
» gna nobis eſt adhibenda diſcretio. Caven-
» dum eſt enim ſi nimium differatur, ne mor-
» tis periculum incurratur, Domino prote-
» ſtante: *Niſi manducaveritis carnem*, &c. Si
» vero quis indigne ſuſcipiat, judicium dam-
» nationis incurrit, Apoſtolo conteſtante:
» *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi*,
» &c. Ideoque juxta vocem ejuſdem Apoſtoli,
» *probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*
» *& de calice bibat*. Ingens itaque nobis indici-
» tur bene vivendi neceſſitas, ne corpus Do-
» mini nobis indigne ſumendo, judicium ſu-
» mamus, vel ſumere ceſſando, nihilominus
» incurramus periculum. Neceſſario quippe
» manducandus eſt agnus, ut a vaſtante angelo
» protegamur; nec exire poſſumus de Ægyp-
» to, niſi celebrando phaſe, paſcalem agnum co-
» medamus. » Et ante hoc dicit: « Quod ne-

A ceſſe eſt quod homo ſe præparet, ne ceſſando
incurrat periculum. » Hæc ille. Ex quo patet
quam plane iſte papa intelligit & exponit il-
lum *textum* Chriſti: *Niſi manducaveritis*, quæ
Apoſtolo teſtante, aliquando poſſunt indi-
gne ſuſcipi ad judicium. Secundo patet quam
neceſſario manducandum eſt hoc ſacramen-
tum; quia, ut dicit, Nullatenus poſſumus
exire de Ægypto vitiorum, niſi illud ſacra-
mentum digne manducemus. Patet etiam
quomodo textus ille: Niſi manducaveritis, &c.
bene & catholice de communione intelliga-
tur ſacramentali. Nec valet argumentum ad-
verſariorum, dicentium quod aliqui doc-
B tores etiam eumdem textum inveniuntur ex-
ponere myſtice & ſpiritualiter, cum hoc non
ſit admirandum, quod eadem littera poteſt
pluribus modis exponi vere & proprie, cum
habeat plures ſenſus a Chriſto ſibi inditos &
a Spiritu-ſancto flagitatos.

Item, dominus Armachanus *lib.* IX. de
quæſtionibus *Armenorum c.* VIII. *tractans*
hunc textum: *Niſi manducaveritis*, &c. & ex-
ponens de ſpirituali manducatione quod int..
& inter cetera ſic dicit: » Si quis vero di- «
ctum Salvatoris omnino velit accipere de «
C manducatione & bibitione ſacramentali, «
tunc intelligendum eſt cum modificatione, «
ſcilicet, *quod utrumque ſumere certo tem-* «
pore, aut velle ſumere, & eſſe paratum ad «
hoc quantum in ejus poteſtate eſt, eſt ne- «
ceſſarium ad vitam ſpiritualem habendam; «
quia niſi quis adultus Chriſtianus eſſet para- «
tus ad hoc, quantum in ipſo, contemneret «
fidei ſacramentum, & vita careret; & ſic con- «
ſtat tibi juxta hunc ſenſum, quod hæc auc- «
ritas Chriſti pro parte eſt affirmativa quæſtio- «
nis propoſitæ. » Hæc Armachanus. «

D Item Euſebius pro eodem, qui in ſermone
de manna pane cœleſti quem ſic incipit:
Magnitudo cœleſtium beneficiorum, dicit:
» Adverte quam evidenter conſtet vini crea- «
turam Chriſti ſanguinem nuncupandam. «
Quicquid adhuc de hac duplici ſpecie vi- «
deas inquire, ipſo Domino atteſtante, cog- «
noſce. *Niſi*, inquit, *manducaveritis*, &c. Hæc «
ille. Et patet quam plane doctor iſte præ-
dictum textum: *Niſi manducaveritis*, &c. ex-
ponit de manducatione & bibitione ſacra-
mentali, quæ fit in duplici ſpecie ſacramen-
E tali quoad omnes fideles.

Cum autem plurimi adverſariorum diviniſ-
ſimæ communioni ſub utraque ſpecie quoad
laicos, propter tot teſtimonia & ſanctorum
auctoritates reſiſtere non valentes, ipſam
communionem benedictæ euchariſtiæ ſub
utraque ſpecie ad laicos fideles concedunt,
quantum in ſe & de ſe eſſe licitam & catho-
licam, quia a Chriſto inſtitutam & ab apo-
ſtolis & eccleſia primitiva practicatam, &
hæc eorum conceſſio patet per eorum plu-
rima ſcripta; ſed in hoc latibulum omnes
confugiunt, dicentes: Quod ipſa commu-

nio utriuſque ſpeciei non ſit de præcepto. Ideo in noſtra poſitione apponimus affirmando : *Quod toti credentium populo eſt a Domino præcepta ſalvatore.*

Actus tertiæ dict.

Quod communio utriuſque ſpeciei quoad non conficientes ſit à Chriſto præcepta.

Iſtud fundatur in evangelio Chriſti Matt. 26. ubi ſic dicitur : *Cœnantibus illis accepit Jeſus panem & benedixit & fregit, deditque diſcipulis ſuis & ait : Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes : Hic eſt ſanguis novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Et idem ponitur Marc. 14. & Luc. 22. ubi apponitur ad noſtrum propoſitum : *Hoc facite in meam commemorationem.* Per quæ verba, ſcilicet *Hoc facite*, intellexit non ſolum confectionem, ſed manducationem & bibitionem ſacramentalem. Hoc patet per gloſſam interlinearem ſuper illo verbo Lucæ XXII. *Hoc facite*, ubi ſic dicitur : Id eſt accipite & aliis date. Hæc gloſſa ; quod intelligendum eſt de prima & ſecunda ſpecie, ut ſcilicet illam primum ſoli ſacerdotes accipiant, & demum aliis tradant, ad ſenſum illius cantici eccleſiæ, quod in ſolemnitatibus feſti corporis Chriſti canit eccleſia, dicens : Dedit fragilibus corporis ferculum : Dedit & triſtibus ſanguinis poculum dicens : accipite quod trado vaſculum, omnes ex eo bibite. Sic ſacrificium iſtud inſtituit, cujus officium committi voluit ſolis preſbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant & dent ceteris. Similiter Lira ſuper illo verbo *Hoc facite* 1. cor. XI. dicit : « Per hoc inquit injungitur eccleſiæ hujus ſacramenti uſus. » Hæc ille.

Secundo hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, dixit ea præceptive, ſicut dicit Damaſcenus lib. 4. ſuarum ſententiarum ſic dicens : » Dixit Dominus Jeſus : *Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus, & hoc facite*, omnipotenti ejus præcepto, donec veniat : » Hæc ille. Ad idem eſt Paſchaſius tractatu ſuo de Corpore Chriſti c. 16. ſic dicens : » Crede, o fili, quia ita eſt, quomodo ipſe dixit, & dubitare factum non potes. Ipſe mandavit, & creatum eſt, præceptum poſuit : in meam commemorationem facite. » Pro eodem eſt & Lira jam allegatus ſuper verbo prædicto ſic dicens : » Per hoc, inquit, injungitur eccleſiæ hujus ſacramenti uſus. » Hæc ille, &c. Et iſta eſt ſententia Thomæ parte 3. q. 80. art. XI. ubi ſic dicit. » Spiritualis manducatio includit votum ſeu deſiderium percipiendi hoc ſacramentum : & ideo manifeſtum eſt, quod homo tenetur hoc ſacramentum ſumere non ſolum ex ſtatuto eccleſiæ, ſed etiam ex mandato Domini dicentis. *Hoc facite in meam commemorationem.* Hæc ille. Et patet quod ſumtio hujus ſacramenti eſt a Domino præcepta & mandata per verba Chriſti prædicta ; & quia illa verba : *Hoc facite*, Chriſtus bis repetivit, & ſuper utraque ſpecie dixit : ſequitur, quod utramque ſpeciem Chriſtus præcepit. Aſſumtum patet per Apoſtolum 1. cor. XI. ubi poſt verba ſuper prima ſpecie dixit : *Hoc facite* ; & poſt calicem dixit : *Hoc facite quotieſcumque bibetis.* Et patet quod illa verba præceptiva. *Hoc facite*, cadunt ſuper manducationem & bibitionem ſacramentalem, & non ſolum confectionem. Et ad hoc eſt Cyprianus martyr. epiſtola 34. oſtendens & præceptum eſſe, & neceſſitatem circa ſumtionem hujus ſacramenti integri & dicens : » Quod ſi nec minima de mandatis dominicis licet ſolvere, quanto magis tam magna, tam grandia, & tam ad ipſum Dominicæ paſſionis & noſtræ redemtionis ſacramentum pertinentia, fas non eſt infringere, aut in aliud, quam quod divinitus inſtituit, ſic humana traditione mutare. » Et idem in eadem epiſtola ante hoc dicit : » Quod ſi a Domino præcipitur, & ab apoſtolo ejus hoc idem confirmatur & traditur, ut quotieſcumque bibimus, in commemorationem Domini faciamus, quod fecit Dominus : *invenimus* non obſervari a nobis quod mandatum eſt, niſi eadem quæ Dominus Jesus fecerit, nos quoque faciamus. » Hæc ille. Et patet plane ex dictis egregii martyris, quod communionem euchariſtiæ, videlicet manducationem & bibitionem ſacramenti, *ponit inter* magna & grandia mandata, quæ nulli hominum fas eſt *infringere*, *vel in aliud*, *quam* Deus inſtituit, mutare. Et hic deberent cavere univerſi adverſarii, quod *non* obſtante tam grandi mandato Domini & apoſtolico, mutant *inſtitutionem* Chriſti *humana ſua traditione*, auferendo communionem calicis a populo fideli, & ſub una tantum ſpecie eidem communicare inſtituendo ; & hoc videtur ſapere grande ſacrilegium, *ſicut poterit ex dictis* & dicendis hic recolligi.

Secundo, quod ipſa communio utriuſque ſpeciei toti populo credentium ſit a Domino præcepta ſalvatore, patet per illud Johan. VI. *Niſi manducaveritis*, &c. Quod verbum, ſicut dicit de Lira, ſub eodem textu, importat præceptum : ergo tenetur illud dictum præceptive.

Ad idem eſt Thomas in ſuis quæſtionibus ſuper 4. q. 51. dicens : » Ad objectum ſequens, dico quod duplex eſt confirmatio, quædam ad *opera* conteſtabilia, & hoc fit per ſacramentum confirmationis : alia eſt ad *opera* delectabilia, & hæc eſt per euchariſtiam. Patet ſuper illud Johannis VI. *Niſi manducaveritis*, &c. Ubi gloſ. interlinearis dicit : Sine hoc vita temporalis haberi poteſt, ſed non æterna : » Hæc Thomas : Et patet tam ex dictis hujus ſancti, quam ex gloſ. interlineari, quam allegat, quod iſte textus Chriſti intelligitur præcipue de manducatione & bibitione ſacramentali. Et ad idem verba gloſſæ reſumuntur in legenda corporis Chriſti, ubi inter lectiones feriales ſic legi-

„ tur: » Amen, amen dico vobis *Nisi manducaveritis carnem*, &c. Quomodo quidem detur & quisnam modus sit manducandi licet ignoratis: tamen *Nisi manducaveritis*, &c.

Adhuc pro isto, quod sit præcepta ipsa communio, sunt & aliorum doctorum sententiæ perscrutandæ. Igitur adhuc ipse Thomas est adducendus, qui in suis sermonibus de corpore Christi, sermone 20. qui intitulatur de tertio modo manducandi, scilicet de sacramentali & spirituali simul, sic dicit in forma: » Cum enim triplex sit modus manducandi, scilicet sacramentalis tantum, quo mali Christiani manducant, & tamen non manducantur; spiritualis tantum, quo boni non manducant, & tamen manducantur; sacramentalis & spiritualis simul, quo boni Christiani manducant & manducantur. Restat ergo ad divisionis hujus sufficientiam, multitudo quidem malorum, qui nec manducant, nec manducantur, id est qui corpus Christi non suscipiunt, & ideo æterna morte peribunt. Istorum tres species sunt sive turmæ. Primi infideles, secundi negligentes, tertii sunt contemtores. Infideles, quorum corda, per malitiam suam fallente diabolo, sive excœcata sunt, ut non possint cognoscere & credere divina sacramenta, pro salute mundi mirabili sapientia Dei instituta. Negligentes sunt, qui temporalibus lucris & sæcularibus negotiis in tantum se occupant, ut sacram communionem tempore debito negligant. Contemtores sunt, qui sceleribus suis tanto amore inhærent, quod corpus Domini penitus sumere parvipendunt. De primis Johan. VI. *Quomodo hic potest nobis dare carnem suam ad manducandum*? quasi diceret: Non credimus quod dare possit. Sapient. II. *Erraverunt impii, excæcavit enim eos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei.* Johan. 3. *Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* De secundis Matt. 22. *Misit rex servos suos vocare invitatos ad nuptias, dicens: Ecce prandium meum paravi, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam suam, alius ad negotiationem.* Glossa. In villam ire, est terreno labori inordinate insistere; negotiari vero, terrenis lucris nimis inhiare. Tales qui prandium divini sacramenti negligunt, quamvis fidem & quædam opera caritatis habere videantur, tamen nisi pœniteant, damnabuntur. Johan. VI. *Nisi manducaveritis*, &c. Super illud Eph. 3. Oro ut possitis comprehendere quæ sit sublimitas & profundum. Dicit glos. Profundum caritatis sunt ecclesiastica sacramenta, quæ sunt profunda & investigabilia, & sunt fundamenta caritatis, sine quibus non valet caritas, id est exteriora signa caritatis non valent ad salutem æternam sine sacramentis ea negligentibus Num. 9. *Si quis mundus est, & in itinere non fuit*, id est impedimentum non habet justæ necessitatis, *& non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium non obtulit Domino tempore suo, peccatum ipsum ipse portabit.* De tertiis 2 Paralip. 30. *Perrexerunt cursores cum epistolis ex regis Ezechiæ imperio & principum ejus in universum Israël, prædicantes: Revertimini ad Dominum Deum vestrum, venite ad sanctuarium ejus*, scilicet ad faciendum phase, id est ad suscipiendum corpus Domini, & quidam viri acquiescentes consilio, venerunt, aliis irridentibus & subsannantibus eos. Johan. 3. *Hoc est judicium, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim opera eorum mala.* Quasi diceret: justo judicio judicantur & condemnantur, qui plus diligunt peccatis suis inhærere, quam se præparare & Christum suscipere. Canon: Qui pro sceleribus suis duobus vel tribus annis non communicant, excommunicandi sunt, donec pœnitentiam agant, Luc. 18. *Nemo virorum illorum qui vocati sunt & non venerunt, gustabunt cœnam meam*: » Hæc Thomas in forma. Ex cujus dictis patet primo, quod iste sanctus loquens de tertio modo manducandi, scilicet sacramentali & spirituali simul, dicit, quod omnes negligentes isto tertio modo manducare corpus & bibere sanguinem Christi, quod est prandium divini sacramenti, æternaliter damnabuntur, quamvis fidem & quædam opera caritatis habere videantur; probat per illud dictum Christi: *Nisi manducaveritis*, &c.

Secundo probat ex dicto apostoli: Quod caritas non valet sine istis sacramentis, scilicet corpore & sanguine Domini, nec exteriora signa caritatis eis valent ad salutem æternam: cujus rationem dat, quod ipsa sunt fundamentum veræ caritatis.

Tertio non habens impedimentum justæ necessitatis, & non faciens phase, id est non communicans sacramento eucharistiæ, ejus, inquit, anima est de populo Dei exterminanda.

Quarto patet, quod rex Ezechias, & principes etiam imperaverunt & mandaverunt universo Israël, ut veniant ad sanctuarium Dei, & faciant phase, id est suscipiant sacramenta divina.

Quinto patet, quod omnes negligentes se præparare & suscipere Christum in sacramentis, justo Dei judicio excommunicantur & condemnantur, quod probat ex evangelio Christi.

Sexto patet, quod non solum tales a Christo & suo evangelio, sed etiam ab ecclesia sunt excommunicandi & condemnandi pro eorum negligentia, quousque pœnitentiam egerint.

Septimo patet terribilis prophetia de talibus, quia scilicet; nemo virorum illorum qui vocati sunt, & non venerunt, gustabit

amplius cœnam Christi. Ex quibus summarie concluditur, quod omnes Christi fideles tenentur non negligere, sed præparare se ad dignam communionem sacramentalem. Primo sub carentia vitæ æternæ. Secundo sub perditione caritatis. Tertio sub exterminatione animæ. quarto sub divina excommunicatione. quinto sub separatione ab ecclesia, sexto sub cœnæ Christi æterna non degustatione. Ex his planissime videri potest, sub quantum rigido & districto Christi præcepto tenentur omnes Christi fideles sacramento eucharistiæ communicare; cujus rationem ponit Thomas in eodem sermone dicens: » Quia sic communicare sacramentaliter, & ultima & optima pars de primis duabus, scilicet de manducatione sacramentali tantum & de spirituali tantum, quam debent omnes fideles tamquam optimam partem eligere;» Unde subdit Thomas sic in forma: » Primus modus est, manducare sacramentaliter tantum & non spiritualiter; secundus modus, manducare spiritualiter tantum, & non sacramentaliter; tertius modus est, manducare sacramentaliter & spiritualiter simul. Hanc ultimam & optimam partem, scilicet de primo modo comedere spiritualiter, eligunt; & sic ex utraque parte, quod melius est comedunt, & ideo multum felices sunt. Eccles. 8. *Laudavi igitur lætitiam, eo quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet & biberet, atque gauderet,* quasi dicat: expertus sum plurima genera gaudiorum & delectationum carnis & mundi, & hæc omnia vanitas, & finis eorum mœror & luctus; unde laudavi præ omnibus lætitiam, scilicet veram, id est testimonium bonæ conscientiæ, quod non esset homini bonum sub sole, id est melius in hoc mundo, nisi quod comederet, scilicet panem qui de cœlo descendit, id est corpus Christi, & biberet vinum quod lætificat cor hominis, id est sanguinem Domini.» Hæc Thomas in forma. Ecce quod sacramentalis & spiritualis manducatio est multo melior & salubrior quam sola spiritualis, & ipsa tamquam optima pars fidelium magis eligenda. Si ergo spiritualis est de præcepto, multo magis spiritualis & sacramentalis.

Item, Paschasius tractatu suo de corpore Christi, cap. 22. sic dicit: Quotquot ergo in Christo baptizantur, Christum induunt, & panem angelorum comedunt. In quo mirum mysterio benedixit Isaac filium suum Jacob, quasi nulla esset alia benedictio quam frumenti & vini, scilicet in pane corporis Christi & potu sanguinis, quæ de agno corporis nobis quotidie per officium sacerdotis matureſcunt & comedimus, &c. Et idem 23. cap. sic dicit: Nemo a carne Christi & sanguine extraneus deputetur, nisi qui seipsum, culpis exigentibus, abscidit. Ecce qualis ordo. Nam qui non manducat carnem Christi, nec bibit ejus sanguinem, procul dubio nec habet vitam in se manentem. Hæc ille. Item, Albertus magnus in tractatu suo de officio missæ dicit: Christus sub una specie panis corpus suum tradidit, & sub altera specie vini tradidit sanguinem, & sic servandum instituit; & cum Christi actio nostra sit instructio, pro certo hæc duo servanda nobis præcepit, & ideo ex præcepto Christi, sub una specie corpus, & sub altera tradimus sanguinem. Et infra: Oportet autem propter effectum sacramentalem, ut sanguis ibi habeatur ex virtute sacramenti ad nutriendum pertinente, & ideo oportuit ut esset ibi confectio ex elemento potus, sicut fuit ibi confectio ex elemento cibi; quia aliter sacramentum in virtute & ratione sacramentali esset imperfectum, quia non significaret perfectum alimentum; quia nullum alimentum hominis perficitur sine potu, sicut patet satis per ea quæ in ante habetis, satis bene dicta sunt. Hæc ille. Ad idem dicit Bernardus in sermone ad Petrum de corpore Christi: Benignissime, inquit, Jesu, nobile satis sponsæ tuæ dotalitium indulsisti, ut vel sic teneret columba tua dulcissimum memoriale dilecti sui. Christus enim pridie quam pateretur, discipulis suis hujus sacramenti formam præscripsit, efficaciam explicuit. Idem fieri præcepit, formæ præscriptio in pane & vino. Notate ordinem. Cum adhuc cœnaret, a mensa surrexit, discipulorum pedes Dominus universitatis lavit, & deinde ad mensam regressus, ordinavit sacrificium sanguinis & corporis, seorsum panem, seorsum tradens & vinum. De pane ita dicit: *Accipite & comedite, &c. hoc est corpus meum.* De vino similiter: *Bibite ex hoc omnes.* Hæc Bernardus. Ex cujus verbis patet, quod Christus hoc totale sacramentum utriusque speciei tradidit toti ecclesiæ, & sic communitati fidelium, & in sumtione sic fieri præcepit. Item, ad idem est doctor Durandus super 4. sententiarum dist. 11. ubi ponens quæstionem, utrum manducatio sacramenti eucharistiæ sit de necessitate salutis, inter alia determinando quæstionem, sic dicit: Alia vero sacramenta de necessitate salutis ratione præcepti divini; quia cum omnia sacramenta instituta sint propter salutem viatorum, non videtur quod absque contemtu homo viator possit talia totaliter omittere, habita opportunitate ministri volentis & valentis. Unde si talia sacramenta non recipit, puta eucharistiam & extremam unctionem, videtur contemnere præceptum divinum. Et infra: Est ergo eucharistia de necessitate salutis, ratione præcepti divini, ac etiam ratione præcepti ecclesiæ, ut habetur ex concilio generali extra de pe. & remiss. capitulo, *Omnis utriusque sexus.* Hæc ille.

Item, dominus Armachanus Hiberniæ primas, lib. 9. de quæstionibus Armenorum cap. 7. ubi Johannes quærit sic: Dic nunc, Licet

» umquam communicare indiſtincte ſub utro- A
» que ſacramento *corporis & ſanguinis*? & reſ-
» pondet Ricardus, ſic dicens : Juxta ſacram
» ſcripturam licet communicare quoſcumque
» ſub utroque ſacramento. Paulus enim apo-
» ſtolus ſcribens toti eccleſiæ quæ erat Corin-
» thi, omnibus eis tam viris, quam mulieribus
» de hoc ſacramento loquens, ſic dicit 1. Cor.
» 11. *Si quis videtur contentioſus eſſe, nos ta-*
» *lem conſuetudinem non habemus, &c.* Et con-
» ſequenter adjungit : *Quotieſcumque manduca-*
» *veritis panem hunc & calicem biberitis, mor-*
» *tem Domini annuntiabitis donec veniat. Itaque*
» *quicumque manducaverit panem hunc, & bibe-* B
» *rit calicem Domini indigne, reus, &c. Probet*
» *autem ſe, &c.* Conſtat quod loquitur cunctis
» fidelibus Corinthi & toti illi eccleſiæ. Sic e-
» nim incipit illam epiſtolam : *Paulus apoſtolus,*
» *&c. eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi*; & eis ſuadet,
» non dubium, omnibus ratione utentibus, cap.
» 1. dicens : *Propter quod, cariſſimi, fugite ab*
» *idolorum cultura*, cujus ſuaſionis rationem
» conſequenter ſubjungit ſic : *Quæ immolant*
» *gentes, dæmoniis immolant & non Deo. Nolo*
» *autem vos fieri ſocios dæmoniorum.* Sicut igitur
« omnes debent idolorum culturam fugere, ſic C
« omnes innuit debere calicem Domini bibe-
« re, & eſſe participes ejus menſæ, quod verba
» ſuperiora ſatis oſtendunt, cum indiſtincte lo-
» quatur omnibus, *Convenientibus vobis in ec-*
» *cleſiam.* Addens, quod *unuſquiſque cœnam*
» *ſuam præſumit ad manducandum*, conſequen-
» ter eos inſtruens, ſic dicit : *Quotieſcumque*
» *manducabitis panem & calicem Domini bibetis,*
» *mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*
» Omnes qui potuerunt ſe probare, ſicut ſub-
» jungit : *Probet autem ſeipſum homo*, qui tam
» de pane, quam de calice participare voluit,
» cum omnibus tradat doctrinam totam præ-
» miſſam. Item, hoc ſatis oſtendit ex hoc quod D
» reprehendit eos indiſtincte, ſcilicet quod u-
» nuſquiſque cœnam ſuam, ſcilicet tam ſacra-
» mentum corporis quam ſanguinis, præſumſit
» ſingulariter manducare. Itaque aliqui, aliis
» eſurientibus, ebrii ex hoc erant. Eccleſia ta-
» men Romana in uſu habet ſolum vinum ca-
» licis (a) conferre poſt communionem corpo-
» ris Chriſti, ne forte per negligentiam, quæ
» forte poſſet contingere in miniſtrando in mul-
» titudine, propter ſacramentum ſanguinis
» Chriſti fidelibus quibuſcumque aliquid effun-
» deretur de ipſo ſacramento, quale periculum E
» non eſt in miniſtratione corporis Chriſti fide-
» libus indiſtincte. Et ideo populo ſacramen-
» tum ſanguinis non miniſtratur, quamvis fieri
» poſſet licite. Hæc Armachanus.

Quod eccleſia primitiva ſic imitanda in fide, moribus & doctrina.

Cum autem multum accommodum ſit in materia fidei ipſi eccleſiæ primitivæ, primitias Spiritus habenti, conformari, cum noſtra converſatio Chriſto & apoſtolis propinquior, & eorum doctrina ſicut luna ſoli vicinior, tantum luminoſior, ſanctior, & omni religione Catholica decoroſior, moribus pulchrior, fide purior, & ex conſequenti imitabilior; de qua dicit Apoſtolus : *Ipſi enim ſcitis, fratres, quemadmodum vos oporteat imitari nos non aliter, quam ſicut habetis formam noſtram.* Et alibi dicit Apoſtolus : *Itaque, fratres, ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Et hoc Beda notat in homilia infra octavam Aſcenſionis ſuper evangelio, *Cum venerit Paraclitus Spiritus*, ſic dicens : Perfectum vitæ magiſterium eſt eccleſiæ primitivæ actus imitari. Et infra : Nec dubitandum, quia quorum nunc veſtigia ſequimur, ad eorum in futuro ſimus præmia perventuri, a quo declinare, eſt ſtultum & imperfectum ſequi erroris devium. Electi itaque & ipſi veri filii Iſraël dicant potius illud Num. 20. & 21. *Via regia gradiemur, non declinando ad dexteram nec ad ſiniſtram.* Quæ via, eſt via eccleſiæ primitivæ, a qua exorbitare in fide, doctrina & moribus, grandis error eſt. Et ſubditur : Per tritam gradiemur viam & publicam : quam ſcilicet pedes ſanctorum eccleſiæ primitivæ & ſanctorum doctorum attiverunt, non pedes modernorum errantium, ipſam matrem, veluti degeneres filii, moribus, operibus & imitatione negantium & relinquentium; de quibus dicitur Proverb. 15. *Stultus deſpicit matrem ſuam.* Electis Dei dicitur Proverb. 1. *Audi, fili mi, doctrinam patris tui*, Chriſti, *& ne dimittas legem matris tuæ*, id eſt eccleſiæ primitivæ. Nam imitari meliores, & exemplo meliorum vitam componere & mores regere, ſemper erat prudentum ſententia. Illa autem exempla digna ſunt imitatione, quæ excellentiora ſunt pietate, ut dicitur di. 9. *Sana.* Et concordat di. 20. *De quibus*, ubi dicitur, quod exempla antiquorum ſanctorum tam in ſcriptis, quam in factis, ſunt perſpicaciter recordanda & imitanda, quod vult ſanctus Beda in auctoritate ſupradicta; quod fecit ipſe una cum Auguſtino, Jeronymo, & ceteris plurimis ſanctis in docendo & ſequendo eccleſiam primitivam in adminiſtratione euchariſtiæ ſub utraque ſpecie. Propter quod eorum doctrina potius eſt ſequenda, & via eorum ſecurius ambulanda, quam via modernorum a lege Domini oberrantium. Quare poſt legis fundamenta & ſanctorum doctorum, pro utraque ſpecie diviniſſimæ communionis ad laicos jam adducta, praxim reſtat eccleſiæ primitivæ diligenter aſpicere & pertractare.

Quod primitiva eccleſia communicavit ſub utraque ſpecie.

Arguit namque ipſa communio calicis præclari apud Corinthios, prout ex epiſtola colligitur magni Pauli apoſtoli, quod plerique adverſatiorum nec audent nec poſſunt rationabiliter ſaltem denegare.

De praxi tempore apoſtoli S. Dionyſii.

Viguit etiam & tempore Dionyſii, ſicut de hoc Dionyſius de Eccleſiaſtica hierarchia cap. de euchariſtia recitat, ſic dicens : » Coo-

[a] Id eſt vinum non conſecratum, quod calici poſt communionem ſuperfunditur.

» pertum & indiviſibilem panem diſcoope-
» riens, & in multa dividens, & unitivam ca-
» licis omnibus præcipiens ſignificative unita-
» tem ſignificat & diſtribuit, ſacratiſſimum in
» iſtis ſacrificium perficiens. ubi gloſſa dicit:
» Epiſcopus ſive ſacerdos ipſa ſacramenta ma-
» nifeſtat & diſcooperit, & dividens ea multis
» *diſtribuit*, & *hoc ipſum* facit de calice, per
» ſignificationem unum in multos dividens.

De praxi tempore Origenis.

Viguit & tempore Origenis hæc communio ſub utraque ſpecie, qui ſcribens in homil. XVI. ſuper Num. dicit: « Dicant ergo
» nobis, quis eſt iſte populus, &c. ut ſupra eſt allegatum.

Donati.

Viguit etiam tempore Donati, ut de hoc ſcribitur in paſſionibus, & ut tangit de hoc beatus Gregorius lib. 1. dialogorum cap. VIII. Quod cum quadam die miſſa celebrata populus communicaret, & diaconus communicans Chriſti ſanguinem propinaret, ſubito paganorum impulſu diaconus cecidit, & calicem ſanctum fregit. Ex quo patet quod diaconus de officio ſuo olim porrigebat fidelibus laïcis ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini de calice, ut de hoc ſcribit S. Thomas de veritate catholicæ fidei contra errores infidelium lib. 4. c. 751. ubi agit de diſtinctione
» ordinum. « Acolythi habent miniſterium ſu-
» per vaſa non ſacra, in quibus ſacramenti
» materia præparatur; unde eis urceoli in ſua
» ordinatione traduntur. Subdiaconi autem
» habent miniſterium ſuper vaſa ſacra, & ſuper
» diſpoſitionem materiæ nondum conſecratæ.
» Diaconi autem habent ulterius miniſterium
» *ſuper materiam* jam conſecratam, prout ſan-
» guinem Chriſti diſpenſant fidelibus; & ideo
» hi tres ordines ſacri dicuntur, quia accipiunt
» miniſterium ſuper aliqua ſacra, & deſerviunt
» etiam ſuperiores ordines in præparatione
» populi. Unde & diaconibus committitur e-
» vangelica doctrina populo proponenda; ſub-
» diaconibus apoſtolica, acolythis ut circa u-
» tramque exhibeant quot pertinent ad ſolem-
» nitatem doctrinæ, ſcilicet luminaria defe-
» rant, & alia hujuſmodi adminiſtrent. » Hæc ille.

Leonis.

Item, obſervabatur olim communio præclari calicis ad plebes tempore Leonis papæ, qui ſanctus papa, ut dicit in ſermone quadrageſimali Dominicæ *Reminiſcere*, qui ſermo incipit: *Prædicaturus vobis, dilectiſſimi*, ſanctiſſimum maximumque jejunium; oſtendens quoſdam jejunium obſervare die Dominica in contemtu reſurrectionis ejus, ad ſacramentum corporis Domini ſub ſpecie panis acceſſiſſe, ſed a ſacramento alterius
» ſpeciei declinaſſe, ſic inquit: « Nulla itaque
» vos contagionis hujus aſpergat impietas,
» cum his qui ſua maxime obſervantia polluun-
» tur, *ſervientes potius creaturæ quam crea-*
» tori, & luminaribus cœli ſtultam abſtinen-
» tiam devoventes, quos nemo ambigat eſſe
» Manichæos, qui in honorem ſolis & lunæ die Dominico & ſecunda feria deprehenſi « A
fuerint jejunare. uno enim perverſitatis ſuo «
opere bis impii bis prophani ſunt, qui jeju- «
nium ſuum & ad ſyderum cultum, & ad re- «
ſurrectionis Chriſti inſtituere contemtum. «
Abdicant enim ſe ſacramento ſalutis huma- «
næ, & Chriſtum Dominum noſtrum, ſicut in «
unitate* carnis noſtræ denegant natum, ita «
vere mortuum & reſurrexiſſe non credunt; «
& ob hoc diem noſtræ lætitiæ jejunii ſui mœ- «
rore condemnant. Cumque ad tegendam infi- «
delitatem ſuam noſtris audent intereſſe myſte- «
riis, ita in ſacramentorum communione ſe «
temperant, ut interdum, quo tutius lateant, « B
ore *indigno* corpus Chriſti accipiant, ſan- «
guinem autem redemtionis noſtræ haurire «
declinent: quod ideo vos ſcire volumus, «
ut vobis hujuſmodi homines etiam in his «
manifeſtentur indiciis; & ubi deprehenſa «
fuerit ſacrilega ſimulatio, notati & proditi a «
ſocietate ſanctorum pellantur. De talibus e- «
nim beatus Paulus apoſtolus eccleſiam Dei «
provide monet, dicens: *Rogamus autem vos, «
fratres, ut obſervetis eos qui diſſenſiones & «
offendicula præter doctrinam quam didiciſtis «
faciunt, & declinate ab his*, &c. » Hæc ille. Ex « C
quo patet quod communicantes ſub prima
ſpecie & calicem haurire declinantes, dicun-
tur ſacrilegii crimen committere; quod non
fieret, ſi communio ſacramenti calicis præ-
cepta non eſſet. Secundo patet quod tales a
ſocietate ſanctorum ſunt expellendi, & ſic
excommunicandi, & a talibus, ut ab excom-
municatis, eſt declinandum; quod non fieret
niſi tales grande ſcelus contra legem Dei
committerent.

* l. retin. et, ut ipſi S. Leonem.

De patri tempore S. Gregorii.

Viguit etiam hæc communio ſub utraque
ſpecie ad laïcos tempore beati Gregorii; unde
ipſe Gregorius ſcribit in homilia paſchali,
ut habetur in canone, di. 2. *Quid ſit.* « Quid «
ſit ſanguis agni non jam audiendo, ſed bi- «
bendo didiciſtis: qui ſanguis ſuper utrumque «
poſtem ponitur, quando non ſolum ore cor- «
poris, ſed etiam cordis hauritur. In utroque «
enim poſte agni ſanguis eſt poſitus, cum ore «
ad redemtionem ſumitur, ad imitationem- «
que intenta mente cogitatur. Et infra. « In «
hoc myſterio moritur, ejus quoque utique «
corpus ſumitur, ejus caro in ſalutem populi «
*partitur, ejus ſanguis jam in manus infide- « * al. pabu-
lium per ora funditur. » Hæc ille. « tur.

S. Auguſtini.

Sed tempore Auguſtini ipſa communio
ſub duplici ſpecie ſervabatur, ſicut de hoc
ſcribit Auguſtinus in quodam ſermone, &
habetur in canone de conſecrat. di. 2. *Quia* E
paſſus, ubi ſic ait: « Vos poſt jejunia, poſt la- «
bores, poſt humilitatem & contritionem, jam «
in nomine Chriſti, tamquam ad calicem, ve- «
niſtis, & ibi in menſa & in calice nobiſcum «
vos eſtis: ſimul hoc ſumimus, ſimul hoc bibi- «
mus, quia ſimul vivimus. » Hæc Auguſtinus. «
Item Auguſtinus, & ponitur de conſecrat. di. «
2. Dum frangitur hoſtia, ſanguis in ora fide- «

» lium funditur, quid aliud quam Dominici
» corporis in cruce immolatio, ejuſdemque de
» latere effuſio deſignatur? Hæc ille.

S. Cyprian. Adhuc & tempore Cypriani communio ſub duplici ſpecie ad laïcos practicabatur: unde Cyprianus ſanctus martyr ſuarum epiſtolarum epiſtola 34. loquens de ſacramento Dominici calicis, dicit ad quemdam coëpiſcopum: « Quamquam ſciam, frater cariſſime,
» epiſcopos plurimos eccleſiis Dominicis in
» toto mundo divina dignatione præpoſitos,
» evangelicæ veritatis ac divinæ traditionis te-
» nere rationem, nec ab eo quod Chriſtus ma-
» giſter & præcepit & geſſit, humana & novella
» inſtitutione decedere; cur quidam vel igno-
» ranter vel ſimpliciter, in calice Dominico
» ſanctificando & plebi miniſtrando, non hoc
» faciunt quod Jesus Christus Dominus &
» Deus noſter, ſacrificii hujus auctor & doctor,
» hoc fecit & docuit? » Hæc ille. Idem Cyprianus S. martyr epiſtola 14. ſuarum epiſtolarum ad Tibarianos, ſic dicit: « Scire debetis & pro certo credere ac tenere, preſſuræ
» diem ſuper caput eſſe, cœpiſſe & occaſum ſæculi, atque antichriſti tempora appropinquaſſe, ut parati omnes ad prælium ſtemus,
» nec quidquam niſi gloriam vitæ æternæ &
» coronam confeſſionis Dominicæ cogitemus.
» Nec putemus talia eſſe quæ veniunt, qualia
» fuerunt illa quæ tranſierunt; gravior nunc &
» ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta ac virtute robuſta parare ſe debeant
» milites Chriſti, conſiderantes idcirco ſe quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, ut
» poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem
» fundere. Hoc eſt enim velle cum Chriſto
» inveniri, ſeu id quod Chriſtus & fecit & docuit imitari. » Hæc ille. Ad idem S. Cypria-
» nus epiſt. 37. dicit: « Quomodo docemus
» aut provocamus eos in confeſſione ſangui-
» nem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti
» ſanguinem denegamus? aut quomodo ad
» martyrii poculum idoneos facimus, ſi non
» eos prius ad bibendum in eccleſia Domini
» poculum jure communicationis admitti-
» mus. » Hæc ille. Item, idem S. Cyprianus
» epiſt. 34. ad Cæcilium de lapſis ſic dicit: « Sic
» ergo incipit & paſſionibus Chriſti fraternitas
» in perſecutionibus retardari, dum in oblatio-
» nibus diſcit de ſanguine ejus & cruore con-
» fundi. » Et infra: « Quomodo autem poſſumus propter Chriſtum ſanguinem fundere,
» qui ſanguinem Chriſti erubeſcimus bibere,
» qui tunc poteſt lætificare in eccleſia biben-
» tem turbam. Sed quod bibitur, Dominicam
» teneat veritatem. » Hæc Cyprianus.

Item, Fulgentius de divinis officiis, cujus
» prologus ſic incipit: « Ea quæ per anni circu-
» lum, &c. Verbum Patris carni & ſanguini,
» quem de utero Virginis aſſumſerat, & pani
» ac vino, quod in altari ſumitur, medium in-
» terveniens, unum efficit ſacramentum, quod
» cum in ora fidelium ſacerdos diſtribuit, panis & vinum abſumitur & tranſit. Partus autem Virginis cum unito ſibi verbo Patris, & in cœlo & in hominibus integer permanet & inconſumtus. » Hæc ille.

Et in libris miſſalibus pleriſque antiquis ſic ſcriptum reperitur, rubricaque talis habetur: Communicans alios dicat: Perceptio corporis Domini noſtri Jesu Christi proſit animæ tuæ & corpori tuo in vitam æternam. Ad calicem autem dicat: Sanguis Domini noſtri Jesu Christi proficiat tibi in remiſſionem omnium peccatorum tuorum in vitam æternam.

B Item gloſſa Liræ ſuper illud Proverb. IX. *Bibite vinum quod miſcui vobis.* « Vinum, id eſt ſanguinem meum, in quo admiſcetur aqua. In utraque enim ſpecie communicabant antiquitus fideles. Item ſuper illud Pauli: *Et ſic de pane iſto edat & de calice bibat*, dicit, quod hic fit mentio de duplici ſpecie, nam in primitiva eccleſia ſic dabatur fidelibus. Et dicit Wilhelmus de Monte-Lauduno in ſacramentali ſuo, titulo *de ſacramenti hujus uſu*, quia adhuc in multis locis communicatur cum pane & vino, id eſt cum toto ſacramento. Hæc ille. Idem ſuper iſtud Iſaiæ 25. *Et faciet Dominus exercituum*, id eſt rex
C angelorum, *omni populo*, id eſt electis ſuis, quia aſſumuntur ex omnibus populis in monte hoc, id eſt in monte Sion, ubi dicitur Dominus feciſſe cœnam diſcipulis convivium pinguiſſimum, &c. id eſt convivium excellentiſſimum, habens in ſe omne ſpirituale delectamentum, quod deſignatur per delectabilia hic expreſſa. Tunc enim dedit diſcipulis corpus in cibum, & ſanguinem in potum, & hoc ſacramentum eſt maxime refectivum, & per apoſtolos ſuos fecit & facit hoc convivium miniſtrari omnibus Chriſtianis per orbem diffuſis. « Hæc per totum Lira. Item ſuper iſtud Zachariæ IX *Quid enim bonum eſt*
D *ejus, & quid pulchrum ejus niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines*, &c. « Quid bonum ejus, id eſt, quid eſt placens coram Deo, niſi frumentum electorum, id eſt corpus Chriſti conſecratum in pane frumenti, quo nutriuntur ſpiritualiter electi; & vinum, id eſt ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini, germinans virgines, id eſt multiplicans virgines in eccleſia Dei ſequentes veſtigia Chriſti paſſi. » Hæc Lira.

Item Thomas de Aquino parte 3. Summæ,
E art. 3. q. 82. « Sanguis Chriſti diſpenſatur populis per diacones: unde & beatus Laurentius dixit beato Sixto: Experire utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem. » Et infra: « Et quia diaconi ſunt inter ſacerdotes & populum, magis convenit diaconibus diſpenſatio ſanguinis, quam diſpenſatio corporis. » Hæc ibi. Idem dicit B. Auguſtinus ſermone IX. de S. Laurentio. « Quam glorioſa & quanta & quantarum virtutum mul-

» titudine, quasi florum varietate distincta Lau- A
» rentii sit corona, universa testis est Romana
» ecclesia. In ipsa enim ecclesia, sicut soletis
» audire, diaconi gerebat officium: ibi sacrum
» Christi sanguinem ministravit, ibi pro Christi
» nomine suum sanguinem fudit. Hæc ille.

Probatur communio duplicis speciei per concilia generalia.

Cum autem concilia generalia juste, sancte & secundum Deum acta, tenta & celebrata, sunt agri Domini præcipua cultura, vepres, spinas & tribulos hæresum, errorum & schismatum extirpantia, excessus corrigentia, deformata reformantia, & vineam Domini ad frugem uberrimæ utilitatis adducentia, restat ipsa jam in præsenti pro confirmatione nostri propositi adducere, & in medium nostri proponere. Unde concilium Carthaginense quartum sic dicit, & habetur
» 26. q. 6. 16. « Qui pœnitentiam in infirmi-
» tate petit, si casu, dum ad eum venit sacer-
» dos, oppressus infirmitate obmutuerit, vel
» in phrenesim versus fuerit, dent testimonium
» qui cum audierunt, & accipiat pœnitentiam.
» Et si continuo moriturus creditur reconci-
» lietur per manus impositionem, & infunda-
» tur ori ejus eucharistia. Si supervixerit, am-
» moneatur a supradictis testibus petitioni suæ
» satisfactum, & subdatur statutis pœnitentiæ C
» legibus, quamdiu sacerdos, qui pœnitentiam
» dedit, probaverit. » Hæc ibi. Item ex concilio Toletano 4. capitulo *Pro reverentia*. sic
» habetur: « Pro reverentia sanctissimæ fidei,
» & propter corroborandas hominum invali-
» das mentes, consulto piissimi & gloriosissimi
» Recaredi regis, constituit synodus per omnes
» ecclesias Hispaniæ & Galliæ vel Galliciæ, se-
» cundum formam orientalium ecclesiarum
» concilii *Constantinopolitani* CL. episcopo-
» rum, symbolum fidei recitetur; & prius-
» quam Dominica dicatur oratio, voce clara
» prædicetur populo, quo & fides vera ma- D
» nifesta sit & testimonium habeat, & ad Christi
» sanguinem præbibandum, pectora populo-
» rum fide purificata accendant. Hæc ibi.

Rationes pro communione utriusque speciei.

Jam autem ad rationes aliquas & paucas condescendens, Primo, quod sit utilis & saluti expediens, arguitur sic. Illud est utile & saluti expediens fidelium, quod in anima fideli arida humectat, incensa refrigerat & extinguit, immo lavat, calefacit, lætificat, sanat & placat. Sed talis est communio sub utraque specie a fidelibus digne celebrata: ergo est utilis & saluti expediens, &c. Major nota. Minor patet per Thomam *sermone* 3. præsertim de calicis sacramento tractantem: qui Thomas jam ante supra est allegatus.

1. Quod sit utilis.

Item arguitur sic: Illud quod est institutum a Christo, ad dandum fidelibus, omne delectamentum habens spirituale, est utile Christianis & expediens saluti. Sed communio divinissimæ eucharistiæ sub utraque specie digne celebrata, est hujusmodi: ergo utilis, &c. Major est nota. Minor pro prima specie patet per illud Sapientiæ xv. *Panem de cælo dedisti eis, habentem omne delectamentum & omnem saporem suavitatis.* Et per Thomam 22. sermone dicentem: « De primo di- «
citur Isaiæ 52. *Audite audientes me, & come-* «
dite bonum, & delectabitur in crassitudine ani- «
ma vestra. Ambrosius: Panis candidissime, « B
habens omne delectamentum, & omnis sa- «
poris suavitatem, qui nos semper reficis, & «
numquam vitæ deficis, comedat te cor «
meum, & dulcedine saporis tui repleantur «
viscera animæ meæ. » Hæc Thomas. Pro secunda autem specie patet per Chrysostomum supra allegatum super Johannem, qui loquens de sanguine Christi & de effectibus illius, atque delectationibus quas operatur, sic inter cetera dicit: « Secus hunc fontem « C
plantati sunt non salices infructuosi, sed & «
arbores ad ipsum ascendentes cœlum. » «

Item arguitur sic: Illud est utile & expediens, quod est pro tuitione corporis & animæ: sed communio divinissimæ eucharistiæ sub utraque specie digne celebrata est hujusmodi: ergo, &c. Major est nota; minor patet per Ambrosium, Thomam & Innocentium supra allegatos: ergo &c.

Quod autem communio divinissimæ eucharistiæ sit necessaria & præcepta, sic arguitur & probatur. Illud sacramentum est necessarium ex lege & præceptum, ad cujus usum sub indignatione Dei omnipotentis obligantur & cogendi sunt fideles: sed tale est sacramentum eucharistiæ: ergo ipsum est necessitatis & præcepti. Major nota est de se, cum tale quodlibet est obligativum sub pœna peccati *mortalis*; sed & *minor* patet Matt. 22. ubi dicitur, quod rex fecit nuptias filio suo, & præcepit servis suis vocare & invitare ad nuptias, & per illud Lucæ 14. ubi fecit cogere invitatos ad nuptias.

Quod autem hoc prandium illarum nuptiarum sit convivium sacramentale, patet per Liram ibidem exponentem sic & dicentem: « Nuptiæ istæ non possunt intelligi bea- «
titudo in ecclesia triumphante, quia infra di- «
citur: *Servi vocaverunt ad nuptias bonos &* «
malos, & impletæ sunt nuptiæ. Ad beatitudi- «
nem autem cœlestem non admittentur boni «
cum malis, sed solum boni; nullus etiam ibi «
receptus ejicietur. » Et subdit: « *Ecce prandium* « E
paravi, videlicet sacramentum ecclesiæ & «
doctrinas, quibus reficitur anima, & *potissi-* «
mum in sacramento eucharistiæ, in quo da- «
tur nobis caro Christi in cibum, & sanguis «
ejus in potum. « Hæc Lira. «

De coactione autem pro secunda parte minoris, dicit Augustinus exponens eumdem textum de convivio sacramentali, ut patet 23. q. 6. cap. *Schismata*, ubi dicit: Unde & ipse Dominus ad magnam cœnam suam prius convivas suos adduci *jubet*, & postea cogi. Nam cum ei servi respondissent: *Domine, factum est quod jussisti, & adhuc locus est. Exite*, inquit, *in vias & sepes, & quoscumque inveneritis*

inveneritis vogite intrare, non quia coguntur reprehendant: ſed quo coguntur attendant. Et repetens eadem verba 23. q. 4. cap. » *Ipſa pietas* ſubdit: Convivium Domini eſt » unitas corporis Chriſti non ſolum in ſacra» mentis altaris, ſed & in vinculo pacis.» Hæc ille. Ex quo patet illud convivium, ad quod cogendi ſunt fideles, eſſe in ſacramento altaris & in convivio pacis; ex quo ſequitur minorem eſſe veram.

EXPECIT POSITIO PRIMI ARTICULI BOHEMORUM IN CONCILIO BASILEENSI.

Per organum magiſtri Johannis de Rokazana publicata in refectorio Prædicatorum in audientia publica, menſe Januario, anno Dominicæ incarnationis 1433.

Ex muſ. virgilii collegii Navarræ.

TERTIUS ARTICULUS BOHEMORUM propoſitus in ſacro Baſileenſi concilio, per dominum Ulricum, unum ex oratoribus Bohemorum præmiſſorum.

Actor 1. dei.

IN nomine Domini Dei noſtri. Amen. Locuturus in hoc venerando concilio coram reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis egregiis magiſtris & doctoribus, ac tanto auditorio, anxiatus eſt in me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum, tum propter laudabilium perſpicaciumque virorum præſentiam, tum propter parvitatem & inhabilitatem ingenii mei, quam ſcio in memetipſo fore ſatis magnam. Ex injuncto tamen mihi onere a confratribus meis, confidens de Patre miſericordiarum, a quo omnis ſapientia, cujus denique manus non eſt abbreviata, ut ſalvare nequeat, neque aggravata eſt a viris ejus, ut non exaudiat, Iſaiæ 59. Ad ipſum, inquam, Patrem miſericordiarum recurrens, cordialiter invoco, quatenus dignetur labia mea aperire, ut os meum annuntiet laudem ſuam.

Pro aliquali ergo præambulo infra dicendorum, & pro veritate articuli noſtri tertii, quem habemus præ manibus, occurrunt verba quæ ſcribuntur Matt. 22. ſub hac forma: *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo. Non enim inſpicis in perſonam hominum.* Quamquam illa verba dicta ſunt a calumniatoribus Domini noſtri JESU CHRISTI, puta Phariſæorum diſcipulis & Herodianis, tamen ad intentionem Spiritus-ſancti, a quo eſt omnis veritas, ſunt verba fideliſſima, & omni acceptione digna. Ipſe enim JESUS eſt verax magiſter, & viam Dei in veritate docet, &c. In quibus quidem verbis tria tanguntur, quæ faciunt magiſtrum laudabilem, ſcilicet veritas vitæ, veritas doctrinæ, & veritas juſtitiæ. Primum ibi: *Scimus quia verax es.* Secundum ibi: *Viam Dei in veritate doces.* Tertium ibi: *Et non eſt tibi cura de aliquo.* Iſta tria habuit in ſe Dominus JESUS laudabilis noſter magiſter. Primum quidem habuit veritatem vitæ, quoad immunitatem peccati, juxta illud 1. Pet. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Hic dixit Judæis, ut habetur Johannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato? ſi veritatem dico, quare non creditis mihi?* Secundo, ipſe magiſter noſter JESUS habuit veritatem doctrinæ, quoad annuntiationem voluntatis Dei Patris omnipotentis, quod tangitur ibi: *Et viam Dei in veritate doces.* De hac Johan. 7. *Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus qui miſit me.* Et ibid. cap. 8. *A me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor.* Et cap. 14. Johan. *Verba quæ loquor vobis, a me ipſo non loquor. Pater in me manens ipſe facit opera.* Tertio, ipſe noſter magiſter habuit veritatem juſtitiæ in non acceptione perſonarum, quod tangitur ibi: *Et non eſt tibi cura de aliquo. Non enim reſpicis perſonam hominum.* De hoc Johan. 8. *Ego non judico quemquam; & ſi judico ego, judicium meum verum eſt*; utique verum; fuit enim ſine perſonarum acceptione. Patet in hoc quod dixit quibuſdam ex Jeroſolymis, ut habetur Johan. 7. *Eſt verus qui miſit me, quem vos neſcitis, ego autem ſcio eum; & ſi dixero quia neſcio eum, ero ſimilis vobis mendax.* Item Johan. 8. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt & pater ejus: Ego autem, qui veritatem dico, non creditis mihi.* Item patet Matt. 23. *Væ qui ſcribas & Phariſæos ſalutant.* Item Lucæ 11. ubi dicitur: *Væ vobis Phariſæis, qui diligitis primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro. Væ vobis, qui eſtis ut monumenta quæ non apparent, & homines qui ſupra ambulant neſciunt.* At quidam legiſperitus ait illi: *Magiſter, hæc dicens etiam nobis contumeliam facis. At ille reſpondens ait: Et vobis legiſperitis væ, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt, & ipſi vos digito veſtro non tangitis ſarcinas.* Ecce veritas juſtitiæ in iſto magiſtro, quia etiam legiſperitis, qui ſe juſtificabant coram hominibus, non pepercit. Hinc dixit perſonas acceptantibus, ut habetur Johan. 7. *Nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate.* Hic eſt enim, inquam, ille magiſter de quo dicitur Matt. 23. *Vos autem nolite vocari rabbi, unus eſt enim magiſter veſter.* Iſte itaque magiſter præ aliis principaliter eſt audiendus, imitandus & honorificandus. Pro primo eſt vox Patris, ut habetur Matt. 9. *Et venit vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus cariſſimus, audite eum.* Item vox Matris, Johan. 2. *Dicit Mater ejus miniſtris: Quodcumque dixerit vobis facite.* Et merito audiendus: *Omnis enim anima quæ non audierit magiſtrum ſeu prophetam illum, extermi-*

nabitur de plebe. Actuum 3. Pro ſecundo, quod ſit imitandus. Eſt enim Chriſtus exemplar & ſpeculum noſtrum ſine macula, ad ipſum quantum ſufficimus imitandum. Ad hoc enim ſpecialiter incarnatus fuit, ut humanum genus redimeret, & viam virtutum ſuis fratribus exemplaret: Unde dictum eſt in figura Exodi 25. *Inſpice & fac ſecundùm exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* Mons Chriſtus eſt, de quo pſalmus: *Mons Dei, mons pinguis.* Hinc dixit Apoſtolus ad Epheſ. 5. cap. *Imitatores mei eſtote ſicut filii cariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut Chriſtus dilexit vos.* Et Johan. 12. *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur.* Pro tertio, ſcilicet quod ſit honorificandus, dicitur Johan. 5. *Omne judicium dedit Pater Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui enim non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui miſit illum.* Et merito; hoc enim honore condignus eſt, rex quemcumque voluerit honorare. Eſther. 6. Hunc ergo magiſtrum oportet nos habere pro vero præſidente ſine medio eccleſiam informandi, pacificandi & reformandi, tam in capite vocato, quam in membris. Nam ipſe eſt optimus legis interpres, ut patet ex fide ſcripturæ, cujus judicio, acceptationi & interpretationi oportet ſtare ſalvandum quemlibet, ſi voluerit ab errore [immunis eſſe] non ſolum in materia fidei, ſed etiam in veritate quacumque neceſſaria ad ſalutem; cum illud ſit argumentum infallibile: Hoc dixit Christus Jesus; ergo verum. Hoc mandat Christus Jesus, ergo faciendum. Hoc conſulit Christus Jesus, ergo propter imprudentiam viatorum non omittendum. Hoc prohibet Christus Jesus, ergo non faciendum. De puro autem homine infallibiliter non ſic ſequitur de forma, cum non ſequitur videlicet: Hoc dixit homo, hoc dixit Romanus pontifex, hoc dicit Eugenius papa: ergo verum aut faciendum; ſed addito iſto medio bene ſequitur: Hoc dicit Romanus pontifex, & in ſcriptura canonica ſe fundat veraciter, ergo hoc eſt verum aut faciendum. Et pro iſta ſententia eſt egregius doctor beatus Auguſtinus dicens: » Noli litteris meis quaſi canonicis ſcripturis inſervire, ſed in illis quæcumque credebas, cum inveneris, incunctanter crede: in meis autem quod certum habeas, niſi certum intellexeris, noli firme tenere. » Hæc ille, & habetur 9. di. *Noli.* In ipſius ergo Jesu Christi optimi magiſtri noſtri nomine articulus noſter tertius in ordine proponitur in hac forma.

Verbum *Dei, exemplo Chriſti & apoſtolorum, a ſacerdotibus Domini libere ac ſine impedimento, fideliter & veraciter debet prædicari & annunciari.*

Inprimis antequam accedam ad oſtendendam veritatem articuli tertii, quem habemus præmanibus, juxta ſapientum doctrinam & laudabilem conſuetudinem, propter lapſum linguæ ſive imperitiam, proteſtationem per dominos meos nuperrime recitatam & confratres, venerandum magiſtrum Johannem de Rokezana, & honorabilem ſacerdotem Nicolaum bacalaureum artium liberalium, hic inſero, volens ipſam habere pro renovata.

Bene autem iſte articulus ſequitur ſecundum. Si enim peccata mortalia publica, & quantum fieri poteſt etiam occulta, ordinate caſſarentur in eccleſia, tunc ſacerdotes utiliter prædicarent verbum Dei, & populus utiliter audiret, alias non. Nam, ut dicitur in pſalmo, *Peccatori autem dixit Deus.* & Sap. 1. *In malivolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis:* & Eccli. 21. *Audivit & luxurioſus, & diſplicebit ei, & projiciet illud poſt dorſum ſuum.*

Pro articulo ergo noto primo quid dicitur: *Verbum Dei exemplo Chriſti & apoſtolorum, &c.* Quod verbum Dei dupliciter accipitur: uno modo pro Christo Jesu vero Deo & homine, de quo Apoc. 19. *Et ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax, & cum juſtitia judicat & pugnat. Oculi autem ejus ſicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens in manu ſceptrum, quod nemo novit niſi ipſe, & veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vocabatur nomen ejus Verbum Dei:* & illud verbum Dei eſt prædicandum vere & fideliter a ſacerdotibus Domini, apoſtolorum exemplo, qui cum ceteris condiſcipulis vitam Christi Jesu diligentiſſime prædicabant. unde 2. Corinth. 4. dicit Apoſtolus: *Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed* Jesum Christum *Dominum noſtrum: nos autem ſervos veſtros per* Jesum. & 1. Cor. 2. *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi* Jesum Christum, *& hunc crucifixum.* & ibidem 1. cap. *Nos prædicamus* Jesum Christum *crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis, Chriſti Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Ita enim vita Chriſti deberet eſſe crebra in ſacerdotum Domini prædicationibus, exemplo Petri apoſtoli, qui, ut habetur Act. 10. dixit: *Viri fratres, vos ſcitis quod factum eſt verbum per univerſam Judæam. Incipiens enim a Galilea, poſt baptiſmum quod prædicavit Johannes,* Jesus *a Nazareth.* Et infra: *Nobis præcepit prædicare populo & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt a Deo judex vivorum & mortuorum. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Et congrue prædicanda eſt a ſacerdotibus Domini vita Christi Jesu, quia non aliter quam in ipſius imitatione de quanto poſſumus eſt nobis ſalus, juxta illud Johan. 10. *Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſalvabitur.* Et ibidem cap. 14. dixit Jeſus: *Ego ſum via, ve-*

ritas & vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Et Lucæ 9. *Dicebat autem* JESUS *ad omnes: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Et hinc beatus Petrus apoſtolus, ſpiritu Patris ex alto in die Pentecoſtes inflammatus, concludit pro certo, ut habetur Act. 4. cap. loquens de Chriſto ad principes populi & ſeniores Iſraël: *Hic, ſcilicet Chriſtus, eſt lapis angularis, qui reprobatus eſt a vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli, & non eſt in aliquo alio ſalus.* Nec enim aliud nomen ſub cœlo datum eſt hominibus, in quo oporteat ſalvos fieri. Sed, heu! hoc verbum Dei cum ſua vita pœnali, humili & abjecta datum eſt hominibus hujus ſæculi in oblivionem, ipſo conquerente per prophetam pſalm. 30. *Oblivioni datus ſum tamquam mortuus a corde.* Ubi enim, quæſo, eſt reperire hominem utriuſque ſtatus, ſuperioris, medii ac inferioris dignitatum, qui hoc verbum Dei in humilitate, paupertate, patientia & contemtu ſæculi imitaretur, cum oppoſitum doceat rerum magiſtra oculata experientia quotidiana, & maxime in his qui videntur regere populum Dei? Et quoad hoc dicit beatus Chryſoſtomus in homilia: In nomine Chriſti multi ambulant, in veritate ejus pauci. Quod latius declarans beatus Bernardus ſerm. 33. ſuper Cantica, loquitur iſto modo: Væ generationi huic a fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis, ſi tamen hypocriſis dici debet, quæ jam latere præ abundantia non valet, & præ impudentia non quieſcit. Serpit hodie putrida tabes per omne corpus eccleſiæ. Et infra: Omnes amici & omnes inimici, omnes neceſſarii & omnes adverſarii, omnes domeſtici & nulli pacifici, omnes proximi, & quæ ſua ſunt quærunt. Omnes miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt antichriſto, honorari intendunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt. Inde is quem vides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Vide aurum in frenis, in ſellis, in calcaribus; plus calcaria quam altaria fulgent. Inde menſæ ſplendidæ & ſcyphis & cibis. Inde comeſſationes & ebrietates in cythara & lyra & tibia in redundantia torcularia & promtuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marſupia. pro hujuſmodi volunt eſſe, & ſunt eccleſiarum præpoſiti, decani, archidiaconi, epiſcopi, archiepiſcopi. Nec enim hæc merito, ſcilicet virtuti, cedunt, ſed hypocriſi, negotio illi quidem perambulante in tenebris. Prædictum eſt, & nunc tempus impletionis advenit: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*; amara prius in nece martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare, non fugere eos poteſt, ita invaluerunt, ita multiplicati ſunt ſuper nos, intrinſeca & inſanabilis plaga eccleſiæ; & ideo in pace ejus amaritudo amariſſima. Sed in qua pace? & pax, & non eſt pax. Pax a paganis, pax ab hæreticis; ſed non profecto a filiis. Vox plangentis in tempore iſto: *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me*, & maculaverunt a turpi vita, quæſtu, a turpi negotio, a negotio denique ambulante in tenebris, &c. Hæc ille. Et in eodem libro ſermone 77. ita loquitur: Non ſunt omnes amici ſponſæ, quos hodie huic ſponſæ aſſiſtere cernis. Pauci admodum ſunt, qui non quæ ſua ſunt quærunt, ex omnibus caris ejus diligunt munera, nec poſſunt diligere Chriſtum, qui dederunt manus mammonæ. Intuere quomodo incedunt, nitidi, ornati, circumamicti varietatibus, tamquam ſponſa de thalamo ſuo. Sed unde hanc illis exuberare æſtimas rerum affluentiam, tantum veſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum aureorum & argenteorum, niſi de bonis ſponſæ? Inde eſt quod illa pauper & inops nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida & exſanguis, propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare; non eſt cuſtodire, ſed perdere; non eſt defendere, ſed exponere; non inſtituere, ſed proſtituere; non eſt paſcere gregem, ſed mactare ac devorare, dicente illis Domino: *Qui devorant plebem meam, ſicut cibum panis.* Hæc ille. Ecce iſte ſpeculativus eccleſiæ doctor proſpexit vivaci oculo in filios hominum, & conſcripſit quinam ſunt hi, quibus vita Chriſti data ſit in oblivione.

Secundo modo verbum Dei accipitur pro omni verbo monitionis, quod locutus eſt Dominus per ſuos angelos, prophetas veros, per filium ſuum, & per ſuos apoſtolos, & in ſcripturis reliquis ad futura tempora, pro ædificatione ſuæ eccleſiæ militantis. Hinc dicebant ſancti prophetæ: *Factum eſt verbum Domini ad me, dicens:* Item: *Audies verbum ex ore meo, & loqueris ad eos.* Item: *Audite verbum Domini, vaccæ pingues* ..... & ad Hebræos 1. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio ſuo, &c.* Et hoc eſt quod dicit Petrus in ſua 2. canonica cap. 1. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt Dei homines.* Et iſto modo volo ad præſens capere verbum Dei in articulo noſtro tertio jam allegato.

De differentia Verbi Dei a verbis hominum.

Hoc autem verbum Dei differt a verbis hominum in multis.

Primo, in veritate, juxta illud: *Eſt enim Deus verax, omnis homo mendax.* ad Rom. 3.

Secundo, in immutabilitate; quia non eſt Deus ut homo, ut mentiatur. Numer. 23. *Apud Deum enim non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Jacobi 1. Hinc Matt. 23. dicit Salvator: *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* & Iſaiæ 15. *Vox dicentis: Clama; & dixi: Quid clamabo? Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus quaſi flos*

ſeni, exſiccatum eſt fenum, & cecidit flos. Ecce mutabilitas. *Verbum autem Dei noſtri ſtabit in æternum.* ecce ittmutabilitas.

Tertio, in ſpiritualitate. Johan. 6. *Verba quæ locutus ſum, ſpiritus & vita ſunt. Sed qui de terra eſt, de terra loquitur.* Johan. 3. & 1. Johan. 4. *Ipſi de mundo ſunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.*

Quarto, in virtuoſitate. Ad Hebr. 4. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus.* De hac etiam in pſal. *Eloquium tuum vivificavit me.* Si enim actus vivæ vocis habet aliquid latentis energiæ, ut dicit beatus Hieronymus in primo prologo Bibliæ 2. cap. multo magis actus divinæ vocis. Et ideo verba Dei comparantur igni, juxta illud Jeremiæ 23. *Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram?* Hinc dicebant duo illi diſcipuli euntes in Emmaus, ut dicitur Lucæ ultimo: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* Et quoad hoc dicitur Matth. 17. *Docebat eos tamquam poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ & Phariſæi, quorum verba erant inefficacia, invirtuoſa. Dicebant enim, & non faciebant.* Matt. 23.

Quinto, in exultatione. Ideo Jerem. 15. *Factum eſt mihi verbum Domini in gaudium & lætitiam cordi meo.* Hinc de Chriſto dicebant miniſtri Judæorum, ut habetur Johan. 7. *Numquam locutus eſt homo ſicut hic loquitur.*

Sexto, in fidelitate. Unde pſalm. *Fidelis Dominus in verbis ſuis.* Recti enim ſunt ſermones Dei, & non eſt in ipſis quid pravum aut perverſum. Non ſic autem verba hominum. Lucæ 14. dicitur: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* Et Proverb. 20. *Multi homines miſericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet?* & maxime inter diſpenſatores myſteriorum Dei, dicente Apoſtolo 1. Corint. 4. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.*

Septimo, in perfectione. Eccli. 43. *Multa dicimus & deficimus verbis. Conſummatio autem ſermonum ipſe eſt.* Ad tantum enim perfecta ſunt verba Dei, quod non licet eis quid addere aut auferre, juxta illud: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ab eo.* Deut. 4. & Proverb. 10. *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe, non addas quicquam verbis illius, ne arguaris inveniariſque mendax.* Quod verbum penſans beatus Chryſoſtomus ſuper Matt. cap. 7. » in opere imperfecto, dicit: Omnis doctor » ſervus eſt legis, quia nec ſupra legem adde- » re poteſt aliquid de ſuo ſenſu, neque ſubtra- » here proprium intellectum; ſed hoc tantum- » modo prædicet quod habetur in lege. Nec » enim poteſt mens humana vel detractare vel directicare quod Sapientia dictavit. Sic enim « ait Salomon: *Ne addas ad verba Dei, nec ſub-* « *trahas inde.* Qui autem auſus eſt hæc facere, « ſe ſapientiorem putat eſſe Deo, & incipit fal- « ſus eſſe teſtis; quia illud dicit, quod nec au- « ris audivit, nec oculus vidit, &c. Hæc ille. « Et quia tam verum, fidele & perfectum eſt verbum Dei præ verbis hominum, ideo ipſum eſt cordialiter amplectendum, veraciter prædicandum, cum diligentia audiendum, & ſecundum ipſum pro poſſe, prout ſufficimus, converſandum. Pro primo facit illud Lucæ 2. *Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Pro ſecundo facit illud: *Qui habet ſomnium, narrat ſomnium; & qui habet ſermonem meum, loquitur ſermonem meum, &c.* Jerem. 23. & illud 2. ad Tim. 2. *Labora ſicut bonus miles* CHRISTI JESU. Pro tertio eſt illud pſalm. 77. *Attendite populo meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei.* Pro quarto eſt illud ad Philippenſes 1. *Dum digne evangelio Chriſti converſamini.* Ubi doctor Nicolaus de Lira ſecundum doctrinam evangelii: Et quia tam verum, ut prædictum eſt, & « tam fidele eſt verbum Dei, prophetæ, veri « apoſtoli Domini JESU, ceterique ſancti primi- « tivæ eccleſiæ non audebant prædicare aut do- « cere aliud, quam verbum verum Dei. Unde « ad Rom. 15. dicit Apoſtolus: *Non enim audeo* « *aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chri-* « *ſtus.* Hinc dixit Iſidorus: Is qui præeſt, ſi præ- « ter voluntatem Dei, vel præter quod in ſan- « ctis ſcripturis evidenter præcipitur, vel dicit « aliquando vel imperat, tamquam falſus teſtis « Dei aut ſacrilegus habeatur; & ponitur 11. « q. 3. *Si is.* Et beatus Petrus lib. 2. Clementis: Neque proprium nobis aliquid dicere per- « miſſum eſt. ſumus enim miſſi, & neceſſario « qui miſſus eſt nunciat, & voluntatem mitten- « tis exponit; & ſi aliud dicam, falſus ero apo- « ſtolus, quia non dico quod miſſus ſum dice- « re. Hæc ille. Et ideo fideles in primitiva ec- « cleſia prohibebantur ſuſcipere illos, qui aliud quam Verbum Dei prædicabant; unde Johannes in ſua ſecunda canonica dicit: *Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. qui enim dicit Ave, communicat operibus illius malignis.*

Circa iſtud notabile ſit iſta concluſio.

VERBUM Dei ſumtum in propoſito, verbis hominum quorumcumque eſt anteponendum. Patet concluſio ex jam præmiſſis, ſpecialiter ex illo ad Rom. 3. *Eſt enim Deus verax, omnis homo mendax.*

COROLLARIUM 1. Verba Dei ſumta ad propoſitum, verbis hominum non ſunt poſtponenda.

COROLLARIUM 2. Verba hominum verbis Dei non ſunt æquiparanda.

COROLLARIUM 3. Peccant, qui ad verba

hominum citius apponunt aurem & animum, quam ad verba Dei.

Conclusio 2. Clerus modernus plus honorans humana jura, quam verba evangelica, in hoc vestigia apostolica non imitatur. Patet conclusio ex antedictis, & specialiter ex illo dicto Apostoli ad Rom. 15. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, &c.* ut supra.

Corollarium. Sacerdotes in juribus humanis se occupantes, verbo Dei prætermisso, & in libris gentilium, & maxime curati, magis videntur adhærere huic fallaci sæculo, quam ipsi vero Deo. Et pro istis conclusionibus & corollariis facit illud quod legitur de beato Hieronymo, qui cum libros legeret Ciceronis, ab angelo correptus est, eo quod vir Christianus paganorum figmentis intenderet. & ponitur dist. 38. *Legimus.* Hinc in concilio » Carthaginensi IV. statutum est : Episcopus » gentilium libros non legat. Hæreticorum autem perlegat, aut pro necessitate aut pro tempore; & ponitur ea dist. *Episcopus.* Patet etiam ex isto, quod cum sacerdotes sunt servi super familiam Domini constituti, ut dent illis pro cibo tritici mensuram, ut dicitur Luc. 12. non debent tales cum paleis se occupare, Domino dicente per Jeremiam 23. *Quid paleis ad triticum? dicit Dominus.* Et tantum de notabili primo sit dictum.

II. Notabile. Secundo nota; quod ponitur in articulo nostro tertio, *A sacerdotibus Domini*; Quod sacerdotes sunt duplices. Quidam enim sacerdotes sunt sacramento & justitia. Quidam autem sunt sacerdotes solo sacramento. Et qui sunt illi ostendit Augustinus contra litteras Petiliani sic inquiens. Ut enim sit quisque verus sacerdos, oportet ut non solum sacramento, sed justitia quoque induatur, sicut scriptum est. *Sacerdotes tui induantur justitiam.* Qui autem solo sacramento sacerdos est, sicut fuit pontifex Caiphas, persecutor unius & veri Sacerdotis, quamvis ipse verax non est, quod tamen dat verum est, si non suum det, sed Dei. » Hæc ille. Et ponitur 1. q. 1. *Dominus declaravit.* Ecce iste sanctus declarat quis sit verus sacerdos, & quis non verus sit sacerdos. Verus sacerdos quidem est, qui non solum sacramento, id est ordine & officio, sacerdos est, ut dicit glossa, super verbo *sacramento*; sed qui indutus est justitia, id est, qualibet virtute morali, juxta illud Matt. 3. *Sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Ubi dicit doctor Nicolaus de » Lira. » Ibi accipitur justitia, non prout est » virtus specialis, sed generalis, prout includit in se virtutem omnem. » Hæc ille. Et ad idem loquitur Chrysostomus super Matt. 5. cap. super verbo; *Vos estis sal terræ*, ita dicens : Doctor omnibus virtutibus debet esse » ornatus; debet esse pauper, ut avaritiam libera voce castiget; debet esse suspirans, & » lugens sive sua vel alia delicta; debet esse mansuetus, ut magis indulgendo, quam judicando regat ecclesiam; ut magis ametur, quam timeatur. Debet esse misericors aliis, sibi autem austerus, ut sibi quidem grave pondus justitiæ ponat, aliis autem leve. Debet esse mundo corde, ut non solum non se immisceat circa negotia sæcularia; sed nec cogitet de mundo. Sit autem pacificus, ut tota ecclesia ejus quasi una sit anima. Ubi autem concordia non est, nec oratio illic exaudjtur, nec oblatio suscipitur, quia nec Deus est ubi discordia dominatur. Debet autem paratus esse ad passionem, non vana desideria martyrii habens : sed ut det martyribus constantiam dignam. » Hæc ille. Et alibi ad idem loquitur sic inquiens : » Multi sacerdotes & pauci sacerdotes, multi in nomine, & pauci in operatione. Videte ergo quomodo sedeatis super cathedram, quia non facit cathedra sacerdotem, sed sacerdos cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos est sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos. » Et infra. » Ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit non dignitatem. » Hæc ille & ponitur 40. di. *Multi.*

Ex his sanctorum doctorum, & quam egregie dictis, patet notabile fore verum; puta quod sacerdotes sint duplices : veri scilicet & non veri, seu boni & mali : & ad hoc sunt adhuc aliæ scripturæ sanctorum. Hieronymus super Aggeum prophetam super verbo *interroga sacerdotes legem.* » Considera sacerdotum officium esse de lege interrogatis respondere. Si sacerdos nesciat legem Domini, si ignorat legem Domini, ipse se arguit non esse sacerdotem Domini. Sacerdotis enim est scire legem, & ad interrogationem respondere de lege. » Hæc ille. Item, idem Hieronymus ad Heliodorum. Non omnes episcopi sunt episcopi. Attende Petrum, sed Judam considera. Stephanum suscipis, Nicolaum respice; non facit ecclesiastica dignitas Christianam. Et sequitur. » Non est enim facile in loco Petri & Pauli, scilicet tenere locum jam cum Christo regnante. Infatuatum sal, id est stulti prælati, ad nihilum prodest, nisi ut projiciatur foras, & a porcis conculcetur. » Et ponitur 2. q. 7. *Non omnis* glossa super verbo : *infatuatum sal*; id est stulti prælati, insipidi in prædicando, fatui in delinquendo : *Nisi ut projiciatur foras*, id est deponatur; *& a porcis conculcetur*, id est dæmonibus, qui dominantur malis prælatis, quasi pecori suo. Hæc glo. Item Aug. homil. VI. » Non omnis qui dicit : Pax vobis, quasi columba est audiendus; corvi de morte pascuntur. Hæc columba non habet : immo de frugibus terræ vivit, innocens est victus ejus. » Ponitur eadem q. *Non omnis* glossa : corvo æquiparatur malus presbyter in nigredine vitiorum, in raucedine vocis, in voracitate scilicet oblationum mortuorum, in fetore spiritus, in garrulitate, in

turto. Hæc gloſſa. Ex cujus ſancti dicto patet, quod boni ſacerdotes comparantur columbis, & mali comparantur corvis. Et Ambroſius in ſermone habito de Dominica de Abraham: » Cavete fratres mendacium, quia » omnes qui amant mendacium filii ſunt diaboli, non ſolum in falſis verbis, ſed in ſimulatis operibus mendacium eſt. Mendacium » namque eſt Chriſtianum ſe dicere, & opera » Chriſti non facere; mendacium eſt epiſcopum, ſacerdotem vel clericum ſe profiteri, » & contraria huic ordini operari. » Hæc ille, & ponitur 22. q. 5. *Cavete*. Et ſic patet notabile fore verum.

De multiplici genere malorum ſacerdotum.

Hoc genus ſacerdotum malorum eſt multiplex. Quidam ſunt, qui more gentium civiliter dominantur, & iſti ſignificantur per ſacerdotes Pharaonis, de quo dicit Origenes ſuper Gen. c. 16. tractans illam materiam. Emit ergo Joſeph omnem terram Ægypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas; » & ſequitur: Præter terram ſacerdotum, quæ » a rege tradita fuerat eis. Et vis ſcire quid in» terſit inter ſacerdotes Dei & ſacerdotes Pha» raonis. Pharao concedit terras ſacerdotibus » ſuis, Dominus autem ſacerdotibus non con» ceſſit partem in terra, ſed dicit eis: Ego ſum » pars veſtra. Obſervate ergo, qui hæc legitis » omnes Domini ſacerdotes, & videte quæ ſit » differentia ſacerdotum, ne forte qui partem » habent in terra & terrenis cultibus & ſtudiis » vacant, non tam Domini quam Pharaonis » ſacerdotes eſſe videantur. » Hæc ille. Et de iſto plus dicetur in articuli noſtri proſecutione.

Quidam ſunt de oblationibus populi laute viventes, concubinas ſuas & pueros earum de elemoſynis pauperum nutrientes. Iſti figurantur per ſacerdotes Bel, de quibus Daniel 14. *Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel*, &c. Sequitur: *Erant autem ſacerdotes Bel ſeptuaginta, exceptis uxoribus & parvulis & filiis*. Et infra: *Sacerdotes autem ingreſſi ſunt nocte, juxta conſuetudinem ſuam, & uxores & filii eorum, & comederunt omnia*. Et illos videtur apoſtolus tangere ad Philippenſes 3. dicens: *Imitatores meis eſtote, fratres, & obſervate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam, nunc autem flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt*. De quibus » etiam dixit Nicolaus papa. » Nullus miſſam » audiat preſbyteri quem ſcit concubinam in» dubitanter habere, aut ſubintroductam mu» lierem: » Et ponitur di. 32. *Nullus*. Ubi di» cit gloſſa. » Hic loquitur de illo cujus crimen » eſt notorium, ut extra de cohabitatione cle» ricorum & mulierum. *Veſtra*. Et ſuper ver» bo *Scit*. gloſſa: » Scientia juris, non facti. » Sed certe quicquid dicat Jo. hoc tene pro » certo, quod cum ſit notorium per ſententiam, ſive per confeſſionem, ſive per rei evidentiam de fornicatione ipſius, quod vitari » debet. » Extra. de cohabit. clericorum & mulierum. cap. *Veltis*. Hæc gloſ. Et Alexander II. præcipit, ut talis miſſam non cantet, nec evangelium legat, neque epiſtolam ad miſſam, neque ſit in preſbyterio cum his ad divina officia. Qui præfatæ conſtitutioni obedientes non fuerint, maneant, neque partem ab eccleſia ſuſcipiant. Ponitur ea di. *Presbyter*. Et ad hoc ſonat lex Dei: *Sacerdos in quacumque ſit macula*, &c.

Quidem ſunt ſacerdotes ambitioſi, cupidi & guloſi, qui honores & divitias quærunt, ut ſint aliis ſuperiores, & vivant in deliciis carnis, & iſti figurantur per ſacerdotes Baal, de quibus 4. Regum 1. *Nunc ergo omnis prophetans Baal & univerſos ſervos ejus, & cunctos ſacerdotes ipſius vocate ad me*. Baal ſuperior vel devorator interpretatur: Quos quidem ſacerdotes videtur pſalmiſta oſtendere dicens: *Qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis*. Bernardus in epiſtola. Quicquid præ- « ter neceſſarium victum aut ſimplicem veſti- « tura de altari retines, tuum non eſt, rapina « eſt. » Hæc ille. Hinc dicit apoſtolus 1. ad Ti- « moth. 6. quaſi pro certa regula apoſtolica; *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus*. Et iſtam regulam ſervavit in opere Petrus apoſtolus verus CHRISTI JESU vicarius, cum dixit, ut habetur Actuum 3. *Argentum & aurum non eſt mihi*. Quod penſans B. Bernardus lib. 4. ad Eugenium papam dicit: Tu paſtor procedis de- « auratus tam multa circumdatus varietate, « oves quid capiunt? Si auderem dicere: Dæ- « monum magis quam ovium paſcua hæc ſunt. « Non ſic factitabat Petrus, non ſic ludebat « Paulus. » Et ſequitur: » Petrus neſcitur ali- « quando gemmis ornatus proceſſiſſe vel ſe- « ricis, non tectus auro, non vectus equo albo, « nec ſtipatus milite, nec circumſtrepentium « ſeptus miniſterio: abſque his tamen crede- « bat ſatis poſſe impleri ſalutare mandatum « Johan. 21. *Petre paſce oves meas*. In his ſuc- « ceſſiſti non Petro, ſed Conſtantino. Hæc ille. «

Sunt alii ſacerdotes avari ſeu cupidi, figurati per ſacerdotes Dagon 1. Reg. 5. *Porro Dagon truncus ſolus remanſerat in loco ſuo propter hanc cauſam non calcant ſacerdotes Dagon & omnes qui ingrediuntur templum ejus ſuper limen Dagon in Azoto uſque in hodiernum diem*. Dagon interpretatur piſcis triſtitiæ. Sic avari ſacerdotes inſtar piſcis perambulant ſemitas maris, ad beneficia conquirenda, quorum magna, heu! in eccleſia eſt multitudo, juxta illud apoſtoli ad Philip. 2. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ* JESU CHRISTI. & Jerem. 6. c. dicitur: *A majore quippe uſque ad minorem omnes avaritiæ ſtudent, & a propheta uſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum*: & ejuſdem 8. cap. dicitur: *A minimo uſque ad maximum omnes avaritiam*

ſequuntur, a propheta uſque ad ſacerdotem, cuncti faciunt mendacium. Et Amos 9. *Avaritia enim in capite omni & noviſſimum eorum in gladio interficiam.* Hinc dicit poeta:

Impiget extraneos currit mercator ad Indos.
Pauperiem fugiens, &c.

Eſt enim, heu! paupertas Chriſti evangelica, data ſacerdotibus moderni temporis in contemtum & odium & venenum.

Alii ſunt ſacerdotes ignari, indocti in lege Domini, ſimiles noviſſimis de populo, de quibus Ezech. 22. *Sacerdotes ejus contemſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea: inter ſanctum & prophanum non habuerunt diſtantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt.* Iſaiæ 23. *Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos.* Iſti repreſentantur per ſacerdotes excelſorum, qui de extremis ſeu noviſſimis populi erant, de quo habetur 3. Reg. 12. *Et fecit*, ſcilicet Jeroboam, *fana in excelſis, & ſacerdotes de extremis populi.* Et ibidem 13. cap. *Fecit*, ſcilicet Jeroboam, *de noviſſimis populi ſacerdotes excelſorum, quicumque volebat implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos excelſorum.* Et hi, ut dictum eſt, ſunt in eccleſia inhabiles, ſacerdotes indocti, ignari legis divinæ, quaſi avaritia docti, procio & lauticiis aſſumunt ſacerdotium, neſcientes Dominum, nec officium ſacerdotum ad populum. 1. Reg. 2. & Iſaiæ 28. *Sacerdos & propheta neſcierunt, & præ ebrietate abſorpti ſunt a vino: erraverunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignoraverunt judicium.* Item c. 56. dicit Iſaias: *Speculatores ejus caci, omnes neſcierunt, univerſi canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes ſomnia.* Et infra: *Ipſi paſtores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam ſuam a ſummo uſque ad noviſſimum.* Ad idem eſt Gregorius 6. cap. ſui Paſtoralis ita dicens:

» Præconis quippe officium ſuſcipit, quiſque
» ad ſacerdotium accedit, ut ante adventum
» judicis hujus terribiliter ſequitur, ipſe cla-
» mando ſcilicet gradiatur. Sacerdos ergo ſi
» prædicationis eſt neſcius, quam clamoris
» vocem daturus eſt præco mutus? » Hæc ille.

Et ponitur 43. di. *Sit rector.* Hi denique neſcientes Dominum, nec officium ſacerdotum ad populum, ut dictum eſt, vitia magnorum in dignitatibus utriuſque ſtatus conſtitutorum, palpant vecorditer & excuſant. Quos Iſaias nuncupat caudam longævi dierum & honorabilis. cap. 10. ſic inquiens. *Et diſperdet Dominus ab Iſraël caput & caudam incurvantem & depravantem in die una.* Longævus & honorabilis ipſe eſt caput. Propheta docens mendacium, ipſe eſt cauda. *Et erunt qui beatificant populum iſtum ſeducentes, & qui beatificantur, præcipitati.* Hæc ille. Et Ezechiel vocat ipſos linitores parietum ſine temperamento, & conſutores pulvillorum ſub omni cubito manus. Unde cap. 13. ſic inquit: *Et ipſe*, ſcilicet homo peccator, *ædificabat parietem; ille autem liniebat eum luto abſque paleis.* Et infra: *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas*: Quod exponens Gregorius in Moral. lib. 18. parte 4. cap. 2. ſic dicit: » Parietis quippe nomine peccati duritia deſignatur. Ædificare ergo parietem eſt contra ſe quempiam peccati obſtacula conſtruere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, ut quod illi perverſe agentes ædificant, ipſi adulantes quaſi nitidum reddant. Et ſubdit ibidem: » Ad hoc quippe pulvillus & cervical ſub capite jacentis vel cubito ponitur, ut molliter quieſcatur. Quiſquis ergo male agentibus adulatur, pulvillum ſub cubito vel cervical ſub capite jacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus, molliter quieſcat, & ponitur xv. di. *Sunt nonnulli.* Item Iſidorus de Summo bono. » Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. » Hæc ille. Et tales cum hoc perſæpius etiam adulantur & adulterant Verbum Dei, contra illud apoſtoli 1. ad Theſſal. 2. *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis, neque in occaſione avaritiæ, Deus teſtis eſt, nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis*, & contra illud 2. cor. 2. *Non enim ſumus, ſicut plurimi, adulterantes Verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſicut ex Deo coram Deo in Chriſto loquimur.* Si enim ſacerdotes, prædicatores, confeſſores & ceteri capellani honorum, non adularentur perſonis quibuſcumque omnium ſtatuum ſpe turpis quæſtus, multa peccata ruerent & caſſarentur.

Alii ſunt ſacerdotes ſimoniaca hæreſi infecti, qui ſimiliter pactant & extorquent pecuniam pro ſacramentis, quorum pater eſt ipſe auctor Giezi, de quo 4. Regum 5. Quique Spiritus-ſancti gratiam pro impoſitione manuum, ſive in ſacerdotum ordinatione, ſive in peccatorum abſolutione, pro pecunia reddunt venalem; & iſtorum pater eſt Simon magus, de quo habetur Act. 8. Unde B. Gregorius in Regiſtro: » Quiſquis per pecuniam ordinatur, ad hoc ut fiat hæreticus promovetur. Et ponitur 1. q. 1. *Quiſquis.* Item: » Quicumque ſacros ordines vendunt aut emunt, ſacerdotes eſſe non poſſunt. Unde ſcriptum eſt anathema danti, anathema accipienti. Hæc eſt ſimoniaca hæreſis; Et ponitur 1. q. 1. *Quicumque.* Glo. ſuper verbo hoc ſcilicet: *Sic dare vel accipere.* Item Gregorius. Quicumque ſtudet pretii datione ſacrum ordinem accipere, ſacerdos non eſt; ſed inaniter tantummodo dici concupiſcit; Et ponitur 1. q. 1. *Quicumque ſtudet.* Item Gregorius Nazianzenus. » Spiritus-ſancti do-

» num pretio comparare, quid aliud eſt, quam
» capitale crimen & ſimoniaca hæreſis; » Ponitur c. q. *Qui ſtudet*. Item Ambroſius de
» Myſteriis: »Cum ordinaretur epiſcopus, quod
» dedit aurum fuit, quod perdidit anima fuit:
» Cum alium ordinaret, quod accepit aurum
» fuit, quod dedit lepra fuit. Et ponitur c.
» q. *Cum ordinaretur*. Item Leo papa: » Gratia,
» ſi non gratis datur, vel accipitur, gratia non
» eſt: » Ponitur c. q. *Gratia*. Item Paſchaſius
» papa: » Patet ſimoniacos, velut primos &
» præcipuos hæreticos, ab omnibus fidelibus
» reſpuendos; & ſi commoniti non reſipuerint,
» ab exteris etiam poteſtatibus opprimendos.
» Omnia enim crimina ad comparationem ſi-
» moniacæ hæreſis, quaſi pro nihilo reputan-
» tur. » 1. q. ult. c. *vultis* gloſ. ſuper verbo *exteris*, id eſt laïcis, qui extra eccleſiam habent hanc poteſtatem, ut ſupra di. 17. *Nec licuit*. 1. q. 3. q. 5. *principes*. Et ſuper verbo: *pro nihilo*. dicit gloſ. Hoc dicitur in deteſtationem criminis, & ad terrorem. Utinam omnipotens Deus concitaret tam ſpiritualem quam ſæcularem dignitates, ad ſimoniacam hæreſim deſtruendas. Pro quo orat omni animo, ſpecialiter in jejunio quadrageſimæ ipſa eccleſia, & credo quod ipſam in iſto, ſicut & in aliis, exaudiet finaliter cum effectu.

Et iſtam ſimoniacam hæreſim laudabilis prædicator regni Bohemiæ divæ memoriæ Johannes Hus, ſacræ theologiæ baccalarius formatus, ſolemniter deteſtatus eſt ſcripto, verbo, & opere, ad tantum quod ad futuram poſterorum memoriam in pariete capellæ Bethleem in Praga in ſcriptis reliquit, propter quod a quibuſdam prælatis canonicisque fratribus in odium captus eſt, & uſque ad mortem diram paſſus eſt perſecutionem: Cujus tamen vitæ bonitatem, morum honeſtatem, ac ſcientiæ famoſitatem novit totum regnum Bohemiæ, & maxime hi cum quibus perſonaliter eſt converſatus.

Et de iſtis generibus malorum ſacerdotum, ſeu ſolo ſacramento, dicit Hugo de Clauſtro
» animæ: Acceſſit ad Jesum Petrus, acceſſit &
» Judas, acceſſerunt diſcipuli, acceſſerunt &
» milites crucifigentes, accedunt & perverſi ſa-
» cerdotes..... & ſequitur: Legem Dei nec
» ſciunt nec diſcunt; vacantes otio, comeſſa-
» tionibus & ebrietatibus ſtudent, terrenis in-
» hiant, terrena ſapiunt, aſſidui in plateis, in
» eccleſia rari, tardi ad inveſtigandam culpam
» peccatoris, parati ad quærendum veſtigia le-
» porum, velociores ad congregandum canes,
» quam ad vocandum pauperes, libentius por-
» rigunt panem canibus, quam pauperibus, plu-
» res ſerviunt eis ad menſam, quam ad altare;
» famulos aut famulas habere ſecum volunt,
» ſed clericos habere non poſſunt, quia nolunt.
Hi ſunt quorum thalamus ornatior eſt eccleſia ſua, menſa paratior altari, ſcyphus calice pretioſior, equus carior miſſali, cappa pulchrior caſula, camiſia delicatior alba. Ecce quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum.

Et tantum de notabili ſecundo ſit dictum.

Conclusio quoad illud notabile ſit iſta: Nemo amplius nocet in Dei eccleſia, quam mali ſacerdotes. Patet prima concluſio Malachiæ 2. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt de ore ejus, quia angelus Domini exercituum eſt; vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizatis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Levi, dicit Dominus exercituum.* Et per Auguſtinum ſic inquientem: Nemo quippe in eccleſia amplius nocet, quam qui perverſe agens, nomen vel ordinem ſacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præſumit; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Epiſcopus itaque qui talia crimina non corrigit, magis dicendus eſt canis impudens, quam epiſcopus, & ponitur 83. diſt. *Nemo*. Ad idem eſt Ambroſius in epiſt. ad Theodoſium imperatorem: Nihil in ſacerdote tam periculoſum apud Deum, turpe apud homines, quam quod ſentiat veritatem non libere pronunciare; quod ex inordinata & indiſciplinata multitudine ſacerdotum hodie datur contemtui noſtræ redemtionis venerabile ſacramentum. nam qui debuerunt eſſe vicarii apoſtolorum, filii Petri, facti ſunt ſocii Judæ & præambuli antichriſti. Hæc ille.

Corollarium 1. Cauſa ruinæ populi ſit maxime ex culpa malorum ſacerdotum. Patet; quia propter reverentiam ordinis culpa eorum extenditur in exemplum, ut dictum eſt per Auguſtinum. Et pro iſto eſt etiam Beda ſuper Matt. 21. *Intravit* Jesus *in templum, & ejiciebat omnes vendentes & ementes de templo, &c.* ita dicens: » Poſt numerata mala ingreſſus templum, vendentes & ementes ejecit, in hoc innuens, quod cauſa ruinæ populi maxime ſacerdotum fuit culpa. Dum enim vendentes percutit, oſtendit unde radix prædicationis proceſſit. Hæc ille. Et Gregorius in homil. ejuſdem evangelii: » Qui enim narravit mala ventura, & protinus templum ingreſſus eſt, ut de illo vendentes & ementes ejiceret, profecto innotuit, quod ruina populi maxime ex culpa ſacerdotum fuit. Everſionem quidem deſcribens, ſed ementes & vendentes in templo feriens, in ipſo effectu ſui operis oſtendit unde radix prodiit prædicationis. » Hæc ille. Et Jeremiæ 23. *A prophetis enim Jeruſalem egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terram*. Et Daniel 13. *Iniquitas egreſſa eſt de Babylone a ſenioribus judicibus, qui videbantur regere populum.*

Corollarium 2. Nulli homines ſic ſcindunt eccleſiam Dei, ſicut mali ſacerdotes. Et pro iſto eſt Hieronymus dicens ita: » Veteres ſcrutans hiſtorias invenire non poſſum ita ſcidiſſe eccleſiam, & de domo Dei populos ſeduxiſſe,

» ſeduxiſſe, præter eos qui ſacerdotes Dei po- A
» ſiti ſunt & prophetæ, id eſt ſpeculatores. Iſti
» ergo vertuntur in laqueum tortuoſum, &
» in omnibus ſcandalum ſunt ponentes. » Et ponitur 24. q. 3. *Transferunt.*

COROLLARIUM 3. Cauſa præcipua defectus veræ pacis in eccleſia, videtur eſſe faſtus, avaritia & lubricitas malorum ſacerdotum. Patet ex corollario præcedenti. Cum enim ſcindant eccleſiam Dei, ut dicit corollarium; ſequitur quod ipſi ſunt cauſa defectus in eccleſia veræ pacis.

COROLLARIUM 4. Pro reformatione eccleſiæ in membris, heu! multum infectæ, a ſacerdotio principalius eſt incipiendum, & pro iſto eſt Chryſoſtomus ſuper Matt. c. 21. » in opere imperfecto ſic dicens: « Quemadmodum medicus, quando primum ingreditur ad infirmum, ſtatim de ſtomacho ejus interrogat, & eum componere feſtinat; quia ſi ſtomachus ſanus fuerit, totum corpus validum eſt: ita ſi ſacerdotium integrum fuerit, tota eccleſia floret; ſi autem corruptum fuerit, omnis fides marcida eſt. » Et idem Chryſoſt. ibidem ſic inquit: « Videte ergo, ſacerdotes, quomodo vos componatis in verbo & opere; quoniam ſicut in corpore, ſi aliquod » infirmatum fuerit membrum, non omnino B
» languet & ſtomachus; ſi autem ſtomachus » languet, omnia membra videntur infirma. » Sic ſi aliquis Chriſtianorum peccaverit, non » omnino peccant & ſacerdotes; ſi autem ſacerdotes fuerint in peccatis, totus populus » convertitur ad peccandum. Item ad idem eſt » Gregorius: « Vulnerato namque paſtore, » quis curandis ovibus adhibet medicamenta? » aut quomodo populum orationis clypeo » tueatur, qui jaculis hoſtium ſeſe feriendum » exponit? aut qualem de ſe fructum produ- » cturus eſt, cujus gravi peſte radix infecta eſt? Hæc ille. Et ponitur 1. q. 1. *Vulnerato.* Utinam hoc venerandum concilium ſententias C
iſtorum doctorum penſaret cordialiter; videret utique unde pro reformatione eccleſiæ foret incipiendum.

Media autem efficacia pro reformatione eccleſiæ videntur ad præſens eſſe duo. Primum ſuſcitatio ordinationis Chriſti. Secundum, extinctio traditionis contrariæ. Et pro iſto eſt Apoſtolus 1. Corint. 1. ita dicens: *Obſecro vos, fratres, per nomen Domini noſtri* JESU CHRISTI, *ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata; ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Et D
ſequitur 3. cap: *Cum enim quis dicit: Ego quidem ſum Pauli, alius autem, ego Apollo, nonne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo, quid vero Paulus? miniſtri ejus cui credidiſtis.* Et infra: *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt* CHRISTUS JESUS. Et ad Philippenſes 3. dicit idem Apoſtolus: *Idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula.*

Concluſio 2. Nemo autem in eccleſia Dei prodeſt amplius, quam veri Domini ſacerdotes. Patet iſta concluſio per illud Judith 8. *Et nunc, fratres, quoniam vos eſtis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum; ad eloquium veſtrum corda eorum dirigite.* Patet etiam per Auguſtinum ad Valerium ſic inquientem: « Nihil eſt in hac vita, « & maxime hoc tempore, difficilius & labo- « rioſius & periculoſius epiſcopi aut preſbyteri « aut diaconi officio; ſed apud Deum nihil « beatius, ſi eo modo militatur, quo noſter im- « perator jubet. » Et ponitur 40. di. *Nihil.* Patet « etiam concluſio; quia ſunt ſal terræ & lux B
mundi, ut Dominus Matt. 5. dicit.

COROLLARIUM ad iſtam concluſionem. Veri Domini ſacerdotes plus quam reges aut corporis parentes ſunt honorandi. Unde Chryſoſtomus de dignitate ſacerdotum lib. 3. « Per ipſos ſacerdotes Chriſtum induimus, « per ipſos membra ipſius beati capitis efficimur. Quoniam ergo nobis iſti non ſolum re- « verendi magis quam reges aut judices; ſed « etiam magis erunt honorabiles quam parentes. Hæc ille. Et Apoſtolus 1. ad Theſſal. 5. « *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in* C
Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate, propter opus illorum, & pacem habete cum eis. Item 1. ad Timor. 5. *Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina;* ubi dicit doctor Nicolaus de Lira: Qui bene præſunt preſbyteri faciendo « devote divina officia, & miniſtrando ſubditis « eccleſiaſtica ſacramenta, duplici honore di- « gni habeantur; & hic duplex honor eſt, ut « exhibeatur eis reverentia, & adminiſtrentur « eis neceſſaria. Hæc ille. «

COROLLARIUM 2. Multiplicatis veris ſacerdotibus Domini, militans eccleſia in ſuis membris notabile recipiet incrementum. Patet de primitiva eccleſia, Actuum 2. *Dominus autem adaugebat qui ſalvi fiebant quotidie in idipſum; ſicque creſcebat numerus diſcipulorum.* Actuum 6. & Actuum 5. dicitur: *Magis autem augebatur in Domino credentium multitudo virorum & mulierum.* Ad idem dicitur Proverb. 29. *In multitudine juſtorum letabitur vulgus; cum impii ſumſerint principatum, gemet populus.*

COROLLARIUM 3. Eccleſiæ viantis prælati E
inordinatos & inhabiles ad ſacerdotium promoventes, periculoſam & enormem inducunt populi Chriſtiani diſcretiam. Patet 3. Regum 12. & 13. *Quicumque volebat implebat manum ſuam, & ſiebat ſacerdos excelſorum*, &c. Hac cauſa peccavit domus Jeroboam, & everſa eſt & deleta de ſuperficie terræ. Ex hoc crevit in populo notabilis diſcretia, & idolatria in Dan, & in Bethel; & ideo dicit Apoſtolus 1. Timor. 5. *Manus ne-*

mini cito impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.

Nota quia dicitur in noſtro articulo *libere* &c. Circa iſtum terminum *libere*, qui ponitur in articulo, eſt notandum quod libertas, ut communiter dicitur, eſt naturalis facultas ejus quod cuique facere libet; & hæc eſt applicabilis ſive ad bonum ſive ad malum. Unde Eccli. 15. *Appoſui tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem mors & vita, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.*

Ponitur autem communiter triplex libertas, ſcilicet culpæ, gratiæ & gloriæ.

Libertas culpæ eſt impudentia quodcumque facinus perpetrandi, de qua loquitur Apoſtolus ad Rom. 6. *Cum enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ.* Hanc, heu! habet major pars Chriſtianorum, de qua Proverb. 2. *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Contra quam loquitur Apoſtolus ad Gal. 5. *Vos autem in libertatem vocati eſtis, fratres, tantum ne libertatem detis in occaſionem carnis.* Et 1. Pet. 2. *Quaſi liberi & non quaſi velamen malitiæ habentes libertatem, ſed ſicut ſervi Dei.* Doctor Nicolaus de Lira ſuper verbo: *Tantum ne libertatem detis in occaſionem carnis*, quaſi diceret: » Hoc tamen eſt vobis valde neceſſarium, quod » non laxetis vos ad ſequendum carnis impulſum. Hæc ille.

Libertas gratiæ, eſt confidentia intrepide bene agendi, de qua Apoſtolus 2. Cor. 3. *Dominus ſpiritus eſt; ubi autem ſpiritus Domini* » *ibi libertas.* Ubi dicit doctor de Lira: « Id eſt » Spiritus-ſanctus eſt liber & dominus libertatis, ideo ſubditur: *Ubi autem Spiritus Domini,* » *ibi libertas*, ſcilicet contemplandi veritatem. Hæc ille. De hac libertate dicitur Proverb. 15. *Secura mens quaſi juge convivium.*

Libertas gloriæ, eſt quieſcentia hominis in Deo, abſque animæ & corporis dolore, de qua ad Rom. 8. *Creatura liberabitur a ſervitute corruptionis*, id eſt libertatem habebit gloriæ » filiorum Dei, ubi dicit doctor de Lyra: « Ipſa » creatura, id eſt humana natura, liberabitur a » ſervitute corruptionis, quando in reſurre- » ctione corpus exanime gloriâ fiet corpus im- » mortale. » Hæc ille. De hac Apocal. 21. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis*, &c.

Non ergo intendimus loqui in articulo noſtro de libertate generaliter aut nimis late ſumta, ut ſcilicet ſecundum hanc libertatem paſſim ſeu indifferenter unuſquiſque uſurpet ſibi officium prædicandi, ſive ſit idoneus aut non idoneus, habilis aut inhabilis, vocatus ſeu non vocatus, miſſus ſeu non miſſus, ut « nos temere dicunt & autumant in regno Bohemiæ, licet minus juſte: ſed in præſenti loquimur ſtrictius de libertate, non prout eſt libertas malitiæ, ſub ratione qua hujuſmodi, ſed ut dicit facultatem ab ipſo Domino conceſſam & approbatam; quam quiſque ſuſcipere dicitur, quando ad ordinem diaconatus aut preſbyteratus legitime eſt ſuſceptus; cui nullum impedimentum illegitimum obſiſtere deberet, ſecundum legem Domini noſtri Jesu Christi, cum nulli præcepto divino aliquod impedimentum illegitimum debet officere aut nocere. Igitur iſti mandato Chriſti, quo diaconibus & ſacerdotibus injungitur prædicationis officium, nullum debet officere impedimentum illegitimum, etſi aliquid obſit quod alicui ambiguum videatur. De hoc mandato attendunt probationes infra dicendæ, ubi deducetur Dei auxilio, quod tam diaconibus quam ſacerdotibus prædicare evangelium ſit præceptum.

Circa hoc notabile ſit iſta concluſio.

Circumſcripto quolibet impedimento legitimo, ſacerdos fidelis, cui Deus conceſſit hujuſmodi libertatem, per miniſterium epiſcopi, quod ſui eſt officii loco & tempore tenetur fideliter exequi cum effectu. Patet de Chriſto, dicente ad Mariam matrem ſuam, ut habetur Lucæ 2. *Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Et Act. 5. *Non enim poſſumus quæ vidimus & audivimus non loqui.*

Corollarium. Sacerdos Domini idoneus non debet prohiberi ex cauſa aliqua palliata a libera verbi Dei prædicatione. Patet, quia non debet prohiberi a libertate ſibi a Deo conceſſa per miniſterium epiſcopi, quin quod ſui officii eſt fideliter exequatur. Patet igitur coroll. 8. ſequitur: *Alienis*, ubi dicit Leo papa: « Quid eſt *Manus nemini cito impoſueris*, niſi ante ætatis maturitatem, ante « tempus examinis, ante meritum obedientiæ, ante experientiam diſciplinæ ſacerdotalis, honorem tribuere non probatis. Et quid « eſt communicare peccatis alienis, niſi effici « talem ordinationem, qualis iſte eſt qui non « meruit ordinari? » Et ponitur di. 78. *Quid eſt.* « Et Chryſoſtomus de dignitate ſacerdotali, lib. 3. « Qui ordinat indignos, eiſdem ſubjacet pœnis, quibus illi qui indigne ſunt ordinati, etſi dicunt eorum ſe vitia ignoraſſe. « Unde Apoſtolus ad Timot. 5. *Manus nemini* « *cito impoſueris, ne communicaveris peccatis* « *alienis.* Immo ex hoc gravius peccatum & « crimen efficitur, quoniam aſſumſerunt vel « promoverunt eum quem ignorabant, atque « id quod putabatur eſſe excuſatio, ſit accuſatio. » Hæc ille. Ideo Apoſtolus loquens de ordinando in ſacerdotem, dicit ut habetur 1. ad Timot. 3. *Oportet autem illum habere teſtimonium bonum ab his qui foris ſunt; ut non in opprobrium incidat & in laqueum diaboli.* Et tantum ſit dictum de notabili 2. pro præſenti.

Quantum ad notabile tertium, quia dicitur in articulo noſtro: *Verbum Dei &c. debet prædicari & annuntiari.* Quod hoc verbum *debet*, non ſolum tenetur conſultive, ſic quod importet conſilium; ſed tenetur præceptive, III. Notabile

obligans ſub præcepto. Et pro iſto ulterius A noto differentiam inter præceptum Dei & conſilium. Præceptum enim Dei eſt doctrina ſeu ſtatutum obligans hominem ſub pœna peccati mortalis. Conſilium autem Dei eſt doctrina Dei ſpecialis, ſolum obligans ſub pœna peccati venialis. Et iſtam differentiam innuit Auguſtinus dicens: « Quiſquis præceptis Domini non obtemperat, reus eſt & debitor pœnæ. » Et paulo poſt: « Præcepto Domini non obedire peccatum eſt, & conſilio ſi uti nolueris, minus boni adipiſceris. » Ad idem eſt Gregorius ad Jovinianum. « Quod præcipitur, imperatur; quod imperatur eſt neceſſe fieri; niſi fiat, pœnam habet: ubi conſilium dare, offerentis eſt arbitrium; ubi præceptum eſt, neceſſitas eſt ſervitutis. » Et ponitur 14. q. 1. *Quiſquis*. Differt tamen præceptum Domini a præcepto canonico. Unde Gelaſius papa: « Aliquando enim pro neceſſitate vel utilitate eccleſiæ mutilantur & relaxantur præcepta canonica. » Ponitur 1. q. 7. *Et ſi* 1. Et Leo papa: « Sicut quædam ſunt quæ nulla poſſunt ratione convelli; ita multa ſunt, quæ aut pro neceſſitate temporum, aut pro conſideratione ætatum oportet temperari, illa ſemper conditione ſervatâ, & in his quæ vel dubia fuerint, aut obſcura B noverimus, ſequendum quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum patrum inveniatur adverſum. » Et ponitur 14. di. *Sicut quædam*. ubi glo. ſuper verbo: *Sicut quædam*. « Ut præcepta decalogi & forma baptiſmi, & forma conficiendi corpus Chriſti. Hæc glo. Ex iſto textu & glo. ſequitur evidenter, ſi præceptum decalogi, forma baptiſmi & forma conficiendi corpus Chriſti nulla poſſunt ratione convelli, ob hoc quod ſunt præcepta Dei, ſimiliter communio diviniſſimæ euchariſtiæ ſub duplici C ſpecie ad plebes fidelium, cum ſit Chriſti præceptum & inſtitutio, ut late & fundate deductum eſt per magiſtrum de Rokezana, nulla poteſt convelli ratione.

Concluſio pro primo notabili ſit iſta:

Verbi Dei verax & fidelis prædicatio eſt populo Chriſtiano multum neceſſaria ad ſalutem. Patet iſta concluſio per illud ad Rom. 10. *Quomodo invocabunt cum in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo vero prædicabunt niſi mittantur?* Sequitur: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Et Iſaiæ 1. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Ex iſto ſequitur, quod ſacerdotes obmittentes veracem & fidelem verbi Dei prædicationem, multum nocent populo. Patet, quia privant ipſum effectibus quos facit verbum Dei, qui ſunt iſti.

Drotto effectibus verbi Dei.

Primus, quia cibat animam. Matt. 4. *Non in ſolo pane vivit homo.*

Secundus, quia vivificat. Johan. 5. *Venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent.* Tertius, quia ſanat. Pſal. *Miſit verbum ſuum & ſanavit eos.* Et Sap. 16. *Non herba neque malagma ſanavit illos, ſed tuus divinus ſermo qui ſanat omnia.* Quartus, quia mundat. Johan. 15. *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem*, &c. Quintus, quia illuminat. Pſ. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Sextus, quia a peccato conſervat. Pſal. *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Septimus, quia a a morte æterna cuſtodit. Johan. 8. *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.* Octavus, quia beatificat. Lucæ 11. *Beati qui audiunt verbum Domini & cuſtodiunt illud.* Ecce iſti ſunt effectus verbi Dei & alii quamplures.

Secundo, ex iſta concluſione ſequitur, quod ſacerdotes omittentes veram & fidelem prædicationem, omittant opus populo Chriſtiano neceſſarium ad ſalutem. Patet ex iſto, quod inter omnia officia, poſt vitæ juſtitiam, prædicatio verbi Dei eſt plus laudanda. Cum enim ſacerdotis officium videatur *in quinque includi*. Primum eſt evangelium Chriſti veraciter prædicare. Secundum eſt Deum pro ſua eccleſia continue exorare. Tertium eſt Dei ſacramenta quibus competit gratis conferre. Quartum eſt in ſacris ſcripturis tantummodo ſtudere. Quintum, eſt perfectionis exemplum ceteris viantibus patenter præbere. Prædicatio verbi Dei prodeſt longe extenſius & evidentius: ideo eſt operatio eccleſiæ pretioſa. Hinc Salvator noſter per tres annos & ultra publice prædicavit, & ſemel miſſavit, ut patet ex decurſu evangelii. Non tamen volumus ex iſto, quod etiam ſolum ſemel ſacerdos in vita ſua miſſet: D ſed ut ſit diligentior, aut minimum ita diligens de evangelizatione verbi Dei, ſicut de miſſatione; cujus oppoſitum, heu! fit in eccleſia. Multæ miſſæ communes, & paucæ prædicationes fiunt, & populus cœcus in multis miſſationibus ponit ſalutem. Præcepta Dei ignorat, de verbo Dei non curat, de vita Chriſti certiſſima non inquirit. Exinde ſequitur altarium multiplicatio, & per conſequens ſacerdotum inhabilium, aliquando de tribus aut quatuor miſſis pretio conductorum. Et de iſto dicitur Oſee 8. *Multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum, facta ſunt ei aræ in delictum.* Sed & Dominus viſitat aliquando puniendo in præſenti. Unde Amos 3. ſic dicitur: *In die, cum viſitare cœpero prævaricationes Iſraël, ſuper eum viſitabo, & ſuper altaria Betel, & amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram, & percutiam domum hyemalem cum domo æſtivali.* Et Oſee 10. *Diſperdentur excelſa idoli domus Iſraël; lappa & tribulus aſcendet ſuper aras eorum*; ut in multis regionibus ad oculum jam apparet. Et tantum de notabili quarto ad præſens.

2. Corollarium.

QUANTUM ad ſecundum principale, ponimus articulum noſtrum ſic in forma.

VERBUM Dei, exemplo Chriſti & apoſtolorum, a ſacerdotibus Domini libere ac ſine impedimento fideliter ac veraciter debet prædicari & annuntiari. Et eſt articulus in forma. Pro veritate iſtius articuli primo ponam aliqua motiva, demum legem Dei, &c.

Suppono primo, quod Chriſtus ſit verus Deus & verus homo. Patet ex fide. Matt. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, & 1. Johan. ult. habetur: *Hic eſt verus Deus & vita æterna.*

Suppono ſecundo, quod Chriſtus ſit optimus legis interpres. Patet ſimiliter ex fide & Lucæ ultimo. *Et incipiens a Moyſe & omnibus prophetis interpretabatur illis ſcripturas, quæ erant de ipſo.*

Iſtis ſuppoſitionibus ſic ſtantibus, ſic arguitur ſub compendio. Chriſtus verus Deus & verus homo, optimus legis interpres, approbat verbo & opere iſtum noſtrum articulum: igitur eſt verus & catholicus. Tenet conſequentia ex ſuppoſitione. Antecedens patet ex hoc quod prædicavit in monte, in campeſtribus, in mari, in domo, in templo, in ſynagogis, ut patet ex decurſu evangelii; & verbo idem docuit, ut patet Matt. ult. & Marci ultimo. Igitur &c.

Secundo arguitur ſic. Quodlibet Chriſti præceptum eſt libere exequendum: ſed prædicatio verbi Dei eſt ſacerdotibus Chriſti præcepta: igitur &c. Conſequentia nota eſt cum majore, & minor patet Matt. ult. & Actuum 10. Igitur &c.

Item arguitur: Quodlibet opus a Domino JESU præceptum & ardue injunctum, ſacerdotibus libere exequendum eſt; ſed prædicatio verbi Dei eſt hujuſmodi: igitur &c. Major probatur: Nam alias ſacerdotes peccarent per tranſgreſſionem divinæ injunctionis; & minor patet Matt. ult. &c.

Jam vero pro iſto articulo ponimus legem Dei, & primo novam, deinde veterem. Matt. 10. *Convocatis* JESUS *duodecim diſcipulis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum* &c. Et ſequitur: *Hos miſit* JESUS *præcipiens eis & dicens: In viam gentium ne abieritis*, &c. Et ſequitur: *Euntes autem prædicate dicentes: quoniam appropinquavit regnum cælorum.* Et hoc commemorat Petrus verus Chriſti vicarius Act. 10. dicens: *Et præcepit nobis prædicare populo & teſtificari*, &c. Item Matt. ultimo: *Euntes autem docete omnes gentes*, &c. Item Marc. ult. *Euntes autem in mundum univerſum, prædicate evangelium omni creaturæ, &c.* Sequitur: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique*, &c. tamquam præcepto Domini obedientes. Et 1. Cor. 9. dicit Apoſtolus: *Væ mihi ſi non evangelizavero. Si enim volens hoc egero, mercedem habeo; ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt.* De qua diſpenſatione dicit Salvator Luc. 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſervus, quem cum venerit Dominus, invenerit ita facientem.* Ecce Apoſtolus dicit: *Væ mihi*, &c. quod ſcilicet *væ* ſignificat damnationem, & non propter aliud, quam propter præcepti transgreſſionem. Et modicum ante dicit idem Apoſtolus: *Nam ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria, neceſſitas enim mihi incumbit.* Ubi dicit Nicolaus de Lira: « Neceſſitas enim mihi incumbit ex præcepto Dei. » Hæc ille.

Et hoc præceptum Chriſti ſancti Dei apoſtoli ſollicitius implevere. Patet de Petro apoſtolo; unde 2. Pet. 1. dicit: *Juſtum autem arbitror, quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione.* Patet etiam de Paulo, qui dicit 2. Timot. 2. *Memor eſto* JESUM CHRISTUM *Dominum noſtrum reſurrexiſſe a mortuis ex ſemine David, ſecundum evangelium meum, in quo laboro uſque ad vincula; ſed verbum Dei non eſt alligatum, ideo omnia ſuſtineo propter electos, ut & Chriſti ſalutem conſequantur.* Hinc præcepit ſuo diſcipulo Timotheo, ut habetur 2. Timot. 4. *Prædica verbum, inſta opportune, importune; argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Et infra. *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Et ſic de aliis legis novæ ſcripturis.

Sequuntur veteris legis jam ſcripturæ. Iſaiæ c. 58. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Ejuſdem 40. *Vox Domini dicentis: clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum*, &c. Et infra: *Super montem excelſum aſcende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jeruſalem; exalta & noli timere.* Item Ezechiel. 3. & 33. *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me; ſi dicente te ad impium: Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via ſua impia, ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Et quare requiret Dominus ſanguinem, niſi quia præceptum prædicationis ad peccatorem non eſt executus? Cap. vero 33. Ezech. dicitur: *Quod ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodiat, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Gloſſa interlinearis Gregorii: « Quia tacuiſti & noluiſti eſſe ſollicitus in prædicatione, particeps eris in damnatione, niſi propter præcepti Domini omiſſionem. Hinc Iſaiæ 6. in perſona talium dicitur: *Quia tacui væ mihi.* Item Jonæ 1. *Factum eſt verbum Domini ad*

Jonam filium Amathi dicens : Surge & vade in Ninivem civitatem magnam, & prædica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me. Et in cap. 3. subditur : *Surge & vade in Ninivem civitatem magnam, & prædica in ea prædicationem quam ego loquor ad te.* Item Jeremiæ 7. *Verbum quod factum est ad Jeremiam a Domino dicens : Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum illud* &c. Et si aliquis dicat hoc fuisse tantum prophetis præceptum, audiat Apostolum ad Rom. 15. dicentem : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et Jacob. 5. cap. *Exemplum accipite, fratres, exitus mali & longanimitatis, laboris & patientiæ prophetarum, qui locuti sunt in nomine Domini.* Item Levit. 10. loquens ad Aaron & filios : *Habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, docealisque filios Israël omnia legitima mea quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.* Et Deut. 31. *Leges verba legis hujus coram omni Israël, audientibus eis.* Sequitur : *ut audientes discant, & timeant Dominum Deum nostrum, & custodiant & impleant omnes sermones legis hujus.*

Ex istis sequitur, quod sacerdotes Domini non debent timere fideliter exequi mandatum prædicationis. Unde Jeremiæ 1. *Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge & loquere ad eos omnes quæ ego præcipio tibi, ne formides a facie eorum, neque enim timere te faciam vultum eorum.*

Secundo sequitur quod veraces sacerdotes Domini non debent quærere subtilitatem in prædicando, dummodo fideliter annuntient verbum Dei. Patet de Paulo 1. Cor. 2. *Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni, non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi.* Hinc dicit ad Colossenses 2. *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in subtilitate sermonis.* Et Jeremiæ 1. dicitur de ipso Jeremia : *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dominus ad me : Noli dicere : quia puer ego sum, quoniam ad omnia quæ mittam te ibis, & universa quæcumque mandavero loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum, & eruam te, dicit Dominus Deus.*

Item Apostolus 1. Cor. 1. *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* Ubi dicit doctor Nicolaus de Lira : » Licet Christus miserit apostolos ad utrumque, tamen ad docendum principaliter ; & » ideo per seipsos prædicabant, per ministros » autem inferiores ut frequentius baptizabant. » Cujus ratio est quia virtus vel ratio baptizantis nihil operatur in baptismo, propter » quod non refert per majorem ministrum vel » minorem baptizari. Virtus autem & sapientia » prædicantis multum & valde conferunt in » prædicatione ; & ideo apostoli, qui majores » erant, circa prædicationem se magis occupabant, exemplo Christi, qui per seipsum docebat, & per suos discipulos baptizabat, ut habetur Johan. 3. Hæc ille.

Jam restat adducere auctoritates sanctorum doctorum pro articuli nostri tertii veritate. Gregorius in suo Pastorali cap. 15. tractans istum textum Exodi 28. *Audiatur sonitus*, scilicet Aaron, *quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.* « Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus prædicationis non auditur, quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Apte autem tintinnabula vestimentis illius describuntur inserta. Vestimenta etenim sacerdotis quid aliud quam recta opera debemus accipere, propheta testante, qui ait in psalmo : *Sacerdotes tui induantur justitiam* ? Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoque opera sacerdotis clament. Hæc ille. Et ponitur 43. di. *Sit rector.* Augustinus in prologo sermonum suorum. Pauci sunt sacerdotes qui verbum Dei juste prædicant ; sed multi sunt qui damnabilia tacent. Alii ex ignorantia, qui edoceri recusant ; alii ex negligentia, qui verbum Dei contemnunt. Sed nec illi, nec isti possunt de culpa taciturnitatis excusari, cum nec illi præesse debeant, qui prædicare nesciunt, nec ipsi tacere debent, quoniam prædicare sciunt, licet non præsint. » Hæc ille. Hieronymus super illo textu Ezech. 3. *Si dicente me ad impium*, &c. Prædicare tenetur sacerdos, videat ne timor humanus eum tacere faciat. Magnum discrimen est Dei tacere sermones ob triplicem causam, videlicet propter timorem, vel propter pigritiam, vel propter adulationem. Hæc ille. Chrysostomus homilia 46. « Sacerdotes nisi omnem veritatem manifestaverint populo, dabunt rationem in die judicii. » Hæc ille. Sed quare dabunt pro isto rationem, nisi quia præceptum Domini de prædicatione ad populum omisere ? Isidorus lib. 3. de Summo bono : « Sacerdotes pro iniquitate populorum damnabuntur, si eos ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. » Hæc ille. Item Gregorius Venantio episcopo : « Ephesiis Apostolus dicit : *Mundæ sunt manus meæ a sanguine omnium vestrum : Non enim subterfugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Mundus ergo a sanguine eorum non esset ; si eis Dei consilium annuntiare noluisset ; quia cum increpare delinquentes noluerit, eos procul dubio tacendo pastor occidit. » Et ponitur di. 43. *Ephesii.* Item Gregorius homil. 3. super isto textu Osee 4. *Peccata populi mei comedunt.* « Nos qui ex oblationibus vivimus fidelium, quas illi pro peccatis suis obtulerunt, si comedimus & tacemus, eorum procul dubio peccata manducamus. Pensandum ergo est quantæ damnationis est sine labore

» percipere mercedem laboris; quanti criminis » eſt, prætia peccatorum accipere, & nihil » contra peccata prædicando dicere. » Hæc » ille. Item Auguſtinus in libro contra Manichæos: Olim juſſus eſt frater præmortui fratris uxorem ducere, ut non ſibi, ſed illi ſuſcitaret ſobolem, ejuſque nomine vocaret quod inde naſceretur. Quod ſi recuſaret, diſcalciatus uno pede conſpui omnino ſolebat in facie. Nunc autem evangelii quiſque prædicator ita in eccleſia debet laborare, ut defuncto fratri, id eſt Chriſto, ſuſcitet ſemen, qui pro nobis mortuus eſt, & quod ſuſcitatum fuerit ejus nomine accipiat: at vero qui electus ab eccleſia miniſterium evangelizandi & baptizandi renuerit, ab ipſa eccleſia digne meritoque contemnitur. Et ſequitur: Qui autem curam lucrandorum refugit aliorum, diſcalciati illius non ſolum figuratum ſignificavit, ſed in ſe impletum portavit opprobrium. Hæc ille, & ponitur 8. q. 1. *Olim.* Item Nicolaus papa: « Diſpenſatio eſt nobis cœleſtis ſeminis injuncta: væ ſi non ſemper ſeverimus, væ ſi tacuerimus, cum electionis vas formidet & clamet, quanto magis cuilibet exiguo metuendum eſt. Proinde ſicut non leve diſcrimen incumbit pontificibus ſiluiſſe quod congruit, ita his, quod abſit, non mediocre periculum eſt, quod cum debeat parere deſpiciunt. Hæc ille, & ponitur 43. di. *diſpenſatio.*

Ad idem eſt concilium Toletanum: « Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in ſacerdotibus vitanda eſt, qui docendi officium in populo Dei ſuſceperunt. Sacerdotes enim legere ſacras ſcripturas admonentur, Paulo apoſtolo dicente ad Timot. *Attende lectioni & exhortationi & doctrinæ, ſemper permane in his.* » Item ex concilio Cartaginenſi. « Epiſcopus rei familiaris nullam curam ad ſe revocet; ſed ut lectioni, & orationi, & verbo prædicationis tantummodo vacet. Sciant ergo ſacerdotes ſcripturas ſacras & canones, & omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat, & ædificent cunctos, tam fidei ſcientia, quam operis diſciplina. Et ponitur di. 38. *Ignorantia.*

Jam ergo oſtenſum eſt ex ſcriptura ſacra, praxi Chriſti & apoſtolorum, ſententiis ſanctorum doctorum & conciliorum, quod verbum Dei a ſacerdotibus Domini debet prædicari ſub præcepto. Non ſolum autem a ſacerdotibus Domini, ſed etiam a diaconis debet annuntiari verbum Dei: unde magiſter in 4. ſententiarum diſt. 24. « Ad diaconum pertinet aſſiſtere ſacerdotibus, & miniſtrare in omnibus quæ aguntur in ſacramentis Chriſti. » Et paulo poſt: « Prædicare evangelium & apoſtolum. Nam ſicut lectoribus » vetus teſtamentum, ita diaconis novum prædicare præceptum eſt. » Ad idem eſt Iſidorus & habetur 25. di. *Perlectis.*

Iſtis jam ſic probatis & deductis, ut auditis, ponitur iſta concluſio.

Nonobstante inhibitione, aut prætenſa excommunicatione minata, vel jam lata, ſacerdos Domini debet libere & fideliter verbum Dei annuntiare.

Probatur iſta concluſio primo ſic. Non obſtante inhibitione, aut prætenſa excommunicatione, ſacerdos Domini fidelis, debet exequi ejus mandatum; ſed prædicare verbum Dei eſt ſacerdotibus præceptum, ut præmiſſum eſt: igitur concluſio vera.

Secundo, probatur concluſio ex praxi apoſtolorum. Nam cum principes ſacerdotum Annas, Caiphas, Johannes, Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdotali, demandaſſent apoſtolis, ne omnino loquerentur, nec docerent in nomine Jesu Christi; reſpondentes dixerunt ad eos: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim poſſumus quæ vidimus & audivimus non loqui.* Habetur Act. 4. Et Actuum 5. dicitur: Cum princeps ſacerdotum diceret ad apoſtolos: *Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine iſto, & ecce repleſtis Jeruſalem doctrina veſtra, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem iſtius hominis?* Reſpondens Petrus & apoſtoli dixerunt: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Utinam hæc notarent Domini ſacerdotes.

Et pro iſta ſententia eſt venerabilis Beda ſuper illo verbo: *Et invenientes aſinam alligatam & pullum cum ea, ſolvite & adducite mihi; & ſi quis aliquid vobis dixerit, dicite; Quia Dominus his opus habet*, ita dicens: Hic myſtice præcipitur doctoribus, ut ſi quid « obſtiterit adverſitatis, & ſi quis prohibuerit « peccatores a laqueis ſolvi, per confeſſionem « fidei Domino adduci; non tamen a prædi- « cando deſiſtant, ſed conſtanter inſinuent, « quod Dominus talibus ad ædificationem ec- « cleſiæ opus habet. Fecerunt ſic apoſtoli, fa- « cere debent ſimiliter Chriſti ſimiles ſacer- « dotes. Ad idem eſt Hieronymus ad Ruſti- « cum Narbonenſem epiſcopum ſic dicens. « Nemo hinc epiſcoporum invidia diabolicæ « tentationis infletur vel iraſcatur, ſi ad ple- « bem interdum preſbyteri exhortatione in ec- « cleſiis prædicent, ſi plebi, ut dictum eſt, be- « nedicant. Etenim abneganti mihi iſta ſic di- « cam. Qui non vult facere preſbyteros quæ « jubentur a Deo, dicat quid majus eſt Chri- « ſto. » Pro iſto etiam eſt Anacletus papa. « Sci- « mus, inquit, multos ob id infeſtare docto- « res, ut eos perdant, & propriæ voluntatis « placita adimpleant. Non propterea tamen « doctores, in quantum vires ſuppetunt, a recta « æmulatione & bona intentione recedere de- « bent: ſcientes, quod beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. » Hæc ille. « Matt. 5. & ponitur 43. di. *Scimus.* Igitur concluſio vera.

Ex iſta concluſione ſequitur, quod ſacer-

dores dimittentes veram & fidelem verbi Dei prædicationem, propter inhibitionem, seu prætensam hominum excommunicationem, sunt apud Deum excommunicati. Patet quia cum prædicatio verbi Dei sit sacerdotibus præcepta, ut supra probatum est, *Maledicti qui declinant a mandatis Dei.* Psalm. 118. & ad tales ditigitur verbum Salvatoris nostri Matt. 15. *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram*, scilicet non prædicando verbum Dei.

Item alia conclusio sit ista.

Non solum sacerdotes minores, verum etiam prælati majores tenentur fideliter verbum Dei annuntiare.

Patet ista conclusio ex facto discipulorum Christi in primitiva ecclesia. Nam tam apostoli quam septuaginta duo discipuli verbum Dei prædicaverunt, & in eorum locum successerunt episcopi & inferiores presbyteri. Igitur sequitur quod conclusio sit vera. Et pro ista sententia est Anacletus, qui dicit: » Decedentibus apostolis, in loco eorum surrexerunt episcopi, & septuaginta duorum » discipulorum typum gerunt presbyteri, atque in eorum loco sunt constituti in eccle» sia. » Et ponitur 22. di. *in nono.*

Ex isto sequitur, quod sacerdotes verbum Dei fideliter & veraciter non prædicantes propter timorem hominum, sunt proditores veritatis. Patet per Chrysostomum in Matt. 7. cap. super verbo: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, &c. sic inquientem: » Nolite timere eos qui occidunt corpus, ne » forte propter timorem mortis, nec libere » dicatis quod audistis, nec fiducialiter præ» dicetis omnibus, quod in aure soli audistis. » Sicut ex his solis ostenditur, non solum ille » est proditor veritatis, qui transgrediens ve» ritatem, palam pro veritate mendacium lo» quitur; sed etiam ille qui non libere prædi» cat veritatem, quam libere pronuntiare opor» tet, aut non libere veritatem defendit, quam » libere defendere convenit, proditor est ve» ritatis. Nam sicut sacerdos debitor est, ut ve» ritatem, quam audivit a Deo, libere prædi» cet; sic laicus debitor est, ut veritatem, quam » audivit a sacerdotibus, probatam quidem in » scripturis, defendat fiducialiter; quod si non » fecerit, prodit veritatem. *Corde enim credi» tur ad justitiam, ore autem confessio fit ad sa» lutem.* » Hæc ille & ponitur 11. q. 3. *Nolite.*

Idem patet per Hieronymum in Levitico: » Si quis vult pontifex non tam vocabulo esse » quam merito, imitetur Moysen, imitetur Aa» ron. Quid enim dicitur de eis? quia non » discedunt de tabernaculo Domini. Erat ergo » Moyses in tabernaculo Domini indesinenter. » Quid autem eis opus erat, ut aut a Deo ali» quid diceret, aut ipse populum doceret? Hæc » duo sunt pontificis opera, ut aut a Domino » aliquid discat, legendo divinas scripturas, » & sæpius meditando: aut populum doceat; sed illa doceat, quæ a Deo ipse didicerit. » Non ex proprio corde vel ex humano sensu, sed quæ Spiritus-sanctus docet. » Et ponitur 36. di. *Si quis vult.* Ex isto sequitur secundo, quod sacerdotes Domini fideliter verbum Dei prædicantes, in suis prædicationibus magnis personis minime debent parcere, dato quod exinde odio habeantur. Patet de Christo in multis locis evangelii Matt. 12. *Generatio mala & adultera signum quærit.* Sequitur: *Sic erit generationi huic pessimæ.* Et Mar. 8. *Qui me confusus fuerit & verba mea, in generatione ista adultera & peccatrice, & filius hominis confundet eum, cum venerit in gloriam patris sui cum angelis suis.* Patet de Johanne Baptista in correctione Herodis, Matt. 4. Mar. 6. Item patet de sancto Stephano Act. 7. Cum loquebatur in concilio coram principe sacerdotum dixit: *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper spiritui sancto resistitis; sicut & patres vestri, ita & vos. Quem enim prophetarum non sunt persecuti patres vestri, & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis, qui accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodistis. Audientes autem hæc dissecabantur in cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.* Et hoc est quod dicit Ambrosius super illo verbo 1. Cor. 4. *Vos nobiles, nos autem ignobiles*, &c. » Libere enim & sine adulatione veritatem prædicantes, & gesta pravæ vitæ arguentes, gratiam non habent apud homines. » Et Chrysostomus: » Incurrit odium qui arguit criminosos. » Ad idem Johan. 7. *Non potest vos odisse mundus, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo*, quid aliud *quam quia opera ejus mala sunt*? Nec etiam fidelis prædicator verbi Dei debet curare ut placeat mundi hominibus. Dicit enim Apostolus ad Galat. 1. *Si hominibus adhuc placerem, Christi servus non essem.* Ideo dicit poeta:

Opto placere bonis malis odiosus haberi.

Quis nisi sit malus nemo placere potest. Sed numquid Dominus dimittit inultum, quod homines criminosi, tam sæculares quam spirituales, non acceptant caritativas correptiones? Utique non. Dicitur enim Amos 5. *Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfecte abhominati sunt. Ideirco pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo, domos quadrato lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: Vineas amantissimas plantabitis, & non bibetis vinum earum; quia cognovi multa scelera vestra, & fortia peccata vestra, hostes justi accipientes munus, & pauperes in porta deprimentes.* Nec hoc, scilicet cleri crimina arguere ex caritate, est os in cœlum ponere aut clero detrahere. Ponere enim os in cœlum, secundum glos. super psal. 66. est contra Deum loqui; detrahere non est, loqui perversa de

proximo; nisi in absentia, odiose, & non ex caritate.

Ex isto sequitur 3. quod sacerdotes Domini non debent omittere fidelem verbi Dei prædicationem propter scandalum perversorum. Patet in Salvatore nostro Matt. 15. *Accedentes discipuli ejus dixerunt ei: scis quia Pharisei audito hoc verbo scandalizati sunt: At ille respondens ait eis: Omnis plantatio quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum.* Et ad hoc est Augustinus super Johan. homil. 27. » Si, inquit, de veritate scandalum sumitur, utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. Idem dicit Gregorius, quem allegat Nicolaus de Lira super Matt. 15. cap. Igitur corollarium verum.

ALIA CONCLUSIO.

NEMO usurpet sibi verbi Dei prædicationem, nisi fuerit ad hoc missus. Patet Isaiæ 6. *Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? Et quis nobis ibit? Et dixi: Ecce ego sum, mitte me. Et dixit vade.* Patet de Christo Johan. 8. *Neque enim a meipso veni, sed alius me misit.* Patet de Apostolis: Mar. 10. *Ecce ego mitto vos.* Et Luc 10. *Ecce ego mitto vos.* 2. Johan. 20. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Et Apostolus ad Rom. 10. *Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur?* Ubi dicit Nicolaus de Lira: » A Deo sicut prophetæ, vel ab ejus locum tenente, sicut alii prædicatores. » Hæc ille.

Et circa istam missionem notamus, quod illa est quadruplex, secundum Augustinum li. 83. q. ad Orosium. Prima, a Deo tantum, de qua patet in Moyse & aliis a Deo inspiratis, ut apostolis. de qua ad Galatas 1. *Paulus Apostolus, id est missus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per* JESUM CHRISTUM *& Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis.* Sequitur: *Notum autem facio vobis evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem* JESU CHRISTI.

Secunda missio est a Deo & ab homine, sicut patet de Josue & aliis a Deo & a superiore missis ad prædicandum.

Tertia missio est ab homine tantum, ut est illa quæ non fundatur in lege Dei, sed in traditionibus humanis.

Quarta nominetenus missio, est illorum qui a seipsis indigne usurpant prædicandi officium, ut prophetæ & apostoli, de quibus Jeremiæ 23. dicit Dominus: *Non mittebam prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Et Apoc. 2. *Tentasti eos qui se dicunt apostolos & non sunt, & invenisti eos mendaces.* Apostolos id est missos non a Deo. De his Johan. 10. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones.*

Intelligitur conclusio. Nisi fuerit ad hoc missus vel a Deo tantum, ut per externam inspirationem; vel a Deo & ab homine, ut per internam inspirationem, & per hominis auctorizationem. De ista loquitur Augustinus in quæstionibus Orosii, dum quærit Orosius: Quomodo possumus scire qui mittatur a Deo? Augustinus: Cognosce missum a Deo, quem non paucorum hominum laudatio vel potius adulatio elegit. Sed illum, quem vita & mores optimi, & examinatio, apostolicorum sacerdotum vel universorum populorum judicio probavit. qui non appetit præesse, qui pecuniam non dat, ut episcopatus honorem accipiat. Nam qui præesse festinat, ut quidam Patrum eleganter expressit; sciat non esse episcopum, qui præesse desiderat, non prodesse. » Hæc ille. Et finis hujus auctoritatis ponitur 8. q. 1. *Qui episcopatum.* Prima missio solvit a lege statuti, sic quod ille, quem Spiritus sanctus inspirat, prælato suo contradicente, ad viram meliorem potest transire. patet in Apostolis Act. 9. & 5.

Ex isto sequitur, quod sacerdos & diaconus Domini licite potest prædicare verbum Dei, sine licentia speciali sui episcopi aut prælati superioris.

Probatur primum ratione & hoc multipliciter. Primo sic: Sacerdos Domini, spiritu instigante, potest sine speciali episcopi aut prælati licentia prædicare verbum Dei. Ergo sibi licet. Tenet consequentia; quia majoris virtutis est spiritus JESU CHRISTI instigans diaconum vel sacerdotem ad prædicandum verbum Dei, quam inhibitio episcopi aut prælati humanitus adinventa. Ergo spiritui Christi instiganti & infallibiliter, plus parendum, juxta regulam Apostolicam Act. 5. *Magis oportet obedire Deo quam hominibus.*

Secundo sic legimus: Homo sub potestate regis constitutus, spiritu Dei instigante, licite potest dare eleemosynam corporalem indigenti, sine speciali licentia regis: Ergo sacerdos Domini multo magis potest licite prædicare verbum Dei, sine speciali licentia sui prælati. Tenet consequentia, cum major sit eleemosyna spiritualis, quam corporalis. Quam ergo mirabile foret, quod prælatus aut episcopus prohiberet dare corporalem eleemosynam pauperibus esurientibus, tam mirabile & amplius foret, quod prohiberet sacerdoti Christi humili & scienti dare spiritualem eleemosynam per evangelizationem verbi Dei.

Tertio sic probatur: Consummato matrimonio, conjuges sine speciali licentia prælati possunt licite generare filios carnales, ergo sacerdotes possunt licite generare filios spirituales per evangelizationem verbi Dei, sine licentia prælati speciali. Tenet argumentum a simili, aut a majori. Nam quam placitum est opus Deo, quod conjuges sine prælati licentia generent filios carnales, tam placitum est sibi, quod diaconi vel presbyteri instinctu

ſtinctu Dei per evangelium Chriſti, ſine ſpeciali licentia generent ſpirituales filios Dei; quod ſi negatur ſimilitudo, detur diverſitas. Immo, cum pejus eſt ſemen verbi Dei non admittere, vel ſuffocare, quam ſemen carnale; ſic econtrario melius eſt ſemen verbi Dei ſpargere & ſuſcipere, quo ſuſcitentur filii Dei, quam ſuſcipere vel dare ſemen, quo ſuſcitentur filii carnis. Et iiinc Salvator Matt. 10. dicit: *Quicumque non receperint vos, neque audierint ſermones veſtros, excutite pulverem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, quod tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die judicii, quam illi civitati.* Item: Qua ratione Heldad & Medad, ſuper quos requievit Spiritus Domini, prophetaverunt licite, Moyſe irrequiſito, ut habetur Num. 11. eadem ratione ſacerdos Chriſti humilis, ſuper quem requieſcit Spiritus Domini, irrequiſito prælato, licite poteſt prædicare populo verbum Dei. Et utinam prælati eccleſiæ haberent in hoc facto ſpiritum Moyſi. Nam Num. 11. dicitur: *Cumque propheta eſſet in caſtris, ſcilicet Heldad & Medad, timuit puer, & nuntiavit Moyſi, dicens: Heldad & Medad prophetant in caſtris. Statim Joſue filius Nun, miniſter Moyſi, & electus a pluribus ait: Domine mi Moyſes prohibe eos. At ille. Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum?* O utinam affectum iſtius viri ſancti amici Dei, haberent nunc prælati. Tunc enim non prohiberent Chriſti humilibus diaconibus & ſacerdotibus prædicare verbum Dei. Item, patet per apoſtolum, qui cum vocatus fuiſſet per Chriſtum, ut prædicaret nomen Jesu coram regibus & gentibus, non ivit pro ſpeciali licentia ad Petrum, Jacobum aut Johannem, qui videbantur eſſe eccleſiæ columnæ. Unde ad Galatas 1. dicitur: *Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit de utero matris meæ, & vocavit me per gratiam ſuam, ut revelaret filium ſuum in me, & evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni & ſanguini, neque veni Jeroſolymam ad anteceſſores meos apoſtolos, ſed abii in Arabiam; & iterum reverſus ſum in Damaſcum*, &c. Similiter apoſtoli & ſeptuaginta duo diſcipuli, poſtquam generalem acceperunt a Domino auctoritatem, evangelizandi, non ibant pro ſpeciali licentia unus ad alterum; ſed induti ſpiritu ex alto, ibant in mundum univerſum, prædicantes evangelium omni creaturæ. Mar. ultimo. Quare non facerent ſic veri & humiles Chriſti ſacerdotes, cum meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Math. 9. & Luc. 10. Ideo dicit Apoſtolus ad Rom. 1. *Nolo enim vos ignorare, fratres, quod ſæpe propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc, ut aliquem fructum habeam in vobis, ſicut & in ceteris gentibus. Græcis aut barbaris ſapientibus & inſipientibus debitor ſum. Itaque, quod in me, promtum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, evangelizare.*

Sequitur ſecundo quod nec poteſtas papæ aut prælati poteſt licite in contrarium; nec ille qui tali inordinatæ poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, ſed ipſius voluntati obtemperat & præcepto. Unde 2. Cor. 10. dicit Apoſtolus. *Nam & ſi aliud gloriatus amplius fuero de poteſtate noſtra quam dedit nobis Deus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam.* Et ibid cap. 2. dicit: *Putatis quod excuſemus nos apud vos: coram Deo in Chriſto loquimur: Omnia autem, cariſſimi, propter ædificationem veſtram.* Sed rogo qualis eſt illa ædificatio prohibere operarios ire in meſſem Domini, & laborare in vinea Domini Sabaoth, quam heu! exterminavit aper de ſilva, & ſingularis ferus depaſtus eſt. Pſal. 79. vulpeculæque demolitæ ſunt, prout dicit Salomon pacificus in Canticis canticorum. Unde Dominus in littera ad papam inter cetera ſic dicit: » Breviter autem recolligens dico, quod apoſtolicæ ſedis ſanctitas non poteſt, niſi quæ in ædificationem, & non in deſtructionem. Hæc eſt enim plenitudo poteſtatis omnia poſſe in ædificationem. Hæ autem quas vocant proviſiones, non ſunt in ædificationem, ſed in manifeſtam deſtructionem. Non ergo poteſt eas dare beatiſſima ſedes apoſtolica. Hæc ille qui, ut dicitur, a papa Innocentio ad tribunal Chriſti appellavit. Quod autem ſic reſiſtere, non ſit poteſtati reſiſtere, patet per Auguſtinum in libro de Natura boni. » Si aliquid jubet poteſtas quod non debes facere; hic ſane contemne poteſtatem, timendo poteſtatem majorem. Ipſos humanarum rerum gradus adverte. Si quid juſſerit curator, numquid faciendum eſt, ſi contrarium proconſul jubeat? Rurſus: ſi quid ipſe proconſul jubeat, & aliud jubeat imperator: Numquid dubitatur, illo contemto, illi eſſe ſerviendum? Ergo ſi aliud imperator, aliud Deus jubeat; contemto illo, obtemperandum eſt Deo. Poteſtati ergo diaboli vel hominis tunc reſiſtimus, cum aliquid contra Deum ſuggeſſerit; in quo Dei ordinationi non reſiſtimus, ſed obtemperamus. Sic enim Deus præcepit, ut in malis nulli poteſtati obediamus. » Et ponitur 2. ſermone di. 44. Et ad idem Auguſtinus. » Si aliquid ipſe conſul jubeat, & aliud imperator, aliud Deus; quid judicatis? Major poteſtas eſt Dei. Da veniam, o imperator! tu carcerem, ille gehennam minatur, hinc tibi aſſumenda eſt fides tua, tamquam ſcutum, & quo poſſis omnia ignita jacula inimici extinguere. » Et ponitur 11. q. 3. *Qui reſiſtit.* Sic in præſenti poteſt rationabiliter dici. Da veniam, o Eugeni, o Innocenti, tu minaris excommunicationem, abſciſionem ab eccleſia, & Chriſtus ignem gehennæ. Et hoc etiam patet ex facto Suſannæ Dan. 13. *Angustiæ mihi ſunt undique. Si enim hoc egero mors mihi eſt; ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius mihi*

est absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Dei.

Ex isto tertio sequitur: Quicumque nititur fidelem Domini sacerdotem a prædicatione verbi Dei abstrahere, in hac parte videtur dictamini Spiritus-sancti culpabiliter contraire. Patet, quia cum ex præcepto Domini sacerdotes teneantur prædicare verbum Dei, ut probatum est, & præceptum illud fuit dictaminis Spiritus-sancti, sequitur, &c. In hoc, heu! peccato sunt quidam episcopi, abbates & præpositi, qui sæpius clericum aut fratrem valentem pro studio seu evangelizatione verbi Dei, abstrahunt, curis sæcularibus implicando.

Ex isto sequitur ulterius, quod sacerdotes debent verbum Dei, mendacia fugiendo, veraciter prædicare, prout mandat Dominus, Jeremiæ 23. *Qui habet sermonem meum, loquitur sermonem meum vere.* & Apostolus 2. Cor. 2. *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei; sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.* Hinc de prædicantibus mendaciter dicitur Jerem. 23. *Et in prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterii, & iter mendacii, & confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua.* Et tales prædicatores, heu! diligunt carnales homines tam sæculares, quam spirituales, ut dicitur Jeremiæ 5. *Stupor & mirabilia facta sunt in terra. Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in novissimis ejus? Qui autem prædicant veritatem eis, illos odiunt & abominantur.* Patet 3. Reg. ult. de Achabi, ad quem cum dixisset Josaphat: *Non est hic propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum?* Et ait rex Israël ad Josaphat: *Remansit vir unus per quem possumus interrogare Dominum; sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore, Micheas filius Hiemla.* Et hoc prævidit Apostolus 2. ad Tim. 4. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, & a veritate auditum aversent, ad fabulas autem convertentur.* Hinc dixit idem Apostolus ad Titum 2. *Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam.*

Conclusio ultima. Sacerdotis Domini prædicatio, ut sibi sit meritoria, bonis operibus est confirmanda. Patet ista conclusio de Christo, Actuum 1. *Cœpit, Jesus facere & docere.* Hinc Jacobi 3. *Sic loquimini, & sic facite.* Et B. Hieronymus in epist. ad Nepotianum: Non confundant opera sermonem tuum, ne cum in ecclesia loqueris, quilibet respondeat: Cur ergo quæ dicis ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejunio disputat, accusare avaritiam & latro potest sed sacerdotis Christi os cum mente concordet.

Ex omnibus præmissis finaliter sequitur, quod articulus noster tertius, puta: *Verbum Dei exemplo Christi & apostolorum*, &c. est verus & catholicus, fidelis & omni acceptione dignus. Patet, quia ex sacra scriptura, praxi Christi & apostolorum, sententiis sanctorum, in eadem sacra scriptura veraciter se fundantium, prout Dominus contulit, est deductus.

Finis positionis tertii articuli Bohemorum, propositi in præsentia sacri concilii Basileensis, per dominum Wlricum de secta Orphanorum, anno incarnationis dominicæ MCCCCXXXIII.

ORATIO PRÆAMBULA

responsionibus deputatorum sacri concilii Basileensis ad articulos Bohemorum, per dominum abbatem Cistercien sem. (a) [a]

1 Sacrosancta Basileensis Synodus in Spiritu-sancto legitime congregata, quæ in medio tui habens illum natum regem Judæorum, (b) quem dudum Magi ab oriente venientes adoraverunt, fideliter omnem infallibilem potes docere veritatem, quæ specialiter a Domino constituta & electa esse crederis, ut per sanam doctrinam & judicium rectum evellas & destruas errores & hæreses, per sanctam denique desideratam, ac toti mundo summe necessariam omni statui reformationem, ædifices & plantes seminaria virtutum, peneque, heu! derelictas sanctæ conversationis operationes, verba mea, quæso, tuis auribus benignissimis clementer percipe, & patienter intende voci orationis meæ. Neque enim a te rem expostulo tibi difficilem, quam vel conveniat tuæ gravitati denegare. Pro fide namque Catholica, pro lege Dei nostri, pro justitia, pro omni populorum utilitate loqui mihi animus est. talibus namque hostiis, juxta modum loquendi Apostoli, promeretur Deus, his oblectamentis, ni fallor, nedum hominum, sed etiam angelorum mulcentur aures; hoc adipe vivit singulariterque saginatur anima fidelis, dicente Salvatore: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* [b]

Ex mſ. al. bibliot. reg. Nevarre.

2. Plenus sum quidem sermonibus, & sicut beatus Job loquitur, *Quasi mustum, quod lagunculas absque spiraculo novas disrumpit*, sic coarctat me spiritus uteri mei: nec dimittere te potero, nisi benedixeris mihi. *Conceptum enim sermonem*, ait ipse Job, *quis poterit continere?* Insuper enim ex ore hic astantium ambassiatorum inclyti regni Bohemiæ, susceepimus idipsum, quod jam vulgatur per

(a) Johannem de Almeto ex monacho Ellantii, primum Gardi abbatem, deinde Ucticampi, demum Cistercii, quod monasterium annis undecim magna cum laude rexit.

(b) Hoc dicit, quia magister Johannes de Rokazana Bohemus, acceperat pro themate: *Ubi est qui natus est rex Judæorum?*

[a] orbem, quod (a) *Ortus est sol, congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Sed quænam provenire poterit mundo ex hac consolatione lætitia, si quominus festinanter efficaciterque impleatur quod sequitur: *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam.....Thesaurus enim invisus*, ait sapiens, *& scientia abscondita; quæ utilitas in utrisque?*

2. Per solem autem, ni me fallat memoria, ambassiatores ipsi sacrum generale concilium [b] accipiunt; quæ siquidem acceptio tanto commendabilior redditur, quanto inter solis corporalis sacrique concilii proprietates convenientia invenitur major. Sol quippe, sicut scriptura testatur, omnia illuminat, girat ad meridiem, & reflectitur ad Aquilonem, lustrat universa, & semper in circulos suos revertitur. Sacrum autem concilium, quid aliud facit, quam suis exhortationibus piissimis orbem universum illuminare, purgare & perficere? curat * ad meridiem, reflectitur ad Aquilonem, & lustrat universa; continue videlicet ad omnes Christianitatis regiones, ut omnes lucrisaciat, solemnes nuncios destinando, illos revocando ab erroribus, istos ad pacem & concordiam reducendo, cunctos, prout prævalet, attrahendo ad salutem: semper tamen in suos circulos revertitur, quia propter agenda extrinseca numquam omittit exire ad opus suum, sanctam videlicet ecclesiæ reformationem. Ipsum opus, Domino largiente, continuatum usque ad vesperam, id est, usque ad Deo acceptam ejusdem reformationis consummationem.

* leg. girat.

4. Cum enim, teste scriptura, homo nascatur ad laborem, ita ut primus homo, qui justitia originali prædituserat, &, secundum multos doctores, in gratia fuerat creatus, in paradisum voluptatis fuerit positus ut operaretur, quisnam putabit, ob aliud hunc solem exortum esse, nisi quatenus homines sub ipso congregati, ad opus, propter quod vocati sunt, exeant, per hocque totus mundus accipiat benedictionem a Domino, & misericordiam a Deo salutari suo? Sane cum omnium opifex Deus sua ineffabili providentia res creatas non solum propter esse, sed magis propter operari produxerit, dicente Salvatore: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Necesse est ut homines, quos Deus inspirat & adjuvat, quamdiu lux orta est eis, ad opus exire non morentur, sicut scriptum est: *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare*, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas. Nam & beatus Apostolus suum instruens Timotheum, maxime ipsum ad operandum sollicitabat, dicens: *Sollicite cura teipsum exhibere Christo Deo operarium inconfusibilem, vere tractantem verbum veritatis.* » Parum quippe est, inquit « Gregorius, mala fugere, inquinamenta hujus « mundi devitare, nisi etiam quisque studeat « bonis operibus abundare. Hinc Salvator noster quorumdam arguens pigritiam, qui volunt & non volunt, post ipsos clamabat: *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant;* quia qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Hæc igitur magnus ille regiusque propheta David, qui se super senes intelligere gloriabatur, solerti mente considerans, pleneque, Spiritu-sancto ipsum docente, concipiens ortum solis parum prodesse, nisi ejus lumine irradiati exirent in opus, cum præmisisset: *Ortus est sol, congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur*; convenienter subjunxit: *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam.*

5. Sed jam pulsat animi quæstio, quodnam sit illud opus, ad quod propheta hominem sollicitat, dicens: *Exibit homo ad opus suum.* Itaque licet plurimæ, secundum utrumque hominem, conveniant hominibus operationes, ex ipsis tamen omnibus duas duntaxat mente considero, de quarum qualibet pro præsentis operis complemento, prout ab Alto mihi conceditur, satagam breviter aliquid aperire.

Divisio hujus propositionis

6. Duplex igitur opus meæ occurrit considerationi, ad quod per præmissa prophetæ verba homo dici potest rationabiliter excitari. Primum est unitatis & concordiæ vinculo corda fidelium dissociata conjungere. Secundum est salutaris sapientiæ poculo sitibunda fidelium corda reficere. Primum opus per Apostolum omnibus hominibus generaliter injungitur, cum dicitur: *Sollicite servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Secundum opus catholicæ veritatis doctoribus per eumdem Apostolum in persona Titi fuisse videtur specialiter impositum, quando eidem Tito dictum est: *In omnibus te præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate; verbum sanum & irreprehensibile, ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*

Tria ad pacem inclinant & impediunt.

7. Ad primum igitur opus exercendum, quod est per unitatis & concordiæ vinculum dissociata fidelium corda conjungere, tria, ni fallor, homines efficaciter stimulant &

(a) Hoc thema sumsit magister Petrus Anglicus, unus ex ambassiatoribus Bohemorum, in propositione secundo loco facta in prima die audientiæ ipsorum.

(b) *In margine codicis manuscripti hæc legitur nota.* Est sciendum quod in prima die audientiæ Bohemorum, magister Johannes de Rokazana habuit propositionem primam in præsentia sacri concilii, & thema illius fuit, ut jam diximus: *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* Nam & hic actus infra octavam Epiphaniæ aut circa agebatur, anno Domini 1433. Post ipsum magister Petrus Anglicus habuit secundam propositionem, cujus thema fuit: *Ortus est sol, congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Intellexit per solem, prædicatorem Johannem Wicleff aut Johannem Hus, hæreticos in concilio Constantiensi damnatos; quia miserunt quatuor radios, quatuor, ut dicunt, veritates, seu quatuor suos articulos, ad quorum notitiam gens Bohemorum congregata est; & in regione sua, sicut cubili, collocabuntur. Quod igitur hic dicitur, per solem intelligi ab eis concilium generale, dicitur ex quadam benignitate; & revera in ista oratione per solem recte ipsum sacrum concilium intelligitur.

pellunt, videlicet, natura, caritas & humana neceſſitas. Natura quidem ad procurandam unitatem & concordiam hominem inclinat & impellit, quoniam ſecundum imaginationem Boëtii in libro de Unitate & uno, tam eſſentiale & proprium eſt creaturæ appetere eſſe unum, ſicut eſſe; & ita, ſicut creaturæ naturaliter diligunt ſui eſſe conſervationem, ita naturaliter fugiunt diviſionem, per quam deſinunt eſſe unum, & quodammodo in plura dividi incipiunt. Omnium, inquit ipſe Boëtius, ſubſtantiarum motus eſt ad unum, nihil eorum quæ ſunt, appetunt eſſe multa: ſed omnia ſicut appetunt eſſe, ita & unum eſſe; & hoc provenit, quod omnia egrediuntur & producuntur a Deo, quia ſumme unus, ipſo dicente: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.* Et hac ratione forſan moti fuerunt quondam beatus Auguſtinus ceterique tam theologi, quam philoſophi tractatores, unanimiter ponentes, quod omnia naturaliter pacem appetunt; in hocque ſuam fortaſſis fundant imaginationem Plinius ceterique antiqui philoſophi de proprietatibus rerum differentium, quod in ſuis ſcriptis reliquerunt, multas aves multaque animalia bruta ad unitatem & concordiam ſic affici, ut, ſi caſu ab invicem fuerint diviſa, quietem nullam recipiant, donec, prout pax & concordia ipſis competere poſſunt, unitatis & concordiæ vinculo reunita exſtiterint. Et hoc eſt quod dicit ſapiens: *Omne animal ſibi ſimile diligit.* Et ex hoc patet, quod homines ab aliis ſe dividentes ſeu diviſi, ad ipſorum reconciliationem cum his a quibus diviſi ſunt non laborantes, inclinationem non ſequuntur naturalem, ſed eidem repugnant, ſe per hoc inferiores brutis animalibus conſtituentes.

8. Caritas inſuper hominem ad laborandum *pro unitate & concordia* inclinat & inducit, dicente beato Gregorio: Caritatis proprium eſt nutrire concordiam, ſervare compoſita, conjungere diſſociata, & virtutes ceteras perfectionis ſuo munimine ſolidare. *Hinc clementiſſimus Deus ſe Caritatem & Deum pacis nominat, quia etiam ipſius eſt diſperſos congregare, diviſos unire, homines ad invicem, & cum ſeipſis, ſecumque reconciliare. Propter quod bene determinat Apoſtolus Corinthiis ſcribens: Quod homo, ſi linguis loquatur angelorum, fidem habeat, omnia bona opera exequatur, caritatem autem non habeat, nihil eſt. Ex his patet, quod homines ab aliis ſe dividentes ſeu diviſi, ad ipſorum reconciliationem non laborantes, caritatem non habent; neque actus ipſorum ex caritate procedunt, licet interdum habere videantur ſpeciem pietatis; & inde eſt, quod multi tractatus incœpti pro pace his diebus malis, votivum non ſortiantur effectum; quia homines caritatem non habent, ſine qua pax non habetur.* Joſeph enim, ſicut in lib. Gen. legitur, omnia bene dirigebat, & erat vir in cunctis proſpere agens. Cur hoc? certe quia Deus erat in eo. Nempe cum Deus ſit auctor pacis, qui ſine Deo pacem facere vel habere credit, plane deſipit.

De duplici unitate neceſſaria homini viatori.

9. Demum ad laborandum pro unitate & concordia fidelium, hominem inclinat & inducit humana neceſſitas. Cuilibet enim homini, quamdiu peregrinatur a Domino, duplex unitas neceſſaria eſt: una videlicet civilis & politica, qua reguntur & conſervantur corpus & bona mundana, ſine quibus ſpiritualia diu continuari non poſſunt; qua unitate neceſſe eſt illos eſſe unitos, qui eodem regimine politico participant, & ſub ipſo eſſe volunt, ſicut in Eſdra ſcribitur: *Omnis populus congregatus in Jeruſalem, erat quaſi vir unus.* In hac unitate populi ſtabilimentum conſiſtit, reſpublica cujuſlibet politiæ continuatur, & per ipſam, ſicut dicit Saluſtius, parvæ res creſcunt, quemadmodum diſcordiâ magnæ dilabuntur. Quantæ autem ſit neceſſitatis, ut homines ad hanc unitatem conſervandam laborent, ex deſolationibus lamentabilibus, ad quas miſerabiliter deducuntur regna, provinciæ, comitatus & populi, in quibus talibus unitas non viget, longe certius, quam *rationibus ſpeculationis* poteſt demonſtrari. Quis enim in ſuo gemitu per ſingulas noctes ſtratum ſuum lacrymis ſufficeret lavare? ſufficeret, in amaritudine animæ ſuæ recogitans clariſſima regna & dominia Chriſtianorum, ob defectum prædictæ unitatis, illi ſubjacere maledictioni, quam dudum Salvator prædixerat: *Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Proinde ſatis explicare mortalis lingua non ſufficit, quanta ſit & erit perpetuis temporibus dignum commendatione hoc ſacrum generale concilium, quod nimia devinctum caritate, inter alias cauſas ſpecialiter congregari continuarique voluit pro eorumdem regnorum & dominiorum ac totius Chriſtianitatis pacificatione.

De ſecunda unitate neceſſaria hominis.

10. Alia vero unitas homini neceſſaria, eſt unitas ſpiritualis & eccleſiaſtica; quam deſcribens Apoſtolus, dicebat: Unus Dominus, una fides, unus Spiritus, unum baptiſma. Hæc quidem unitas eo uſque homini eſt neceſſaria, ut extra ipſam nemini ſit ſalus. Ab hac unitate nemo pie volens in ipſam ingredi ſecernitur. Per hanc unitatem homo efficitur membrum Chriſti, ſuoque corpori myſtico incorporatur, & tam triumphantis, quam militantis eccleſiæ, ſi obicem non ponat, ſuffragiorum recipit participationem. Ad hanc unitatem obtinendam, conſervandam & retinendam tanto ferventius quilibet homo laborare tenetur, quanto minus ſine ipſa quiſque, ſive ſpiritualiter ſive temporaliter, diu poteſt ſubſiſtere. Sane cum unitas eccleſiaſtica, ſecundum traditionem Apoſtoli, ſumenda ſit & menſuranda per comparatio-

nem ad corpus humanum, neceſſe eſt, ut, ſicut membrum a corpore præciſum continuo areſcit, & in pulverem revertitur, ita homo, regnum, gens, provincia, communitates & populi, qui vel quæ ab unitate ſe dividunt eccleſiaſtica, nedum ſpiritualiter, ſed etiam civiliter tamdem redigantur ad nihilum, etiamſi poſt ipſorum diviſionem ad tempus floreant & exaltentur ſicut cedrus Libani, quemadmodum filii Benjamin, poſtquam ſe diviſiſſent a reliquo populo Iſraël, ad tempus floruerunt, plurimaque obtinuerunt prælia; ſed tamdem, ſicut Judicum tradit hiſtoria, cum rogati ad unitatem fratrum ſuorum redire non vellent, ſic a viris uſque ad jumenta gladio deleti fuerunt & conſumti, ſicque eorum urbes & viculos vorax flamma conſumſit, ut poſtmodum filii Iſraël pœnitentia ducti dicebant: Ablata eſt una tribus de Iſraël. Unde ſi ab initio ſæculi ſcriptas revolvamus hiſtorias, neque unicum reperimus ante vel poſt adventum Chriſti, qui ſe pertinaciter ab eccleſia diviſerit, in ſuaque pertinatia permanſerit, cui dicenti: Pax & ſecuritas, repentinus non ſupervenerit interitus, quemadmodum de Dathan & Abiron, Ario, Manichæo & Sabellio, ac aliis ſupra numerum olim multiplicatis hæreticis exemplificari perfacile eſt.

11. Poſtquam igitur, reverendiſſimi patres, miſericors & miſerator Dominus, qui mortem non vult peccatoris, in languores varios, *quibus ob defectum prædictæ duplicis unitatis* populus Chriſtianus pene ad mortem oppримitur, ſuæ pietatis oculos ſic dignatus eſt dirigere, ut quaſi ſæcula aurea ſaturniaque regna redierint, ad dirigendos pedes noſtros in viam univerſalis unitatis & pacis, hinc ſolem diebus veſtris fecerit oriri, ut jam verbis Apoſtoli utar: Hortamur vos, ne gratiam hanc permaximam, nedum vobis, ſed etiam toti mundo, ſi boni æmulatores fueritis, factam, in vacuum recipiatis. Hora eſt, ni fallor, jam nos de ſomno ſurgere, jam non eſt opus ut dormitet vel dormiat qui cuſtodit Iſraël. Nox præceſſit, dies appropinquavit. Ortus eſt ſol; vox turturis, id eſt vox eccleſiæ, audita eſt, non ſolum in terra noſtra, ſed etiam uſque ad aures pervenit Bohemorum, qui ad gratiſſimam ipſius vocis melodiam ſalubriter excitati & ſurgentes, venerunt ad vos, quærentes & dicentes: *Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum*? parati, ſi veſtris orationibus, veſtris informationibus catholicis, veſtriſque laboribus & ſtudiis inter vos ipſe rex fuit inventus, ipſum vobiſcum ſuppliciter adorare. O mira Dei clementia! o ineffabilis erga nos divinæ bonitatis miſeratio! o inæſtimabilis dilectio caritatis, quæ mortalibus hominibus ſimul in unum congregatis vocem tantæ virtutis conferre dignatur, ut ab extremis finibus mundi homines valeat attrahere, attractos ſic humiliare ſufficiat, ut ultro pacem offerant, quam mundus non poteſt! * Quod enim apertius, quodve majus habere vel quærere poteſtis experimentum ejus qui loquitur in vobis, Chriſtus, quique in medio veſtrum reſidet, ſicut ipſe dudum promiſit: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum*?

* Sup. dare.

12. Quid ergo dicemus, viri patres & fratres? an non nobis ultra dormiendum vel vacandum otio, aut retro reſpiciendum? an non manus in ſinum ſunt trahendæ, ubi tam aperte regiones albeſcunt ad meſſem? immo prorſus neceſſe eſt, ſicut conſulit Apoſtolus, quod dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad hos domeſticos fidei. ipſi enim caro noſtra, fratres noſtri ſunt. Qua fronte ergo ipſos ſuo fraudatos deſiderio permitteremus, ut per aliam viam reverterentur in regionem ſuam? Procidamus igitur ante Deum, ploremus coram Domino noſtro, plorent & ipſi nobiſcum, & in cinere & in cilicio proſtrati ante altare, inceſſanter clamemus in cœlum, donec ipſis & nobis miſereatur Dominus Deus noſter.

13. Vos autem convenio, ô Bohemi, & nunc ad vos ſermo meus ſpecialiter dirigitur, utinam ad me vacuus non redditurus, ſed ea qua profertur caritate recepturus a vobis. Jam audiſtis, quod certus ſum ante vos non latuiſſe, quoniam pro veſtra cunctorumque fidelium concordia obligamini diligenter laborare. An neſcitis quid de vobis homines ſentiunt & loquuntur? Siquidem fere apud omnes vulgatur proverbium, quod ſalus Chriſtianitatis dependet a vobis, & in manibus veſtris eſt. Cur hoc? quia ſi cum ſacro concilio perfectam feceritis unionem, de pace & concordia regum & principum, cunctorumque dominiorum & populorum Chriſtianitatis reconciliatione nullus ambigit. Exemplar enim ipſis eritis, qualiter ſe ſuaſque controverſias & dubia totaliter debent ſacro ſubmittere concilio, quod tam efficaciter direxerit pedes veſtros in viam pacis. Cum igitur, ô viri, caractere Chriſtiano inſigniti, evidentem de præmiſſis poſſitis habere certitudinem; cumque vobis conſtet per Apoſtolum, quod accedentem ad Deum primum oportet credere, certi quoque ſitis, ſinceram vos non poſſe fidei capere veritatem, niſi Spiritus-ſanctus huic concilio ſacro præſidens ipſumque dirigens, vos ſpecialiter edoceat & adjuvet. Cur eidem concilio univerſalem repræſentanti eccleſiam tamdiu tardatis vos ſubmittere? cur non attenditis ad petram unde exciſi eſtis, & ad Saram quæ genuit vos? Si filii eſtis eccleſiæ, cur matrem veſtram non honoratis? cur lactari uberibus conſolationis ejus non contentamini? cur non captivatis intellectum veſtrum in obſequium fidei, & omnes articulos veſtros, ceteraque omnia, quæ putatis obeſſe fidei,

judicio & determinationi ecclesiæ non submittitis? Si aliquas scripturæ sacræ sanctorumque doctorum habeatis auctoritates, ipsasque sic debere intelligi dixeritis: ego autem & alii multi dixerimus, sicut dicemus, oppositum; quis inter nos & vos æquior judex quam Spiritus-sanctus huic præsidens concilio poterit constitui? cui securius cujuscumque causæ decisio quam sacro poterit submitti concilio, quod errare non potest, neque quemquam vult aut potest decipere? An non vultis quod ex toto nobis credatur? An non putatis nos legisse Virgiliocentenas & Homerocentenas, & fuisse meditatos in lege Domini? Nec tamen perimus quod ex *toto* nobis credatur, sed satis erit nobis si videat Dominus & judicet, quoniam profecto, quod *homini in* sua causa totaliter credatur, honestas non suadet, justitia non patitur, nec id fieri sapiens requirer.

14. Quid ergo opus est vobis aut nobis disceptationibus aut pugnis uti verborum? cum non venerimus ad concilium generale magis ad expugnandas bestias Ephesi, quam ut induamur virtute ex alto. Itaque etiamsi per centum annos disputaverimus, finaliter necesse erit ut vos & nos reverenter & humiliter sacro submittamus colla concilio. Nec umquam, ni fallor, quam per sacrum generale concilium dubia per vos proposita felicem sufficientemque declarationem accipient. Quid ergo necesse est nobis aut vobis quasi ambulantes in circuitu auctoritates adducere, multiplicare rationes, ubi sic paratum habemus Spiritum-sanctum, ad repente dandum nobis sensum, ut intelligamus scripturas? Ubi enim legitur, quod Spiritus-sanctus, qui est Spiritus disciplinæ & pacis, super discipulos disputantes aut contendentes descenderit? Spiritus-sanctus in die pentecostes invenitur visibiliter descendisse super apostolos, utique non contendentes vel disputantes, sed perseverantes in oratione; tunc*que* docuit eos omnem veritatem. Sane mysteriorum fidei cognitio non disputatione, sed humilitate acquiritur, sicut scriptum est: *Confiteor tibi, Domine Pater cœli & terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Unde raro legitur, quod in conciliis generalibus vel alibi, aliquæ materiæ fidem concernentes, aliter quam per homines, qui plus in Spiritu-sancto quam in disputationibus confidebant, terminatæ extiterint.

15. Hinc beati apostoli de cessatione legalium, aliisque materiis fidelium regimen concernentibus diversa sentientes, cuiquam auctoritati, seu propriis inniti rationibus nullatenus præsumserunt. Sed quamquam Spiritu-sancto essent repleti, suum captivarunt intellectum in obsequium fidei, ac judicio & determinationi ecclesiæ omnes suas opiniones humiliter submiserunt; profecto scientes quod quæstiones de fide exortas, aliter quam per ecclesiam sufficienter declarari vel determinari impossibile est. Itaque nihil habet auctoritatis quæcumque scriptura seu doctrina vel determinatio, nisi illam solam quam sibi confert ecclesia, dicente B. Augustino: Evangelio non crederem, nisi me commoveret ecclesiæ auctoritas. Si ergo beati apostoli se maluerunt sacro submittere generali concilio, quam quibuscumque rationibus vel auctoritatibus inhærere; cur apostolos, quos tam constanter asseritis in suis operibus esse imitandos, non imitamini, & vestros articulos vestraque dubia examinationi & determinationi sacri concilii totaliter submittendo, vos nobiscum per unitatis & concordiæ vinculum non unitis & conjungitis?

16. O si sentiretis quantum gaudium esset angelis Dei, si pariter essemus uniti in vinculo pacis; quanta tristitia dæmonibus, qui occasione divisionis vestræ a nobis, heu! tot animas devoraverunt, pretioso Christi sanguine redemtas. Quantus denique pavor Turcis, Saracenis & aliis inimicis crucis Christi, qui, prout nostis, occasione divisionis vestræ a nobis, longe plus solito cornua levaverunt, infestarunt Christianos, parati forsan & dispositi vos & nos de super terram eripere, si diutius in ea, quam, proh dolor! nimis continuavimus, adhuc permanserimus divisione. Si, inquam, hæc sentiretis, quis crederet vos vel ad momentum dare velle requiem animabus vestris, donec ex nobis & vobis esset factum unum ovile, essemusque *omnes* cor unum & anima una? O si vestris laboribus piissimis, per mediumque unionis & reconciliationis vestræ nobiscum illa clarissima Franciæ & Bohemiæ regna, antiquo fœdere specialiter conjuncta, & ad recuperandam terram promissionis, si pacata unitaque forent, haud dubium sufficienter ad plenam reduci possent concordiam. Quid Octavianus, quid Julius Cæsar, quid Carolus-Magnus, quid Augustinus, quid Jeronymus, Ambrosius ceterive cujuscumque status vel probitatis nati homines fecisse leguntur, quod ad indelebilem pro vobis & posteris vestris gloriam hujus operis tam glorioſi & necessarii consummatio vos fecisse non probaret?

17. Eia igitur, viri caractere Christiano insigniti, hodie si audieritis vocem Domini, nolite obdurare corda vestra: sed postquam Deus, sol & astra vobis favent, levate capita vestra, quoniam procul dubio, nisi per vos steterit, ecce appropinquat non solum vestra, sed etiam redemtio nostra. Ortus est sol, congregati sunt, in cubilibus istis sunt collocati omnes isti reverendi patres & doctissimi viri. Ad quid? certe ad dandum vobiscum *scientiam* salutis, in remissionem peccatorum vestrorum; ad impendendum se-

De utilitate utilitatibus concilii ejus Bohemos.

ipſos pro animabus veſtris; poſtremo ad dandam & procurandam vobis pacem & reconciliationem cum Deo & angelis, ac omnibus hominibus. Quid amplius deſiderare, quidve ultra petere poteſtis vel accipere? quid aliud vultis facere, vel præſtare poteſt natus & inventus rex Judæorum? Jam ergo totum pondus belli veſtris humeris imponitur. Super vos omnium amodo veniet * accuſatio, nec de cetero vobis ullius excuſationis locus patebit; quoniam profecto poſſe pacificandi vos & totum mundum, vobis ſuppetit, ſi velle adjaceat. Concedere vobis dignetur Altiſſimus, ſic in hac materia exire ad opus veſtrum, veſtramque operationem taliter ad veſperam, id eſt ad finem debitum producere, quod vos nobiſcum & nos vobiſcum in perfecta caritate uniti & radicati, ſinceram fidei veritatem declarare, ut Deo gratam in capite & in membris facere valeamus univerſalis eccleſiæ reformationem, omnibuſque poſcentibus ſibi rationem reddi de his quæ docuerimus & fecerimus, pro omni argumento, auctoritate & ratione ſecure poſſimus reſpondere: Ita viſum eſt Spiritui-ſancto & nobis. Fides enim non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Et hæc dicta de primo opere ſufficiant.

* al. excuſatio.

18. Nunc ſupereſt, reverendiſſimi patres ac Deo amabiles viri, verbum facere breviſſimum de ſecundo opere, ad quod propheta hominem ſollicitat dicens: *Exibit homo ad opus ſuum*; quod opus eſſe prædixi ſalutaris ſapientiæ poculo ſitibunda fidelium corda reficere; quia ſcripturæ ſacræ laudes deſcripturus non adveni, cum de ipſa ſcriptum ſit: *Alta profunditas, & quis inveniet eam*? Ipſam proinde ſupponens eſſe legem illam de qua dicit propheta: *Lex Domini immaculata convertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* Paululum, ut arbitror, tetigiſſe ſatis erit, quod ipſam fidelibus miniſtrare opus eſt doctorum catholicæ veritatis. Licet enim ſcriptura ſacra in cortice ſeu ſuperficie plana ſit, ſeque tangi permittat ab omnibus, dicente Hieronymo: Sola ſcripturarum ars eſt quam ſibi paſſim omnes vindicant: in ſenſibus tamen eo uſque altiſſimis repleta eſt myſteriis, ut homines abſque ſpeciali dono Dei, ipſam tractando vel exponendo tangentes, ſe vulneratos potius quam ſanatos inveniant; & dum continuaſſe crediderint, tunc neceſſe ſit ipſos incipere. Hinc beatus Hieronymus illos redarguens, qui in ſcripturæ ſacræ littera, quæ, dicente Apoſtolo, occidit, nimis ſe fundant & arreſtant, dicere ſolebat: Non putemus in verbis ſcripturarum eſſe evangelium, ſed in ſenſu; non in ſuperficie, ſed in medulla; non in ſermone, ſed in radice. Propter quod etiam venerabilis Hugo de S. Victore modum tradens perveniendi ad ſalubrem ipſius ſcripturæ ſacræ intellectum & expoſitionem, dicebat: Ad ſcripturæ ſacræ cognitionem opus eſt intima compunctione potius quam profunda inveſtigatione; ſuſpiriis quam argutiis, crebris gemitibus quam copioſis argumentationibus, lacrymis quam ſententiis, oratione quam lectione, gratia lacrymarum quam ſcientia litterarum. Ipſi etenim ſcripturæ ſacræ ſenſus ſpirituales & myſtici quibuſdam corporalibus teguntur velaminibus, abſque quibus, ſecundum beatum Dionyſium, divinum lumen nobis lucere non poteſt. Et ita cum hujuſmodi ſenſus naturæ facultatem excedant, neceſſe eſt ut qui eos attingere voluerint, ſuper naturam eleventur, omnemque intellectum humanum, rationes & ſcientias naturales captivent in obſequium fidei, nec ſe quicquam prorſus ſcire arbitrentur, niſi Dominum noſtrum Jesum Christum, & hunc crucifixum. Cum enim in ſcripturarum ſacrarum expoſitione homo ſenſui proprio innitens, aſcendit ad cor altum, tunc exaltatur Deus, ſicque frequenter verificatur quod ſcriptum eſt: *Scrutator majeſtatis opprimetur à gloria.*

Quod miniſtrio ſacrarum ſcripturarum ſit opus doctoris catholici.

19. Hujus autem ſcripturæ ſacræ proprietates allegans B. Auguſtinus, ipſam vocat ſcientiam, qua fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur & roboratur, cujuſque auctoritas... omnis ingenii humani & perſpicacitate major eſt. Hac ſcientia tamquam ſpirituali cibo mentes reficiuntur fidelium, dicente Gregorio: Scriptura ſacra aliquando nobis cibus eſt, aliquando potus. Cibus eſt in locis obſcurioribus, & quaſi exponendo frangitur, & manducando glutitur. Potus vero eſt in locis apertioribus, quia ita abſorbetur ſicut invenitur. Hujus autem cibi potuſque ſpiritualis miniſtratio propterea non omnibus, ſed ſolis hominibus in catholicis veritatibus eruditis & exercitatis, ſuumque intellectum in obſequium fidei captivantibus rationabiliter committitur; quia cum, teſte Hieronymo, ex verbis inordinate prolatis fiat hæreſis, periculoſum nimis foret ſcripturam ſacram ab aliis, præterquam ab hujuſmodi eruditis exponi, applicari ſeu miniſtrari. Nempe ſicut cibus corporalis ex ſe bonus, frequenter nocet, ſi ei cui non eſt conveniens, vel aliter quam fieri debet, miniſtretur; ita ſcriptura ſacra, licet ſecundum Apoſtolum ſit utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum; ſi tamen modis indebitis exponatur aut miniſtretur, nonnumquam nocet, ſcandalizat, illoſque perimit quos ſanare debuerat. Unde ſi liber B. Auguſtini de hæreſibus ceteraque volumina doctorum, in quibus ab initio eccleſiæ hæreſes exortæ conſcribuntur, ſolerti revolvantur indagine; vix una reperitur quæ in ſcriptura ſacra ſiniſtre intellecta, expoſita vel applicata fundamentum non acceperit. Magna proinde omnibus catholicæ veritatis

Scriptura ſacra cibus & potus.

doctoribus incumbit neceſſitas, ut cum ad opus ſuum, ſcripturæ videlicet ſacræ expoſitionem exeunt, ipſam ſic miniſtrent & elucident, auctoreſque ipſius ſic interpretentur, exponant & applicent, perſonarum quibus loquuntur qualitate diligenter penſata, quod mentes fidelium ſuis reficiantur doctrinis & expoſitionibus; & ad ſuſceptionem incrementi virtutum reddantur validiores. Quem etiam modum B. Apoſtolus erga illos obſervaſſe videtur, quibus dicebat: *Ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tamquam parvulis in Chriſto vobis lac potum dedi, non eſcam.*

Ad quatuor doctores a concilio deputatos ad reſpondendum Bohemis.

20. Quia ergo vos, venerabiles & egregii patres & magiſtri, qui accincti & parati eſtis ad reſpondendum articulis per hos ambaſſiatores Bohemorum propoſitos, ipſoſque ambaſſiatores informandos de irrefragabili & catholica veritate ſuper eiſdem articulis a quolibet fideli tenenda, multas habebitis ſcripturæ ſacræ auctoritates declarare & exponere; magno, ut arbitror, debetis diligentiæ ſtudio providere, ut taliter in tractando, exponendo & applicando hujuſmodi auctoritates, modeſtiam atque circumſpectionem teneatis, quod veſtris mediantibus claris informationibus & inſtructionibus catholicis, iidem ambaſſiatores illuminati & excitati, toto corde ſe convertant ad nobiſcum adorandum natum regem Judæorum, quem utique, ſi diligenter perſpexerint, invenerunt in loco iſto; ſeque & omnes, pro quibus huc advenerunt, ſacro concilio per unitatis & concordiæ vinculum conjungendo & uniendo, deinceps operationem ſuam, id eſt perfectam unionem, & in caritate non ficta firmatam concordiam cum eccleſia continuaturi uſque ad veſperam, id eſt, uſque ad præſentis vitæ terminum & tranſitum ad gloriam ſempiternam; quam ipſis & nobis ipſe inventus, laus Deo, rex Judæorum concedere dignetur, qui vivit & regnat & imperat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Finis propoſitionis factæ per dominum abbatem Ciſtercienſem ſacræ theologiæ profeſſorem famoſum in univerſitate Pariſienſi, coram concilio Baſileenſi & oratoribus Bohemorum, ante initium reſponſionis ad primum ipſorum articulum.

In fine ſuperioris orationis additur ſequens obſervatio.

Sciendum eſt quod ſacrum concilium Baſileenſe deputavit quatuor doctores, videlicet magiſtros Joh. de Raguſio, Ægidium Carleril, Henricum *Kalceſem*, & Joh. de *Polemar*, primum & tertium religioſos de ordine Prædicatorum, ſecundum & quartum ſæculares, ad reſpondendum quatuor articulis Bohemorum propoſitis per quatuor viros ambaſſiatores, ſcilicet per magiſtrum Johannem de Rokaſana, dominum Nicolaum de ſecta Thaboritarum, dominum Wlricum de ſecta Orphanorum, & M. Petrum Anglicum, ut primus a concilio deputatus, primo Bohemorum ambaſſiatori de primo articulo ſit reſponſurus; ſecundus ſecundo, tertius tertio & quartus quarto. Verumtamen concilium retinuit ſibi poteſtatem addendi, diminuendi, interpretandi, corrigendi, ac diffiniendi in præmiſſis & aliis neceſſariis.

Sequitur in codice.

POSITIO DE COMMUNIONE divinissimæ eucharistiæ.

Facta per magiſtrum Johannem de Raguſio ordinis Prædicatorum ſacræ Theologiæ profeſſorem, contra M. Johannem de Rokaſana oratorem Bohemorum, habita in præſentia ſacri concilii Baſileenſis.

Habita ſub anno 1433. menſe Iul.

REverendiſſimi reverendique patres, illuſtriſſime princeps, regum & principum, univerſitatum atque communitatum ambaſſiatores oratoreſque egregii, utriuſque juris divini pariter & humani doctores eximii & magiſtri, comites, barones, nobiles, civeſque inſignes, & ceteri in CHRISTO JESU omnes patres, domini & fratres dilectiſſimi, qui huic ſacræ congregationi divinoque certamini intereſtis. Poſt valde utilem ac perneceſſariam exhortationem reverendi in Chriſto patris & domini mei ſingulariſſimi domini Ciſtercienſis; cujus exhortationis verba utinam tali fide, tali devotione, talique caritatis affectu fuiſſent a cunctis auditoribus accepta, qualiter ab eodem patre prolata ſunt, &c. *Ut apud R. P. Labbe. 12. concil. pag.* 1013.

In fine hæc leguntur.

Sciendum quod Bohemi finita hæc poſitione & reſponſione, injurias, ut inquiebant, paſſi, provocati ſunt, reddideruntque ſe difficiles præſtare audientiam tribus ſequentibus reſponſalibus deputatis pro parte ſanctæ ſynodi. Unde patres expediens arbitrati ſunt, illos in dicendis uti temperato eloquio atque ſuavi ſermone; veritate tamen ſemper ſalva, ne a verbo aſpero offenſi, redirent ad propria, non inſtructi in verbo veritatis & doctrina ſalutis, & breviare dicenda, ne tædio affecti, quærerent ſub alio colore ſui occaſionem receſſus.

Sequitur.

COLLATIO PRÆAMBULA

poſitioni pro veritate ſuper punitione peccatorum mortalium publicorum.

Audiſtis reverendiſſimi patres, &c. *Edita apud Labb. tom. 12. conc. pag.* 1159.

POSITIO

POSITIO DE PUNITIONE PECCATORUM mortalium publicorum facta per magistrum Ægidium Carlerii decanum Cameracensem, in concilio Basileensi, præsentibus oratoribus Bohemorum contra dominum Nicolaum Taboritam, unum ex illis.

Ad declarationem materiæ secundi articuli, qui est de punitione, &c. *Ed. apud Labb. tom.* 12. *pag.* 1161.

COLLATIO PRÆAMBULA positioni pro veritate super prædicatione verbi Dei.

Patres & domini reverendissimi, doctores prudentissimi inclyti Bohemiæ, &c.

POSITIO DE PRÆDICATIONE VERBI DEI facta per magistrum Henricum Kalcisensem Ordinis Prædicatorum sacræ theologiæ in studio Colonienſi professorem; contra dominum Wlricum de secta Orphanorum, unum ex oratoribus Bohemorum, habita in præsentia sacri generalis Basil. concilii.

Quemadmodum Deus & natura nihil agunt frustra, &c. *Ed. apud Labb. tom.* 12. *pag.* 1250.

INVOCATIO DIVINI AUXILII præambula ad positionem de possessione bonorum temporalium ab ecclesia, factam per dominum Johannem de Polemar doctorem decretorum auditorem domini cardinalis S. Angeli legati; contra magistrum Petrum Anglicum oratorem Bohemorum, habitam in præsentia concilii Basileensis.

Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina. Excelsus ille, &c. *apud Labbeum tom.* 12. *pag.* 1363.

In oratione Johannis de Ragusio pag. 1106. *ubi legitur:* Item in tertio corollario infert quod luce clarius patet, quod magnum sacrilegium committunt, &c. *Additur in ima pagina eadem manu.*

Sic ipse Rokasana docuerat populum regni. Nam cum properantes Pragam venissemus ad villam Zaaps & quasdam alias, improperabant nobis de sacrilegio, nosque contumelioſe sacrilegos appellabant mulieres, intendentes concitare viros adversus nos, & hoc modo morti tradere. Verum per aliquos eorum qui in sacra synodo fuerant ex Bohemis, divina dispositione, quamvis præter illorum intentionem, sine periculo, immo cum gaudio usque ad urbem regiam Pragam fuimus deducti, scilicet RR. patres in Christo domini Constantiensis provinciæ Rothomagensis, & Augustensis episcopi, magistri & doctores Johannes de Polemar, præpositus....

In fine orationis Henrici Kalteicensis, edita est ejusdem replica. ad replicam Ulrici, &c.

In fine orationis Johannis de Polemar, edita est replica ejusdem ad replicam magistri Petri Anglici, Oratoris Bohemorum super quarto eorum corol. pag. 1405. *e. & seq.*

In nomine Patris & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-sancti. Amen. His quæ pro divini imploratione, &c.

In codice Navarræo in fine sic lego.

Finis replicæ & responsionum pro veritate ad rationes magistri Petri Anglici de secta orphanorum, factas contra temporalitatem ecclesiæ & ecclesiasticorum, compositarum per dominum Johannem de Polemar decretorum doctorem sacri palatii apostolici ac domini Juliani cardinalis S. Angeli, sacrique Basileensis concili præsidentis auditorem, in præsentia etiam ejusdem concilii in facie legatorum Bohemiæ expositarum anno verbi incarnati 1433. mense Aprilis.

HANC LITTERAM misit magister Johannes de Rakuzana Plebanus in Praga suis Bohemis.

Rationem reddit de actis a se & suis in concilio.

CHristus Jesus rector cœli & terræ dignetur vos illustrare, confortare & illuminare de sede poli. Multum in Domino mihi dilecti, Deo favente, dominica proxima ante Epiphaniam in ipsam pervenimus Basileam, in quam suscepti fuimus grate, sicut & in via per utramque manum spiritualem & secularem. Et hospitiis nobis ordinatis, sabbato post epiphaniam inducti fuimus ad concilium, ibique susceptl grate, & per modum sermonis per legatum JULIANUM facti, adhortati sumus ad bonum. Tunc post illius sermonem, & ego feci sermonem super verbis tunc in ecclesia cantatis, *ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Vidimus stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum.* Post cujus complementum, optio tunc data est nobis, ut quando velimus articulos nostros in medio concilio prosequamur; & deliberatione simul habita, diem Veneris, quæ fuit feria sexta (*a*) proxima ante Antonii, elegimus. Qua quidem die veniente, ego primum articulum prosecutus sum de benedicta communione sub utraque specie, & per tres dies loquendo, die tertia finivi, scilicet secunda quæ fuit proxima (*b*) ante Fabiani. In crastinum alium articulum, & post, tertium & quartum continuaverunt Domini & socii mei, sic quod in decem diebus nostros articulos expedivimus. Post hoc doctores dispositi sunt, ut sententiam articulorum per nos

Anno 1432. 11. Februar. *Ex mss. Illustrissimi viri domini Chanvelin.*

[a] [b]

(*a*) Anno 1433. festum S. Antonii incidebat in Sabbatum ac proinde peroratæ incœpit 16. Januarii.
(*b*) Id est 19. Januarii.

[a] positam infringant. Et pridie sabbato (a) ante Purificationis festum, doctor quidam, monachus fratrum Prædicatorum (b) linguagii nostri, contra articulum primum per me positum loqui cœpit. Cui spero, divinitus adjutus, resistam, & sua motiva infringam. Contra secundum articulum alius, contra tertium tertius est dispositus doctor, sicut & contra quartum quartus. In Domino tamen speramus plene confidentes, quia Dominus dabit os nobis, & sapientiam, cui non poterunt resistere adversarii nostri. Multo majus onus in meis, quam aliorum pendet humeris. Igitur Deum pro me misero exorate. Noscat meus dilectus *Prawii Hadatz*. Nam post completionem per nos factam quatuor articulorum nostrorum, cardinalis legatus » cœpit loqui: Quia domini ambassiatores Bo- » hemiæ, jam per decem dies auditi estis, in » vestris quatuor articulis. Sed nos audivimus » alios multo plures articulos in Bohemia do- » gmatizari, ad quod respondebitis per ver- » bum *credimus* vel *non credimus*. Et obtulit nobis XXVIII. articulos tunc lectos, & post in cedula signatos: inter quos est primus de remanentia panis, secundus de præsentia reali in sacramento corporis Christi, de confirmatione, de extrema-unctione, de aquæ in calicem mixtione, de purgatorio, de suffragiis sanctorum, de ritu missæ, de imaginibus non adorandis, de jejuniis ab ecclesia indictis, &c. Et tunc dum articuli proponebantur, sedens in medio concilii cogitavi de Noskone, dicens in corde meo *Ze gest prawii Hadatz* Dominus JESUS dedit gratiam mihi, quod præ aliis Bohemis magis me diligunt plerique prælatorum & doctorum, potius me audiunt multitudo doctorum in concilio, & confluunt plures nostri præsentiam aventes.

Item, rex Hungariæ est in Senis, & ut percipimus, nec huc nec illuc propter inimicorum suorum potentiam progredi valet. Pridie feria sexta proxime præterita, quidam cardinalis S. Eustachii Basileam intravit. Si fuissetis ibidem, vidissetis instar Christi in Jerusalem progredientis. Et beatus qui intelligit. Quemdam monachum doctorem exposuerunt contra calicis communionem loquentem & multum loquacem, quia procurator in curia papæ a plerisque fuit annis. Multa alia aliter invenimus in Basilea, quam dicta sunt nobis domi. Papa etiam citatus est a concilio, & volumus quod ista tria puncta populo dicantur, scilicet primo quod audientiam habuimus super istis quatuor articulis, quorum primus est de communione eucharistiæ sub utraque specie ad omnem populum fidelem; secundus de dominio cleri, tertius de impediendis peccatis mortalibus manifestis, quartus de libertate verbi Dei. Secundo quod ad impugnandum dictos quatuor articulos sunt quatuor doctores deputati, ita quod quilibet doctor respondebit uni articulo. Tertio quod scripturam (a) contra communionem sub utraque specie isti doctores non habent, nec aliquas rationes invincibiles, nisi quod consuetudinem ecclesiæ allegant, dicentes quod non licet eam de facili infringere, dicuntque quam plures doctores, quod communio sub utraque specie in se est justa, sancta, catholica, & recognoscunt quod prius in ecclesia primitiva observabatur, nec sciunt quis deposuit, nec quando, nec ubi. Licet unus dixerit, quod talis communio sub utraque specie quo ad laicalem populum foret hæretica & erronea. Idcirco dicatis populo quod non pertimescant communicare sub utraque specie, nec vacillent in illa Dei veritate, quia certa est veritas evangelica. Exhortamini populum ut orent pro me vitam bonam insectando. valete. Datum feria 4. (b) ante Valentini in civitate Basileensi anno nativitatis Domini M CCCC XXXIII. Sumus omnes sani. [b]

JOHANNES DE RAKUZANA plebanus in Praga vester in omnibus.

[a] Die 31. Januarii nam Purificatio incidebat in feriam 11.

[b] Johannes de Ragusio.

REPLICA CONTRA POSITIONEM magistri Ægidii Carlerii prædicti facta per dominum Nicolaum unum ex oratoribus Bohemorum pro secundo articulo eorum.

OStenso quod articulus de cohibitione, correptione & castigatione peccatorum sit catholicus, legis divinæ auctoritatibus, ac praxi Christi apostolica, & ecclesiæ primitivæ, nec non sanctorum doctorum, cum conciliis antiquis, se veraciter in eadem lege fundantium, sententiis munitus; supereſt venerabilis & dilectus in domino doctor, prædictum articulum zelanter impugnans, & ipsum videlicet, non tantum quantum demeruit flagellans, qui quasdam auctoritates scripturarum in unum involucrum satis dispendiosa prolixitate compegit, putans se undecumque sibi succurrendo fidem simplicibus adgignere creditivam. Sed cum opus præcipuum virtutis sit vera dicere, & hunc qui veritatem impugnat posse revincere, ejus latibula coram aliis patenter aperiam. Ideo divino adjutus contra illum præsidio, mea

Ex mſ. regii collegii Navarræ. Actus 1. dici.

(a) Hæc in epistola mirum est, quantum plebi Bohemiæ imponat Johannes Rokasana impudenter asserens, scripturam pro communione sub unicâ specie a catholicis doctoribus minime proferri potuisse. Nam qui ei respondit Johannes de Ragusio ordinis Prædicatorum vir doctissimus, undecim minimum testimonia scripturæ, quæ lectam communionem *sub una specie non celebranti demonstrant*, *adduxit*, totamque hæretici orationem ita protrivit, ut vanum omnino & inanem sibi triumphum decantasse, nemo est qui non animadvertat.

(b) Hoc est undecima Februarii quippe S. Valentini festum anno 1433. incidebat in diem Sabbati.

salvans, ad oppositiones & instantias illius descendo, ejus responsis & solutionibus immorabor. Et cum venerabilis nostrum articulum impugnans me in præfatione sui primi actus fabrum prunas sufflantem sub olla, quam vidit succensam, rationum & auctoritatum per meum articulum contra vitia appellasset; & æstimans me illam ultra modum ad combustionem vitiorum succendisse, aquam amaram, quia contra dictionem hujus ignei zeli, ut alter faber, se mittere & subministrare spopondisset, ut aliquod ex ambobus nobis medium fieret, hoc audiens in primis animo gaudebam. Sed auditis posterioribus, & post hæc in scriptis visis, timeo ne doctor in illam Apostoli incidat sententiam, quam de quibusdam Rom. 2. scribit: *Qui ergo alium doces, te ipsum non doces*; cum timens de me, ne in uno extremo excederem ultra modum flammam ad combustionem vitiorum emittendo; solus, ejus salva reverentia, in extremo utroque excedit, nunc flammam extra clibanum nimium emittens, & specialiter contra laicos sæculares, & nunc nimium extinguens, & maxime erga ecclesiasticos & clericos, ut in sequentibus apparebit; & ad tantum eximit & exonerat ecclesiasticos, & onera gravissima laicis, tamquam primæ materiæ, imponit, quod timendum est ne sit de numero illorum, de quibus veritas dicit: *Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.* Et ad tantum possunt sæculares gravari sic per ecclesiasticos, quod aliquando velut asina coram Balaam declamabunt.

Cum autem doctor materiam sui actus ad tria puncta restrinxit. In primo enim puncto suo præmittens quatuor notabilia, uno de descriptione peccati mortalis, secundo de descriptione peccati mortalis publici & privati, tertio de distinctione judicii quadruplicis, & quarto de distinctione duplicis correptionis, subjungit propositionem primam; Quod lex æterna est ponenda in summo omnium principe; quia cum, inquit, mundus divina prudentia regatur, necesse est in gubernante esse dictamen practicum omnium ab eo directorum, ut quomodo a ratione practica artis increatæ processit, sic sua providentia in ipsum, ut finem ultimum reducatur, a qua dicit ulterius derivari in nobis legem naturæ, velut quamdam participationem ejus, per quam inclinamur ad proprios actus & finem vitæ humanæ, in quibus secum non intendo contendere, quia non sunt contra me, sed pro articulo meo.

Post hæc ponit positionem secundam, quod ultra legem æternam & naturalem oportet ponere legem humanam, quæ præcepta moralia legis divinæ & naturalis per derivationem ab illa determinaret, & quæ crimina aliqua posset licite punire mortis supplicio, in hoc a lege evangelica non dissonando; & huic annectit propositionem istam tertiam, Quod quamvis omnia peccata mortalia & maxime publica sint a quolibet fideli detestanda, non tamen omnia possunt puniri lege humana. Deinde circa illam primam suæ positionis partem subinfert conclusionem: Quod licet omnia peccata mortalia sint divina lege expresse vel implicite prohibita; non tamen omnia peccata mortalia publica ab homine sunt ex dictamine hujus legis pœnaliter per judicium punienda. Et in illis scilicet in positione ejus secunda & tertia, & in dicta conclusione secum non concordo, sed oppositum sentio.

Ut autem hoc melius & manifestius a venerando auditorio inter me & partem mihi adversam posset percipi, & ex oppositis juxta se positis veritas magis elucesceret, in confirmationem articuli mei & pro posse satisfactionem, dictis & rationibus per reverendum impugnantem circa illum primum ejus punctum, quantum ad illa puncta, in quibus discordamus inducta, tria specialiter præsuppono.

Primo illud, quod lex evangelica excellit legem Moysi, & omnem aliam legem humanam in extirpatione vitiorum. nam lex humana ex eo quod non potest ad legem divinam attingere, invenitur defectiva. Lex etiam Mosaica videtur permittere aliqua mala, eo quod data fuit populo rudi & duræ cervicis: Lex autem evangelica, tamquam perfectissima, quantum est de se nullum malum permittit, sed omnia excludit & punienda prædicit. Matt. 12. *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines reddent rationem in die judicii*: Et si de omni verbo otioso, multo magis de nocivo; & si de verbo, multo magis de facto. Ista suppositio patet & latius in sententia & in verbis declaratur per Nicolaum de Lira in procemio super Matt. & super illo verbo psalm. 26. *Semita justi.* Idem doctor: » Omnes aliæ leges excepta evangelica permittunt aliqua mala. » Hæc ille. I. Suppositio.

Secundo præsupponitur illud Chrysostomi dictum, quod in opere imperfecto scribit, super illo verbo evangelii: *Erat enim docens illos sicut potestatem habens.* » Omnis doctor servus est legis, quia neque supra legem addere aliquid de suo sensu debet, neque subtrahere secundum proprium intellectum: sed hoc tantummodo prædicat, quod habetur in lege. Nec enim potest mens humana detractare (alias directicare,) quod sapientia dictat. Sic enim ait Salomon: *Ne addas ad verba, neque subtrahas inde.* Qui autem hoc est ausus, se sapientiorem putat esse, quam Deum, & incipit falsus esse testis; quia illud dicit, quod nec auris audivit, nec oculus vidit. Christus autem Dominus legis & subtrahere potest de lege, quod propter necessitatem temporis justit, ut puta propter duritiam cor- II. Suppositio

» dis, juſſum fuerat dare libellum repudii: Do-
» minus illud, quaſi poteſtatem habens, ſub-
» duxit dicens: *Quod Deus conjunxit homo non*
» *ſeparet*. Et addidit. Quod propter infirmita-
» tem hominum minus fuerat juſſum, ut puta:
» *Antiquis dictum eſt non occides, ego autem di-*
» *co non iraſci*. Non quaſi ſervus legis ſub po-
» teſtate conſtitutus illud docebat, quod fue-
» rat juſſum, ſed quaſi dominus legis, & ha-
» bens poteſtatem ſua auctoritate, addebat ſu-
» pra id quod antiquis dictum fuerat: *Ego au-*
» *tem dico.*» Hæc ille.

III. Suppoſitio. Tertio præſupponitur, quod quilibet Chriſtianus ultor injuriæ debet quoad Dei injuriam eſſe ultor zelantiſſimus, & quoad propriam injuriam indultor mitiſſimus, cum ſicut Dei dilectio, ita vindicatio divinæ injuriæ eſt a quolibet præferenda: quod plane conſtat ex præcepto Salvatoris, qui Matt. 18. peccantem præcipit corripere, illam correptionem uſque ad excommunicationem acuendo. De vindicatione vero propriæ injuriæ præcepit, ut quoties in eum frater peccaverit, dimittatur. Quod etiam ex facto Chriſti & Moyſi confirmatur, qui fuerunt duo legiferi duplicis teſtamenti. Nam Moyſes Exodi 22. legitur pro adoratione vituli viginti tria millia hominum occidiſſe, & tamen num. 12. legitur pro Maria, contra ipſum murmurantem, quod percuſſa fuit lepra a Domino, ipſum Dominum offendiſſe. Sic & Chriſtus Matt. 4. duplicem tentationem humanitatis ſuæ patienter ſuſtinuit; ſed quando tertio ad latriam ſoli Deo debitam diabolus aſpiravit, acute fugavit eum dicens: *Vade ſathana.* per quod ſecundum Chryſoſtomum dedit nobis intelligi, ut nos illius diſceremus exemplo, noſtras quidem injurias magnanimiter ſuſtinere, Dei autem injurias nec uſque ad aurem ſufferre; quoniam in propriis injuriis patientem eſſe quemquam laudabile eſt: injurias autem Dei diſſimulare nimis impium eſt. Sic Chriſtus Phariſæis in cauſa Dei acutiſſime reſtitit opere & ſermone, ut eſt Matt. 23. Injuriam autem ſuæ humanitatis nedum patienter ſuſtinuit; ſed pro inferentibus oravit Luc 23. Sic Petrus contumelias ſibi illatas cum gaudio ſuſcipiebat, peccata vero quæ in Deum committebantur zelantiſſime puniebat, Ananiam & Saphiram Spiritui-ſancto mentientes mortis ſententia per miraculum damnans Act. 5.

Iſtis ſuppoſitionibus præmiſſis, accedendo ad dicta & poſita doctoris, argumentum impugnantis dico, quod quamvis lex æterna in ſummo omnium principe ſit ponenda, a quo derivatur in nobis lex naturæ, velut quædam participatio ejus, per quam inclinamur ad proprios actus & finem vitæ humanæ, ut in principio deducit doctor; non tamen ultra hanc legem æternam & naturalem ſimpliciter, neceſſario poni oportet legem humanam ad participandum dictamen divinæ directionis, ſic quod non ſufficienter ſine illa dirigi poſſit reſpublica ſeu genus humanum. Cum immediatius lex Moſaica, cui ſucceſſit lex gratiæ ſeu evangelica, derivatæ ſunt a prædicta lege æterna, & naturali, quæ ſufficientes per ſe erant ad regimen eccleſiæ militantis, ſine humanis legibus poſt adjectis, quælibet pro tempore ſuo. Nam determinatio in his quæ ordinant homines in Deum, facta eſt in lege veteri ſufficienter per cerimonialia; determinatio vero in his quæ ordinant homines ad invicem, facta eſt in lege ipſa per judicialia, & hujus determinationis cerimonialium judicialium vel moralium neceſſitas fuit; quia univerſalia non movent ſufficienter ad opus, ut etiam innuit impugnans.

Lex etiam evangelica legi Moſaici ſuccedens, pro ſuo tempore eſt per ſe ſufficiens ad regimen eccleſiæ militantis, ſine legibus humanis poſt adjectis, excedens legem veterem & alias leges in brevitate, & in inſtrumentorum paucitate, & modi implendi facilitate, quæ eſt regula communis, una omnium, brevis, facilis, ſufficiens, & lex perfectæ libertatis, qualem decebat nobis tradere Jesum Christum. Nec aliquis hominum præter eum poteſt talem regulam aut ſtatutum condere, quod ſic univerſaliter cooptatum omni homini, omni ſtatui & conditioni; congruens in omni loco & in omni tempore ſine exceptione obſervandi, quod non ſufficienter in lege prædicta includatur. Cum lex prædicta perfecte execura docet rectiſſime quomodo omnis injuſtitia debeat a republica exſtirpari, & quomodo offendens in legem debeat caſtigari, & quomodo quæcumque juſtitia veritatis foveri debeat & finaliter præmiari. In ipſa eſt fides eccleſiæ catholicæ, quam quilibet tenetur cognoſcere. In ipſa etiam eſt exemplar planiſſimum, juxta quod debet regulari eccleſia & quodlibet ejus membrum. In ipſa etiam eſt ſubtilitas tam ſcholaſtica quam moralis, ultra hoc quod ſcimus comprehendere hic in via. Ideo idem eſſet ſpiritualiter paſcere auditorium ſine ſententia evangelica, ac ſi quis faceret alteri corporale convivium ſine pane. Nam cum Chriſtus fundamentum eſt totius ſententiæ, quæ pertinet Chriſtiano, & ſua converſatio & doctrina in evangelio ubilibet expreſſatur, patet quod neceſſarium eſt omni ſtatui viatorum ipſum cognoſcere, cum in ipſo ſine poſſibilitate deceptionis poſſimus hoc habere quod debemus credere vel ſperare, & quomodo debemus tam nos ipſos quam rempublicam informare; & per conſequens non neceſſario ſemper ponenda eſt lex humana, nec immediate derivatur a lege æterna & naturali, quin ſine illa ſufficienter dirigatur eccleſia catholica per legem veterem & novam, ut tactum eſt; cujus oppoſitum expreſſe ponit impugnans in ſcripto ſuo.

Et in confirmationem mei dicti, præſup-
ponens ex fide Catholica, quod CHRITUS JE-
SUS verus Deus & homo unam legem inſtituit,
quæ eſt vetus & novum teſtamentum, ad ec-
cleſiam Catholicam regulandam, argumen-
tamur ſic: Univerſitas legum ſufficit regere
totum mundum: ſed lex JESU C. continet in
ſe omnem legem particularem: ergo lex JESU
CHRISTI veri Dei & hominis per ſe ſufficit ad
regimen eccleſiæ Catholicæ. Antecedens pa-
tet, ex eo quod ſcriptura ſacra, quæ eſt lex
JESU, continet in ſe omnem veritatem: ſed
omnis lex legi divinæ non diſſonans, eſt veri-
tas: ergo lex Chriſti continet omnem legem.
Argumentum patet per B. Auguſtinum lib. 2.
de Doctrina Chriſtiana in fine, ubi dicit:
Quidquid homo ultra ſcripturam ſacram di-
vidit, ſi noxium eſt, ibi damnatur, ſi utile,
ibi invenitur. Et cum ibi quiſque invenerit
omnia quæ alibi utiliter didicit, multo abun-
dantius inveniet ea, quæ nuſquam omnino
alibi, ſed in illarum tantummodo ſcriptura-
rum mirabili altitudine, mirabili humilitate
diſcuntur. Idem tenet Johannes Damaſcenus
primo libro ſententiarum ſuarum, dicens:
Non eſt poſſibile quidquam, præter ea quæ
a divinis eloquiis enarrata ſunt & manifeſta,
dicere de Deo, nec univerſaliter intelligere.
Iſtud etiam tenent alii doctores concorditer,
qui fundant in lege Chriſti veraciter dicta
ſua. Item beatus Gregorius libro 33. Mora-
lium dicit: Deus in ſcriptura ſacra quidquid
poteſt evenire ſingulis comprehendit, atque
in illa per exempla præſentium, etiam vitam
ſequentium informare curavit. Hæc ille. Hoc
autem non ideo dico, quod leges humanas
omnino abjiciam, aut velim annullare, in
quantum ſpecialiter legi divinæ ſubſerviunt,
& ipſius rectitudinem & juſtitiam imitantur.
Sed dico, quod nullæ tales leges humanæ,
vel privata ſtatuta ſunt licita, vel a populo
obligatorie admittenda, niſi de quanto ſunt
media facilitantia ad obſervantiam legis Chri-
ſti. Si autem, ſecundum impugnantem, lex
humana ſimpliciter, neceſſario & obligato-
rie eſt ponenda, & ſecundum ipſum in ma-
teria morali & theologica indefinita valet
univerſalem. ſi ergo lex humana ſimpliciter
eſt neceſſaria, tunc omnis lex humana ſic eſt
neceſſaria, & ſi ſic: tunc iſta lex humana
eſt ſic neceſſaria, ut quilibet & ſpecialiter ſa-
cerdos deprehenſus in adulterio, occidatur.
Prædicet hæc doctor in Francia, & placebit
ſacerdotibus & regno.

Et non obſtat ſi doctor voluerit objicere
illud, quod lex humana licentians virum oc-
cidere poſſe adulterum uxoris in adulterio
deprehenſum, intelligi debeat, ſi eſt perſona
vilis, & cui non debetur reverentia, volens
forte eccleſiaſticos eximere. Ad hoc poteſt
reſponderi, quod doctor talem non poteſt a
vilitate eximere; etſi eſſet eccleſiaſticus, quia
eo vilior eſt, ſi peccat, quanto alios in offi-
cio excellit, cum quanto gradus eſt altior,
tanto caſus gravior. & hoc patet per canon-
em 1. q. 1. *Viliſſimus.* ubi ſic ſcribitur: Vi-
liſſimus deputandus eſt, niſi præcellat ſcien-
tia & ſanctitate, qui honore præſtantior eſt.
Quamvis nollem quod talis adulter in cor-
pore occidatur, ſed ad reformationem, ſalva
vita, teneatur. & ſic eſt expeditus unus pun-
ctus, in quo cum doctore non concordo, nec
ipſe mecum; quia ipſe ponit legem humа-
nam neceſſariam & obligatoriam; ego autem
legem novam & veterem dico ſufficientem,
quamlibet pro tempore ſuo, ad eccleſiam
Catholicam regulandam, ſine illa poſt ad-
jecta.

Poſt hæc pono propoſitionem oppoſitam propoſitioni ejus tertiæ ſub terminis iſtis: Secunda propoſitio.

Omnia peccata mortalia publica a quo-
libet fideli deteſtanda, poſſunt puniri lege
humana; & legem humanam intelligo ſub-
ſervientem legi æternæ, & rectitudinem ac
juſtitiam ipſius imitantem, ſicut & doctor in
ſcripto ſuo ad tantum ipſam dicit eſſe bonam,
in quantum ſic ſe habet.

Probatur propoſitio ſic. Lex humana po-
teſt ad tantum deſervire & ſubjici legi divi-
næ, tamquam ancilla dominæ, quod in ipſa
expreſſe ſtatuatur exſecutio contra omnes
tranſgreſſores publicos legis divinæ: quo da-
to, ſufficientia data & opportunitate loci &
temporis, omnia peccata mortalia publica
poſſunt puniri lege humana: ergo, &c. con-
ſequentia eſt bona, & antecedens patet Dan.
3. *Nabuchodonoſor rex Babylonis ſtatuit, di-
cens: A me ergo propoſitum eſt hoc decretum,
ut omnis populus & lingua & tribus, quicum-
que locutus fuerit blaſphemiam contra Deum Si-
drac, Miſac & Abdenago, diſpereat, & domus
ejus voſtetur. Neque enim eſt Deus alius, qui
ita poſſit ſalvare.* Et 1. Eſdræ 7. *Rex Artaxer-
xes locutus eſt ad Eſdram, dicens: Tu autem,
Eſdras, ſecundum ſapientiam Dei tui conſtitue
judices & arbitros in terra Syria & Phœnice, &
omnes qui legem Dei tui noverint, doce, ut quot-
quot tranſgreſſi fuerint legem, diligenter plec-
tantur.* Et 2. Paralip. 15. *Aza rex intravit
ex more ad corroborandum fœdus, ut quære-
rent Deum patrum ſuorum in toto corde & in
tota anima ſua. Si quis autem non quæſierit,* in-
quit, *Dominum Deum Iſrael, moriatur a mini-
mo uſque ad maximum, a viro uſque ad mulie-
rem.* Et iſte eſt ſecundus punctus in quo diſ-
cordo a doctore.

Deinde pono concluſionem oppoſitam concluſioni ejus primæ partis ſub terminis iſtis.

Omnia peccata mortalia publica, divina
lege expreſſe vel implicite prohibita, ſunt ab
homine ex dictamine hujus legis, data pertи-
nacia, & ad hoc habita opportunitate & ſuf-
ficientia, per judicium ipſi legi conforme pu-
nienda, ſtante ſaltem brachio ſæculari & ſpi-
rituali in ſuo ordine a Deo approbato.

Probatur ſic concluſio. Eccleſia ſicut habet duas partes, ſcilicet clericos & laïcos, tamquam corpus & animam; ſic habet duos modos corrigendi, ſcilicet ſpiritualiter hortative, & corporaliter coactive, ex quibus rectores ſpirituales & ſæculares ex eorum officio, modis ipſis congruentibus ex dictamine divinæ legis, poſſunt in communitatibus Chriſtianorum & quolibet ſtatu eorumdem, omnia dicta peccata pœnaliter per judicium punire, ut probatum eſt per me in poſitione mea, *auctoritatibus* legis divinæ & ſanctorum doctorum ſententiis ſe veraciter in eadem fundantibus, cum alias ſuperfluerent illæ duæ poteſtates in eccleſia, ſcilicet poteſtas civilis coactiva, & evangelica, quod non eſt dicendum.

Et probatur concluſio ſecundò per opponentemmet, qui in fine ſui primi puncti ſcribit, concedendo omnia peccata mortalia publica punienda, concurrentibus tribus, ſcilicet juriſdictione, convictione & pace ſalva. Tunc ſequitur: Omnia peccata mortalia publica, concurrentibus illis tribus, ſunt ab homine pœnaliter per *judicium punienda*. ergo omnia peccata mortalia publica ſunt ab homine pœnaliter per judicium punienda. Conſequentia eſt bona; quia arguitur ab inferiori ad ſuperius affirmative, & etiam quia *ex oppoſito conſequentis* inferri poteſt oppoſitum antecedentis; licet doctor in auditorio publico negaverit hanc prædictam conſequentiam, dicens fore argumentum a ſecundum quid ad ſimpliciter: tamen capiendo iſta tria prædicta per viam cujuſdam determinationis actualiter concurrentis ad præcedentia, ſicut ego intellexi doctorem, tunc conſequentia prædicta bona eſt; ſicut & illa eſt bona conſequentia, ſi ſic argueretur: Homo currit ſub iſto modo: ergo currit. ſic & in propoſito. Si autem illa tria capiuntur per viam unius antecedentis impoſſibilis, quemadmodum doctor in auditorio ſe declaravit, tunc pro illa conſequentia ſecum non contendo, cum ſic ex impoſſibili, ſequitur quodlibet: quamvis ego non habeam hoc pro impoſſibili, quod iſta prædicta concurrant, & omnia peccata mortalia publica arguantur.

Item, quæ peccata lex divina ſententiat pœnaliter punienda, illa poteſt homo judex, juxta dictamen ejuſdem legis, pœnaliter per judicium punire: ſed omnia peccata mortalia publica lex divina ſententiat pœnaliter punienda, intelligendo in univerſali vel in particulari: ergo omnia poteſt homo judex, *ſicut dictum eſt, pœnaliter per judicium punire*. Conſequentia eſt bona, & antecedens pro utraque parte patet per doctorem impugnantem, ubi volens probare ex iſto dicto Apoſtoli Rom. 1. & 13. cap. quod aliqua crimina lex humana poteſt licite punire mortis ſupplicio, ponit quod illos, quos Deus judicavit ad mortem, poteſt judex licite interficere, & maxime illos, qui per legem divinam adjudicati *ſunt morti*; licet eo modo non dico ſecum, quod omnes qui ſecundum modum loquendi Apoſtoli digni ſunt morte, quod debeant morte corporali plecti, ut in loco ſuo poſt dicetur.

Et ſi *omnia peccata mortalia publica* divina lege expreſſe vel implicite prohibita, non eſſent ab homine, ex dictamine hujus legis, data pertinacia, & ad hoc habita opportunitate & ſufficientia, pœnaliter per judicium punienda; ſequitur quod lex humana fideliores executores haberet, quam lex divina, cum illa ut communiter habet executores pœnaliter puniendi omnes ſuos tranſgreſſores, cujus oppoſitum fieri deberet, cum ſit argumentum a majori. Si ſervus imperatoris vel alterius domini temporalis exequitur mandatum domini ſui in puniendo in tranſgreſſoribus decreti *domini ſui, quanto magis* imperatores & domini temporales exequi deberent mandatum capitalis ſui Domini, in puniendo pœnaliter, juxta dictamen divinæ legis, in tranſgreſſoribus legis ſuæ: licet, heu! *nunc pauci tales inveniuntur*, ſed multo plures in cauſis propriis ſunt cordati, in cauſa autem Domini nimium ſunt vecordes. Et pro iſta concluſione multas auctoritates legis divinæ & ſanctorum doctorum in eadem veraciter ſe fundantes, circa poſitionem meam adduxi, quas causâ brevitatis hic omitto.

Ex iſta concluſione infero iſtud corollarium: Quod lex tolerans & permittens *impunitam* ſimplicem fornicationem, aut ſimplex meretricium manifeſtum, ſi fiat vis in verbo, eſt iniqua, & non divinæ legis rectitudinem & juſtitiam imitatur, quod expreſſe legi *novæ & veteri obviat*: ſed tolerantia & permiſſio ſimplicis fornicationis aut meretricii expreſſe obviat legi novæ & veteri; ergo tolerantia & permiſſio ſimplicis meretricii aut fornicationis eſt iniqua. Conſequentia eſt bona, & major per ſe nota. Sed minor patet Deut. 23. 1. ad Corint. 6. Galat. 5. Act. 12. cap. ut in probatione primi corollarii poſitionis meæ oſtenſum eſt. Et talia publica meretricia propter cauſam per doctorem impugnantem tactam admittentes, videntur implicite innuere, quod Deus ſapientiſſimus non ſapienter ſtatuiſſet legem ſuam, de prohibendis *talibus fornicationibus extra matrimonium* legitimum, ſub pœna damnationis æternæ & amiſſionis perpetuæ beatitudinis, & hæc eſt blaſphemia nimis magna; & per conſequens nullo modo eſt hoc ſuſtinendum. Hoc enim peccatum ex quo in lege veteri fuit prohibitum & non toleratum, quæ lex fuit minus perfecta lege nova: quanto magis in lege nova, quæ eſt lex perfectiſſima, debet prohiberi & non tolerari. Et quomodo manifeſtior poſſet eſſe repugnantia hujus legis humanæ tolerantis meretricia reſpectu legis divinæ, ipſa omnino prohibentis, quam dice-

re: Illud quod una prohibet & non tolerat, hæc alia tolerat & permittit? Quomodo ergo ista lex tolerans & permittens illud quod lex divina non facit, rectitudinem istius legis justitiamque sectabitur? Nec impugnans in hoc suum dictum salvare potest, admittens eis locum quasi sterquilinii, ubi sunt purgamenta civitatis, & locum privatum & non publicum, ne inverecundius peccetur, & ut competentius sibi videtur, in suburbio; quamvis illius meretricii concedat restrictionem, quantum ad locum, ne videlicet in loco honesto civitatis locum habeant; quantum ad progressum, ne videlicet currere permittantur per vicos & plateas civitatis, aut tabernas & comessationes cum viris frequententsquantum ad ornatum, ne pretiosis vestibus utantur, cum a Domino Deo nec locus, nec tempus ad peccandum conceditur; nec in primitiva ecclesia in communitatibus fidelium illud peccatum aliquem locum habuerit; immo nec nominari permittebatur, ut est in pluribus locis scripturæ.

Quod si doctor poterit ex Dei lege veraciter ostendere, quod hoc peccatum meretricii publicum debeat in communitatibus publice tolerari, & quod talis locus, quem describit in suburbio, ipsis debeat limitari; doceat & authenticet etiam hoc, ut viri & lenones se cum illis commiscentes, similem cum eis habitationem & refectionem habeant in communitatibus.

Nec est conveniens ratio excusationis aut admissionis illius meretricii, ut videlicet per hoc majora mala evitentur; quia dicit impugnans, quod punitio pœnalis hujus peccati occasionem daret majoribus criminibus, & pareret in politia grave scandalum; licet forte cautius dicere posset doctor, quod ex punitione & non admissione illius peccati, occasio accipi posset ad perpetrandum pejora: sed ad hoc respondet Apostolus, quod mala non sunt facienda, ut bona eveniant; & Augustinus dicit: Non deberet quis mentiri propter totum mundum salvandum, quia, secundum verbum Christi, non prodest homini si universum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur. Sic autem arguentes videntur innuere, quod Deus esset crudelis, eo quod populum suum sub gravissima pœna ad impossibile cogeret, quia, secundum tales, impossibile est quasi fornicationes tales non fieri: ideo videntur sic implicite dicere Deum esse crudelem, quod non est dicendum: sed sciant omnes, quod Deus clementissimus & valde benigne & valde sapienter mandavit populo suo in lege, ut sit sobrius in evitando crapulam & ebrietatem, & castus usque ad legitimum matrimonium, & quod unusquisque habeat suam propriam uxorem, secundum ordinem ecclesiæ desponsatam propter fornicationem evitandam. 1. Corint. 7. Hoc prodest ad salutem malo Christiano evitanti adulterium & sodomiticum peccatum, si voluerit evitare crapulam & ebrietatem, & fornicationem simplicem, propter quæ damnabitur, & regnum Dei non possidebit, secundum Apostolum.

Et venerabilis opponens timeo quod hic & alibi, ubi pro tolerantia peccatorum loquitur, nimis multam aquam ad ollam succensam contra vitia submittat; & occasionem magnam dat juvenibus auditoribus, deliciis & voluptatibus deditis, talia vitia perpetrandi. Immo curia Romana fovens in se tot & tanta monstruosa & publica meretricia, contra Domini præceptum, videtur de se derivare in omnes alias ecclesias immunditiarum & fornicationum crimina sordidissima; & utinam non sit illa mulier, quam vidit Johannes in Apocalypsi, Mulier omni fornicationi & abhominationi terræ & peccatrix publica, præstans aliis omnium hujusmodi fornicationum nefanda exempla & inevitabilia scandala; in tantum quod concurrentibus illuc de toto fere mundo hominibus, & videntibus publice ibi exerceri meretricia absque omnium verecundia per magnos & parvos, doctos & indoctos, hac corruptela omnes alias partes inficiunt; & sicut ibi viderunt, & cum eis assueti sunt, talia pro nullo vitio ducunt; immo ad eamdem pestiferam consuetudinem totum mundum inducunt.

Nec video illud dictum opponentis, salva ipsius reverentia, habere veritatem, ubi dicit: quod per tolerantiam talis manifesti meretricii non turbatur politia, cum sæpius tota communitas damnatur coram Deo, propter peccantes illo peccato, & luit pœnas divinæ vindictæ, & merito & juste damnatur, quia permittit Deo suo publice adversari. Cujus exemplum habemus in pluribus locis veteris testamenti, ut de idolo Beelphegor Num. 15. & Baalim, ubi tota communitas subjecta fuit divinæ vindictæ & passa est propter quosdam mœchos. Et ideo Apostolus 1. ad Corinthios monet omnes: *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia.* Immo Dominus punivit in toto mundo diluvio propter hujusmodi peccata, & Phinees benedictionem accepit a Domino, & abstulit plagam a filiis Israël, ex eo quod punivit hoc peccatum. Num. 25. Et quot individua humani generis præfocentur per annum in tali fornicatione novit Deus: ideo repertos in tali crimine antiqui canones prohibent sacerdotii dignitatem adipisci, & episcopi ac sacerdotes cum diaconibus, qui reperti fuerint in tali fornicatione, jubentur deponi.

Ad rationem autem oppositam quare talia meretricia debeant permitti & tolerari quando adducit Augustinum & Thomam ipsum confitmantem, qui dicit: Aufer mo-

retrices a civitatibus, & omnia sunt plena libidinibus. Respondetur quod non est verisimile, quod Augustinus tantum scelus velit fieri in ecclesia, cui sciat hoc a Domino esse prohibitum, & accessum ad hoc malum, cum in quæstionibus Deuteron. 5. & habetur 32. q. 4. *Meretrices*, scribat: Quod meretrices esse, & ad meretrices accedere prohibet Dominus, quarum publice venalis est turpitudo. Si autem illud de tolerantia meretricum alicubi scribat, ut eum allegat Thomas in 5. non videtur esse sustinendus, cum non fundat hoc veraciter in scriptura canonica, sed potius manifesto Domini præcepto contradicat, & hoc solus eligit, ut non assumatur, ubi se fundare non poterit in scriptura; & conformiter potest dici ad omnes auctoritates alias pro tolerantia peccatorum & probatione conclusionis per opponentem allegatas, quod per nullam illarum veraciter probatur, quod manifeste mortaliter peccantes non debeant debite juxta dictamen divinæ legis corrigi, & data pertinacia, sufficientia & opportunitate de ecclesia ejici, quia hoc obviaret aliis scripturæ locis, in quibus omnes tales Deus corripere præcepit; nec tunc ecclesia cattigaret juste maleficos convictos per excommunicationem, vel per aliam pœnam per legem divinam taxatam.

Et quando doctor primo allegat pro tolerantia Judæorum istud Psalm. 58. *Deus ostendit mihi super inimicos ne occidas eos*, ad hoc respondetur secundum doctorem de Lira, non de Judæis modernis, sed de David adversariis hoc ad litteram intelligendum est:

» ubi, inquit, ponitur exauditio petitionis Da-
» vid, quantum ad adversariorum punitionem,
» cum dicitur, Deus ostendit mihi super ini-
» micos meos ne occidas eos, ulciscendo pro
» malitia propria, quia hoc faciam per alios in
» justitia mea. Licet autem non sit scriptum,
» quod Deus mortem Saulis & suorum satel-
» litum David revelaverit, tamen hoc creden-
» dum est, eo quod cum esset propheta, hoc
» dicit; & hoc in David est adimpletum, eo
» quod Sauli bis manibus ejus a morte tradito
» pepercit, ut habetur 1. Regum 24. & 26. Hæc Lira.

De Judæis autem modernis, quod non sic libere debeant permitti male agere, sicut communiter faciunt, scribit Scotus dist. 4.

» 9. super 4. sic in forma: « Et si dicas quod se-
» cundum prophetiam, quam recitat Paulus
» ad Rom. Reliquiæ Israël convertentur in
» fine; & ideo non cogi oportet Judæos tota-
» liter ad baptismum suscipiendum & relin-
» quendam legem suam. Respondeo: non du-
» bito, quin vera sit prophetia Christi, quam
» recitat Joh. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me; si alius venerit in nomine suo illum suscipietis.* Ergo ad minus ex verbo
» Christi erunt pervertendi; quia adhærebunt illi pessimo antichristo, de quo est sermo Christi prædictus. Et si dicas quod, visa defectione antichristi, qui sibi adhæserant convertentur, dico quod pro tam paucis, & ita tarde convertendis, modicus erit fructus ecclesiæ, & de quibus nulla erit propagatio filiorum in lege Christiana, non oporteret tot Judæos in tot partibus mundi tantis sustinere temporibus in lege sua perstare: sed sufficeret aliquos paucos in aliqua insula sequestratos permitti legem suam servare, de quibus tandem ista prophetia implerctur. « Hæc ille per totum.

Ubi autem antiquam doctor adducit pro tolerandis malis & non puniendis legem Mosaïcam de libello repudii & usuris, quæ ad extraneos permittebantur; ad hoc respondetur, quod in lege Mosaïca propter duritiam & ruditatem illius populi illa permittebantur. lex autem evangelica tamquam perfectissima, quantum est de se, talia non permittit: sed omnia, specialiter publica, modis in positione expressis cohibet & arguit, prout capit prædicta prima suppositio.

Post hæc doctor ad probandam suam conclusionem, assumit factum Moysi Exod. 2. qui occidit Ægyptium, & dicit, quod in hoc peccavit, adducens pro ipso argumentum contra Faustum, & cum dicit: Illud peccatum Moysi non legitur a Deo punitum, & per consequens arguere vult: Ex quo Deus, qui est justissimus judex, istud in lege veteri permisit inultum, quod multo magis homo habet permittere, cujus potentia executiva est demissior lege divina præceptiva aut prohibitiva.

Secundo adducit occisionem factam per Jepte, de qua Judic. 11. Quæ, inquit, fuit peccatum mortale publicum, & tamen non legitur fuisse punitum. Ad hoc adducit istud Sapientiæ 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*; & istud Ezech. 33. ubi pœnitentiam agentium de omnibus malis quæ fecerunt, non vult imputare; & plura possent adduci exempla ad hoc quod Deus universorum conditor multa manifesta mala tolerare videtur; immo peccantibus hic quandoque videtur plus parcere quam sanctis, in tantum quod prophetæ, videntes multos malos hic prosperari & justos pati, quodammodo contra Deum murmurare coacti sunt, ut patet Abacuc. 1. 14. & in psal. in pluribus locis. Ex hoc tamen concludi non debet, quod nos manifestos peccatores debeamus tolerare & non arguere, neque castigare; quia quicquid Deus facit, ipse facit ut Dominus legis & auctoritatem ac potestatem habens in hac vita & in futura, aliquibus hic parcere & vindictam in futurum reservare, & aliquos arguere in vita præsenti, & postmodum ipsis parcere in futuro. Nos autem ipsius servi & legis ejus existentes, debemus

bemus attendere quid nobis præceptum de correctione & punitione peccantium, ne illud negligamus. Nec eſt hoc noſtri judicii, quid Dominus facit: ſed ſervi eſt advertere illud quod facere debet, cum Deus non conſtituit nos judices actuum ſuorum; nec dabimus rationem de hoc, ſi neſciverimus nec intellexerimus omnia quæ Dominus de ſua potentia & ſuis occultis judiciis facit: ſed de hoc reddemus rationem, ſi neglexerimus implere quod facere ex præcepto Dei debeamus. Et pro illo eſt præmiſſa ſuppoſitio ſecunda prius ex verbis Chryſoſtomi ſumta.

De hoc autem, ſi Moyſes peccavit occi- B
» dendo Ægyptium, Lira ſententiat quod non
» peccavit, cum ex divina electione ad libera-
» tionem Hebræorum habebat auctoritatem
» vindicandi injurias eis factas, & hoc ſciebat
» per revelationem divinam, & hoc quia di-
» citur Actuum 7. Exiſtimabat autem cognoſ-
» cere fratres, quod per manum ipſius Deus
» daret ſalutem illis, & quod interfecit eum
» non ſolum pro percuſſione Hebræi, ſed etiam
» pro adulterio commiſſo fraudulenter, quod
» fuit Moyſi notum per hoc quod audivit cau-
» ſam percuſſionis in contentione pro prædi- C
» cto adulterio. Hæc Lira.

Similiter de occiſione filiæ Jepte, ſi ipſam ſacrificavit per mortem corporalem vel non; & ſi peccavit, de hoc ſecundum doctorem de Lira eſt multiplex opinio. De hoc autem quod Deus parcit peccantibus, hoc non eſt contra meum articulum, nec pro concluſione doctoris.

Poſtmodum adducit teſtimonium legis novæ de zizaniis ſeminatis in agro, quas ſervi volebant eradicare, & prohibiti ſunt, & dictum eſt eis: *Sinite creſcere uſque ad meſſem*, Matt. 13. Ex qua parabola nititur probare, quod mali tolerandi ſunt inter bonos uſque D ad meſſem diei judicii, donec ſine periculo bonorum poterunt ab eis ſeparari. Ad hoc reſpondetur, quod Dominus per hoc ſuum dictum non intendit ut manifeſte peccantes non corrigantur, & data pertinacia de eccleſia non ejiciantur: ſed intelligit Dominus de peccatis dubiis, incertis & occultis, quod iſta tolerentur; & quod hoc ſit verum teſtis eſt Hieronymus, quem etiam adducit opponens ſuper hoc verbo in ſua poſitione, qui dicit: Videtur hoc eſſe contrarium illi præ-
» cepto: *Auferte malum de medio veſtrum.* Si E
» enim prohibetur eradicatio, & uſque ad meſ-
» ſem tenenda eſt patientia, quomodo eji-
» ciendi ſunt quidam de medio veſtrum? ſol-
» vit ſcilicet, ſicut inter lolium & triticum,
» quamdiu herba eſt, parum diſtat: ita monet
» Dominus, ne de ambiguo judicemus, aut
» cito ſententiam proferamus, ſed Dei judicio
» reſervemus; quia Dominus in die judicii non
» ſuſpicione, ſed manifeſte damnabit. Hæc ille.
Et hoc manifeſtius explanans Origenes homil. 21. ſuper Joſue, tractans illud Joſue 15.

Jebuſæum autem habitatorem Jeruſalem non potuerunt delere filii Juda, habitavitque Jebuſæus cum filiis Juda in Jeruſalem uſque ad præſentem diem, ſic ſcribit: « Sicut ergo in «
evangelio permittuntur zizania ſimul cum «
tritico coaleſcere, eodem modo ſic in Jeru- «
ſalem, id eſt in eccleſia, ſunt quidam Jebu- «
ſæi, iſti qui ignobilem & degenerem vitam «
ducunt, qui fide & actibus & omni conver- «
ſatione ſua perverſi ſunt; neque enim poſſi- «
bile eſt ad liquidum purgare eccleſiam, dum «
in terris eſt, ita ut neque impius in ea quiſ- «
quam, neque peccator reſidere videatur: ſed «
ſint in ea ſancti omnes & beati, & in quibus «
nulla prorſus peccati macula deprehenda- «
tur. Sed ſicut dicitur de zizaniis: *Ne forte* «
eradicantes zizania, ſimul cum ipſis eradicetis «
& triticum, ita etiam ſuper iſtis dici poteſt, «
in quibus vel dubia vel occulta peccata ſunt. «
Neque enim dicimus de his qui manifeſte «
& evidenter criminoſi ſunt, ut non de ec- «
cleſia expellantur. » Et infra: « Eſto ergo, «
quoniam non poſſumus ejicere omnes iſtos «
qui nos conculcant: ſaltem quos poſſumus, «
quorum peccata manifeſta ſunt ejiciamus. «
Ibi enim peccatum non eſt ejicere de eccle- «
ſia aliquem, ne forte eradicantes zizania, «
eradicemus ſimul cum eis & triticum. » Hæc «
ille. Chryſoſtomus autem ſuper eodem textu «
ſcribens, ut allegatum eſt, circa poſitionem «
meam, ſententiat ſic inquiens: « Non ergo «
detinere hæreticos, & abſcindere eorum pro- «
palationem, & ſynodos diſſolvere prohibet, «
ſed occidere. » Hæc ille.

Et eodem modo reſponderi poteſt ad alias parabolas quas opponens adducit, puta de ſagena miſſa in mare, de qua Matt. 13. de nuptiis, ad quas congregati ſunt boni & mali, de quibus Matt. 22. de decem virginibus, D quinque fatuis & quinque prudentibus, de quibus Matt. 25. & de aliis ſimilibus. In quibus omnibus elicitur, quod in eccleſia militante uſque ad conſummationem ſæculi, erunt ſimul commixti boni & mali. Ex hoc non ſequitur, quod qui manifeſte & evidenter criminoſi ſunt, non corrigantur, & de eccleſia non expellantur, ſicut dictum eſt per Origenem de zizaniis, & ideo hoc nihil facit pro ſua concluſione & contra meam poſitionem.

Et per hoc etiam reſpondeatur ad doctores, quos circa illum eumdem punctum adducit. Et conformiter dicatur ad illud quod adducit de ficu, quæ tribus annis fructum non attulit, & ad petitionem & interceſſionem coloni adhuc permittitur ſtare & non exciditur. Ad hoc dicitur, quod ſi ſint aliqua peccata ſpecialiter tecta hypocriſi, poſſunt ad tempus tolerari. Hoc Deus propria auctoritate fecit, ſicut dictum eſt & illi angelo Epheſi, quod etiam opponens adducit, de quo Apoc. 2. *Memor eſto unde exciderís, age pœnitentiam, & prima opera fac: ſin autem,*

venio & movebo candelabrum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Posset autem aliquis ad tantam hypocrisim crescere & alios scandalizare, quod posset ejici & puniri; & in hoc maxima pietas Jesu notatur, quod donec aliquid boni in nobis aspicit, non in toto abjicit, sed ad emendationem expectat, sicut hortulanus diligit arborem, donec ramusculum viridem portat. Si autem tota arida fuerit, gravis est ei ad videndum. De ista dicit: *Ut quid terram occupat?*

Post hæc adducit peccatum Samaritanorum, nolentium recipere Jacobum & Johannem, quod videlicet quamvis fuit mortale & notorium peccatum, non tamen punitum: immo volentes illud arguere Christus corripuit dicens: *Nescitis cujus spiritus estis.* Lucæ 9. Ad hoc dicitur, quod Dominus non corripuit ibi discipulos de hoc, si voluissent eodem modo, ut decet, arguere Samaritanos, de hoc quod non susceperunt eos, & si hoc zelo justitiæ feciſſent: sed corripuit eos de hoc quod non zelo justitiæ, sed amaritudinis odio, ob injuriam suæ repulsionis vindicandam, Samaritanos igne voluerunt consumere; & ergo volens eos injuriam propriæ personæ, cum patientia & gaudio tolerare, injuriam vero divinæ servitutis non violatam relinquere, ut prædicta tertia innuit suppositio, ait: *Nescitis cujus spiritus estis.* Et hæc est sententia Decreti 23. q. 4. quod Christus potest in hac suppositione, & hoc innuit dictum Bedæ, quod opponens super eodem textu adducit in sua positione. Et notandum est bene verbum Chrysostomi in prædicta » suppositione positum, ubi inter cetera dicit: » Quoniam in propriis injuriis patientem esse » quemquam laudabile est: injurias autem Dei » dissimulare impium est. »

Et ex isto patet quid est dicendum ad alia quæ opponens adducit de praxi Christi & apostolorum. De Christo, quoniam peccata in eum commissa patientissime sustinuit, ita ut de eo in psal. scriptum sit: *Tamquam agnus ad occisionem ductus, coram tondente se non aperuit os suum.* De apostolis autem adducit illud 1. Corint. 4. *Maledicimur, & ecce benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus.* Per quod patet, quod maledictio in Apostolos erat peccatum publicum, & tamen non puniebatur ad eorum instantiam saltem. Similiter erant aliqui, qui erant publici peccatores, & tamen istos permittebat Apostolus; & multa sunt similia. Ad omnia una responsio datur, quod omnes illi in propriis injuriis patientes, erant nihilominus omnes tales a quibus multa passi sunt, ex alia parte eos zelo justitiæ vel caritatis ar- » guebant. Chrysostomus: Dominus corripuit » suos adversarios, quando peccabant in Deum, » apostoli similiter: licet patientes erant in su- » stinendo injurias proprias, nihilominus om- » nes sine acceptatione personarum omnes peccantes contra Deum arguebant, & contra prosequendo epistolas scripserunt. Et per hoc intelligi potest dictum Ambrosii positum 23. q. 4. Hæc autem dicit: « Quisquis malum non tolerat, ipse sibi per intoleran- « tiam testis est, quia bonus non est. Abel enim « esse renuit, quem Caïn maliti.. non exercet. « Hoc intelligendum est de his qui impatien- « tes sunt ad tolerandum proprias injurias. »

Ad illud autem ubi ulterius opponens adducit istud Phil. 1. Quod Apostolus toleravit eos qui per invidiam, quæ ipsius diaboli vitium est, Christum annuntiabant; dicitur quod non sic eos toleravit, ut non sint arguendi de hoc, quod non propter bonam voluntatem, id est Dei honorem & proximi salutem intendentes, scilicet propter invidiam Christum annuntiabant; sed quia bonis per doctrinam proficiebant, etsi non ex directo, tamen occasionaliter, non ex eis neque per eos, sed ex eo quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et de hoc gaudebat Apostolus Philip. 1. Sic Christus Lucæ, qui præcepit Apostolis ne prohibeant quemdam ejicere dæmonia in nomine suo, licet ipsum cum eis non sequatur, ut det intelligi secundum glossam, quod nemo a bono, quod jam habet in parte, prohibendus est: sed ad hoc potius, quod non habet, provocandus. Et ergo Apostolus hoc quod occasione annuntiantium Christum, bonum veniebat fidelibus, laudabant: nihilominus propter hoc quod non directe, sed per invidiam Christum nuntiabant, eorum malitiam detestabatur.

Similiter potest & ad hoc responderi, si quis objiciat de crimine Judæ, quod Dominus peccatum suum sibi patens toleravit. Dicitur quod Dominus peccatum Judæ non sic toleravit, quin ipsum reprobat & arguit, tentando reducere eum a tanto scelere perpetrato quatuor modis: 1. pudore, dum dicit: *Manus tradentis me mecum est in mensa.* 2. timore, per comminationem supplicii, quando dicit: *Verumtamen væ homini illi.* 3. beneficii exhibitione in sacramenti sui communione. 4. affectus ostensione in blanda allocutione, cum dicit: *Amice ad quid venisti?* Et ergo non sic toleravit Christus peccatum suum, quin ipsum arguit, taliter revocando in genere, quamvis non specificavit eum, quia suum peccatum aliis occultum erat.

Post hæc doctor adducit auctoritates plures canonum & doctorum sententiantium, quod rigor correctionis seu justitiæ deberet temperari propter peccantium multitudinem, & specialiter si esset princeps, aut alius qui sociam haberet multitudinem, aut si per correctionem oriretur schisma, aut pax politica turbaretur. Pro solutione illarum auctoritatum, est notandum quod duplex est pax; scilicet pax Dei, & pax mundi; quæ in-

nuntur Johan. 14. quando dicit Chriſtus: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo hic mundus dat, ego do vobis.* Pax Dei eſt mentis tranquillitas in virtutibus ſtabilita, qua pace caret omnis exiſtens in crimine. Nam Job. 9. ſcribitur: *Quis reſtitit ei, & pacem habuit?* Illa autem pax tripliciter variatur. Eſt enim pax hominis ad Deum, hominis ad ſeipſum, & hominis ad proximum; & tota iſta pax conſiſtit in obſervantia mandatorum. Et prima pax, ſcilicet hominis ad Deum, eſt tantæ virtutis, quod ſine illa non valet pax alia; ſed ipſa habita, utraque alia conſequitur. Nihil ergo diſſolvit pacem cum Deo, niſi peccatum; quia ſolum ipſum dividit inter Deum & hominem, juxta illud Iſaiæ 59. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum*: ideo peccatum pacem præpediens eſt maxime fugiendum. Et iſta regula ſumme ſtabilitaret pacem hominum, quia ſervando hanc regulam, conſtituitur homo amicus Dei: ſed ſi Deus nobiſcum, quis contra nos? Nam in tali pace *timentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Pax autem mundi, eſt quieta fruitio temporalium, ſaltem large loquendo, ſine perturbatione ſenſibili hoſtili. Hæc autem pax tantam vim habet, quod omnes naturaliter eam deſiderant, cum propter illam ſunt omnia bella, quæ fiunt fruſtra, niſi iſte finis ſequeretur. Immo tantum eſt hominibus pax deſiderabilis, quod etiam latrones & peſſimi homines inter ſe pacem deſiderant, cum alias diſſolveretur eorum conſortium. Sic humanum corpus, ſic omne mixtum & adjunctum, alteri contrarium ſalvatur in quadam pace, concordia vel convenientia, quam Empedocles vocat amicitiam, quæ eſt cauſa generationis, ſicut lis eſt cauſa corruptionis. Et quamvis hæc pax mundi ſit bonum, cum ſit medium ad pacem animi inducendam; quia autem fundatur in applauſu humano communiter ſophiſtico, inter paucos fragiles confœderatos debiliter ſæculi ligamento; ideo ad iſtam pacem non fœderatio ſequitur, aut ſecuritas ab hoſtibus, ſed potius fraus atque illuſio, & ſæpius involuta eſt criminibus, ut eſt Deut. 32. ubi dicit Deus de habente pacem mundi: *Incraſſatus eſt* deliciis & voluptatibus, *impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit a Deo ſalutari ſuo.* Et Ezech. 16. dicitur quod fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia & otium.

Quo notabili præmiſſo poteſt ad alias omnes auctoritates ſub uno per dominum reſponderi; quod doctores talia ſcribentes, videtur quod omnino magis reſpexerunt pacem politicam temporalem, quam ſpiritualem; non bene forte ex parte alia advertentes, quomodo pax vera politica non per debitam correptionem peccatorum turbatur, ſed propter mandatorum Dei prævaricationem, & a lege ipſius declinationem impacificatur eccleſia militans, Job 9. *Quis reſtitit ei & pacem habuit?* & Baruch 2. *Quid eſt Iſraël quod in terra inimicorum es?* & ſequitur reſponſio: *Dereliquiſti fontem ſapientiæ; nam ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes utique in pace ſuper terram.* Hinc Helias dicenti ſibi Achab: *Tune es qui conturbas Iſraël?* reſpondit: *Non ego, ſed tu*, &c. Unde ipſa militans eccleſia in ſuis membris, tamquam devota Chriſti vidua poſſet dicere illud Baruch 4. *Nemo gaudeat ſuper me viduam deſolatam, a multis derelicta ſum propter peccata filiorum meorum.* Derelicta quidem eſt Chriſti militans eccleſia propter peccata Chriſtianorum, a gentilibus & Judæis, qui videntes manifeſta eorum ſcelera, fidem Chriſti ſuſcipere aſpernantur. Derelicta eſt, nedum ab hæreticis & ſchiſmaticis, ſed a ſuis vocatis filiis, qui ſe ſeptem peccatis mortalibus ab ipſa ſancta eccleſia ſepararunt. Unde dicit: *Nemo gaudeat ſuper me.* Quapropter Micheæ 7. voce lugubri plangit Chriſtus: *Væ mihi quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, & non eſt botrus ad comedendum præcoquas uvas. Deſideravit anima mea, periit ſanctus de terra, & ſanctus in hominibus non eſt.* Ubi oſtendit, quod multi ſunt appetenter eccleſiæ amici, qui tamen ſunt hoſtes præcipui, pacem ipſius maxime perturbantes; quam perturbationem pacis politicæ videtur quod doctores prædicti non tantum adverterunt, quantum pacem politicam temporalem; ideo ſic, ut prædictum eſt, ſcripſerunt; tali reſpectu habito Caiphas conſulebat in concilio Joh. 11. quando dicebat: *Vos neſcitis quidquam neque cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Et iterum: *Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem.* Ad turbationem temporalem reſpectum habentes ſic loquebantur. Non talem reſpectum habuit Chriſtus, qui Matt. dicit: *Non veni mittere pacem ſed gladium; veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam.* Venit enim rex pacificus ad diſſolvendam confœderationem fictam inter homines mundanos per ſuperbiam diaboli, quæ viros fortiores ſæculi fallit, cum diabolus rex ſuper omnes filios ſuperbiæ omnes peccatores illaqueat, qui ſunt per Chriſti humilitatem ante omnia ſeparandi. Carnales autem per vitium voluptatis conjuncti, ſunt per Chriſti pœnitentiam ſejungendi: ſed mundo per avaritiam nupti, ſunt per Chriſti paupertatem ſeparandi. Unde quicumque in aliquo horum trium nititur quiete fovere populum, ille nititur diſſolvere Chriſti pacem; quia pacem originalem hominis ad Deum, quæ ſolum

solvitur per pecatum. Et hac ratione Christo solventi pacem malam mundi dictum est: *Commovit populum incipiens a Galilea usque huc.* Sic apostoli arguebant omnes potestates indifferenter, magnos & parvos, non respicientes quid passuri, sed quid acturi sunt: cogitantes placere Deo, non hominibus; fidem & virtutes promovere, non hoc sæculum: immo, ut in positione mea dictum est, omnes prophetæ veteris testamenti hoc habuerunt officium, nec inveniuntur aliqui quin passi sint in hac parte, a Moyse usque ad Baptistam. Et quicumque fuerunt in executione hujus legis de correctione peccatorum, in hac lege sunt valde commendabiles.

Verumtamen corrigentes debent circa hoc servare conditiones debitas, & illis servatis, non debent negligere malum corrigere, quilibet secundum suam vocationem, & mediis sibi congruentibus, & hoc sine dolo, ut fiat non zelo vindictæ, & zelo ultionis, sed zelo justitiæ; non ut odium exerceatur, sed ut pravitas corrigatur, ut suadetur 23. q. 4. c. finali, & hoc vel beneficentiæ consolatione, vel doctrinæ informatione, vel districtione, coërcitione, 23. q. 4. debet, per Augustinum: Et corripiens non debet intendere divisioni in populo, vel scissioni, quemadmodum Dominus non intendebat discessionem a se, quando loquebatur de manducatione suæ carnis, & bibitione sanguinis, quæ facta est a discipulis ejus, occasione male accepta. Similiter non debet attendere personam potentis aut multitudinem, nec quid debeat pati: qualiter Helias arguit regem & domum suam 3. Reg. 19. & Johannes Baptista Herodem. Et si non subest potestas, illam voluntatem continue debet habere, & voluntas pro facto reputatur, quia ex antedictis Origenis, auditum est quod dicit: Esto quod non possimus ejicere omnes istos qui nos conturbant, saltem quos possumus, quorum peccata manifesta sunt, ejiciamus; & si qui potentes hoc facere, non faciunt, peccant, teste doctore opponente, qui allegat Augustinum in 3. libro contra epistolam Parmeniani: qui dicit, quod non sufficit auferre malum a seipso, ubi non impeditur, nisi corrigat, moneat, &c. Et dicit sic in forma, ut opponens eum adducit: Quapropter quisquis etiam contemserit ecclesiæ Dei disciplinam, ut malos cum quibus non peccat & quibus non favet, desistat monere, corrigere, arguere: si etiam talem gerit personam, & pax ecclesiæ patitur, ut etiam a separatione sacramentorum possit quempiam separare, non alieno malo peccat, sed suo. Ipsa quoque in tanta re negligentia, grave malum est.» Hæc Augustinus.

Ultimo ad rationem quam tangit doctor: Quare aliqui in ecclesia interdum tolerandi sint; quia, inquit, sunt utiles bonis, sive ut per eos exerceantur, sive ut illorum comparatione magis eis exhortatio fiat; & adhuc quod postea addit, quod cum laude patientiæ mali tolerantur, ne ignoti boni damnentur. Sic inquit Isaias: *Qui dicit, recedite, recedite, exite inde, & immundum nolite tangere.* In medio immundi populi polluta labia habentis habitabat, & multos alios adducit, qui de medio mali populi non exierunt. Immo Christus & apostoli in medio malorum habitabant, & ergo intendit dicere doctor, quod a malis non oportet recedere corporaliter: sed corde & spiritualiter, & satis est. Pro responsione ad istud, notandum quod sex sunt genera consensus, notata in his versibus:

Consentit cooperans, defendens, consilium dans,
Ac auctorisans; non juvans, nec reprehendens.

& in quolibet istorum generum fere consentientes contingit peccare gravius, quam ipsos personaliter delinquentes; ideo timendum est cuilibet, & specialiter clero, ab isto sextuplici consensu, in quibus comprehenduntur peccatum non impedientes, dum possunt, crimen non prohibentes, favoribus peccantibus participantes, & licentiam ad peccandum dantes, ut in cap. 18. q. 2. *Abbates*, 23. q. 3. *Ostendit.* & *Qui potest.* Et di. 86. *Facientis.* & 83. dist. *Consentire.* & 11. q. 3. *Qui consentit.* & 24. q. 3. *Qui aliorum.* & 23. q. 4. *Quis.* Illis præmissis responderi potest ad objectionem: Quod si qui mundi inveniri possunt, qui nullo istorum modorum consenserint peccato aliorum, tunc non sociantur culpis eorum. Sed quis hic, & laudabimus eum? De illo autem ubi additur, quod satis esset corde & spiritualiter recedere a malo, non corporaliter; ibi dicitur, quod hoc bene fieri posset, ubi esset libertas Deo serviendi, ubi non constantia perseverandi, & ubi occasio non est homini cum ipsis peccandi, & non est locus fugiendi, ut 1. Corint. 5. habetur: *Alioquin debueratis de hoc mundo exisse*; tunc potest commanere malis, nihilominus mala eorum ubi potest competenter arguendo; & hoc potest fieri. Nam mali, sicut in perversorum seductionem admittuntur, sic & in gloriam sanctorum. Nam illius bonitas apud Deum laudabilis adhuc non est, nisi fuerit & cum malis bonus. sicut psalmista gloriatur in forma justorum: *Cum his qui oderant pacem eram pacificus.* Jobque dicit: *Frater fui draconi & socius struthionibus.* Et Loth ab ipso laudatur, eo quod in Sodoma habitans, justus perseveravit. Ubi autem desunt prædictæ conditiones, tali est & corporaliter & spiritualiter a malis separandum. Quare Moyses ex mandato Dei dixit: *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, ne involvamini peccatis eorum.* Et Loth ultimo: *Eductus est de Sodomis.*

Ad hoc autem ubi doctor ex dicto Auguſtini aſſignat differentiam inter flagitioſos & facinoroſos, dicens quod flagitioſi ſunt qui peccant in ſe; facinoroſi qui peccant in alios, ipſis nocentes; & illi qui nocent aliis, cito debent rapi de medio, ut ſunt fures, homicidæ, adulteri: qui autem peccant in ſe, ut ſimplices fornicarii, non quaſi illa peccata quæ fiunt contra ſe ſint minora, & non ſic nociva, velut ea quæ fiunt coram aliis, cum tamen omnia peccata mortalia ſint multum nociva reipublicæ. Immo Scotus diſt. 15. ſuper 4. expreſſe ſcribit oppoſitum doctori; quod furtum eſt multo minus peccatum, quam adulterium, & per conſequens iſtud deberet plus puniri, quam illud. Sic enim ſcribit: Leges imperiales multa inveniuntur ſatis conſona dictare multis judicialibus legis Moſaycæ. Nec mirum, quia Deus non fuit fatuus, ut daret iſta judicia contra rationem; & licet daret aliqua valde dura, quæ non oportet in evangelio obſervare, tamen multa dedit valde rationabilia, etiam pro ſtatu quocumque in iſta vita mortali; & ideo ſi iſta ſtatuantur a legiſlatore obſervanda pro tempore, juſte ſtatuuntur. Et hoc modo ſi ſtatueretur ab aliquo blaſphemum, adulterum, idolatram debere occidi; multo juſtius ordinaretur, quam quod fur ſuſpenderetur. Sed apparet ad quod aſpiciunt principes, quia plus ad commodum temporale, quam ad honorem Dei, & pro hoc plus puniunt & reprimere volunt peccata in proximum, quam in Deum. Et infra: Conſtat, quod Deus in lege Moſayca vel evangelica explicite non excipit peccatum furti ab illo præcepto: *Non occides*, ut ſcilicet per iſtud peccatum liceat hominem occidere; & ideo niſi revocaverit aliqua revocatione ſpeciali, quod non habetur in ſcriptura, tunc poſſet fieri juſta. Eſto etiam quod aliquo modo licuiſſet Judæis occidere pro furto, magis videtur per miſericordiam evangelicam iſte rigor revocatus, quam rigor contra adulterium, quia iſtud peccatum eſt multo minus, quam illud, juxta illud Proverb. 6. *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit; furatur enim ut eſurientem animam impleat: deprehenſus quoque reddet ſeptuplum.* Sequitur autem: *Qui autem adulter eſt, propter inopiam cordis perdet animam ſuam.* Sed pœna de adulterio eſt revocata in evangelio Johannis: *Nemo te condemnavit, nec ego te condemnabo: vade jam & amplius noli peccare.* Multo ergo magis revocatus eſt iſte rigor contra furtum in lege Moſayca, ſi fuiſſet ſtatutus. Hæc Scotus. Ubi autem doctor ex illo meo dicto, quo dixi, quod punitio civilis non videtur ſe debere extendere pro tempore legis gratiæ, ſaltem de lege communi ad occiſionem: divino tamen jure & privilegiato contra peccatores manente ſemper ſalvo, elicit & dicit, quod ego negem reos poſſe licite puniri mortis ſuppli- A

cio; & probare oppoſitum nititur ex illo Proverb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Deus autem poteſt occidere, cum ſit auctor vitæ, & mortis habeat imperium: ergo & reges, quibus ipſe conceſſit regnare, hoc per juſtitiam facere poſſunt. Item, ex alio probat, dicens, Ad Romanos 1. dicitur de committentibus gravia peccata: *Qui talia agunt, digni ſunt morte.* Sed de judice dicitur Rom. 13. quod *Dei miniſter eſt.* Ergo quos Deus judicat ad mortem, poteſt judex licite interficere; & adducit ad hoc auctoritates & rationes plures. Ad hoc reſpondeo, quod attendendo ad hoc B. tempus gratiæ, in quo apparuit gratia & benignitas Domini noſtri ſalvatoris, quoad omnes peccatores ſpecialiter pœnitentes, ut vitam haberent, & abundantius haberent, & non venit animas perdere, ſed ſalvare; Attendendo etiam illud Cypriani, qui epiſtola quadam ſcribit: Tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumciſio corporalis manebat: ſed cum ſpiritualis circumciſio eſſe apud fideles ſervos Dei cœpit, ſpirituali gladio ſupetbi & contumaces necantur, dum de eccleſia ejiciuntur. Neque enim vivere foris poſſunt, cum domus Dei una ſit, C & nemini ſalus, niſi in eccleſia, eſſe poſſit. Hæc ille. Attendendo inſuper illud quod gl. ordinaria ſuper illud Deuteron. 21. de filio contumaci dicit: Inobedientem ergo filium & vitioſum Moyſes jubet obrui lapidibus, evangelium quoque duris increpationibus. Et attendendo illud quod gloſſa ordinaria dicit ſuper 1. Deut. 24. *Et auferes malum de medio tui:* Hoc nunc agit in eccleſia excommunicatio, quod tunc interfectio. Attendendo illud Chryſoſtomi dictum ſuper iſto verbo Matt. 13. *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem*, qui ſic dicit: Hoc autem dicit Dominus, prohibens occiſiones fieri. Neque enim D oportet interficere hæreticum, quia prælium inexpugnabile in orbe terrarum inducetur; & ideo dicit: *Ne eradicetis ſimul cum eis & triticum*: & ſi moveritis arma, & occideritis hæreticos, neceſſe eſt multos ſanctos ſimul ſubmitti. Non ergo detinere hæreticos, & abſcindere eorum propalationem, & ſynodos & ſtudia diſſolvere prohibet; ſed occidere & interficere. Hæc ille. Illa communia attendens & ſimilia, & videns quomodo notabiles doctores pro tempore legis gratiæ minores pœnas citra mortem pro puniendis peccatoribus inveniebant; cupio quatenus judices in punitione reorum habeant ſe tamquam patres, non tamquam tyranni, non judicialia legis veteris, ut hujuſmodi, nec leges humanas legi evangelicæ diſſonas accipientes, ſed proceſſum Chriſti & praxim eccleſiæ primitivæ. fateor ex quo non poſſum reſtituere vitam occiſo, non gaudebo in talibus occiſionibus, nec faciliter ad mortem alicujus conſentiam. Nihilominus tamen cordialiter E

exopto, ut omnia peccata mortalia publica puniantur, ad reformationem hominis peccantis, ſine diſtinctione perſonarum.

Ad rationes doctoris probantis occiſionem ex Apoſtolo ad Rom. 1. & 13. cap. *Si judex poteſt interficere omnes quos Deus adjudicat morti*, & quando dicit Apoſtolus: Qui talia gravia peccata committunt, propter quæ digni ſunt morte, utrum talis per Deum vel per hominem pœna eſſe debeat infligenda ipſe videat. Unde Apoſtolus eum non ſpecificat. Et ſi cuilibet tali mors corporalis debuerit infligi, quid valebit auctoriſatio & tolerantia meretricum & fornicantium, quibus in ſuburbio *limitavit locum, cum & illi inter illos graves peccatores enumerentur?* Sed videat doctor praxim illius ſcripturæ in eccleſia primitiva, & trahat cor ſuum deorſum, & aquam in ollam moderantiæ mittat, ne nimium ad mortificandum homines ſine ſtabili & firmo fundamento exardeſcat.

Nec etiam doctor, ſalva ejus reverentia, ſatisfecit dicto Chryſoſtomi a me adducto, ad illum *reſpondendo ſuperficialiter, ipſum* evaſit. Dicit enim quod loquitur de occiſione hæreticorum, ex qua ſequeretur ſchiſma aut turbatio eccleſiæ, cum Chryſoſtomus non principaliter in iſta auctoritate attendat turbationem eccleſiæ in pace temporali, ut innuit doctor; ſed ne ſancti multi ſubmittantur.

» Quia dicit: Si moveritis arma, & occideritis hæreticos, neceſſe multos ſanctorum ſimul ſubmitti; *& non dicit: Turbabitur* temporalis politia. Si ergo eſſet peccatum, per quod homo in lege gratiæ deberet occidi, maxime eſſet iſtud turpiſſimum & nocentiſſimum peccatum hæreſis; & cum de talibus loquitur Chryſoſtomus, ne occidantur: ſed modum alium contra tales minorem docet. Ergo non eſt feſtinandum cum talibus; ſed potius ſequenda eſt in hoc ſententia Apoſtoli, qui dicit: *Hæreticum hominem poſt trinam monitionem devita.*

Actus ſecundæ dicti.

Quantum ad ſecundum principale, ubi doctor tangit, per quod & quomodo correctio & caſtigatio & expulſio peccatorum ſit facienda, ibi præmittens duplicem modum correctionis, unum procedentem ex fraterna caritate, & alium ex auctoritate & poteſtate: ponit duas concluſiones; unam, quod quilibet fidelis poteſt & in caſu tenetur quemlibet alium pro peccatis ſuis privatis corripere correctione fraterna, fundans eam in verbo Salvatoris, Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* & probans eam ex triplici lege, naturali ſcilicet, ſcripta & gratiæ; tangit circumſtantias illius correptionis ex parte corrigentis & correpti, ſit inferior vel etiam ſuperior; & dicit eam eſſe de præcepto affirmativo, quod obligat ſemper, licet non pro ſemper, trahens ex illa plura corollaria, in quibus fere omnibus ſecum non intendo contendere, quia ſunt pro articulo meo, exceptis aliquibus paucis, ubi eximit prælatos, preſbyteros & alios eccleſiaſticos a correctione fraterna pro peccatis publicis perſonalibus, etiam data eorum pertinacia coram multitudine *laïcorum; ſive fiat per laïcos*, ſive per ſacerdotes in prædicatione. & ubi inculcat, quod ſubditus populus non poteſt licite ſubtrahere decimas & oblationes a malis ſacerdotibus publice malitia perſonali, in quibus ſecum non convenio; ſed ea pro poſſe cum Dei adjutorio reprehendere volo.

Poſt hæc ponit ſecundam concluſionem de correctione ex auctoritate & poteſtate procedente. *ex iſta etiam* trahens plura corollaria, in quibus etiam ſecum non contendo, difficultatem magnam fatetur; quia vero militant contra meum articulum, excepto iſto, ubi inculcat, quod peccata publica perſonalia prælatorum, ſacerdotum, & aliorum eccleſiaſticorum per Chriſti fideles laïcos numquam debeant, etiam ſecundum dictamen divinæ legis, per cohibitionem pœnæ, ſine *ſpeciali licentia ab eccleſia habita*, puniri, aut judicio condemnationis vel diffinitionis, ut eſt actus juſtitiæ, judicari; in quo etiam ſecum non convenio, ſed reprehendere pro poſſe cum Dei adjutorio intendo.

Ut autem hoc melius appareat, & ex oppoſitis juxta ſe poſitis veritas magis eluceſcat, in confirmationem articuli mei & ſatisfactionem pro poſſe in oppoſitum adductis per venerandum *meum impugnantem*, duo ſpecialiter præſuppono. Primo, quod in primordiis fidei Chriſtianæ vixerunt ſacerdotes ac clericorum omne collegium ſub principum coactiva ſæculi juriſdictione, uſque ad tempora primi Conſtantini Romanorum imperatoris. Prima pars ſuppoſitionis patet ex hoc. Nam Chriſtus facto & verbo præcepit Petro Matt. 10. quod ſolveret didragma pro ſe & ipſo, figurante ſuam eccleſiam: & interrogatus ſi licet dare cenſum Cæſari, oſtenſo ſibi denario, cujus imago & ſuperſcriptio erat Cæſaris, ſic ſubjungit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Et Petrus ex iſta doctrina præcepit ſuis, quod ex facto docuit, 1. Pet. 2. *Ut ſint ſubjecti omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive regi tamquam præcellenti, ſive ducibus tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Sed Apoſtolus ad Romanos 13. quomodo debemus ſubjici principibus oſtendit, dicens: *Cui tributum, date tributum; & cui vectigal, vectigal:* & multo magis nos, qui ſumus eleemoſynarii ſæcularium principum, debemus eſſe ſubjecti noſtris eleemoſynantibus, cum tam graves & ſancti apoſtoli, non ſic dotati a principibus, ita fecerunt. Hinc Ambroſius lib. 4. c. penultimo ſuper iſtud Lucæ 5. *Laxate retia*, ſcribit: Et, inquit, eſt » aliud apoſtolicum piſcandi genus, quo ge- » nere ſolum piſcari jubet Dominus, dicens: »

» *Trahe hamum, & eum piſcem qui primus aſ-*
» *cenderit, tolle.* Magnum quidem eſt & ſpiri-
» tuale documentum, quo Chriſtiani viri ſu-
» blimioribus poteſtatibus docentur debere
» eſſe ſubjecti; ne quis conſtitutionem Regis
» æterni putet eſſe ſolvendam. Si enim cenſum
» Filius Dei ſolvit, quis tu tantus es, qui non
» putes eſſe ſolvendum? & ille cenſus ſolvit,
» qui nihil poſſidebat: tu autem qui ſæculi ſe-
» queris lucrum, cur ſæculi obſequium non
» recognoſcas? cur te ſuper ſæculum quadam
» arrogantia animi fers, cum ſæculo ſis miſera
» cupiditate ſubjectus? Hæc ille. Et idem ſuper
illud Lucæ 20. *Oſtendite mihi denarium, cu-*
» *jus habet imaginem?* ſic dicit: Si Chriſtus non
» habuit imaginem Cæſaris, cur dedit cenſum?
» non de ſuo dedit, ſed reddidit mundo quod
» erat mundi; & tu ſi non vis eſſe obnoxius
» Cæſari, noli habere quæ mundi ſunt: ſed ſi
» habes divitias, obnoxius es Cæſari. Si vis ni-
» hil regi debere terreno, relinque omnia &
» ſequere Chriſtum. Hæc Ambroſius. Ex qui-
bus auctoritatibus iſte eniter ſenſus: Quod ſi
Chriſtus & ſuus apoſtolus Petrus, pauperes
exiſtentes, nihil omnino ſæculi poſſidentes,
ſolverunt cenſum Cæſari, poteſtati ſæculari
a Deo ordinatæ & conſtitutæ; quanto magis
vicarii Chriſti & ſuorum apoſtolorum epiſ-
copi, prælati & cæteri clerici, habentes mul-
tas poſſeſſiones terrenas, miſera cupiditate
agitati, negotiis ſæcularibus implicati, tenen-
tur ſubeſſe, ſecundum poſſeſſiones terrenas,
regiæ poteſtati: in cujus rei ſignum Chriſtus
cum ſua familia, ſtatim in mundum natus,
voluit aſcribi ſub dominio Cæſaris, profiten-
do ſe eſſe ſubjectum cum ſua familia ſuæ ju-
riſdictioni, ut eſt Lucæ 2. Quod poſtea effe-
ctualiter oſtendit, cum Petrus ſolvit vecti-
gal imperiali poteſtati, ut prætactum eſt. Et
non valet fingere, quod Petrus ſcribens: *Sub-*
jecti eſtote omni creaturæ propter Deum, intel-
lexiſſet tantum de populo laïcali regi ſubjec-
to, volens eos ad humilitatis merita provoca-
re. Nam manifeſtum eſt, quod non ſolum ſcri-
bebat laïcali populo ſibi ſubjecto, ſed toti ec-
cleſiæ ſequenti, & ſpecialiter ejus vicariis, quia
illi magis indigent ad humilitatis merita pro-
vocari. Nam periculoſum & ſtultum videtur
hoc dictum Petri exponere: *Subjecti eſtote om-*
ni creaturæ humanæ: hoc eſt, non debetis
omni humanæ creaturæ ſubjici, quocum-
que vicario de humano genere annotato.
Et ſi Chriſtus putaſſet inconveniens, futuros
ſibi ſucceſſores in officio ſacerdotali tributa
ſolvere, ac ipſorum temporalia ſubjecta fore
principibus ſæculi, potuiſſet ipſe abſque mali
exempli exhibitione, videlicet ſubjiciendi
ſacerdotium juriſdictioni principum ſæculi,
aliter ordinaſſe, atque expediviſſe illos exa-
ctores didragmæ, ut puta removendo ab ipſis
petendi talia intentionem, aut alio conve-
nienti modo. Sic autem facere non reputa-
vit conveniens, quin immo ſolvere voluit,

A ſingulariter inter apoſtolos Petrum ſibi aſſo-
cians in hoc, qui tamen eccleſiæ præcipuus
doctor & paſtor futurus erat, ut tali exem-
plo nullus hoc facere recuſaret. Et ſic patet
pars prima ſuppoſitionis, videlicet iſta: Quod
in primordiis fidei Chriſtianæ vixerunt ſa-
cerdotes & clericorum omne collegium ſub
principum coactiva juriſdictione. Sed quod
ſic vixerunt uſque ad tempora primi Con-
ſtantini Romanorum imperatoris, patet per
Okam in ſuo defenſorio 2. di. c. 17. qui ſic
ſcribit: « Hi vero apoſtoli duo, ſcilicet Petrus «
B & Paulus cum reliquis omnibus, ſuum ma- «
giſtrum imitantes Chriſtum, ſub principum «
coactiva ſæculi juriſdictione vixerunt, & «
alios ſic vivere docuerunt. Sic quoque vixe- «
runt ipſorum ſucceſſores preſbyteri ſeu epiſ- «
copi cum ſuis diaconis, & reliquis miniſtris «
evangelicis ſucceſſive, uſque ad tempora «
primi Conſtantini Romanorum imperatoris, «
ut ex Iſidori codice ſatis apparet: ita quod «
nemo epiſcoporum per omne tempus illud «
in reverendiſſimos epiſcopos coactivam ju- «
riſdictionem exercuit. » Hæc ille. Immo ad- «
C huc tempore Conſtantini & longe poſt, ec-
cleſiaſtici juriſdictioni ſæcularium ſubjecti
erant, ut teſtatur prædictus dominus Okam,
eadem di. 24. c. ſic ſcribens. « Adveniente «
vero tempore Conſtantini primi Romano- «
rum imperatoris, qui primus Romanorum «
principum permiſit & conceſſit fideles Chriſti «
publice congregari, facta ſunt primum con- «
cilia generalia ſacerdotum ſeu epiſcoporum, «
præcepto & auctoritate principis ſupradicti, «
quibus quidem conciliis definiti ſunt & de- «
terminati ſcripturæ ſacræ ſenſus ambigui, & «
ipſorum veri a falſis & erroneis ſequeſtrati. «
D Et plura ibi continentur quæ ordinabantur.
Infra: « De quo quidem obſervando legiſla- «
tor humanus, ſeu principans ejus auctoritate «
præceptum coactivum ſive legem tulit obli- «
gantem quemlibet ſacerdotem aut non ſa- «
cerdotem, ſecundum exigentiam cujuſcum- «
que, pœna reali vel perſonali, pro ſtatu præ- «
ſentis ſæculi, tranſgreſſoribus inſtigenda. Fe- »
rebantur enim hujuſmodi leges in ſacerdo- «
tes & epiſcopos magis quam in alios, quo- «
niam & ipſi tunc erant qui frequentius cau- «
ſam dabant talis edicti, nec adverſus legiſla- «
tores hujuſmodi, reclamantibus epiſcopis «
E Romanorum aut aliis quibuſcumque, tam- «
quam non ſubjectis principum legibus & edi- «
ctis, ſed inſtanter ſupplicantibus ad princi- «
pes pro legibus ferendis hujuſmodi, quem- «
admodum ex codice Iſidori ſupradicti & aliis «
approbatis apparet hiſtoriis; amplius per eoſ- «
dem principes ſtatuebantur & ſtatutæ ſunt «
leges de eorum numero certo, ſecundum «
provincias, & de ipſorum temporalibus ſive «
corporalibus bonis, tam mobilibus quam im- «
mobilibus, quæ ſibi per prædictum Conſtan- «
tinum donata fuerunt, ac per reliquos prin- «
cipes Romanos aut alios, & ſucceſſive etiam «

„ per personas aliquas singulares. Infra. « Sic
„ ergo sub legibus & ordinationibus cujuslibet
„ principum vixerunt ab antiquis temporibus,
„ & dudum totum sacerdotale collegium ab
„ eisdem & populo collationes, confirmatio-
„ nes & investituras suorum officiorum spiri-
„ tualium & prælationum, curarum & reliquo-
„ rum similium aut minorum, ac tempora-
„ lium beneficiorum distribuendi potestatem
„ suscipientes; nec propter hujusmodi subje-
„ ctos contendebant pastores antiqui Roma-
„ norum episcopi adversus principes Roma-
„ norum, neque adversus populum aut singu-
„ lares personas ecclesiarum patronos, quo-
„ niam ad hoc se noverant divina & humana
„ lege astrictos. Sic enim legimus de Symma-
„ cho nativitate Sardo. Hic enim Laurentio
„ cuidam coelectus discorditer, per Theodo-
„ ricum regem sancto judicio confirmatus est
„ in papam Romanum. Sic etiam scripsit Mar-
„ tinus de B. Gregorio: Hic, inquit, in papam
„ eligitur, & ipse Mauritius, videlicet impera-
„ tor, imperialibus litteris suum affirmat con-
„ sensum. Sic etiam suorum privilegiorum
„ confirmationem ab imperatoribus petere so-
„ lebant episcopi Romanorum, ut de Vitalia-
„ no nativitate Signeo, & Constantino nati-
„ vitate Syro, & aliis plerisque Romanis pon-
„ tificibus legitur. quin immo pro his & aliis
„ supplicationibus & suis confirmationibus im-
„ petrandis, ad imperatores per loca distantia
„ plurimum personaliter solebant accedere,
„ ut de ipsorum pluribus legitur in chronicis &
„ approbatis historiis; & quod amplius est,
„ Johannes XII. per Ottonem I. Romanum
„ imperatorem, suis exigentibus demeritis,
„ consentiente omni populo tam clero quam
„ laïco, a papatu depositus est. Ejusdem enim
„ auctoritatis est aliquid statuere, ac id cum
„ expediens fuerit destituere. Cum igitur epis-
„ copus quilibet per principem & omnem po-
„ pulum eligi debeat, ipsorum auctoritate de-
„ stitui sive deponi potest. Instar ergo Christi
„ & apostolorum vixerunt Romani & cetera-
„ rum provinciarum episcopi & sacerdotes,
„ ac clericorum omne collegium, sub regimine
„ coactivo principantium auctoritate legislato-
„ ris humani. Verum suadente ac stimulante
„ hujus mundi principe, superbiæ ac ambitio-
„ nis præoperante, reliquorumque omnium
„ suggestore diabolo, in alienam viam, ab ea
„ quæ Christi est & apostolorum deducti sunt.
„ Quin immo seducti Romanorum episcopi
„ quidam, ipsorum animos invadens cupidi-
„ tas & avaritia inde foras expulit, quam Chri-
„ stus in ecclesia tertio modo dicta plantave-
„ rat & statuaverat, summam meritoriam pau-
„ pertatem; rursumque invadens eos super-
„ bia ac ambitio sæculariter principandi, ex-
„ pulit inde summam humilitatem, quam
„ Christus indixerat & observare mandaverat
„ eidem ecclesiæ, sive universo cœtui sacer-
„ dotum; quorum quidem primus hujusmodi,

A si eo prior in hoc alter non extitit, fuisse legitur Simplicius quidam, Tiburtinus cognomine, Romanus episcopus. Hic enim unde sibi nescio auctoritate sumta, quamvis certissime noverim, nisi per ignorantiam excusetur, unde temeritate præsumta, statuit nullum clericum investituram a laïco debere suscipere; investituram siquidem intelligendo beneficiorum & officiorum, de quibus diximus prius: quamvis tamen & ipsius statuto significetur manifeste, prædecessores suos humilitatem & reverentiam debitam principibus exhibere volentes, investituras
B prædictas a laïcis recipere soluisse. Hujus siquidem rursum successor, quamvis non immediatus, Pelagius primus statuit, ut hæretici per sæculares potestates punirentur. De quo etiam statuto mirandum, quoniam non latuit illum hujusmodi legem tempore Justiniani Romani principis in hæreticos latam fuisse; & quoniam suæ non erat auctoritatis ferre hujusmodi leges in quantum episcopi, nisi fortasse hoc sibi auctoritate humani legislatoris foret indultum; ideo quemadmodum jam dictus Simplicius, in alienam messem falcem ingessit, auctoritatem sibi videlicet quæ alterius est usurpando. Cui rursum
C Adrianus tertius, licet non immediate, successit in usurpatione prædicta. Statuit enim ut nullus imperator se intromitteret de electione papæ, ut dicti Martini verbis utamur; quod siquidem statutum omnino nullum, eo quod a carente tali auctoritate, legislatoria scilicet, emanavit, apertum inconveniens continebat, fueratque illius oppositum longa & laudabili consuetudine roboratum. Hoc per totum Ocham attestans per prædicta supponit.

Præsuppono secundo, quod per ecclesiam in illo dicto Christi Matt. 18. *Dic ecclesiæ*, non
D solum intelligitur prælatus, sed etiam universitas fidelium. Patet per glossam, quam allegat Thomas in sua glossa continuata, quam sic exponit: « *Dic toti ecclesiæ*, ut majorem erubescentiam patiatur. Zacharias autem Chrysopolitanus in Concordia evangelistarum super prædicto verbo, *Dic ecclesiæ*, sic scribit: Tale quid in Levitico legimus: *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo*, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. *Adhibendus est tertius vel corrigendi* studio vel conveniendi eum sub testibus. Si
E tunc non audierit, multis dicendum est, ut qui pro pudore salvari non potuit, opprobriis salvetur.

Ocham autem in suo defensorio 2. dist. cap. 6. super isto eodem verbo Christi dicit: Dicit ergo Christus: *Dic ecclesiæ*, nec dicit: Dic apostolo vel episcopo seu presbytero, aut *ipsorum soli collegio*; sed intellexit ibi Christus ecclesiam, fidelium multitudinem, aut judicem ad hoc illius auctoritate institutum, quomodo usi sunt hoc nomine apostoli

ſtoli & eccleſia primitiva. Hæc ille.

Illis ſuppoſitionibus præmiſſis, accedendo ad punctos in quibus cum oppugnante articulum meum non concordo, pono iſtam ſibi oppoſitam propoſitionem ſeu concluſionem: PECCATA mortalia publica perſonalia prælatorum & ſacerdotum poſſunt, & in caſu eorum data pertinacia, ſunt a quolibet fideli Chriſti correctione fraterna, ſufficientia & opportunitate habita, arguenda, etiam coram multitudine laïcorum. Patet ex lege correptionis fraternæ; a qua, ut dictum eſt in poſitione mea, nullus ſæcularium vel clericorum, etiam dominus papa vel beatus capitalis Chriſti diſcipulus eſt exceptus; quin, ſi pertinaciter peccaverit, eſt a reſiduo eccleſiæ corrigendus, etiam coram multitudine laïcorum; quia ſi Chriſtus ſummus pontifex voluit argui coram populo, & a quocumque de populo, ſi in eo foret quid arguendum, cum Johannis 8. dixit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quis tam arrogans vellet eſſe, qui exemplo illius ſe humiliter non ſubjiceret arguendum, cum nullus homo, quantumcumque in mundo magnus, ſit ipſo innocentior, melior atque humilior, quod doctor negat, ſimpliciter reſpondendo ad hunc textum, quando dicit allegans Gregorium, quod Chriſtus ibi non ſubmittit ſe correctioni populi, ut ex 2. q. 7. c. *Eccleſiæ* oſtenſum eſt, &c. ubi concluditur quod auditores prælatos reprehendere poſſunt, & in eos teſtificari. Et miror quæſtionem exilem quam format doctor, hanc videlicet: Chriſtus in iſto textu Johan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* ex ratione ſe probat peccatorem non eſſe: ergo Chriſtus in eodem textu non ſubmittit ſe correctioni populi; cum antecedens eſt verum, & conſequens falſum, ut jam oſtenſum eſt, & per conſequens concluſio vera.

Secundo, eadem concluſio probatur ex ſuppoſitione ſecunda antedicta, ubi probatum eſt, quod per eccleſiam in illo Chriſti verbo Matt. 18. *Dic eccleſiæ*: non ſolum intelligitur prælatus, ſed etiam univerſitas vel multitudo populi: & per conſequens ſi prælatus aut alius eccleſiaſticus ex caritate correptus ſe non correxerit, & pertinax fuerit in malo etiam perſonali, in defectu ſpiritualis præpoſiti, poteſt a quolibet Chriſti fideli caritative, habita ſufficientia & data opportunitate, redargui publice, etiam coram multis, ſervatis circa hoc circumſtantiis, quæ etiam circa quemlibet aliunm correptum debent obſervari, cum Chriſtus in illo prædicto verbo nullum excluſit; quin ſi peccaverit, & in illo peccato correptus pertinaciter permanſerit, redarguatur ſic, ut prædictum eſt, & per conſequens concluſio eſt vera.

Et miror quod doctor ita diligenter vult habere eccleſiaſticos exemtos a tali fraterna correptione coram multitudine, ſi & dum peccaverunt, cum Chriſtus nec apoſtoli volebant ſic eſſe exemti, & alios poſt ſe eximere, & pro hac conſingit ſibi gloſſas hinc inde textus ad illam correptionem ſonantes primarie, ad ſuam voluntatem gloſſando; ut, verbi gratia, admittit quod peccata prælatorum & ſacerdotum corrigantur primum *caritative*, & *ubi non ſufficit, procedendum* eſt ultra, juxta formam Salvatoris, adhibendus eſt unus vel duo, & coram illis corrigendus eſt. Quod ſi non audierit, dicendum eſt eccleſiæ, id eſt prælato; & ſi neglexerit, ab eo poteſt ad ſuperiorem, ſcilicet ſummum pontificem iri. Quod ſi diſſimulaverit, aut *ipſemet* peccaverit, dicendum eſt eccleſiæ, id eſt concilio generali; ſi concilium non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Et aliud, inquit doctor, non habent laïci in ſacerdotes, nec in defectu generalis concilii eſt alter recurſus, niſi quod res eſt Deo committenda, & pro eo eſt orandum. Ego autem neſcio cujus doctorum ſint gloſſæ illæ, excepto doctore meo. Sed iſtud miror, ex quo concilia generalia ab anno decimo in decennium celebrantur, ſeu indicuntur, ſi *tempore medio contingeret*, quod papa cum uxore imperatoris deprehenderetur, quid facere deberet imperator? an arguere eum, vel ad futurum concilium correptionem ſuſpendere; vel utrum, ſecundum quod magiſter Henricus de Colonia impugnans articulum noſtrum tertium, de libera verbi Dominici prædicatione, de Conſtantino imperatore retulit, ipſum debeat ſuo pallio operire, vel utrum dicere debeat, quia gratia benedictionis ita facit; & ſi ſic; ergo a ſimili ſi videris ſacerdotem incumbentem ſuper mulierem, ponentemque os ſuum ſuper os, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuper manus ejus; debes ſupponere, quod hæc cauſa reſuſcitationis a morte, more Heliſei, facit? Sed benedictus ſit Heliſæus, qui non ſuper mulierem, ſed ſuper puerum mulieris *incubuit*, 4. Reg. 4. Et laudabilis ſine ſuſpicione Elias, qui expandit ſe ſuper puerum, & non ſuper mulierem, 3. Regum 19. Et Paulus apoſtolus ſuper juvene mortuo. Act. 20. Et benedictus & laudabilis CHRISTUS JESUS, quia non poſuit manum in gremio mulieris, ſed ſtans apprehendit manum ejus & ſanavit eam, Lucæ 9. & quod non in gremium aut in ſinum manum impoſuit, quando dixit: *Puella tibi dico ſurge*. Matt. 9. Et laudatur ſine ſuſpicione mala Petrus apoſtolus, quod non incubuit ſuper mortua Tabita, ſed ponens genua oravit, & converſus ad corpus, dixit: *Tabita ſurge*, Act. 9. Si igitur iſta exempla ſunt vera ad ædificationem, ideo monere nos debent ſacerdotes, ut non manus ponamus in mulierum ſinum vel gremium cauſa abſolutionis: ſed more apoſtolorum, ſuper caput tam nos quam ipſas a ſtimulo ſatanæ liberemus. Hinc enim dicit

ſtimulo percuſſus Paulus 1. Cor. 7. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*, cum mulier ſit tamquam pix diaboli converſationem maculans ſacerdotum. Quale enim eſt tangere picem, & non inquinari ab ea, in igne ſine læſione verſari, tale eſt mulierem tangere, & cum ea habitare. Ideo Eccli. 9. dicitur: *Averte faciem tuam a muliere compta, & non circumſpicias ſpeciem alienam; propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hac concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Iſta autem quæ per doctores videntur dici pro gloria eccleſiaſtici ſtatus, timeo ne in majorem eorum contemtum dicantur; per extollentiam enim talem plus videntur coram ſapientibus reddi contemtibiles quam glorioſi.

Ex iſta concluſione ſequitur quod peccata mortalia publica perſonalia prælatorum & ſacerdotum ſunt in evangelizatione per ſacerdotes fideles, data eorum pertinacia, & habita ſufficientia & opportunitate, caritative arguenda & deteſtanda, etiam coram clero & communi populo, cujus oppoſitum opponens ponit. Patet ex concluſione & rationibus multis in poſitione mea poſitis, & utilitatibus ex prædicatione tali contra cleri malitiam ſequentibus, quas hic cauſa brevitatis reſumere omitto.

Ad rationes autem in oppoſitum, ubi doctor probans quod preſbyteri & alii eccleſiaſtici a correctione fraterna, & a denuntiatione pro peccatis ſuis perſonalibus publicis coram multitudine laicorum debeant eſſe exemti, etiam data eorum pertinacia, &c. inducit illud Alexandri de Hallis in tertia parte ſuæ ſummæ, quod malo prælato, quamdiu ab eccleſia toleratur, debetur honor, quamvis male præſideat, inducens illud pro probatione Matth. 13. *ſuper cathedram Moyſi ſederunt*, &c. Et inducit iſtud Teleſphori papæ, quod populus nullo modo debet eccleſiaſticos arguere, nec in eorum accuſationem ſuſcipi, & populus ab eis docendus eſt & corripiendus, non ipſi a populo. » Et adducit Gregorium Nazianzenum lib. 2. de Epiphaniis, & Chryſoſtomum ſuper 2. epiſtol. ad Timotheum homil. 2. & quotquot tales ſunt per eum allegatæ.

Ad omnes tales ſub uno per Dominum reſpondeo, quod omnes leges vel auctoritates quotquot ſunt, quæ correptioni vel accuſationi ſubditi, quoad ſuperiorem ſuum videntur repugnare, omnes intelligendæ ſunt de accuſatione vel correptione imprudenti vel temeraria, quod figuratum eſt per Petrum, præſumentem Dominum ſuum corripere, quando dicit: *Abſit hoc a te.* Matt. 18. Et quando clerici vel alii eccleſiaſtici ſervant limites ſui ſtatus & mores, ac ſtatum clerici non offendunt. Si autem clerici peccant notorie & habitualiter contra Dominum dominorum ſæcularium, & in caſu quorumcumque Chriſti fidelium, eſt in defectu ſpiritualis propoſiti, & exigentibus eorum demeritis ex qualicumque circumſtantia hujuſmodi forinſecam correptionem procurantibus ipſos corripere. Et hæc doctor in una ſua allegatione prætendit, quod temerarie non ſunt arguendi, quando adducit Gregorium in paſtorali lib. 2. & cap. 5. dicentem: » Ammonendi ſunt ſubditi, ne præpoſitorum ſuorum vitam temere judicent, ſi quid fortaſſe eos agere reprehenſibile vident, ſi objecerit quis illud apoſtoli dictum 1. Timot. 5. *Seniorem ne increpaveris ſed obſecra ut patrem.* Ad hoc 2. q. 7. *Paulus.* ſub auctoritate Origenis reſpondetur, ubi ſic dicitur. » Paulus dicit: *Seniorem ne increpaveritis*; ſed hæc ejus regula tunc in eo obſervanda eſt, cum culpa ſeniorum ſuo exemplo non trahit ad interitum corda minorum: Ubi autem ſenior in majoribus exemplum ad interitum præbet, ibi diſtricta increpatione feriendus eſt. Nam ſcriptum eſt: *Laqueus juvenum omnes vos*; & rurſum: *Maledictus puer centum annorum.* Hæc ille. Ex qua auctoritate patet quod Origenes intelligit de peccato ſuperiorum perſonali, & non fidei. Si forte adverſarius vellet gloſſare quia dicit ibi; ubi ſenior in majoribus exemplum ad interitum præbet, &c. Et hoc eſt quod doctor de Lita illum textum ſic gloſſat: » *Seniorem ne increpaveris*, arguendo eum verbis duris; ſed obſecra ut patrem, ut caveat ab indecentibus ſuæ ætati. Hoc tamen non eſt intelligendum de ſenſibus in ſua malitia obſtinatis, qui ſunt acriter arguendi, ſicut acriter & dure increpavit Daniel ſenes impudicos coram omni populo. Daniel 13. Hæc ille. Remigius autem ſuper primo textu ſic loquitur: » *Seniores ne increpaveris*, quia ſolent ſenes dure accipere, quando increpantur a minoribus. Sed dicit beatus Gregorius, quia licet beatus apoſtolus dicat: *Seniorem ne increpaveris*; ſenior autem ſtultus vehementer eſt increpandus. » Hæc ille. Et 2. q. 7. ſicut inquit, ſub auctoritate Gregorii ſcribitur: » Sicut laudabile diſcretumque eſt reverentiam & honorem exhibere prioribus: ita rectitudinis & Dei timoris eſt, ſi qua in eis ſunt quæ indigent correctione, nulla diſſimulatione poſtponere, ne totum, quod abſit, corpus morbus invadat, ſi languor non fuerit in capite curatus. » Hæc ille.

Ad rationes autem quibus probatur in poſitione mea, quod peccata mortalia perſonalia prælatorum & ſacerdotum ſunt in evangelizatione per ſacerdotes fideles, data eorum pertinacia, & habita ſufficientia & opportunitate, caritative arguenda, & deteſtanda, etiam coram clero & communi populo; doctor non ſufficienter reſpondit, ſed ut potuit evaſit & ſuperficialiter: ideo ſtant immotæ, & cum utilitatibus ex tali prædicatione ſequentibus.

Deinde pono concluſionem oppoſitam ſententiæ impugnantis iſtam.

Peccata mortalia publica perſonalia prælatorum, ſacerdotum & aliorum eccleſiaſticorum, ubi correctio fraterna, aut generalis reprehenſio per prædicationem Verbi Dei non ſufficeret, in defectu ſpiritualis præpoſiti, habita ſufficientia & data opportunitate, ſunt per poteſtates ſæculares, aut per Chriſti fideles laicos, ſecundum dictamen divinæ legis, etiam ſine aliqua ſpeciali licentia ab eccleſia habita, coactive punienda, & judicio condemnationis vel definitionis, ut eſt actus juſtitiæ, judicanda. Ubicumque pono quod peccata prælatorum ſunt punienda, & judicio condemnationis judicanda, non intelligo condemnationem ad mortem corporalem, ſed ad pœnam citra mortem condignam.

Probatur concluſio ſic: Olim Chriſtus, apoſtoli, ſacerdotes, & cleri omne collegium vixerunt ſub principum & aliorum Chriſti fidelium laicorum coactiva ſæculi juriſdictione & punitione, ac judicio ſæcularium ſubjecti erant, non ſe ab aliis, nec alios eximentes, aut eximere demandantes: ergo moderni prælati ſacerdotes & alii eccleſiaſtici, ſi volunt Chriſti ac apoſtolorum perfectionem imitari, tamquam eorum ſucceſſores, idem facere debent. Conſequentia eſt bona, quia ex oppoſito conſequentis inferri poteſt oppoſitum antecedentis. Quidquid enim Chriſtus cum apoſtolis exemplavit, & oppoſitum non determinat, perfectionis eſt illud ſuis ſucceſſoribus facere. Major autem eſt ſuppoſitio prima prædicta hujus partis. Minor autem argumenti, videlicet quod Chriſtus & apoſtoli & alii ſacerdotes olim ſubjecti erant ſæcularium punitioni & judicio coactivo, non ſe ab illis nec alios eximentes aut eximere demandantes, hæc primo patet exemplariter de Chriſto, qui non ſolum quantum ad temporalia minoravit ſe ſubeſſe juriſdictioni coactivæ principis ſæculi: verum etiam id oſtendit in ſe quantum ad propriam perſonam, qua nullam juriſdictionem altiorem in ipſum aut alium princeps habere potuit. Hoc autem poteſt evidenter oſtendi ex illo Matt. 27. ubi Chriſtus ſe capi permiſit, & ad Pilati duci prætorium, quia vicarius erat imperatoris Romani, & per ipſum demum, tamquam judicem coactivæ poteſtatis, ſe ſuſtinuit extremo ſupplicio judicari & tradi, nec coram ipſo, tamquam coram non judice, reclamat; licet fortaſſe ſignificarit ſe pati minus juſtum judicium. Conſtat autem quod tale judicium aut ſupplicium per ſacerdotes ſubire potuiſſe non voluiſſet, ſi inconveniens judicaſſet, futuros ſibi ſucceſſores principibus ſæculi ſubjici & per ipſos judicari. Quod quia hæc ſententia ſerioſius ſcripta eſt Johan. 19. idcirco adducam hic, quod habetur ibidem. Dum ergo Chriſtus ad Pilatum Cæſaris vicarium adductus & accuſatus eſſet, ex eo quod ſe regem Judæorum atque filium Dei dixiſ-

A ſet; Pilato autem interrogante Jesum: Unde es tu? Jesu autem ad hoc nullum dante reſponſum, dicit Pilatus ad ipſum verba conſequentia, & modo propoſito attinentia, quorum ſeries talis eſt: *Mihi non loqueris: neſcis quia habeo poteſtatem crucifigere te & dimittere te? Reſpondit* Jesus: *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi datum eſſet tibi deſuper.* Ecce quod Jesus non negavit Pilatum habere poteſtatem ipſum judicandi, & in ipſum judicium exequendi; nec dicit: hoc non pertinet de jure ad te: immo de facto id facis: ſed addidit, hanc poteſtatem habere Pilatum deſuper. Quomodo deſuper? Reſ-
B pondit Auguſtinus: Diſcamus ergo, quid dixit Chriſtus, ſcilicet quod & apoſtolum docuit Paulum, Rom. 13. Quid ergo ei dicit Chriſtus? Quid Apoſtolum docuit? Quia non eſt poteſtas, id eſt auctoritas juriſdictionis, niſi a Deo, quicquid ſit de actu male utentis ea; & quia plus peccat, qui innocentem occidendum poteſtati livore tradit, quam poteſtas ipſa. ſic enim timore alterius poteſtatis majoris occidit: talem quippe Deus dederat illi poteſtatem Pilato, ſed ut etiam eſſet ſub
C Cæſaris poteſtate. Fuit ergo judicialis coactiva poteſtas Pilati ſupra Chriſti perſonam, a Deo, ſicut aperte Chriſtus confeſſus eſt, & Bernardus palam expreſſit, & aperte dixit in epiſtola ad archiepiſcopum Senonenſem, epiſtola quadam: Cum, ut inquit, Romani præſidis poteſtatem ſuper ſe Chriſtus fateatur cœlitus ordinatam, loquens de poteſtate Pilati; quanto magis ſupra perſonas & temporalia omnium apoſtolorum, & ſuorum ſucceſſorum omnium epiſcoporum & prælatorum, fuit hoc non ſolum verbo Chriſti memoratum, ſed operis conſummatione firma-
D tum. Nam per eumdem Pilatum pro tribunali ſedentem, lata fuit ſententia in Chriſtum, & per ipſius auctoritatem illius executio facta ſententiæ; unde Johannis eodem capite habetur hæc ſeries: *Pilatus autem cum audiſſet hos ſermones, adduxit foras* Jesum, *& ſedit pro tribunali*; & ſubditur paucis interpoſitis: *Tunc ergo tradidit illis* Jesum, ſcilicet, *ut crucifigeretur.* Sic Abiathar ſubjectus erat, & non eximebat ſe a judicio Salomonis, 2. Reg. 2. Sic, ut Hieronymus refert in libro Virorum illuſtrium, Damaſus papa a ſubdi-
E tis de adulterio accuſatus, cum 42. epiſcopis ſe expurgavit, ſicut 2. qu. 7. *Nos ſi.* Leo IV. ſubmiſit ſe Ludovici imperatoris examini, ut in probatione tertii corollarii meæ poſitionis eſt adductus; & Samuel 1. Reg. 12. ſubmiſit ſe judicio regis & accuſationi communitatis, quoniam dixit: *Ecce præſto ſum, loquimini ad me coram Domino & coram chriſto ejus, utrum bovem cujuſquam tulerim, an aſinam, &c.* Super quo etiam de Lira: *Loquimini de me coram Domino & coram chriſto ejus*, id eſt Saule rege, qui de novo erat inunctus, propter quod Samuel coram eo vo-

lebat judicari, *utrum bovem cujuſquam tulerim*, ponendo in opere meo, *aut aſinum*, ſuper eum de loco ad locum incedendo, &c. Hoc de Lira.

Quod autem communitas fidelium quandoque poſſit judicium ferre in contumaces aut aliter criminoſos, etiam in ſacerdotes, demonſtro per Apoſtolum 1. Corinth. 5. ubi cauſam, formam & modum, per quos hoc judicium in quemquam ferri debeat, tradit Apoſtolus, magis expreſſe Chriſti verborum ſequens & explanans ſententiam, dum dicit: *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi, ut præſens, eum qui ſic eſt operatus, in nomine* Jesu Christi *congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini* Jesu, *tradere hujuſmodi Satanæ*, criminoſum ſcilicet quemdam, qui patris ſui uxorem cognoverat carnaliter. Et non mandavit hoc Apoſtolus fieri, ut dicit Ocham, per preſbyterum aliquem, nec alicui epiſcopo vel preſbytero ſcripſit hoc fiendum per ipſum, cum tamen ad ipſos tunc mitteret Timotheum, qui epiſcopus erat, quod feciſſet, ſi hoc judicium ad ſacerdotis auctoritatem pertinere noviſſet, quemadmodum in aliis fecerat.

Sed diceret adverſarius: Ipſi non habuerunt auctoritatem hoc faciendi ſine Apoſtoli conceſſione & auctoritate, quia nominatim dixit: *Ego autem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi, ut præſens, eum, &c.* Ad hoc reſpondetur ipſi, priuſquam ipſe dixit; *Jam judicavi ut præſens*, habuerunt auctoritatem judicandi, puniendi & ejiciendi, cum arguuntur ab Apoſtolo, quare hoc non fecerunt. Cum autem verba, præmiſſa dixit: *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrûm, qui hoc opus fecit.* Super 1. Ambroſius: Superbiam illorum in tantum humiliat, ut non querulos jam, ſed magis ſupplices faciat. erant enim & ipſi participes, dum paterentur reum tam ingentis facinoris ſecum incorreptum convenire, quod omnes uno conſilio abjicerent eum, ſi negaret emendare ſe: ſi autem quis poteſtatem non habet quem ſcit reum, abjicere, aut probare non valet, immunis eſt. Hæc ille. Ad idem eſt doctor de Lira & alii communiter poſtillatores, qui teſtantur quod Apoſtolus ibi arguit in eis primo culpam, cum dicit: *Omnino auditur inter vos fornicatio.* Secundo prædicit pœnam, ubi dicit: *Ego quidem abſens corpore, &c.* & tertio reprehendit culpæ radicem, ibi: *Non eſt bona gloriatio veſtra*, ubi arguit contentionem quam ad invicem habuerunt, propter quam neglexerunt corrigere. Et tradit eis formam, ex qua inter ipſos exhinc contentio non poſſet oriri; quoniam ipſis congregatis in unum, maxime ſi per modum judicii coactivi hoc fieri debebatur, propter quod gloſſa. Auguſtinus dicit: Ut vos congregati in unum, abſque aliqua diſſenſione, id eſt de communi conſenſu per vos fiat, vel judicem ex communi conſenſu per vos ſtatutum ad hoc; quod idem eſt.

Ad hoc autem quod objiciebatur, quod ſcilicet communitas non habuiſſet auctoritatem ipſum ejiciendi ſine conſenſu Apoſtoli, quia dixit Apoſtolus: *Jam judicavi ut præſens;* dicitur quod ſibi, ſicut & alteri eccleſiaſtico conveniebat judicare ſeu diſcernere, qui ſecundum legem evangelizatam ſint a fidelium præcidendi conſortio, ne alios inficiant; quemadmodum medicus judicare habet de morbo corporali, propter quem debet quis, ne alios inficiat, ut leproſus, ab aliorum conſortio ſeparari. Coactiva autem poteſtas hujuſmodi expellendi, fidelium univerſitati, vel judici per eos inſtituto, demandari ſpecialiter conſuevit. Et pro iſto, quod officia regum & aliorum ſæcularium ex una, & eccleſiaſticorum parte ex altera ſint condiſtincta, habetur 2. q. 7. *Nos ſi.* Sed notandum ubi legitur, quod ſicut reges præſunt in cauſis ſæculi, ita ſacerdotes in cauſis Dei; regum eſt corporalem irrogare pœnam, ſacerdotum ſpiritualem inferre vindictam. David ergo, etſi ex regali unctione ſacerdotibus & prophetis præerat in cauſis ſæculi, tamen ſuberat eis in cauſa Dei. Et infra: Sicut ergo Ozias a Domino lepra percuſſus eſt, quia ſacerdotum officia uſurpare voluit, ſic ſacerdotibus & prophetis regum officia uſurpare non licuit. Hæc ibi. Notabilem autem diſtinctionem inter prædictos duos ſtatus Hugo tangit de Sacramentis lib. 2. parte 2. cap. 3. ubi dicit: Laïcis Chriſtianis fidelibus terrena poſſidere conceditur, clericis vero ſpiritualia tantum committuntur, quemadmodum olim in illo populo priore, ceteræ tribus, quæ typum laïcorum præferebant, portiones in hereditate acceperunt; ſola tribus Levi, quæ clericos figurabat, decimis & oblationibus & ſacrificiorum victimis paſcebatur. Hæc ille. Et in ſignum illius Apoſtolus arguit communitatem, quod correctivam potentiam in iſtum fornicarium non exercuerit. Et poſtea, ipſo agente pœnitentiam, iterum pro eo petebat communitatem ut reconcilietur. 2. Corint. 2. ſicut per illam fuit judicialiter ejectus, & ille fornicator, ſecundum aliquos, fuit ſacerdos; ex quo patet ſacerdotes non eximi a judicio & ſententia laïcali pro peccato perſonali. Unde Chryſoſtomus in libro de Reparatione lapſi cap. 10. ſic ſcribit: Apud Corinthios erat quidam vir, ut videtur, non ignobilis, hic commiſerat tale peccatum, quale nec inter gentes admitti ſolet, & erat ex numero fidelium & familiarium Chriſti. quidam enim eum ex ſacerdotali ordine fuiſſe tradunt. Hæc Chryſoſtomus. Et in confirmationem illius, quod univerſitas fidelium habet juriſdictionem in eccleſiaſticos, ipſos judicandi & puniendi, eſt Origenis homilia 7. ſuper Joſue, & loquitur popularibus: homilia enim eſt

sermo ad populum. Qui sic inter cetera scribit, & circa positionem meam est adductus.
» Si dextera, inquit, manus tua scandalizaverit
» te, abscide eam & projice abs te. Numquid-
» nam manus corporis nostri aliquando scan-
» dalizat nos, ut de hac manu evangelium di-
» cat, Abscide eam & projice abs te ? Sed hoc
» est quod dicit: Ut ego qui video tibi manus
» esse dextera, & presbyter nominor, & verbum
» Dei videor prædicare, si aliquid contra ec-
» clesiasticam disciplinam & evangelii regulam
» gessero, ita ut scandalum tibi & ecclesiæ fa-
» ciam, in uno assensu ecclesia universa exci-
» dat me dexteram suam, & projiciat a se. ex-
» pedit enim tibi ecclesiæ absque una manu
» tua, quæ male agendo scandalum fecit, in-
» troire in regnum cœlorum, quam mecum
» ire in gehennam. Hæc Origenes. Immo communitates non cohibentes suos superiores a malis, etiam ecclesiasticos, peccant, secundum Augustinum super psal. 81. ut habetur 23. q. 3. *Ostendit*, ut pro me circa articulum est adductus, & supra per Ambrosium dictum est, quod communitas Corinthiorum deliquit, non puniendo in sacerdote fornicatorio. Et plura circa corollarium articuli mei secundum, dicta sunt de hoc, & specialiter de Nabuchodonosor, qui habuit potestatem a Deo ducendi filios Israël cum eorum sacerdotibus & levitis in captivitatem Babylonicam, 4. Reg. ult. & in hoc non reprobatur; sicut nec Vespasianus & Titus, qui 42. anno post Christi Ascensionem judicaverunt omnes sacerdotes & levitas, quos invenerunt in Hierusalem, esse in ultionem Christi notabiliter puniendos. Et communitas in Babylonia vindicat in presbyteris falsum testimonium in Suzannam dicentibus.

Et circa secundum corollarium mei articuli adductus est Ambrosius, ut habetur 23.
» q. 5. *Remittuntur*: Quomodo puniuntur pec-
» cata per judices & etiam per populos, sic le-
» gimus, quod sæpe ab alienigenis Dei jussu ex-
» citatis, propter divinæ majestatis offensam,
» subactus est populus Judæorum. Et quomodo 24. q. 3. *Tam sacerdotes*. sub auctoritate
» Anacleti dicitur: Quod tam sacerdotes, quam
» reliqui fideles, omnes summam debemus ad-
» hibere curam de his qui pereunt, quatenus
» eorum redargutione aut corrigantur a pecca-
» tis, aut, si incorrigibiles apparuerint, ab ec-
» clesia separentur. Item Deuteron. 22. præcipitur, ut si quis viderit bovem fratris sui errantem, & illum non prætereat, sed reducat; & asinum si viderit cecidisse in via, ut non despiciat, sed sublevet eum. Ex quo ergo de brutis proximorum debet alter esse sollicitus, quanto magis de proximo peccante vel errante, etiam sacerdote, cum unicuique Deus mandavit de proximo suo. Eccli. 17. Et mirabile est quare prælatus vel clericus, dum pedi ejus os vel spina infigitur, finit sæcularem ipsam extrahere, ut possit debite ambulare, & non sic finit, dum peccat, ut pro illo arguatur & emendet, ut possit recte, in Christi vestigiis ambulans, animam salvare. Forte per hoc ostendit, quod plus diligit pedis plantam, quam propriam animam. Si enim plus diligeret animam, tunc correctionem cum gaudio sustineret.

Ex ista conclusione corollarie sequitur, quod peccantibus rectoribus spiritualibus, subditi fideles licite possunt, & in casu tenentur superiorum peccata per justitiam corrigere, castigare aut punire. Patet ex conclusione & ejus probatione. Circa hoc tamen est notandum, quod illicitum est quempiam corripere, nisi correptus sit inferior corriptore: & per consequens correptor legitime cavere debet præcipue, ne tactus hypocrisi & macula proprii sceleris, sit in damnatione consimili. Præsupponi ergo debet correptum esse culpabilem & correptorem legitimum immunem; ut docet Christus Matt. 7. *Hypocrita ejice primum trabem*, &c. Cum omnis peccator, ut hujusmodi, sit justo inferior quoad Deum, & per consequens simpliciter inferior; & ita in corrigendo est Apostolus, quando dicit: *Seniorem ne increpaveris*, quod non licet subditum superiorem suum arguere legitime, nisi fuerit in gratia, superiore peccante mortaliter, & per consequens existente in gratia a dignitate seniore. Si autem senior in moribus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est 2. q. 7. *Paulos*. Unde eadem q. sic loquitur Gratianus: « Quod dicitur: majorum quispiam nullius minoris accusationibus impetatur: minores intelligendi sunt, non ecclesiastica dignitate, sed vita. « Hoc corollarium patet per doctorem, qui adducit Liram sub illo Exodi 21. *Si quis per insidias occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo evelles eum ut moriatur*. Qui sic inter cetera dicit: Quod si sacerdos occidisset, extrahebatur; nisi officium ministrandi incœpisset, quo casu expectabitur complementum ministerii; quo peracto, trahebatur ad mortem. » Hæc ille. Ecce quod habuerunt jurisdictionem etiam super sacerdotes.

Et quamvis ad omnes rationes opponentis & conantis probare, quod peccata publica prælatorum personalia & aliorum superiorum statu, sic, ut dictum est, non debeant sæculares potestates aut per Christi fideles laïcos etiam subditos per justitiam corporis castigari aut puniri, possit dari generalis responsio, & sufficeret, scilicet ista: Quod omnes tales auctoritates quotquot sunt, quæ punitioni vel judicio subditi quoad superiorem videntur repugnare, omnes intelligendæ sunt, quod hoc non debet fieri imprudenter & temerarie; vel quando tales prælati vel superiores servant limites sui status, vel quando eorum præpositi eis peccantibus ipsos corrigere, punire vel castigare non ne-

gierint: tamen ad quaſdam dabitur ſpecialis reſponſio quæ majorem videatur auditoribus dare apparentiam.

Et primo capio iſtud Conſtantini, de quo in 3. libro hiſtoriæ tripartitæ dicitur, ſecundum impugnantis allegationem, quod epiſcopis inter ſe diſſidentibus, & libellos famoſos contra ſe invicem Conſtantino offerentibus, ipſe ait: Dominus conſtituit vos ſacerdotes, & poteſtatem dedit vobis de nobis judicandi: ideo nos a vobis recte judicamur; vos autem non poteſtis judicari ab hominibus, propter quod inter vos Dei ſolius expectate judicium. Vos eſtis nobis dati dii, & inconveniens eſt ut homo judicet deos &c. Ad hoc reſpondetur, quod verbum fuit exhortationis & monitionis, quo ſiquidem devotus Conſtantinus oſtendit quales eſſe deberent epiſcopi & ſacerdotes. Tales enim deberent eſſe ad invicem & ad alios, quod in ſæculari judicio non oporteret ipſos contendere, ſecundum doctrinam Apoſtoli 1. Cor. 6. *Quare*, inquit, *non magis injuriam accipitis, quare non fraudem patimini, quid inter vos habetis judicia?* Et quod additur ex verbis Conſtantini: Poteſtatem dedit vobis Deus de nobis judicandi: dico quod verum eſt, judicio ſpirituali, ratione clariſſima, quemadmodum medicus judicare debet de morbo, ut ſupra tactum eſt, non autem judicio coactivo. Ad hoc autem quod additur ex verbis Conſtantini: Vos non poteſtis judicari ab hominibus, quoniam dati eſtis nobis dii, &c. Reſpondetur quoad negationem judicii ſacerdotum revera ſæcularium, quod intelligitur de preſbyteris heroïcis, quos ſcriptura deos appellat; & de illis intelligit Apoſtolus 1. Cor. 2. *Spiritualis homo judicat omnia, & a nemine judicatur.* Unde ſic loquitur imperator: Dignum, inquit, non eſt, ut nos judicemus deos, quia oportet ad hoc quod judicium cauſæ preſbyteri ſit devolutum ad judices ſæculares, quod excidat a moribus & conditione deorum.

Ex cujus hiſtoriæ ſerie liquet aperte cunctos epiſcopos Romanos principi coactiva juriſdictione ſubjectos, quoniam ad ipſum judicium ſpontanei nec coacti ſuas contentiones & jurgia detulerunt, ipſius interpellantes examen atque judicium, ut Iſidorus narrat ibidem. Et hæc eſt etiam ſententia Ocham in ſuo defenſorio diſtinct. 2. c. 2.

Similiter reſpondeatur ad dictum Clementis ad Jacobum fratrem Domini, & Evariſti papæ, & ad alias auctoritates canonum & doctorum, Gregorii Nazianzeni, Chryſoſtomi & aliorum, in quibus mentio fit, quod epiſcopi non ſunt judicandi ab aliis quam a Deo, quia intelligunt, quod non ſunt judicandi ab aliis, quoniam imitantur Chriſtum, & ſtant digne in ſtatu ſuo. Si autem eccleſiaſtici fuerint inordinati, & arguantur a ſuis præpoſitis, non eſt neceſſe laïcis ipſos arguere: ſed ex hoc non ſequitur, quod ſi peccant, & præpoſitus ipſos negligit, quod non debeant aut poſſint licite argui, ut ſupradictum eſt.

Nec ex verbis Chryſoſtomi probatur, quod eccleſiaſtici in tali caſu non debeant a ſæcularibus judicari; ſed verius probatur, quod laïci debeant de vita, ſermonibus & operibus preſbyteri judicare: quia quomodo, rogo, prudenter Chriſtus aliter præciperet, ut omnia quæcumque dixerint faciant, & non ſecundum opera eorum vivant. Cum ergo Deus mandat populo de ſacerdotum operibus judicare, populus debet doctrinæ & verbis Domini obedire; quia aliter fidelis foret in mortis æternæ periculo, niſi judicaret diſtricte de opere ſui preſbyteri; quomodo crederet verbis ſuis, & in qua converſatione ipſum imitaretur, & in quo ab ipſo ſe auferret aut inſurgeret.

Ad illud autem Ezechielis 33. de ſpeculatore, ubi impugnans adducit dicentem Dominum: *Quod ſanguinem pereuntis de manu ſua requiram, non populus terræ, ſed ego, dicit Dominus*; ex quo concludit impugnans, quod non habet negligentias exigere populus ex auctoritate de manibus prælatorum, ſed Dominus. Reſpondetur, quod multas biblias vidimus in regno & hic, & in nulla reperimus illum textum per doctorem allegatum: *Non populus terræ.* Sed dato quod aliquæ bibliæ illum contineant, adhuc opponens non habet propoſitum, quia tunc ſic reſpondendum eſt ad illam auctoritatem: Quod quamvis Deus de manu ſpeculatoris negligentis, ſanguinem requiret requiſitione finali & authentica, & *non populus terræ*, ſupple ſic, requiret: ex illo tamen non concluditur, quin populus terræ in caſu ſic, ut prædictum eſt jam ſæpius, non habeat negligentias exigere de manibus prælatorum ſubauthentice; quia ſecundum doctorem de Lira ſuper iſto Ezech. 3. *Cum autem pertranſiſſent ſeptem dies, factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, ſpeculatorem dedi te*, &c. Ibi arguitur Ezechielis ſilentium per ſimilitudinem ſpeculatoris, & quia nimis tacuerat, videlicet per ſeptem dies, ideo oſtenditur ſibi pœna taciturnitatis, quæ fuit duplex, una recluſionis & ligationis, & ſecunda, ſubtractio locutionis.

Ad hoc autem, ubi pro libertate clericorum adducit illud, qualiter in regno Ægypti ſub Pharaone, ſacerdotes liberi erant ab omni Pharaonis exactione; reſpondet Origenes homil. 16. ſuper Geneſim, quod per hoc nequiores eſſe ceteris oſtenduntur, qui pro nimia familiaritate, quæ eis eſt cum Pharaone, nihil permutationis recipiunt, ſed permanent in mala poſſeſſione; & ſicut his qui in fide & ſanctitate præerant, dicit Dominus: *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos*: ita dicit & iſtis Pharao, tamquam qui ad ſummum

» gradum nequitiæ, & ad ſacerdotium perdi-
» tionis aſcenderant: jam vos non dicam ſer-
» vos, ſed amicos. Hæc ille.

Ad hoc autem ubi exponens ſubinfert: Quod ſub evangelio ſacerdotium liberum eſt ab omni poteſtate ſæculari, & probans illud Matt. 17. ubi Chriſtus interrogavit Petrum, a quibus reges accipiunt tributum &c. Dicit, quod per filios regis intelligit apoſtolos, reſpondet ſuppoſitio prima ſecundi puncti.

Illa autem alia quæ adducit, quod in lege Moſaïca non reperiuntur ſacerdotes populo eſſe ſubjecti: Ad hoc reſpondetur, quod in lege Moſaïca reperiuntur ſacerdotes ſæcularibus eſſe ſubjectos. Hoc primo patet 1. Reg. 22. de Abimelech cum ſuis ſacerdotibus, qui accuſatus coram rege Saül, quod conſuluiſſet Dominum pro David, & dediſſet ſibi gladium Goliath, & manducare panes propoſitionis, & citatus comparuit cum univerſis ſuis ſacerdotibus, & excuſavit ſe coram eo, & multa pro ſua innocentia allegavit. Scribit enim doctor de Lira ſuper illo paſſu, quod ibi poſita occaſione accuſationis, ponitur conſequenter accuſandi actus; & poſtea: ipſius Abimelech cum ſuis citatio, & ſuæ innocentiæ declaratio. Ex quo patet quod iſti ſacerdotes erant ſubjecti regi, & ejus mandato paruerunt, licet poſtea injuſte fuiſſent per eum condemnati. Ad hoc idem ſcribitur 2. Paralip. 6. quomodo Salomon conſtituit juxta diſpenſationem patris ſui David officia ſacerdotum in miniſteriis ſuis, & Levitas in ordine ſuo, ut laudarent & miniſtrarent juxta ritum uniuſcujuſque, &c. Ex quibus videtur illud dictum doctoris non eſſe ſufficiens, quod circa finem ſecundi puncti ſcribit, quod ſæculares nihil juriſdictionis habent in eccleſiaſticos. Item ſi Moyſes, qui ſecundum dominum auditorem, quartum noſtrum articulum impugnantem, fuit ſacerdos, erat ſubjectus ſano conſilio Jetro gentilis & extranei, quod inconveniens foret, ſi idem Moyſes ſubjectus fuiſſet conſilio populi peculiaris domini, in caſu debito occurrente. Et ſi aſina brutum animal, juſte redarguit Balam prophetam, cui in hoc ſubjectus fuit, quod inconveniens foret, ſi in tali caſu ſubjectus fuiſſet redargutioni ipſius populi Dei?

Poſt hæc pro oſtenſione ſui propoſiti inducit illud 2. Reg. 1. de David, qui juvenem dicentem ſe occidiſſe Saül regem, licet mentiretur, occidit; quid, inquit, non feciſſet, ſi licuiſſet ſibi regem occidere? Ex quo arguere vult doctor, quod non licet ſubditum punire ſuum ſuperiorem. Ad hæc videtur quod magna eſt differentia inter communitatem, a qua originaliter, ſive per electionem, ſive per hereditariam ſucceſſionem, procedit rex; & unam perſonam illius communitatis; & per conſequens, ſi una perſona talis aliquid facit, mentiendo forte vel ſuum lucrum quærendo, eſt multo aliud, quam faceret illa communitas contra regem, rationabilem contra eum habens cauſam. Sed quia iſte unus mentiendo, & forte proprium aliquid quærendo, finxit ſe regem invadere, eſt punitus a David, & David in hoc non redarguitur: ubi ſi communitas ſub aliqua cauſa rationabili conſurrexiſſet in regem Saul, a qua ipſe originaliter proceſſit, forte non ſic a David fuiſſet redarguta, & per conſequens nihil iſtud facit pro opponente, nec ideo poſui hoc in poſitione mea, quod perſona talis deberet invadere aliquem regem, vel alium ſuperiorem &c.

Illa etiam quæ opponens pro ſe adducit: Proverb. xiii
primo iſtud: *Per tria movetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere.* Primum eſt per ſervum, cum regnare cœperit. Hoc autem, dicit doctor, fieret ſi ſubditi vellent defectus ſuperiorum per juſtitiam vindicare. Secundo inducit illud Proverb. 18. *Non decent fervum delitiæ, nec fervum dominari principibus.* Tertio inducit illud Iſaiæ 17. *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea;* per quæ omnia vult, quod injuſtum eſt, ſubditos contra ſuos inſurgere ſuperiores. Sed illa nihil faciunt ad propoſitum opponentis, nec ſunt contra me, cum ſint contra ſtultos & temerarios ſubditos & tyrannos. Nec ego per propoſitionem meam intendo, quod aliqui tales deberent regnare, vel inſurgere & opprimere tyrannice aliquos, & ſic qui vult vere reſpicere & penſare, omnes illæ auctoritates, quotquot opponens pro ſe adducit, nihil faciunt ad ſuum propoſitum, nec ſunt contra me, ſicut nec illud ſibi ſuffragatur, quod Chriſtus ſingulariter dixit Petro: *Paſce oves meas*; quia quantum ad poteſtatem ordinis, non minus in hoc habet quicumque alius apoſtolus, quam Petrus, licet poſtea, quantum ad juriſdictionem, præter ſcripturæ expreſſum fundamentum, tales præeminentiæ & differentiæ ſunt inductæ. Ergo nihil ibi capit opponens, ſicut nec ibi, ubi adducit de Anania & Saphira, & de Simone mago, & de aliis quæ omitto.

Illud etiam nihil pro doctore facit, quod allegat de Apoſtolo, qui, ut Actuum 23. ſcribitur, dixit: *Neſciebam quod princeps ſacerdotum eſſet.* Ad hoc enim oſtendit decretum 25. q. 1. *Paratus*, quod Apoſtolus hæc dixit ironice, ſciens eum principem ſacerdotum eſſe, &c.

Ex quibus jam ſupradictis poteſt, qui vult penſare, bene cognoſcere, quam ſuperficiales & evaſivæ ſint gloſſæ doctoris, gloſſantis auctoritates in mea poſitione, hæc ſententiantes, quod in caſu non excipiantur prælati, preſbyteri & alii eccleſiaſtici a correctione fraterna de peccatis perſonalibus, etiam coram multitudine laïcalis populi, & a juriſdictione ſæcularium perſonarum, quin

in defectu ſpiritualis præpoſiti, habita ſufficientia & data opportunitate, ſint per poteſtates ſæculares, aut per Chriſti fideles laïcos, ſecundum dictamen divinæ legis, etiam ſine aliqua ſpeciali licentia ab eccleſia habita, coactive punienda, & judicio definitionis, ut eſt actus juſtitiæ, judicanda, vel coram multitudine a laïcis vel a ſacerdotibus in prædicatione caritative arguenda; & per conſequens doctor magnum ſuper hoc negotio impendens laborem, & velamen malitiæ ſacerdotum conſtituens & contexens, nihil aut modicum proficit.

Actus 3. dici. Tertium principale de indulgentiis.

Quantum ad tertium principale, ubi doctor fundare nititur modernas indulgentias, in lege Domini non fundatas, & fictas litteras fraternitatum, & litteras confeſſionales, & etiam reliquiarum modernas veneraciones. ubi tamen ante omnia miror, quo ſpiritu ductus doctor, neſcio ſi bene reſpexit ſcripta mea, vel non: quia ubi ego ſcribo, reprehendens fictas & venales a pœna & a culpa abſolutiones & indulgentias, in lege Domini non fundatas, ibi doctor dicit me poſuiſſe in ſententia; quod abſolutiones a pœna & culpa ſunt fictæ, & quod indulgentiæ non ſunt in lege Dei fundatæ. Et ubi ego poſui, reprehendens modernas peregrinationes ab hominibus inventas, ſuperſtitioſas, idolatriam ſapientes, & cleri avaritiam nutrientes, ibi doctor dicit me ponere, quod peregrinationes per homines inventæ ſunt, ſuperſtitioſæ, idolatriam ſapientes, & cleri avaritiam nutrientes. Illo tamen non obſtante, committendo conſcientiæ ſuæ, quare ſic egerit, ad materiam in ſe accedo.

Et primo ad materiam indulgentiarum, ubi doctor fundare volens opinionem Thomæ & ſequentium ejus de indulgentiis, præſupponit eſſe ſupererogata merita ſanctorum, & ſpecialiter Chriſti in cœlis, quæ omnia vocantur ſpiritualis theſaurus eccleſiæ, in gazophylacio ſpirituali eccleſiæ & in capite ejus reconditus. Inſuper innuit, quod ſummus pontifex, cum ſit Chriſti vicarius, in tria habet generalem & plenariam poteſtatem diſtribuendi hunc theſaurum fidelibus, ſecundum quod libuerit plus vel minus: nec licet diffidere, quin poteſtas impertiendi iſta ſpiritalia ſuffragia, remaneat continue inexhauſta, quia aliter deficeret Chriſtus, dando poteſtatem clavium ſuo vicario hic in terris. Et prætendens ſententiam illam fundare in cap. Matt. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum, &c.* tangit duplicem cauſam, quare ille theſaurus ab his, qui eum habent diſpenſare, debeat erogari. Primo, propter Dei honorem & gloriam; & ſecundo propter communem eccleſiæ utilitatem. Et timens doctor, ne forte inſufficiens ſit dictarum indulgentiarum in fide ſcripturæ fundatio, ad auctoritatem eccleſiæ recurrit, ibi dicens: Et eſto quod in lege Dei, hoc eſt quod in ſcriptura veteris & novi teſtamenti non poſſit reperiri fundata auctoritas ſpiritalis & expreſſa ad hujuſmodi indulgentias diſtribuendas; tamen ad hoc inſtituendum vel conferendum ſufficeret ſola eccleſiæ auctoritas. Et quamvis dominus doctor dicat de abſolutionibus a pœna & a culpa, quod iſtæ non ſunt modus communis concedendi abſolutiones a ſummo pontifice, & ſi aliquæ bullæ ſub tali forma dentur, dicit quod ſubreptitie dicuntur impetratæ: ſi ſubreptitie impetrentur tales, tamen hoc eſt valde periculoſum. Nobis enim conſtat quod tales bullæ currebant per orbem Chriſtianitatis, & multas ſub tali forma *litteras* vidimus in regno noſtro; ſi jam ille modus ſit limitatus neſcio.

Ne autem videar negare veras indulgentias, & in lege Domini fundatas, ſuppono deſcriptionem hujus ſigni, indulgentia. Eſt enim indulgentia actus indulgentis, ita quod indulgentia non ſit aliud, niſi habentis ad hoc poteſtatem indulgere; & eſt indulgere gratis concedere, offenſam dare ſive remittere vindictam, quam reus debet pro exceſſu ſuſtinere. Et ſic legitur ſcriptura Judith 8. *Indulgentiam Domini cum lacrymis poſtulemus*; indulgentiam, id eſt actum indulgendi. Sic etiam ſumitur Iſaïæ 26. *Indulſiſti genti duræ;* & ejuſdem 61. in perſona Chriſti dicitur: *Spiritus Domini ſuper me;* & infra: *Ad prædicandum captivis indulgentiam*, id eſt actum indulgendi. Lucæ autem 4. Salvator legens hanc ſcripturam dicit: *Et prædicare captivis remiſſionem;* ex quo patet, quod idem eſt indulgere & remittere; quia ubi Iſaïas dicit indulgentiam, Salvator dicit remiſſionem; & cum unius ſpiritus ſint verba non diſcrepantis in ſententia, patet quod indulgentia & remiſſio ſunt idem, & ſic, ſicut aliquando eſt indulgentia culpæ & non pœnæ, ſic & remiſſio; & cum Dominus indulget vel *remittit* peccatum, *mundans* animam ab interiori macula, ſed non remittit ei pœnam, niſi ſatisfaciat pro peccato. Dicit enim Baptiſta Lucæ 3. *Facite dignos fructus pœnitentiæ*, ſecundum magiſtrum ſententiarum in 4. diſt. 16. ut ſcilicet ſecundum qualitatem & quantitatem culpæ, ſint quantitas & qualitas pœnæ; & iterum ſicut aliquando eſt indulgentia culpæ & pœnæ, ſic & *remiſſio*, ut cum Deus omnipotens infantulum mundans ab interiori per baptiſmum macula, ſine ulteriori pœna ipſius animam perducit ad cæleſtia regna. Quod autem indulgentia quæcumque conceſſionem activam connotet, ut cum dicitur papa: indulſit hæc illi clerico, id eſt conceſſit; & aliquando connotat diſpenſationem, & aliquando jus, ſunt locutiones principaliter juriſtarum.

De triplici remiſſione peccatorum.

Ulterius noto, quod remiſſio peccatorum eſt triplex, ſcilicet autentica, ſubautentica, & miniſterialis. Autentica eſt quæ fit poteſtate non aliena, ſed propria; & hæc competit

petit ſoli Deo, juxta illud Iſaïæ 43. *Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me*; & quoad hoc dicitur Lucæ 5. *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* intelligitur authentice. Subauthentica remiſſio peccatorum eſt, quæ Chriſto homini competit ratione humanitatis unitæ Verbo hypoſtatice, quæ humanitas fuit medium principaliſſimum redimendi genus humanum, ex parte cujus humanitas opprobria, labores, pœnas, dolores & mortem noſtris ſuſtinuit pro peccatis, & de iſto Iſaïas 53. dicit in perſona ſalvandorum: *Vere languores noſtros ipſe tulit*; & infra: *Et livore ejus ſanati ſumus.* Et iſtam remiſſionem peccatorum ſubauthenticam, nullus habet nec habere poteſt præter hominem, qui eſt Deus. Si enim haberet quis illam, tunc oporteret quod exiſtens homo & Deus duceretur ad victimam, ſicut agnus non aperiens os ſuum: de quo agno Johannes Baptiſta Johan. 1. dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, de quo Auguſtinus ad Julianum dicit: « Non tollit peccata, niſi ſolus Chriſtus, qui eſt agnus tollens peccata mundi. Et Ambroſius: « Ille ſolus Chriſtus dimittit, qui ſolus pro peccatis mortuus eſt. » Et iſtum modum dimittendi peccata notat eccleſia in collectarum concluſionibus, in quibus dicitur: Per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, valet tantum, id eſt, per humanitatem Domini noſtri JESU CHRISTI, cujus paſſione & morte tolluntur pœnitentium peccata.

Miniſterialis remiſſio peccatorum eſt, quæ fit per miniſterium miniſtri idonei, ut per miniſtrum baptiſmi, &c. & aliorum ſacramentorum; per verbi Dei prædicationem, per bonum conſilium, per ſanctam orationem, vel per exemplum vitæ ſanctæ. Et iſta remiſſio ſacerdotibus Chriſti convenit, juxta illud Matt. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum*, &c. Et Matt. 18. & Johan. 20. juxta expoſitionem ſanctorum doctorum.

Ex jam dictis recolligitur quid eſt remiſſio peccatorum ſuprema, media, & infima. Suprema authentica, ſolius Dei; ſubauthentica media, ſolius hominis Chriſti; infima miniſterialis, ſcilicet ſacerdotis Chriſti rite miniſtrantis. Et ſicut humanitas Chriſti & miniſterium ſacerdotis prærequirunt Deum & ejus potentiam atque agentiam, ſic media & infima remiſſio prærequirunt cauſaliter remiſſionem peccatorum Dei primam; & miniſterialis prærequirit authenticam & ſubauthenticam. Et hoc dicit Salvator Johan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Et cum CHRISTUS JESUS ſit verus Deus, omnino competit ſibi remiſſio prima, ſcilicet authentica; & quia eſt homo, qui paſſus eſt & mortuus pro peccatis noſtris & non pro ſuis; ideo competit ſibi remiſſio ſubauthentica, etiam ut ſupremo miniſtro ſponſæ ſuæ eccleſiæ, qui dicit Matt. 20. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.*

Iſtis prænotatis juxta remiſſionem peccatorum triplicem, poteſt homo concordare dicta ſanctorum. Cum enim unus dicit: Non habent ſacerdotes poteſtatem remittere peccata homini: hoc eſt verum de remiſſione authentica & ſubauthentica. Et cum alius dicit: Habent ſacerdotes poteſtatem remittere peccata; hoc eſt verum de remiſſione miniſteriali; & pro iſto dicto eſt illud Auguſtini 1. q. 1. « Ut evidenter oſtenderet Deus a Spiritu-ſancto, quem donavit ſuis fidelibus, dimitti peccata non multis hominum, quodam loco ſic ait: *Accipite Spiritum ſanctum*, & continuo ſubjecit: *Si cui remiſeritis peccata remittuntur ei*, hoc eſt Spiritus-ſanctus dimittit, non vos. » Ecce hic Auguſtinus contradiceret verbis Chriſti, qui dicit: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, ſi negaret ſacerdotes habere poteſtatem remittendi peccata hominibus: ſed intentio ſua eſt, quod Spiritus-ſanctus remittit peccata authentice, & non ipſi ſic remittunt; & tamen habent poteſtatem remittendi peccata miniſterialem.

Et præter iſtas tres remiſſiones peccatorum, eſt quarta remiſſio peccatorum, cujus poteſtatem dedit Deus omnibus adultis hominibus, & obligat ad eam quemlibet ſub pœna damnationis, dicens Matt. 6. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cæleſtis peccata veſtra*, &c.

Ex iſtis dico primo, quod ſacerdotes Chriſti habent poteſtatem vere pœnitentes abſolvendi a peccatis. Patet, quia habent poteſtatem ligandi & ſolvendi indignos & dignos, ut patet Matt. 18. & Johan. 20. ex teſtimonio Salvatoris.

Secundo dico, quod nemo eſt capax indulgentiæ, niſi de quanto fuerit dignus vel diſpoſitus per gratiam apud Deum. Patet ex hoc quod nemo, ſi non Deus, dat tales indulgentias, qui non dat niſi caris ſuis, quos ſic præſens habilitat.

Dico tertio, quod omnis recipiens tales indulgentias, de tanto eas recipit, de quanto fuerit humilior quoad Deum. Patet ex hoc, quod præcipue Deus dat ſibi copioſius tales indulgentias. Sed ipſe Deus quicquid facit, facit ad regulam; unde Salvator dans indulgentiam peccanti feminæ Mariæ Magdalenæ, ponit capacitatem ex abundantia caritatis Lucæ 7.

Dico quarto, quod nullius papæ vel epiſcopi prodeſt indulgentia homini, niſi in quanto prius ſe diſpoſuerit apud Deum. Patet ex hoc quod Deus non dat ſibi talem indulgentiam, niſi ad quantum ſe diſpoſuerit, ut patet ex prædictis.

Dico quinto, quod epiſcopi indulgentia de tanto recipienti proderit, de quanto epiſcopus eum in fide Chriſti inſtruxerit, & hoc

in . . . . . & amore Dei accenditur, vel quomodocumque humilem ad indulgentiam Dei fecerit. Patet totum ex jam dictis.

Dico sexto, quod sacerdotes Christi non habent potestatem donandi indulgentiam secundum quantitatem temporis, nisi eis fuerit specialiter revelatum. Patet ex isto Judith 8. *Posuistis vos tempus miserationum Domini, in arbitrio vestro diem constituistis ei.* Ille ergo cui non fuit ad hoc revelatio, qui spondet indigno apud Deum ex sibi dubio, quod infra tantum tempus Deus miserebitur ejus, donando sibi plenam remissionem, B stulta pangit, cum non habet evidentiam ex lege Christi vel revelatione quod Deus illud concessit.

Dico septimo, quod prælati ecclesiæ debent in prima veritate theologica subditos instruere, ne laïci infideliter occupati, circa minus utilia attendant. Patet in simili in lege Quæstorum. Quicumque limitatum illud quod non dicant populo, nisi quod in litteris episcoporum eis fuerit limitatum, ut libro de Pœnitentiis cap. *Abusionibus*. Multo magis ergo vicarii Christi deberent docere populum secundum limites litterarum Spiritus-sancti, quas eis tradidit ad docendum. C

De indulgentiis in lege Dei non fundatis.

Præmisso isto sensu de indulgentiis in lege Dei fundatis, dico, salva informatione meliori, quod indulgentiæ & absolutiones fictæ & venales, fundatæ, ut dicitur communiter, super infinitis erogatis in cœlis meritis sanctorum, & specialiter Domini nostri Jesu Christi, super quæ, ut dicunt, Deus papam constituit, illas secundum quod sibi libuerit distribuendas, in lege Domini non sunt fundatæ; & specialiter illæ quæ dantur & conceduntur in erectione cruciatæ, ad hunc finem ut homines invicem se trucident & D occidant, ut patet in erectione per papam crucis contra Ladislaum regem Neapuliæ, in qua manifesta forizatio de his indulgentiis ponebatur. Positum enim erat in prima
» bulla : « Hujusmodi quoque remissionum
» volumus esse participes, qui juxta quantita-
» tem subsidii & devotionis affectum ad sub-
» ventionem ipsius negotii de bonis eisdem
» a Deo collatis congrue ministrabunt. » Et
» in bulla commissariorum continebatur sic:
» Juxta vestræ declarationis vel deputandorum
» a vobis arbitrium, personarum qualitate
» pensatâ, quæ in pecuniis aut bonis aliis sub- E
» sidium erogabunt, Et infra : « Hujus quoque
» remissionis volumus esse participes omnes
» qui juxta præmissorum vel alicujus eorum
» exigentiam ad subventionem ipsius negotii,
» etiam ad vestræ declarationis vel commis-
» sariorum vestrorum arbitrium de bonis suis
» congrue ministrabunt. » Ecce hoc potest cœcus palpare, si non ad taxam bonorum temporalium dari fingitur remissio, & si non columbas in templo venundat secundum Gregorium in homilia, Remigium, & aliquos doctores, quos hic adducere causa brevitatis omitto. Deinde sacerdotes a commissariis emebant potestatem, qua sub certa pensa ex pacto indulgentias secundum parochias & provincias conveniebant. Ubi, rogo, potest manifestior fieri simonia, glosset quis quantum velit, exemplum Simonis magi, a quo dicuntur Simoniaci, reperire potentius non poterit. Et hæc forizatio sparsim currit quasi per totam ecclesiam talium indulgentiarum, quæ carent fidei scripturæ fundamento; cum nec Christus, apostoli vel prophetæ has promovebant: sed ad consequendum veras indulgentias, veram docuit agere pœnitentiam; hortantes ad orationem, jejunium, & ad alia pia opera satisfactionis, quomodo ad dationem pecuniæ, nec omnibus vere pœnitentibus in retributione justorum salutis æternæ temerarie pollicebantur augmentum. Nec sic, quemadmodum Clemens papa suam potestatem laxaverat, mandans angelis paradisi, quod animam peregrinantium Romam pro indulgentiis, ad gaudia æterna introducant, volens quod ad mandatum ejus genu angelorum cœlestium flecteretur. Non sic præsumserunt prophetæ & apostoli. Vit enim desideriorum & futurorum præscius Daniel, dixit regi Babyloniæ: *Quamobrem consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas in misericordiis pauperum, si forsitan ignoscat Deus delictis tuis.* Similiter Joël propheta ait : *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est; patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia; & quis scit si convertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem?* Et Petrus apostolus, cujus papa prætendit se esse vicarium, dicit Simoni, volenti donum Spiritus-sancti pecunia possidere : *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga patrem Domini nostri Jesu Christi, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Quomodo ergo prævalet his sanctis papa, ultra quos præsumit absolutionem pœnæ & culpæ omnimodam sine revelatione polliceri. Et per consequens sapientes Christi sacerdotes non asserunt simpliciter, quod confitens sit a peccatis solutus, sed sub conditione ista, si dolet & nolit peccare amplius, & confidit de Dei misericordia, & vult in posterum mandata Domini observare. Quia dicit Deus Ezechiel 18. *Qui absolvit vere pœnitentem a pœna & culpa, si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit universa præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur : omnium iniquitatum quas operatus est non recordabor.* Illas veras indulgentias Christus dedit Latroni in cruce, Mariæ-Magdalenæ, Petro. Petrus optabat indulgentiam dari homicidis Christi discipu-

lis Act. 13. *Pœnitemini*, &c. Stephanus pro indulgentia petivit ſe lapidantibus Actuum 7. & Chriſtus ſuis crucifixoribus Luc. 23. Immo opinio communis Thomæ & aliorum modernorum de indulgentiis, quam tenet impugnans, quæ ponit in eccleſia eſſe theſaurum meritorum Chriſti & eccleſiæ & ſanctorum, in gazophilacio ſpirituali eccleſiæ repoſitum, ſuper quem papa habet generalem & plenariam poteſtatem ipſum diſtribuendi quibus velit, ſecundum plus vel minus, non videtur veraciter fundari in ſcriptura, cum illud videtur eſſe pure fictitium, infundabile, prout eſt opinio de quodam vacuo infinito extra mundum, quod merita ſupererogationis Chriſti & ſanctorum papa haberet in ſua poteſtate, illa cui voluerit applicandi, & cum eiſdem ſecundum ſuum beneplacitum, ut prædictum eſt, foriſandi: cum ſolus Deus, quaſi univerſalis Dominus, ex quadam proprietate eſt diſtributor donorum vel meritorum ſuorum, & per ſe diſpenſat ſicut vult; nec ſcit Romanus pontifex quomodo ſit ad circumſtantias diſpenſandum. Non enim cognoſcit gravitatem peccati, nec diſtinctionem mortalis a veniali, aut ordinationem Dei de pœnitentia vel præmio ſervi ſui, in cujus perſona dicit Apoſtolus Rom. 9. *Miſerebor cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo cui miſerebor.* Et Jac. 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum.* Quod omnes ſancti recognoſcebant, in quorum perſona dicit Paulus: *Noſtra autem ſufficientia ex Deo eſt.* Nec aliquis ſanctus præter Chriſtum ex ſe ſufficientiam habuit ad futuram gloriam conſequendam, niſi cum hæc gratia Dei affuiſſet, apoſtolo teſtante: *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Hinc quoque virgines prudentes, fatuis dicentibus ad eas: *Date nobis de oleo veſtro*, reſponderunt dicentes: *Ne forte non ſufficiat nobis & vobis, ite ad vendentes, & emite vobis.* Non eſt ergo veriſimile quod dictæ indulgentiæ fictæ & venales habeant verum fundamentum in fide ſcripturæ, niſi forte fundamentum habeant per contrarium in illo 2. Petri 2. *Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Et Rom. 16. *Per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.*

Argumenta contra indulgentias.

Contra quas fictas & venales indulgentias multipliciter poſſet argui. Primo ſic: Papa multis talibus concedit a pœna & a culpa indulgentias, qui ex ſibi dubio ſunt præſciti, & Deus nulli tali concedit tales indulgentias: ergo papa in talibus extollitur ſupra Chriſtum.

Secundo, ſicut res corporales, quantumcumque parvi pretii, non debent emi, niſi cum iſta prudentia, quod emptor de vendito probatus ſit ſecurus: ſic papa non poteſt aſſecurare aliquem, quod poſt mortem vel ante tantam indulgentiam habebit; ideo probatum eſt tale commercium dimittendum. Papa enim, ſubducta revelatione, neſcit de aliquo nec de ſeipſo, ſi ſit prædeſtinatus a Domino. Quod ſi præſcitus fuerit, non proderunt ſibi tales indulgentiæ ad beatitudinem contra ordinationem Dei æternaliter ordinantis. Ergo cum papa non poteſt generaliter procurare tales indulgentias ſibi ipſi, eſt multum evidens, quod tales indulgentiæ ſunt ſuſpectæ; non enim obſtat fidei, quod multi papæ, qui conceſſerunt amplas indulgentias, ſunt damnati; quomodo igitur poſſunt defendere ſuas indulgentias coram Deo?

Tertio, ſic poſitis indulgentiis papalibus a pœna & culpa jam dictis, videtur ſequi quod poteſt papa purgatorium deſtruere. Probatur ſic: Papa poteſt quemlibet in agone confeſſum & contritum a pœna & a culpa abſolvere, & cuilibet poteſt dare illam gratiam poſt ſe in futurum; & non obſtat aliud, niſi forte invidia vel negligentia. Det ergo cuilibet in futurum, dato illo non venient ad purgatorium. Quo dato, omnes vigiliæ, miſſiæ defunctorum, oblagia, largæ eleemoſynæ, anniverſaria, omnia alia ſuffragia, ut commemorationes perpetuæ, dotationes capellarum, exſtructiones clauſtrorum & altarium pro hujuſmodi hominibus fierent fruſtra: immo omnes habentes hujuſmodi indulgentias in litteris pro agone mortis, ſunt ab omnibus eccleſiæ juribus poſt mortem abſoluti, ſic quod nullus eorum commiſſariorum poterit licite pro vigiliis, pulſu vel lectione pſalterii, vel pro offertorio admonere. Patet, quia quilibet eorum poſt mortem evolat ad patriam, & per conſequens non indiget ſuffragiis hic jam dictis. Sed iſtud communem clerum non modice conturbaret. Unde vel oportet eos negare habere poteſtatem hujuſmodi ad dandas ſic indulgentias, vel incidere in conſequens jam deductum. Si autem dicitur, quod licet haberet papa poteſtatem dare ſic indulgentias, non tamen debet niſi ex cauſa rationabili, ſcilicet quando impugnatur vel indiget pecunia. Revera orandum eſt fidelibus, ut impugnetur & indigeat, quia tunc theſaurum eccleſiæ fidelibus aperiet ad ſalutem.

Et videtur quod papa debet ex conſcientia facere generaliter illud opus miſericordiæ ſpiritualis. Nam potens relevare fratrem ſuum ſine damno proprio, & inexcuſabiliter differens uſque ad mortem corporalem fratris ſui, eſt reus homicidii: ergo multo magis differens liberare fratrem a morte ſpirituali, cujuſmodi eſt quicumque papa habens, ut pollicetur, plenitudinem poteſtatis de indulgentia generali. Nec valet dicere quod poteſtas ejus in iſto vileſceret, quia generaliter præſtatorius ex beneficii perceptione fit carior. Quam ergo excuſationem

haberet qui a damnatione perpetua posset proximum liberare, quem debet diligere ut seipsum, & tamen sine ratione omittit? Numquid ille cui præceptum est etiam in sabbato extrahere bovem fratris de puteo, non incurret prævaricationem, si negligit liberare animam proximi de inferno? Si ignorantia voluntatis divinæ excusat, quomodo alicui concedere talem indulgentiam papa tentat?

De litteris fraternitatum & confessionalibus.

Quantum autem ad litteras fraternitatum & confessionalium quas doctor justificat & salvat. 1. Præsuppono quod omnes fideles ex lege Dei dicuntur & sunt fratres. Patet illud ex primo Christi dicto Matt. 23. *Omnes autem vos fratres estis*; & apostoli in suis epistolis omnes Christianos communiter vocant fratres, ad cujus fraternitatis amorem invitat Petrus 1. Pet. 3. & 2. Pet. 1.

Secundo suppono, quod isti fratres sunt sibi invicem mutuo debitores, præsertim in his quæ sunt ad salutem necessaria, quemadmodum Paulus apostolus Rom. 1. dicit se sapientium & insipientium debitorem esse. Et alibi: *Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Ubi glossa. Sic aliena debita solvatis, ut ea non debeatis; sed dilectionem ut semper habeatis. Et ideo alibi dicebat: *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius*, cum *caritas non quærit quæ sua sunt.* Et Petrus: *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum, illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Hujus fraternitatis omnia bona sunt communia & debent esse, Act. 4. *Erant eis omnia communia*, & fit unum participium in omni bono. De quo participio gaudens propheta in persona ecclesiæ ait: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*; & hæc est communio sanctorum, quam in symbolo credimus, de quo participio etiam Apostolus 1. Cor. 10. scribit: *Unus panis, Unum corpus multi sumus, qui de uno pane & de uno calice participamus.* Istius veræ fraternitatis quilibet justus est particeps, si se non indignificaverit per peccatum: unusquisque secundum suam capacitatem. Cujus participii præcipuus distributor est Deus: quod sentiens ecclesia sic orat: *Participem me fac, Deus, omnium timentium te & custodientium mandata tua.* O quam bonum & quam jucundum est sic fratres in unum habitare! Illa fraternitas erat, quamvis non privata, in qua & illi primitivi monachi, monasticam vitam ducentes, de quibus Dominus facit mentionem, claudebantur antequam illæ modernæ & privatæ religiones fuerint introductæ. Istam ergo fraternitatem ex corde credo, & fateor quod unus de tali fraternitate ad alterum in necessitate positus recurrebat, & unus pro alio orabat, de qua oratione mutua sonant fere omnes auctoritates, quas doctor pro justificandis litteris fraternitatum adducit; sed non scripturæ illæ sunt & auctoritates pro litteris fraternitatum, quas ego in mea reprehendo positione; quia illæ litteræ, quas ego reprehendo, non dantur nisi sub spe & intentione probabili, quod ex ipsis lucrum temporalium & fœnerationem illicitam reportabunt: hæc autem numquam leguntur, quod conglobati sua bona ceteris commendent, & illa se ex hoc coram aliis justificantes & extollentes, pro lucro temporali committent, nisi de Pharisæis, de quibus Dominus dicit: *Vos semper justificatis vos coram hominibus*; & minando eis a Deo: *Væ vobis, scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui devoratis domos viduarum, orationes longas orantes.*

Quid ergo pro talibus orationibus & venditione earum faciunt auctoritates per impugnantem adductæ? certe nihil. Ideo pensata serie illarum litterarum, potest quilibet sapiens cognoscere, quod sunt stultæ, & ex istis rationibus contemnendæ.

Primo, ex quo fratres supponunt & debent cognoscere, quod fratrum affectuosa concessio tantum valet vel amplius fratri suo, sicut valet eorum littera, quantumcumque sit exarata litteris aureis, & filis seu fibulis sericis perornata. non supereset istius causa, nisi ut populus illusus per fraudes subdolas ad dandum fratribus de suis bonis temporalibus excitetur. Sed quis dubitat, quin ista sit damnanda & nociva hypocrisis?

Item, videtur multipliciter, quod fratres cadunt in errorem ex radice. simulant enim expresse in his litteris, quod personæ, quibus istas concedunt, participabunt post mortem suis meritis. Sed ubi est major præsumtio aut blasphemia, cum ipsimet sunt homines cum quibus mercantur, si illi ut præsciti in tartarum damnabuntur? Quæ igitur tanta stultitia confessionem eis tam ignotam asserere? videtur autem quod innata consuetudine mentiendi, non curant, contra æternum Christi judicium, asserere se facere quod non possunt.

Item, fratres servando modum hypocritarum, seipsos damnant patule in hoc facto. Nam secundum doctrinam evangelicam, Matt. 6. tales eleemosynæ debent secrete fieri, ne pars sinistra hominis sciat quid faciat dextera. fratres autem ex illa scripta schedula & ostensione ejus ad populum, manifeste indicant quod dicunt populo, seipsos esse sanctos in ecclesia, & solemnes, & plusquam si ante se tuba canerent, dant litteras confirmantes suam sanctitatem: quæ litteræ forent in cistis hominum perpetuo conservatæ.

Item, cum ex fide evangelii homo, dum vocatus sedet ad cœnam, debet in novissimo loco recumbere; fratres ergo cum vocantur, ut inquiunt, ad hanc cœnam, cum nec habeant confirmationem vel revelationem, ut supra omnes alios sint locati, videtur quod alios recte viventes, extra hos ordines

debent reputare esse ipsis meliores, & non sic superbe concedere litteras excellentius supra illos. immo cum lex evangelica doceat, quod quæcumque vultis ut faciant vobis homines, facere debetis illis; videtur quod suprapositâ justitiâ acquisitionis istarum litterarum de fratribus, fratres debent etiam acquirere litteras de simplicibus extra hos ordines, cum probatur ex suppositione, quod debent supponere, quod tales litteræ plus eis valent, quam litteræ laïcorum de fratribus impetratæ.

Item, ex parte fratrum videtur esse luciferina præsumtio, cum nemo nostrum scit utrum sit dignus amore vel odio; quia ergo fronte præsumet piscari sic ante rete, & communicare alteri, quod habebit partem meriti sui in patria, cum nesciat & nunc noceat, & amplius tunc nocebit?

Item, nemo debet præsumere sibi quod Deo est proprium: sed communicare indifferenter cuicumque volenti emere partem fraterni meriti videtur Deo esse proprium; ergo fratres non debent in Deum taliter blasphemare. non enim boni angeli vel apostatæ talem umquam blasphemiam præsumserunt. Numquid credimus quod propter talem concessionem fratrum in amicitiam, Deus a rectitudine regulæ justitiæ declinabit? Et sunt multæ tales rationes contra tales litteras, quas omitto. Quod si ita factum coram Deo se habeat, quod non credo, ut fingunt fratres, tunc cum nemo debet esse medium per subtractionem sui adjutorii, ut alius sit damnatus, tunc si in potestate eorum est, ut implicant in illa materia, reservare tam se quam alios, ne damnentur, tunc supposita damnatione alterius ex subtractione sui adjutorii, sunt culpandi; & idem judicium est de litteris confessionalibus sub taxa datis & receptis, cum simul eadem perfidia curratur.

Peregrinationes & veneraciones reliquiarum.

Quantum ad peregrinationes & veneraciones reliquiarum breviter dico, quod istas divagationes modernas hominum diversorum in magna perfidia & superstitionibus variis, quas nunc vocant communiter peregrinationes, non laudo, nec inordinatum cultum reliquiarum commendo, quando video homines bestialiter & carnaliter ad illas peregrinationes & veneraciones moveri, non ut meliores vel fideliores fiant, sed in corpore feliciores & saniores. Nec ibi ubi discurrunt, quærunt informationem in aliquibus veritatibus ipsis incognitis, nec sacerdotes ipsos curant in vera fide instruere, sed magis, heu! multi ipsos in talibus animant, promoventes indulgentias & offertoria & falsa miracula ad seductionem simplicium coram eis, prout compertum est sæpius in regionibus nostris, & alibi potest contingere, & sine dubio contingit: & rarus illorum sic divagantium vel nullus reperitur, qui vere scient symbolum, orationem dominicam, vel decem præcepta Dei, pro quibus addiscendis non currunt ibi. Quis posset enarrare quot adulteria? ubi alias non habent aditum conveniendi liberum, in talibus peregrinationibus conveniunt, & libere peccant. Quot mendacia super sanctos, & in isto magis est credendum experientiæ, quæ est rerum magistra, quam excusationi vel commendationi earum qualicumque. ita quod tales gyrovagi visitantes loca talia, quæ eis præfigunt, habent respectum ad sculpturas, & reverentiam ad imagines ibi locatas, ad reliquias sæpe incertas sanctorum, quibus imaginibus seu statuis, ac incertis reliquiis populus talis spiritum Jesu non habens, exhibet magnam reverentiam & honorem genuflexione, candelarum oblatione, & hujusmodi, nullum vel modicum habentes respectum ad Deum & Christum Jesum; quod fit ex eo, quia rudis populus solum suos sensus insequens, fortiter movetur a talibus, & ab appetentia eorum splendida & artificiosa. Et talis populus est pronus ad idolatrandum, eo quod facilius conceptus suos vel imaginationem circumscribit, & magis favorabiliter terminat ad creaturam, quam deitatem, quia sunt sibi talia propinqua suæ facultati naturali.

Inter hæc est hoc unum præcipuum & maximum, quod iniquitas copiosa dæmonum potens est valde in talibus imaginibus, quæ sunt Christi vel sanctorum, & in templo vel domo Dei dementare homines, qui abundant non fide viva, sed mortua; unde aliqua signa vel prodigia infirmitates & sanitates hominum, ut inquit, operantur in illis, & per illas statuas, ut decipiant. Permittit autem Deus aliquando diabolo sic decipere homines, qui sequuntur sua desideria, & indigne vivunt vocatione sua atque sanctificatione, ingrati mortis Christi amaræ, ut sic a veritate aversi, ad fabulas convertantur, & juste suis fabulis & erroribus per operationem dæmoniorum involvantur. Non igitur aliquis audeat dicere, quod diabolus non permittitur per cultum imaginum Salvatoris, B. Mariæ Virginis, & aliorum sanctorum decipere homines ac seducere, cum hæc etiam faciat per species virtutum, & ipsas virtutes immo valde multas faciat idem, per cultum & venerationem sanctorum in cœlis & reliquiarum; ut scilicet ingrati per malam vitam & negligentiam, Dei virtutem & Dei sapientiam Jesum crucifixum pro eis offendentes, rursumque crucifigentes, in semetipsis & factis suis ipsum negantes; tamen nihilominus firmam spem ponunt in vocatione sanctorum & cultu eorum, & sine cessatione sanctos tales nominant & invocant, jejunia & peregrinationes & multa talia audacter faciunt: tamen Jesus crucifixus his omnibus est tamquam mortuus a corde, & vix vel raro ipsum nominant aut invocant.

Item, tales multa attribuunt sanctis Dei,

vel imaginibus vel reliquiis ſanctorum, ſcilicet ea quæ ſunt propria Dei, quæ omnia ſine excuſatione vergunt in ruinam & damnationem populi Chriſtiani. Vere cum talibus timeo ſacerdotibus, qui dant occaſiones populo tales abhominationes prædicandi in templo Dei, prædicantes eis talia, & dant ſpeciales indulgentias pro flectendo genua coram illis reliquiis vel imaginibus, & quaſdam occaſiones fabulandi, ut ita una imago ſit magis reliquis in honore, & in admiratione hominum & ſtupore. ſicque dant oves ſibi commiſſas ad manus ludificantis diaboli ſeu antichriſti, imitantes in hoc effeminatum ſacerdotem Aaron, qui timore populi pravi corruptus, produxit imaginem Dei in figura vituli aurei: ideo non fuit ejus excuſatio admiſſa a veritate ſcripturæ. Similiter iſti imitantur Jeroboam, qui peccare fecit Iſraël. excogitato enim conſilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: *Nolite ultra aſcendere in Jeruſalem; Ecce dii tui Iſraël, &c.* 3. Reg. 12. Et ſic noſtri temporis homines, ſic ſe ſimiles exhibent, qui valde honorant ſanctos Dei diu mortuos, ſed modernos ſanctos conviventes omnibus opprobriis lacerant & perſequuntur. Imagines ſanctorum mortuorum & eorum reliquias multum deoſculantur & venerantur, & vivos ſanctos, imagines vitæ & paupertatis Domini Jesu Christi, conſpuunt & blaſphemant, in tantum, ut qui recedit a malo, prædæ talium pateat.

Illas ergo peregrinationes modernas in magna perfidia & ſuperſtitione, nec non inordinatum cultum reliquiarum deteſtor, & non laudo nec commendo; nec illæ auctoritates, quas doctor pro peregrinationibus adducit, aliquid deſerviunt ſuo propoſito. Illud enim quod doctor adducit, quod tribus vicibus apparebat per annum omne maſculum in conſpectu Domini, ut Deuteron. 16. ſcribitur, & quod Chriſtus ſecundum hanc regulam legis Dei aſcendit cum parentibus ad diem feſtum Paſchæ, ut habetur Lucæ 2. & vir Æthyops Candacis reginæ venit adorare Jeruſalem, ut habetur Actuum 8. nihil facit pro peregrinationibus antedictis; quia dixi in poſitione mea, quod quamvis peregrinando apparere ſolebat, ſic coram Deo ter in anno ex ſuo mandato, ut patet ex Oſee 3. verum Chriſtus, qui legem implere voluit, iſtum ſenſum enucleando ſalubrius nos inſtruxit, maxime poſt publicationem evangelii, ut habetur Johan. 4. quando mulieri Samaritanæ dixit: *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando nec in monte hoc, neque Jeroſolymis adorabitis Patrem: ſed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.*

Quando etiam adducit de paſtoribus, de tribus Magis, de mulieribus viſitantibus ſepulcrum cum aromatibus, de Nicodemo & Joſeph ab Arimathia, nihil faciunt pro peregrinationibus antedictis. Si autem Maria mater Domini viſitabat poſt aſcenſionem loca paſſionis, aſcenſionis, reſurrectionis, & alii memorias martyrum religioſas ſolemniter concelebrabant, & ad excitandam imitationem ex eorum locorum viſitatione in affectu ad caritatem accendebantur, non eſt *nobis fides. Si autem ita fuit*, æſtimamus probabile, quod hæc ſibi utiliter faciebant & prudenter, & ſpecialiter Virgo mater Domini, quæ ex inhabitante Spiritu-ſancto, in omnibus eodem ſpiritu regebatur. Nec hodie reprehendere vellem, ſi quis homo devotus eſſet, & viſitaret loca per multa milliaria pro informatione vera, quam ſe ſperaret invenire, quales forte tunc fuerunt *temporibus iſtorum doctorum, qui talia tangunt.* Sed quid hoc ad iſtas modernas peregrinationes ſuperſtitioſas, ubi nec illa intentione peregrinatur, nec ibi aliquam ſanam recipiunt informationem; ſed ſæpe magis & verius ſeductionem, & nihil accreſcit illis devotionis. Contra quas ſine dubio illi doctores citius ſcripſiſſent, quam eas auctorizaſſent; & per conſequens, etſi aliquando ex debitis *circumſtantiis fuiſſent & potuiſſent bene fieri*, ex quo verſæ ſunt in malum, debent ceſſare, dicente decreto diſt. *Oportet.* cap. *Verum.* ſub auctoritate Auguſtini: Sicut ſcriptura divina dicit, quod poſtquam Ezechias diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, ſuccidit lucos, confregit ſerpentem æneum, quem fecit Moyſes; videlicet quia illum ſerpentem Deus fieri juſſerat, ne ſerpentina morte populus periret; *ideo quia ipſe populus colere & venerari ipſum cœperat*, & idcirco deſtruxit iſte quod, jubente Deo, fecerat ille: At per hæc magna auctoritas illa habenda eſt in eccleſia, ut ſi nonnulli ex prædeceſſoribus noſtris & majoribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt eſſe ſine culpa, & poſtea verterentur in errorem & ſuperſtitionem, ſine tarditate aliqua & cum magna auctoritate a poſteris deſtruantur. Hæc ille.

Similiter dicendum eſt de venerationibus reliquiarum, quod deteſtans cultum inordinatum circa eas, nolo dicere, quod timentes Deum non glorificentur, vel quod ſancti & reliquiæ eorum non venerentur ſecundum menſuram eis a Domino impertitam: ſed hoc dico inordinate honorare ſanctos diu *mortuos, & eorum reliquias colere* per ſigna genuflexionis, ſecundum quod ſonat in actum latriæ, juxta proceſſum ſcripturæ; per accenſionem coram eis candelarum, & per appenſionem caracterum de cera factorum; ædificare eis ſepulcra ſumtuoſa, monumenta ornata, ſpretis pauperibus & indigentibus, nec non modernos ſanctos conviventes omnibus opprobriis perſequi & lacerare, & multa, ut prædictum eſt, attribuere eis, quæ Deo ſunt propria; quæ ſine dubio ſancti in vita

veneration reliquiarum.

adhuc exiſtentes repellebant a ſe, & hodie ſancti non ſunt nobis relicti ad cultum, ſed ad imitationem, dicente Auguſtino de Vera » Religione, qui ſic ſcribit: Non ſit vobis reli» gio cultus hominum mortuorum, quia ſi pie » vixerunt, non ſic habentur, ut tales quærant » homines, ſed illum a nobis coli volunt, quo il» lum inante lætantur meriti ſui eſſe conſortes. » hortandi ergo ſunt per imitationem, non » adorandi propter religionem. Hæc Auguſtinus. Nec ſecurum eſt promovere adorationem reliquiarum ſanctorum in habitudine tali, quia nititur doctor excuſare tales adorationes, cum ſic populus Judæorum habuerit ſe ad ſerpentem æneum, ad ilios vitulos, quos fecerat Jeroboam, & tamen graviter utrobique erraverunt. Dicit enim doctor de » Lira: Et dato quod verum ſit, quod in il» lis vitulis adorarent Dominum tamquam in » imaginibus eum repræſentantibus, tamen fuit » ibi tranſgreſſio præcepti, quod habetur Exodi » 20. ubi prohibetur fieri ad hæc quælibet ſi» militudo. Hæc ille. Etiam inſecurum eſt promovere talem adorationem reliquiarum in tali habitudine, quia populus ſimplex & carnalis non habet, nec eſt capax diſtinctionis triplicis adorationis, ſcilicet latriæ, duliæ & hyperduliæ, ſed ſæpe unam pro reliquis capit & facit. Et ſi ſecurum eſſet coram ſimplicibus venerationem præſepis & incunabulorum Chriſti promovere in habitudine tali ad Chriſtum, quæ ſunt res artificioſæ, tunc videtur, quod multo magis promoveri deberet cultus ſeu veneratio talis illius aſini, quem equitavit Dominus, & ſic conſequenter omnium Dei creaturarum, cum, ut dicitur Matt. 6. *Nec Salomon in omni gloria ſua cooopertus eſt* ſecundum artem humanam, ſicut flos in ſuo naturali decore adornatur, & quælibet iſta creatura plus eſt ſignificativa divinæ pulcritudinis, & excitativa plus eſt mentium ad erigendum ſe in Deum, quam aliquid tale artificio humano fabricatum, &c. Nec apoſtoli magnificaverunt illum cultum reliquiarum, ſed docuerunt vitam & fidem eorum, & ad imitandum illa, alios cum diligentia incitabant, & eorum memorias cum laudibus refricabant; & quicquid ſit in talibus, non video quid ſecurius ſit eligendum, niſi ut omnes tales reliquiæ ſanctorum abſcondantur ab oculis hominum rudium in locis privatis cum reverentia debita ac honore, cum tales homines carnales habeant ad eas reſpectum cultus alicujus & reverentiæ, magis quam ad Chriſtum crucifixum. quoniam ſic & pro eo abſcondit Deus corpus Moyſi uſque ad hodiernum diem, & Eliam ad paradiſum tranſtulit, ne homines rudes facerent ex eis ſibi idola, venerantes ea pluſquam oportet, vel uſque ad poſitionem alicujus fictæ divinæ virtutis in talibus corporibus mortuorum. Et quicquid dicitur de corpore beatiſſimæ Virginis MARIÆ, ſive ſit aſſumta cum corpore, ſive non; utique Dominus voluit nos ipſum ejus corpus non habere, ne nimis pluſquam oportet ipſum coleremus; & pro eo etiam & corpus B. Johannis evangeliſtæ non apparuit, quia ſimiliter fuiſſet acceptatum cum offenditione plurium animarum. In omnibus profecto talibus vel aliis ſimilibus in hoc tempore, ſummopere videndum eſt, ne forte myſterium antichriſti operetur jam manifeſte, & dæmonia polluant purum & ſincerum cultum fidei Chriſtianæ.

Differentiæ collectæ inter me & doctorem.

Jam dictis finem cupiens imponere, iſtas differentias inter me & doctorem meum reverendum recolligo.

Primo, ubi doctor tenet, quod non omnia peccata mortalia publica poſſunt puniri lege humana; ibi ego poſui oppoſitum. Quod omnia peccata mortalia publica poſſunt puniri lege humana, legem humanam capiendo ſubſervientem legi divinæ, & rectitudinem & juſtitiam ipſius imitantem; probans quod lex humana poteſt ad tantum deſervire & ſubjici legi divinæ, tamquam ancilla dominæ, quod in ipſa expreſſe ſtatuatur exſecutio contra omnes tranſgreſſores publicos legis divinæ, ſicut fecerunt Nabuchodonoſor, Artaxerxes & Aſa reges, ut præmiſſum eſt.

Secundo, ubi doctor tenet, quod non omnia peccata publica mortalia ab homine ſunt ex dictamine legis divinæ pœnaliter per judicium punienda; ibi ego poſui oppoſitum, certis appoſitis circumſtantiis, probans ex dictis doctorum, quia ex quo ſecundum eum peccata, quæ lex divina ſententiat pœnaliter punienda, illa homo judex poteſt juxta dictamen hujus legis pœnaliter punire. Ego autem ſubſumſi: Sed omnia peccata mortalia publica lex divina, ſaltem in communi vel particulari, ſententiat pœnaliter punienda; ex quo ſequitur concluſio; quod omnia talia homo judex poteſt ſic, ut dictum eſt, pœnaliter per judicium punire. quamvis ego per commemorationem punitionis non intelligo ſupplicium mortis corporalis, ſed pœnam citra mortem condignam.

Tertio, ubi doctor tenet, quod prælati, ſacerdotes & alii eccleſiaſtici pro peccatis perſonalibus publicis, etiam data eorum pertinacia, non ſunt coram multitudine laicorum correptione fraterna caritative arguendi; ibi ego poſui oppoſitum: Quod talia peccata prælatorum ſunt in caſu a laïcis correptione fraterna caritative arguenda, etiam coram multitudine aliorum, & in evangelizatione per ſacerdotes fideles coram clero & communi populo detegenda.

Quarto, ubi doctor tenet, quod peccata publica perſonalia prælatorum & aliorum eccleſiaſticorum per fideles laïcos non ſunt punienda, etiam ſecundum dictamen divinæ

legis, exceptis casibus paucis, in quibus dicit: Nec eis liceret, nisi esset eis ab ecclesia concessum, & addit: Quod nec judicio condemnationis vel definitionis, ut est actus justitiæ, sunt judicanda; ibi ego posui oppositum: Quod peccata mortalia publica personalia prælatorum in defectu spiritualis præpositi, data eorum pertinacia, & habita sufficientia & opportunitate, sunt per potestates sæculares, aut per Christi fideles laïcos, secundum dictamen divinæ legis, etiam sine aliqua speciali licentia concessa, coactive punienda, & judicio condemnationis vel definitionis, ut est actus justitiæ, judicanda. Et non intelligo condemnationem ad mortem corporalem, sed pœnam citra mortem condignam. Et hæc probavi exemplatis de Christo, *qui subdidit se benivole judicio Pilati*, habenti super eo potestatem; insuper & mediis aliis probavi, quomodo olim omne clericorum collegium vixit sub principum & aliorum Christi fidelium laïcorum coactiva sæculi jurisdictione & punitione, & judicio sæcularium subjacebat, usque ad tempora Constantini imperatoris, & longe post, ut late deductum & probatum est.

Quinto, ubi doctor ponit, quod subditus populus non potest licite subtrahere decimas & oblationes a malis sacerdotibus malitia personali; ibi ego dico sibi oppositum: Sed hæc causa brevitatis omisi probare, committens hæc magistro Petro *Payne* Anglico, quia suam magis tangit materiam; & quamvis sint plures differentiæ inter me & doctorem, & si tempus vacasset, plures potuissem colligere, illas tamen non tantum adverto, ut de derivatione legis humanæ a lege æterna & naturali, & aliis, quæ tempore opportuno recolligi poterunt.

Explicit replica pro parte Bohemorum circa secundum articulum eorum de correctione peccatorum, prolata per organum domini Nicolai de secta Taboritarum.

PRÆFATIO IN RESPONSIONEM pro veritate,

Ad replicas super secundo articulo Bohemorum, qui est de pœnitentia peccatorum publicorum.

Anno 1433. circa finem April.

1. CUm excrescit ignis in immensum, patres reverendissimi, & viri spectabiles, humana solet industria aquam illi superefundere. Unde cum nuper ollam succensam vidissem, ignemque illi suppositum adeo vehementem, ut nisi aquæ supereffusio temperasset ardorem, *non modo peccata* consumsisset, sed & ollam; aquam moderationis, ut eram pollicitus, apposui, dicta venerabilis opponentis ad medium pro posse reduxi. Consequens modo est, ut quæ sit hæc aqua, & cujus virtutis, vestris excellentissimis ingeniis mea parvitas aperiat. Est nempe aqua quam *bibens non sitiet umquam*. Illam autem quæ aut sitim provocat, vel non extinguit, ostendere, aut venas ejus aperire, præsens negotium non requirit: sed illam ipsam, quæ cum flammas crepitantes nimii dissidii ad medium temperamentum reduxerit, sic plene reficit, ut aliam denuo potatus non quærat. Hæc certe est illa, de qua mulieri Samaritanæ, quærenti aquam in puteo, Salvator ait Johan. 4. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Sed quomodo illam aquam, quam Dominus se daturum pollicetur, dare potero? Quænam est virtus mea, ut aquam illam propinem, quam bibens non sitiet amplius? Profecto illius dator esse non possum, sed datoris minister. Siquidem Dei adjutores sumus, Dei ministri sumus & servi. Illam ergo dabit *ex auctoritate Dominus*; & ego eam, ut servus Jesu Christi Domini nostri ministrabo, quemadmodum & ante ministravi. Jam cupit animus, jam aures eriguntur, ut quæ sit hæc aqua sermo describat.

2. Aqua ista est aqua sapientiæ salutaris, de qua Eccli. 15. dicitur, postquam de cibatione scriptura memoriam fecerat: *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum*, scilicet justum. Eccli. 15.3.

Hæc deinceps *trahit originem*, quia de Verbo Patris, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, cujus cœlum sedes est, & terra scabellum pedum ejus. Johan. 3. *Qui de cœlo venit super omnes est.* Johan. 3.31.

Hæ sunt aquæ, quæ super cœlos esse per prophetam testantur, & quæ in capite Geneseos dicuntur esse super firmamentum. Hæc est quæ secundum Jacobum apostolum desursum est sapientia, tamquam fons sapientiæ in excelsis. Hic fons irrigat universam paradisum *voluptatis, dividiturque in quatuor* capitalia flumina, quæ sunt: tensio, visio, fruitio, & omnium horum perfecta securitas. Post hæc qui in cœlis regnat, in terris visus est, & cum hominibus conversatus est; qui dum fatigatus sederet ad fontem, jam se aquam daturum promisit; quam cum in cruce dormiret sponsionem implevit. Nam cum latus ejus miles lancea perforasset, continuo exivit sanguis & aqua. Hanc ecclesia vidit, & infra paucos dies (*a*) lætabunda commemorabit voce suavi, dum canet: *Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, & omnes ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt.* Gen. 2.2. Jacob. 3.15.

3. Hæc est sacra scriptura, quæ a verbo vitæ processit, qui primo patribus in prophetis locutus est; novissime autem in Filio, per quem fecit & sæcula; qui in fine sæculorum factus est ex muliere, factus est pro nobis sub lege, ut qui sub lege peccati eramus redimeret. Hic pronus humilitate fons crevit in fluvium magnum, in quatuor quo-

(*a*) Hæc agebantur post Dominicam in Passione.

que

que capità, ad inſtar illius qui in monte eſt, dividitur: in credenda, agenda, intelligenda & ſperanda. Sunt nempe libri legales in ſcriptura ſacra, ideo eſt fluvius agendorum; nam lex impleri debet. Sunt hiſtoriales, ideo fluvius credendorum; ſunt ſapientiales, ideo fluvius intelligendorum; ſunt prophetales, in quibus cœleſtia præmia & arcana nube teguntur, ideo fluvius ſperandorum. De iſtis fluviis aut fontibus aquas haurire, & in ignem mei opponentis effundere ſtatim incipiam; & utinam mihi dicat cum Samaritana: *Da mihi hanc aquam, ut non ſitiam*, non ultra ardeam ſupramodum in punitione peccatorum, neque veniam huc haurire ad puteum ſcientiarum ſæcularium, aut neſcio qualium ciſternarum, per homines, non per Spiritum-ſanctum ſuffoſſum. Certus enim ſum quod ſi bibero ex hac aqua, quam polliceris, ſi tamen verbis facta compenſes, non ſitiam ultra.

4. Attendat ipſe, cogitent & ſinguli, quod puteus iſte aquarum viventium altus eſt. Erat puteus ad quem Samaritana properabat, altus, & illo non erit iſte altior? Oportebat ut mulier in quo hauriret haberet, & ad hauriendum ſe inclinaret; & cum iſta ſit alta profunditas, his non indigebimus inſtrumentis? Dixit illa Domino, putans quod iſtas aquas, quas quærebat, peteret: *Puteus altus eſt, & non habes in quo hauries.* Quaſi diceret: Aqua ſine vaſe & ſine funè de puteo haberi non poteſt. Dico & ego quærentibus aquas vivas: Niſi vas ad hauriendum habueris, niſi funem vaſi alligatum, niſi & te inclinaveris, aquam divinæ ſapientiæ habere non potes. Inclinatio nempe humiliatio ingenii eſt, qua ſic ſe retinet, ut imperfectum ſuum videns, ſe vagari ne oberret non permittat: quin immo captivat ſe in obſequium Chriſti; ſic ſe certis legibus continet, ut ſapiat non plus quam oportet ſapere, ſed ad ſobrietatem; & non libere, ut philoſophi, ſed ad certam regulam, gignat verbum in corde & in ore loquentis. Hæc eſt inlinatio neceſſaria.

5. Vas in quo aquæ ſanctarum ſcripturarum continentur, ſobria meditatio eſt, non curioſa inveſtigatio, non ſuperflua inquiſitio eorum, quæ neque neceſſaria, neque utilia ſunt ſaluti illorum. Etenim qui ſuperfluis inſiſtunt, qui prurientes aures habent, eorum ſtudia perſæpe a veritate avulſa, ad fabulas convertuntur: profecto illorum vaſa ut cribrum perforata ſunt, aut ut ciſternæ diſſipatæ, non valentes continere aquas. Nam tanta eſt audiendorum novorum ambitio, ut novis ſupervenientibus vetera projiciant; tales pleni ſunt rimarum: ſi aliquid ſuſcipiunt, hac vel illac effluet, ut alter Parmeno, omnia audire volens, & non valens in ſecreto continere. Sobria autem cum humilitate ingenii inquiſitio, divinas ſcripturas inveniet, & inventas continebit ad ſalutem.

6. Funis vaſi alligatus eſt longanimitas in ſufferentia laborum, quam vaſi alligari oportet. Nam nec ſobria divinorum eloquiorum meditatio ſine patientia laborum glorioſorum ſtudii, nec labor perſeverans, abſque jugi meditatione ſapientiæ divinæ aquas de abyſſo ſacrorum voluminum extrahere valebit.

7. Hæc ipſa altero modo vir magnæ auctoritatis noſtris temporibus cancellarius Pariſienſis, * ſolitus erat dicere, cohibere volens aliquorum ingenia prævolantia in ſcripturis aut divinis aut humanis, ſic inquiens: Memento te eſſe Chriſtianum, abjice curioſitatem, ſtude quodvis. Si memineris te eſſe Chriſtianum, ingenium inclinabis ad ſcripturas, ipſas ſequens, non eas ad tuam imaginem pertrahens. Si curioſus non fueris, ſed religioſa inquiſitione perſeverans, nec vanus ſcrutator majeſtatis, funem longanimitatis ad vas ſobriæ meditationis ligatum habebis, ſtudere poteris quod libebit, ex omni puteo aquas aſportabis, quia ex quo & in quo haurire valeas habebis. Hæc pro me & aliis opto, ut habeam, & aquas divini verbi afferam ad ollam ſuccenſam opponentis mei. Non igitur tædeat, patres digniſſimi & mundi lumina, audire duobus diebus (*a*) quæ per me Dominus loqui dignabitur, & videre quale refrigerium ardori opponentis præſtabo. Quod factum eſſe arbitror, cum per ſcripturas & doctores ac rationes in lege Domini fundatas, velut aquam ſuper opera ſua effudero. Quod mihi ille præſtare dignetur, de cujus fontibus propheta nos in gaudio haurire prænuntiat, Jesus Christus Salvator, qui cum Patre & Spiritu-ſancto eſt benedictus Deus in ſæcula: Amen.

* Magiſter Johan. Gerſon.

(*a*) *In inferiori margine codicis mſ. legitur hæc nota:* Eſt ſciendum quod iſte actus duas dumtaxat habuit audientias; quia Boheni poſtquam ſuas replicas publice fecerant, feſtinabant ad *propria remeare*; adeo ut vix ſacrum concilium pauciſſimos dies, pro facienda per ſuos deputatos ad hujuſmodi replicas reſponſione, potuerit impetrare; quos binos cuilibet eorum ad reſponſiones peragendas deputavit; hoc excepto, quod tertius & quartus pro parte concilii commiſſi, ſolum tres dies habuerunt hoc modo diſtributos, quod tertius partem ſuarum reſponſionum die prima pronuntiavit, & quartus mox, illo tacente, partem ſuarum profecutus eſt; aliis diebus tertius reliquam partem dixit, & illo finem dictis imponente, quartus ſubſequenter finem faciendo reſponſionem ſuam complevit.

RESPONSIO (a) AD REPLICAS domini Nicolai Taboritæ, ſuper punitione peccatorum publicorum.

Facta per magiſtrum Ægidium Carlerii decanum Cameracenſem, a ſacro Baſileenſi concilio propter hoc ſpecialiter deputatum.

DUm replicas contra poſitionem de punitione peccatorum publicorum, pro veritate factam intueor, reverendiſſimi patres, miror opponentem infructuoſos labores, inanes ſcilicet rationes & tela confracta, contra turrim David fortiſſimam, quam plus quam Goliath bellatores doctores fortiſſimi, habentes enſes rationum ſuper femur ſuum, ambiunt, cingunt, cuſtodiuntque, ut jacularet, de tam longinquis attuliſſe.

Ut autem clariſſima veſtra ingenia nullatenus ſuſpendam, principalia puncta in quibus majorem vim fecit, de medio reliquorum dictorum ſuorum excerpere curabo, inde faſciculum componens, & nihilominus cetera reſponſione digna ſuum locum obtinebunt.

De duodecim punctis principalibus adverſarii improbandis.

I. In primis leges humanas negligit.

II. Omnia per eas puniri poſſe concedit peccata mortalia publica.

III. Omnia quæ lex divina prohibet, humano judicio punienda arbitratur.

IV. Pacem hominum quaſi rem modicam putat.

V. Eccleſiam denique Romanam multum conculcat.

Hæc in prima audientia diffuſe peregit.

VI. Dehinc ſacerdotium evangelicum minus debito veneratur, ipſum ſternendo pedibus laïcorum.

VII. Metum legum ſupremum in plectendo ſupplicio mortis abnegat.

VIII. Decimas & oblationes, quas Dominus tam ſtricte juſſit dari ſacerdotibus, judicat per laïcos pro illorum ſacerdotum peccatis perſonalibus poſſe auferri.

Hæc in ſecunda audientia.

IX. Tandem indulgentias parvipendit, juxta conſuetam traditionis formam.

X. Peregrinationes improbat.

XI. Sanctorum martyrum aliorumque Dei electorum reliquias,

XII. Venerabiles quoque imagines cum improperio arguit.

Hæc omnia piis catholicorum auribus multiplici ſermone narravit in tertia audientia; ad quæ & illis adjuncta, quæ, prout colligere potui, numero duodenario comprehenduntur; cum fiducia magna reſponſa ſufficientia dabo, falſitatem detegam, veritatem aperiam, priora dicta mea ad modicum ſuis objectionibus inclinata relevans, illius dicta evacuabo, & diſſipando, auxiliante Deo, proſternam. Habebit igitur actus iſte duo puncta complectentia tres audientias illius.

(a) *al.* Reſponſio magiſtri Ægidii data coram patribus concilii, *in congregatione generali* aſſiſtente laïcorum nobilium copiâ, ad replicas domini Nicolai memorati anno Domini 1433.

Actus primo dici.

Quoad primum in quo elidere feſtino ſex dicta, in quibus dictis meis prioribus adverſatur, hunc ordinem tenebo. Primo oſtendam illa non eſſe vera, & rationes ſuas ſolvam. Secundo, oſtendam non ſufficienter eum meis rationibus ſatisfeciſſe.

I. Punctum.

Igitur primum dictum ſuum eſt de lege humana. Dicit enim illam ultra legem divinam & naturalem non eſſe neceſſariam ſimpliciter, ita quod ſine illa *non* ſufficienter poſſit dirigi reſpublica vel genus humanum; pro cujus improbatione ſuppono communem diviſionem neceſſitatis. Eſt enim neceſſitas abſoluta, & ex ſuppoſitione finis. Prima eſt ſecundum quam aliquid non poteſt non eſſe. Secunda eſt ex ſuppoſitione, ſecundum quam, ſi aliquid velit finem ſuum conſequi, oportet illud, quod ſic eſt neceſſarium, habere; aut ſi *commode* finem ſuum conſequatur, oportet illud adeſſe. Igitur, juxta illum ſecundum modum neceſſitatis, dixi in poſitione mea, quod ultra legem æternam & naturalem, eſt ponenda lex humana; & nunc conformiter ad illa dico, quod hoc ſecundo modo neceſſitatis eſt neceſſaria. Nam ſi politice homo vult vivere, valde utile eſt habere leges humanas; & hujuſmodi eſt ſecundus *modus* neceſſitatis, ſecundum quem dicitur Gen. 43. *Si ſic neceſſe eſt, facite quod vultis.* Et Tobiæ 12. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te.* Et in capite Iſagogarum Porphyrii ad Categorias Ariſtotelis dicit Porphyrius ſuo diſcipulo: «Cum ſit neceſſarium, *Grizaſon*, ad eam quæ ſecundum Ariſtotelem eſt prædicamentorum notitiam, noſce quid ſit genus, quid ſpecies.» Et hoc repugnat uni de dictis ſuis, ſcilicet ſecundæ parti primæ propoſitionis ſuæ, quæ talis eſt: Quamvis lex æterna ſit ponenda in ſummo omnium principe, non tamen ultra hanc æternam legem & naturalem, neceſſe eſt ponere legem humanam, ita quod ſine ea non poſſit dirigi reſpublica ſeu genus humanum. Credo quod intelligat & velit dicere, quod ſine lege humana populus per legem divinam & naturalem ſufficienter & convenienter poſſit dirigi in ſuum finem ultimum. In hoc ei contradico, non tamen quod hoc ſit ex inſufficientia divinæ legis, ſed ex parte *noſtra*.

Neceſſitas legis humanæ quadruplex ratio.

Neceſſitas igitur legis humanæ probatur ex quadruplici radice. Prima ſumitur ex parte cognitionis humanæ; ſecunda, ex parte affectus illius; tertia, ex parte materiæ legis; non materiæ, inquam, circa quam, ſed eorum de quibus lex fertur; quarta, ex parte finis legis humanæ. Duæ primæ radices in parte deductæ fuerunt, & ibi dicta pro repe-

titis habeantur; superest aliqua addere eidem.

Prima radix.

Cum omnis multitudo ab uno profluat, transitur ab uno in multitudinem ordine quodam; inde est quod species rerum sunt sicut numeri, & quod sicut res incipiunt distare a primo, incidunt in majorem compositionem & defectum ac mutabilitatem, suntque dissimiliores ac demissiores; omnisque perfectio inferiorum continetur eminenter in superioribus: unde vegetivum in sensitivo, & sensitivum in rationali, & rationale in intellectivo perfectionaliter continetur. Ideo secundum Isidorum libro de differentiis: Ratio oritur in umbra intelligentiæ, sensitivum in umbra rationis; vegetivum in umbra sensitivi. Hinc est quod res inferioris ordinis non potest sibi adæquare perfectionem superioris, manentibus utrisque in sua specie. Propterea dictum fuit in positione, quod ratio humana non potest ad plenum pertingere dictamen divinæ sapientiæ, quippe nec angelica, ad cujus plenitudinem homo per naturam attingere non sufficit. Si enim angelica conceptio poneretur in intellectu humano, non posset humanus intellectus comprehendere omnia quæ intelligit angelus: si ad imaginationem intellectio poneretur in potentia æstimativa, non posset universaliter, sed tantum particulariter per eam cognoscere. Sicut ergo per eam non posset syllogizare ex universalibus, quamvis in se haberet universalem conceptionem, quia scilicet non comprehenderet eam: sic ratio humana divinam aut æternam legem non comprehenderet. Ideo, esto quod lex æterna sit de se sufficiens ad directionem humanorum actuum; nam per eam solam Deus omnia gubernat: tamen quia homo eam capere ad plenum non sufficit, oportuit ei universalitatem ejus per legem humanam partiri & dividere, sicut habet Dionysius, quod superiores angeli illuminando inferiores, suam sapientiam inferioribus dividunt. Sic facit & magister suo discipulo, *cum eum instruit*. Hæc videlicet ad elucidationem primæ rationis ibi factæ.

Secunda vero ratio sumta fuit ex parte *affectus & exinde actionis, quia voluntas* movet ad exercitium actus; cui addendum pro ejus declaratione, quod ex quo proni *sunt sensus humani cordis ad malum ab ado-*

Gen. 8. *lescentia*, non sufficit, ut communiter, monitio, sed requiritur disciplina coactiva, quæ *metum inferat, propter quem nostra bestialitas a maximis delectationibus*, ut illa quæ est pecudum, arcetur; unde scriptum est Exod. 20. *Ut probaret vos venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Cui consonat id:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Licet autem divina lex pœnas æternas comminetur, tamen illis non terrentur ad temporalia inordinate depressi; quorum cogitatio futura non prospicit, aut parum, præsentibus immersa & infixa in limo profundi. Propterea necessaria fuit lex humana, quæ pœnas sensibiles de propinquo minaretur, & mox transgressoribus infligeret, per quas vitiosos aut ad vitia pronos a noxiis retraheret, & earum metu assuescerent virtutibus. Et hæc ratio innuitur Eccli. 7. 6. cum dicitur: *Noli velle fieri judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates.* Et ab Isidoro 5. Ethimolog. & habetur di. 4. cum dicitur: « Factæ sunt leges, ut earum metu humana coërceatur audacia.

Jam dictis meis superaddo tertiam rationem, sumtam ex parte materiæ circa quam, sive objecti legis novæ, & arguo: Omnis habitus determinatus circa aliquod objectum, alia, quæ ad illud non habent necessariam habitudinem, prætermittit, aut non principaliter intendit; sed lex evangelica circa gratiam principaliter versatur; igitur lex evangelica non præcipit aut prohibet ea quæ ad gratiam non habent necessariam habitudinem. Major nota est intelligenti: minor patet per Apostolum Rom. 4. dicentem: *Ubi est gloriatio tua? exclusa est: per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei, & hæc est lex evangelica.* Nam Rom. 8. eam vocat legem spiritus vitæ, cum ait: *Lex Spiritus vitæ in* Christo Jesu *liberavit me a lege peccati & mortis.* Et ostendens quod per legem veterem hoc fieri non poterat, sed per novam, subdit: *Nam quod impossibile erat legi, in qua infirmabamur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulamus.* Et hoc Dominus, de dilectione Dei & proximi loquens, testatur, cum ait Matt. 22. *In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.*

Ex qua ratione apparet, quod cum dupliciter aliqua possint pertinere ad gratiam. Uno modo, sicut *inducentia* aliqualiter ad gratiam, ut opera sacramentorum novæ legis; aut ad eam disponentia, ut fides, quantum ad intellectum; & *contemtus mundi*, quantum ad effectum. Alio modo, ut gratiam subsequentia. Sola talia principaliter a lege evangelica instituuntur, præcipiuntur aut prohibentur, eo quod ad gratiam non habentia prædictam habitudinem, sunt satis peregrina regulæ legis evangelicæ, cujus consideratio principalis est introducere ad gratiam. Omnis siquidem gratia ad nos profluit per Jesum Christum hominem factum, Johan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Post pauca: *De plenitudine ejus omnes accepimus, gratiam pro gratia; quia lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per* Jesum Christum *facta est.* Et hoc intelligen-

Quæ a lege evangelica instituuntur, præcipiuntur aut prohibentur principaliter.

dum eſt de his quæ habent neceſſariam convenientiam aut contrarietatem ad ipſum. Unde ſi habent neceſſariam habitudinem convenientiæ, *præcepta ſunt in lege nova*, ut eſt confeſſio fidei, tempore quo oportet eam confiteri. Si contrarietatem: prohibita, ut eſt negatio ejus.

Ex quo ſequitur ſecundo, quod illa, quæ ad gratiam *non* habent neceſſariam habitudinem, ſicut prædictum eſt, non ſunt præcepta aut prohibita ex ipſa prima legis inſtitutione: ſed relicta ſunt a Chriſto legiſlatore unicuique, ſecundum quod curam gerere debet, & in talibus licet cuilibet præſidenti circa talia ordinare ſuis ſubditis, quid talibus eſt faciendum aut vitandum. Lex enim vetus multa determinabat, & pauca relinquebat libertati hominum determinanda. Hæc ex beato Thoma habentur prima ſecundæ q. 106. & 108. in diverſis locis. Idem e. q. 108. ar. & in pe. dicit ſic: Cum evangelium *ſit lex gratiæ*, illa ſolum præcipere debuit per quæ in gratiam introducimur, & prohibere per quæ excludimur, vel quæ pertinent ad rectum uſum gratiæ ex neceſſitate. Quoniam igitur gratiam ex nobis conſequi non poſſumus, ſed per Chriſtum ſolum; ideo ſacramenta, per quæ gratiam conſequimur, ipſe Dominus inſtituit per ſeipſum. Rectus vero uſus gratiæ eſt per opera caritatis, quæ ſecundum quod ſunt de neceſſitate virtutis, pertinent ad præcepta moralia. Sed quia iſtæ determinationes non ſunt de neceſſitate gratiæ interioris, in qua lex nova conſiſtit, ideo *non cadunt ſub præcepto novæ legis*: ſed relinquuntur humano arbitrio; quædam quidem ad ſubditos, quæ ſcilicet pertinent ſigillatim ad quemlibet; quædam ad prælatos ſpirituales vel temporales, quæ ſcilicet pertinent ad utilitatem communem. Hinc eſt quod lex nova nulla alia determinate debuit exteriora opera præcipiendo vel prohibendo, niſi ſacramenta & moralia præcepta, quæ de ſe pertinent ad rationem virtutis, ut eſt: Non eſt occidendum, non furandum, &c. Hæc ex Thoma ubi ſupra. Igitur cum multa ſint requiſita circa uſum & ritum ſacramentorum, *& impletionem operum virtutum*, quæ per legem evangelicam determinata non ſunt; neceſſe eſt eſſe leges humanas eccleſiaſticas aut civiles hæc determinantes.

Dices quia non oportet; quia vir prudens & fidelis omnia talia recte diſponet & ordinabit. Reſpondeo quod non; & mihi, in promtu occurrit quod dicit Ariſtoteles 2. Rhetoricæ, & Thomas recitat 1. 2. q. 95. ar. 1. ad ſecundum. ibi determinant; Quod melius eſt omnia ordinari lege, quam dimittere judicum arbitrio; propterea primum, quia facilius eſt invenire paucos ſapientes, qui ſufficiunt ad rectas leges condendas, quam multos ad recte judicandum de ſingulis. Secundum, quia hi qui ponunt leges ex multo tempore conſiderant, quid lege ferendum: judicia autem ex ſubitis caſibus ortis fiunt. Facilius autem ex multis conſideratis poteſt homo videre quid rectum ſit, quam ſolum ex aliquo uno facto. Tertium, quia legiſlatores judicant in univerſali & de futuris: ſed homines judiciis præſidentes, judicant de præſentibus, ad quæ interdum afficiuntur amore vel odio, aut cupiditate; & ſic eorum judicium depravari poteſt. Quia igitur juſtitia animata judicis non in multis invenitur, & quia flexibilis eſt, ideo neceſſarium fuit, in quibuſcumque eſt poſſibile legem determinare, de quibus judicandum eſt, & pauciſſima committere hominum arbitrio. Apparet igitur neceſſitas legis humanæ *eccleſiaſticæ vel civilis, ultra legem evangelicam*. Iterum erant in lege veteri ultra ſacrificia, ſacra; unde in lege nova eſſe debent. Tamen quia in eis non confertur gratia, nec pertinent ad neceſſitatem ejus, ut in conſecratione templi, aut altarium, aut benedictione calicis, in celebritate ſolemnitatum, & de ſimilibus; ideo talia Dominus inſtituenda fidelibus dereliquit pro ſuo arbitrio. Rurſus quia judicialia conſiderata, quoad talem vel talem determinationem, non ſunt de neceſſitate virtutis, licet ſint, quantum ad communem rationem, juſtitiæ; ideo *judicialia præcepta reliquit Dominus* diſponenda his qui curam aliorum erant habituri, vel ſpiritualem vel temporalem. Eſt bene verum, quod circa præcepta judicialia veteris legis, quædam explicavit propter malum intellectum Phariſæorum. Hæc ex Thoma prima ſecundæ quæſt. 108. ar. 2. ad 2. & 4. Illud autem quod dictum eſt de judicialibus præceptis ordinandis ab his qui præeſſe poterant in futurum, eſt accipiendum de judicialibus tempore gratiæ, non de judicialibus veteris legis; ſaltem illa ratione qua tunc obligabant. Sic patet ex iſta radice, quod *oportet ultra legem evangelicam ponere legem humanam*.

Melius eſt omnia determinari lege; quam committi judicum arbitrio.

Quarta radix neceſſitatis legis humanæ.

Ex quarta, quæ eſt finis legis humanæ, oſtendo neceſſitatem hujuſmodi legis modo dicto. Leges humanæ habent pro fine conſervationem pacis politicæ, ad quam venitur, & ea parta ſervatur per hoc, quod hominum audacia legibus arcetur, & nocendi facultas refrænatur; quoniam ex hoc tuta eſt inter improbos innocentia, quod, formidato in improbis ſupplicio, audacia ipſa & nocendi facultas cohibetur. Hoc patet in decreto di. 4. Factæ ſunt leges prius allegato. *Ipſa autem audacia aut facultas nocendi*, etſi divina lege prohibeatur; tamen quia viri iniqui Deum non timent, nec judicia ejus expaveſcunt, nec curant pœnas æternas illis præparatas, neceſſe eſt humanis conſtitutionibus pœnas ſenſibiles deputare ſceleribus, quas timeant, quarumque terrore a malis propellantur. Et hoc facit lex humana. Ideo

si quiete, si pacifice velint homines vivere in communitate politica, oportet tales leges esse sancitas. Propterea in capite decreti dicit Gratianus: Humanum genus duobus regitur: videlicet naturali jure & moribus; & declarando quid naturali jure & moribus intelligat, accipit verba Isidori 5. lib. Etimologiarum dicentis. Omnes leges aut divinæ sunt aut humanæ; divinæ natura, humanæ moribus constant. Negare autem necessitatem seu utilitatem legum humanarum, est negare decretum in capite, est negare doctores sequentes, de illis mentionem facientes, & eas valde utiles ostendentes. Primo autem Augustinus ad Macedonium, qui ait: Non frustra sunt instituta potestas regis & jus cognitoris, ungulæ carnificis, &c. ut alias in positione allegavi. Sequitur: Habent ista omnia modos suos. Glo. ad quid fiant, causas; quia, ut dicit glo. sine causa nemo puniendus est. Rationes glo. Nam secundum leges judicandum est. Utilitates, nam glo. teste, hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur. de hoc 23. q. 5. *Non frustra* & e. q. ad fidem. Dicit Augustinus contra Petilianum hæreticum loquens de legibus humanis; sic igitur quæ adversus vos leges constitutæ sunt, non eis bene facere cogimini, sed male facere prohibemini. Nam bene facere nemo potest, nisi amaverit, quod est in libera voluntate. Cum aliquid adversus vos leges constituunt, admoneri vos credite, ut cogitetis quare ista patiamini.

Secundo Ambrosius super epistolam ad Romanos, & habetur 23. q. 11. *sicut sunt quædam.* Ostendit necessitatem seu utilitatem hujusmodi legum humanarum, & loquitur de civilibus legibus, ait enim: Sicut sunt quædam enormia flagitia, quæ potius per mundi judices, quam per antistites & rectores ecclesiarum judicantur, sicut est cum quis interficit pontificem apostolicum, episcopum, presbyterum, sive diaconum; hujusmodi reos reges & principes mundi damnant. Ergo non sine causa gladium portant, qui talia scelera vindicant. Sunt enim maxime constituti propter homicidas, raptores, ut & illos damnent, & alios suo timore compescant.

Item Augustinus 3. decim. & habetur eisdem causa & q. *Non est*; dicit: Non est innocentiæ parcendo sinere ut in malum gravius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non solum nemini malum inferre; verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum; ut aut ipse, qui prius odio habebatur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. Præterea idem ad Vincentium Donatistam ait: Vides, ut opinor, non esse considerandum, quod quisque cogitur, utrum bonum aut malum, sed quale sit id quo cogitur: Non quod quisque bonus esse possit invitus, sed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem, ut timens vel respuat falsum de quo contendebat, vel quærat verum quod nesciebat, & volens jam teneat quod nolebat. Sequitur postea. Civitas mea, quæ cum tota esset in partes Donati, ad unitatem catholicam legum imperialium timore conversa est, quam tunc ita videmus hujus animositatis vestræ perniciem detestari, ut in ea numquam fuisse credatur.

Porro Pelagius papa 23. q. 5. c. *Non vos.* ait ibi paulo post initium. Si ut illi putant, nemo est reprehendendus a malo, nec retrahendus a malo ad bonum; humanas ac divinas leges necesse est evacuari, quæ & malis pœnam, & bonis præmia, vel justitia suadente, constituunt. Malum autem est schisma esse, & per exteras etiam potestates hujusmodi opprimi debere homines & canonicæ scripturæ auctoritas, & paternarum nos regularum veritas docet. Ibi inducitur constitutio concilii Calcedonensis; & consequenter Augustinus, qui de talibus ait: Multa cum invitis benigna quadam asperitate plectendis, agenda sunt, quorum potius utilitati consulendum est, quam voluntati.

Idem Pelagius Narsi patricio capitulo de Liguribus, dicit: De illis qui schisma in ecclesia faciunt, quod excommunicentur: Si vero sententiam illam contemnunt, per potestates publicas, hoc est sæculares, opprimantur. De hoc Pelagius papa ait cap. sequenti *quali*, in quo dicit, sic: Hoc enim divinæ & humanæ leges statuerunt, ut ab ecclesiæ unitate divisi, & ejus pacem iniquissime perturbantes, a sæcularibus potestatibus comprimantur. Mille auctoritates adduci possent ab extra, quibus evidenter probaretur, ut facientes scissuras in sancta ecclesia, non solum exiliis, sed etiam proscriptione rerum & dura custodia per publicas potestates deberent coerceri, etiam patet legum humanarum ultra evangelicam necessitas seu utilitas; & ad hoc hanc unicam rationem ultra præmissas appono.

Omnis dominus curam habens de subditis, leges accommodas & statuta imponere habet, quibus illi sint obedientes dominio, & pacifice inter se conversentur. Non enim potentia aut voluntate regi vult humanum genus; sed arte & rationibus. Igitur aut negare oportet omne dominium humanum, aut concedere leges humanas fore necessarias, seu permultum utiles. Primum negari non potest, cum homo sit natura sua animal domesticum, civile, sociale, & politicum. Ergo necesse est concedere necessarias modo dicto esse leges humanas, & quod sola lege evangelica non potest hominum politia regi, non ex insufficientia illius, sed impotentia humanæ rationis, quæ omnia mysteria & sacramenta legis divinæ comprehendere non valet, & ex infirmitate voluntatis ratio-

Ratio pro necessitate legum humanarum.

nalis ad malum proclivis, nec timentis Deum, quam timor legum humanarum comprimit. Unde hoc modo serviunt reges domino in timore.

Si bene dicta replicantis considero, in illis invenio repugnantiam in 2. parte primæ propositionis. dicit quod lex humana ultra legem divinam & naturalem non est necessaria: immo sine illa potest regi respublica & genus humanum; & cum existimaverat hoc probasse, subjungit; quod non sunt respuendæ leges humanæ. Sed dico, inquit, quod non obligant, nisi ut disponant ad legem divinam; ex quo sic arguo: leges humanæ obligant secundum eum, & disponunt ad observandum legem divinam, & ad hoc ab omni fideli principe statuente ponuntur: igitur leges humanæ obligant, & si sic necessitant, & per consequens sine illis utiliter respublica regi non potest. Major est sua, minor nota est omni intelligenti. Palam enim est quod leges humanæ ad hoc positæ sunt, ut quos Dei timor a malo non revocat, flagella legis deterreant, & ex hoc a malis arceantur. Illæ etiam quæ sunt de contractibus, ideo statutæ sunt, ut servetur justitia. Omnes autem ad pacem servandam ordinantur, quæ est conveniens medium obsequendi divinis mandatis. Item quia non est lex dicenda, quæ non imitatur, ut potest, divinam, & ex illa imitatione habet vim obligandi; igitur omnis lex subditos obligat post suam promulgationem, & in foro conscientiæ ex parte qua aliquid divinæ & naturalis legis in illa splendet & refulget.

Post hæc ad suas replicas respondeo. Ad primam, ubi arguit, quod lex Mosayca erat per se sufficiens ad regimen ecclesiæ militantis; dico quod lex Moysi erat lex particularis uni populo data, in qua ultra præcepta moralia, quæ pertinebant ad legem naturalem, erant præcepta judicialia, ordinantia hominum actus in judiciis causarum & contractibus aliisque ad invicem communitatibus. Erant & cerimonialia, determinantia cultum erga Deum; & ita in ea erant sufficientia præcepta pro illo populo. Lex vero evangelica sufficienter præcepta dedit, de sacramentis, per quæ inducitur per modum instrumenti gratia, & de aliis ad ipsam gratiam disponentibus, & de recto usu gratiæ, qui est per opera caritatis, & de oppositis dedit prohibitiones. Alia autem, quæ nec ad gratiam introducunt vel disponunt de se, nec ad rectum usum ejus ex necessitate pertinent, quia sunt illi legi peregrina, aliquo modo relicta sunt a Christo legislatore aliis rectoribus, considerata imperfectione humanæ cognitionis.

Concederem tamen, si quis divinam scripturam comprehenderet, ut legislator Deus, quod nihil ultra statuere oporteret. Sed quia non sic est, oportet modo prædicto in civilibus aliqua fuisse statuta præcepta ad usum gratiæ; quia gratia manente, posset sic vel aliter fieri. Concedo insuper, quod in ea sit fides ecclesiæ; & exemplar regiminis ejus etsi sit in se planissimum, non tamen nobis, cum ipsam studio elucidemus, & elucidando vitam mereamur æternam. Quamvis etiam in ea sit omnis subtilitas; tamen quia eam comprehendere non valemus; nam puteus iste altus est, & non habemus in quo hauriamus, multa humano ingenio, ad ejus observantiam subservientia, inventa sunt, placet mihi quod necessaria ad salutem sufficienter tradit lex nova.

Ad rationem cum dicit: universitas legum sufficit, &c. concedo majorem, prout leges sunt expressæ & populo in speciali promulgatæ. Ad minorem dico, quod illo modo non sunt in lege divina, sed sunt in ea modo excellentiori, sicut sensitivum est in intellectivo modo nobiliori, quam in se. Nam unumquodque quod est in aliquo, est in eo per modum ejus in quo est: in illa autem perfectione, qua omnis veritas & omnis lex est in lege divina, non valet ab imperfectione humana omnis lex plene intelligi, ut sufficienter regulet actus humanos: sicut scientia, illo modo quo est in doctore, non illuminat discipulum, nisi per doctorem dividatur & partite eidem tradatur. Ubi quæso forma judicii in foro exteriori expresse reperitur in novo testamento? ubi de civitate tuenda? ubi de numismate fabricando? ubi de censibus? ubi de commutationibus? ubi de possessionibus hereditariis? ubi de testamentis? ubi de sepulturis & de innumerabilibus talibus, quæ utique tradere per legem necessarium, hoc est, utile fuit. Per ista patet intelligenti solutio.

Ad dictum Damasceni, illud est verum. Namque de Deo dici possunt aut expresse aut implicite, in divinis eloquiis tradita sunt: sed leges humanæ de Deo non traduntur, sed de actibus humanis & concernentibus regimen humanum. Hæc autem ad gratiam necessariam non habent habitudinem in particulari, quæ salva gratia variari possunt.

Ad dictum Gregorii 23. Moralium, illud concedo. Nam posset intelligi dictum suum de possibilibus evenire, pertinentibus ad salutem ex habitudine necessaria, ut sunt sacramenta, virtutes theologicæ & opera caritatis: Si de aliis intelligatur, adhuc est verum, quod Deus quidquid potest evenire, simul in scriptura sacra comprehendit; quia uno verbo dicit se & alia; quia etiam scripturam sacram comprehendit. Sed quia homo illam non sufficit comprehendere, non potest sic omne tale distincte intelligere in ea. Placet enim mihi, quod per exempla præsentem vitam sequentium informare curavit, in his scilicet quæ pertinent ad salutem: sed adhuc in civilibus & aliis restat

informanda. Si de neceſſitate abſoluta intelligat replicans, legem humanam non eſſe neceſſariam, in hoc mihi non contradicit, quia de illa nolui loqui in poſitione mea. *Poſſet enim Deus per alium modum providere regimini populi de potentia ſua abſoluta*; etiam per prudentiam humanam multa fieri poſſent circa illud. Non reperio quod ad rationes tunc factas pro neceſſitate, de qua loquor, dederit aliquod reſponſum; quia judicio meo concludunt propoſitum.

Secundum dictum adverſarii.

Secundum dictum replicantis contra ſecundam partem tertiæ propoſitionis meæ eſt: *quod omnia peccata mortalia publica poſſent* B puniri lege humana; & ego dixeram oppoſitum. Fuerat enim propoſitio mea iſta: quamvis omnia peccata mortalia & maxime publica, ſint a quolibet fideli deteſtanda; non tamen omnia poſſunt puniri lege humana. Non eſt opus dicta mea novis fulcire rationibus, quia firma ſunt. Duo ſolum circa hoc reſtant facienda; unum eſt evacuare ſuas rationes, alid oſtendendum quod non ſolvit meas; & iſtud ſecundum fiet circa finem hujus puncti.

Contra ſecundum dictum adverſarii.

Priuſquam tamen ad primam rationem ſuam reſpondeam, concordet dicta ſua ad C invicem, quæ utique repugnare videntur. In prima ſuppoſitione ſua poſuit, quod lex evangelica excedit Moſaicam in exſtirpatione vitiorum, & punitione eorum, &c. Et ſubjungit, quod lex humana deficit ab ea, quia ipſa non punit omnia, & evangelica omnia punit; & modo dicit legem humanam omnia poſſe punire, & rationes prætendunt, quod aliquæ leges tales omnia puniunt, & iſta non ſtant ſimul.

Ad primam replicam ejus.

Ad primam tamen rationem, cum aſſumit illud Danielis 3. de Nabuchodonoſor. D *A me poſitum eſt decretum hoc: Quicumque blaſphemaverit contra Deum Sidrach, Miſach & Abdenago, diſpereat & domus ejus vaſtetur*; Dico primo, quod illud decretum loquitur ſolum de punitione peccati blaſphemiæ, quod etiam multis legibus humanis punitur modo: non loquitur de omni peccato; non de peccato comeſſationis, rixæ ad invicem, ſimplicis meretricii, fraudis, mendacii & multorum talium. 2. Dici poſſet quod illud decretum videtur quidem explicatio eſſe legis divinæ. Nam ex miraculo liberationis trium puerorum de fornace, motus eſt prorumpere E in hujus verba decreti, & hoc eſt quod dicitur ibi ſic: *Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelſus: placuit ergo mihi prædicare ejus ſigna, quia magna ſunt, & mirabilia ejus, quia fortia; & regnum ejus, regnum ſempiternum, & poteſtas ejus in generatione & generationem.* Et iſta moverunt eum ſtatuere decretum; quod quicumque blaſphemaret ipſum Deum excelſum, diſperiret & domus ejus vaſtaretur. Unde ex hoc magis arguitur, quod lex divina puniat, quam lex humana, cum etſi A ſit ab homine, hoc eſt magis in quantum innititur divinæ legi quam humanæ. Et tamen, ſive ſit pure humanum decretum, ſive aliter, tamen eſt de particulari peccato, ſcilicet blaſphemiæ. Ex quo non poteſt concludi univerſale, ſcilicet, quod omne peccatum lex humana puniat.

Ad ſecundam. 1. Eſdræ 7. 25.

Ad ſecundam cum arguit per illud 1. Eſdræ 7. *Rex Artaxerxes locutus eſt ad Eſdram: Tu autem Eſdras ſecundum ſapientiam Dei conſtitue judices*: dico quod illud decretum regis eſt, ut lex divina ſervetur, & per judices ab Eſdra conſtitutos, tranſgreſſores ejus puniantur; & dicit quanti ſunt, & illud intelligitur, aut pœna per hominem infligenda, & hoc ſervatur tribus ſæpe dictis, jurisdictione, convictione & pace; aut in futuro per divinum judicium. Quod autem ſint vera, patet ex glo. ordin. ſic dicitur: Juſtus « in manu ſua legem Dei & ſapientiam habet, dum in omnibus quæ arguitur & loquitur memorem ſe divinæ voluntatis oſtendit. « Sequitur: Myſtice autem Dominus noſter « habet ſapientiam in manu ſua. Ipſe enim eſt « Dei virtus & Dei ſapientia; conſtituit judices, id eſt præſules animarum, qui ſecun- « dum voluntatem ejus judicent omnia, & « indoctis fidem per orbem prædicent; & omnis qui decreta legis illius contemnit, præ- « ſenti ſententia vel futura, juxta modum peccati ſui, punietur.

Ad tertiam. 2. Paralip. 15.

Ad tertiam cum arguit per illud 2. Paralip. 15. de Aſa rege, ubi dicitur ſic: *Rex intravit ex more ad corroborandum fœdus, ut quærerent dominum Deum patrum ſuorum in toto corde & in tota anima*, &c. dico quod iſtud intelligitur non de pœna pro omni peccato, ſed de pœna infligenda pro peccato idolatriæ. Volebat rex juxta inſtitutionem Obed prophetæ, populum ſuum, ſine lege Dei exiſtentem, ad divinæ legis obſervantiam revocare. in principio enim capituli dicitur: *Tranſibunt autem dies multi in Iſraël abſque Deo & abſque ſacerdote & doctore*, &c. Et hoc habetur ſolum, quoniam peccatum idolatriæ punire voluit Aſa rex. Ex quo non poteſt concludi quod omne peccatum humana lex puniat. 2. Par. 15. 3.

Tertium dictum replicantis.

Tertium dictum replicantis contra ſecundam partem concluſionis mei primi puncti eſt; quod omnia peccata mortalia publica, divina lege expreſſe vel implicite prohibita, ſunt ab homine ex dictamine hujus legis, data pertinacia & ad hoc habita opportunitate & ſufficientia, pœnaliter per judicium ipſi legi conforme punienda, ſtante ſaltem brachio ſæculari & ſpirituali in ſuo ordine a Deo approbato. Ego autem dixi oppoſitum *in ſecunda parte concluſionis prædictæ*. Nam concluſio fuerat: Licet omnia peccata mortalia ſint divina lege expreſſe vel implicite prohibita, non tamen omnia peccata mortalia publica ab homine ſunt ex dictamine

hujus legis pœnaliter per judicium punienda. Hæc, inquam, ſecunda pars meæ concluſionis repugnat ſuo dicto, niſi vellet facere unam reſtrictionem in illis terminis, habita ad hoc opportuninate & ſufficientia, ut vellet dicere, quod talia peccata ſunt ab homine, quantum opportunitas requirit, & quantum ſua potentia ſe extendit, punienda; & tunc ſi vellet dicere, quod hoc non ſufficit ad omnia, non contradicetur mihi; ſi vellet dicere, quod ſufficit, eſſet contradictio inter nos.

Impugnatio tertii dicti replicantis.

Dicti autem ſui ſubtilitas patet ex duplici radice. Prima ſumitur ex altitudine legis divinæ, arguitur ſic. In omni agente per intellectum, neceſſe eſt eſſe formam cognitionis ab ipſo operandorum, alias enim ageret a caſu: igitur judex vindicans, debet in ſe habere formam legis ſecundum quam ferat ſententiam & executionem dirigat. Hæc autem forma eſt ſibi regula, ſicut conceptio artis eſt regula ſecundum quam artifex manum conducit ad opus & inſtrumenta. Si vero potentia executiva non ſit adæquata formæ artis in mente artificis, ſed demiſſior & apoteleſmata ſeu inſtrumenta ſecundum illam formam intelligibilem non valeant in materia explicare ad plenum, iſte artifex concipiet quæ facere non poterit: ita ſi lex, quæ eſt rectori regula, ſit formâ intelligibili altior & univerſalior, quam potentia executiva ipſius rectoris, immo nec illam formam legis rector comprehendere poſſit in toto ſuo ambitu, non poterit executioni demandare omnia quæ lex jubet. Modo ſic eſt in propoſito. Lex enim divina etſi ſit fideli rectori ratio & forma ac regula ſui regiminis, quia tamen nec illam comprehendere valet, nec potentia adæquata illi legi ſubeſt rectori, ut omnia præcepta exequatur, cujus ratio eſt, quia lex divina eſt ſecunda hominis regula excedens, ſequitur quod non poſſunt humano judicio omnia peccata mortalia, utique illa lege divina prohibita, puniri.

Secunda radix ſumitur ex parte fori vel tribunalis legis divinæ, & ſic arguitur: Nullius legis præcepta ſufficienter executioni demandantur, niſi in foro ſibi competenti & proprio. Proprius autem forus divinæ legis & competens, non eſt forus cauſarum contentioſus, in quo tamen ſolo judicat homo ut homo. Igitur in foro contentioſo non poteſt ſufficienter lex divina ab homine exequi. Minor ſic probatur: Deus ſuum tribunal, in quo ſecundum ſuam legem vindicat & punit, habet, ut homo habet ſuum: Tribunal vero legis divinæ, in quo etiam de ſecretis cordium, & de omnibus publicis peccatis mortalibus judicatur, eſt in foro conſcientiæ, & in finali judicio. Nam in primo de omnibus mortalibus confeſſatur, vindicta imponitur. In finali judicio ſimiliter de omnibus mortalibus in primo re aut voto non condonatis. Et ſi in aliquo horum tribunalium homo ut homo poſſet ſedere & judicare, concederemus quod ab homine poſſent omnia peccata mortalia publica puniri; ſed quia non ſic eſt, non concedo bene pro veritate hujus partis meæ, & confutationi hujus dicti opponentis ſufficiunt mihi auctoritates divinæ ſcripturæ, praxis Chriſti, primitivæ eccleſiæ & apoſtolorum, ſacrorum canonum & doctorum, in lege Dei veraciter ſe fundantium, allegatæ. Reſtat ut rationes ſuas ſolvam.

Reſpondet ad rationes replicantis. Ad primum.

Ad primam aſſumit, quod in eccleſia ſunt duæ partes, clericorum ſcilicet & laicorum, &c. In illa ſupponit unum falſum, ſcilicet quod ſpirituales rectores habeant corrigere clericos ſpiritualiter hortative, & ſæculares corporaliter coactive. Quoad primum ſi intelligat, quod ſpiritualibus rectoribus non ſuppetat alius modus, quam hortative corrigere, eſt falſum. Item, petit quod orat in principio. Nam aſſumit, quod quilibet illorum ex ſuo officio, modis ipſis congruentibus, juxta dictamen divinæ legis, poteſt omnia peccata mortalia pœnaliter per judicium punire, & hoc eſt probandum. Dicit quod probavit. nego ſibi, & apparuit intuenti dicta mea opponi.

Ad ſecundum.

Ad ſecundam. Omnia peccata publica, tribus concurrentibus, ſcilicet juriſdictione, convictione & pace ſalva, ſunt pœnaliter per judicium punienda. Conſequentia tenet ab inferiori ad ſuperius affirmative, & etiam ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis. Antecedens eſt meum, ut inquit. Dicunt aliqui hoc eſſe fallaciam a ſecundum quid ad ſimpliciter; & hoc poteſt eſſe verum, ſi dictum ſecundum quid extenſe ſumatur pro dicto per determinationem aliquam reſtricto, ſive ſit reſtringens, ſive alienans. Eſt enim juxta logicos multiplex pars; quædam ſubjectiva, quædam poteſtativa, quædam in modo, quædam alienans. Differentia eſſentialis conſtituit partem ſubjectivam: potentiæ faciunt partem poteſtativam: determinatio accidentalis, ſi non diſtrahat determinabile a principali ſignificato, facit partem in modo; ſi diſtrahat, facit dictum ſecundum quid proprie ſumtum. Modo hæc tria, juriſdictio, convictio, pax, videntur conſtituere eſſe poteſtativum judicii. Unde ſi acciperentur in prima propoſitione omnia peccata, &c. tribus concurrentibus, &c. ſunt punienda reſtrictione, faciunt dictum ſecundum quid large ſumtum, & proprie loquendo dictum poteſtativum, quod vocatur pars in modo: arguere autem a parte in modo ad ſuum totum affirmative, locus tenet ſine diſtrictione; ſi cum diſtrictione, eſt fallacia conſequentis. nam ſecundum antiquos logicos, ubique committitur fallacia iſta, quando conſequentia non valet; & e contra valeret, ut ſi argumentor: Omnis homo albus: conſequens: ergo omnis homo currit: non

non valet, & eſt fallacia conſequentis; quæ e contra valeret, ſuppoſita conſtantia ſubjecti; ut, Omnis homo currit, & homo albus eſt: ergo omnis homo albus currit: committit ergo fallaciam conſequentis.

Præterea cum ablativus abſolute poſitus, habeat reſolvi per *dum*, per *ſi*, per *quia*; ſenſus iſtius, iſtis tribus concurrentibus, omnia peccata, &c. poſſunt puniri, eſt: Dum iſta tria concurrunt, omnia peccata poſſunt puniri. Arguere ergo ſic, iſtis tribus concurrentibus, omnia peccata poſſunt puniri; ergo omnia peccata poſſunt puniri, eſt arguere æquivalenter ſic: Si iſta tria concurrunt, omnia peccata poſſunt puniri; ergo omnia peccata poſſunt puniri; & non ſequitur, ſicut non ſequitur: Si aſinus volat, aſinus habet alas; ergo aſinus habet alas: aut ſic; dum iſta tria concurrunt, omnia peccata poſſunt puniri: ergo omnia peccata poſſunt puniri; & non ſequitur, ſicut non ſequitur: Dum ſol lucet, dies eſt; igitur dies eſt; quia tempore noctis. antecedens eſt verum, & conſequens falſum. ita diceretur de ſenſu cauſali. Eſt verum quod magis accipio iſtam propoſitionem: Omnia peccata, his tribus concurrentibus, poſſunt puniri, ut eſt categorica de temporali vel temperato ſubjecto aut conditionali, quam, ut eſt hypotetica, conditionalis, temporalis aut cauſalis; ideo dixi conſequentiam factam per opponentem non valere, nec ex oppoſito conſequentis, ſequitur opponi antecedenter.

Præterea dixi, quod impoſſibile eſt concurrere hæc omnia tria ad punitionem omnium peccatorum collective; eſt etenim aliquod, vel ſunt aliqua, in cujus vel quorum punitione hæc tria non poſſunt obſervari; & loquor non de impoſſibili logico, ſed de impoſſibili juris. Sic enim multiplex eſt impoſſibile, ſicut multiplex poſſibile. Eſt poſſibile logicum, quod non claudit contradictionem. Eſt poſſibile phyſicum, quod naturaliter non repugnat. Eſt poſſibile metaphyſicum, in cujus eſſentia non eſt repugnantia formarum. Eſt poſſibile juris, quod licite fieri poteſt. De illo loquendo, dico quod aliqua ſunt peccata, quæ non poſſunt puniri lege humana, iſtis tribus ſervatis, ut interdum peccatum principis, aut alterius habentis multitudinem ſociam, aut ex quorum prohibitione turbaretur communitas, ut etiam peccatum, quod ſufficienter non poteſt puniri, &c.

Licet puerilia ego, jam provectæ ætatis, coram graviſſimis patribus narraverim, credo nihilominus eſſe alienus ab illo maledicto, quo dicitur: Maledictus puer centum annorum, & elementarius vel abecedarius ſenex. Iſaiæ 65. ſcriptum eſt: Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit; quia non proprio motu, ſed ab opponente meo de materia theologica ad ſophiſtica pulſus, hæc dixi.

Ad tertiam arguit ſic: Quæ peccata lex divina ſententiat pœnaliter punienda, &c. ſi intelligat univerſaliter omnia, quæ lex divina ſententiat punienda pœnaliter, illa poteſt homo judex pœnaliter punire, ſecundum dictamen, &c. ſicut in moralibus prima facie accipitur, ubi indefinita ut plurimum æquivalent univerſalibus, nego majorem. probat illam per dictum meum. Nam probando, quod lex humana poteſt aliquando crimina punire mortis ſupplicio, ex illo Roman. 1. *Qui talia agunt, digni ſunt morte.* & Rom. 13. *Quia judex Dei miniſter eſt*; intuli: Ergo quos Deus judicat ad mortem, poteſt judex licite interficere, maxime illos, quos lex divina judicat occidendos; dico quod illud dictum, ſi referatur ad præcedentia, eſt verum, nec eſt univerſale, nec æquivalet univerſali. Nam ſtatim ante dictum eſt, quod aliqua crimina lex humana poteſt punire licite mortis ſupplicio; aliqua, non omnia. Si umquam logicam audivi, non eſt apparentia inferre univerſale ex particulari, nec adeo demens ſum, quod dicere vellem omnia peccata publica lege humana eſſe punienda ſupplicio mortis. Debuit etiam opponens accipere illud illatum: Quos Deus judicat ad mortem, poteſt judex licite interficere, juxta modificationem paulo ante poſitam: ſi juridice convincitur, & pace ſalva. Eſt enim mos in doctrina, poſteriora eſſe connexa prioribus, & unum per aliud intelligi. Quare vero non poſſit homo punire omnia, quæ lex divina prohibet, aut punienda docet, dictum eſt ante, ſcilicet propter excellentiam divinæ legis, & impotentiam humanæ potentiæ; & quod divinæ legis homo non eſt ſufficiens exſecutor, ſed Deus; & homo, ut Deus, id eſt, ut ejus vicarius, in foro conſcientiæ. Ad tertiam.

Ad quartam. Si non omnia peccata, &c. eſſent pœnaliter punienda, lex humana haberet fideliores exſecutores, &c. nego conſequentiam. homines enim non ſunt proprii exſecutores divinæ legis, ſed Deus, aut ejus vicarius: ſed ſunt in parte ejus exſecutores, ſecundum quod lex humana & reges ſerviunt Domino in timore; & ſicut homo omnes tranſgreſſiones legis humanæ plectit, ſic Deus in ſuo foro, cujus tribunal erexit in foro conſcientiæ, & eriget in extremo judicio. Aliquando autem & in hoc ſæculo facit. Tame. fideliter homo exſequitur legem Dei, quia quicquid poteſt punire, punit; dum tamen hæc tria ſæpe dicta affint. Aliter autem puniendo, ipſe legem Dei non exſequeretur, ſed tranſgrederetur, & eſſet occaſio majoris contemtus ejus aut tranſgreſſionis, ſi pacem violaret, aut non convictum damnaret. Ad quartam.

Alias vero, quas adduxit in ſua poſitione, credo ſufficienter ſolviſſe, prout audiviſtis, patres optimi. Sicut autem conſecutio ſua oſtenſa eſt non eſſe vera, ita corollarium,

quod ex ea trahit, dico non esse verum, cum dicit: Lex tolerans & permittens impunitam simplicem fornicationem vel simplex meretricium, est iniqua, & non divinæ legis rectitudinem & justitiam imitatur. Nam in hoc quod lex humana tolerat simplex meretricium, non ideo probat illud, immo a lege divina & naturali habet quod est iniquum; nempe vaga libido bono prolis adversa est, ad cujus educationem & institutionem oportet virum & feminam insimul diu commorari.

Ad rationem adversarii pro suo corollario factam.

Ad primam rationem ejus, dum arguit sic: Illud est iniquum, quod expresse legi divinæ obviat tam veteri, quam novæ; sed tolerantia hujusmodi peccati expresse obviat legi divinæ: ergo, &c. Respondeo negando minorem. Nam secundum principem Peripatheticorum & metaphysicos 4. Metaphysicæ, contrarietas est oppositio secundum formam. unde ad hoc quod lex humana sit contraria legi divinæ, oporteret quod forma legis humanæ & forma legis divinæ repugnarent. Forma autem legis est duplex: una intus, alia foris. Forma intus & intrinseca est ordo & *compositio mandati*: *forma vero foris & extrinseca* est finis legis, qui cadit primum sub

Declaratio quomodo lex humana divinæ non est contraria, licet una puniat in suo foro, quod alia in suo tolerat.

intentione legislatoris. Quoad primum dico, quod istæ formæ non repugnant. Nam non reperietur, quod lex humana dicat meretricium simplex esse licitum, quod lex divina dicit illicitum. Quoad secundum, qui est finis legis, non est repugnantia, sed finis legis humanæ est sub fine legis divinæ. Bonum *namque concordiæ & unitatis politiæ ordinatur* in bonum gloriæ æternæ: turbatio autem boni communis est illius impeditiva. Nec contradicunt ut lex divina dicter, non esse tolerandum in politia, & lex humana dicter esse tolerandum. Est bene verum, quod lex divina non tolerat in sua politia spirituali, secundum quam per caritatem quis ad Deum aut proximum ordinatur, aliquod peccatum *mortale*: sed lex *humana in sua politia corporali*, quæ in justitia, amicitia & virtutibus moralibus fundatur, tolerat. unde hæc non contradicunt. Si vero quis de illis contradictoria enuntiet, puta quod lex divina in tribunali sui ultimi fori punit omne mortale, & lex humana in eodem tribunali hoc non facit; hoc non arguit contradictionem legum, ex quo in illarum præceptis, consiliis aut prohibitionibus non invenitur repugnantia; sed bene probat, quod una est imperfecta, scilicet lex humana respectu divinæ. De homine enim dicitur, quod intelligit; de asino, quod non intelligit: tamen homo & asinus nullam habent oppositionem ad invicem. nec tolerantia hujus peccati per legem humanam, arguit Deum legem suam non instituisse sapienter: hanc enim consequentiam nemo bene doctus facere debuit. Nam omnis legislator intendens aliquem finem, omnia quæ sunt ad finem ordinare debet secundum exigentiam illius finis. Finis vero divinæ legis est æterna beatitudo, cui omne mortale repugnat, sive punitum, sive secretum: ideo illa omne mortale prohibet, non solum manum, sed animum. *Audistis*, inquit Dominus Matt. 5. *quia dictum est antiquis, non mœchaberis: ego autem dico vobis: Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Finis autem legis humanæ est pax communitatis, ad quam virtutes morales deserviunt. ideo illa prohibet quæ huic adversantur: illa autem tolerat, quorum prohibitio aut punitio illam turbaret. Quia igitur punitio simplicis meretricii daret occasionem, immo magis ex illa occasio acciperetur ab *imperfectis* adulterandi, unde turbatio non modica surgeret, aut alia graviora occulta committendi, unde Deus magis quam ex illis offenderetur; ex quibus omnibus consistentia politiæ non posset in pace diu manere. hinc est quod non approbat, nec laudat, sed tolerat. Nam non omnia potest rectificare, ut Deus, sed ad modum regulæ plumbeæ dirigere suos actus, ut dictum *est in positione.*

Quod si quis quærat, cur in lege veteri fornicatio simplex fuit prohibita, non solum morali præcepto illo *Non mœchaberis*, sed judiciali, Deuteronomii 23. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel*; & modo lege humana non prohibetur, quæ judicialia multa instituit. Respondi in positione, quia tunc permittebatur repudium *uxoris, propter pronitatem illorum durissimorum* & rebellium cordium ad occidendum uxores. Unde si tunc simplex meretricium fuisset permissum, fuisset adhuc fomentum acceptum majoris odii, & citius repudiandi, propter amorem alienæ mulieris. Modo talis non est duritia, saltem non licet repudiare uxorem legitimam.

Cur in lege veteri simplex fornicatio fuit prohibita, & modo lege humana non prohibetur.

Illa vero quæ dixi de locis non privatis, sed publicis; non honestis, sed tranquilinii; de non incedendo publice & libere per plateas civitatis, non sunt concessiones rei vetitæ, sed restrictiones & tolerantiæ rei illicitæ. Opponens petit, ubi in lege divina docetur hoc peccatum tolerandum. Jam dixi, quod lex divina illud prohibet & punit in suo foro, & in illo non tolerat; tamen lex humana tolerat. Petit ergo ubi hoc lege divina docetur. Peto sibi ubi lege divina docetur, quod tolerantur comessationes, rixæ & odia absque prosecutione; tamen lege humana tolerantur, hoc est non puniuntur. Non enim credo, quod in regno suo rixa duorum non se prosequentium, humana lege puniatur. Dicat mihi, ubi hoc docet lex divina, quæ potius dicit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, Matt. 5. non poterit docere: ideo ultra tales quæstiones non faciat.

Quod vero dicitur, Deum sufficienter pro-

vidiſſe ad vitandum tale facinus, quia dedit legem matrimonii, dico quod licet matrimonii ſacramentum ſit remedium conveniens; tamen humanus judex ſciens, quod non omnes obediunt evangelio & legi Dei, ſciens infirmitatem hominum, pœnas inſtituit & præmia; & aliqua mala, *licet minus mala*, tolerat, ne deteriora contingant.

Contra quartum dictum adverſarii.

Quartum dictum ejus eſt cum ait: Utinam curia Romana, ubi ſunt tot fornicationes ad alias eccleſias derivatæ per exemplum, non ſit illa mulier fornicaria, de qua Apocal. 17. Iſtud dictum mihi videtur magnæ irreverentiæ, & ex modica æſtimatione ſanctæ eccleſiæ prolatum, propinquans dictis Wicleffi, qui tractatu ſuo ſecundo de Sermone Domini in monte cap. 32. non reputat epiſcopum Romanum caput omnium epiſcoporum. Et tractatu 36. vocat eum abhominationem deſolationis in abſtracto, ad denotandum pravitatem ſuæ malitiæ, & hoc ſuper primo loco Matthæi 24. *Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto.* Conſonare videtur illud epiſtolæ Arianorum, miſſæ Julio papæ, ut conſentirer eis ſuper condemnationem Athanaſii Alexandrini, Pauli Conſtantinopolitani, Marcelli, Aſclepii & Luciani epiſcoporum, & ſic pacem cum eo & communionem habere ſpondebant; ſi nollet eis conſentire, minabantur ab ejus obedientia receſſum, & deinceps nullum cum eo ſe participium habituros. Non longe abeſſe illud videtur errori Waldenſium, putantium quod tota poteſtas eccleſiæ collata a Chriſto, eſt omnino evacuata propter malitiam prælatorum; & ipſa eccleſia Romana *eſt meretrix* Babylon, apoſtatans a fide Chriſti. Hunc errorem ſecutus fuit Petrus Johannis quidam hæreticus, ponens quod eccleſia Romana eſt carnalis ſynagoga ſatanæ. Hunc errorem tenuerat ante eum abbas Joachim, & nuper inſecutus eſt Johannes Wicleff vocans eam abominationem deſolationis. Et quantum diſtat ab illis, dicens, quod eſt meretrix illa, quæ dabat bibere ſectatoribus ejus de vino proſtitutionis ſuæ? Qui vero timet, id eſt dubitat, ne ſit illa, jam de ſua auctoritate & præeminentia inter ceteras eccleſias fidem non habet; quia fides eſt habitus firmus, etiam firmior ſcientia ex parte adhæſionis, etſi non ex parte evidentiæ, ut habent Thomas & ſequentes ejus.

Contra deſtruentes eccleſiam Romanam.

Contra hos caput eccleſiarum tam viliter deprimentes loquitur beatus Auguſtinus lib. de Quæſtionibus veteris & novi teſtamenti, dicens: » Ordinem ab Apoſtolo Petro cœptum, & uſque ad hoc tempus per traducem » *ſuccedentium epiſcoporum* ſervatum, perturbant, ordinem ſibi ſine origine vindicantes; hoc eſt corpus ſine capite profitentes: » unde congruit etiam eorum ſedem cathedram peſtilentiæ appellare. nec enim ideo » impune erit, quia ſub Dei nomine agunt. Non enim zelo Dei hoc agunt, ſed ſibi tantum volentes deffendere; cum ſciamus Chore & ducentos quinquaginta viros per præſumtionem Deo offerentes, hiatu terræ abſorptos eſſe, & Oziam regem, cum Deo illicite obtuliſſet, lepra fuiſſe percuſſum. Hæc *ille. Cyrillus* vero exponens illud Petro dictum, Matt. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, dicit: » Secundum hanc Domini promiſſionem eccleſia apoſtolica Petri ab omni ſeductione & hæretica circumventione immaculata manet ſuper omnes præpoſitos & epiſcopos, & ſuper omnes primates eccleſiarum & populorum in ſuis pontificibus, in fide pleniſſima & auctoritate Petri; & cum aliquæ eccleſiæ quorumdam errore ſunt verecundatæ, ſtabilita inquaſſabiliter ipſa ſola regnat, ſilentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum. Et nos neceſſitate ſalutis, non decepti ſuperbia, neque vino ſuperbiæ debriati, typum veritatis & ſanctæ apoſtolicæ traditionis una cum ipſa confitemur & prædicamus. Hæc Cyrillus. Ex quo patet, quod ex Domini inſtitutione *ſtatus ſummi pontificis eſt ſuper omnes alios* præpoſitos orbis terræ, & omnium hæreticorum ora decreti ſui terribilis fulgore contundit. Hoc non eſt dictum de univerſali eccleſia, ſed de apoſtolica. Non nego interdum eum, qui dignitate populi præfulget, poſſe labi in hæreſim & alia enormia; tamen non propterea ſtatus & præeminentia apoſtolicæ auctoritatis reprobatur, ſicut propter vita quorumdam religioſorum aut canonicorum, non eſt ſtatus iſte vel ille damnandus.

Hanc inſuper præeminentiam beatus Gregorius teſtatur regiſtri ſui libro 7. epiſt. 36. ad Eulogium Syracuſanum epiſcopum, ita dicens: » Quis neſciat ſanctam eccleſiam in » apoſtolorum principis ſoiiditate eſſe firmatam? quæ firmitatem mentis traxit ex nomine, ut Petrus a petra vocaretur, cui Veritatis voce dicitur: *Tibi dabo claves regni cælorum.* cui rurſum dicitur: *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Itemque: *Simon Johannis amas me? paſce oves meas.* Itaque cum » ſint multi apoſtoli, pro ipſorum principatu, » ſola apoſtolorum principis ſedes in auctoritate convaluit. Hæc ille. De hujuſmodi præeminentia ſedis apoſtolicæ ſuper alias eccleſias particulares, habetur diſt. 12. a Gregorio cap. *Præceptis.* Item ibidem ab Innocentio, *Quis neſciat.* Item diſt. 19. ab Agathone papa, *Sic omnes.* Præterea eadem diſt. c. *Enimvero.* a Stephano papa V. & cap. ſeq. *Nulli.* Idem dicit Gregorius, & pœnam tranſgreſſoribus ſuorum ſtatutorum apponit. Item, Nicolaus papa dicit illos arguendos aut corripiendos, qui decreta Romanorum pontificum non obſervant; & habetur diſt. 20. *Si decreta.* Rurſus Anacletus ſucceſſor Clementis ſuo decreto ait: » Anacletus ſervus Jesu Christi in ſede

» apoſtolica a Domino conſtitutus, & a ſancto
» Petro apoſtolorum principe preſbyter ordina-
» tus, omnibus epiſcopis & reliquis Chriſti ſa-
» cerdotibus ſalutem. Et cap. 3. ſubdit: Hæc,
» inquit, ſancta Romana & apoſtolica eccleſia
» non ab apoſtolis, ſed ab ipſo Domino ſal-
» vatore noſtro primatum obtinuit, ſicut bea-
» to Petro apoſtolo dixit: *Tu es Petrus, & ſu-*
» *per hanc petram ædificabo eccleſiam meam*, &
» reliqua quæ ibi habentur, & habentur di. 22.
Credo. Ex qua ſerie verborum arguit, quod non capit eccleſiam Romanam pro univerſali eccleſia, ſcilicet pro illa particulari, quæ tenet arcem omnium aliarum eccleſiarum. Idem habetur ab eodem 21. diſt. *In novo teſtamento*, & ſequenti c. *Quamvis*. Idem ponit Pelagius papa. Item, idem Nicolaus papa Mediolanenſibus c. *Omnes*. Item Gregorius 5. lib. regiſtri epiſt. ad auguſtam Conſtantiam, quæ incipit: *Omnipotens Deus*, ait: Per
» omnipotentem Dominum rogo, ne pietatis
» veſtræ tempora permittatis unius hominis
» elatione maculari, neque tam perverſo vo-
» cabulo ullum quoquo modo præbeatis aſſen-
» ſum. Atque in hac cauſa nequaquam pietas
» veſtra me deſpiciat; quia etſi peccata Grego-
» rii tanta ſint, ut pati talia debeat; Petri apo-
» ſtoli peccata nulla ſunt, ut noſtris tempori-
» bus iſta pati mereatur. Patet quomodo ſedes apoſtolica eſt honoranda; eſto quod papa ſit peccator, licet Gregorius eſſet vir Dei; tamen ſe tamquam peccatorem computabat, & nihilominus ſedem Petri honorari ab imperatrice poſtulabat. De hac re codices ſanctorum & volumen decreti plurima habent, quæ unius diei ſol ad recitationem non pateretur.

Exempla ſuper veneratione S. ſedis apoſtolicæ & ſummi pontificis.

1. Profecto ſedem apoſtolicam Romanam eccleſiam omnes catholici fatentur primam in omnibus eccleſiis, eamque devote venerantur, quoniam ab ipſa ad regiones orbis fides diffuſa eſt. Conſulo ergo, ut de cetero opponens meus non ponat os in cœlum; judicium ſummi pontificis Deo, aut univerſali eccleſiæ, ſeu concilio generali reſervet. Nam pſal. 103. propheta: *Cœlum cœli Domino*; & in poſitione apparuit per beatum Gregorium, quomodo Dominus voluit per ſemetipſum facta examinare magiſtrorum, cum non per apoſtolos aut diſcipulos, ſed per ſemetipſum æs in templo ſudit & menſas nummulariorum evertit.

2. Meminerit quod beſtia tangens montem lapidabatur. Exod. 19.

3. Quomodo David percuſſit cor ſuum, quod præciderat oram clamydis Saül. 1. Reg. 23.

4. Quod Oza arcam inclinatam manu contingens, percuſſus eſt a Domino 2. Reg. 6.

5. Ante oculos ponat, quid acciderit Cam, qui verenda patris detecta ceteris fratribus oſtendit.

6. Quid Abſalon perſequenti patrem evenit, & quomodo tribus lanceis inobedientiæ, ingratitudinis & infidelitatis ſuffoſus fuit de quo 2. Reg. 18.

7. Non ſit de generatione maledicente patri papæ & matri eccleſiæ, ne moriatur morte ſempiterna.

8. Non ſit contumax imperio patris ſui ſpiritualis ſummi pontificis, ne lapidibus populi dæmoniorum obruatur Deut. 21.

9. Non murmuret contra Moyſen ſi duxit Æthiopiſſam, hoc eſt contra papam ſi Deum offendit per peccatum cui ſe conjunxit, ne lepra mortalis peccati ſuffundatur. Num. 12. & 2. q. 4. §. *de his*, & 33. q. 2. *Hoc ipſum*.

10. Non erigatur contra Moyſen, ut Chore, Dathan & Abiron, de quo num. 16. ne abſorbeat eum terra viventem.

11. Non ſeparetur ab arca uſque ad ultimum ventilabrum.

12. Non exeat de ſagena Petri, donec venerit ad littus conſummationis in fine ſæculi, aut ſaltem uſque ad finem vitæ.

13. Non ſeparetur ab ovili.

14. Non exeat de arca, ſed ſit ut columba, qui ſi peccando exierit, ut illa, pœnitendo revertatur.

15. Noverit quod non calefit pullus niſi ſub alis gallinæ.

16. Non communicet Græciæ, quæ acephala eſt;

17. Non Armeniæ, quæ ſchiſmatica;

18. Non Orientalibus, quia occidit eis ſol.

Sed ſanctam Petri ſedem veneretur, veſtitam biſſino candenti & ſplendenti, ut Chriſti triclinium, tabernaculum ſanctificatum Altiſſimi, ut Rachelem decoram, Liam fœcundam, Abigail prudentiſſimam, ut Petri naviculam, ut ipſius ſagenam, ut ovile ejus, ut aream ipſius. Nam extra eccleſiam univerſalem non eſt ſalus, nec ab eccleſia Romana aut ſede Petri ſe ſubducens, ſalvabitur, niſi pœniteat & convertatur. Nullus igitur de cetero ſit ei moleſtus, etiamſi prælatus in ea præſidens ſit peccator; quia ſemper ſtigmata Dei portat ſancta ſedes apoſtolica, & qui hanc regulam ſequentur, pax ſuper illos & miſericordia; qui de ea aliter ſapuerit, jam de area excuſſus, tradetur ut palea igni inextinguibili. Non ergo meretrix ultra appelletur, ſed ſponſa Chriſti caſtiſſima. Etenim licet in eccleſia univerſali multi ſint peccatores, & mali mixti bonis, dum adhuc militat, tamen ipſa propter ſanctos in ea exiſtentes, propter ordinem hierarchicum, qui & ſacer principatus dicitur, & propter inſeparabilem aſſiſtentiam ſancti Spiritus, ipſam, ut dicit fidei articulus, vivificantis, ſancta dicitur, immaculata, caſtiſſima, immo virgo, de qua illud apoſtoli merito poteſt intelligi 2. Cor. 11. dum ait: *Æmulor vos*

Dei æmulatione, deſponsi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.

Quoniam autem in eccleſia Romana, eam ſumendo pro congregatione papæ & cardinalium, univerſalis eccleſia tamquam in arce repræſentatur, ipſa dicitur ſancta, etiamſi papa ſit peccator & plures cardinales; licet ſic capta poſſet deficere. Sed ſi per eccleſiam Romanam univerſaliter eccleſia, quæ eſt congregatio omnium fidelium vel concilium generale rite & legitime congregatum intelligatur, utique illa errare in fide non poteſt, de qua credo eſſe intelligenda decreta, ſi quæ ſint, dicentia quod eccleſia Romana nulla hæreſis labe maculata eſt umquam nec potuit inquinari.

Quintum dictum replicantis ſuit de pace, circa illud quod dixeram, crimina publica eſſe punienda, ſi fieri poſſit, ſalva pace; quod dum oſtendam ſolutiones ſuas, datas meis reſponſionibus, non eſſe ſufficientes, impugnabo.

Quintum dictum replicantis, cujus impugnatio in ſequentibus apparebit.

Sextum dictum replicantis.

Unde tranſeo ad ſextum, ubi dicit; quod leges non debent inferre facinoroſis & peccatoribus ſupplicium mortis, quamvis adduxerim auctoritates ſacri canonis & ſanctorum, quibus, ut docebo, non ſufficienter reſpondit; & rationes Alexandri, quamvis ſolutiones nec audivi nec legi in ſuis dictis, ut non putet quis partem meam debiliter eſſe fundatam. Ultra præmiſſa dicta ſanctorum, nonnulla in medium proferam.

Auctoritates quod leges humanæ poſſunt inferre ſupplicium mortis.

Primo occurrit illud Gregorii de quo 23. q. 5. *Reos ſanguinis*. Ubi poſt multa ſubdit: Prohibetur illo præcepto quiſque ſua auctoritate in necem alicujus armari, non legis imperio reos morti tradere. Qui enim publica poteſtate functus, ipſius legis imperio malos punit, nec illius præcepti, ſcilicet: *Non occides*, tranſgreſſor, nec a cœleſti patria alienus habetur.

Item Auguſtinus ad Publicolam ait: De occidendis hominibus, ne ab eis quiſquam occidatur, non mihi placet conſilium, niſi forte miles ſit, aut publica functione teneatur, ut non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis, vel pro civitate, ubi ipſe eſt, accepta legitima poteſtate. Ecce quod Gregorius dicit imperio legis eſſe tradendos morti reos; & Auguſtinus, quod fungens publica poteſtate licite occidere poteſt. Et hoc habetur ead. q. c. *de occidendis*.

Amplius Auguſtinus 1. de Civitate ait: Miles cum obediens poteſtati, ſub qua legitime conſtitutus eſt, hominem occidit, nulla civitatis ſuæ lege reus homicidii eſt: immo niſi fecerit, reus imperii deſerti atque contemti eſt. Paulo poſt infert: Itaque unde punietur, ſi fecerit injuſſus, inde punietur, ſi non fecerit juſſus. Ex quo arguit, quod habens poteſtatem exercendi legem, peccat, niſi reum mortis occidat.

Præterea Hieronymus ſuper Jeremiam, & habetur 23. q. 5. Regum ait deliberatione vi oppreſſorum peregrinorum, pupillorum & viduarum ne patiamini quidem ut veſtra conniventia eveniat eos ab aliis contriſtari; & ſanguinem innocentem ne effundatis in loco iſto. Homicidas enim & ſacrilegos, &c. non patiemini vivere. *Si*, inquit *hoc feceritis, o reges Juda*, tenebitis priſtinam poteſtatem. Rurſus idem ſuper Iſaiam ait, & habetur ead. q. c. ... Non eſt crudelis qui crudeles jugulat: ſed crudelis ideo vocatur, quia crudelis patientibus eſſe videtur. Nam latro ſuſpenſus patibulo, crudelem judicem putat. Cap. ſequenti ait idem: Qui malos percutit in eo quod mali ſunt, & habet vaſa interfectionis, id eſt poteſtatem ut occidat peſſimos, miniſter eſt Domini. Item, idem ait ſuper Jeremiam: Homicidas & ſacrilegos & venenarios punire non eſt effuſio ſanguinis, ſed legum miniſterium.

Porro Cyprianus martyr, & ead. q. c. ... *Si audieris in una de civitatibus tuis, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, inhabitare illic dicentes; eamus & ſerviamus diis alienis, quos non noſti; interficiens occabis omnes qui ſunt in civitate cede gladii, & incendes civitatem igni, & erit ſine habitaculo in æternum.* Hæc ſunt verba ſacræ ſcripturæ Deut. 13. poſt quæ, paucis interpoſitis, ait Cyprianus. Quod ſi ante adventum Chriſti circa Deum colendum & idola ſpernenda hæc præcepta ſervata ſunt: quanto magis poſt adventum Chriſti, circa Deum colendum ſervanda ſunt, quando ille veniens, non ſolum verbis nos hortatus ſit, ſed etiam factis. Rurſus idem in 9. genere abuſionis, ut habetur 23. q. 5. *Rex* ait: Rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, patricidas & perjuros non ſinere vivere, filios non ſinere impie agere. Et circa hoc quod dicit de perjuris habet gloſſa: Intelligas de perjuris in cauſa criminali, qui ſcilicet ferunt in ea falſum teſtimonium. Tales enim merentur mortem.

Item Auguſtinus c. ſequenti, & originaliter de libero arbitrio lib. 1. dicit: Si homicidium eſt hominem occidere; poſſunt tamen alii alium occidere aliquando ſine peccato. Nam & miles hoſtem, & judex vel miniſter ejus nocentem, & cui forte invito atque imprudenti telum de manu fugerit, non mihi videntur peccare cum hominem occidunt; ſed nec etiam iſti homicidæ appellari ſolent. Et hoc conſonat huic quod in poſitione allegatum fuit ab Auguſtino in quæſtionibus Levitici, & hoc ſubſequenter ponitur: Tum homo juſte occiditur. Lex enim occidit, non tu.

Amplius Urbanus ſecundus & habetur ead. q. c. *excommunicatorum*; dicit, excommunicatorum; gloſſa interlinearis, hæreticorum, qui excommunicati ſunt. Ex. de hæreticis *excommunicamus*. Interfectoribus, prout in ordine Romanæ eccleſiæ didiciſti, ſecundum

» intentionem modum congruæ ſatisfactionis injunge. Non enim eos homicidas arbitramur, quos adverſus excommunicatos; gloſſa interlinearis, hæreticos; zelo catholicæ matris eccleſiæ ardentes aliquos eos trucidaſſe contigerit; ne tamen ejuſdem matris diſciplina deſeratur, ſecundum tenorem, quem *diximus, pœnitentiam eis indicito congruentem*, qua divinæ ſimplicitatis oculos adverſum ſe complacare valeant, ſi forte quid duplicatis pro humana fragilitate in eodem flagitio incurrerint. videtis quod licet hæreticos pœna mortis punire, etſi ſolo zelo domus Dei hoc fieret, nullum eſſe peccatum, & hoc ſup.... dico ab eo qui publica fungitur poteſtate: Tamen quia plerumque humana *fragilitas in hoc aliquam paſſionem* inordinatam admittit, mandat talibus aliquam pœnitentiam injungi, non pro nece ipſa, ſed pro inordinatione voluntatis perſæpe admixta, aut odii, aut iræ, aut alterius alicujus cæcæ affectionis.

Denique Auguſtinus ad Bonifacium 2. q. c. *Quis etenim*, dicit poſt narrationem quod domus David pacem habere non potuit, » niſi extincto Abſalon. *Si ergo viri ſancti &* » publicæ poteſtates bella gerentes non fuerunt tranſgreſſores illius mandati: *Non occides*, quamvis quoſque flagitioſos digna morte punirent; ſi miles poteſtati ſuæ obediens, non eſt reus homicidii, ſi imperio ejus quemlibet flagitioſum interfecerit; ſi homicidas & *venenarios punire, non eſt effuſio ſanguinis*, » ſed legum miniſterium: Si pax eccleſiæ mœſtitiam conſolatur perditorum; ſi illi zelo catholicæ matris eccleſiæ accenſi, excommunicatos interficiunt, homicidæ non judicantur; patet quod malos non ſolum flagellari, ſed & interfici licet. Ex quo manifeſtum eſt, quod non ſolum licet malos flagellare, ſed juſtitiæ auctoritate interficere.

Si judicem ſæcularem occidere reum non licet, cur ſigna ultimi ſupplicii, cruces, patibula, furcas & ſimilia in patulo relinquimus. Aut ergo licet, aut ſi non licet, deponite milites & judices populorum, deponite mortis torcularia, auferte hinc de tetra benedictum lignum, in quo fit juſtitia. Quod ſi hoc facere iniquum eſt, conſequens eſt ibi reos licite poſſe ad mortem torqueri, indubitanter affirmo quod ipſorum tormentorum avulſio, incentivum præbet per maximum delinquendi.

Rationes addidem. Prima.

Jam rationibus arguo: leges humanæ ſic debent providere conſiſtentiæ reipublicæ, ut tuta poſſit inter improbos innocentia conſervari. Sed multi ſunt adeo conſtricti peccatis, *ut nullam pœnam timeant. Ergo* tales, de quibus non ſperatur ut reſipiſcant, a malis ultimo ſunt ſupplicio feriendi, alioquin propter minimam aliam pœnam illatam a conturbatione juſtorum non conquieſcent: ſicut ergo tamquam membrum putridum, & de corpore politiæ debent reſecari. Si dicas: providebitur per exilium aut perpetuum carcerem: Reſpondeo non per exilium; quia etſi hic non; tamen alibi nocebit. Carcer autem perpetuus eſt pœna mortis. Et ſi non in promptu, tamen in neceſſaria ſequela, ſi animus judicis non flectatur; quia *tamen compertum eſt plures ex talibus* prece aut pretio libertati donari, non eſt ſecurum & ſufficiens remedium contra laicos malos incorrigibiliter æſtimatione humana.

Amplius ſic arguo: Lex talionis, etſi non, quia judiciale veteris legis, locum modo habeat, tamen tenet quoad hoc, quod pœna æquari debet culpæ, modo poſſibili homini: igitur auferens alteri injuſte vitam, ac per *hoc homicida, debet juſte perdere & vitam.* Nam ſi aliqua minori pœna puniretur, non fieret adæquatio pœnæ & culpæ, non ſervaretur juſtitia diſtributiva; nec ſic dicendo, nimium ſuccendo ollam, de qua in præfatione poſitionis meæ locutus ſum, quia omnis virtus in medio eſt quoad nos: licet aliquando medium rei interdum excedere videatur, ut eſt in actu fortitudinis, in quo fortis *poſt electionem, in executione* debet aſſimere furorem, ſicut de Hectore narrat Ariſt. quod ſanguis exibat per nares, ſcilicet ex furenti animoſitate; & licet talis ad exceſſum vergere videatur, tamen non ſic eſt, ſed eſt in medio, ut oportet, quando oportet, cum quibus oportet circumſtantiis. Sic opera *magnanimitatis & magnificentiæ* apparent excedere medium, ſed non excedunt, cum fiant ut recta ratio judicat. Ita in propoſito occidere hominem reum, juxta formam legis, ſervato ordine juris & pace ſalva boni communis, eſt virtuoſum, & medium, cujus extrema ſunt per exceſſum occidere quando non oportet, vel quem non oportet, vel quomodo non oportet, & cum quibus non *oportet circumſtantiis; & per defectum*; non occidere quando, quomodo & qualiter oportet. Non ergo deſiſto in hoc fundere aquam moderationis in punitione peccatorum.

Reſponſio ad rationes adverſarii.

Ad rationes contra dicta iſta & pro ſuo factas, ad iſtam contra diſtinctionem Auguſtini de flagitioſis & facinoroſis, dico quod hanc diſtinctionem facit Auguſtinus: verum eſt quod aliquando unum pro reliquo accipit, ut patet in c. *Quis etenim* nuper allegato, in quo flagitioſos dicit digna morte puniendos, in lib. de decem chordis vocat illos facinoroſos, hoc tamen ſemper eſt verum, quod aliis nocentes lege puniuntur.

Cum allegat Scotum, 15. di. quarti ſui, ubi dicit, quod adulterium majus eſt peccatum *quam furtum, & magis debet puniri.* Dico quod ſi Scotus contradiceret Auguſtino, non reciperem eum, per regulam a magiſtro Jo. de Raguſio poſitam, & a magiſtro de Rokaſana adverſus illum allegatam: cum doctores doctoribus contrariantur, recipiendi

sunt antiquiores & majoris auctoritatis junioribus & minoribus. Sed dico quod non contradicit. Nam non arguit quod furtum, quod utique nocet, non puniatur; sed arguit quod non debet in lege nova puniri pœna mortis, quia magis videtur pœna mortis, data in veteri lege, si qua esset contra furem simplicem, revocata per misericordiam evangelicam, quam pœna contra adulterium, quam dicit revocatam ibi: *Mulier, nemo te condemnavit, nec ego te condemnabo, vade, noli amplius peccare.* Idem tamen doctor tacet contra meum opponentem, quod judex humanus potest juste occidere, quos aut lex data jubet generaliter, aut Deus specialiter ad personam expressa jussione. Dico tamen de furto, quod pro eo lex humana potest juste pœnam mortis infligere, pro quantitate & qualitate criminis & aliis debitis circumstantiis, cum sit reipublicæ turbativum, & inferiorum potestatum valde oppressivum. Henricus enim de Gandavo 11. quotlibet quæstione qua quærit: Utrum in lege nova liceat occidere quemquam pro solo furto; dicit in substantia, quod causa occidendi unum habet ex parte facti, quia vergit in præjudicium Dei aut proximi: alterum ex parte occidendi, quia incorrigibilis apparet. Ultra ait, quod furtum dat causam occidendi ex parte facti, quia est contra legem naturæ & pactum humanæ societatis, sicut dicit Tullius 3. lib. de Officiis. Ex parte occidendi furtum dat causam, aut ex magnitudine rei furatæ, aut ex assiduitate furandi. Dicit ultra: Quod lex nova nullam hujusmodi pœnam mortis infligit, sed in hoc legi naturæ infligendam relinquit, ut crudelitas non ei imputetur, sed legi naturæ. Et in hoc lex naturæ est majoris justitiæ, quam lex Moysi. Nam lege veteri dictante pœnam talionis, lex naturæ dictavit Achor lapidari. Hæc ex illo. Et in hoc fundatur, legem humanam pro furto pœnam mortis indicere, quod lex naturæ, de qua illa radicatur, hoc dictat. Ratio autem cur furto major pœna taxetur quam adulterio est. Nam pœna est pœna & medicina, & pœna culpæ præteritæ medicina respectu futuræ, ne fiat: & sicut Thomas dicit secunda secundæ q. 108. art. 4. in pe. Licet in eo quod pœna debeat adæquari pro posse culpæ, non tamen semper in eo quod medicina. Aliquando enim propter pravitatem ad unum vitium major pœna, ut est medicina, infligitur, licet ille minus peccaverit, quam alteri, ubi est minor pravitas, & qui magis peccavit, ut adolescente & sene idem peccatum carnis in specie committentibus, licet gravius senex peccet quam juvenis, quoniam, teste Seneca, juvenis luxuriosus peccat, senex insanit; tamen juveni major pœna imponitur, eo quod magis pronus, & omnino indiget majori retinaculo. Sic in proposito proniores videntur homines ad capiendum aliena, quod fit in furto, quam ad adulterium: ideo licet furtum sit minus peccatum quam adulterium, gravior pro eo pœna determinata est. Cupiditas enim omnium corda etiam senum occupat & lacerat, Jerem. 6. *Omnes avaritiæ student a minimo usque ad maximum, & a propheta usque ad sacerdotem, cuncti faciunt dolum.*

Cur furto major pœna taxetur lege humana, quam adulterio.

Ostenso quod dicta replicantis, in quibus cum eo non consentio, non sunt vera, quod fuit primum principale hujus puncti, restat ostendere, quod rationes meas non solvit.

Secunda pars primi puncti.

Contra solutiones adversarii.

Ad primam auctoritatem Augustini lib. de Ordine, &c. dicit, quod non est verisimile, quod Augustinus tale & tantum scelus vellet fieri, quod scit a Domino esse prohibitum, & in hoc verum dicit opponens meus; si loquatur de tolerantia, in hoc non est sustinendus, quia nec hoc fundat in scriptura sacra, & manifeste præcepto Dei contradicit. Istud non videtur verum, est mirabile sic Augustinum palam negare & dicere, quod dictum suum non fundetur in scriptura sacra: immo præcepto Dei contradicat: nec umquam in morali materia audivi sic negari B. Augustinum, nisi forte ubi suum dictum ipse retractavit. Legatur liber Retractationum, illud de tolerantia meretricum non reperitur retractatum. Quod etiam præcepto Dei in lege nova hoc contradicit libenter audirem. Dominus præcepit zizania cum tritico reservari usque ad messem judicii. Nec sufficit dicere: Prohibitio est dum mali sunt occulti. Bene enim concedo, si sint occulti, non sunt per punitionem judiciariam puniendi, & hoc etiam dicit B. Hieronymus per me & per meum opponentem allegatus: sed etiam ubi jam sunt noti, si imminet in eorum exstirpatione periculum eradicationis bonorum, tunc mali sunt sinendi, & hoc etiam ex textu patet. Nam discipuli dixerunt patrifamilias: *Nonne bonum semen seminasti in agro, & unde habet zizania?* Jam ergo discernebant zizania ibi esse. Est ergo generale quod mali sunt reservandi cum bonis ex illo præcepto Domini: *Sinite*, quandocumque in eorum punitione imminet periculum evulsionis bonorum, non in favorem zizaniæ, sed tritici.

Primum corollarium suæ quæstionis contra primam rationem.

Idem in similitudine de sagena, de decem virginibus, quinque prudentibus, & quinque fatuis; in nuptiis, ad quas Deus jubet compellere intrare quoscumque inventos per fidei sacramentum, bonos & malos. Ipsemet opponens alibi allegat pro se Scotum in 15. dist. 4. ubi dicit Scotus: Præceptum in lege veteri de punitione adulterii revocatum in nova. *Nemo te condemnavit, nec ego te condemnabo, vade.* Quod si adulterium in lege nova verbo Domini relaxatum est quoad pœnam, hoc est, non est punitum, quomodo vult opponens, simplex meretricium lege

nova esse puniendum per hominem? Concordet hæc duo dicta, & ostendat ubi Dominus hoc simplex meretricium præcipit hic puniri per hominem aut apostolica doctrina? Sæpe habemus, quod fornicatores regnum Dei non possidebunt: sed hoc arguit, quod est prohibita ista fornicatio, quod est peccatum mortale, quo excludentur tales a regno cœlorum, non ab ecclesia militante; quod a Deo punientur *in finali judicio; non probat* quod ab homine, aut quod hic Deus *omnes* tales puniat. Magna enim est differentia facienda inter prohibitionem & punitionem. Item, attente in punitione considerandum est, an dicat scriptura quando punitio fiet, an hic, an cum in finali judicio Dominus cum ventilabro separabit granum a palea, triticum a zizania. Nec ex tolerantia hujus peccati arguitur, quod ecclesia *injuste* maleficos convictos excommunicat. Excommunicat enim ecclesia militans non pro isto peccato, sed pro illis quæ aut turbant ecclesiam, aut bonum commune, aut pro mortalibus, etiam a quibus facile est multitudinem abstinere, ut in positione circa tertiam propositionem primi puncti dictum fuit.

Nota.

Ad illam de tolerantia Judæorum dixit, quod ad *litteram intelligitur de inimicis* David, non de Judæis; & ultra secundum Scotum, quod non sunt permittendi libere male agere, &c. Dico, quod est bene verum, quod si nocerent Christianis, sollicitando ad infidelitatem vel hæreses, aut malos mores, non sunt permittendi: sed dico, aliàs sunt permittendi vivere; & ad hoc beatus Thomas auctoritatem allegavit, allegavi etiam tunc *auctoritatem Paschasii papæ*, allego modo decretum concilii Toletani tertii, de quo habetur di. 45. de Judæis, ubi sic dicitur:

Contra solutionem secundæ rationis.

» De Judæis præcipit sancta synodus nemini
» deinceps ad credendum vim inferre. Cui
» enim vult Deus misereatur, & quem vult
» indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt,
» sed volentes, ut integra sit forma justitiæ.

Nec ideo reservantur solum propter fructum qui ex eorum conversione venturus est ecclesiæ, sed propter causas dictas in positione. Quid si testimonium fidei habemus ab hostibus, & quod in figura repræsentatur nobis quod credimus: præterea addo nunc, quod eis Dominicæ passionis recens memoria vigoratur. Dicit etiam magister Nicolaus de Lira, quod iste textus intelligatur de Judæis: tamen in fine dicit, quod allegorice exponitur de Christo per David figurato, & de Judæis, qui illum in sepulcro fecerunt custodiri, qui pro pœna fuerunt per Romanos captivati & per orbem dispersi, & tamen ad vesperam hujus mundi convertentur ad Christum. Glossa ordinaria dicit, credo quod accipit ab Augustino: « Hoc specialiter de Judæis potest accipi. Præterea ne Judæi funditus pereant, dispersi quidam sunt, ut ad conversionem provocentur. Vult ut ecclesia ab inimicis testimonia veræ legis habeat, ideo pro eis orat dicens: Ne occidas eos qui me occidunt; sed maneat gens Judæorum cum signo circumcisionis sabbati & phase, ut Cain signum habuit ut eum nemo occideret, & ita gens illa habens signum suum, non est occisa, quia necessaria est *credentibus*; & in ipsis præcisis ostenditur, quæ sit *misericordia in servis*. Ideo ne occidas, ne quando populi, etsi non modo, obliviscantur mei, si non sint testes legis & mortis. Ne occidas, sed disperge per omnes gentes, illos scilicet Judæos, qui portant nobis codices. Hæc ex glossa ordinaria, ex qua patet, quod textus allegatus intelligatur secundum allegoriam de Judæis, & quod *sunt tolerandi*.

Cur Judæi permittuntur vivere.

Ad aliam de usuris, quia de repudio pretii dicit, quod hoc fuit, quia populus ille erat duræ cervicis, &c. arguo; si propter duritiam populi aliqua mala Dominus in lege veteri dimisit inulta, & hoc ad vitandum majus malum, cum hoc ratio dictet; cur modo idem homo non faciet, cum hoc dictamen sit morale? Fateor legem novam esse perfectiorem lege veteri *multis modis*, & quod omnia publica mortalia prohibet & judicat puniri correptione fraterna & auctoritate iudicii; sed hoc in suo tribunali, & per suum executorem.

Contra solutionem ad tertiam.

Tribunal autem divinæ legis est forus conscientiæ, & ultimum judicium: executor divinæ legis, Deus est, aut angeli, aut homo ut Deus, id est Dei vicarius. Etiam per *similitudinem in conscientia cujuslibet* pœnitentis aliquo modo judicium divinæ legis erigitur, dum ibi reperiuntur accusator, testes, judex & tortor; licet proprie non est ibi judicium, quia ejusdem ad seipsum non est justitia, nisi metaphorica, juxta doctrinam Aristotelis 5. Ethicorum.

De foro & tribunali Dei.

Ad illam de Moyse percutiente Ægyptium, contradicit eum de Lira, quod Moyses *non peccavit*, &c. Expresse Augustinus dicit, quod justitiæ regulam excessit; ex serie textus Exodi patet, quod nondum acceperat ducatum populi. Nam de occisione Ægyptii agitur 2. cap. & de assumtione principatus in populo in 3. Et ne credatur, quod hoc præposterè dictum sit, dicitur circa finem secundi capituli post interfectionem Ægyptii & fugam Moysi in terram Madian. *Post multum vero temporis mortuus est rex Ægypti, & ingemiscentes filii Israël vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum, &c.* ut ibi, & in principio tertii capit. quomodo Moyses ascendit ad rubum, quem vidit ardere, sed non comburi, & ibi Dominus de illo locutus, dedit sibi ducatum, cum ait: *Veni, mittam te ad Pharaonem*, &c. Alexander de Hallis in 3. dicit cum Augustino, loquente de Petro & Moyse contra Faustum, quod postquam ille percussit Malchum, & iste Ægyptium,

Contra solutionem ad quartam.

tium, uterque ad regimen assumtus est, uterque etiam tunc non detestabili immanitate, sed emendabili animositate, justitiæ regulam excessit, uterque odio improbitatis alienæ; iste fraternæ, ille Dominicæ.

Contra solutionem datam a ratione de Jepte.

Ad rationem de Jepte, quomodo peccavit, & non legitur peccatum fuisse punitum; ad illam & multas alias auctoritates dicit, quod etsi Dominus aliqua peccata non legatur puniviſſe, hoc quadam dispensatione fecit. Non sic autem homo potest, quem necesse est sequi legem, non interpretari, cum sit ei subditus. Miror de ista responsione, dicit opponens, quod Deus dispensat, dum non punit. Si dispensare esset indulgere, non esset difficultas, quod non puniendo dispensaret, id est indulgeret seu remitteret; & quod homo aliquando non punit, est non quia proprie indulgeat, sed quia vult majus malum vitare, ideo minus tolerat; aut quia lege, juxta quam fert judicium, scilicet humana, non habet quid pro tali delicto puniat, ideo tolerat; sed hoc est extenso nomine de dispensatione locutum: Si proprie loquamur, dispensatio est vel juris declaratio, vel juris relaxatio, ut dicunt multi doctores. Horum differentia, ut ait Godefridus in Fontibus in suo quodlibeto, accipitur ex hoc, quod quædam sunt mala, quia prohibita: in istis dispensatio non est, nisi amotio prohibitionis, ut sic res suæ naturæ relinquatur; & sic dispensatio est juris relaxatio. Alia sunt prohibita, quia mala; & quia quæ sunt hoc modo mala regulariter, in aliquo casu sunt bona, dispensatio in illis non est solum amotio prohibitionis, quia adhuc esset res mala illa amota, sed est determinatio casus, in quo id quod regulariter est malum, non est in casu malum, nec propter illum facta fuit prohibitio. Et hæc dispensatio est juris declaratio. Nullo horum modorum Deus dispensat, cum aliquod peccatum mortale non punit: non primo: Nam non tollit prohibitionem, sic enim solveret legem, & non impleret, contra seipsum, dicentem: *Non veni solvere legem, sed adimplere* Matth. 5. Non secundo, quia tunc cum non puniret, iste actus, qui est culpa mortalis regulariter, non esset tunc culpa mortalis, & hoc non est verum. Nam nullus diceret, quod *mulier in adulterio deprehensa, non peccavit mortaliter*, quam tamen, non punivit. Præterea si non puniat Deus ex dispensatione, cum nos ad misserendum instruat, Luc. sexto: *Estote misericordes, sicut pater vester cælestis misericors est*, ad dispensandum nos docet. Tunc sic nullus peccat faciens juxta Christi doctrinam. Ipse autem nos docet ut indulgeamus & misereamur aliorum peccatis: ergo hoc faciendo non peccamus. Docet etiam ad Ephes. 4. benignitatem & misericordiam, dum ait: *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis.* Et nullus diceret, quod implendo doctrinam apostolicam, peccatum committatur.

In quo vult Deus quod homo eum imitetur.

Præterea totum oppositum dicti opponentis dicit Alexander de Hallis. Nam ipse opponens vult quod imitemur Deum in puniendo peccata, & non in relaxando; & doctor præfatus oppositum dicit manifeste. Nam, ut ait, Deus non vult imitari a nobis, « quoad opera potentiæ, nam in hoc Lucifer « peccavit: nec quoad opera sapientiæ, quia « sic Adam peccavit: sed quoad opera boni- « tatis. Non autem quoad opera justitiæ pu- « nitivæ, nisi ab his qui funguntur publica po- « testate; sed vult quoad opera pietatis, & allegat illud: *Estote misericordes*, prius allegatum.

De Jepte vero si sacrificavit filiam corpoliter, an non; & si peccavit, dicit quod secundum de Lira, sunt de hoc opiniones. Est verum quod de Lira multa circa hoc dicit, tangens propositam sententiam & Hebræorum. Tamen dicit pro sua sententia: *Sic fecit Jepte filiæ suæ, sicut voverat, eam* « interficiendo & offerendo in holocaustum, « secundum quod dicunt expositores catholici. « *Unde dicit Jeronymus quod fuit indiscretus* in vovendo, & impius in adimplendo: secundum ista ergo non solvitur ratio, quia *peccatum ejus fuit mortale peccatum*, & tamen non legitur punitum. Dicit ultra, quod Hebræi dicunt, quod eam non immolavit; & *multa ibi ponit, sic ingerens sine judicio* & assertione, per modum collationis. dici potest quod filia Jesse non sacrificata Domi- *no per mortem corporalem, sed potius ci-* « vilem sive spiritualem, eo modo quo reli- « giosi dicuntur mundo mortui; & diffuse pro- « sequitur. Itaque si eam occidit, ratio mea currit; si non, non.

Contra solutiones adductas solutiones sumtas ex zizaniis.

Ad rationes ex novo testamento: Ad primam *de zizaniis, dicit quod pro hoc non* vult Dominus quod peccata publica non puniantur, data pertinacia, & habita opportunitate; *sed quod dubia, incerta, ut occulta*: allegat verba Hieronymi pro hoc. Dico, quod etsi de dubiis prohibeamur judicare, secundum *verba beati Hieronymi per me* & eum allegata, tamen & de manifestis verbum Salvatoris *Sinite*, &c. intelligitur, dum puniendo mala, *imminet periculum verisimile* punitionis bonorum: tunc enim locum habet ratio, &c. toleranda sunt zizania, ne *forte colligendo illa, simul eradicetur* & triticum. Cum enim finis imponat ordinem & rationem mediis, quæ sunt ad finem, ex *ratione finis* sumenda est ratio eorum quæ sunt ad ipsum. Unde cum Dominus prohibuit colligere zizania propter hunc finem, ne eradicaretur triticum, ubi idem periculum de eradicatione tritici reperitur, tunc cessandum est ab evulsione zizaniorum. Conservatio enim tritici est finis intentus a patre-

familias. si igitur sunt publica mala, sed non possunt puniri, nisi justi puniantur cum eis; aut quia isti ab illis separari aut discerni non possunt, aut quia adhærent aliquo modo illis, secundum Gregorium, melius est tolerare malos, quam punire bonos; quia insontem & justum non occides, ut dicitur Exod. 23. Ab hoc excipitur, si tolerando malos ut parceretur bonis, sequeretur majus scandalum & majus malum, quam puniendo bonos, quia in tali casu non esset parcendum tritico.

Contra auctoritatem Origenis ab adversario allegatam.

Allegat auctoritatem Origenis homil. 21. super Josue cap. 15. ubi dicitur, *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt delere*, &c. Ista auctoritas est pro me & contra allegantem, quoniam ad manifesta peccata..... esto ergo, quoniam non possumus ejicere omnes istos, qui nos conculcant; saltem quos possumus, quorum peccata manifesta sunt, ejiciamus. ubi dat intelligere, quod aliqua sunt peccata manifesta, quæ non possumus ejicere, & ita sunt toleranda, quia dixit: quoniam non possumus ejicere omnes istos qui nos conculcant. Subdit: saltem quos possumus, &c. Dicit autem quod omnia manifesta quæ possumus punire, puniamus; & hoc placet mihi, & est pro dictis meis; de occultis concordat mecum, quod multa mala sunt mixta bonis in ecclesia militante. Dicit consequenter, quod per omnes parabolas allegatas solum arguitur, quod sunt mixti mali cum bonis, & cum malitia est occulta toleratur, quod non videtur omnino concordare cum prima parabola; nam dicitur quod servi dixerunt

Contra solutionem datam ad omnes parabolas allegatas.

patrifamilias: *Nonne bonum semen seminasti in agro, & unde habet zizania?* Igitur illi distinxerunt inter zizania & triticum, nec ignotum erat illis esse ibi zizania; tamen illis volentibus ea eradicare dictum est: *Sinite ea crescere usque ad messem.* Præterea de nuptiis, ubi congregati sunt boni & mali Matt. 22. Erat ibi non habens vestem nuptialem, quem bene discernebant, & dijudicare poterant non habere virtutem caritatis, sicut distinguitur manifeste habens vestem nuptialem a non habente: tamen manfit in nuptiis, usque dum venit rex, quod erit in finali judicio, aut in morte cujusliber. Patet ergo ex hoc, quod aliqui mali etiam publice tolerantur cum bonis. verum hoc fit, aut quia hic non habent suum judicem, aut quia non possunt convinci de malitia sua, aut quia non esset pax salva, si punirentur, aut alia rationabili causa.

Contra solutionem de ficu.

Ad illam de ficu dicit, quod si sint aliqua peccata specialiter tecta hypocrisi, possent ad tempus tolerari; sed posset tantum in hypocrisi crescere, quod posset ejici & puniri. Hæc ratio non solvit. Nam constabat tribus annis ficum non habere fructum, tamen tolerabatur: ergo ubi constaret aliquem non habere fructum boni operis tribus annis veteris legis scriptæ, & aliqua parte legis gratiæ, adhuc aliqua rationabili causa expectatur & permittitur, si saltem illo tertio anno *scilicet in tempore gratiæ fructificet.*

Contra solut. de Samaritanis.

Contra solutionem de peccato Samaritanorum, dixit quod Dominus ideo prohibuit discipulos punire, quia hoc faciebant zelo vindictæ. Si Samaritani puniendi erant, debebat Dominus instruere discipulos, quomodo corrigerent non zelo vindictæ, sed amore justitiæ. Tamen hoc non fecit, & mansit peccatum eorum inultum: & hoc propter *duo bona: primo propter meritum* discipulorum, qui habuerunt patientiam; secundo propter fructum conversionis Samaritanorum. Hoc testatur Ambrosius in positione allegatus, dum ait: Non semper in « eos qui peccaverunt est vindicandum, quia « nonnumquam plus prodest clementia; tibi « ad patientiam, lapso ad correctionem. Denique Samaritani citius crediderunt, a quibus *hoc loco ignis arcetur.*

Contra solu. de peccato.

Quoniam propter angustiam temporis non possum prosequi singula, ad principalia puncta de cetero considerationem meam convertam. Venio igitur ad responsionem opponentis quam fecit de pace salva, ipse posuit duplicem pacem, scilicet Dei & mundi. Primam tripliciter subdivisit, scilicet hominis ad Deum, ad se & ad proximum; deduxit quod ista *sine* virtutibus non stabilitur, quia habita pace ad Deum, subsequitur pax hominis ad se & ad proximum. De secunda pace, scilicet mundi, dixit quod sæpe illa est fuscata & fallax, &c. Per hoc ad auctoritates canonum & doctorum, & statim ad unum per dominum se expedit.

Circa ista imprimis dicendum est opponenti, quod pacem insufficienter divisit in pacem Dei & mundi, pacem mundi vocando eam quæ in possessione temporalium bonorum consistit. Cum secundum Augustinum 19. de Civitate: Pax hominum sit ordinata concordia; & secundum Dionysium 11. c. de Divinis nominibus, pax sit omnium unitiva & consensus operativa. Ideo quot modi sunt concordiæ aut unionis hominum, tot sunt modi pacis. uniuntur enim homines Deo per caritatem. 1. Cor. 6. *Qui adhæret Deo unus efficitur cum illo*; secundum hoc est pax Dei. Uniuntur etiam homines ad invicem per amicitiam, & quia illa est triplex, scilicet propter honestum, propter utile, propter delectabile; illa pax quæ super amicitia propter honestum fundatur, est pax virtuosa, aliæ duæ quæ super amicitia propter utile & propter delectabile fundantur, non sunt veræ paces, sed fictæ, fuscatæ, & interdum dicuntur: pax mundi, &c. videtur cepisse opponens, quam pacem non laudant morales, quia tantum durat quantum amicitia in qua firmatur; & illa tantum quantum

bona utilia aut delectabilia. Statim autem illis deficientibus turbatur. Ideo Gregorius » dicit: Quieto mari, etiam imperitus navem » dirigit, turbato autem tempestatis fluctibus, » etiam nauta peritus se confundit. Obmisit ergo opponens meus, pacem virtuosam in amicitia propter virtutem fundatam, & propter bonum honestum, de qua morales philosophi locuti sunt, quam leges humanæ pro fine sibi præscribunt, per quam manet inter homines tranquilla conversatio, ex hoc quod illi ad virtutes trahuntur. Nam audacia per vim legum reprimitur, & nocendi facultas cohibetur, ut tandem qui metu a malo abstinuerint, per consuetudinem voluntarie abstineant. Hæc pax quoddam bonum divinum est, sicut & bonum commune vel gentis, ut ait Aristoteles. Differt tamen a pace Dei, cum inter gentiles moraliter viventes reperiri possit, ubi non est fides, inter quos tamen non est pax Dei, quæ in caritate firmatur: Quia ibi non est fides; igitur nec caritas. Fides enim est substantia sperandarum rerum. Hebr. 11. Ista pax politica & moralis ad pacem Dei disponit, quia angelus pacis in scissura cordium non habitat. Nam in pace factus est locus ejus, ait propheta; hinc est quod de ista pace boni communis multum solliciti fuerunt omnes justi rectores, propter quam leges statutæ sunt, pro qua servanda aliqua mala toleranda a sanctis judicantur, ut allegavi in propositione; non ideo quod ista sit præponderanda paci ad Deum: sed ideo per illam venitur ad pacem Dei; & illa turbata, fit major offensa Dei. Si civitas confundatur, nonne sequuntur homicidia, rapinæ, sacrilegia, ecclesiarum oppressiones & alia omnia peccata? Scitum est quid dicat Seneca in declamationibus: Multitudo, ait, mota non servat modum. Igitur sancti & justissimi rectores politiarum, ut pax communitatum servetur, toleraverunt aliqua mala: non quia illa placerent; sed ne dum vindicare satagerent, tumultus fieret in populo, & inde majora peccata surgerent, & major Dei offensa. Itaque minora tolerantur, ut major Dei offensa vitetur. Hæc est causa cur tantum de pace salvanda loquitur Augustinus in plurimis passibus librorum suorum contra epistolam Parmeniani & apostolus 2. Cor. 12. multitudinem peccantem non minatur corrigere; sed prædicit suam pro illa humil... & luctum, doctoresque concorditer mitius agendum cum multitudine asseverant, quam cum persona privata. Non autem propter pacem illam, quæ est in bonorum fortunæ pacifica possessione aut delectationum perituraram tranquillo usu: quoniam ista fallax est nec duratura; magis etiam interdum veræ paci cum Deo nociva, quam ad illam promotiva. Putavit forte meus opponens, eodem modo esse regendum hominem solitarium & politicum, quod fieri non potest. Qui enim solitariam vitam ducunt, non subjiciuntur legibus principum, sed sunt liberi ab illis 2. Cor. 3. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*: Unde illis non sunt necessariæ virtutes politicæ; sed sufficiunt theologicæ & infusæ. Qui vero politice vivunt, ad bene vivendum virtutibus & legibus necessario indigent. Primis sufficit pax Dei, secundis necessaria est pax politica. Quoniam autem naturale est homini in societate vivere, quod loquela, quæ est propria homini, declarat, per quam unus alteri suos cogitatus exprimit, dicente beato Augustino, in Enchiridio; Etenim propterea » verba instituta sunt, ut eis quisque in alte- » rius notitiam cogitationes suas proferat; » oportuit fundari politias, provincias & regna, in quibus humanæ indigentiæ subvenitur, quod in solitudine fieri non poterat: ideo sapiens ait Ecclesiastes 4. *Melius est esse duos quam unum. habent enim emolumentum mutuæ societatis.* Quemadmodum in rebus naturalibus sunt duplices proprietates; quædam sequentes materiam, quædam formam; & illæ, quæ materiam sequuntur, sunt imperfectionis; quæ vero formam, perfectionis: sic in homine, mortale sequitur materiam, scilicet quia compositus est ex contrariis; rationale animam. Et in artificialibus, in cultello, quod possit contrahere rubiginem, insequitur materiam ejus, scilicet ferrum. Quod vero possit scindere, quod perfectionis est, formam attinet. Sic est in politia, in ea homines pro magna parte imperfecti, sunt materia: sed ordo civium ad suum primum, & ad invicem, est forma. ex prima pullulant multa mala, ex secunda bona. Nam ea parte bonum commune est quid optimum & divinum. Unde Gen. 1. cum dictum esset de quoliber, *quod esset bonum*, de omnibus dictum est, quod *erant valde bona*. Velle igitur esse politias sine peccatis, est velle esse politiam ex alio quam ex hominibus; sicut velle habere cultellum, qui non posset rubiginari, est velle habere cultellum non de ferro. Velle autem homines omnes esse solitarios, est velle contra eorum naturam, & tollere de rebus majus bonum. Unde putando evitare illo modo mortalia peccata publica, incidit in majus malum, quam est illud quod vitatur; quia natura humana denaturatur: ideo necesse est ut si bene vivat, sit melior homine; & si male, pejor bestia; & quoniam arbitrium hominis est valde volubile & fragile, non est bonum imperfectos solitariam ducere vitam; quia cum impugnantur a carne, a diabolo, non habent auxiliatorem hominem, ideo periculosissime cadunt. Econtra in communitate viventes habent adjutorium hominum, ideo firmius stant. Proverb. 18. *Fratèr qui juvatur a fratre civitas firma.* Non ergo immerito sancti & doctores habuerunt de pace boni communis & eccle-

siæ tantam curam, ut sonant eorum auctoritates. Unde si opponens ad illas voluit respondere ad unum *per Dominum*, debuit dicere *amen*, hoc est quod sunt veræ, & concludunt. Nec erat dicendum, quod tanti doctores respexissent magis pacem politicam temporalem quam spiritualem, intelligendo per pacem politicam temporalem illam quæ in fruitione, aut magis proprie, usu temporalium bonorum fundatur, quam ipse dicit esse incertam, nec veram pacem, etiam ab hostibus securitatem allaturam, sed magis fraudulentam, *illusivam*, & sæpe criminibus involutam. Absit enim quod illi sancti pro tali pace dixissent toleranda esse aliqua mala publica mortalia; sed hoc dixerunt, pro illa pace politica, quæ fundatur in virtute & amicitia propter honestum, etiam loquendo moraliter. Non tamen plus ad illam quam ad pacem Dei in caritate fundatam aspexerunt; immo minus ad istam oculum verterunt, ut veniretur ad illam veram pacem, quæ est Dei; quia per illius turbationem turbatur & illa pax Dei; & hoc de toto primo puncto principali.

Actus 2. dicit. Quantum ad secundum punctum principale, ostendere propono falsitatem sex dictorum opponentis.

Contra primam suppositionem adversarii, quod sacerdotes & ecclesiastici non fuerunt subjecti de jure potestati sæculari. Primum dictum ejus est & prima suppositio: In primordio fidei Christianæ vixerunt sacerdotes ac clericorum omne collegium, sub principum sæculi coactiva jurisdictione, usque ad tempora Constantini primi Romanorum imperatoris. Si intelligere vellet, quod hæc subjectio clericorum sub potestate sæculari, non erat de jure & justitia; sed de facto aut injuriosa violentia tempore primitivæ ecclesiæ, in quo sancti martyrizabantur & opprimebantur, nec poterat ecclesia tunc resistere tyrannidi illorum principum; hoc concederem: sed modicum proficeret opponenti, etenim super hoc sic intellecto, male fundata dicta sequentia. Sed si intelligat, *quod* hæc *subjectio* clericorum erat justa, sicut videtur sentire ex decursu suo, dico hoc non posse esse verum; quod patet. Primo, sic quatuor fuerunt principales orbis monarchiæ, ut habet beatus Augustinus in libro de Civitate Dei, & chronicæ authenticæ testantur. Prima fuit apud Assyrios inchoata per Ninum filium Beli, per quem publice idola sunt inventa nomine patris sui, ut Magister dicit in historiis, licet aliqui de nimio faciant difficultatem; & duravit regnum Assyriorum mille ducentis quadraginta annis, secundum eumdem Augustinum libro 4. de Civitate Dei. Secunda monarchia transiit ad Judæos & Persas tempore Darii & Cyri & aliorum regum, ut patet in Daniele. Tertia fuit apud Græcos & Ægyptios, quæ tempore Alexandri Macedonis floruit, ut apparet 1. Machabæorum 1. Quarta fuit apud Romanos. Quatuor ista regna vel imperia designata sunt in visione Nabuchodonosor regis, dum vidit statuam auream, ut patet per expositionem Danielis in 2. cap. consequenter ibi dicitur: Post ista quatuor regna suscitabit Deus regnum cœli, quod non dissipabitur, & regnum ejus populo alteri non tradetur. Comminuet autem & consumet omnia regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Illud autem regnum est regnum Christi, designati per lapidem abscisum de monte sine manibus, quia conceptus ex Virgine sine opere viri, qui comminuit testam, ferrum & æs, argentum & aurum; quia omnes monarchias regnum Christi subjecit. Hoc autem regnum Christus Petro suo vicario dimisit & successoribus ejus. Nam dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Et iterum: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Hac consideratione motus Constantinus post baptismum a Christo inspiratus, quem viderat in baptismate suo, ut ipse testificatus est, cessit Silvestro vicario Christi, imperium in Occidente. Ex hac ratione patet clerum, & specialiter summum pontificem non esse subjectum de jure dominis temporalibus.

2. Præterea papa a Deo, & non ab homine habet jurisdictionem: ergo de jure nulli principi sæculari subjicitur, nec ab aliquo particulari homine judicari potest; sed a Deo *solo, exceptis casibus, in quibus a concilio* generali potest judicari, quod etiam a Christo immediate habet potestatem.

3. Item, imperator inferior est papa, & ne intrem labyrinthum, est inferior papa in spiritualibus: ergo in spiritualibus papa ac ejus clerus imperatori non subjicitur.

4. Item, imperator est filius ecclesiæ, & non pater, 96. dist. *Si imperator*. Filius autem non corrigit patrem ejus. Omnis enim lex erubescit filios esse patrum correctores.

5. Item, papa non est de foro imperatoris, nec ratione papatus, quia illum habet a Deo immediate. Johan. ult. dixit Dominus: *Pasce oves meas:* nec ratione dominii temporalis, nam licet imperator dotavit ecclesiam, tamen ipsam donationem liberam fecit, nec fecit papam feudatarium, aut emphiteotam, aut vassallum. 63. dist. *Ego Lodoicus.* 16. q. 1. ff. *Novarum.*

6. Ceterum clerici non sunt inferiores laïcis: immo e contra, & aliqui sunt eis inferi, ut patet 2. q. 7. *Laici.* Ergo non sunt de jure subjecti ipsis laïcis.

7. Aliunde idem patere potest sic: Qui præest præstantioribus, non debet etiam ordine naturæ subesse ei qui præest vilioribus. Papa & pontifices præsunt melioribus, quia in spiritualibus habent regimen animarum, & domini temporales regimen corporum & rerum. Ergo, &c.

8. Rursus spiritualia fortiora sunt temporalibus. nam temporalia transeunt, Sap. 5.

Quid nobis profuit ſuperbia, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? tranſierunt omnia iſta tamquam umbra; ſpiritualia vero non tranſeunt. Luc. 21. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.*

9. Amplius. Eſto quod papa & imperator ac ceteri domini ſpirituales & temporales habeant a Domino poteſtatem: tamen ſpecialiori modo papa, ut patet 22. diſt. c. 1.

10. Item, qualis eſt ordo finitum *, talis & poteſtatum: ſed finis poteſtatis temporalis ordinatur ad finem poteſtatis ſpiritualis. finis enim proprius poteſtatis temporalis eſt cives facere bonos, bonitate ſcilicet politica, & pax politiæ eſt ex juſtitia ſervata, ſecundum quod ſcriptum eſt Iſaiæ 32. *Et erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium;* & iſta ordinantur ad æternam beatitudinem, quæ eſt finis regiminis ſpiritualis. Igitur, &c.

* ſ. finium.

11. Ex objecto iſtarum poteſtatum idem poteſt argui. Licet enim idem ſit materiale objectum utriuſque, tamen formale eſt alterum. Uterque ſiquidem homo ſubjectus eſt, & objectum ejus eſt: ſed ſecundum aliam rationem. Nam ratione qua homo, objectum eſt temporalis poteſtatis: ſed ratione qua ſuſceptivus gratiæ, qua & filius Dei per adoptionem, & membrum Chriſti effici poteſt, eſt objectum poteſtatis ſpiritualis; & hæc conſideratio formalis longe eſt altior prima.

12. Et hoc idem ex dictis opponentis in ſua poſitione patet. Nam in uno notabili aut potius corollario juxta principium dicit, quod eccleſia habet duas partes, ſcilicet laïcos & clericos, tamquam corpus & animam; & infra dicit: Sicut corpus non debet facere aliquod opus animale, niſi proportionaliter, ut habet influxum & motionem a ſpiritu; ſic pars laïcalis eccleſiæ non debet in aliquam correptionem fraternam procedere, Chriſti ſacerdotibus inconſultis; ex quo arguitur propoſitum: Laïci non debent procedere ad exſecutionem ſuæ poteſtatis, abſque conſilio ſacerdotum. ergo ſacerdotes ſæcularibus poteſtatibus non ſunt ſubjecti. Immo planius loquitur ad propoſitum meum. nam ibi dicit poſt verba allegata: Ab illis enim, ſcilicet clericis, oportet ut procedat ſub authentico omnis ſæcularis correptio. Quod ſi ita eſt, quomodo ergo erunt ſacerdotes illis ſubjecti? quomodo ab inferiori accipiet formam & modum correctionis ſuperior?

13. Auctoritatibus veteris teſtamenti idem arguitur. Jeremias fuit ſacerdos de viculo Anathoth, tribus millibus diſtante ab Jeruſalem; fuit autem ſuperior regibus & principibus ſæcularibus. Patet Jerem. 1. *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna.* Ergo ſacerdotes, in eo quod ſacerdotes, non fuerunt regibus ſubjecti.

14. Item, Samuel invocator nominis Domini, juxta Prophetam: *Et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus*, typum gerebat papalis nunc dignitatis; ipſe tamen judicavit populum Iſraël cunctis diebus ſuis, ut patet 1. Reg. 7.

15. Item, Melchiſedech rex Salem fuit ſacerdos Dei altiſſimi, qui tenuit typum Chriſti. Pſal. 109. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Certum eſt illum nulli regi fuiſſe ſubjectum, immo & majorem Abraham, quia illum benedixit; & planum eſt, quod major eſt qui benedicit, quam qui benedicitur, quia ſine ulla contradictione, quod minus eſt a meliore benedicitur, ad Hebr. 7.

16. Item, Moyſes fuit ſacerdos. Pſal. 98. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus:* tamen omnibus diebus vitæ ſuæ judicavit populum Iſraël, nobiles & non nobiles, ut patet in decurſu Exodi & Deuteronomii, & in multis paſſibus Levitici & Numerorum. Quod autem fuerit ſuperior temporalibus dominis, puta Pharaone rege, qui tenebat populum Domini captivum; patet, quia ſcriptum eſt Exodi 7. *Ecce conſtitui te deum Pharaonis*, deum ſcilicet participatione, non natura. Nam ſicut dicitur de ſpiritualibus viris: *Ego dixi dii eſtis, & filii Excelſi omnes.* ſi dicatur quod fuit dominus Pharaonis, propter peccatum infidelitatis ejus non impedit propoſitum. Pharao enim licet eſſet infidelis, tamen erat rex, ergo illi regi Moyſes dominabatur, dominabatur & fidelibus, ut ante probatum eſt.

17. Sunt etiam exempla. Recitat Magiſter in hiſtoriis, quod Alexander Macedo monarcha, habuit de Jado ſummo pontifice Judæorum viſionem, ut ipſi tamquam ſuperiori honorem deferret. Unde cum veniret in Judæam Alexander, cum propoſito deſtruendi & humiliandi Judæos, poſt dictam viſionem in itinere habitam, ipſo appropinquante Jeruſalem, Jadus pontifex a Deo in viſione inſtructus, cum reliquis ſacerdotibus in pontificalibus Alexandro ex civitate occurrit. Qui Alexander, ut ipſum vidit pontificalibus ornatum, & cidarim ubi erat ſcriptum nomen *tetragrammaton* ſecundum legem in fronte pontificis, ſtatim de equo deſcendit, digniſſimeque antiſtitem veneratus eſt, ſiomenque adoravit divinum. Cum autem principes ejus admirarentur quod fecerat imperator, reſpondit eis, quod non ipſum adoraſſet, ſed Deum, cujus principatum tenebat & vices gerebat; & in ſomniis pridie dicit ſe Deum in tali habitu conſpexiſſe. Qui cum Jado veniens Jeruſalem, templum maximis honoravit donis, barbaricamque contra Judæos feritatem deponens, ipſos ab omni exemit tributo, ac libertati donavit; propter quam cauſam proſperatum eſt ejus imperium.

18. Simile habetur in chronicis ſummorum pontificum, de Totila rege Wandalorum erga Leonem papam, anno quadringen-

tesimo secundo, quomodo Leo veniens de Urbe, & occurrens eidem Totilæ in planitie Lombardiæ, quam flammanti gladio crudeliter devastabat, ipse Totila de equo descendens, papæ reverentiam fecit, propter visionem quam de ipso habuit; ipseque Leo eum propitium reperit, ad cujus preces a feritate destitit, & de Italia recessit. Ecce quod Gentiles principes sacerdotes Domini venerantur, & tamquam superiores arbitrantur. Cum autem sacerdotium evangelicum sit dignius sacerdotio levitico, aut illo qui fuit in lege naturæ, quomodo dici poterit sacerdotium evangelicum esse potestatibus sæcularibus subjectum?

19. Sufficit mihi pro auctoritatibus novæ legis, testimonium Christi & sui fidelis apostoli Pauli. Dicit Dominus Matt. 17. Quod filii sint liberi a tributo; per filios apostolos, discipulos & successores eorum intelligens. Hinc notat Gloss. ex dictis Augustini super illo passu Apoc. sic dicentis: Christus dixit in omni regno filios esse liberos, id est non esse vectigales. Multo ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii regni ipsius, sub quo sunt omnia regna terræ.

20. Si quis dicat, quamdiu sunt filii, sunt liberi; sed peccatores jam non sunt filii, ideo sunt subjecti. hoc non videtur. Primo, quia cum de nullo possimus esse certi, quod sit in gratia; de nullo erit certum, si sit exemtus a subjectione temporalium dominorum. Item, per peccatum mortale & publicum non amittitur dominium. nam sic sæpe domini temporales amitterent sua dominia, quod seditiosum esset dicere, & contra intentionem opponentis. Nam tunc ecclesiastici non essent eis subjecti. Item, contra expressa dicta ipsius, qui ponit Christum fuisse Pilato subjectum, & apostolos subjectos principibus sæcularibus infidelibus; & per consequens in peccato mortali existentibus, & notorie, quia eorum infidelitas erat nota, & tales fuerunt principes temporales per longa temporum curricula. Dicere autem, quod justus sit dominus injusti, & injustus tempore quo injustus, amiserit dominium, est resuscitare articulos Wicleff 7. & 30. Hus. Unde si opponens hoc dicat, ut videtur facere in corpore 2. quæst. 2. puncti, contradicit alteri dicto jam tacto, ubi ponit ecclesiasticos fuisse subjectos dominis temporalibus usque ad tempora primi Constantini, cum tunc ecclesiastici essent boni, & principes mali. Si intelligit, quod justi sunt superiores peccatoribus merito, sed non dominio, hoc non negarem: sed modicum valeret ad propositum suum.

21. Allegationes in decreto possem assumere ad propositum meum directe compositas, sed illas prætereo, paucis demtis, scilicet Nicolai papæ tribus capitulis consequenter positis, scilicet: *Cum ad verum. Satis evidenter*, & *In scripturis.* accipio quod ab Ambrosio dicitur in principio sui (a) Pastoralis. Dicitur enim sic: » Honor, fratres, « & sublimitas episcopalis nullis poterit com- « parationibus adæquari. Si regum fulgori com- « pares & principum diademati, longe erit in- « ferius, quam si plumbi metallum ad auri ful- « gorem compares; quippe cum videas regum « colla & principum submitti genibus sacer- « dotum, & osculata eorum dextera, eorum « orationibus credant se communiri. Hæc au- « ctoritas expressa est contra dictum istud opponentis. Nescio si auctoritatem B. Ambrosii negabit, sicut fecit B. Augustini de tolerantia meretricum. [a]

22. Eadem sententia de non subjectione ecclesiasticorum patet capitulo *Si imperator*, ubi de potestatibus sæcularibus dicitur: Quas, « si fideles sunt, ecclesiæ suæ sacerdotibus vo- « lunt esse subjectas. non sibi vindicet imperator alienum jus & ministerium, quod alteri « deputatum est, neque contra eum contendat abrumpi, a quo omnia constituta sunt. «

Venio solvere rationes suas. Ad primam Christus verbo & facto præcepit & docuit, &c. Nego istud, immo docuit oppositum; docuit enim filios regum non esse subjectos tributis, & per consequens nec aliis censibus principum, quia in nomine tributi intelligi potest omne jus census. Nam cum interrogasset Petrum: *Reges a quibus accipiunt tributum? a filiis an ab alienis?* & Petrus respondisset: *ab alienis.* Concluſit Christus: *Ergo filii sunt liberi*, Matt. 17. Quod voluit solvere tributum aut didragma, fuit, non quia deberet: immo declaravit quod non debebat; neque ipse, quia rex regum erat; neque sui discipuli, quia filii regis æterni per adoptionem; sed ne scandalizaret exactores. Nam dicit: *Verumtamen ne scandalizemus eos, vade*, inquit Petro, *ad mare, & mitte hamum*, &c. Quod vero voluerit vitare scandalum exactorum tributorum Cæsaris, non mirum; quia illud in illis videri poterat scandalum pusillorum, qui dignitatem & excellentiam Christi & suorum sacerdotum ignorabant. Quod vero non teneretur, audivistis jam auctoritatem Augustini super illo: *Ergo filii sunt liberi.* Sed iterum Origenem audiamus, quem etsi in positione allegaverim, ideo repeto, quia ad ipsum nullum per opponentem vidi responsum. Ait enim sic: « Vide Christi « prudentiam, qualiter nec renuit tributum, «

Responsio ad rationes adversarii. Ad primam.

(a) Hoc opus Mabillonius tomo 2. Analectorum legitimo suo auctori restituit, scilicet Gerberto Scholastico, qui postea Silvester II. papa fuit; sub cujus nomine exstat in cod. S. Martialis Lemovicensis cum hoc titulo, *Sermo Gerberti Philosophi papæ urbis Romæ, qui cognominatus est Gerber Silvester, de informatione episcoporum.* Citatur tamen sub nomine Ambrosii ab Humberto cardinali, lib. 1. adversus Simoniacos c. 16. Exstatque in veteri codice Hemerodensi annorum 600. cum hoc titulo, *Libellus venerabilis viri Ambrosii Mediolanensis episcopi, qui Pastoralis dicitur.* Ejusdem nomen præfert in calce vetustissimi libri Sacramentorum ecclesiæ Senonensis, & ad calcem collectionis Dionysii exigui in bibliotheca Chayvelitiana.

» nec ſimpliciter jubet dare. Sed prius oſtendit » ſe non eſſe obnoxium, & tunc dat; quorum » unum fecit, ſcilicet dare tributum, ut illi » exactores non ſcandalizarentur. Hoc autem » quod oſtendit ſe liberum, ut non ſcandali- » zarentur diſcipuli. Hæc Origenes. Igitur, patres, ſi diſcipuli fuiſſent ſcandalizati, ſi Chriſtus dixiſſet ſe debere tributum, quid putatis, ſcandalizantur piorum corda fidelium etiam principum ſæcularium, quando audiunt ſacerdotium digniſſimum ſubjici juriſdictioni temporalium dominorum, & magis offenduntur, dum audiunt concionari eos, delinquentes, data eorum pertinacia, in defectum ſuorum ſuperiorum prælatorum multitudini indoctæ, debere ſubire non ſolum correctionis fraternæ, ſed coactione judicium? quid ultra reſtabit, niſi etiam idem dicere de principibus, & ſubvertere omnem politiam, dum judicia ferentur ab ignorantibus jura, & quid diſtat inter ſanctum & prophanum?

Ad ſecundum. Ad ſecundam, Petrus ſequens doctrinam Chriſti præmiſſam, præcepit ſuis, &c. Poſſum dicere quod loquebatur de populo laïcali, nec hoc eſt fingere, quia gloſſa marginalis ſic dicit: Primo incœpit inſtruere apoſtolus Petrus liberos, ibidem: *Subditi eſtote*, &c. Dein ſervos, ibid. *Servi ſubditi eſtote dominis veſtris.* Poſtea mulieres, ibid. Similiter *mulieres ſubditæ ſint*, viris ſcilicet. Sed poſt hoc viros ibid. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam.* Deinde ſenes & adoleſcentes. Non patet ex gloſſa illa quod loquatur de clericis: ideo dicitur, quod de laïcis loquitur, non fingitur; quia gloſſam illam pro duce habemus. Dicerem ſecundo, quod ſi de clericis loqueretur, iſta ſubjectio eſſet perfectionis; quia dicit: *Subditi eſtote omni humanæ creaturæ*; & manifeſtum, eſt quod non ſubjiciuntur etiam laïci omni humanæ creaturæ ex debito, quare nec clerici. Sed exhortaretur ſecundum illum intellectum ad humilitatem perfectam, ſecundum quod Apoſtolus dicit ad Rom. 12. *Honore invicem prævenientes*, quem alter alteri exhibere poteſt propter Deum. Ideo cum dixiſſet apoſtolus Petrus: *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ*, ſubjunxit: *propter Deum.* Ad hoc opus ſupererogationis apoſtolus Petrus inſtruebat, ut ſcandalum aut occaſio murmurandi contra fideles tolleretur. Non dixit: Ut obmuteſcere faciatis hominum imprudentium ignorantiam, quod tamen abſque coactione aut debito, ſed ſpontanee hoc facere habeant, patet per ſubſequentia; quia dicit, quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem. Unde nec ficta ſunt iſta dicta, nec periculoſe expoſita, ſed veraciter & ſecure ad intentionem Apoſtoli, quam conformiter ad prædicta dominus Innocentius exponit, & dominus Durandus in quadam quæſtione de origine juriſdictionum, qui ad illam auctoritatem reſpondet. Dicendum, inquit, quod non loquitur de ſubjectione quoad juriſdictionem, ſed quoad humilitatis meritum, quæ quoad omnes debet ſervari, magis tamen reſpectu regum & ducum, &c. Innocentius reſpondet: Videat ipſe ſibi de periculo, qui ad talem juriſdictionem ſacram ſcripturam trahit, cum non habeat pro ſe doctorem approbatum aut authenticam gloſ.

Unde ad auctoritatem Ambroſii ſuper illo Luc. c. 5. *Laxate retia in capturam*, dictum eſt aliud apoſtolicum piſcandi genus, &c. dico quod in illa auctoritate nulla fit mentio de eccleſiaſticis, ſed ſolum de Chriſtianis viris, quod ſint ſubditi ſublimioribus poteſtatibus. Ad tertiam.

Ad aliam ejuſdem doctoris ſuper illo Luc. 20. *Oſtendite mihi denarium, cujus habet imaginem*, dicitis ſi Chriſtus, &c. Iſta verba dico ego intellecta ut jacent, non poſſent ſtare, quia ibi dicitur, cum dedit Chriſtus cenſum, non de ſuo dedit, ſed reddidit mundo, quia propheta de eo ait Pſ. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi.* Et ipſe Dominus de ſe ait pſal. 89. *Si eſuriero non dicam tibi, meus eſt orbis terræ & plenitudo ejus*; & iterum Matt. ultimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Hanc vero ab initio ſuæ conceptionis habuerat, ſed non erat manifeſta, ut fuit poſt reſurrectionem. Dicam ergo quod dedit item de ſuo, hoc eſt de eo quod ſuum eſſe non putabatur, propter perfectum exemplum magnæ paupertatis, quod cunctis exhibebat, ſicut ipſe dicebat: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet.* Ad quartam.

Et ad illud quod ſequitur, de auctoritate Ambroſii, *Et tu ſi non vis*, &c. dici poteſt quod poſſeſſiones & bona eccleſiis data, non ſunt divitiæ mundi, ſed ſunt Dei. Nam ex quo ſemel datum eſt Deo, ſanctum ſanctorum erit Domino, ut habetur Levitici 27. & 12. q. 2. *Nulli*, ubi ſic dicitur: « Nulli licet « ignorare omne quod Domino conſecratur, « ſive fuerit homo, ſive animal, ſive ager vel « quicquid fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino, & ad jus pertinet ſacerdotum; propter quod inexcuſabilis erit « omnis homo, qui a Domino vel eccleſia, « cui competit, aufert, vaſtat, invadit vel eripit, & uſque ad emendationem eccleſiæque « ſatisfactionem ut ſacrilegus judicetur; & ſi « emendare noluerit, excommunicetur. » In hac quæſtione multa in hanc ſententiam concordantia ponuntur per multa capitula. « Quod bona eccleſiarum « non debent « invadi.

Dico etiam quod de bonis eccleſiæ ad dotem pertinentibus principalem, non debet ipſa tributum, nec de decimis & primitiis & oblationibus. De his vero quæ emtione acquiſivit, aut donatione vivorum accepit, multa dici poſſent, quæ cauſa brevitatis omit- De quibus bonis eccleſiarum debet ſolvi tributum.

10, de quibus tamen adhuc pro ejus libertate multa habentur 23. q. 8. capitulo *Tributum* & originaliter habentur Gen. 47. de libertate terræ ſacerdotum in Ægypto in maxima neceſſitate, fame prævalida urgente. De hac libertate rerum eccleſiæ eadem cauſa & q. c. *Convenior*, multa habentur a beato Ambroſio.

Finaliter dico opponenti, quod ſive ratione poſſeſſionum datarum eccleſiæ vel acquiſitarum debetur tributum, ſive non: tamen hoc non arguit quod ſubjecti ſint eccleſiaſtici temporalibus dominis, quantum ad perſonas eorum aut bona mobilia. Unde cum ſtatus non fundetur in bonis, ſed in perſonis, ut in ſubjecto; nullo modo probat quod ſtatus eccleſiaſticorum ſubjectus ſit ſæcularibus poteſtatibus. Nego etiam eidem, quod eccleſiaſtici ſint eleemoſynarii laïcorum principum, ſed Dei & eccleſiæ, cujus ſunt bonorum ſuorum diſpenſatores. Per iſta patet etiam ſolutio dicti Apoſtoli: *Cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem.*

Ad auctoritatem Ocham & omnia in dictis illis contenta, dico quod illa non ſunt dicta ejus, ſed Marſilii de Padua hæretici, cujus dicta condemnata fuerunt tempore Johannis XXII. Multa namque iſte dogmatizabat in ſubverſionem hierarchiæ eccleſiaſticæ, ſtatum eccleſiaſticum multum vilipendendo. Et quod iſte liber, qui dicitur Defenſorium pacis, fuerit ejus, patet; quia in tractatu de Tranſlatione imperii profitetur ſe illum feciſſe in 2. & 22. capitulo; ſive ſit illius, ſive alterius, iſta dicta non concedo.

Hac igitur ſuppoſitione confracta & penitus eliſa, patet ſuam concluſionem ſecundam eſſe falſam, ubi dixit peccata mortalia publica perſonalia prælatorum, ſacerdotum & aliorum eccleſiaſticorum, ubi correctio fraterna aut generalis reprehenſio per prædicationem verbi Dei non ſufficeret, in defectu ſpiritualis præpoſiti, habita ſufficientia, & data opportunitate, ſunt per poteſtates ſæculares, aut per Chriſti fideles laïcos, ſecundum dictamen divinæ legis, etiam ſine aliqua ſpeciali licentia ab eccleſia habita, coactive punienda, & judicio condemnationis vel diffinitionis, ut eſt actus juſtitiæ, judicanda. Falſitas hujus dicti in hac replica ſua patet ex dictis, quia eccleſiaſtici non ſunt ſubjecti illis principibus ſæcularibus aut laïcis, ut diffuſe oſtenſum eſt.

Ad primam rationem adverſarii circa ſecundam concluſionem ſecundi puncti ſui.

Ad rationes ſuas. ad primam de Chriſto, quod fuit etiam quoad perſonam juriſdictioni principis ſæcularis ſubjectus, ſcilicet Pilati, vices agentis Cæſaris, dicunt aliqui doctores quod Pilatus non judicavit Chriſtum, ut perſonam publicam, aut præeminentem dignitate: ſed tamquam privatam, accuſatam ſibi a principibus ſynagogæ & populo Judæorum, tamquam malefactorem, qui in hoc erat de foro Cæſaris & ſuo, quia præſes erat in Judæa pro imperatore. Unde ipſe Pilatus ait Luc. 23. *Obtuliſtis mihi hunc hominem*, hunc, inquam, hominem, quaſi privatum; non pontificem, non in dignitate conſtitutum. Tunc enim Chriſtus, ut dicunt iſti doctores, in hac parte non gerebat perſonam papæ, ſed ſimplicis hominis coram ſuo judice accuſati; nec in hoc Chriſto papa ſucceſſit. Succedit enim in potentia, non in accuſatione maligna de eo facta. Immo eſt æſtimandum, quod ſi coram Pilato fuiſſet unus de principibus ſacerdorum aut pontificibus vel ſacerdotibus templi accuſatus, dixiſſet quod dixit de Chriſto: *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum.* Sed nec accuſatores eum accuſaverunt coram Pilato, ut pontificem vel ſcribam, ſed ut populi ſubverſorem aut deceptorem. Cum igitur nec coram judice fuerit ut ſacerdos vel pontifex accuſatus, nec a judice ut talis judicatus, ex illo exemplo nihil poteſt concludi de ſubjectione clericorum dominis temporalibus. Sicut ſi laïcus judex ferat ſententiam mortis contra clericum, putans tamen eum non eſſe clericum, & in quo clericalis diſciplinæ nulla apparent veſtigia, non poteſt ex hoc actu acquirere in clericos juriſdictionem.

Quomodo judicium Pilati, cum Chriſtum judicavit, fuit omni ex parte injuſtum.

Præterea illud judicium injuſtum fuit ex omni parte. Tria enim ad juſtum judicium requiruntur, ſcilicet juſtus ordo, juſta cauſa, juſtus animus. Non fuit juſtus ordo, quia non erat Pilato ſubditus Chriſtus, ut ordinario judici, ſed tantum ex voluntate Dei permiſſiva; & eſto quod fuiſſet verus judex ejus, quod non concedo, tamen non fuit convictus de crimine, ſed per falſos teſtes accuſatus, Matt. 26. *Noviſſime venerunt duo falſi teſtes & dixerunt: Hic dixit: Poſſum deſtruere templum hoc, & in triduo reædificare illud.* Item non fuit juſtus animus; quia Pilatus timore ne Cæſarem offenderet, Chriſtum judicavit. Nam cum dicerent ei Judæi: *Si hunc dimittis, non eris amicus Cæſaris.* Scriptum eſt Johannis 19. conſequenter dicitur: *Audito hoc verbo, Si dimittis eum ſic, magis timuit.* Non fuit juſta cauſa, teſte Pilato, qui dixit Luc. 23. *Nihil invenio cauſæ in homine iſto.* Et iterum: *Ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam invenio in homine iſto, ex quibus eum accuſatis: ſed neque Herodes.* Ubi Ambroſius: Pilatus Chriſtum abſolvit judicio, crucifigit myſterio. Duorum ergo vitorum teſtimonio Jeſus inſons oſtenditur. Iterum Johan. 19. ait Pilatus: *Ego nullam in eo invenio cauſam.* Ubi Chryſoſtomus: » Non dixit quia peccavit & dignus eſt morte, donare eum feſto: ſed primum eum excuſans, tunc rogabat ex abundanti, ut ſi nollent eum innocentem dimittere, ſaltem obnoxium donarent tempori. Dicerem etiam, quod ex parte Pilati judicium caruit robore, quia revera

vera non fuit Chriſtus ei ſubditus : verum Chriſtus ex ſumma humilitate & caritate ei ſubjici voluit, & Deus Pater, ut actum poteſtatis Pilatus exerceret in Chriſtum, ut quantam habuerit caritatem Chriſtus erga *genus humanum oſtenderet, qui a non ſuo* judice judicari voluit, abſque cauſa mori morte turpiſſima, debitum humani generis exſolvere. Sed ex hoc non concluditur, nec apparentiam habet argumentum, quod eccleſiaſtici ſubſint principibus ſæcularibus; quia ex opere ſupererogationis non concluditur debitum in eo aut ſuis diſcipulis vel filiis.

Ad ſecundum. *Allegavit opponens dictum beati Bernardi* ad archiepiſcopum Senonenſem : Dico quod non puto textum Bernardi ſic habere. Tamen ſi ita eſſet, quod non credo, dicerem ad illud: Quanto magis ſuper perſonas & temporalia omnium apoſtolorum & ſuorum ſucceſſorum omnium epiſcoporum ſeu preſbyterorum; quod iſtud intelligitur de poteſtate permiſſa non approbata, vel de actu poteſtatis, non de auctoritate. Nam Dominus permiſit principes ſæculares in epiſcopos & preſbyteros ac alios fideles actum poteſtatis exercere.

Ad tertiam. Sacerdotium veteris legis erat carnale & terrenum, & poteſtati terrenæ ſubjectum. Ad illud de depoſitione Abiathar a Salomone, dico conformiter ad dicta in poſitione, quod ſacerdotium veteris teſtamenti erat carnale, & per carnalem propagationem ſuccedebat, ut patet ad Heb. 7. & 9. cap. licet eſſet ordinatum ad ſpirituale obſequium; & licet eſſet figura ſacerdotii novi teſtamenti, minus tamen quam ſacerdotium Melchiſedech. Ideo ex parte qua illud ſacerdotium erat carnale & terrenum, erat terrenæ poteſtati ſubjectum, & hoc in ſolutione in poſitione dictum eſt: ſed in quantum erat ſpirituale ſecundum obſequium & ſecundum figuram, præeminebat ei. Unde reges a ſacerdotibus inſtruebantur & ungebantur. Nec ſic erat ſæculari poteſtati ſubjectum.

Aliqui dicunt nc. In veteri teſtamento promittebantur temporalia in mercedem: ideo ſumma poteſtas erat terrena. In novo teſtamento, quia æterna promittuntur, ſumma poteſtas eſt ſpiritualis. Temporalia autem adducuntur ad neceſſitatem aut ſuſtentationem: ideo in lege gratiæ non ſubditur judice ſtatus eccleſiaſticus temporali.

Ad quartam. Ad Damaſum qui ſe purgavit accuſatus, &c. fuit in poſitione reſponſum.

Ad quintam. Item, de Leone dictum fuit, quod fuit opus ſupererogationis, & non debiti, quod ſe judicio Ludoïci imperatoris ſubmiſit, aut ſuorum.

Ad ſextam. De Samuële poſſet dici, ut dictum eſt de ſacerdotibus Leviticis, licet non fuerit ſacerdos, ſed propheta. Item, dicatur quod non ſe judicio Samuel regis aut populi ſubmiſit, ſed innocentiam, teſte populo, demonſtravit coram Saüle. Volebat enim judicari, id eſt declarari, & teſtimonio populi comprobari innocens in præſentia Saül.

Ad ſeptimam. Arguit quod communitas poſſit habere jurisdictionem in contumaces. Satis de hoc in poſitione dictum eſt. Sed replicat, cum *dixeram communitatem Corinthiorum* non habere auctoritatem puniendi ex judicio, niſi cum conſenſu Apoſtoli; & arguitur quia Apoſtolus præſens eos arguit, quod dimiſerant eum, ſcilicet Corinthium fornicatorem incorreptum, quam det licentiam vel dicat iſta verba : *Ego quidem abſens corpore*, &c. & allegat Ambroſium. Dico, quod ideo reprehendit eos, quod illum non corripuerant fraternaliter, quod poterant. Item ideo quod multi illum abhominabilem fornicatorem ſuſtinebant, nec de peccato illius triſtabantur. Nam dicit : *Et vos inflati eſtis ſuperbe talem defendendo aut diſſimulando peccatum ſuum; & non magis luctum habuiſtis*? Unde ex hoc non concluditur quod communitas illa ex ſe haberet poteſtatem puniendi coactive ſeu per cohibitionem pœnæ illum fornicarium. Nam dicit : *Et non magis luctum habuiſtis*? Ubi videtur magis innuere, quod ſolam correptionem fraternam ex ſeipſa habuerit. Nam frater ſuper fratre dolere debet & lugere, ſi corripere non valeat, aut ſi correptioni non vult parcere.

Ad octavam. Dictum autem Origenis de correctione ſacerdotum intellecta per dexteram, & populi per ſiniſtram, de fraterna correptione currit, *non de judiciaria.*

Quoad hoc quod dicit : *Projice eum abs te.* Multa inculcavit dicta prius in ſua poſitione de Nabuchodonoſor, de Veſpaſiano, de judicio lato per Danielem in preſbyteros malos, quæ non repeto, quia ſoluta ſunt in mea poſitione ſufficienter.

Conſequenter patet corollarium ſecundum quæſtionis ſecundæ eſſe falſum, ubi dicit : *Peccantibus rectoribus ſpiritualibus* ſubditi fideles licite poſſunt, & in caſu tenentur ſuperiorum peccata per juſtitiam corrigere, caſtigare aut punire. Oſtenſum etiam eſt jam ſuum notabile contra illud corollarium non eſſe verum : & ſi de correptione fraterna intelligatur, etiam eſt falſum. Nam per illam poteſt inferior ſuperiorem, & par parem, ſicut ſuperior inferiorem corripere; & miror quod communiter aut frequenter tranſit opponens de una correptione in aliam; & ubi deberet evolvere æquivocationem, congregat eam.

Quantum ad ſecundam ſuppoſitionem, ubi ponit quod per illud : *Die eccleſiæ*, intelligitur fidelium univerſitas : hoc certe non nego, immo conceſſi in dictis meis in poſitione; ſed non excludo per hoc prælatum. Unde illud : *Die eccleſiæ*, dupliciter exponitur, id eſt prælato vel univerſitati fidelium; & quia non poteſt ſimul tota fidelium univerſitas congregari, dixi, quod dicendum

est concilio generali in negligentia papæ. Illud enim habet claves ut papa, potest nolentem eum audire, excludere de ecclesia, ut sit sicut ethnicus & publicanus. Unde dictum Ocham, ubi per ecclesiam negat Petrum aut aliquem episcoporum, &c. non recipio; quamvis autem, ut dixi, intituletur sic, tamen magis creditur esse Marsilii de Padua hæretici. Conclusionem suam primam ex illa nova suppositione illatam, reputo falsam, & per doctores in positione allegatos, Albertum Tho. Ri. de Media-villa, Augustinum de Anchona fuit falsitas satis aperta. Et videte quomodo insufficienter probat ex lege correptionis fraternæ, nec cohæret suæ suppositioni secundæ, & æquivocat in multitudine. Nam dixit in suppositione, quod per ecclesiam bene intelligitur universitas fidelium, & ex illa lege: *Dic ecclesiæ*, quæ est universitas fidelium, concludit modo hanc conclusionem. Peccata mortalia publica personalia prælatorum & sacerdotum possunt, & in casu eorum data pertinacia, sunt a quolibet Christi fideli correctione fraterna, sufficientia & opportunitate habita, arguenda etiam publice, coram multitudine laïcorum; patet, ait, ex lege correptionis fraternæ. Considerate si ecclesia intellecta ibi: *Dic ecclesiæ*, sit multitudo aliqua laïcorum, vel etiam omnium laïcorum. Nonne ecclesia per eum est universitas fidelium, aut concilium generale eam repræsentans. Dicit Christus: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Illa laïcorum multitudo excommunicabit nolentem audire? habet congregatio laïcorum claves? Planum est quod non, maxime ex quo sunt ecclesiastici in rerum natura, nec laïci faciunt ecclesiam, exclusis clericis, sed clerici & laïci simul; & quia ecclesia tota non potest in uno loco convenire, convenit in concilio generali, & illud est ecclesia, de qua ibi: *Dic ecclesiæ.* Ideo dictum fuit in positione mea: Si prælatus delinquens correptus fuerit, nec audierit corripientem, potest ad superiorem haberi recursus: tandem dici ecclesiæ, id est, concilio generali. Certe si illud non audierit, sit cuilibet sicut ethnicus & publicanus. Non autem oportet currere ad multitudinem laïcorum, & coram ea prælatum arguere. Rationem in positione habitam facio, quæ talis est. A correptione fraterna, si non sufficit, itur ad paternam, ideo post illam secretam admonitionem, sumuntur duo testes vel unus, ut cum prælato revelatum fuerit peccatum, aut etiam ecclesiæ, id est concilio generali; si negaverit accusatus vel delatus probari possit, & si judicem non audierit, excommunicetur, aut sit excommunicatus. Modo a secreta correptione, eundo ad multitudinem laïcorum, non itur ad patrem, nec itur ad illum qui per censuram ecclesiæ possit inobedientem punire. Ergo non est recurrendum ad laïcalem multitudinem.

Impugnatio primæ conclusionis adversarii.

Ad rationes factas per adversarium pro illa conclusione.

Ad primam.

Ad rationem quod Christus voluit argui coram turbis Johan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato, &c.* Dixi quod secundum dicta Gregorii Christus non submittit se correctioni populi, sed ex ratione probat se peccatorem non esse. Allegavi textum Gregorii. Replicat, dicens: Miror quod tam exilem consequentiam faciat respondens, scilicet ego, istam videlicet: Christus eâ ratione probat se peccatorem non esse; ergo in eodem textu non submittit se correptioni populi. Ad hoc dico, quod magis miror, quod imponit mihi hanc feciſſe consequentiam. Nam esto quod utrumque dixissem, scilicet, quod Christus ex ratione probat se peccatorem non esse, & quod Christus non se submittit correptioni populi: tamen non ideo vellem facere consequentiam inferendo hoc ex illo. Nam si dixi: Concilium nunc congregatum est, & dixi Bohemi sunt Basileæ: feci ergo istam consequentiam? Concilium congregatum est, ergo Bohemi sunt Basileæ. A puero didici tales illationes non valere, saltem de forma. Nam in consequentia bona & formali, consequens est inclusum in antecedente. Unde dixi magis caute quam resumit opponens. Nam dixi sic in forma. Secundum Gregorium in homilia, ut Thomas recitat in expositione hujus passus, non habetur quod submittat se correctioni populi: sed ex ratione probat se peccatorem non esse: dixi ergo, juxta verba Gregorii, non habetur quod submittat se correctioni populi: sed probat ex ratione &c. Tamen modo magis declarando me, vel extendendo, dico quod per ista verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Christus non submittit se correctioni populi. Probet, & ego ultra respondebo.

Ad secundam.

Secunda ratio ad quæstionem est soluta per prædicta, cum dicit sic: Probatum est quod per ecclesiam in illo verbo: *Dic ecclesiæ*, intelligitur non solum prælatus, sed etiam universitas vel multitudo populi, & dico quod non: sed intelligitur universitas fidelium omnium, aut concilium generale ipsam repræsentans. Dicit opponens, quod miratur, quod sic volo habere ecclesiasticos exemtos a correptione fraterna tali, scilicet coram multitudine, &c. Dico quod miror, quod miratur. Admiratio enim, secundum Aristotelem, venit dum effectus cognoscitur & causa ignoratur. Ipse autem bene videt causam cur nolo dicere ecclesiasticos a populo laïcali, aut sæcularibus judicibus debere corrigi; quia scilicet non sunt illis subditi. Desinat ergo mirari de cetero. Ideo igitur nolo concedere ecclesiasticos coram multitudine populi corripi fraternaliter, quia sic non debet fieri: sed corripiendi sunt fraternaliter, & hoc multum suadeo; & si nolint acquiescere, sunt corrigendi & puniendi paternaliter per suos superiores, & ut ita fiat

Quare ecclesiastici non sunt corrigendi per laïcos.

Quomodo tamen & a quibus sint corripiendi.

multum opto. Unde quid cauſæ eſt quod miratur, ſi tamen cauſam dicti mei intelligat, ſicut puto, quemadmodum & dictum? Dicit in hoc quod ordinem correctionis fraternæ poſui, ut primo ſecrete quis moneatur; poſtea ſi non audit, adhibeatur unus vel duo teſtes, quos ſi non audierit, dicat eccleſiæ, id eſt prælato, & conſequenter illo negligente, & ſummo pontifice, dicatur eccleſiæ. Quod ſi illam non audierit, non habent laïci quid faciant, niſi quod rem Deo committant, & orent pro illo.

Ad tertiam rationem.

Dicit, inquam, quod fugio, & neſcit cujus doctoris eſt hæc gloſſa, niſi quod eſt mea. Sapiat verbum Chriſti de ordine fraternæ correptionis, & ſentiet mecum in iſto ordine. Nam poſtquam ſecreta monitio non ſufficit, dicendum eſt eccleſiæ. Eccleſia autem ſecundum doctores, dicitur prælatus aut eccleſia univerſalis, ſeu concilium generale. Nam eccleſiæ totaliter congregatæ dici non poteſt. Igitur oportet dicere concilio illam repræſentanti, in defectu prælatorum, quam nullatenus tenemus poſſe errare in univerſali correptione morum. Si illam non audierit, attendite quid dicit Chriſtus: *Sit tibi ſicut ethnicus & publicanus*; habeatur tamquam excommunnicatus, vel excommunicetur. Non dicit Dominus: A laïcis corripiatur, & per juſtitiam vindicetur. Ideo bene dixi quod laïci non habent aliud facere, niſi ut rem Deo committant, & pro tali orent. Deus vero eccleſiæ ſuæ non deficiet, ſed quod utilius erit diſponet.

Quod vero dictum eſt de laïcis, quod nihil aliud habent facere de eccleſiaſtico; in iſto caſu accipiendum eſt; niſi eccleſia eos requireret in ſubſidium ſuæ juriſdictionis, ut quia cenſuras eccleſiæ non curavit, digna animadverſione per brachium ſæculare puniatur.

Alios autem caſus in poſitione, reſpondendo ad rationes poſitas, pro repetitis habetote, patres digniſſimi; poſſem etiam dicere, quod laici illum qui eccleſiam non audierit, & ſic eſſet ſicut ethnicus & publicanus, poſſent prohibere ne noceret alteri, aut ultra graviter offenderet: ſed non poſſent illum punire, niſi modo nunc expreſſo.

Ibi quia concilia de decennio in decennium a modo ſunt celebranda, juxta ordinem concilii Conſtantienſis, quærit quid faciendum eſſet, ſi tempore medio aliquid enorme per papam fieret. Nolo repetere verba in forma, quia digna repetitione non ſunt, ſunt enim turpia, ſcandalum auditoribus facientia, ſed & aërem maculantia. Nam ibi ponit caſum, quem a ſæculis non audivimus, de papa & uxore imperatoris, loquitur etiam de manu ſacerdotis in gremio mulieris, &c. At omittamus indigna loqui. Tamen dico, quod ſi aliquid grave & enorme contingeret in perſona papæ, qui a nullo, niſi a concilio poteſt judicari in terris, eſſet concilium congregandum, ſi periculum immineret. Quia licet non poſſit prorogari ultra decennium illud tempus, poteſt tamen ex cauſa ardua breviari, & in caſu ſuo eſſet accelerandum. Ubi autem requiſitus papa nollet congregare concilium, ad cito occurrendum periculo, eccleſia habet providere in tam arduis caſibus & tam periculoſis; & bonum eſt, quod per hoc ſacrum concilium provideatur ſufficienter per alium modum de medio opportuno.

Patet conſequenter corollarium ex illa concluſione ſua deductum, non eſſe verum abſolute; ſcilicet: Peccata mortalia prælatorum & ſacerdotum perſonalia publica, ſunt in evangelizatione per ſacerdotes fideles, data eorum pertinacia & habita ſufficientia & opportunitate, caritative arguenda & detegenda etiam coram clero & communi populo. Eſt verum quod non negavi omnino eſſe prædicanda peccata publica coram populo: ſed dixi quod non ſunt prædicanda peccata perſonalia publica illorum, niſi cum magno moderamine, & diſcreta temperantia verborum, etiam cum faciendum eſſet; puta ſi propter omiſſionem reprehenſionis vitiorum cleri, populus crederet illa non eſſe vitia, aut non tanta ut ſunt; aut haberet de hoc malam credulitatem, aut aliquod ſimile.

Restat oſtendere, quod non ſufficienter reſpondit ad rationes meas. Allegavi auctoritates ſcripturæ veteris & novi teſtamenti, Teleſphori papæ, Gregorii Nazianzeni, Chryſoſtomi, Alexandri de Hallis, ad hoc quod inferiores non debent prælatos & preſbyteros de publicis peccatis perſonalibus coram multitudine laicorum arguere. Ad quas omnes ad unum per idem reſpondet, quod intelliguntur de accuſatione vel correptione imprudenti aut temeraria; & quando clerici & eccleſiaſtici ſervant limites ſui ſtatus, & mores & ſtatum cleri non offendunt.

Prima replica contra ſolutionem adverſarii.

Iſta ſolutio non videtur vera. Nam numquam temeraria & imprudens correptio facienda eſt. Unde ſicut nec inferiores habent temere ac corripere ſuperiores, ita nec e contra. Igitur ſecundum iſtam gloſſam fictam dicendum eſt: quod ſuperiores non habent arguere aut corripere inferiores coram laicis, ſupple, imprudenter & temerarie. Quod dicit prælatos & ſacerdotes non eſſe corripiendos ante laicos, quando ſervant ſtatum & mores, nec offendunt ſtatum clericalem. Quomodo eſt hoc ſolvere? Certum eſt quod nullus debet argui aut corripi etiam fraternaliter, niſi pro peccato mortali. Per omne autem peccatum mortale boni mores maculantur. Unde ſi gloſſa ſua ſit vera, eodem modo diceret, quod laici non ſunt corripiendi, cum niſi peccent non ſunt corripiendi. Quod vero dicit iſtam gloſſam ſe acci-

pere a dictis ; immo non meis , ſed beati Gregorii in Paſtorali lib. 2. c. 5. Salva pace non bene accipit. Nam dictum Gregorii eſt de judicio diſcuſſionis. Dicit enim quod admonendi ſunt ſubditi ne præpoſitorum ſuorum vitam temere judicent, ſi quid fortaſſe in eis reprehenſibile videtur ; & applicat ad correctionem , quam vult fieri coram multitudine , data pertinacia & habita facultate, de qua nihil Gregorius præcepit. Nam judicium diſcuſſionis ſecretum eſt , & fit in corde judicantis.

Secunda. Præterea male ad ſuum propoſitum applicat dictum apoſtoli 1. Timot. 5. *Seniorem ne increpaveris , ſed obſecra ut patrem.* Dicit : Hæc eſt regula obſervanda , cum culpa ſenioris ſuo exemplo non trahit ad interitum corda juniorum. Ubi autem ſic eſt cum ſtricta increpatione feriendus , &c. Conſiderate quod Gregorius exponit auctoritatem apoſtoli , quæ erat ad Titum epiſcopum ; & ita Gregorius vult quod ſenior ab epiſcopo non dure increpetur , ſi tamen culpa ſenioris non trahat ad interitum corda juniorum : ſed ſi trahat , diſtricte increpetur ab eo. Non dicit ibi apoſtolus aut Gregorius laicis aut ſubditis , quod increpent ſeniorem peccantem , ſed epiſcopo. Male ergo ex hoc inferre poteſt, quod ſubditi poſſint ſeniores dure arguere , cum eorum culpa ſuo exemplo alios ad peccandum inducit : dum tamen peccatum ſenioris ſit perſonale. Nec gloſſam quam pro me dedit , accepto ad verba Gregorii , ſed quod loquatur de peccato ſenioris in fide, quando eſt dure arguendus. Nam credo quod intellexit de perſonali peccato. Peccatum enim in fide non tantum exemplo , ſed per ſe ad interitum alio , trahit. Ideo talem gloſſatorem non habeo avoatum.

Tertia. Dictum Gregorii 2. q. 7. *ſicut laudabile.* ad propoſitum ſuum non facit , quia loquitur epiſcopis in concilio congregatis , qui erant ſuperiores primate Clementio , quos hortatur ad puniendum illum , ſi talis inventus fuerit , ut fama protulerat ; unde per hoc male infert quod inferiores habeant per judicium ſuperiores corrigere , aut illos coram ſubditis palam arguere.

Imponit mihi opponens , quod ad rationes ſuas probantes , quod peccata publica ſacerdotum & prælatorum perſonalia ſunt in evangelizatione per prædicatores verbi Dei , habita ſufficientia & opportunitate , data eorum pertinacia , coram clero & populo arguenda & detegenda ; non reſpondi ſufficienter , ſed evaſi , ut potui , ſuperficialiter. libenter viderem quid contra ſolutiones meas replicaſſet ; & hoc facere poterat , ſi erant inſufficientes , ſicut dicit , & ego reſponderem.

Contra ſolutiones adverſarii. Ad rationes meas probantes, quod peccata mortalia publica perſonalia prælatorum & ſacerdotum , &c. non debeant per ſæculares poteſtates puniri , aut Chriſti fideles laicos etiam ſubditos caſtigari , dicit quod poſſet dari generalis reſponſio , oſtenſa eſt frivola eſſe ; nihil plus ad hoc dico.

Ad expoſitionem verborum Conſtantini , ubi dicit , quod iſta verba fuerunt exhortationis, ut oſtenderet quales deberent eſſe epiſcopi. Nam tales eſſe debent , ut non coram ſæcularibus poteſtatibus concertent , & hoc, Quoniam ad illud Dominus conſtituit vos ſacerdotes, cum dicit, vobis datum eſt de nobis judicandi , gloſſat exponens , & hoc judicio ſpirituali ratione clavium , ſicut medicus de morbo , non autem judicio coactivo. iſtud non poteſt ſtare , quia ſacerdos habet duas claves , ſcilicet ſcientiæ & poteſtatis. Verum eſt quod per primam habet auctoritatem diſcernendi de morbo ſpirituali , ut medicus de morbo corporali : per ſecundam habet autoritatem ligandi & ſolvendi non tantum hortative , ut in pluribus paſſibus opponens innuit , ſed etiam coactive , ſeu obligative. Nam ſi verum eſt , immo quia verum eſt illud ore veritatis prolatum Petro Matt. 16. *Quodcumque legaveris ſuper terram , erit ligatum & in cælis* ; magis ligat ſacerdos quam princeps aut judex ſæcularis. Conſequenter gloſſa illius : vos non poteſtis judicari ab hominibus , eſt quod hoc intelligitur de ſacerdotibus heroicis , quoniam dii vocantur. Hoc non videtur. Nam mali epiſcopi malitia perſonali , & quamdiu tolerantur ab eccleſia , dicuntur dii & angeli. Dii pſal. 60. *Ego dixi dii eſtis , & filii excelſi omnes.* Si omnes , tamen ſunt inter omnes aliqui mali : Ergo mali dii dicuntur, dicuntur etiam angeli. Nam angelus Epheſi , peccaverat , quia monetur ut agat pœnitentiam. tamen dicitur angelus. Nec,ut dicit,coacti ſua judicia Romano principi detulerunt ; ſed expectantis ab eo certam vindictam , & acerbiorem vel favorem inordinatum ex hoc ſperantes ; & puto quod in hoc peccaverunt maxime , ſi tamquam ſuo judici hoc fecerunt.

Contra ſolutionem dictam ad verba Conſtantini.

Quod ſacerdos habet poteſtatem judicandi active non tantum hortative.

Facit ad auctoritates multorum ſanctorum & doctorum unam ſolutionem , quod loquuntur de illis qui imitantur in vita Chriſtum , quod tales non ſunt judicandi ab aliis ; ſed iſta eſt gloſſa ſua & voluntaria , nec in aliquo doctore talis gloſſa reperitur ; quoniam ſecundum illam diceretur, quod non ſunt judicandi a ſuis ſuperioribus , quia nemo in hoc quod bene agit & Chriſtum imitatur , judicatur judicio condemnationis a quocumque.

Inſerit unam parvulam rationem in ſua reſponſione. Quomodo , inquit , ſervabunt laici illud Domini præceptum : *Quæ dicunt facite : ſecundum opera eorum nolite facere* ; niſi judicent de vita & prædicatione. Hic eſt æquivocatus, ſicut frequentiſſime,de judicio. Nam non eſt negatum, immo conceſſum in ſecundo corollario 2. concluſionis ſecundi puncti , quod quilibet Chriſti fidelis poteſt

judicare judicio diſcretionis de peccatis publicis ſacerdotum & aliorum eccleſiaſticorum; & per iſtud ſufficienter impletur iſtud: *Quod dicunt facite: ſecundum opera eorum nolite facere.* Eſt verum quod adhuc facilius concedetur judicium illud de prædicatione ſeu doctrina, quam de vita ſacerdotum, ſubditis; tum quia prædicatio ſacerdotum ordinatur directe in ſalutem ſubditorum, vita autem non: tum quia defectus in prædicatione ſunt periculoſiores ſubditis, quam vitæ; tum quia facilius error prædicationis agnoſcitur & certius, quam defectus in vita.

Cur facilius conceditur populo judicare de prædicatione ſacerdotum quam de vita

Ad auctoritatem Ezechielis 33. de ſpeculatore, &c. dicit quod biblias multas vidit, ubi textus iſte non reperitur. Poſſibile eſt; ſed ſi vidit antiquas & correctas in regno ſuo, æſtimo quod clauſulam illam reperit, *non populus terræ*, ſed rogo num apud nos in talibus non reperitur? bene credo quod in quibuſdam novis ac non bene correctis, ex vitio ſcriptorum non ſit, ſed male. Ulterius, ſi ſit, inquit, hæc clauſula, eſt intelligenda de requiſitione finali & authentica. dicat mihi unicum doctorem qui ſic exponit: credo quod non poterit. Nam ſua gloſſa eſt utique ſua, quia varia, quod fieri non debet in ſcriptura ſacra, & imminet in tali modo magnum periculum, nec ſic reperiet in ſermonibus per me datis. Æſtimo enim quod intellectus dati ad auctoritates per eum allegatas, in doctoribus reperientur, aut ſanctis, aut ſcolaſticis, aut ex dictis eorum elicientur. Item cur excluſiſſet dominus populum ab eo quod ſibi nullo modo poteſt convenire, nec licite nec illicite; ſiquidem nullus prudens dominus prohibet id quod fieri non poteſt, alioquin debuiſſet Deus homini prohibuiſſe creare hominem, aut juſtificare impium. Solum ergo hoc prohibetur quod fieri poteſt, & faciendo peccatum incurritur. Cum ergo populus terræ nullomodo poſſit requirere a ſpeculatore vel cuſtode ſanguinem pereuntis requiſitione authentica, quæ Deo ſoli convenit, fruſtra Dominus hoc ei vetaſſet aut prohibuiſſet, cum dixit: *Non populus terræ loquitur.* Ergo de requiſitione ſubauthentica, & dicit quod illa, populus terræ non requiret ſanguinem pereuntis de manu ſpeculatoris negligentis quod allegat magiſtrum Nicolaum de Lira in 3. c. non facit ad propoſitum. Nam arguitur Ezechiel a Domino, non ab inferioribus, quod ſiluerat. Auctoritatem Origenis ſuper Geneſim homilia, ut dicit, 16. allegat, ſi bene intelligatur. Dicit illos ſacerdotes eſſe nequiores aliis, non propter libertatem ſibi datam vel ſervatam a Pharaone, ſed propter conſenſum quo eidem Pharaoni in malis favebant.

Ad auctoritatem Salvatoris Matt. 17. reſpondit per ſuppoſitionem primam. Hoc non eſt ſolvere, quia illa falſa eſt, & ſufficienter improbata.

De Abimelech, quod fuerit ſubjectus regi Saül, quia ſe coram eo excuſavit, ut ait de Lira, ſatis dictum eſt prius, quomodo ſacerdotes levitici fuerunt aut non fuerunt ſubjecti. Cetera uſque ad materiam de indulgentiis tranſeo. Proponam tamen quod ſentit de decimis. Eſt ergo ſecundum ſuum dictum hic improbandum, & eſt tale. Populus poteſt licite ſubtrahere decimas & oblationes malis ſacerdotibus malitia perſonali: hoc dictum procedere videtur, ex hoc quod non ſunt debitæ ſacerdotibus, ſed ſunt puræ eleemoſynæ. Si enim non ſunt debitæ ſacerdotibus a populo, populus propter malitiam perſonalem ſacerdotum non eſt abſolutus a debito, ſicut nec ego ſi debeo Ticio 100.... & ille fiat malus, ſum abſolutus ab illo debito. Iſtud dictum omnino coincidit cum 16. articulo Johan. Wicleff, qui in forma talis eſt: Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ & parochiani poſſunt propter peccata ſuorum prælatorum ad ſuum auferre arbitrium. Iſtud igitur oſtendo eſſe falſum, divina ſcriptura pariter & humana. Primo divina, nam Levitici ultimo ſcribitur: *Omnes decimæ terræ ſive de frugibus, ſive de pomis arborum Domini ſunt*; & infra: *Omnium decimarum ovis & bovis & capræ, quæ ſunt ſub paſtorum virga, tranſeunt, quidquid decimum ſanctificabitur Domino.* Item Num. 18. *Filiis Levi dedi omnes decimas Iſraël in poſſeſſionem pro miniſterio quo ſervivunt mihi in tabernaculo fœderis, ut non accedant ultra filii Iſraël ad tabernaculum fœderis, nec committant peccatum mortiferum, ſolis filiis Levi mihi in tabernaculo ſervientibus & portantibus peccata populi, legitimum ſempiternum erit in generationibus veſtris.* Item ibi: *Levitæ decimarum oblatione contenti erunt, quas in uſus eorum & neceſſaria ſeparavi.* Præterea antea Jacob ſpopondit ſolvere decimas Deo Gen. 28. *cunctorum quæ dederis mihi decimas offeram tibi.* Amplius Malachiæ 3. ſcriptum eſt: *Inferte omnem decimam in horreum meum, ut ſit cibus in domo mea. Et probate me ſuper hoc dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes, eritis enim vos terra deſiderabilis dicit Dominus exercituum.*

Secundum dictum adverſatii.

Decimas non eſſe puras eleemoſynas.

In lege nova Dominus de ſolutione decimarum loquens Matth. 23. & Luc. 11. nec tamen opera alia debita volens propter harum ſolutionem prætermitti, dicit: *Hæc oportuit facere, & iſta non omittere.* Apoſtolus oſtendit, quod decimæ ſunt debitæ, & ſi non oſtendat, quotam illam, tamen quantum ad hoc quod ſufficiant pro ſuſtentatione miniſtrorum, & ait primæ Corint. 9. Qui altario ſervit de altario vivat. quis militat ſti-

pendiis ſuis unquam? Item idem oſtendens quod ſunt debitæ Deo ſervientibus, allegat illud Deut. 25. *Non infrænabis os bovi trituranti*, & quod non propter boves dictum ſit, ſed propter apoſtolos, & doctores, ait: *Numquid de bobus cura eſt Deo, an propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt. quoniam debet in ſpe qui arat arare, & qui triturat in ſpe fructus percipiendi*, ſequitur ad propoſitum; *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus*: ac ſi diceret: non eſt magnum immo debitum. Præterea Chryſoſtomus homil. 31. ſuper Matt. in opere imperfecto ait: Nunc veniamus ad ſacerdotes: ſcimus quia juſtitiam ſervare, & miſericordiam facere, & fidem habere propter gloriam ſuam mandavit Deus. Decimas autem offerre propter utilitatem ſacerdotum, ut ſacerdotes quidem in ſpiritualibus populo obſequantur, populi autem in corporalibus ſacerdotibus ſubminiſtrent. Item Haimo ſuper illo: *Qui bene præſunt presbyteri duplici honore habeantur*, ait in expoſitione: duplicem honorem præcipit exhiberi preſbytero in ſalutationibus, videlicet ut humilient ſe illi ſubditi, & in exhibendis donis ſtudiiſque ſpiritualibus: hæc ille.

Auctoritates ſanctorum & doctorum.

Jure humano probatur, quod decimæ ſunt debitæ. Primo per beatum Ambroſium ſermone quodam, & habetur 16. q. 7. dicentem: Quicumque recognoverit in ſe, quod fideliter non dederit decimas ſuas, modo emender quod minus fecit. Quid eſt fideliter dare? ut nec pejus nec minus aliquando offerat de grano aut de vino aut de fructibus arborum aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de ipſa venatione ſua. Et contra ſolvere nolentes ſententia excommunicationis fulminanda eſt, ut patet in c. *omnes* ubi dicitur ex concilio Rothomagenſi: Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus ſive de pomis, Domini ſunt, &c. ut Levitici ultimo ſupra allegatum eſt, ſequitur: Sed quia modo multi inveniuntur decimas dare nolentes, ſtatuimus ut ſecundum Domini præceptum admoneantur ſemel & ſecundo & tertio; qui ſi non emendaverint, anathematis vinculo feriantur uſque ad ſatisfactionem, & emendationem congruam, ut cap. ſequenti dicitur: Decimas Deo & ſacerdotibus Dei dandas, Abraham factis & Jacob promiſſis, inſinuat, & omnes ſancti ſacerdotes commemorant. Item Hieronymus ſuper Malachiam in 3. c. & habetur 16. q. 1.

» *Revertimini* dicit ſic: Nunc exequamur ordinem prophetæ. Quia mihi non reddidiſtis
» decimas & primitias, idcirco in fame & peſnuria vos maledicti eſtis, & vos me ſupplanſtatis ſive defraudaſtis. Ecce annus expletus
» eſt, & nihil in meos theſauros, ſed in veſtra
» horrea comportaſtis; & pro decimis & priſmitiis, quæ parva erant, ut a vobis darentur,
» libertatem poſſeſſionum veſtrarum, & omnem frugum abundantiam perdidiſtis. Ut autem ſciatis me iraſcente hoc perfectum, quia fraudaſtis me parte mea, hortor vos atque commoneo. Gloſſa interlinearis ſuper *commoneo* dicit: præcipio ut inferatis decimas meas in horrea mea, hoc eſt in theſauros templi, & habeant ſacerdotes atque levitæ, qui mihi miniſtrant cibos, & probate me, ſi non tantas pluvias effudero, *ut cataractæ* cœli aperræ eſſe credantur, effundam vobis benedictionem uſque ad abundantiam. Et ibi multa de hoc per totum. In tantum autem dicuntur eſſe debita, ut tributa egentium animarum dicantur, teſte beato Auguſtino. eod. c. 2. q. c. *Decimæ*, *ubi dicit*: Decimæ tributa ſunt egentium animarum; quod ſi decimas dederis, non ſolum abundantiam fructuum accipies, ſed & ſanitatem corporis conſequeris. Super illo autem: *Egentium animarum*, dicit gloſſa. Quod dantur egentibus clericis, *non ideo minus* dandæ ſunt, ſi divites ſunt. Nam intuitu perſonarum dantur eccleſiæ. Hæc gloſſa: dicerem quod ſunt egentium animarum. Nam decimæ ultra ſtatum clericorum honeſtum, ſine pompa diſtribui per eccleſiaſticos debent egentibus.

Quod *vero* ſit debitum ſic ſolvere decimas, & non pura eleemoſyna, patet, quia Deus per brachium ſæculare ſe de non ſolventibus vindicare videtur, in hoc quod id quod Deo dari debetur, putans quis ſibi reſervare, perdit, & fiſcus accipit. Unde Auguſtinus 16. q. 7. Majores noſtri ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæſari cenſum reddebant. Modo autem, quia diſceſſit devotio Dei, acceſſit indictio fiſci. Nolumus cum Deo partiri decimas, modo autem tollitur totum, hoc tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus. Item, idem ſuper illo verſu pſalm. 143. *Qui producit in montibus fœnum*, ait: Chriſtus tacitus exigit, & major eſt vox tacentis, qui tamen in evangelio non tacet. Nam dicit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; ibi de illo, quod neceſſarium eſt victui eccleſiaſticorum loquitur. Et ſermone de decimis reddendis, ait circa medium: Decimæ ex debito requiruntur. Nota ibi, ex debito, ut qui eas dare noluerit, res alienas invadit, & quanti pauperes in locis ubi ipſe habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni judicis apparebit; quia rem a Domino pauperibus delegatam, ſuis uſibus uſurpavit.

Thomas autem 2. 2. q. 87. art. 1. in pen. declarat, quod homines modo tenentur ad ſolutionem decimarum, & quomodo in veteri lege præceptum de ſolutione decimarum erat partim morale, partim judiciale. Morale & de dictamine rationis naturalis, quoad hoc, quod his qui divino cultui miniſtrabant, neceſſaria vitæ miniſtrarentur: judiciale vero erat ex divina inſtitutione, quoad talem

Decimæ in veteri lege debitæ præcepto partim morali, partim judiciali, in nova, præcepto partim morali, partim inſtitutione eccleſiæ.

determinationem, ut puta quoad decimam. Modo autem licet judicialia legis ſint mortua, tamen poteſt aliquod ex illis noviter inſtitui, & ſic fecit eccleſia, quæ, ne populus Chriſtianus minus daret ſacerdotibus Chriſti, quam populus Judæorum ſuis ſacerdotibus & levitis, qui ad majora tenetur, quam ille, ſecundum quod ait Dominus Matt. 5. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* ordinavit & ſtatuit dare decimam miniſtris novi teſtamenti. Unde ad ſolutionem decimarum homines tenentur, partim jure naturali, partim inſtitutione eccleſiæ. Jure naturali, quoad hoc, quod tantum detur illis ut ſufficienter & honeſte vivant: inſtitutione eccleſiæ, quoad determinationem decimæ partis. In eamdem ſententiam venit doctor ſolemnis 4. *Quotlibeto*, quæſtione, utrum decimæ ſunt de jure evangelii; ubi poſt aliqua dicit in effectu, quod decimæ ſunt partim de jure evangelii & de jure naturali. quod dico ego ibi fundatur: Dignus eſt operarius cibo ſuo, & in locis prælegatis; partim de jure humano & poſitivo, ſicut olim erant partim de naturali, & partim de jure poſitivo divino. Subtrahens ergo decimas, Deo facit injuriam in quatuor, ut quidam doctor ait. Primo, quia dehonorat Deum, qui detinet ſic rem ſacram. Secundo, tale facinus damnificat totum mundum; quia ſubtrahuntur fructus huic ſæculo, propter avaritiam retinentium decimas, ſi non vindicetur Deus. Tertio, quia tale peccatum eſt grande, ſcilicet ſubtrahere decimas, quia eſt ſacrilegium. Decima enim pars eſt Dei & pauperum ejus. Quarto, quia illa ſubtractio eſt cauſa diminutionis divini cultus, qui exercetur per inſtitutos miniſtros. Unde illorum diminutio eſſet cauſa diminutionis ſacrificii pro populo, & doctrinæ fidelium. Propterea dicit ſe Dominus in illa ſubtractione afflictum & confectum; & hoc eſt quod dicitur Malach. 3. ubi prius allegatum fuit: *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos, dicit Dominus exercituum; & dixiſtis: In quo revertemur?* Reſpondet Dominus: *Homo ſi affligit Deum, quia vos configitis me, & dixiſtis: In quo configimus te?* Reſpondet Dominus, *In decimis & primitiis & in penuria vos maledicti eſtis, & me vos configitis gens tota.* Gloſſa vero ſuper illo, *Configitis*, dicit: Tempore Eſdræ tanta fuit fames, ut multi pro penuria filios & filias vendentes, & frumenta ementes, levitis decimas non ſolverent; qui etiam fruges in horreis congeſſerant, pro magnitudine pretii decimas non ſolvebant. Unde compulſi miniſtri templi, fugerunt unuſquiſque in regionem ſuam. Ideo dicit Dominus ſe in ſuis afflictum & non accepiſſe decimas. Hæc ibi.

Auditis quomodo decimæ non ſunt puræ eleemoſynæ, immo ſunt debitæ, & ad hoc nunc tendit mea intentio. Unde ſi quis non abſolvitur a debito, pro hoc quod creditor malus efficitur malitia perſonali, non fit populus deobligatus a decimis, quas debet ſacerdotibus bonis, ſi illi efficiantur mali malitia perſonali. Malitiam autem perſonalem dixi, malitiam ex inordinata voluntate procedentem, non corrumpentem fidem aut bonos mores per malam doctrinam, & alios illo modo non inficientem, nec rempublicam ex intentione turbantem. In poſitione autem allegavi multa originalia beatorum Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, ad oſtendendum quomodo malis ſunt bona debita miniſtranda & eleemoſynæ; ex quo ſequitur bene, quod ſi eleemoſynæ ſunt malis miniſtrandæ, ergo & debita hæc pro nunc de debito decimarum malis ſacerdotibus debitarum, dicta ſunt malis, ſcilicet malitia perſonali; ſecus autem ſi eſſent infideles, aut ſanctos mores per doctrinam malam ſubvertentes, aut reipublicæ proditores, aut turbatores ex intentione propria.

Accedo ad materiam indulgentiarum. Eſt ergo tertium dictum opponentis de indulgentiis. Circa hoc multa dixit, deſcripſit nomen indulgentiæ, diſtinxit quadruplicem modum remiſſionis. Et quia vocat indulgentias remiſſiones, aliquando conceſſiones, poteſt etiam quadruplex modus indulgentiæ aſſignari, conformiter ad remiſſionem, ſecundum eum quadruplicem; ſcilicet authenticam, ſubauthenticam, miniſterialem, & aliam omnibus competentem, quæ dicitur remiſſio offenſæ. Poſuit circa iſta ſeptem dicta de idoneitate ſuſcipientium indulgentias ſeu remiſſiones, quæ, quia nolo improbare, perfunctorie tranſeo: ſed de iſtis indulgentiis non loquuntur doctores communiter, dum tractant materiam indulgentiarum. Nam iſtæ cum ſint remiſſio culpæ, aut per modum authenticitatis aut ſubauthenticitatis aut miniſterii ſunt ad ſacramentum pœnitentiæ pertinentes; illæ vero de quibus doctores loquuntur, non pertinent ad illud. Nam non ſunt remiſſio culpæ, ſed pœnæ debitæ. Unde indulgentia, ut de ea tractatur a doctoribus, eſt relaxatio pœnæ debitæ; & quoniam tractantes hanc materiam dicunt, quod ex quo divina juſtitia infringi non poteſt, & iſte cui indulgentia datur, eſt debitor pœnæ, oportet quod ſolvat, aut alius pro eo; quod fit cum merita Chriſti & ſanctorum & eccleſiæ Catholicæ, per eum qui ſuper hoc conſtitutus eſt, iſti applicantur. Antequam ultra progrediar ad id quod mihi objicit, quod male ſibi impoſui, dum dixi, quod ponebat indulgentias in lege Domini non eſſe fundatas, & peregrinationes per homines inventas, eſſe ſuperſtitioſas, idolatriam ſapientes, & cleri avaritiam nutrientes: cum tamen, ut inquit, non ſic poſui. Recitentur hæc verba opponentis in forma, ut in ſua poſitione poſuit, & in ſuis replicis dicit. ubi ego

Henricus de Gandavo.

Subtrahens decimas facit Deo injuriã.

Deum affligit.

Tertium dictum a divertoclii de indulgentiis.

posui fictas & venales absolutiones a pœna & culpa, & indulgentias in lege Domini non fundatas, ibi respondens dicit, me posuisse in sententia, quod absolutiones a pœna & culpa sunt fictæ, & indulgentiæ non sunt in lege Domini fundatæ. apparet mihi, quod non male recitavi dicta sua ad suam intentionem. Nam ipse, quantum ex dictis suis accipere valeo, tacet quod indulgentiæ, secundum communem formam traditionis earum, dum dantur visitantibus talem ecclesiam, & manus porrigunt adjutrices vere pœnitentibus & confessis, &c. certi dies indulgentiæ, non sunt in lege Domini fundatæ; immo ex quo fit mentio de dando aliquid, reputat quod sunt venales, & hoc est tertium dictum ejus. Ita de absolutionibus a pœna & culpa, dicit quod illo modo, quo dantur communiter a summis pontificibus, sunt fictæ & venales & forisfatæ, pro eo quod interdum in aliquibus litterarum fit mentio de largitione bonorum suorum, cum dicitur in effectu, quod dantes de bonis suis ad tale vel tale opus, plenam suorum peccatorum & pœnarum pro peccatis debitarum consequentur remissionem. Quia igitur suam intentionem talem novi ex scriptis suis, bene dixi, quod ponebat indulgentias in lege Domini non fundatas, nec intellexi de indulgentiis, ut sunt remissio culpæ, de quibus plura dicit, nec sic sibi volui imponere: sed de illis, quæ sunt relaxatio pœnæ, & quæ fundantur super thesauro infinito ecclesiæ, proveniente ex merito Christi principaliter, & fidei formatæ ecclesiæ ac meritis sanctorum, quæ supererogarunt ultra debitum. Loquendo de illis, dico quod dicit eas non esse in lege Dei fundatas. Nam loqui de illo thesauro, reputat fictum quid, sicut loqui de vacuo extra mundum. Absolutiones etiam illas, de quibus nunc, eo quod fit mentio de aliquid dando, dicit venales & fictas. Peregrinationes autem ad aliquem locum, ut quis informetur de fide aut aliis pertinentibus ad salutem, laudat; sed illas quæ fiunt ad honorandum loca sancta, basilicas martyrum, ad adorandum cum oblatione candelarum & genuflexione, reprehendit, & dicit eas superstitiosas, idolatriam sapientes.

Litteras fraternitatum reprehendit multum, modo quo dantur communiter a fratribus, puta quod talem vel talem faciunt participem bonorum suorum, missarum, vigiliarum, jejuniorum, studiorum & ceterorum bonorum; quia, ut dicit, dantur sub spe lucri, & multa circa hoc dicit.

Circa ista placet mihi quod indulgentia, quæ est remissio culpæ, sit vera indulgentia. Fateor quod circa peregrinationes interdum & sæpe contingant abusus in vagatione effrænata & excessibus multis. Item, quod in concessione litterarum fraternitatum possunt multa peccata contingere ex inordinata affectione concedentium eas, aut petentium. Nihilominus tamen indulgentiæ sunt licitæ, & in lege Dei fundatæ, prout indulgentia dicit relaxationem pœnæ debitæ: & fundantur super illo thesauro meritorum Christi, &c. Hic autem thesaurus meritorum fundari potest super isto Zachariæ 9. *Tu quoque sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua.* Si Dominus emisit vinctos de lacu, præservat quosdam, ne mittantur in lacum, per quem intelligitur pars inferni, limbus patrum, extra quem Dominus vinctos tunc posuit, & purgatorium, a quo per applicationem meritorum suorum ab habente potestatem præservantur. Item in illo ad Romanos 5. *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM. Si justificati jam pacem habemus cum Deo, quid ergo dicit, pacem habeamus ad Deum, nisi quia adhuc pœna solvenda est, quæ per applicationem meritorum Christi est soluta, ut pacem habeamus ad Deum per Christum? Et paulo post iterum dixit Apostolus: *Si cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est, multo magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per eum.* & in illo capitulo multa dicit Apostolus, ex quibus apparet quomodo Christus meruit nobis, & quomodo in eo omnes justificantur. Igitur si meritum Christi sit tantum, immo infinitum & pro redemtione infinitorum mundorum, si essent, non est inane fundamentum indulgentiarum. Potestas vero dispensandi hunc thesaurum per papam, universaliter fundatur ibi: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, sicut diffuse in positione mea declaravi.

Indulgentiæ in lege Dei fundatæ.

Quod addidi, quod etsi non esset expressum in sacra scriptura fundamentum, sufficeret auctoritas ecclesiæ, non ex timore feci, sed ex veritate. Nam cum ecclesia in his quæ fidei sunt & concernunt salutem animarum, non possit errare, sufficere debet omni fideli ejus auctoritas.

Dico igitur quod possunt dari indulgentiæ, quæ sunt relaxatio pœnæ, tribus concurrentibus; quod sit auctoritas in dante, caritas in suscipiente, & pietas in causa, scilicet vel ad honorem Dei aut utilitatem ecclesiæ; & istis stantibus, papa si dat indulgentias, tenent.

Tria debent concurrere ad collationem indulgentiarum.

Ad rationes suas respondeo. Ad primam papa dat indulgentias multis, qui sunt præsciti, & hoc papa dubitare habet talibus quod Deus non dat, &c. Dico, indulgentiæ non tenent, nisi sint tria præmissa. Præsciti autem, etsi sint in caritate, secundum præsentem justitiam, saltem aliqui, non tamen decedunt in caritate, &c. deerit eis secundum prædictorum.

Ad secundam, res corporales, &c. concedo

cedo majorem; ſed tamen inepte ad propoſitum aſſumitur, cum indulgentiæ non vendantur, nec emantur. Eſto quod aliquod ſubſidium tribuatur eccleſiæ. Nam non datur indulgentia pro illo dato corporali, ſed pro opere ſpirituali, ſcilicet reparatione eccleſiarum vel pontium, aut piorum locorum; & licet temporale interveniat, ordinatur ad ſpirituale, ut eſt divinum ſervitium in eccleſia reparanda fiendum, opus miſericordiæ peregrinantibus, quoad pontium reparationes, & aliis juſtis perſonis & circumſtantiis. Hæc Thomas in 4. di. 20. Concordat Richardus de Media-villa eadem di. 4. Tangit Thomas de repreſſione inimicorum eccleſiæ, qui pacem ejus perturbant, quod pro illa poſſunt dari indulgentiæ. Unde ſi aliquis rex eccleſiam turbet, ſive in ſpiritualibus, ſive in temporalibus, poteſt papa dare indulgentias omnibus ad reprimendum illum concurrentibus. Et quia talibus oportet dare ſtipendia temporalia, poteſt poni illa clauſula, quod dantibus de ſuis bonis ad tale opus indulgentia confertur.

Ad tertiam, poſitis indulgentiis, &c. Reſpondeo negando conſequentiam. Nam papales indulgentiæ requirunt in cauſa pietatem, & in conferente diſcretionem. Nam auctoritas requiſita exerceri non debet ſine diſcretione, nec evenit talis cauſa, ut omnibus omnia debita relaxet, nec poteſt evenire poſſibili morali, quod eſt juris, & ſecundum quod res humanæ contingunt. Præterea cum ſecundum Apoſtolum non ſit data poteſtas in deſtructionem, ſed in ædificationem: ſic debet ſua uti poteſtate papa, ne quid nimis & inordinate fiat, atque immoderate. Unde quicquid ligat aut ſolvit in terris, clave non errante, ligatum aut ſolutum eſt in cœlis. Si aliter faceret, ſecus eſt: ideo non poteſt totum purgatorium evacuare de lege communi.

Nec dico, ut opponens dixit, quod papa det indulgentias dum impugnatur, aut pecunia indiget, ſi de perſecutione perſonali loquitur; ſed ſi impugnatur eccleſia, cujus ipſe eſt univerſalis paſtor, dat indulgentias. Non eſt etiam putandum, quod ut pecuniam recipiat det indulgentias; & ſi faceret, peccaret graviter, nec tenerent; quia nec eſſet caritas in recipiente, nec pietas in cauſa.

Ex dictis patet ſolutio rationis additæ ibi, per quam probare vult, quod papa teneatur omnibus dare indulgentiam plenariam; & arguit ſic: Potens relevare, &c. Dico ad aſſumtum quod eſt verum, & maxime cui ex officio incumbit. Sed papa ſine cauſa pia, quæ honorem Dei aut eccleſiæ reſpicit, non debet dare indulgentias; & ſi det, non tenetur. Item per indulgentiam non liberatur quis a morte ſpirituali, ſicut de indulgentia loquimur, ſed ſolum a pœna reſtante ſolvenda, non autem a peccato. Unde magis ratio iſta contra facientem currit, qui concedit indulgentias, quæ ſunt remiſſio a culpa, ſolvat igitur illam. Nec dicantur indulgentiæ venales, ſi conditio aliquid dandi apponatur. Semper enim illud eſt pro cauſa pia, aut eleemoſyna, aut alia utili eccleſiæ, aut ad honorem Dei.

Ut autem de cetero placeat magis ſobrie loqui de ſummo pontifice, adducatur in medium auctoritas Cyrilli in libro theſaurorum. Ait enim ſic: Dedit Dei Filius Petro « plene & perfecte claves regni cœlorum; quo- « niam, ſicut ipſe accepit a Patre, dux & « ſceptrum eccleſiæ gentium, ex Iſrael egrediens, « ſuper omnem principatum & poteſtatem, & « ſuper omne quodcumque eſt, ut in nomine « ejus genua cuncta curventur, pleniſſimam po- « teſtatem; ſic & Petro & ejus diadochis, hoc « eſt ſucceſſoribus, non minus, ſed pleniſſime « commiſit, & coram apoſtolis & evangeliſtis, « loco ſui, ipſe caput eccleſiæ, in medio eorum « ſtatuit, quatinus ipſi in evangeliis & epiſtolis « mundo huic prædicando, eccleſias & præ- « latos ordinando, ſcriberent quæ a Domino « audierunt & receperunt, affirmantes in omni « doctrina Petrum loco Domini & ejus ec- « cleſiam in omni loco, in omni capitulo & « ſynagoga, in omni electione & affirmatio- « ne, & quicquid ſolvendum & ſtatuendum « foret ipſius auctoritate approbarent, ipſum « vocans Cepham, hoc eſt caput. » Multa pulchertrima ponit, inter quæ gratia brevitatis omitto, eccleſiæ pleniſſimam poteſtatem Petro & ſucceſſoribus conceſſam, quibus omnis particularis perſona curvare genua debet, ut Petro. Modum igitur ponat quiſque ori ſuo, ut non libere in contumelias prorumpere præſumat.

Quoad litteras fraternitatum dicit, quod fraternitas, quæ eſt ſocietas credentium, in fide & caritate eſt facta & bona: ſecundum illam alter pro altero orat, alter alteri debitor eſt; iſtud & ſupponens, & ea quæ circa illam dixit non nego: ſed ex ſcriptis ſuis traho quartum dictum. Litteræ fraternitatum, quæ non dantur niſi ſub ſpe lucri aut confœderationis illicitæ, reprehendendæ ſunt. quoad hoc, quod mala intentio interdum concurrit, non adverſor opponenti: ſed arguit mihi quod intendit etiam formam illarum reprobare, per quam fratres faciunt alios participes ſuorum bonorum ſpiritualium, orationum, jejuniorum, &c. & ad hoc tendunt ſuæ rationes; & in hoc non ſecum concordo; & oſtendo quod forma illarum jam dicta non eſt reprobanda. Orationes & ſuffragia eccleſiæ non ſunt ad modum luminis aut doctrinæ, ut dixit Præpoſitivus, ſicut narrant antiqui doctores theologi, & Thomas, Bonaventura, Durandus, & Richardus. Nam lumen modo naturæ ſe communicat omnibus æqualiter ſecundum ſe, non autem ſic ſuffragia; ideo quia fiunt ab agente ſecundum intellectum,

Quartum dictum adverſarii.

hinc est quod duplicem valorem habent, unum ex radice caritatis, alium ex parte intentionis facientis. Primo valent tantum omnibus quantum uni. Nam caritas facit omnia communia; & hunc respectum videtur habere opponens, considerans quod caritas non *quærit* quæ *sua sunt*. *Propterea* multitudini credentium erat cor unum & anima una; nec quisquam quod possidebat suum esse dicebat. Secundo modo plus valent uni quam aliis, si intentio orantis aut aliquod bonum facientis feratur in unum plus quam in alios. Hoc probo sic: fructus operis, cujus operans est Dominus, & qui totus cedit in utilitatem operantis, nisi in alium transferatur, non prodest ex parte intentionis, nisi ei ad quem operans dirigit suam intentionem; cujus causa est quia intentio est vehiculum illius fructus; ergo quoad hoc, suffragia illi soli prosunt pro quo fiunt. Sic arguit Thom. in 4. dist. 45. sic Richardus, sic Bonaventura satis concordat, ita Godefridus de Fontibus in suis quodlibetis. Secundum hunc valorem cursum habent litteræ fraternitatum, quia per eas declarant se fratres intentionem in suis orationibus dirigere quibus concedunt.

Ad rationes adversarii contra litteras fraternitatum.

Ad primam rationem opponentis, cum arguit, ex quo fratres supponunt, &c. Placet mihi quod sola concessio coram Deo sufficit, nec litteram habere necesse est: tamen satisfacit desiderio simplicium; & si fiat absque fraude & dolo, non nocet.

Ad secundam, sicut dixi de indulgentiis, quod non prosunt nisi existentibus in caritate, sic nec suffragia. Unde quod personæ quibus conceduntur *participabunt* post mortem, intelligitur, si caritate uniantur cum orantibus.

Ad tertiam, distinguo duplicia suffragia; quædam sunt privata, quædam communia. Privata facta a privatis, in secreto fieri debent: tamen in secreto fieri dicuntur, si non quæratur laus propria sed Dei, & desideret faciens non videri, esto quod videatur; & econtra si clauso ostio optet videri & laudem, jam palam fieri dicitur. Communia in patulo fieri habent, talia videntur opera fratrum, specialiter unius conventus. Nam si ab aliquo particulari litteræ dentur, intelligantur ex suppositione, scilicet si aliquid Deo placitum orando, jejunando, &c. fecero, participem te horum facio.

Ad quartam, quod fratres orantes duplici modo *considerari possunt*. *Uno modo*, ut personæ privatæ: sic magna debent humilitate fulgere, & recumbere in regno ecclesiæ militantis in novissimo loco. Ita & a...quibus partes, a . . . . ut gerentes vices ecclesiæ hoc modo, quia in facie ecclesiæ orationes communes faciunt, non se reputando, sed illam Christi immaculatam sponsam, cujus vice faciunt, extollendo, hoc modo participes alios facere possunt suarum orationum.

Ad quintam, illam tangit difficultatem, si orationes & suffragia facta per malos prosint aliis. Ad quod Thomas in 4. dist. 41. dicit quod ibi duo considerari possunt; unum est opus operatum, ut est sacrificium altaris, & illud ex se efficaciam habet, sicut & omnia sacramenta novæ legis. Aliud opus operans, & hoc dupliciter considerari potest; uno modo, ut est ejus, & sic oratio peccatorum non est meritoria, quia Johan. 9. *Scimus quod Deus peccatores non audit*. Alio modo ut fit in facie ecclesiæ, & vice ejus, & quia ille facere intelligitur cujus vice fit, ut dicit Dionysius; hoc modo oratio peccatorum est meritoria, quia ecclesia semper est Christi dilectissima: vel etiam ut fit ab aliquo, ut instrumentum alterius, & adhuc quia illud *principaliter fit ab illo cujus directione aut* præcepto aut ordinatione fit; adhuc valebit oratio peccatorum, si principalis institutor sit Deo gratus, ut patet in eleemosyna data a bono domino per manum mali servi. Per hoc patet solutio rationis.

Ad sextam, dico ex datis ab opponente, quod communicare ex auctoritate merita, non competit puro homini, sed hoc facere ministerialiter potest ei competere, & in hoc non usurpant fratres quod est Dei proprium, nec Deum blasphemant. Quod autem dixit opponens rationes meas concludere de prima fraternitate solum, quæ fundatur in caritate, ostendo quod non omnes arguunt de illa, sed aliqui de ista secunda arguunt. Augustinus namque in pluribus auctoribus allegatis, petit adjuvari orationibus & se orantibus *commendat*. Sed *non est opus petere* adjutorium orationum ex hoc quod valorem habent ex parte caritatis; quia tum caritas facit omnia communia ex hac parte, videlicet æque non petenti sicut petenti, dum tamen conjuncti sint vinculo caritatis. Petiit ergo ea parte qua valorem habent ex intentione facientis, & in hoc fundatur secunda fraternitas, de qua litteræ fraternitatis intelliguntur; ideo non solum Augustinus, sed Ambrosius, sed Gregorius, Anselmus, & alii multi suffragia aliorum postulasse leguntur.

Quintum ad ista.

De sanctorum reliquiis.

Quintum dictum de peregrinationibus est in effectu, quod peregrinationes, quæ fiunt ad honoranda loca sancta, basilicas martyrum, & sanctorum reliquias adorandas, cum oblatione candelarum, aut aliarum rerum, & genuflexione, reprehendendæ sunt tamquam superstitiosæ, idolatriam sapientes; cujus oppositum dico, cum scriptura veteris & novi testamenti, cum doctoribus sanctis Hieronymo, Augustino, Gregorio, Cassiodoro, cum concilio generali Gangrensi, quorum auctoritates & dicta diffuse in positione mea recitata, peto haberi hic pro repetitis. Subjungo tamen aliqua de dictis beati Hieronymi in duabus epistolis ad Ripatium presbyterum contra Vigilantium hæreticum. In

» prima enim dicit: « Acceptis primum litteris tuis non reſpondere ſuperbiæ eſt, reſpondere temeritatis. De his rebus interrogas, quæ & proferre & audire ſacrilegium eſt. Ais Vigilantium os fœtidum rurſum aperire, & putorem ſpurciſſimum contra ſanctorum martyrum proferre reliquias, & nos, qui ea ſuſcipimus, appellare temerarios & idolatras, qui mortuorum hominum oſſa veneramur. Non autem dico martyrum reliquias, ſed ne ſolem quidem & lunam, non angelos, non archangelos, non Seraphim, non Cherubim, & omne nomen quod nominatur in præſenti ſæculo & futuro, colimus & adoramus, ne ſerviamus creaturæ potius quam creatori. Honoramus reliquias martyrum, ut eum cujus ſunt martyres adoremus. Honoramus ſervos, ut vel honor ſervorum redundet ad Dominum. » Poſt aliqua ſubdit: » Si non ſunt honorandæ ſanctorum reliquiæ, » quomodo legimus: *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus*? ſi oſſa eorum polluunt contingentes, quomodo Heliſæus mortuus mortuum ſuſcitavit, & dedit vitam, » quod juxta Vigilantium jacebat immundum. » Ergo omnia caſtra Iſraëlitici exercitus & populi Dei fuere immunda, quia Joſeph & patriarcharum corpora portabant in ſolitudine » & ad ſanctam terram immundos cineres pertulerunt?

Dicet mihi quis: non reprehendimus honorare reliquias martyrum, quia immundæ ſunt, aut immundos contingentes faciunt: ſed dico quod non licet colere eas, ut modo fit. Profecto ita dicebat Vigilantius, ut recitat beatus Hieronymus in altera epiſtola contra eumdem. « Quid, inquit, neceſſe eſt tanto honore non ſolum honorare, ſed etiam » adorare illud neſcio quid, quod in modico » vaſculo transferendo colis? Quid pulverem » linteamine circumdatum adorando oſcularis? prope ritum gentilium videmus ſub prætextu religionis introductum in eccleſiis, ſole » adhuc lucente, moles cereorum accendi, » ubicumque pulviſculum neſcio quid in modico vaſculo pretioſo linteamine circumdato, » oſculantes adorant. Magnum honorem præbent hujuſmodi homines beatiſſimis martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrandos, quos Agnus, qui in medio throni » eſt, cum omni fulgore majeſtatis ſuæ illuſtrat. » Hæc verba Vigilantii. Contra illud » Hieronymus: « Quia Vigilantius videtur velle » vivos non mortuos coli debere, infert: Ergo » ſacrilegi ſumus, quando apoſtolorum baſilicas ingredimur. Sacrilegus fuit Conſtantinus imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, » Lucæ & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quos rugiunt dæmones, & habitatores Vigilantii illorum ſe ſentire præſentiam confitentur. Sacrilegus & nunc Auguſtus » Archadius, qui oſſa beati Samuelis longo poſt » tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam.

Mortuos illos ſuſpicaris, ideo blaſphemas. « Sed lege evangelium: *Deus Abraham, Deus « Iſaac, Deus Jacob, non eſt Deus mortuorum, « ſed vivorum.* Si ergo vivunt, honeſto juxta « te carcere concludantur. » Et ibi multa dicit, « oſtendens quomodo ſancti in patria orant pro nobis, & quod ſi multa in vita fecerunt utilia hominibus, adhuc magis modo, cum ſunt cum Deo in cœlis regnantes. Allegat de Moyſe, de Paulo & de Stephano, de cereis & luminaribus, quod liceat ea offerre, licet non illa ſimplicium intentione, qua quidam offerunt, ſcilicet ad honorem martyrum, quaſi indigeant. dico ego; & hoc conſonat ſequentibus; ſed ex devotione offerentium, ſic ſanctos volentium honorare. Ita dicit Hieronymus Vigilantio: Quid inde perdis? ſcilicet ex illa oblatione cauſabantur quondam apoſtoli, quod perirent unguentum: ſed Domini voce correpti ſunt; neque enim Chriſtus indigebat unguento, nec martyres lumine cereorum; tamen illa mulier in honorem Chriſti hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur, & quicumque accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem.

Ad hoc quod idolatriam hoc ſapere dicitur, reſpondet Hieronymus: « Quis quondam colebamus idola, nunc Deum colere « non debemus, ne ſimili videamur cum idolis honore venerari? illud fiebat idolis, idcirco deteſtandum: hoc fit martyribus, & « ideo recipiendum eſt. Nam & abſque martyrum reliquiis per totas Orientis eccleſias, « quando legendum eſt evangelium, accendunt luminaria jam ſole rutilante, non ad « fugiendas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ « demonſtrandum. Unde & virgines illæ evangelicæ ſemper habent accenſas lampades, & « apoſtolis dicitur: *Sint lumbi veſtri præcincti, « & lucernæ ardentes in manibus veſtris*, ut ſub « typo luminis corporalis illa lux oſtendatur « de qua in pſalmo: *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis.* » Itaque propter tria Hieronymus dicit quod cereos coram reliquiis martyrum accendere licet. Primum propter devotionem orantis in honorem ſanctorum quorum ſunt reliquiæ. Secundum ad oſtendendum ſignum lætitiæ ſpiritualis. Tertium ad repræſentandum internum lumen fidei, quod eſt in adorantibus. Subinfert Hieronymus. Malefacit ergo Romanus pontifex, « quod ſuper mortuorum « Petri & Pauli ſecundum nos oſſa veneranda, « ſecundum te, loquor Vigilantio, pulviſculum offert Domino ſacrificia & tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria? Et non ſolum « unius urbis, ſed totius orbis errant epiſcopi, « qui cauponem Vigilantium contemnentes, « ingrediuntur baſilicas Martyrum? Quaſi dicat, non errant, non malefaciunt. Plena eſt hæc epiſtola pulcherrimis rationibus & perſuaſionibus ad hoc propoſitum, & ad alia

quæ Vigilantius circa cultum reliquiarum detestabatur. Ad illam volentem instrui remitto.

Ex quo infero, quod si licet colere, venerari & adorare reliquias sanctorum martyrum, licet causa hujusmodi ad ecclesias peregre proficisci; ideo peregrinationes ad adorandum reliquias non sunt damnandæ, dum tamen fiant cum debitis circumstantiis. Revera non ignoro multos excessus interdum committi ab aliquibus: sed non ideo peregrinatio est reprehendenda, sed abusus. Non est pecunia dicenda mala, si aliquis ea male utatur. De cetero arguatur mala voluntas & malus usus sive abusus, non ipsa peregrinatio, quæ sancta est, si ad venerandos sanctos, quorum reliquiæ visitantur, hoc fiat.

Nec molestè ferat opponens, quod dico eas adorandas, quia secundum doctores, exhibitio honoris ratione sanctitatis, adoratio est. Et sicut est multiplex modus sanctitatis, ita multiplex modus adorationis, scilicet latriæ, quæ soli Deo per se debetur; yperduliæ, quæ ratione alicujus excellentiæ sinitur, ut Mariæ, in quantum est Mater Dei: duliæ ratione sanctitatis, qui convenit ceteris sanctis; immo in scriptura sæpius legimus homines alios viventes adorasse. Ut Jacob Esau Gen. 33. ut David Jonatham 1. Reg. 20. & in valde multis passibus. Si peccatoribus adoratio ratione alicujus superioritatis data est, & non culpantur facientes, cur non licebit sanctorum reliquias beata immortalitate fruentium adorari? Quod dicitur periculum esse propter simplices, qui istas adorationes discernere nesciunt, dico quod instruantur; & melius est hoc fieri, quam negare, propter periculum, quod sanctum est. Nam multa condemnare oporteret, si periculum attenderemus, quod ex abusu exurgere solet.

Ad rationes meas de peregrinationibus in veteri testamento ter in anno ad templum quod erat Jerosolymis, & quod Christus hoc observans sic peregrinatus est, quod erat etiam illud præceptum observatum a quibusdam gentibus, &c. Dixit quod Christus ista extinxit dum dixit mulieri Samaritanæ Johannis 4. *Mulier crede mihi venit hora & jam est, quando nec in monte hoc, nec Jerosolymis adorabitis patrem. sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt in spiritu & veritate.* Jam respondi, quod per hoc peregrinationes non evacuavit, sed tantum ceremonias veteris legis, quæ in templo Jerosolymis observabantur: quoniam quæ tunc corporaliter fiebant, nunc in spiritu & veritate observantur. Sed quia non replicavit contra hoc, ideo nihil plus dico. Cum opponente autem meo non discordo in hoc quod laudat peregrinationes, quibus itur ad audiendum verbum Dei, & sanctorum virtutum informationem, nam & illas ego ipse laudo.

Postremo circa imagines venerabiles pono sextum dictum ejus, quod ex scriptis suis traho. Imagines pictæ vel sculptæ non sunt adorandæ; & dico de pictis aut sculptis ad differentiam vivarum imaginum, quas magis vult venerari. vocat istas pictas imagines, &c. statuas; dicit de eis quod populus spiritum Jesu non habens, exhibet eis magnam reverentiam & honorem cum genuflexione, candelarum accensione & hujusmodi, & hæc sibi non placent. Nam dicit: Populus Dei spiritum Jesu non habens, tangit quomodo dæmon potens est in talibus imaginibus Christi & sanctorum, quæ sunt in templo, ut domo Dei, dementare homines, qui abundant non fide viva, sed mortua. & quod tales qui faciunt imagines, assimilantur Aaron effœminato, qui timore populi fecit vitulum conflatilem, & Jeroboam qui fecit vitulos aureos, ut populus non adoraret ultra in Jerusalem. Et quod si præsepe Domini sit adorandum propter habitudinem illius ad Christum, magis esset adorandus asinus quem Dominus equitavit, in habitudine ejus ad eum. Fateor quod non sunt idola colenda & simulacra, hoc enim scriptura prohibet & ratio; modo quo ab idolatris adorabantur; quoniam illi putabant in eis aliquid esse numinis, putabant eas habere rationem vel intellectum & sensus. Unde aures ad audiendum, oculos ad videndum formabant. Ideo Dominus Exodi 20. prohibet sculptilia fieri, cum ait: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ est in terra deorsum.* Et apostolus de idolo dixit, quod idolum nihil est. Remigius autem hoc sic exponit: idolum videtur imaginem hominis habere, & non est homo: Videtur imaginem alicujus bestiæ habere, & non est bestia: Videtur aures, oculos & nares & os habere: sed ideo nihil est quia non audit, non videt, non olfacit, non loquitur, Dicitur homo esse, non est homo. Dicitur Deus esse, non est Deus. Ideo nihil est, quia id quod dicitur non est. Sed Christiana religio imagines Christi admittit, quia Deus factus est homo. Ante incarnationem pingi non poterat, potest autem post per lineamenta corporis humani Christi figura repræsentari. Admittit etiam imagines B. Virginis Mariæ, sanctorum apostolorum, martyrum, confessorum, virginum & electorum, quos in celebri memoria haberi disposuit; quas in reverentia fidelium devotio habere voluit, ut simplicibus essent memoriale perpetuum, sicut libri & litteræ seu alphabetum, sapientioribus autem essent, ut ad devotionis eorum excitativum. nempe * segnius irritant animos demissa per aures, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus. Tardius enim audita quam visa movent.

Igitur quod sint conservandæ non destruendæ, exemplis & auctoritatibus ostendo.

Sextum dictum ejus de imaginibus.

* Horatius de arte Poet.

Refert Sigibertus in ſua hiſtoria, quod ſub anno Domini 724. Judæus quidam maleficus, promittens Gizid Saracenorum regi, eum ultra 40. annos imperaturum, ſuadet ut in toto regno ſuo Dei ſanctorumque imagines deponi edicat, qui ſpe regnandi ſeductus, edictum proponit. Ipſe tamen mox obiit. hæc ille.

Dicitur in chronica Martini, quod cum Leo imperator imagines in civitate Conſtantinopolitana igne cremari juſſiſſet, Gregorius ſecundus, qui fuit 91. Pontifex, eumdem Leonem anathematizavit. De quo memoratus Sigibertus dicit: Gregorius papa ſynodum 93. epiſcoporum Romæ congregat, & venerationem ſanctarum imaginum confirmat, earumque violatores generali ſententia anathematizat. Idem auctor dicit de Stephano papa 92. Quod venerationem ſanctarum imaginum confirmat, earum violatores anathematizat. Refert idem quod Conſtantinus imperator filius Leonis, de quo ante, omnino a Deo averſus, virum ſanctum Stephanum per 40. annos incluſum, etiam gentilibus reverendum, amara morte martyrizavit, omnes ſibi ſubjectos coegit ſuper S. Crucis lignum, ne aliquam Dei ſanctorumque ejus venerarentur imaginem. Et quod hoc ſit tyrannis patet ex hoc quod ſequitur: Nec ſub alicujus gentilis perſecutione plures quam ſub hoc martyrizati ſunt.

Item, idem ſub anno Domini 772. ait: In præſentia Pipini regis inter Græcos & Romanos celebratur ſynodus de ſancta Trinitate & ſanctorum imaginibus. Adrianus Romæ præſidet. Hic ad comprimendam rabiem hæreticorum imagines Dei & ſanctorum execrantium nimis laboravit, & libro adverſus eos edito, multis ſcripturarum inductionibus roborato, errores eorum infirmavit. Idem auctor ait, quod ſub anno 788. inſtantia Taraſii patriarchæ Conſtantinopolitani & Adriani papæ ſecundo apud Niceam univerſalis ſynodus 350. epiſcoporum congregatur, in qua fides catholica in præſentia Irenes & filii ejus cunctorum ſubſcriptione roboratur, & hæreſis execrantium imagines Dei in perpetuum abdicatur.

Præterea Damaſcenus in quarto ſuarum ſententiarum c. de imaginibus ait: Fertur autem quædam hiſtoria, quod Dominus Abgaro regi, qui pictorem miſerat imaginem Domini figurare, ſimiliter nequeunte pictore propter coruſcantes a facie ejus claritates, ipſe veſtigium propriæ faciei divinæ & vivificæ ſuperimponens in veſtimento illius, ſui ipſius imaginem aſtrinxiſſe, & ita capienti Abgaro miſiſſe. Hæc Damaſcenus. rationem autem inſtitutionis ſanctarum imaginum Gregorius in regiſtro tangit ita dicens: Quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus, quia in iſta ignorantes vident quid ſequi debeant, in ipſa legunt qui litteras neſciunt. Unde præcipue gentibus pro lectione pictura eſt. Hæc ille. Et hoc conſonat dicto Damaſceni in ſuo 4. cap. de ſanctis imaginibus: ſic dicentis: Quia vero non omnes noſcunt litteras, neque lectioni vacant, patres excogitaverunt velut quoſdam triumphos in imagibus hæc deſcribere ad velocem memoriam. quapropter multotiens non ſecundum mentem habentes Domini paſſionem, imaginem crucifixionis Chriſti videntes & ſalutaris paſſionis in rememorationem venientes, procidentes adoramus. Hæc ille. Item Ezechiel juſſus eſt pingere tranſmigrationem Jeruſalem, ut populus videns, ſenſibilibus formis moveretur eam futuram cognoſcere, & fidem dare prophetis. Nam 12. cap. ejuſdem dicitur: *Tu ergo fili hominis fac vaſa tranſmigrationis, & tranſmigrabis per diem coram eis.* Ibi Hieronymus in commentario lib. 3. Quia ergo oculos habent ad videndum & non vident, aures ad audiendum & tua verba contemnunt, doce eos per imaginem atque picturam, & ſchematibus oſtende corporis, ut venturam captivitatem non ſolum auditu, ſed & oculis recognoſcant. Hæc Hieronymus. Patet ex hoc quod imago ad imitandum eſt inventa, & fortius monet quam ſcriptura aut verba.

Ut autem appareat Deum aliqua ſancta loca plus aliis honorare & imagines haberi in reverentia, duo teſtimonia preferantur, unum ex hiſtoria tripartita, alterum ex hiſtoria eccleſiaſtica, ex quibus monſtratur Deum ſpecialius in uno loco quam alio, aut in unius imaginis præſentia operari quam alterius. Refert Caſſiodorus lib. 6. hiſtoriæ tripartitæ. c. 43. quod Judæi acceperunt poteſtatem ſub Juliano apoſtata reædificandi templum Jeroſolimis in odium fidei: tamen venti, terræ motus & ignis de cavernis terræ exiliens, prohibuit. Unde ſic dicitur ibi: Cumque gipſi & calcis multa modiorum millia congregaſſent, ſcilicet Judæi, vis magna ventorum repente reſpirans, tempeſtates atquæ procellæ ſubito factæ, quicquid congregatum fuerat diſperſerunt. Adhuc autem veſanientibus eis, & nequaquam divina longanimitate correptis, maximus primo terræ motus factus eſt, & quiſquis non fuerat myſteriis divinis imbutus, vehementer attritus eſt, &c. ut ibi. Euſebius vero in 7. lib. eccleſiaſticæ hiſtoriæ c. 15. Narrat quod mulier curata a fluxu ſanguinis per Chriſtum, in domo ſua, in urbe Cæſareæ Philippi, erexit imaginem æream ad modum viri fimbrias in veſtimento habentis, quæ repræſentabat Chriſtum: fecit & alteram ad genua provolutam coram illa, ipſam mulierem figurantem, & ibi dicitur quod cum herba creſcit, quæ nullam habet ex ſe ſanandi virtutem, cum ad imaginem creſcit, poſt tactum illius omnes morbos languoreſque comprimit. Verba in forma dimitto cauſa brevitatis. Ibi quæran-

tur, quod utique, si imagines essent abjiciendæ, Deus fieri non permitteret. Sed nescio fortasse si diceretur hoc opus esse dæmoniorum sic ludificantium homines. Sed contra, quoniam doctor Eusebius vetus pater, non narrat hoc tamquam ludificationem, sed tamquam miraculum.

Quod si quis imagines Christi & sanctorum non debere permanere iterum affirmet, audiat decretum 8. synodi Constantinopolitanæ, factum in actione 8. ibi sic dicitur: Quoniam oportet nos majorum nostrorum statuta immoto mentis intuitu conservare, & in omnibus SS. Patrum semper dogmata venerari: definimus de sacris & reverendis imaginibus Domini nostri Jesu Christi ejusque semper virginis genitricis Mariæ omniumque sanctorum, qui Deo ab Abel justo placuisse creduntur, quæ ecclesia sancta in universo orbe diffusa antiquitus accepit, quæque sedis apostolicæ præsules eis decreverunt ac statuerunt illibata perstere atque intemerata manere. Quapropter Johannem quondam Constantinopolitanum & sequaces ipsius, qui eas frangendas atque calcandas esse ore polluto asseverant, quamdiu de his nobiscum non senserint, & juxta SS. pontificum Romanorum decreta & aliorum catholicorum patrum instituta non sapuerint, sancimus eos a Christo & ab ecclesia catholica atque apostolica anathema. Forte dicet quis quod maneant, non nego; sed quod sint adorandæ, non video. Ad quod confutandum sufficit mihi, etiamsi nulla ante fuisset allegata auctoritas, decretum sanctæ synodi Constantinopolitanæ 8. editum actione 10. ubi sic dicitur. Sacram imaginem Domini nostri Jesu Christi & omnium liberatoris & salvatoris æquo honore cum libro sanctorum evangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per syllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, salutem consequimur omnes: ita per colorum imaginariam operationem & sapientes & idiotæ cuncti ex eo quod in promtu est perfruuntur utiliter: Quæ enim in syllabis sermo, hæc & pictura, quæ in coloribus est, prædicat & commendat: & dignum est ut secundum congruentiam rationis & antiquissimam traditionem, propter honorem, qui ad principalia ipsa refertur, etiam derivativæ iconæ idest imagines honorentur & adorentur æque ut sacer sanctorum evangeliorum liber, atque typus pretiosæ crucis. Si qui ergo non adorat iconam Salvatoris Christi, non videat formam ejus, quando venerit in gloria paterna glorificari & glorificare sanctos suos; sed alienus sit a communione ipsius & claritate. Similiter autem & imaginem intemeratæ matris ejus & Dei genitricis Mariæ, insuper & iconas sanctorum angelorum depingimus, quemadmodum eos figurat verbis divina scriptura, sed & laudabilissimorum apostolorum, prophetarum, martyrum & sanctorum virorum simul & omnium sanctorum, & honoramus & adoramus, & qui se sic non habent, anathema sint a Patre & Filio & Spiritu-sancto.

De adoratione crucis & imaginis Christi hominis patientis in ea, vide Augustinum supra in positione fol. 17. *in originali in margine inferiori.*

Quod si causa informationis quæris: Quomodo possum imaginem adorare, cum sit lignum, æs aut alia materia? Respondeo, secundum duplicem viam. Prima est Thomæ & multorum sequentium cum in 3. declarantis quomodo est unus motus, qui est a termino a quo per medium, & in termino ad quem, unus scilicet secundum formam. Nam est eadem forma fluens secundum essentiam in medio & termino ad quem, quamvis differens secundum esse; & ita est eadem intentio venerantis seu adorantis transiens per imaginem usque ad prototypum, hoc est exemplar; ideo fundat quod eadem adoratione adoratur imago, & id cujus est imago exemplar ut quod, & sicut terminans motum adorationis, imago ut medium per quod, & tamquam vehiculum intentionis adorantis; & huic modo dicendi decretum synodi Constantinopolitanæ videtur consentire, cum dicit propter honorem, qui ad principalia ipsa refertur etiam derivative, iconæ honorentur & adorentur.

Altera via tenet, quod eis non debet adoratio exhiberi, sed ad præsentiam eorum adorantur illi, quorum sunt imagines. Unde Robertus Holcot super 1. Sapientiæ 13. *Infelices autem sunt, & inter mortuos est spes eorum, qui appellaverunt deos suos opera manuum suarum aurum & argentum*, dicit sic: Non video esse bene dictum pro nunc, quod eodem honore honoretur Deus & ejus imago. Unde videtur mihi esse dicendum, quod nec adoro imaginem Christi, quia lignum, nec quia imago Christi: sed adoro Christum coram imagine Christi, quia est imago Christi, & excitat me ad amandum Christum; & sic expono, ait iste doctor, Damascenum, Basilium, Thomam, & totum ritum ecclesiæ. Hanc sententiam videtur tenere cap. *Prælatum.* de consecrat. dist. 3. Primus modus est communior inter doctores. Secundus est facilior inter simplices, & sive hunc vel illum teneamus, semper habetur, quod coram eis signa & protestationes interioris cultus sunt exhibendæ, genua flectenda, luminaria possint offerri, quia aut eis, ut sunt medium ad exemplar veniendi; aut exemplari coram eis ista fiunt; & ita satis habetur de consecrat. dist. 3. *Venerabiles.* ex 7. synodo, ubi dicitur: Venerabiles imagines Christiani non deos appellant, neque serviunt eis, ut diis, neque spem salutis ponunt in eis, neque ab eis exspectant futurum judicium: sed ad memoriam & revocationem primitivo-

» rum venerantur eas & adorant, ſed non ſer-
» viunt eis cultu divino, nec alicui creaturæ.
» Adorantes autem illas modo dicto, non imi-
» tantur Aaron & Jeroboam, quia ſub illis
» populus *vitulos* adorabat cultu divino, hoc
» eſt quod vituli aut vitulus exhibitionem re-
» verentiæ, quæ adoratio dicitur, terminabat,
» nec ad alium ultra referebat illam: ideo ido-
» latrabant. Non ſic populus fidelis, quia nec
» ad idolatriam eſt pronus, ut tunc erat, nec in
» imaginibus ſiſtit; ſed ad Deum & ſanctos ten-
» dit ex inſpectione imaginum. Ideo bene rex
» Ezechias exceſſa & aras lucoſque & ſerpen-
» tem æneum, quem fecerat Moyſes, deſtru-
» xit; quia populus in illis idolatrabat, & mœ-
» chabatur ſpiritualiter. Item, quia populus ad
» hanc fornicationem nimis pronus erat. Non
» ſic modo: Et ſi aliquis abutatur in adoran-
» do imaginem, non ideo conſtringenda eſt
» imago, quia utilis eſt aliis. Poteſt etiam de
» facili iſte reduci; quia non eſt pronus ad ido-
» latriam, ut populus ille. Per iſta patet ad ali-
qua per opponentem dilectum tacta, quid dicendum.

Nunc audiviſtis, patres digniſſimi, ſex puncta in quibus contrariamur, & altera vice etiam ſex. Oro Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, ut ſic dirigat omnium corda, quatenus veritas prævaleat, & omnis animoſitas deponatur. Non eſt pax in extremo. Veniat igitur opponens ad medium, & mox concordabimus. Si reformationem quærat morum, illam etiam quæro. Tollantur igitur iſta nova dogmata, & veritas per me, ut potui, explicata teneatur. Si quid corrigendum eſt in dictis meis, adeſt ſancta ſynodus, emendari cito poterit, ad componendum mores paratiſſima: quam reformationem in utroque ſtatu donet nobis Dominus ex alto, cooperante hac congregatione ſancta, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

* *al.* Finis reſponſionis præmiſſæ, propria manu auctoris ſcriptæ.

* *Finis replicæ & reſponſionum ad replicas domini Nicolai de ſecta Taboritarum, electi, ut Bohemi aſſerebant, in epiſcopum ipſorum Taboritarum, compoſitarum per magiſtrum Ægidium Carlerii ſacræ theologiæ profeſſorem, in præſentia ſacri Baſileenſis concilii, coram legatis Bohemiæ expoſitarum, anno Incarnationis Domini* MCCCC XXXIII. *menſe Aprilis.*

REPLICA DOMINI WLRICI de ſecta Orphanorum,

Contra dicta magiſtri Kalciſem ordinis Prædicatorum facta.

Ex mſ. cid. regii collegii Navarræ.

IN nomine Domini JESU CHRISTI. Amen.

Quia veritas ſæpius exagitata ſplendeſcit in lucem 35. q. 9. & oppoſita juxta ſe poſita magis elucеſcunt, dicit Philoſophus; ideo acceſſurus cum Dei auxilio ad replicam contra dominum *honorandum*, dominum Henricum ſacræ paginæ profeſſorem, & ipſius poſitionem, in qua nititur articulum noſtrum tertium infringere, ac dicta mea pro veritate ejuſdem tertii articuli pro poſſe, licet debiliter, propoſita evellere, cum ſim vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis, omnes videntes me, deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput, pſalm. 21. proponentium opponentiumque dominorum meorum & patrum cum ſim minimus; ideo plus illis indigeo ſapientiam, ne fallam aut fallar in proponendis. Poſtulo itaque a Deo, a quo eſt omnis ſapientia, nihil hæſitans, & exclamo cum pſalmiſta, dicens: *Non derelinquas me, Domine Deus meus, ne diſceſſeris a me; intende in adjutorium meum, Domine ſalutis meæ.* pſal. 38. Et ſpero quod exaudiet clamorem meum, dicente Prophetа: *In te ſperaverunt patres noſtri; ſperaverunt, & liberaſti eos; ad te clamaverunt, & ſalvi facti ſunt; in te ſperaverunt, & non ſunt confuſi.* pſal. 21. In ipſius ergo nomine prothemate dicendorum offerunt ſe verba, quæ ſcribuntur Johan. 2. cap. ſub hac forma:

Dixit mater ejus miniſtris: Quodcumque vobis dixerit, facite. Ad litteram verba ſunt benedictæ MARIÆ Virginis ad miniſtros nuptiarum, in quibus quidem verbis ipſa Virgo plena gratiâ nos edocet, ut in noſtris faciendis ipſum Dominum noſtrum JESUM, fructum beatæ Virginis benedictum, audiamus, dicens: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Ipſa enim beata Virgo honorem filio debitum nolebat ſibi aſcribere, ſed dixit miniſtris: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Ad iſtud etiam eſt vox Patris dicentis, ut habetur Matt. 17. cap. *Hic eſt Filius meus dilectus, audite eum.* Et merito dicta iſtius benedicti Filii facienda ſunt: nempe dicta ipſius utilia quoad doctrinam, facilia quoad impletionem, pœnalia quoad tranſgreſſionem.

Dixi primo, quod dicta Chriſti ſunt utilia quoad doctrinam; de hoc habetur Iſaiæ 48. *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia.* Quid, inquam, utilius, quam facere bonum & cavere malum? & utrumque docet Dominus, Iſaiæ cap. 1. dicens: *Quieſcite agere perverſe, diſcite bene facere;* & per Pſalmiſtam: *Diverte a malo, & fac bonum.* Item Luc. 17. *Cavete ab omni avaritia:* & ibid. 10. cap. *Fac hoc, & vives.* Dicere ergo, quod inſtructio & mandatum Chriſti ſit nocivum & inutile, non eſt hominis ſanæ mentis coram Deo.

Dixi ſecundo, quod dicta Chriſti ſunt facilia quoad impletionem, juxta illud 1. Johan. 5. cap. *Hæc eſt caritas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt.* Hinc dixit ipſe Salvator noſter, ut habetur Matt. 11. *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris: jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.*

» Auguſtinus: » Amanti quid enim quæſo levius, quidve dulcius, quam implere mandata Domini, dicente Eccleſiaſtico 23. cap. *Nihil melius quam timor Dei, & nihil dulcius quam reſpicere in mandatis Domini, & gloria magna eſt ſequi Dominum?* Ex quo patet, quod communicare cunctos Chriſti fideles utrique ſacramento duplicis ſpeciei, panis ſcilicet & vini, cum ſit inſtructio & mandatum Chriſti, leve eſt facere & dulce Domini ſacerdoti. Quod autem ſit mandatum Domini deductum eſt, & patet etiam per apoſtolos 1. Cor. 14. *Si quis videtur propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat quæ vobis ſcribo, quia Domini ſunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Nec debet fidelem abſtrahere ab ipſa ſacra communione utriuſque ſpeciei quorumdam fictitium, ſcilicet longæ barbæ virorum, pepla mulierum, periculum effuſionis, aut error infideliratis; cum ſacerdotes fideles, ſcientes Dominum & officium ſuum, ad Apoſtolum habentes fidem, & reverentiam ad ſacramentum venerabile, ſicut in aliis, ſic & in iſto populum laïcalem ad reverentem & condignam ſacramenti ſumtionem debeant edocere. Sic etiam patet, quod peccata publica, & quantum poteſt fieri etiam occulta, verbo Domini ordinate deſtruere; item verbum Dei libere ac fideliter annuntiare, cum ſit præceptum Domini ſacerdoti Chriſti, dulce eſt atque leve. Quid inſuper levius ac dulcius ſacerdoti Domini, quam dimiſſo ſæculari ſeu civili dominio, cum ſit Chriſti prohibitio, in paupertate evangelica & apoſtolica Domino Deo deſervire?

Præterea dixi tertio, quod dicta Chriſti Domini ſunt pœnalia quoad tranſgreſſionem: ipſorum enim finalis tranſgreſſio pœnam inducit, hoc eſt in futuro. Unde in pſal. 88. dicitur: *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint; ſi juſtitias meas prophanaverint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Et in Levitico 26. cap. dicit ipſe Dominus per Moyſen: *Quod ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea; ſi ſpreveritis leges meas, & judicia mea contemſeritis, ut non faciatis ea, quæ a me conſtituta ſunt, & ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hoc faciam vobis. Viſitabo vos velociter in egeſtate & ardore, qui conficiat oculos veſtros, & conſumat animas veſtras. Fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruere faciam coram hoſtibus veſtris, & ſubjiciam his qui oderunt vos. Fugietis, nemine perſequente; & ita quod ſi ambulaveritis ex adverſo mihi, ego quoque contra vos adverſus incedam, & percutiam vos ſepties propter peccata veſtra, inducamque ſuper vos gladium ultorem fœderis mei; cumque confugeritis in urbes, mittam peſtilentiam in medio veſtri, & trademini hoſtium manibus, poſtquam confregero baculum panis veſtri.* Et ſequitur: *Cadetis inter ruinas idolorum veſtrorum, & abhominabitur vos anima mea, in tantum, ut urbes veſtras redigam in ſolitudinem, & deſerta faciam ſanctuaria veſtra, nec recipiam odorem ultra ſuaviſſimum. Diſperdam terram veſtram, & ſtupebunt ſuper ea inimici veſtri.* Hæc ibi. Ecce pœna tranſgreſſionis Domini mandatorum. Et Iſaias 1. *Dicit Dominus: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum eſt.* Unde audenter dico, ſalva tamen reverentia & ſupportatione patrum benigna, quod ſi iſtud venerandum concilium una cum regno noſtro Bohemiæ ac ejus ambaſſiatoribus, non fecerimus finaliter quodcumque dixerit nobis ipſe Dominus, pœnam minime hic aut in futuro evademus. Dicitur enim Job 36. cap. *Si audierint & obſervaverint, complebunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloria. Si autem non audierint, tranſibunt per gladium, & conſumentur ſtultitia.* Et hinc merito dixit mater ejus miniſtris: *Quodcumque dixerit vobis, facite, &c.* Quæ fuerunt verba veſtris paternitatibus ac dominationibus propoſita ſecundum poſſe.

In ipſius ergo Christi Jesu Virginis benedictæ filii nomine, jam accedo ad factum in ſe, obſervaboque, Deo propitio, hunc ordinem.

Primo, quod propoſita pro articulo noſtro tertio, quæ religioſus noſter dominus Henricus impugnat, adhuc ſcripturis canonicis, auctoritatibus ſanctorum & rationibus, ut firmior appareat ipſius articuli veritas, confirmabo.

Secundo, circa hoc ad dicta in contrarium opponentis, prout Deus ex alto inſpiraverit, reſpondebo. Quamquam autem venerandus doctor fortiter impegerit in articulum noſtrum tertium, tamquam fortis armatus, non tamen cecidit, ſcilicet articulus noſter: eſt enim fundatus ſupra firmam petram, ſcilicet legem Dei, praxim Chriſti & primitivæ eccleſiæ, &c. prout oſtenſum eſt in ipſius articuli noſtri deductione.

De illa conſequentia: Hoc mandat Christus Jesus, ergo faciendum. Hoc prohibet Christus Jesus, ergo non faciendum, ſatis notabile eſt apud me, quod venerabilis dominus opponens immoratus eſt circa illam conſequentiam, Hoc mandat, &c. Æſtimo quod cogitaverat ipſam eſſe quaſi fundamentum poſitionis meæ. Volens ergo deſtruere ædificium poſitionis, ſedit circa fundamentum, ſciens quod ſi ipſum corruerit, ruet & poſtea tota ſtructura. Dixit ergo imprimis: Iſta conſequentia non valet apud me: igitur, &c. Ibi dico, quod non ſequitur: apud me non valet hæc conſequentia, igitur non valet. Nam ſimili forma retenta non ſequitur: Iſte homo apud me non eſt Catholicus: igitur iſte homo

homo non est Catholicus. Similiter: Iste homo apud me non dicit veritatem; igitur iste homo non dicit veritatem. Et merito non valet. Arguitur enim ab inferiori ad superius negative, & talis consequentia apud laïcos declinatur.

Quod autem ista consequentia: Hoc dicit Christus Jesus, ergo verum, &c. sit melior illa: Hoc dicit Romanus pontifex, ergo verum, &c. probatur, & suppono, quod impossibile est Deum mentiri. Ad Hebr. 6. & Num. 23. *Non est Deus ut homo, ut mentiatur.* Suppono secundo, quod omnis homo est mendax. Patet ad Rom. 3. *Est autem Deus verax, omnis homo mendax.* & psal. 15. Quibus suppositis, valet assumtum fore verum. Confirmatur exemplariter. Papa mandat venerandum concilium transferri Bononiam: ergo est faciendum. Verum magister in scripto sic arguit: Papa mandat hoc, & in lege Domini saltem expresse se veraciter non fundat, dummodo contra mandatum Domini non præcipiat, neque contra sacrorum generalium conciliorum statuta, quod ergo præcipit hoc est faciendum. Respondeo, secundum Hieron. scripturæ sacræ auctoritatem non habens, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Unde circa multos fideles theologos, soli Christo hoc est proprium inter homines concludere absque medio, ut hoc: Dicit Christus Jesus, ergo verum, &c. Non sic autem de puro homine sequitur formaliter. Nam si hoc non sequitur universaliter de ecclesia, multo minus de aliqua persona singulari. Quod autem non sequatur universaliter de ecclesia, patet extra de sententia excomm. Amb. ubi dicitur: Judicium » Dei veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, semper innititur. Judicium autem ecclesiæ non- » numquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli; propter quod interdum evenit, ut qui ligatus sit apud Deum, » apud ecclesiam sit solutus; & qui liber est » apud Deum, ecclesiastica sententia sit innodatus.

Et tunc ad objectionem de Abraham, quam adducit dominus opponens ex primo libro Sententiarum dist. 15. cap. antepenultimo, dico quod stat in æquivoquo cum articulo meo, ego intelligo de mandato & prohibitione proprie dicta, prout scilicet obligant ad faciendum aut non faciendum. In objectione autem sumuntur ista minus proprie, & sic fit. . . . . quid in malo, fallacia est consequentis.

De cæco autem sanato, dico quod, ut habetur Matt. 9. dicuntur fuisse duo; unde ibidem dicitur: *Secuti sunt duo cæci, clamantes & dicentes: Miserere nostri, fili David. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum, & dixit eis* Jesus: *Creditis quod possum hoc facere vobis? Dicunt ei utique, Domine; tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem ve-*

A *stram fiat vobis, & aperti sunt oculi eorum; & comminatus est illis* Jesus: *Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.* Hæc ibi. Ubi doctor noster de Lira: Sed quæritur, quomodo fecerunt « contrarium ejus quod dixerat eis Christus? « aut voluit fieri quod dixit eis, aut non: si vo- « luit, sequitur quod fecerunt contra præcep- « tum ejus, & sic peccaverunt, quod tamen « non videtur; quia non fuissent digni sanatio- « ne. Si autem noluit, sequitur quod Christus « mendax est, vel duplex voluntas in verbis « fuit, quod est impossibile. Dicendum quod « B in Christo ponitur duplex voluntas, sicut & « natura: una divina & est duplex, una signi « & altera beneplaciti. Voluntas enim bene- « placiti est, qua vult aliquid simpliciter & « absolute, & sic Christus voluit miraculum « publicari, quia contra voluntatem signi. Alia « autem fuit voluntas in Christo humana, & « sic Christus voluit quodam modo miraculum « publicari, quia voluit publicari ad Dei glo- « riam. Noluit autem hoc, ut ostenderet lau- « dem humanam esse fugiendam, sicut sunt « etiam aliqua, quæ sunt partim voluntaria & « C partim non voluntaria, ut dicitur 3. Ethico- « rum: Sicut ille qui projicit merces in mare, « vult & non vult projicere diversis respecti- « bus, quia non vult absolute; vult tamen in « tali casu positus. Hæc ille. Et sic patet solu- « tio ad illam objectionem.

Consequenter venerabilis dominus proponens notavit aliqua de hoc nomine, Papa, dicens quod ipsum non est nomen ordinis seu jurisdictionis & officii; & dato quod sit malus in moribus, quamdiu est fidelis, potest dici sanctus & sanctissimus, &c. ibidem. Ibi D noto, quod hoc nomen, Papa, non exprimitur in scriptura sacra, sed est sumtum ab interjectione, Papæ, quæ admirationem significat. Unde secundum hoc eis proprie convenit, qui in conversatione sunt admirabiles sanctitate. Ad quem sensum Jesus Christus Dominus noster est summus papa possibilis in genere humano, cum de eo scribitur Isaiæ 9. *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Princeps pacis, &c.* Olim autem vocati sunt quicumque sancti episcopi, papæ: unde epistola 8. Hieronymus ad Augustinum: Domino vere sancto & beatis- « simo Augustino papæ Hieronymus salutem. « E Item, Augustinus epistola 18. ad Paulinum « sic loquitur: Libros beati papæ Ambrosii « credo habere sanctitatem tuam. Item, epist. « 10. ad Aurelium scribunt Alphinus & Au- « gustinus: Domino beatissimo papæ Aurelio, « nec fuit iste Aurelius papa episcopus Roma- « nus. Item, Bonifacius comes epist. ad Au- « gustinum, dicit: Ora, venerabilis papa, ut « talis de inimicis ultio procedat. unde & Græ- « ci vocant cunctos presbyteros papas. Communiter tamen papa accipitur pro persona, quam occidentalis ecclesia pro Romano epis-

copo acceptat, qui, ut ſit verus papa tam
meritо, quam officio & ordine, deberet Petri conſiderare conditiones & Pauli, & ipſos, quantum poſſibile eſt, veraciter imitari tam in vita, quam in doctrina, ut de ipſo poſſit verificari ſingulariter illud Pſalmiſtæ: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii.* Et ad hoc eſt canon ſub auctoritate Hieronymi, dicens:
» Non eſt facile ſtare in loco Petri & Pauli,
» ſcilicet tenere cathedram cum Chriſto regnantium; quia hinc dicitur: Non ſanctorum
» filii ſunt, qui tenent loca ſanctorum, ſed qui
» exercent opera eorum, & habetur diſt. 40. *Non eſt.* Et fundatur iſte canon ſuper illo verbo Johan. 8. *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ*
» *facite.* Ubi dicit doctor N. Gorra: Alioquin
» fruſtra gloriabimini. ſic & in propoſito poteſt
» applicari. Et ad idem eſt Gregorius ita dicens:
» Nos qui præſumus, non ex loco vel generis
» dignitate, ſed morum nobilitate innoteſcere
» debemus; nec urbium claritate, ſed fidei puritate. & ponitur 40. diſt. *Nos qui.* Idem Anaſtaſio preſbytero: Non loca vel ordines Creatori noſtro nos proximos faciunt; ſed nos aut
» merita bona conjungunt, aut mala disjun-
» gunt. ponitur eadem di. *Non loca.* Hinc idem Gregorius ad Eulogium patriarcham Alexandrinum, qui ipſum in ſcriptis vocaverat uni-
» verſalem papam, ita dicit: Ego non verbis
» quæro proſperari, ſed moribus. Et infra: Re-
» cedant verba quæ unitatem inflant, caritatem vulnerant. Hæc ille. & ponitur diſt. 19. Ecce bonitas etiam papæ eſt quaſi ſalus omnium, & perverſitas illius cedit in damnationem innumerabilium perſonarum. Unde ex
» geſtis Bonifacii martyris: Si papa ſuæ & fra-
» ternæ ſalutis negligens deprehenditur, inu-
» tilis & remiſſus in operibus ſuis, & inſuper a
» bono taciturus, quid magis officit ſibi & om-
» nibus? nihilominus innumerabiles populos
» catervatim ſecum ducit; & ponitur diſt. 40. *Si papa.* Et ad idem eſt Gregorius in Paſto-
» rali c. 2. dicens: Paſtores, inquit, perverſi
» in moribus, quod verbis prædicant, moribus
» impugnant. Unde ſit cum paſtor per abrupta
» graditur ad præcipitium, grex ſequitur. Hæc ille. Ipſe enim præ aliis Chriſtianis debet habere zelum Chriſtianæ religionis. Unde Ju-
» lius papa: Officii noſtri conſideratione, non
» eſt opus nobis diſſimulare, non eſt tacere li-
» bertas, quibus major cunctis Chriſtianæ re-
» ligionis zelus incumbit, & habetur 24. qu. 1. *Officii.*

Adhoc autem quod dicit Dominus doctor papam ſanctum, ſanctiſſimum aut beatiſſimum. dato quod ſit malus moribus, ibi dico, quod ſanctitas eſt duplex, ſcilicet ſanctitas innocentiæ, quæ tantum bonis convenit, & ſanctitas ſacramentalis, quæ quandoque malis convenit. Unde Auguſtinus contra Petilianum ponens exemplum quoad hoc
» de Saule, ita dicit: Item ſi Saül non habe-
» bat ſacramenti ſanctitatem, quid in eo ve-

A nerabatur David? ſi autem habebat innocentiam, quare innocentem perſequebatur? « Nam cum propter ſacramenti unctionem & « honoravit vivum & vindicavit occiſum, & « quia vel panniculum de veſte ejus abſcidit, « percuſſo corde trepidavit. Ecce Saül non ha- « bebat innocentiam & tamen habebat ſancti- « tatem, non vitæ ſuæ. Nam hæc ſine inno- « centia haberi non poteſt; ſed ſacramenti « Dei, quod in malis hominibus ſanctum eſt. « Et ponitur 1. q. 1. Ex quo patet quod dicimus de ſanctitate papæ, dato quod ſit in moribus malus. Credere ergo aliquem ſanB ctum aut ſanctiſſimum, qui tamen ſanctus non eſt, periculoſum. Propter quod dicit Hieronymus ſuper epiſtolam Pauli ad Philemonem: Si quis dixerit juſtum injuſtum, & « injuſtum juſtum, abhominabilis eſt utique « apud Deum. Similiter qui ſanctum dicit non « ſanctum, & rurſum qui non ſanctum aſſerit « ſanctum abhominabilis eſt apud Deum. Et « ponitur 11. q. 1. *Si quis hominem.* Ubi dicit gloſſa Jo. ſuper verbo *dixerit*: id eſt firmiter aſſeveraverit, cum non ſit certus. Bonum ergo eſſet dominis prælatis talia nomina, maxime ſuperlativi gradus, in timore C Domini acceptare, immo ſecurius cum Petro reſpuere Act. 10. & ſpecialiter ſi vita cum nomine non concordat. Ad tantum enim quidam videntur vendere oleum adulationis, ut non ſolum vivis, immo & defunctis non niſi verbis applauſivis & in ſuis allegationibus conentur velle complacere, de quo Jerem. 5. *Prophetæ prophetabant mendacium & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia.* Hinc quaſi præmuniens Dominus dixit Iſaiæ 3. *Populе meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* ſtat ad judicandum Dominus, utinam utcumque non imD pleatur illud quod dicit Dominus Iſaiæ 9. *Et erant qui beatificabant populum iſtum ſeducentes, & qui beatificant præcipitati.* Non iſtum modum habuere ſancti apoſtoli, prout dicit B. Petrus in ſua ſecunda canonica cap. 3. *Domini noſtri longanimitatem ſalutem arbitremini, ſicut & cariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis.* Et Jacob. 5. *Exemplum accipite, fratres, prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini.* Ecce modus allegandi apoſtolorum.

Ad illud quod ſubdit dominus doctor oppoE nens, quod papa etiam malus in moribus, poteſt dici ſanctus aut ſanctiſſimus, &c. Sed ex ſanctificandi alios officio, adducit textum Num. 18. *Dixit Dominus ad Aaron: Tu & filii tui & domus patris tui portatis iniquitatem ſanctuarii*, &c. Et infert dominus opponens, ſi ſanctuarium, quomodo habet iniquitatem? Et ſi ſancti ſunt; quomodo habent peccata? Poſſet dici quod peccata ſtant cum ſanctitate. Patet. Nam apoſtoli Domini poſt miſſionem Spiritus-ſancti erant ſancti & tamen peccatum ha-

bebant de poſſibili, ut patet de Petro ad Gal. 2. Unde Johan. 1. dicitur: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Sed ut intelligamus illam auctoritatem Numeri, Nicolaus de Lira ſic » ipſam exponit: Tu & filii tui & domus patris » tui: *Portabitis iniquitatem ſanctuarii*, id eſt » habebitis illa quæ offeruntur in ſanctuario » pro peccatis populi, ut exponunt aliqui. Sed » iſta expoſitio non videtur conveniens, quia » portare ſeu ſuſtinere deſignat opus impoſi- » tum. Receptio autem oblationum non eſt » ſacerdotibus oneroſa. Ideo autem exponitur » referendo ad finem capituli præcedentis, ubi » quæritur remedium contra periculum mor- » tis in populo, ſi aliqui indebito accederent » ad divina, ut ſit ſenſus: Tu & filii tui ſuſtine- » bitis peccata ſacerdotii veſtri, & ſi qui ſe » ingerant per veſtram negligentiam, non ſo- » lum punientur pro ſua temeritate; ſed & vos » pro veſtra neligentia; & ideo nobis incum- » bit onus arcendi eos, & negligenter præca- » vendi ne aliquis accedat. Hæc ille. Ex quo patet quod ille textus Numeri minus bene eſt adductus ad propoſitum, ut videtur.

De ſanctificatione vero dico, quod ſanctificatio vere activa proprie & auctoritative convenit ipſi Deo. unde Levitici 20. *Cuſtodite præcepta mea & facite ea, quia ego ſum Dominus, qui ſanctifico vos.* Quid autem in illa materia in ſanctificatione activa dicat Auguſtinus, audiat Dominus doctor. Unde Auguſtinus in homilia, *Rogabat* JESUM *quidam phariſæus*, &c. ſuper verbo: *Remittuntur ei peccata*; declarans quod purus homo non poteſt dimittere peccata, & quod phariſæus minus malus fuit, credens Chriſtum hominem purum, non poſſe dimittere peccata, quam hæreticus, dicens ſe hominem » dimittere peccata. Loquitur iſto modo: Pha- » riſæus melior, quia cum putaret hominem » Chriſtum, non putabat ab homine poſſe di- » mitti peccata. Melior ergo Judæis quam hæ- » reticis apparuit intellectus. Judæi dixerunt: » Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit? Au- » det ſibi homo hoc uſurpare. quid contra hæ- » reticus? Ego dimitto, ego mundo, ego ſan- » ctifico. Reſpondeat illi, non ego, ſed Chri- » ſtus. O homo quando ego Judæis putatus » ſum homo, dimiſſionem peccatorum fieri a » me non putabant. non ergo mihi, ſed reſ- » pondeat tibi Chriſtus: o hæretice, tu cum » ſis homo, dicis: veni mulier, ego te ſalvam » faciam: ego cum putarer homo, dixi: vade, » mulier, fides tua te ſalvam fecit. Hæc ille. Item idem Auguſtinus de Verbis Domini ſuper Johannem ſermone 8. ſuper illo verbo Johan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me, venit alius in nomine ſuo, & illum accipietis, quomodo poteſtis vos credere qui gloriam ab invicem accepiſtis, & gloriam quæ a ſolo Deo eſt non quæritis?* dicit: » Quid eſt aliud ignorare Dei juſtitiam & ſuam velle conſtituere, niſi dicat: ego ſanctificabo, ego juſtificabo, quod ego dedero hoc ſanctum. dimitte Deo quod Dei eſt, agnoſce homo quod hominis eſt. Ignoras Dei juſtitiam & tuam visconſtituere, juſtificare vis; ſufficit tibi, ut mecum juſtificeris. De antichriſto dictum eſt; hoc & omnes ſic intelligunt, quod ait Dominus: *Ego veni in nomine Patris mei & non ſuſcepiſtis me; ſi alius venerit in nomine ſuo hunc ſuſcipietis.* Sed audiamus & Johannem *audiſtis*, inquit, *quia antichriſti multi facti ſunt.* Quid autem expaveſcimus in antichriſto, niſi quia nomen ſuum honoraturus eſt, & nomen Dei contemturus. Et quid aliud fecit qui dicit; Ego juſtifico? Reſpondetur ei: Ego ad Chriſtum veni, ubi evangeliſum audivi, ibi credidi, ibi baptizatus ſum, quia in Chriſtum credidi, & ille non eſt mundatus. Quare? quia ibi non fui; dic quare non ſum mundatus, quia baptizatus ſum in Jeruſalem. Ubi gratia? Apud Epheſios, quorum epiſtolam & pacem ſpernis. Ecce ad Epheſios ſcripſit apoſtolus, fundata eſt eorum eccleſia, manet uſque nunc uberius & multiplicius tener quod accepit ab apoſtolo: Si quid annuntiaverit vobis præter quod accepiſtis, anathema ſit. Quid ergo dicis mihi, quod mundus non ſum? Etiam, non es. Quare? quia ego ibi non fui. Sed qui ubique eſt ibi fuit. Et infra. Ecce eſt alius qui venit in nomine ſuo: ergo oblitus ſum fundamentum meum. Nonne petra erat Chriſtus? Nonne qui ædificat ſupra petram ipſum non dejecit ventus, neque pluvia, atque flamma. Veni ergo mecum ſupra petram, & noli mihi eſſe velle pro petra. Hæc Auguſtinus. Ex quo patet notabiliter quid ſit ignorare Dei juſtitiam & ſuam velle ſtatuere, niſi dicere: Ego ſanctifico, ego juſtifico quæ eſt concordatio antichriſti ut dicit Auguſtinus. non ergo cautius eſt, quam dimittere Deo quod Dei eſt, & agnita propria indigentia, currere ad ipſum Deum meritorum paſſibus, ut ſimul ab eo juſtificemur. Secunda conditio antichriſti, ut tangit Auguſtinus, velle hominem eſſe pro petra, cum tamen *petra erat Chriſtus.* Et ideo concludens Auguſtinus dicit: Veni ergo ſupra petram, &c. Et ſi aliquis objiceret illud Exodi 19. ubi Dominus dixit Moyſi: *Vade ad populum, & ſanctifica illum*, &c. Ibi dicit doctor Nic. de Lira; hic accipitur ſanctificatio pro munditia, quia ſanctum in una ſignificatione idem eſt quod mundum. Et ſuper verbo ſanctificavit eum, dicit denuntiando, quod mundaretur. Et hoc nota pro ſimilibus textibus.

Ulterius dicit honorabilis Dominus opponens; ſic & concilia generalia dicuntur ſancta & ſanctiſſima, &c. Ibi dico: dato quod aliquod generale concilium & omnes perſonæ inibi exiſtentes ſint non ſanctæ, unde debeo ſcire quod Spiritus illi concilio infalliliter aſſiſtat? cum dicatur Sapientiæ 1. *In*

malitiæ lam animam non introibit ſapientia, nec habitat in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe a cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu.

Conſequenter dicit Dominus opponens, quod papa propter admirandam ſuæ poteſtatis excellentiam, prope Chriſtum attingit. Ibi dico, quod poteſtas papæ non eſt ſupra Deum, nec æqualis; nec ſupra Chriſtum, nec ſupra apoſtolos. Utinam ipſis apoſtolis ſit æqualis. Et quia poteſtas apoſtolorum non erat in deſtructionem, ſed in ædificationem, oportet quod poteſtas papæ ſit non in deſtructionem, ſed in ædificationem. Cum enim poteſtas papæ ſit poteſtas, non eſt niſi a Deo, ad Rom. 13. quæ autem a Deo ſunt, a Deo ordinata ſunt, ut dicitur ibidem, & ipſam papæ poteſtatem oportet eſſe ordinatam. Secundum menſuram donationis Chriſti, non immenſum ſe extendentem, quæ erit conditio antichriſti, de quo, ad Theſſal. 2. dicitur: *Quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus.* Et Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris*, &c. ſequitur: *Qui dicebas in corde tuo in cœlum conſcendam, ſupra aſtra cœli exaltabo ſolum meum, ſimilis ero Altiſſimo*, &c.

Nota etiam circa illud ubi dicit doctor: Quod papa propter admirandam ſuæ poteſtatis excellentiam prope Chriſtum attingit; dico quod quidam opinantur, quod excellentia poteſtatis papæ ultra Chriſtum attingit in hoc quod papa de inhabili poteſt facere habilem, de illegitimo legitimum, de juvene annoſum, mutare leges & canones, quæ tamen Chriſtus in humanis non potuit, ut videtur, ſaltem de potentia ordinata. Sed iſtam opinionem non approbo, niſi probata fuerit ex lege Dei & dictis ſanctorum veraciter ſe fundantium in eadem. Et dico quod excellentia poteſtatis papæ prope Chriſtum attingit, tamquam terra prope cœlum, tam quoad divinitatem, quam quoad Chriſti humanitatem. quoad divinitatem notum eſt, juxta illud: *Sicut exaltantur cœli & terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ a viis veſtris & cogitationes meæ a cogitationibus veſtris*, Iſaiæ 55. Quoad humanitatem etiam patet, quia ſolo juſſu dæmonia ejiciebat, cœcorum oculos aperiebat, tactu leproſos febricitantes ſanabat, verbo mortuos ſuſcitabat, & ſic de aliis. Immo etiam peccata potentialiter dimittebat. Matt. 9. *Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paraclito: ſurge, tolle lectum tuum*, &c. Hinc dicebat, ut habetur Matt. ultimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Et ad Philip. 3. *Exaltavit illum Deus, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*, &c. Nullum autem iſtorum datum eſt papæ generaliter & abſolute. Igitur, &c.

De legibus autem condendis dicit Urbanus papæ: Sunt quidam dicentes Romano pontifici ſemper licuiſſe novas condere leges, quod & nos non ſolum non negamus, ſed etiam valde affirmamus. Sciendum vero ſummopere eſt, quod inde novas leges condere poteſt, unde evangeliſtæ aliquid nequaquam dixerunt; ubi vero aperte Dominus, vel ejus apoſtoli, & eos ſequentes patres ſancti ſententialiter aliquid diffinierunt, ibi non novam legem Romanus pontifex dare: ſed potius quod prædicatum eſt, uſque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt apoſtoli & prophetæ, deſtruere, quod abſit, niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur, ſed hoc procul ſit ab eis, qui ſemper Domini eccleſiam contra luporum inſidias optime cuſtodierunt 25. q. 1. *Sunt quidem.* Et propter iſta excellentiæ poteſtatis attributa, ſequuntur apud ſimplices, imo aliquando & apud doctos multa inconvenientia; ut inordinatus reſpectus, obedientia inordinata, proſtratio uſque ad oſcula pedum beatorum. Non ſic faciebat Petrus verus Chriſti vicarius. Nam Actuum 10. dicitur: *Et factum eſt cum introiſſet Petrus, obvius ei venit Cornelius, & procidens ad pedes ejus adoravit. Petrus vero elevavit eum dicens: Surge, & ego ipſe homo ſum.* Et iſtud penſavit humilis papa Gregorius 21. Moralium, qui volens prælatos ad humilitatem reducere, dicit: Hinc eſt, quod primus eccleſiæ paſtor, cum, adorante ſe Cornelio, ſupra ſe videret ſibi honorem oblatum, ad qualitatem conditionis ſuæ recurrit dicens: *Surge & ego ipſe homo ſum.* Quis enim neſciat, quod homo conditori ſuo debeat, & non homini proſterni; hæc ille. Similiter apoſtolus, enumerata gloriatione ſua, dicit ut habetur 2. ad Corint. 12. *Nam & ſi voluero gloriari, non ero inſipiens, veritatem enim dicam: pro eo autem ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Et propter talia adulatoria attributa, merito vitæ contradicente, aliquando Deus juſto judicio permittit caſus horrendiſſimos, ut patet de Domino Johanne XXIII. qui erat Baltazar de Coſſa, depoſito in concilio Conſtantienſi, ſic de his caſibus non immerito poſſet dici illud Daniel 14. *Ecce quem colebatis.* Contra Dominus opponens pro illa admiranda excellentia poteſtatis papæ adducit dictum Salvatoris Matt. 23. *Super cathedram Moyſi*, &c. Et quia illa auctoritas multum videtur facere pro excellentia prælatorum, ideo aliquid pro ejus intelligentia jam adducam. Doctor Nic. de Lira ſic exponit: *Super cathedram Moyſi*, &c. id eſt in auctoritate judicandi populum ſedebant ſcribæ & phariſæi, quia illi qui videbantur in populo magis periti ad hoc eligebant. Omnia quæcumque dixerint vo-

» *bis facite*, quia prælatis etiam malis eſt obe-
» diendum, non in his quæ ſunt manifeſte con-
» tra Deum, & ſunt habendi in reverentia
» quamdiu tolerantur in officio ſuo, quod pa-
» tet per exemplum David, qui reverebatur
» Saülem regem, licet ſciret eum eſſe malum
» & a Deo reprobatum. *Secundum opera illo-*
» *rum nolite facere*; quia non ſunt imitandi in
» malis, immo tantum in bonis. Hæc ille.
» Chryſoſtomus vero ſuper Matt. 23. c. de
» opere imperfecto ſic dicit: Videte quomodo
» ſedeatis ſuper cathedram, quia non cathe-
» dra facit ſacerdotem; ſed ſacerdos cathe-
» dram. Non locus ſanctificat hominem, ſed
» homo locum. Non omnis ſacerdos ſanctus
» eſt; ſed ſanctus ſacerdos qui bene ſederit ſu-
» per cathedram, honorem accipiet ab illa.
» Qui male ſederit injuriam facit cathedræ;
» ideoque malus ſacerdos, de ſacerdotio ſuo
» crimen acquirit, non dignitatem. In judicio
» enim ſedens ſiquidem bene vixeris & bene
» docueris, omnium judex eris: ſi autem bene
» docueris, & male vixeris, tui ſolius. Nam
» bene vivendo & bene docendo populum in-
» ſtruis quomodo debeat vivere. Bene autem
» docendo & male vivendo deum inſtruis quo-
» modo debeas condemnari. hæc ille. Ad idem
» eſt Auguſtinus in homil. ſuper Johan. c. 10.
» Audite mercenarios ab ipſo Domino demon-
» ſtratos. *Scribæ*, inquit, *& Phariſæi ſuper ca-*
» *thedram Moyſi ſedent, quæ dicunt facite; quæ*
» *autem faciunt facere nolite.* Quid aliud dixit
» niſi per mercenarium vocem paſtoris audite?
» Sedendo enim in cathedra Moyſi legem Dei
» docent. Ergo Deus per illos docet: ſua vero
» ſi velint illi docere, nolite audire, nolite
» facere. Certe enim tales quæ ſua ſunt quæ-
» runt, non quæ JESU CHRISTI. Hæc ille. Ex
quorum dictis patet, qualiter illa auctoritas
de cathedra Moyſi ſit intelligenda.

Ad aliam auctoritatem: *Obedite præpoſitis*
veſtris, & ſubjacete eis, &c. Non eſt Petri,
ſed Pauli ad Hebræos 13. ſuper quo textu
Chryſoſtomus ſerm. 34. ſuper Ep. ad He-
» bræos ſic quærit. « Quid ergo, dicit aliquis,
» dum præpoſitus malus extiterit, num obe-
» diemus maligno? qualiter dicis, ſiquidem in
» cauſa fidei fuge illum & evita, non ſolum ſi
» fuerit homo, ſed etiam ſi angelus de cœlo
» deſcenderit. « Hæc ille. Ulterius ubi in uno
notabili dixi: verbum Dei dupliciter intelli-
gunt, &c. invehit honorabilis dominus pro-
ponens, dicens: Et quamquam iſtud non ſit
reprehenſibile quoad ea quæ dicta ſunt, eſt
tamen reprehenſibile propter ea quæ omiſſa
ſunt, &c. Ibi dico quod accepi verbum Dei,
prout ſubſerviebat mihi ad propoſitum arti-
culi noſtri, puta de prædicatione, cum ta-
men ipſius ſit multiplex diviſio, ſcilicet ver-
bum Dei æternale, temporale. Item verbum
Dei mentale, vocale, ſcriptale, &c. Alio
modo poſſet dici quod verbum inſpiratum
includitur in verbo Dei juxta illud 2. Pet. 1.

A *Non enim voluntate humana allata eſt quando-*
que prophetia, ſed Spiritu inſpirato locuti ſunt
ſancti Dei homines. Subinfert honorandus
dominus opponens, quod ſanctorum doctо-
rum dicta non ſunt ab aliquo vilipendenda,
&c. Ne quis æſtimet nos reprehendere ſan-
ctorum doctorum dicta, intendo parum per
inſiſtere, Deo duce. Primo, inquam, po-
teſt clarere quod dicta ſanctorum doctorum
non vilipendimus, ex iſto quod in judice
noſtro, in quem conſenſimus, qui eſt lex
Dei, praxis Chriſti &c. ponuntur ſententiæ
ſanctorum doctorum veraciter ſe fundantium
in eadem, quod non faceremus, ſi vilipen-
B deremus eaſdem. Unde dico quod ſacram
ſcripturam juſtificare, magnificare & pro-
movere intendimus ſimpliciter, ſecundum
notitiam nobis a Deo datam, ad eum ſen-
ſum quem principaliter flagitat Spiritus-ſan-
ctus. Hoc enim vult habere Dominus juxta
illud Iſaiæ 42. *Et Dominus voluit ut ſanctifi-*
caret eum, & magnificaret legem, & extolle-
ret. Dicta vero ſanctorum doctorum de tanto
de quanto veraciter ſe fundant in eadem,
& ad verum, quæ ſunt ipſorummet ſancto-
rum ſcripturæ. Unde Auguſtinus ſuper Gen.
C ad litteram. « Major eſt hujus ſcripturæ au- «
ctoritas, quam omnis humani ingenii per- «
ſpicacitas. Hæc ille. Et ideo debent homines «
illi [eſſe] ſubditi, dicente Auguſtino lib. de
Doctrina Chriſtiana, « Sanctarum, inquit, «
ſcripturarum auctoritatibus colla ſubdenda «
ſunt, ut ad intellectum quiſque per fidem «
perveniat. » Hæc ille. Et merito; ipſa enim «
neminem fallit, ſupple, ſane intellecta, di-
cente Auguſtino, de verb. Dom. ſerm. 20.
Scriptura ſacra neminem fallit, numquam «
D dicit aliquid & aliter evenit. Non promittit «
in hoc ſæculo niſi tribulationes, preſſuras, «
anguſtias, augmenta dolorum & abundan- «
tiam tentationum. Hæc ille. Unde ipſa po- «
teſt dicere illud Prov. 8. *Et veriſſime juſti ſunt*
ſermones mei, & non eſt in eis pravum quid
neque perverſum; recti ſunt intelligentibus &
æque invenientibus ſcientiam. De ipſa etiam
dicit Hieronymus epiſt. 21. « Scripturæ, in- «
quit, ſacræ ſi aliqua pars fuerit falſa, tota «
foret dubia. » Hæc ille. In quibus ſcilicet
ſcripturis ſacris ſecundum eumdem multa
dicuntur quæ videntur incredibilia, cum ſint
E omnino vera. Hinc locus ab auctoritate ſa-
cræ ſcripturæ in theologia eſt optimum ar-
gumentum. Bene enim ſequitur: Hoc dicit
ſacra ſcriptura aſſertive; ergo hoc eſt verum;
& hoc affirmative arguendo, hanc ſacram
ſcripturam oportet nos vocare in teſtimo-
nium noſtrarum probationum. Sine his enim
teſtibus, noſtræ enarrationes non habent fi-
dem, prout dicit Origenes homil. 1. in Je-
rem. ſic inquiens: « Neceſſe nobis eſt ſcrip- «
turas ſacras in teſtimonium vocare; ſenſus «
quippe noſtri & enarrationes ſine his teſti- «
bus non habent fidem; & hoc eſt quod dictum «

» est : *In ore duorum vel trium testium stabit* » *omne verbum*, magis convenit ad interpre- » tantis probationem, quam quorumcumque » hominum numerum, ut firmem verbum in- » tellectus mei, accipiens duos testes de novo » & veteri testamentis, accipiens tres testes de » evangelio, de propheta, de apostolo. Sic e- » nim stabit omne verbum. » Hæc ille. Et idem » Origenes homil. 7. super Leviticum. « Nihil » ut verbis meis credatur exposco, nisi testes » idoneos dedero. Idem homil. 26. super li- » brum Numer. « Hæc nisi ex divinis scripturis » approbentur, fabulæ videntur. » Ad idem est Hieronymus ad Demetriadem virginem. Scripturæ sacræ auctoritatem non habens, eadem auctoritate contemnitur, qua probatur. » Idem Hieronymus : Non afferamus fabulas, ut appendamus quod volumus » pro arbitrio nostro dicentes : Hoc grave, » hoc leve est ; sed afferamus divinam stateram » de scripturis sanctis tamquam de thesauris » Dominicis, & in illa quid sit gravius appendamus. » Et ponitur 24. q. 1. *Non afferamus.* Pro eadem etiam est Chrysostomus super » Matt. 7. cap. Operis imperfecti. « Omnis doctor servus est legis, quia neque supra legem » addere potest aliquid de suo sensu, neque » subtrahere secundum proprium intellectum : » sed hoc tantummodo prædicet quod habetur » in lege. Et ad idem sunt alii quamplures, quos ad præsens omitto causa brevitatis.

Quoad secundum, scilicet quoad dicta sanctorum doctorum, &c. scilicet scripta episcoporum, respondet Augustinus in epistola ad Vincentium Donatistam : « Hoc genus litterarum ab auctoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tamquam ita ex his testimonium proferatur, ut » contra sentire non liceat, sicubi forte aliter » sapuerit quam veritas postulat. In eo quippe » numero sumus, ut non dedignemur etiam » nobis dictum ab Apostolo recipere, *& si quid* » *aliter sapitis, hoc quoque Deus revelabit.* » Hæc ille, & ponitur 9. dist. *Noli frater.* Et Cyprianus in epist. de lapsis. « Mandant martyres aliqua fieri ; sed si scripta non sunt in lege » Domini, ante est ut sciamus illos de Deo impetrasse quæ postulant, & facere quæ mandant. » Et ponitur di. 50. *Si quis.* Item Augustinus in epist. ad Fortunatum : « Neque » quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis » non liceat, salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis » improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habet » &c. Ponitur 9. di. *Neque.* Idem Augustinus » ad Vincentium Victorem lib. 2. Negare non » possum nec debeo, sicut in ipsis majoribus, » ita esse multa in tam multis opusculis meis, » quæ possunt justo judicio & nulla temeritate » culpari. » Et ponitur 100. di. *Negare.* Si hoc non possumus negare de Augustino, multo minus de Thoma Valdensi, de Augustino de Alcona, Thoma de Aquino, Alexandro de Hallis, Petro de Tarentasia, & ceteris, negare vere poterimus, quamvis tamen multi in præsenti auditorio doctores sanctissimos, antiquissimos, profundissimos & subtilissimos ac irrefragabiles allegavere. Immo sæpius unus doctor contra alium in eadem sententia seu materia invenitur distrepare, ut de conceptione beatæ Virginis, de auctore psalmorum, de illo Johannis 3. *Spiritus ubi vult spirat*, &c. Et multa inveniuntur talia quæ omitto propter brevitatem.

Sed ad illud quod multi allegant pro doctoribus Proverb. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui.* Respondeo secundum Hieronymum : « Transferunt inde terminos, quos posuerunt patres « eorum, quando immutant mendacio veri- « tatem, & aliud prædicant quam ab apostolis acceperunt. » Hæc ille, & ponitur 24. q. « 3. *Transferunt.* Ex his jam dictis potest concipere hoc venerandum auditorium, qualiter nos habeamus ad sacram scripturam & ad dicta sanctorum, & utrum vilipendamus sanctorum doctorum dicta, prout nos quidam æmuli nostri infamavere.

Consequenter dominus opponens pro veneratione ipsorum doctorum infert dicens : Alioquin quomodo Deus præcepisset Deut. 17. In his quæ sunt ambigua & difficilia refugiendum est ad sacerdotes Levitici generis &c. Sequitur ibidem : *Et facies quæcumque dixerint tibi qui præsunt loco quem elegit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus*, &c. Ibi dico quod placet mihi valde de domino doctore, quod illam clausulam, puta : *& docuerint te juxta legem ejus*, in ista allegatione non omisit, cum jam in nostra audientia per tres notabiles viros illa clausula, scilicet, *& docuerunt te juxta legem ejus*, fuit omissa. Benedictus Deus, hoc est quod optavimus & optamus, in istum judicem causæ nostræ consentimus, ejusque judicio stamus & stare intendimus, Deo nobis opitulante. Quod autem illa cauda : *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio*, &c. *morietur homo ille*, &c. per nullum nobis opponentium, si bene recolo, fuit obmissa, quid sit causæ, illi committo, qui corda noscit omnium ipse Deus, cum grave satis & indecens est, ut in re dubia certa detur sententia, ut dicit Gregorius, & ponitur 11. q. 3. *Grave.* Item arguit textum : *Sequerisque sententiam eorum.* Attamen dicit Nic. de Lira : « Sententia « nullius hominis, cujuscumque sit auctoritatis, tenenda est, si contineat manifeste fal- « sitatem seu errorem. Et hoc patet per hoc « quod præmittitur in textu : *Indicabunt tibi* « *judicii veritatem.* Post subditur : *Et docuerint* « *te juxta legem ejus.* Ex quo patet, quod si « dicant falsum, vel declinent a lege Dei, ma-

nifeſte non ſunt audiendi. Hæc ille. Ad cujus confirmationem accedit illud verbum Exodi 23. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies.* Super quo ipſe doctor de Lira dicit, quod in Hebræo habetur: *Non declinabis poſt Raabim*, id eſt magiſtros magnos, *ad prædicandum*. Et infra: » Quia ſicut non eſt declinandum a veritate » propter majorem partem judicantium in de» clinantem: ita declinandum non eſt propter » illos qui ſunt majoris auctoritatis in judi» cando. » Hæc ille. Ecce iſte expoſitor pertinenter ex ſcriptura elicit primo, quod nullius hominis ſententia, cujuſcumque ſit auctoritatis, & ſic nec papæ, eſt tenenda, ſi contineat manifeſte falſitatem vel errorem. Secundo, quod lex Dei eſt menſura, juxta quam, & non aliter, aut ſibi diſſone debeant ſinguli judices, & præſertim eccleſiaſtici, judicare. Nam illa oſtendit quæ debet accipi veritatem, uno modo debet, quod patet per hoc: *Indicabunt tibi judicii veritatem*: & poſt ſequitur: *& docuerunt te juxta legem ejus.* Nic. de Lira ſuper illo verbo Chriſti Johan. 20. *Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt.* » Hoc tamen eſt intelligendum quando judi» cium eccleſiæ divino judicio confirmatur, » alias Deus facta eccleſiæ non approbat, ſi ju» dicium errat. Hæc ille.

Poſt hoc elicit venerabilis dominus opponens, dicens: Quod illud non vere dictum eſt verbum tantæ perfectionis, quod nihil poſſet ei addi vel ſubtrahi; dico: Si iſtud non eſt vere dictum, nec illud Deut. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ex eo*; nec illud Proverb. 30. *Omnis ſermo Dei ignitus*, &c. *Non addas quidquam verbis illius*, &c. Et iſtud Chryſoſtomi ubi ſupra: *Omnis doctor ſervus eſt legis*, &c. Et cum iſtud ſecundum falſum eſt dicere, & primum eſt falſum dicere; & quia ſecundum eſt falſum & primum eſt falſum. Et conformiter ad meum dictum dicit Cyprianus 8. di. Si ſolus Chriſtus audiendus, &c. cum tamen etiam alii audiendi ſunt: ubi dicit gloſſa ſuper verbo *ſolus*, id eſt nullus ei contrarius. Sic in præſenti intelligo quod verbum Dei eſt tantæ perfectionis, quod, &c. ſupple quemdam faceret ſenſum contrarium per aliam additionem vel ſubſtractionem. Et cum addit de expoſitione ſeminis; dico quod non Gregorius, ſed ipſamet Veritas eam exponit uno modo. Idem Gregorius in homil. » dicit: « Lectio ſancti evangelii, quam modo » fratres audiſtis, exponi non indiget, quam » enim per ſemetipſam Veritas expoſuerat, » hanc diſcutere humana fragilitas non præ» ſumat. » Hæc ille. Et hoc innuit idem Gregorius in verbis quæ dominus doctor adduxit, & quod ſollicite in hac ipſa expoſitione Dominica penſare debetis. Ecce dicit, expoſitione Dominica.

Subſequenter dominus opponens redit ad concilia generalia legitime congregata, loquens de ipſorum auctoritate & aſſiſtentia Chriſti. *Qui vos audit*, &c. Et: *Ubi duo vel tres*, &c. Et: *Adhuc habeo vobis multa dicere*, &c. Dico quod illud dictum evangelii: *Qui vos audit*, &c. non ſolum intelligitur de concilio generali legitime congregato, ſed etiam de aliis diſcipulis Chriſti. Nam ibi dicit doctor de Lira: *Qui vos audit*, &c. Hoc addit « Salvator in fine, ad oſtendendum quod do- « ctrina diſcipulorum ejus eſt devote & reve- « renter audienda, ſaltem propter reverentiam « ipſius Dei, cujus principaliter eſt doctrina. « Hæc ille. Similiter illa ſcriptura: *Ubi duo vel « tres*, &c. intelligitur de quibuſcumque cari- « tate unitis. Unde Lira: *Si duo*, &c. id eſt cari- « tative uniti, *in medio eorum ſum*, acquieſ- « cendo bonæ voluntati & petitioni eorum. « Hæc ille. Similiter eſt tertia ſcriptura, ſcilicet: *Paraclitus autem Spiritus quem mittam*, &c. Et: *Ut maneat vobiſcum in æternum*, intelligitur non ſolum de apoſtolis aut eorum ſucceſſoribus, ſed pro omnibus fidelibus prædeſtinatis, cum quibus manet Paraclitus in æternum, hic per gratiam, & in futuro per gloriam. Ex quibus dictis recolligo, quod illæ ſcripturæ per dominum doctorem adductæ, non faciunt ſolum pro magnificatione conciliorum generalium, ſed etiam pro aliis Chriſti fidelibus, ut eſt jam dictum. Et convertens dominus doctor ſermonem ad concilium Baſileenſe, ſumta occaſione a concilio apoſtolorum, de quo Act. 15. dicit: Valde cavendum eſt, ne ab informatione & ſententia finali hujus ſacri concilii generalis Baſileenſis, in Spiritu ſancto legitime congregati, quiſquam ſe alienum reddat, &c. ibi dico, ſalva pace & reverentia patrum, quod valde cavendum eſt, ne quiſquam reddat ſe alienum ab informatione Chriſti & apoſtolorum, & a finali ſententia inſtructioneque eorumdem, ne incidat in maledictionem, de qua Deut. 27. *Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis ejus, nec eos opere perficit, & dicet omnis populus amen.* Et Johan. 3. *Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Æſtimo tamen quod ſi hoc venerandum concilium nos informare poterit ſecundum illum judicem, in quem ambæ partes conſenſimus, ſcilicet legem Dei, praxim Chriſti, &c. nemo noſtrûm ab illo judice ſe reddet alienum.

Demum circa ſecundum notabile, puta de ſacerdotibus Domini, ubi dixeram de ſacerdotibus bonis & malis; dicit dominus opponens, quod multa mala enarravi de malis, & pauciora bona de bonis. Dico quod de bonis ita dixi ſatis per generalia, ſcilicet quod boni Domini ſacerdotes plus quam reges aut corporis parentes ſunt honorandi. Secundo, quod duplici honore ſunt digni. Tertio, quod multipliciter bonis ſacerdoti-

bus militans ecclesia in suis membris, notabile recipiet incrementum, &c. Quod autem plura mala de malis, respondeo quod *stultorum infinitus est numerus*, Eccles. 1. Et: *Multi vocati, pauci vero electi.* Matt. 2. Et multi sacerdores, & pauci sacerdotes... di. 40. *Multi.* Ipsi enim scandalizant plurimos a sacerdotibus, Gregorius homil. 17.

Unde coram Deo loquens, dico quod non est intentionis meæ vilipendere clerum verum, detrahere aut contemnere Deum, cum ipsemet sum sacerdos, quamquam inutilis: sed opto ut sacerdotes sint virtuosi & exemplares, ex hoc enim populus Dei caperet, quoad sua suppositа, notabilem reformationem.

Quod autem subinfert dominus doctor: Prælati & presbyteri mali, non solum boni, sunt manifeste honorandi, &c. Non dubium quin istud perditio sit multorum juxta illud Isaiæ 30. *Populus ad iracundiam provocatus est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: Nolite videre; & aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia. Videte nobis errores, auferte a me viam, declinate a me semitam.* Et Apost. 2. Tim. 4. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus. Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Et quia dominus opponens apponit multum olei in vulnera cleri sauciati, ego infundam vini modicum; & utinam sic clerus languens sanaretur. Johannes Baptista, ut habetur Matth. 3. dixit Pharisæis: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Et Salvator Matt. 23. *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ?* Item Matt. 5. vocat eos sal infatuatum, quod ad nihilum valet, nisi ut mittatur foras, &c. Ubi dicit Nic. de Lira, quia
» talis debet repelli a prælatione, ne officium
» prælatorum in conspectu hominum reddatur
» vile. Et Lucæ 14. *Neque in terram, neque in sterquilinium utile est.* Item Christus Judam vocavit diabolum, Johannis 6. furem & latronem, Johan. 4. & 12. Petrum sathanam, Matt. 16. discipulos, generationem incredulam, pravam & perversam, Matt. 17. Augustinus vocat canes impudicos 2. q. 7. *Qui nec.* Pascalis vocat simoniacos hæreticos, 1. q. ultima c. ult. Augustinus vocat malos presbyteros corvos n. q. 7. *Non omnis.* in Glos. Gregorius episcopos dantes decimas laïcalibus personis, militibus scilicet aut servitoribus seu consanguineis, vocat maximos antichristos, 16. q. 7. *Pervenit.* &c. quæ nunc omittuntur, ut est illud Nicolai papæ.
» « Nullus audiat missam presbyteri, quem
» scit indubitanter habere concubinam, &c. di. 32. *Nullus.* O utinam fieret unum emplastrum ex vino & oleo pro curandis cleri vulneribus, heu! multum sauciati, & credo quod ipse Dominus suo tempore per quos voluerit manum apponet, juxta illud Job. 5. *Ipse vulnerat & medetur, percutit & manus ejus sanabunt.* Consequenter pro magnificatione malorum presbyterorum adducit historiam de Noe, quem denudatum dormientem Cham derisit; dico quod quicumque prædicans peccatum occultum cleri vel etiam cujuscumque laïci ridendo proderet, reprobatione cum Cham dignus foret. Primo, propter publicationem publicam peccati quod dumtaxat solus novit. Secundo, propter derisionem fatuam. Condolere sed non ridere debet homo, & præsertim prædicans proximi pro peccato. Non ergo exemplo Cham prohibet in communi malitiam presbyteri coram Deo & populo accusare, non judicialiter sed compassive, unde nec accusare prohibet modo debito præpositum subdito. Unde 2. q. 7. §. *De his dicitur.* Hac enim auctoritate subditi non prohibentur ab accusatione, sed proditione; aliud est enim prodere, aliud accusare. Prodit, qui non probanda defert; accusat, qui reo præsente crimen judici offert, probaturus quod intendit. Cham solus vidit pudenda patris, & ideo per eum intelliguntur, qui cum sint soli conscii criminum suorum prælatorum, atque ideo accusare non possunt, vitam tamen eorum infamando aliis ridendam offerunt. Hæc ibi. Ex quo patet quid ad auctoritatem Gregorii sit dicendum.

De Constantino imperatore, quod si vidisset sacerdotem cum femina peccantem clamyde cooperuisset, quid sibi vult hoc exemplum Deus novit; utinam per istud & similia exempla sacerdotes nolint suam libertare fornicationem. Unum dico, quod fideles in regno Bohemiæ, qui sciunt præceptum Domini: *Non mœchaberis*, Exodi 2. & illud 1. ad Cor. 5. *Si is qui frater nominatur in vobis, est fornicator, aut avarus, aut* &c. *cum hujusmodi nec cibum sumere*, scilicet, debetis. Item illud ad Ephes. 5. *Fornicatio autem & omnis invidia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos*; & ideo quod non solum pallio non tegerent fornicantem cum femina, sed utinam sibi genitalia non resecarent, dato quod sit clericus, aut habitu monastico circumamictus. Sic Rabanus invenitur dixisse: « Si videris sacer-« dotem ponentem manum suam in gremio « mulieris, debes supponere quod benedicendi « gratia ista fecerit. » Dico a simili, si videris sacerdotem incumbentem super mulierem, ponentemque os suum super os ejus, & oculos super oculos ejus, & manus super manus ejus; debes supponere, quod hoc fecerit causa spiritualis resuscitationis. Sed ne curetis tales paleas & fabulas, fideles Domini sacerdotes. Dicitur enim vobis Isaiæ 1. *Lavamini, mundi estote.* Item ejusdem 52. cap. *Lavamini qui fertis vasa Domini*; & Lucæ 12. *Sint lumbi*

vestri

vestri præcincti, &c.

Ad auctoritatem : *Diis non detrahes*, &c. concedo eam, quia non solum facerdotibus, sed etiam quibuscumque fidelibus detrahere est vitiosum, dicente Jacobo 2. cap. *Nolite detrahere alterutrum, fratres mei, qui enim detrahit fratri suo, detrahit legi*, &c. Hinc ad Rom. 1. *Detractores Deo odibiles.*

De David & Saül jam est superius dictum per Augustinum, similiter super illud Matt. *Super cathedram Moysi.*

Subsequenter venerabilis opponens adducit multas causas, quare populus multum honorare debet sacerdotes, & tertiam ponit istam, quod soli habent auctoritatem ligandi & solvendi a peccatis. Contra, non soli sacerdotes habent auctoritatem ligandi & solvendi a peccatis, &c. ergo. Circa istud absolutio est triplex, scilicet absolutio auctorativa, quæ est solius Dei; absolutio ministerialis seu denuntiativa, quæ ex officio solis sacerdotibus limitatur; absolutio dispositiva, qua quis se disponit per veram contritionem ad solvendum propria vincula peccatorum, ut mereatur per illam absolvi auctoritative a Deo, & denuntiative a sacerdote. De hac Isaiæ 58. *Dissolve caligationes impietatis*, &c. Et quia hæc materia tractatur in 4. dis. 18. *Igitur*. Et ponens 4. causam dicit, quia de orationibus eorum certius est quod efficaciam pro populo & amicioribus sortiuntur, ibi dico quod si orationes sacerdotum debeant esse efficaces pro populo, oportet quod ipsi sacerdotes Deo placeant per virtutum opera, alias ipsum Deum provocant ad deteriora. Unde Gregorius in Pastorali: « Sollicite formidandum, ne qui placare iram » Dei creditur, hanc ipsam ex proprio reatu » mereatur. Cuncti enim liquido novimus, » quia cum is qui displicet ad intercedendum » mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. » Et ponitur 49. di. *Sollicite*. Et Isaiæ 1. Dominus : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*. Et ad illam auctoritatem Petri : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*, &c. dico quod, ut communiter, siniſtre allegatur aliquid ex officio sacerdotis, cum tamen & ad ceteros fideles credentes spectet. Patet ex principio cap. 1. *Petrus apostolus* Jesu Christi *electis advenis dispersionis*. Et cap. 2. dicit: *Vobis igitur credentibus honor*. Et sequitur: *Vos autem genus electum*, &c. Patet etiam per illud : *Populus acquisitionis*, de qua dicitur 1. ad Cor. 6. *Non estis vestri; emti enim estis pretio magno*, &c.

Post hoc dominus doctor circa istud corollarium meum & notabile : Causa ruinæ populi fit maxime ex culpa malorum sacerdotum, quod quia est Bedæ & Gregorii, fundatum in evangelio, ipsum negare non potuit, saltem cum honestate, ideo circa hoc ponit istam tam suam conclusionem; & si interdum ita contingat, &c. & deducit ipsum cum occupatione ad magnum passum. Et quia ego indefinite posui corollarium cum Gregorio & Beda, ideo conclusio opponentis non militat contra me. Et concedo cum magistro, quod, maxime, in proposito sumitur pro sæpe, & pro magna parte, sicut & in illa conclusione : Nemo amplius in ecclesia Dei nocet, &c. non tamen sequitur, quod nulli alii noceant in ecclesia Dei, quam mali sacerdotes. Quia tamen dominus proponens posuit unum verbum durum circa suam conclusionem, si non videtur aliud dictum; omnia ruina populi provenit ex malitia clericorum, nisi quod detur clerus pro hoc ad manus laïcorum, ne patiatur ruinam, propter excessus clericorum; dico quod hoc non est intentionis meæ coram Deo, & cum dominus magister non noscat cor meum, de me judicare aliter est sibi periculosum, cum aliter auditum est a me ex supradictis. Dico ergo, quod non ego aut confratres mei, damus clerum ad manus gladii laïcorum, sed ipsemet propter sua, quæ in populo faciunt opera scandalosa. Et ad hoc sonat dictum Malachiæ 2. cap. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est; vos autem recessistis de via, & scandalizastis populos in lege; irritum feciſtis pactum Levi, dicit Dominus exercituum, propter quod & ego dedi vos contemtibiles & humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas*. Item, illud 1. Reg. 2. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemserint me, erunt ignobiles.*

Consequenter dominus doctor opponens invehit, quod laudabilem virum magistrum Johannem Huss, sacræ paginæ bacalarium formatum, multis præconiis extuli. Non miretur : non enim possumus, quæ vidimus & audivimus, non loqui : sed de erroribus ejus multis, prout dicit de ipso dominus doctor, dico quod nec audivi ab ore ejus, nec in tractatulis ejus invenimus aliquem umquam errorem : sed hoc reperimus, quod verbum Dei in populo & ad clerum, aut in suis actibus theologicis fideliter annuntiavit, & protestationes solemnes in suis scriptis reliquit, quarum unam affero in hac forma.

Protestatio magistri Johannis Huss.

Quia super omnia desidero honorem Dei, & profectum sanctæ ecclesiæ, & quod sum fidele membrum Jesu Christi Domini, qui est caput & sponsus ipsius sanctæ ecclesiæ, quam redemit : igitur, sicut prius feci sæpius, ita & nunc istam protestationem facio, quod numquam pertinaciter dico, dixi, nec volo in posterum aliquid dicere, quod foret contrarium credibili veritati. Denique, quod tenui, teneo, & firmiter tenere desidero omnem veritatem credibilem, sic quod antequam vellem errorem contrarium defendere, potius in spe & auxilio Domini paterer

ſupplicium diræ mortis ; immo adjutus Dei auxilio, paratus ſum vitam miſeram pro lege Chriſti exponere, quam credo, ſecundum quamlibet ejus particulam, eſſe datam ſanctiſſimæ Trinitatis conſilio, & per ſanctos Dei homines pro ſalute humani generis promulgatam. Credo inſuper illius legis ſingulos articulos ad illum intellectum, quem benedicta Trinitas præcepit illos credi. Unde, ſicut in reſponſionibus & actibus ſcholaſticis, ac in prædicationibus publicis me ſubmiſi ſæpiſſime, ita & nunc ſubmitto, & in poſterum volo humiliter ſubmittere hujus ſanctiſſimæ legis ordinationi, reconciliationi & obedientiæ, paratus revocare quicquid dixero, dato quod ſit contrarium veritati. Hæc ille.

Si iſta proteſtatio eſt hominis erronei aut hæretici, ille judicabit qui illuminat abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo. 1. ad Cor. 4.

Demum dominus opponens dicit : Ego autem volens baſim & fundamentum conſtituere omnium dicendorum : Sacerdotes alii curati, alii non curati . . . . . *cetera deſunt.*

Ad hanc Ulrici replicam ſolide reſpondit Henricus Calciſem ſeu Kaltviſen ordinis Prædicatorum, cujus replicam editam habes apud Labb. tom. 12. *Conc. pag.* 1213.

PULCRA POSITIO

Pro temporalitate & juriſdictione eccleſiæ, & defenſio ejuſdem venerandi doctoris decretorum Johannis Polemar, auditoris reverendiſſimi in Chriſto patris domini cardinalis S. Angeli legati.

Ex mſ. cod. regii collegii Navarræ.

REverendiſſime in Chriſto pater, & metuendiſſime domine, reverendique in Chriſto patres, ceterique viri conſpicui, mihi patres ac domini præcariſſimi, venerandi ; Norunt experientiæ veſtræ, non ambigo, quam difficile eſt in diſputationis agitare certamine, id quod longævis temporibus approbavit omnium indubitata ſententia, & communis obſervantia uſu continuo roboravit, in his quidem quæ variata majorum ſententia opinabilia facta ſunt, & pro contra arguendi, per diſtinctiones, & ſolutiones materiam extendendi, frequens diſputatio copiam fecit. at contra quis non inaniter & curioſe circa ea quæ ab omnibus pro certiſſimis habita ſunt, crederet ſuum ingenium exercere? *Novus enim rei poſſeſſor, cui eſt de lite ſuſpicio*, juris ſui inſtrumenta habet in promtu. At quid, ſi iis ſibi moveatur, reſpondere valeat, meditatur. His vero quibus a progenitoribus eſt inconcuſſa veterna poſſeſſio, tanta eſt fiducia certitudinis ſui juris, ut vix de monumentis ſit cura, cum ſe controverſiam pati nullatenus ſuſpicetur. Cum igitur per mille & ultra annorum curricula eccleſia Dei fuerit *in bonis temporalibus opulenta*, inter quæ tempora fuit virorum ſcientia & ſanctitate pollentium numeroſitas magna, multaque fuerunt celebrata concilia generalia, in quibus circa ipſorum temporalium gubernationem, alienandi formam, diſtribuendi modum, plurima ſunt facta decreta, quis umquam rem tam certam crederet a ſe diſputationibus agitandam? Si minime ſunt mutanda, quæ *longam conſuetudinem habuerunt*, quanto magis quæ ſunt auctoritate conſuetudineque vallata? Quid jam certum poterit reputari, ſi plurium ſacrorum conciliorum exagitetur auctoritas, & tam longæva obſervantia, non a quibuſdam, ſed ab omnibus & a tanta ſanctorum multitudine, an recta fuerit, diſputetur? Propterea ſi cogor diſputabile diſputare, videbor excuſabilis, ſi non affluat *copia dicendorum* ; *parvitatem* vero mei ingenii penitus non excuſo, ſed ab affluentibus ſapientiæ veſtræ fontibus poſco humiliter adjuvari. Ideoque & quoniam hæc diſputationis palæſtra non gratia exercendi probandive ingenium eſt indicta ; ſed ut adverſus veritatis hoſtes, qui ſua procacitate non verentur probatiſſimis adverſari, ſimus diſputationis exercitatione muniti, quod veritate poſſimus eos luculenter informare ; is, ſi veſtræ ſapientiæ probant, modus ſervandus videtur, ut unicuique arguendi, replicandi, triplicandi, & ultra pro diſcuſſione materiæ ſit plena facultas. Solutiones quæ per me dabuntur, debite ponderentur, ut ſi non videantur ſufficere, aliæ exquirantur, ſuppleatque unuſquiſque, prout ſibi ſanctus miniſtrabit Spiritus, ut nihil reſpondenti deferatur, ſed ſolummodo veritati, ſicque plene diſcutiatur materia, uſquequo omnium ſpiritus in firma reſponſionum conſtantia conquieſcat.

Sancti igitur Spiritus gratia invocata, proteſtationibuſque ſolitis habitis, pro præmiſſis hunc articulum trina duxi diſcuſſione rimandum, circa ipſum tres concluſiones cum eorum fundamentis deducens, nullam rationem in oppoſitum faciendo, ne aut locum impediam arguere volentium, aut inutiliter tempus teram. Prima conſideratio erit, an liceat ; ſecunda, an deceat ; tertia, an expediat. Hac trina conſideratione, ut nulla poſſit eſſe reprehenſio, eſt bona actio ponderanda, de voto c. *Magna.* cum multis . . . an liceat videlicet ſecundum juſtitiæ æquitatem, deceat ſecundum honeſtatem, expediat ſecundum utilitatem, quamquam, ut dicit Benedictus, ſecundum chriſtianam prophetiam non debeat quod non decet, reputari licere.

Sit ergo juxta primam conſiderationem prima concluſio, quod ſecundum ſtatum Chriſtianæ fidei, religionis & populi qui nunc eſt, & a multis annorum curriculis, hoc eſt

ex quo fides Catholica tam ample diffusa & solidata est, & a regibus populisque suscepta, licitum est & fuit, ecclesiam, id est ecclesiasticum statum bonis temporalibus abundare. Hæc conclusio triplici ratione fundatur. Primo sic, constat illud esse licitum, quod non est vetitum a Deo. Ita dicit Augustinus ad Polentium, 28. q. 1. *Jam nunc.* Profecto nullus negat licitum esse, quod nulla lege fieri prohibetur. Sed hoc nulla lege prohibetur. Si quis contrarium asserit, legem prohibentem ostendat. Ergo licitum est censendum.

Secundo, illud debet licitum reputari, quod a viris tam divinarum, quam humanarum litterarum doctissimis, vitaque & religione sanctissimis, pro licito habitum & factum est. Sed hoc est hujusmodi. ergo licitum est. Hoc argumentum est in hac materia viri religiosissimi Prosperi, cujus opera inter scripturas canonicas sunt recepta, prout enumerantur 15. dist. *Sancta Romana.* & hoc argumentum Prosperi habetur 12. q. 1. *Expedit.* Quanta vero multitudo doctissimorum & sanctissimorum virorum hoc tamquam licitum habuerunt, & servaverunt, esset enumerare prolixum. Si incipiamus a B. Silvestro, de quo quam doctissimus sanctissimusque fuit, victis Judæorum satrapis disputando, tam aucta fides ostendit. Quot secuti sunt post eum Romani pontifices sanctissimi atque doctissimi sic nominati ut Prosperi? Paulinum & Hilarium addimus, Ambrosium, Nicolaum, & alia multa millia per orbem aliarum ecclesiarum episcoporum, Mautrum, Benedictum, Hugonem, & alios magnorum monasteriorum abbates, in aliisque statibus & in utroque sexu, tœdebit nos servare numerum per centenaria tot annorum.

Tertio, illud indubie licitum est, quod est auctoritate sacri generalis concilii universalis ecclesiæ approbatum. Sed istud est hujusmodi. ergo indubie licitum est. Major est manifesta, quoniam ecclesia universalis, quoad ea quæ pertinent ad fidem & mores, in suis determinationibus errare non potest, cum a Spiritu-sancto regatur. Ita affirmant doctores omnes, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, & omnes. Immo dicit Augustinus: Evangelio non crederem, nisi auctoritas ecclesiæ me moveret. Numquam enim legitur ab aliquo concilio rite congregato, aliquid quoad fidem vel mores publicos non ratione determinatum. Quod autem hoc sit auctoritate generalis concilii approbatum, ad manum habeo decem generalia concilia: primum, sequendo cursum voluminis decretorum in c. *Bene quidem* 90. 6. dist. Secundum Martini papæ 12. q. *Manifeste.* Tertium Antiochenum eadem causa 2. q. *Ex hiis.* Quartum Eugenii apud Romam eadem causa 2. q. *Nulli episcoporum.* Quintum in sexta synodo universali eadem causa q. 2. *Apostolicas,* & c. *non licet.* Sextum in concilio Lecnis papæ IV. eadem causa & q. *Monemus.* Septimum Urbani papæ eadem causa & q. *De laicis.* Octavum Innocentii III. de rebus ecclesiæ non alien. c. *Cum laicis.* Nonum Gregorii X. in generali concilio Lugdunensi c. *Hoc consultissimo* eod. tit. libro 6. Decimum in generali concilio Viennæ in Clementina prima. In omnibus istis decem generalibus conciliis pro conservanda temporalitate ecclesiæ decreta sunt facta. Obliviscendi non sunt canones apostolorum, qui hæc omnia præcesserunt, in quibus ecclesiasticos prælatos habere temporalia in communi & in proprio declaratur, 12. q. 1. Sint manifestæ res propriæ episcopi, si tamen habeat proprias, & manifestæ communes, &c. Ex hac prima conclusione infertur corollarium, quod etiam si ecclesiasticæ personæ temporalibus bonis utantur indebite, ipsa non licet ab eis auferre. Illatio patet per textum Augustini, qui habetur 14. q. 5. sic dicentis: » Forte aliquis « cogitat & dicit: multi sunt Christiani divites, « avari, cupidi, non habeo peccatum, si suum « illis abstulero, & pauperibus dedero. Unde « enim illi nihil boni agunt, mercedem habe- « re potero. Sed hujusmodi cogitatio ei diaboli calliditate suggeritur. Nam si totum tribuit quod abstulerit, addit potius peccatum, « quam minuit. Et iterum idem Augustinus « eadem causa & quæstione: Neque enim si « agris inique atque perperam invasis quis « quam utatur, ut eorum fructibus largas elee- « mosynas faciat, ideo rapinam justificat. Neque si alius ruri paterno vel juste quæsito ava- « rus incumbat, ideo culpanda est juris regula, « qua possessor legitimus est effectus. «

Juxta secundam considerationem ponitur secunda conclusio, quod secundum statum Christianæ fidei, &c. decens est ecclesiam terris temporalibus abundare. Ista conclusio sic probatur. Decens enim secundum Isidorum 10. Etimol. & Ambrosium in 1. de officiis, quemdam decorem & pulchritudinem importat, & sicut dicit Ambrosius ubi supra. Sicut pulcritudo se habet ad sanitatem quod non est sine ipsa; sic decens ad « id quod est honestum & justum. adjicitur ratio pulchritudinis & decoris. Nonne igitur ad decus, decorem, pulchritudinem & honorem Christiani populi pertinet, quod clerus divinis in servitiis, qui populi in spiritualibus gerit magisterium & ducatum, non sit abjectus, pauper & miserandus? Certe esset indecorum valde, si domus Dei & ministri Dei cultu & ornatu non præcellerent. Sic expresse Aggæus propheta protestatus est populo dicens: *Numquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?* Hoc idem senserat David non esse congruum, quod ipse habitaret domos splendidas & arca Dei sub pellibus 1. Paralip. 17. ideo jussit per Salomonem filium suum ma-

gnifice ædificari. Quæ tandem fuit natio, quæ non sibi indecorum reputaret, si sacerdotes sui in magno cultu & veneratione non essent.

Ulterius cum hoc approbatum & observatum sit, altissimis & doctissimis viris, ut est supradictum, qui hoc non egissent, si hoc tantum licitum esset, & non decens, quoniam virorum perfectorum est non reputare sibi licitum, nisi quod etiam decet, sicut inquit Benedictus * ad Eugenium, & Ambrosius in 1. de officiis, qui clericum cujus gestus dedecebant, ferre non potuit, ut ipse ibi narrat, quomodo dedecens in se ipso & tota sua ecclesia permisisset? Constat profecto non solum licitum: sed licitum & decens esse, quod a tam doctissimis & sanctissimis viris approbatum fuit pariter & servatum. Quoniam autem hæc conclusio ex his, quæ juxta sequentem dicenda sunt clarius elucebit, pro præsenti causa amplius probare subsisto. Sed ex ea causa observando formam, unum infero corollarium, quod ecclesiam bona temporalia possidere perfectioni seu perfecto officio non repugnat. Istud corollarium sic deducitur. Quoniam cum secundum Ambrosium in 1. de officiis, duo sunt genera officiorum, scilicet medium & perfectum: per id quod subjungitur: *Si vis perfectus esse*, medium mensuratur per *licet*, perfectum autem per *decet*. Si præmissa ergo est vera, quod decet, consequens est quod perfecto officio non repugnat, nec obstat primo tacta auctoritas *vade & vende*, &c. Cui respondebitur, cum arguetur ex ea, & est textus Prosperi, in cap. *Expedit* 12. q. 1. ultra me sine impedimento perfectionis posse ecclesiæ facultates, quæ sunt profecto communia possidere.

Tandem juxta tertiam considerationem tertia conclusio ponitur, quod secundum Christianæ fidei, &c. expedit ecclesiam bona temporalia possidere. Pro hac conclusione est textus Prosperi 12. q. 1. ubi ad litteram expedit facultates ecclesiæ possideri. Sed opus est hanc materiam intrare profundius: unde pro probatione hujusmodi conclusionis & etiam præcedentis, dico sic: Una quæque res decenter, bene & utiliter dispositа est, si fini, propter quem instituta est, congruam habet destinationem seu proportionem. Ista est omnium doctrina tam philosophorum, quam catholicorum doctorum. Inde est quod B. Thomas 2. 2. q. 87. a. 7. dicit quod religio quæ esset instituta ad hospitalitatem, imperfecta esset, si careret divitiis. Quare? quia non haberet instrumenta accommoda & proportionata fini ad quem est instituta. Nunc ergo videamus ecclesiasticus status ad quem est finem institutus? certe ut gerat magisterium Christianæ religionis in populo, ipsum instruendo in fidei veritate & exercitio operum caritatis. Inde apostolus 1. ad Timoth. dicit episcopum esse doctorem & hospitalem. Et Gregorius in 2. sui Pastoralis ponens additiones episcopi, inter cetera dicit: Internorum curam & exteriorum occupationem non minuens, exteriorum providentiam internorum sollicitudinem non relinquens. Et *infra*: *In illius* prosecutione & contraria nonnulli gregis quidem curam suscipiunt, sed sic sibimet vacare ad spiritalia appetunt, ut rebus exterioribus nullatenus occupentur, quo cum curare temporalia funditus negligunt, subditorum necessitatibus minime occurrunt: quorum nimirum prædicatio plerumque despicitur: quia cum delinquentium facta corripiunt, *sed tamen eis necessaria præsentis* vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiunt. Nolo me diffundere in originalium auctoritatum recitatione, quia res per se ad oculum patent, & sunt certæ nimis ad hoc auctoritates, quod ecclesiasticus status non pro sola contemplatione institutus est; sed ut in divinis ministeriis populo provideat, superintendat, ipsumque in operibus caritatis verbo *doceat & exemplo*; quod sine temporalium sufficientia expleri non potest. Videamus quæ pertinent ad statum ecclesiasticum, & videbimus, quantis ei opus sit, ut decenter & utiliter id pro quo institutus est valeat explicare. Et primo quidem oportet Dei templa congruis ædificiis & ornatu sustinere, ut Dei templum honore congruo honoretur, ut etiam cultu debito aula Domini resplendeat. Verba sunt. Ambrosii 86. di. *non Satis*, ut ministrorum copia habeatur, scolas tenere tam cantus quam Grammaticæ, & etiam ut juris & sacræ paginæ nutriantur periti. Præterea impensas medicis frequentare, largiri peregrinis, & aliis pauperibus, captivos redimere Ambrosius hæc omnia ubi supra. Puellas pauperes maritare. Hæc omnia tunc efficacius docet ecclesia, quo opere monstrat. Præterea jubet apostolus episcopum hospitalem esse. Si ergo religio instituta ad hospitalitatem, imperfecta esset, si careret divitiis, ut supra dictum est secundum Thomam, constat ad statum ecclesiasticum, cui hospitalitas indicta est, divitias pertinere. Decet ergo & expedit, immo ad debitam dispositionem oportet ecclesiam habere divitias, unde possit ecclesiæ ministros alere, scholares & scholasticos viros nutrire, ecclesias ornare, ipsarum ædificia sustinere, reficere & facere secundum exigentiam, hospitalitatem tenere, pauperibus & peregrinis & aliis in necessitatibus ut possit subvenire, captivos redimere, & alia pietatis officia exercere: quoniam hæc omnia melius, apertius, efficaciusque docent cum ab ipsis doctoribus opere adimplentur. Magis enim exempla provocant ad imitandum, quam verba, ut ait Gregorius in 1. Dialog. ideo textus Decreti 42. distinctione in prin. hospitalem sacerdotem esse

* *l.* Bernardus.

oportet, ne ſit de numero eorum quibus in judicio dicetur: *Hoſpes fui, & non ſuſcepiſtis me.* qui enim apoſtolum ſecutus, alios ad hoſpitalitatem debet invitare, quomodo hoſpitalitatis exhortator eſſe poterit, qui domum propriam hoſpitibus claudit? Si enim ſacerdos primum a ſe ipſo & a domeſtica ſua eccleſia debet exigere quæ populis imperet: Si primum imitando Chriſtum ipſe debet facere quæ poſtea populum doceat, neceſſe eſt, ut pauperes hoſpitio recipiat, quo ad hoſpitalitatem facilius ſuo exemplo ſubditos adtrahat, &c. Per totam illam di. & per totam 86. corroboratur. Hæc vero ex ſententia Philoſophi 10. Ethic. ubi dicit: ad actiones autem multis opus eſt; quanto utique majores ſunt & meliores pluribus: quæ autem majores & meliores quam hæ quæ ſuperius ſunt expreſſæ? Præterea ſolidatur ex majori ſententia veritatis, ſcilicet increatæ Luc. 14. quæ nos docet providenter commenſurare facultates ad ſumtus ſub parabola de turri ædificanda. Cumque, ut ſupradictum eſt, eccleſiaſticos oportet eſſe contemplativos pariter & activos, pro executione activorum opus eſt temporalibus abundare, ut idem Philoſophus dicit in 1. Ethic. ubi de felicitate civili. Officium enim eccleſiaſtici ſtatus eſt regimen cujuſdam politiæ ad gubernationem populi in actibus virtuoſis, non ſolum ad tranquillitatem & conſervationem civilis ſocietatis, ut laici, reges, principes; ſed ad finem ducendi ipſum ad vitam æternam. Hæc autem politia non agreſte, ſed quadam ſocialitate, decenti tamen & compoſita, gubernanda eſt, & infirmis ſæpe condeſcendendum, ideo rerum temporalium ſufficientia opus eſt. Propterea ille optimus paſtor maximus moralis B. Gregorius dixit, quod illius prædicatio contemnitur, qui licet juſta ſuadeat, recteque reprehendat, vitæ neceſſitatibus minime occurrit.

Sed ut hæc conſideratio & ejus concluſio apertius eluceſcat, deducendæ ſunt in medium commoditates & incommoditates quæ ex hoc provenire dicuntur, & quæ ex contrario provenire poſſent rationabiliter arbitrari, ut iſtis mutuo compoſitis & ſtatera debita ponderatis, videamus quæ præponderant, ut ſic quid expediat judicemus. Nam hoc eſt de unaquaque re judicium an expediat, ut major utilitas præferatur minori, & minor incommoditas majori potius expedire credatur. De utilitate loquamur communi & publica. Primo de incommoditatibus videamus, quoniam de commoditatibus poſtea facilius diſſeremus. Solent hæc incommoda poſſeſſioni temporalium eccleſiæ annotari. Primo ſollicitudinum multiplicatio, qua veluti ſuccreſcentibus ſpinis, juxta Chriſti parabolam, ſuffocatur ſemen verbi Dei & ſtudia ſpiritualia minorantur. Secundo amor divitiarum, quo nihil periculoſius: quia illaqueat animas & ab amore Dei totaliter retrahit, & omnium malorum eſt mater. Tertio diſſolutio & diffamatio morum, quia ſaturitas panis & otium generaverunt peccatum Sodomæ, Ezechielis 15. Quarto ſuperbia & faſtus & pompa, quæ Chriſti doctrinis & operibus adverſantur. Diſcutiamus quatuor hæc ordine ſuo.

Et primo de ſollicitudine, certum eſt quod nemo hoc ſæculo ſine temporalibus vivere poteſt, nec temporalium ſollicitudo ſeu procuratio penitus rejici poteſt; ſed temperari debet, ut concludunt omnes doctores. Nunc ergo videamus quis modus ſit aptior ad ſollicitudines moderandas, aut mendicitas, aut ſufficientia. Et videamus circa duplicem conſiderationem hominum ſcilicet perfectorum & infirmorum. Si perfectorum, qui divitiis mente nullatenus adhærent, & certe præſtantior eſt opulentia quoad utilitatem communem, ut ita loquimur, patet ad ſenſum. Nam talis poteſt præſtare multas utilitates in populo, eleemoſynas largiendo, & etiam ad oſtendendum hominibus divitias non eſſe amandas, ejus vox plus proficiet quam mendicantis, de quo ſolet dici, quod ideo prædicat divitias contemnendas & eleemoſynas largiendas, ut ſibi ſubveniatur. Hoc manifeſte probatur. Abraham de quo Geneſ. 17. *Ambula coram me & eſto perfectus*, & Job de quo quale Dominus teſtimonium tulerat omnes noſtis. Ideo Gregorius 1. Moralium: Necdum præcepti virtus eminuerat, ſed tamen B. Job ejuſdem præcepti vim in corde ſervaverat, qui jam ſua mente reliquerat quæ ſine dilectione poſſidebat. Eſt verum quod eſt valde difficile, ſicut Dominus in evangelio ait Matth. 19. *quam difficile eſt divitem intrare regnum cælorum.* Sed quanto difficilius; tanto, ſi ſit, eſt majus. Ponamus quod ſint tres ſocii viatores, quorum unus ſuas & aliorum peras & veſtes portat, & in itinere non impeditur: Nonne illius virtus præſtantior & commendabilior. Ideo non immerito tanta laus attribuitur Abrahæ & Job, qui in itinere hujus ſæculi pro ſe & aliis temporalium ſarcinam portabant, nec erant propterea aliqualiter impediti. Simile de B. Gregorio, qui licet Romanæ eccleſiæ opulentiſſimæ bona poſſideret, nulla tamen ſollicitudine impediebatur, nec abs ſtudio ſapientiæ, nec ab aliis virtutum ſtudiis. Et ſi aliqua ſollicitudo capiatur, meritoria eſt, non ſuffocativa ſeminis, ſed potius aduſtiva, quia non dicit pauperi: Calefaciaris: ſed comprobat ex operibus fidem ſuam, ſicut B. Jacobus in ſua canonica inquit.

Si autem loquitur de infirmis, certum eſt quod nihil poteſt magis ſollicitam facere mentem infirmi hominis, quam egeſtas. Illa exagitat mentem & uſque ad perjuria & furta compellit, juxta ſententiam Salomonis Proverb. 30. *Ne egeſtate compulſus furer, & per-*

jurem nomen Dei mei. Præterea conſideremus utilitatem publicam, quomodo poſſet vacare divinis officiis, ſi ſollicitam mentem haberet de vitæ neceſſariis procurandis. Quæ eſt enim militia publico ſerviens, aut officium, cui non ſint pro vitæ neceſſariis ſtipendia conſtituta? ne dum ſumtus quæritur, prædo graſſetur, & locus militiæ cum periculo reipublicæ deſeratur. Sancte igitur & laudabiliter in eccleſia Dei inſtitutum eſt pro utriſque, ut imperfectioribus ſtipendia pro vitæ neceſſariis miniſtrentur, ne ſollicitudinem capere habeant ipſa quærendi, & ſic a divinis retrahantur obſequiis: quod utique aperte videmus in illis partibus, ubi eccleſiæ ſunt pauperes, quod pro ſollicitudine quærendi vitæ neceſſaria, clerici tota die ruri inſiſtunt, ſicut in aliquibus partibus regni Apuliæ, & in inſulis Sardiniæ & Corſicæ. Perfectioribus autem ſicut epiſcopis & prælatis, grandis ſubſtantia committitur, per quam ſe poſſunt in bonis operibus exercere, & ſi pro eis ſollicitudinem habeant, non tamen nimiam & exceſſivam, quod pulcre B. tangit Gregorius in ſuo Paſtorali ſic dicens: Sollicitudo ergo quæ ſubjectis exterius impenditur, ſub certa neceſſitate eſt, ut menſura teneatur. Unde per Ezechielem dicitur: *Sacerdotes caput ſuum non radant, neque comam nutriant, ſed tondentes attondeant capita ſua.* Sacerdotes namque jure vocati ſunt, qui ut ſacrum ducatum præbeant fidelibus præſunt; capilli vero in capite exteriores ſunt cogitationes in mente, quæ ex ſenſu negligentis quia importune aliquando prodeunt, quaſi nos non ſcientes præcedunt. Quia ergo cuncti qui præſunt habere quidem ſollicitudines exteriores debent, non tamen eis vehementer incumbere, ſacerdotes recte & caput prohibentur radere & comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita ſubditorum, nec a ſe penitus amputent, nec rurſum ad creſcendum nimis relaxent. Ubi & bene dicitur: Tondentes tondeant capita ſua, ut vim curæ temporalis ſollicitudinis & quantum neceſſe eſt promoveant, & tamen reciduntur citius, ne immoderatius creſcant. Dum igitur & per adminiſtratam exteriorum providentiam corporum vita protegitur, & rurſum per moderatam cordis intentio non impeditur, capilli in capite ſacerdotis & ſervantur & cutem cooperiunt, & reſecantur, ne oculos claudant. Hæc Gregorius. Ad hoc eſt etiam textus 39. di. in principio, &c. *Johannes diaconus* juxta finem, & eſt B. Gregorii: Talis in regimine debet arte conſtitui, qui non ſolum de ſalute animarum, verum etiam de extrinſeca utilitate & cautela ſciat eſſe ſollicitus, & Gloſſa ſuper illud prima Petri 5. *Paſcite*, &c. non ſolum verbo & exemplo, ſed & temporalium ſubſidio, quod bene B. Nicolaus probavit, qui tria poma aurea non parvi valoris, ſed quæ ſufficerent ad dotandum tres puellas contulit; aurum utique habebatur, nec propterea non Chriſti diſcipulus. His igitur debite conſideratis & ponderatis, quantum pertinet ad hoc caput clare deductum eſt præponderare partem quam elegi & expedire, quod eccleſia bonis temporalibus ſit ſufficienter abundans. De reliquis videamus.

Secundum quod objicitur, eſt amor divitiarum, quo nihil periculoſius. Fateor amorem divitiarum periculoſum nimis eſſe, quoniam, ut inquit Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. *Qui ditari cupiunt, incidunt in laqueum.* Et Sapiens Proverb. 23. *Qui ditari feſtinat, non erit innocens.* Et hanc igitur tamquam omnium vitiorum matrem clericis fugiendam eſſe dixit Iſidorus in libro de vita cleric. 21. di. *His ergo.* Nec eam dico clericis nec laïcis permittendam, ſed eam ex corde noſtro ex materia naſci, ſicut dicit abbas Moyſes Collatione 1. Si monachus ita exardeſcit pro tabella, gladio vel codice, ſicut ſæculares pro villa vel caſtro, mutavit cupiditatem in abjectius. Utrumque autem contingit, & habentes magnam opulentiam divitias non amare, ſicut dictum eſt de Abraham & Job, de quo dicit Gregorius 1. Moral. Jam ſua mente reliquerat quæ ſine dilectione poſſidebat. Sic & Tobias & multi alii; ſic & B. Gregorius, de quo angelus dixit ſolitario, quod plus delectationis ipſe capiebat in palpando ſuam catam, quam Gregorius in cunctis opibus. Et multi alii ſancti viri magnas divitias ſine amore poſſederunt. E contrario ſunt multa millia pauperum amantes & ſupra modum divitias cupientes, ut hæc notabiliter & late declarat B. Auguſtinus ſuper pſalmum: *Quid gloriaris in malitia?* ubi, *Ecce homo qui non poſuit Deum*, &c. Præterea etſi juxta dictum Hieronymi, difficilior ſit contemtus divitiarum cum habentur, quia quaſi membra corporis videntur; tamen cupido habendi periculoſior. Illa eſt radix & fomentum malorum, hanc ſæpius inducit inopia uſque ad abnegandum Deum, perjurando juxta dictum Sapientis: *Ne egeſtate compulſus furer, & perjurem nomen Dei mei.* Prov. 30. Duæ ſunt cauſæ maxime inductivæ cupiditatis, egeſtas & affectus ſobolis providendi. Ideo ut vitium ſuccenderet optime fuit in eccleſia inſtitutum, ut a clericis egeſtas & ſoboles tollerentur.

Tertium quod objicitur eſt deformatio morum. Ad hoc ego reſpondeo, quod non probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe, neque ob id eſſe ſine quo contingit id eſſe. Certe hæc morum deformatio ex aliis cauſis contingit; quia in utroque ſtatu omnis diſciplina perdita eſt. Conſideret quiſquis annoſus, ſi ea diſciplina nutriuntur nunc pueri, qua ſolebant. Ubi nunc adoleſcentia comprimitur ferula? Quis juvenes audeat increpare? licentiata ſunt omnia, & pueri eman-

cipati naſcuntur. Hæc corruptela, hæc correctionis remiſſio, cunctorum vitiorum eſt ſomes, non divitiæ eccleſiæ. Fuerunt priſtinis temporibus eccleſiæ non minus, immo plus opulentæ, & non erat hæc vitiorum diſformitas; ſed & in pauperibus mendicantium monaſteriis nonne ſimiliter deformatio ſerpit & ſævit? Tandem ubi deformatior vita clericorum, quam ubi ſunt pauperrimi? Ibi concubinas habent publice ut uxores, aſſerentes ſe vivere aliter non poſſe propter penuriam. Sunt præterea ignorantes, viles & abjecti. Non ergo abundantia bonorum in eccleſia morum diſſolutionem fecit; immo potius dat e contrario cauſam, ut poſſint vacare ſtudio ſacrorum librorum, per quod retrahamur a vitiis & virtutibus imbuamur, juxta illud Hieronymi ad Ruſticum monachum: Ama ſcientiam ſcripturarum & carnis vitia non amabis. Habetur in decretis de conſ. diſt. 5. *Numquam.*

Quartum quod objicitur eſt ſuperbia, faſtus & pompa, quæ in eccleſiaſticis ſequitur ex opulentia bonorum. Ad iſtud ego non poſſum dicere quod ſe habeat indifferenter ad opulentiam & paupertatem, licet ſit verum quod quando hæc paupertati juncta ſunt, magis abominabilia ſunt, juxta illud Eccleſiaſtici 25. *Tres ſpecies odivit anima mea, & aggravor valde animæ illorum; pauperem ſuperbum, &c.* Et ſunt ſine dubio multi pauperes ſuperbi, & quantum poſſunt pompoſi, & multi divites humiles. Sed verum eſt, quod divitiæ eis maxime cauſam præſtant; & non nego quod in eccleſiaſticis viris ſit nimia pompa, quod moderatione & reformatione indigeret; cum ſit multorum malorum occaſio, diminutio eleemoſynarum, ut pompis ſufficiamus, fiunt inde exactiones, & multæ lucrandi illicitæ artes: quia qui ſua conſumunt, cum deeſt, aliena ſequuntur. Sed non eſt hæc conſideratio tanti, quod propterea temporalia ſint ab eccleſia abjicienda, cum ex hoc plura graviora ſequerentur, quæ quoad publicam utilitatem longe præponderant. Primo diminueretur cultus divinus, quoad templa & ornamenta eorum. Secundo quoad perſonas; quis eſſet qui vellet filium ſuum cum multis laboribus & expenſis nutrire in ſtudiis, ut poſtea eum exponeret mendicitati? Unde Bonaventura ſuper 4. Sententiarum di. 24. q. 1. art. 3. ſic inquit: Sacerdotii Chriſti non tam fuit figura ſacerdotium Aaron, quam etiam Melchiſedech, qui ſecundum quod dicitur ad Hebræos 7. fuit rex & ſacerdos. Sic & Chriſtus. Et quamvis honorem regalem recuſaverit propter exemplum humilitatis, & ipſe pauper & mendicus fuerit, tamen propter ſuam dulciſſimam benignitatem, ad hoc alios non arctavit. Sciebat enim quod melius eſt habere mercenarios, quam nullos aut paucos filios; & ideo caritate refrigeſcente, diſpoſuit Spiritus-ſanctus, ut etiam temporalibus abundaret, ne cultus Dei propter paupertatem & inopiam deperiret, & aperte videtur, quod eccleſiæ pauperculæ quaſi nullum inveniunt rectorem, niſi ſit talis qui pro ſui utilitate ab omnibus contemnatur. Unde nullatenus eſt credendum ſtatum univerſalis eccleſiæ aliter regi quam diſpoſuit Spiritus-ſanctus. » Hæc omnia magiſter Bonaventura ubi ſupra, &c.

Tandem cum multiplicata ſunt mala ſuper terram, hominum nimis creſcente malitia, expediens fuit, & eſt ad cohibendam audaciam & malitiam pravorum hominum eccleſiam Dei habere potentiam temporalem, alioquin ſæpe hæreſes pullularent & creſcerent. Hoc ſignificavit illa evangelica parabola de invitatis Lucæ 14. in qua poſt invitationes tandem ſubjungitur: *Compelle eos intrare*, ſcilicet quod primitiva eccleſia invitationem & ammonitionem tantum haberet, poſtea per ſucceſſus temporum vires etiam compellendi. Ita eſt ſenſus B. Auguſtini, ut ipſe ſcribit contra Donatum, 23. q. 4. *Diſplicet*, ubi poſt multa verba ſatis ad hoc propoſitum, tandem dicit: Et non attendis, quia cum eccleſia novello germine pullulabat, nondum completa fuerat illa prophetia: *Et adorabunt eum reges, omnes gentes ſervient ei.* Quod utique quanto magis impletur, tanto majore utitur eccleſia poteſtate, ut non ſolum invitet, ſed & cogat ad bonum. Hoc Dominus ſignificare volebat, qui quamvis haberet magnam poteſtatem, prius tamen elegit commendare humilitatem. Hoc in illa ſolitudine ſatis evidenter oſtendit, ubi miſit ad invitatos, & venire noluerunt. Et ait ſervo: *Exi cito in plateas & vicos civitatis, & pauperes & cæcos, debiles & claudos introduc huc. Et ait Domino ſervus: Factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſervo: Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Videlicet nunc, quemadmodum de his qui primo venerunt dictum eſt: *Introduc eos*, non dictum eſt *Compelle*; ita ſignificata ſunt eccleſiæ primordia adhuc creſcentis, ut proceſſu temporis eſſent vires etiam compellendi. Et eamdem ſententiam etiam ponit ad Bonifacium eadem cauſa q. 6. c. 1. Quis autem non intelligit, quam ſæpius hæreſes creſcerent, ſi eccleſia potentiam non haberet. Si omnia argumenta deficiunt; tempora temporibus comparemus: videbimus quam ſæpe fides fluctuavit illis temporibus, cum eccleſia potentiam non habebat; tandem quidquid decoris, quidquid ſtabilitatis, quidquid boni habet Chriſtiana religio, ab illis cœpit quatuor venerabilibus conciliis, quæ velut quatuor ſancta evangelia ſunt tenenda, ſicut B. inquit Gregor. 15. di. *Sicut ſancti.* quæ tamen celebrata ſunt poſt ditationem eccleſiæ; & inde alia concilia, a quibus omnis forma ſanctitatis eſt habita. Ad hunc autem

quem modo dixi respectum nulla est comparatio. Vadant mores quantumlibet dissolute, intumeat pompa, si fides subsistat, levia omnia sunt comparata ad fidei subversionem, quod ultimum & supremum est malum.

His igitur omnibus æqua lance libratis, sole clarius videtur esse deductum, quod ecclesia haberet bona temporalia expedire.

Ex hac tertia conclusione infertur ipsius tertium corollarium, quod utilitati populi Christiani plurimum detraheret & obesset, ecclesiam sine bonis temporalibus esse, ulteriori deductione non indiger, seipsam ostendit, si præmissa veritate subsistant.

Et ex prædictis omnibus infertur una corollaria conclusio seu aporisma, videlicet quod erronea, insana & pernicioſa est illa doctrina, quæ asserit quod dominium super bonis temporalibus, quod contra præceptum Christi clerus occupat, in præjudicium sui officii, & damnum brachii sæcularis, ab ipso debet auferri, & clerus ad vitam, qua Christus vixit cum apostolis, debet reduci, manifesta est illatio hujus ex præmissis. Nam si licet, decet & expedit. Ergo non debet auferri. Hinc talium assertores incidunt in sententiam Domini per prophetiam 5. c. *Væ qui dicitis bonum malum*; & in hæresim jam damnatam, puta hæresim Valdensium, ut dicit Alvarus in libro de statu & planctu ecclesiæ part. 1. art. 42.

Hæc sunt, reverendissime in Christo pater & metuendissime domine, reverendique in Christo patres ceterique viri clarissimi, quæ mihi juxta istum articulum dicenda occurrerunt, sub determinatione sanctæ matris ecclesiæ, a cujus fide & determinatione discedere numquam intendo; sed ad ejus determinationem mea, si decreverit, dicta corrigere, & penitus promto animo revocare.

EPISTOLA CONSULUM & civium Trevirensium ad concilium Basileense.

Petunt concilii præsidium adversus diffidationes sibi factas ab adhærentibus Ulrico de Manderscheit.

Anno 1431. 18. Januar. *Ex mss. Aquicinctens.*

REverendissimis in Christo patribus & dominis Dei gratia sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, &c. post humilem recommendationem, obedientiam filialem tam debitam quam paratam.

Reverendissimi in Christo patres & domini præcipue meritoque venerandi, dolendum plane & miserendum statum civitatis & ecclesiæ Trevirensis, inter civitates totius tertiæ partis orbis, videlicet Europæ, & ecclesias transalpinas primariæ, sanctæque Romanæ ecclesiæ immediatissimæ filiæ, matrisque cunctarum citramontanarum ecclesiarum, vestris innotuisse dominationibus non ambigimus; & quantum nos pro justitia, nec non ejusdem ecclesiæ tam capitis quam membrorum salute, in virtute sanctæ obedientiæ, spe retributionis æternæ submissimus periculis, non tam fama per universam respersa Germaniam, sicut ipsa testatur agnitio veritatis, sed quam modo nobis, etsi ab illo, cujus judicia abyssus multa, nostris exigentibus demeritis juste, injustissime tamen ab homine, pro bono redditur malum, vestris dominationibus necnon amarissimis cordibus dolenter reseramus. Dudum enim domini Ulrici de Manderscheit asserti electi Trevirensis & suorum, tum propter clero Trevirensi in nostra civitate impensum præsidium, tum propter denegationem illicitarum petitionum super juribus Trevirensis diœcesis per præfatum dominum Ulricum nobis factarum, tum propter defensionem libertatum & privilegiorum nostrorum contra eumdem se eisdem ingerentem, plerasq; crebrasque tulimus æquanimiter comminatas angustias. Jam ipso die epiphaniæ Domini nunc elapso, effectu plenius mancipato, quia tunc Willermus *de Staphel* suus marescallus propter impetitionem, quam contra nos se habere asserit, nobis tamen incognitam, nos diffidavit, habens adjutorem nobilem Theodericum *de Manderscheit* prædicti domini Ulrici fratrem, aliosque officiatos & familiares domesticos ejusdem quamplures, qui nos tam in rebus, corporibus, incendiis, rapinis & capturis in & extra prædicti domini Ulrici & diœcesis Trevirensis fortalitia crudeliter invaserunt. Nos igitur requirentes, rogantes eumdem dominum Ulricum ad præfatas diffidationes per suos utrimque factas deponendum, ipse una cum comite de *Wirnenbergh*, & ejusdem uno suo filio litteras diffidatorias miserunt pro responso, non obstante quod per annum ante idem comes de *Wirnenbergh* pro solidioris amicitiæ confœderatione duo millia a nobis recepit florenorum, quam amicitiæ confœderationem servare sine & absque causa rationabili nobis resignavit; qua de causa noscit Omnipotens. Tunc etiam alia calva occasione prætensa comes de *Spaenheim* qualitercumque suborna-tus, nos similiter diffidavit, ad cujus, ut indubie speramus, siniſtram informationem reverendi in Christo patres & domini Theodericus Colonienſis & Conradus Moguntinenſis archiepiſcopi, inclyti Stephanus de Bavaria, Adolphus de Monte & Juliaco duces, dominus Jacobus marchio Badenſis, & dominus Fridericus comes de Veldencia tamquam adjutores prædicti comitis de *Spaenheim*, etiam diffidationes ſcriptotenus demandarunt. En patres & domini digniſſimi, quomodo pereunt juſti, & truçidantur recti corde.

de. Teſtamur hunc quem nullum latet ſecretum in conſcientiis noſtris, quod omnibus principibus & dominis aliiſque ſingulis præfatis, nobis ſcientibus, numquam moleſti fuimus, & ſumma diligentia omnibus præſciis & noviſſime examinatis curſibus, nihil penitus occaſionis eos contra nos querelandi poſſumus invenire. Quin immo ſuper petitionibus prædicti domini Ulrici nobis factis, & noſtris querimoniis, e contra obtulimus nos paratos coram veſtra ſacroſancta generali ſynodo Baſileenſi, ſereniſſimo principe Romanorum rege illuſtriſſimo, juris & veſtro ſeu ejus ſtare dictamini vel decreto; quod idem aſſumere recuſavit. Poſt Deum igitur cœli, a quo omnis victoria, cui beneplacitum eſt ſuper timentes eum, pro cujus ſponſa hæc patimur, ad veſtras dominationes in Spiritu-ſancto congregatas, eamdem ſponſam digniſſime repræſentantes, tamquam obedientiſſimi filii, ad matrem illibatam, & tenerrimi amatores virginis ſine ruga, anxii confugimus, devotiſſime imploramus, oramus; ſi etiam licet, per amorem illius qui vos ſuam ſponſam repræſentare fecit, non temeritatis, ſed auſu caritatis humiliter requirentes, quatenus aure pia, compaſſivo animo, cordeque materno, filiorum tribulationem veſtra ſancta ſynodus animadvertat, & noſtris oppreſſoribus ſua ſcelera annuntiet, quaſi tuba vocem exaltet, ex adverſo aſcendens, ſe murum pro domo Domini opponat, & vobiſcum quaſi acies ordinata, ſagittas divinæ pharetræ contra præfatos diffidatores, modos & vias congruentes, pœnas & cenſuras decretas concite jaculare ſatagat, ſynodi membra vobis pro reformatione & eccleſiæ defenſione incorporata, offenſorum ac deformatorum nomina ſortiantur. Eia, patres reverendi, amore Jesu, cujus res agitur, conſtanter agite, conſilium auxiliumque nequaquam differentes, immo prædictos dominos Ulricum & comites de *Spaenheim* & de *Virnenberg*, ut ab injuſtis hujuſmodi moleſtiis & inſolentiis deſiſtant acrius increpando, obſecrando, arguendo compellite, ne, quod abſit, videntes nos veſtro debito fruſtratos ſubſidio, inter duo mala minus malum eligere, & in dominia monaſteriorum & collegiorum atque ſuburbiorum eorumdem noſtræque civitati contiguorum, ad ipſam civitatem expugnandam aptiſſimorum, quemadmodum vulgus, quem cohibere nequimus, incœpit, neceſſitate compulſi, quamquam inviti, irruere arceamur, cum ipſius noſtræ civitatis, ad quam notabilior clerus Trevirenſis confugit, continuata deſolatio toti Trevirenſi eccleſiæ damnabiliter irrecuperabilemque jacturam minetur & ruinam, prout veſtris dominationibus oculatæ circumſpectiones Sancti-Spiritus irradiantes fulgoribus melius nobis haud dubium conjicere prævalebunt. Omni enim tempore eramus & fuimus parati, & præſentibus nos paratiſſimos offerimus coram veſtris dominationibus aut ſereniſſimo principe Romanorum rege illuſtriſſimo, juris & veſtro ſeu ejus ſtare dictamini vel decreto. Reverendiſſimi patres & domini, non deſpiciant veſtræ dominationes hoc noſtrum neceſſitatis exile ſcriptum, cum honeſtiorem ambaſſiatam, quam V. D. decere fatemur, & mittere non poſſimus, & ipſa viarum hinc inde præcluſarum diſcrimina penitus non permittant. In his agant D. V. R. contentioni lacrymabili medendo ſalubriter, quemadmodum ex officii debito, non tam pro nobis, quam pro vobis Chriſto præfato juſto terribilique judici debetis reddere rationem, qui vos in ſingulis agendis taliter dirigat, ut ſinguli in extremi die judicii ſibi dictum hoc dulciſſimum verbum *Venite benedicti* lœti audiant. Datum noſtro ſub ſecreto ſigillo, XVIII. menſis Januarii MCCCC. XXXII. juxta ſtilum ſcribendi Trevirenſem.

Sacræ veſtræ concionis filioli humiles, magiſtri civium, ſcabini, conſules & tota communitas metropolis Trevirenſis.

INFRA SE QUUNTUR EA quæ dominus imperator libentiſſime fecit ad promotionem ſacri concilii Baſileenſis, lecta in congregatione generali, die Martis XX. Januarii MCCCCXXXIII.

Anno 1433. 20. Januar. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

PRimo quando dominus cardinalis legatus & illi patres miſerunt ad regiam majeſtatem in *Ffelkneh*, &c. quod ex tunc regia majeſtas incontinenti depuravit locum tenentem ſuum. Item, miſit ad eos Baptiſtam Cigala eos confortando, & de omnibus favoribus regiis aſſecurando. Item, qualiter demum regia majeſtas miſit iteratis vicibus univerſis regibus, principibus, & etiam prælatis, ut ad concilium properarent. Dedit etiam operam dum in Lombardia eſſet apud ducem Mediolanenſem & ducem Sabaudiæ & alios, ut prælatos ſuorum dominiorum mitterent. Et omnia conferebat ſua majeſtas quæ erant ad favorem ſacri concilii.

Item, poſtquam ſua regia majeſtas de Mediolano ad Placentiam ſe transferret animo Urbem Romanam intrandi, & coronas ſuas ſuſcipiendi, & alias res imperii peragendi; & dominus ſummus pontifex ſuæ majeſtati mitteret bullas diſſolutionis & mutationis concilii, majeſtas domini noſtri regis moleſte tulit illud, & incontinenti ad ſanctitatem papæ ſcripſit, & miſit rogando & adhortando, ut illam diſſolutionem toti Chriſtianiſmo damnoſam tolleret: quoniam ſua majeſtas non poſſet niſi concilio & univerſali eccleſiæ in tantis bonis adhærere. Id idem ſuæ ſanctitati nunciavit per oratores apoſto-

licos ad Parmam ſuæ majeſtati miſſos. Similiter de Parma ſuper illa materia ſuos ſolemnes ambaſſiatores miſit ad papam, videlicet dominum Johannem *de Swihovv*, dominum præpoſitum Albanenſem, & dominum Nicolaum *Scok* decretorum doctorem. Et tandem a Senis iterum multum celebrem ambaſſiatam miſit, dominum Curienſem videlicet, dominum Ladiſlaum Cruciferum, Nicolaum *Scok*, & Nicolaum *Wadem* nobilem. Scripſit etiam univerſis orbis principibus, ut hujuſmodi diſſolutionem non admitterent, ſed ſacro concilio adhærerent. Tandem ultimo de menſe Novembris, iterum miſit ſuos ſolemnes oratores, videlicet dominum Curienſem, dominum Laurentium mareſcallum, & dominum Gaſpar *Sligk*, & multas privatas ambaſſiatas, inſtando apud papam ut propoſitum ſuum dignaretur mutare, etiam in omnibus legationibus ſemper addendo, quod niſi ſua ſanctitas concilio adhæreret, majeſtas regia non vellet coronam de manibus ſuis ſuſcipere, ſed concilio adhærere.

Item, majeſtas regia poſt adventum dominorum cardinalium ad Senas, diſpoſita erat etiam ſe periculis quibuſcumque ſubmittere, & Urbem intrare, & dominum apoſtolicum viſitare, ut ſaltem ipſum perſonaliter poſſet mulcere ad mutandum propoſitum, ſemper præponendo facta concilii privatis ſuis commodis, de quibus ante multos menſes habuiſſet finem, ſi ſola facta concilii non obſtitiſſent.

HIC SEQUUNTUR QUÆ DOMINUS imperator paſſus eſt, & libenter ſuſtinet, propter adhæſionem ſacri concilii, lecta ut ſupra.

PRopter iſtos favores per majeſtatem regiam ſacro concilio impenſos, dominus apoſtolicus contra majeſtatem domini noſtri rancorem & indignationem concepit, & ſibi multa incommoda quantum potuit procuravit: primo per mundum ſuam majeſtatem de fautoria hæreſis infamando, prout inſtructiones quas Johannes de Prato portavit declarant. Item, regnis ſuis ipſum privando, & aliis diſtribuendo, & imperium etiam donando, in alios, ſi potuiſſet, transferre. Item, poſtquam regia majeſtas intravit Tuſciam, ipſe dominus apoſtolicus ſe cum Florentinis publicis imperii rebellibus colligavit contra majeſtatem regiam, & terras imperii, & gentes eccleſiæ ante Lucam contra dominum noſtrum regem venerunt, & hucuſque ſemper ubi potuerunt, territoria Senenſia & alia imperii loca offenderunt, & ad hoc hodie procurantur omnia, quæ excogitari poſſunt ad provinciæ damnum & deſtructionem ſuæ majeſtatis & imperii, quæ omnia ſua majeſtas patienter & voluntarie ſuffert amore ſacri concilii, & ſuſtinebit uſque ad mortem.

Et quia majeſtas regia talia incommoda & pericula propter ſacrum concilium ſuſtinet; iſti domini oratores habebunt patres illos hortari & requirere, & ſic dux WILLERMUS hortetur, ut ipſi hujuſmodi conſtantia, fide, & ſinceritate domini noſtri inſpectis, honori & dignitati & ſtatui ipſius providcant, prout opportunum fuerit, & dominus noſter de ipſis indubiam gerit fiduciam, quoniam ſi hoc non fieret, dominus noſter rex magna incurreret pericula, certificando eos, quod dominus noſter rex eis numquam deficiet, nec eos deſeret uſque ad mortem; & ſi aliquid eis contrarium ſuggereretur, nullatenus credant.

LITTERA

miſſa per concilium domino Romanorum regi, decreta in congregatione generali die XXIX. Januarii MCCCCXXXIII.

Gratias agunt patres de invariabili adhæſione ad concilium.

SAcroſancta generalis Baſileenſis ſynodus, in Spiritu-ſancto legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentans, cariſſimo eccleſiæ filio SIGISMUNDO Romanorum, Hungariæ, &c. regi illuſtri, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem. Anno 1433. 29. Januar. *Ex inſ. S. Spiritus.*

Litteras tuæ ſerenitatis, quibus laudabile tuæ intentionis propoſitum, quo hujus ſacri concilii protectionem, eique firmam & immutabilem adhæſionem cordi tuo regio conſtanter & immobiliter ineſſe oſtendiſti, ac in futurum invariabili mentis propoſito polliceris, læto admodum, quin immo lætiſſimo ſuſcepimus animo, Deo noſtro maximas gratias peragentes, qui tales generoſo tuo animo conceptus inſpirare dignatur, & his periculoſis temporibus eccleſiæ ſuæ tam fidi conſtantiſque principis velut dextræ manus patrocinium impertiri, tuæque excellentiæ pium affectum cum veriſimili conſtantia laudum præconio commendamus, immortalemque futuram eſſe laudis tuæ memoriam profitemur in Dei eccleſia, & orbe univerſo, pro hac tua firma huic ſacro concilio aſſiſtentia & vigili cura atque favore, honoremque & ſtatum tuum omnifarie commendatum habere. Volumus quoque tuam excellentiam certam eſſe & orbem univerſum, omnes qui ſunt in hoc ſacro concilio divino munere congregati, cum omni unanimitate conſtantique ac invariabili propoſito, ad ejus proſecutionem eſſe firmatos, ac ſicut hactenus prætenſæ diſſolutioni per dominum papam attentatæ, quia contra expreſſam diſpoſitionem decretorum ſacri Conſtantienſis concilii & hujus, & in perturbationem ac ſcandalum univerſalis eccleſiæ vergebat, minime locum dedimus, ſic neque in futurum

dabimus quovis modo; quin potius omni quo poterimus ſtudio & diligentia proſequi illa ſancta opera intendimus, propter quæ hoc ſacrum concilium in Spiritu-ſancto congregatum eſt, cujus clementiam continue exoramus, ut huic noſtræ ſanctæ intentioni aſpirare dignetur ad profectum fidei orthodoxæ & totius populi Chriſtiani. Datum, *ut ſupra.*

EPISTOLA SIGISMUNDI regis Romanorum ad concilium Baſileenſe.

Excuſat cardinalem Rotomagenſem quod hactenus non acceſſerit ad concilium.

Anno 1433. 2. Februarii. *Ex mſ. Apicianô.*

REverendiſſimis ac venerabilibus in Chriſto patribus & dominis ſacroſanctæ generali Baſileenſi ſynodo in Spiritu-ſancto legitime congregatæ, &c.

Reverendiſſimi in Chriſto patres & domini, ac venerabiles, grate & ſincere nobis dilecti, quantum aſſectamus & deſiderio ſummo deſideremus augmentum ſacroſancti Baſileenſis concilii apud V. P. clarum eſſe ſcimus, & ſic quemadmodum huc uſque attentiſſima ſtudia adhibuimus, ita non ceſſamus quotidie totis viribus operari, ut ipſum ſacrum concilium feliciter proſperetur. Eramus etiam multum grati, quod reverendiſſimus in Chriſto pater dominus Jo. (a) cardinalis Rotomagenſis princeps noſter & amicus cariſſimus iter illuc accedendi aſſumſerat, & procedere infallanter diſpoſuit. Nam ejus præſentia tam auctoritate quam ſapientia & rerum experientia eidem ſacro concilio multum conferet. Sed inductus fuit quidam tractatus noſtrum & imperii ſacri commodum præſertim concernens inter noſtram majeſtatem & communitatem Florentiæ. in quo paternitatis ſuæ interpoſitio tamquam ſacri imperii principis nobis grata & opportuna, partibus vero aliis neceſſaria fuit; in quo paternitas ſua fere duobus menſibus fideliter ac diligenter laboravit, & ad tantum Deo volente deventum eſt, ut pro finali concluſione ſua paternitas denuo ad nos verſus Senas redeat, ac ſua proſecutione ſui itineris verſus ſacrum concilium ſuperſedebit, & adhuc parvam moram facere habebit; quæ, ut ſperamus, ſacro concilio nedum diſpendioſa, ſed per Dei gratiam propter fructus ſecuturos, multum proficua erit. Idcirco veſtras paternitates attente petimus, & hortamur, ut mora ſua veſtris paternitatibus non ſit diſplicibilis, nec ſuſpecta; ſed velint eum excuſatum ſuſcipere, quia non tardabit ad paternitates veſtras feſtinare, & ſic etiam noſmet attenti & ſolliciti erimus, nec de ſua ſincera intentione quam gerit & habet ad bonum eccleſiæ, & ut ſacrum concilium feliciter progrediatur, eſt in aliquo dubitandum, prout ex colloquiis cum paternitatibus ſuis habitis firmiter conjecturamur, & ſperamus quod adventus ſuæ paternitatis proximum ſecum attrahet magnum fructum. Datum in civitate noſtra Senarum die VIII. menſis Februarii, regnorum noſtrorum anno Hungariæ XLVI. Romanorum XXIII. & Bohemiæ XIII.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. rex.

Ad mandatum domini regis
GASPAR SLIGK.

(a) Anno 1433. quo hæc ſcripta fuit epiſtola, præerat eccleſiæ Rotomagenſi Hugo d'Orges, qui non fuit cardinalis. Sed eum præceſſerat hac in ſede Johannes de Rupeſciſſa, qui ab anno 1429. ad alias cathedras tranſlatus, cardinalis Rothomagenſis titulum retinuerat.

EPISTOLA SIGISMUNDI regis Romanorum ad concilium Baſileenſe.

Monet eos de proximo adventu cardinalis Rotomagenſis & epiſcopi Curienſis.

Anno 1433. 23. Februarii. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

REverendiſſimis ac venerabilibus in Chriſto patribus & dominis, &c.

Reverendiſſimi in Chriſto patres & domini, amici cariſſimi, ac venerabiles & egregii ſincere nobis dilecti, decima octava die hujus menſis applicuit ad nos iſte nuncius, afferens nobis veſtras gratioſiſſimas litteras, continentes incluſa decreta præteritæ ſeſſionis: quæ licet dudum prius habuiſſemus per alios, tamen acceptiſſimum habemus quod veſtræ paternitates nos de ſingulis curant occurrentiis aviſare. Nec dilatio veſtris paternitatibus imputanda eſt, ſed viarum diſcriminibus & recluſioni paſſuum per totam fere Italiam, propter quod nuncius iſte diebus quam plurimis maris periculis ſe ſubmiſit. Verum quia reverendiſſimus pater dominus cardinalis Rothomagenſis & venerabilis epiſcopus Curienſis de omnibus conditionibus rerum noſtrarum, & deliberationibus mentis noſtræ nunc V. P. accedunt: idcirco nos hic non extendimus, ſed conamur omni ſtudio quantocius fieri poterit, ſacrum concilium viſitare. Datum in civitate noſtra Senarum die XXIII. menſis Februarii, regnorum noſtrorum anno Hungariæ XLVI. Romanorum XXIII. Bohemiæ XIII.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus & Hungariæ & Bohemiæ, &c. rex.

EPISTOLA SIGISMUNDI regis Romanorum ad concilium Basileense.

Mittit ei duas Eugenii IV. bullas ad concilium spectantes.

Reverendissimis ac venerabilibus in Christo patribus, &c.

Littera imperatoris lecta die Veneris XXVIII. *Martii* MCCCCXXXIII.

Anno 1433. 4. Martii. *Ex mss. Aquicinctinensi.*

REverendissimi in Christo patres & domini amici carissimi, ac venerabiles & egregii, nobis sincere grateque dilecti, sanctissimus dominus noster summus pontifex pridie per oratores venerabilium & illustrium nostrorum & imperii sacri electorum principum transmisit nobis bullam, notificans in eadem res illas quas sua sanctitas gessit & fieri deliberavit circa negotia sacri concilii Basileensis, juxta continentiam copiarum præsentibus inclusarum. Illas itaque V. P. ea de causa transmittimus, quamvis notitiam earumdem aliunde ad vos delatam non dubitemus, ut perlectis & pensatis singulis, salutem universalis ecclesiæ prospiciatis, ad hoc tendentes, ut schisma illud inveteratum, quod alias inæstimabilibus laboribus, sublatum fuit, omnimode evitetur, quemadmodum vestras paternitates suffragio Spiritus-sancti, qui sacrum concilium dirigit, facturas minime dubitamus. Nos quoque res nostras juxta posse nostrum his in partibus ita disponimus, ut vobis personaliter in brevi adesse possimus, cooperaturique quatenus in prosequutione harum salutiferarum rerum nullum scandalum oriatur, & ecclesia Dei in votiva unitate persistat. Et ut hoc fiat, reverendas paternitates vestras, laude Dei, & salute suæ sanctæ ecclesiæ, quo possumus affectuosius adhortamur, quemadmodum illustris WILLERMUS comes Palatinus Rheni, & dux Bavariæ, princeps & locum tenens noster, V. P. mentem nostram clarius deteget, cui velitis credere in dicendis. Datum in civitate Senarum die IV. mensis Martii regnorum nostrorum anno Hungariæ XLVI. Romanorum XXIII. Bohemiæ vero XII.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus, &c.

Gaspar, &c.

BULLA MISSA PER DOMINUM nostrum papam domino regi Romanorum, lecta ut supra.

Ex mss. Aquicinctinensi & Chauvelinian.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio SIGISMUNDO Romanorum, Hungariæ, &c. regi illustri S. & A. B.

A Ut tuæ serenitati & omnibus fidelibus Christicolis innotescat nostros omnes cogitatus numquam ad alium finem respexisse, nisi ad statum universalis ecclesiæ, incrementum fidei, & salutem populi Christiani, statuimus ut concilium universale Basileæ celebraretur, prout videre poteris per copiam litterarum nostrarum præsentibus interclusam. cum enim dudum ex honestis & justis causis concilium quod ibi esse dicebatur, ad civitatem Bononiensem transtulissemus, intendentes eo personaliter proficisci, tamen ut palam fiat intentio nostra, scilicet optimo animo & sincera mente nos id feciss, ad recludenda obloquentium ora, & ad omnes dissentionum materias funditus extirpandas, quæ ex causa exoriri possent, cum multorum principum precibus, tamen sponte nostra, pro bono ecclesiæ, non obstante illa B mutatione loci, volumus ut Basileæ hujusmodi concilium fiat, ad quam quamprimum nostros legatos cum Dei gratia transmittemus. Hæc tuæ serenitati significanda duximus, quam scimus ex hoc, sicut decet optimum nostrum & ecclesiæ filium, lætitiam susceperum. Datum Romæ apud S. Petrum C anno incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIII. XIV. cal. Martii pontificatus nostri anno II.

Lu. de Orto.

COPIA BULLÆ DELATÆ per ambassiatores dominorum electorum imperii, lectæ in congregatione generali die Veneris XXVII. *Martii* MCCCCXXXIII.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ad sacram Petri sedem divina disponente clementia evocati, &c. *extat tom.* 12. *conc. pag.* 934. D

LITTERA MISSA DOMINO imperatori per sacrum concilium, responsiva ad ultimam litterarum suarum.

Purgant se patres a suspitione schismatis.

SAcrosancto, &c. carissimo ecclesiæ filio SIGISMUNDO Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. regi illustri salutem, &c. *Ex mss. Aquicinctinensi & Chauvelitiano.*

E Accepimus pridem tuæ serenitatis litteras, & in his copiam inclusam quarumdam litterarum, quæ proximis diebus ex curia Romana emanarunt. Per has tuas litteras & ea quæ dilectus filius nobilis vir WILLERMUS Bavariæ dux tua vice hujus sacri concilii protector exposuit, nos exhortaris, ut pensatis singulis, salutem universalis ecclesiæ prospiciamus, ut schisma illud inveteratum, quod alias magnis laboribus sublatum fuit, omnino evitetur. Credimus non nisi bono zelo, quem

ad ecclesiam sanctam Dei & hoc sacrum concilium geris, id tuam serenitatem commemorare. Sed si diligenter considerentur quæ sint nostræ actiones, quibus sine intermissione ad profectum populi Christiani intendimus, quantaque gravitate & maturitate in omnibus rebus hoc sacrum concilium procedit, in mentem cujusquam cadere nullo modo poterit, ex parte hujus sacri concilii schisma posse contingere. Opera quæ ipsi facimus pro exstirpandis hæresibus, bellis ac deformitatibus, nostræ sanctæ intentioni testimonium perhibent. Verumtamen nihil est tam bene factum, quod per æmulos in malam partem interpretari non possit. Nam & Christus noster Salvator dum obsessos a dæmone liberabat, in Belzebuth dæmonia ejicere ab infidelibus dicebatur. Nemo est, nisi humana victus passione, qui si animadvertat studia, labores & diligentiam nostram, timere debeat ex his schisma procedere; sed potius ecclesiæ pacem & exaltationem sperare. Nos sicut legitimo initio ac sancto proposito concilium inchoavimus, ita Spiritu sancto nos dirigente in his quæ Dei sunt & reformationis ecclesiæ, calumnias æmulorum non formidantes, usque in finem perseverabimus. Scimus per infamiam & bonam famam hanc vitam duci necessarium fore, & qui pie volunt vivere propter Deum, persecutiones pati oportere. Sed ipse Spiritus sanctus, in cujus nomine congregati sumus, nos consolatur, spem tribuens, quod qui nunc nobis injuste detrahunt, adhuc facta nostra salutaria laudare compellentur. De hoc sacro concilio adhuc verificari speramus quod de Salvatore nostro prædictum fuerat: *Venient ad te qui detrahebant tibi, & adorabunt vestigia pedum tuorum.* Tuam vero serenitatem decere arbitramur, ut tales falso calumnias objectas nobis patienter non ferat. Cum ergo omnis nostri progressus sanctique propositi conscius sis, has calumnias regia animositate confutare debes, & inter dentes obloquentium hujusmodi obtrectationes pro tua auctoritate contundere. Illud vero quod præfatus dux vigore credentiæ, de mentis tuæ firmitate ac constantia ad favorem sacri concilii subjunxit, quamquam gratum nobis fuerit audire, supervacuum tamen judicamus. Nam cum mente revolvimus quæ ac quanta tua sublimitas pro sacro Constantiensi concilio & isto fecit, quotque & quales litteras nobis & omnibus fere principibus scripserit, quod usque ad sanguinis effusionem & mortem inclusive, ut verbis tuæ serenitatis utamur, cum hoc sacro concilio permanere intendebat, incredibile judicamus tuum regium animum quavis occasione a devotione hujus sacri concilii posse immutari. Absit, ut talem principem aliter facturum esse credamus, quam quod tam patenti præconio per orbem terrarum sæpissime prædicavit. Datum, &c.

EPISTOLA RODERICI de Villa Andrado comitis, ad concilium Basileense.

Offert concilio sua servitia.

Anno 1431. 6. Martii. *Ex ms. Aquicinctensi*

SAcrosancto concilio generali Basileensi humiliter præsententur.

Sancti ac reverendissimi patres, ceterique venerabiles domini, in sacrosancta & Spiritu-sancto congregata Basileensi synodo, vester servitor & amicus RODERICUS DE VILLA ANDRANDO comes de Rybadeo, consiliarius ac camerarius regis Francorum, debita cum promtitudine serviendi humili recommendatione præmissa.

Vestris paternitatibus & dominationibus, dictæque sanctæ synodo Dei primo ob reverentiam, servitiumque universalis ecclesiæ, honorem & contemplationem reverendissimi in Christo patris & domini mei ac præceptoris domini A. tituli S. Eustachii sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, offero me promtum & paratum, si in aliquo mei possibilitas eidem sanctæ synodo potest prodesse vel servire. Supplicans ut me suum minimum servitorem habeat recommissum: quoniam ex parte mei contemplationibus prædictis & quam plurimum præfati domini mei cardinalis, in & ex parte vestri mandatis non erit defectus, domino auxiliante, qui sua misericordia præfatam sanctam synodum & vos omnes conservet & conducat ad sui servitium & honorem. Scriptum festinanter, breviter & inordinate more gentium armorum in S. Martino de Leva, VI. Martii MCCCCXXXIII.

Vester servitor
RODRIGO DE VILLA ANDRADO.

PROPOSITIO FACTA

Per magistrum Johannem de Mella protonotarium, alterum ambassiatorem domini nostri papæ, in generali congregatione concilii Basileensis, die VII. *Martii* MCCCCXXXIII.

Anno 1433. 7. Martii. *Ex mss. Aquicinctens. & Chartvelliano.*

Noli timere, filia Sion, ecce rex & pastor tuus venit tibi mansuetus. Reverendissimi, reverendi, venerabiles, optimi ac ampliſſimi patres, sanctissimus ac beatissimus dominus noster EUGENIUS papa IV. verus Christi vicarius, ac legitimus Petri successor, cui a nostro redemtore JESU jura & cœlestis & terreni imperii potestas, & non ab hominibus tradita sunt, quæ ab apostolis maxima fuere cum veneratione custodita, cui soli oves pascendas commisit, ac eidem claves regni cœlorum se traditurum promisit & tradidit; qui totius universalis ecclesiæ unum & verum est caput; post salutem & apostolicam

benedictionem ac suam, aliqua nobis injunxit, quæ ex injuncto legationis officio horum patrum reverendorumque dominorum meorum communi præcepto vestris coram dominationibus reverendissimis explicabo, per quæ pacem in plebem suam loquetur ac unitatem, quod cujuslibet bene regentis & gubernantis finis existit. Nec ad sententias vel processus aliquos fulminandos, scandala aut seditiones aliquas procurandas, missi sive destinati sumus, sed ad omnem pacis & concordiæ viam caritative procurandam, primo per innocentiam & sinceritatem, secundo per clementiam & pietatem. Non enim occultum existit, quod vir Dei SS. dominus noster papa EUGENIUS IV. ab ipsius cunabulis usque ad hanc sic vixerit ætatem, ut præter * puram vitæ continentiam, largam in pauperes liberalitatem, nimiamque in omnes alios pietatem ampliſſimam exercuerit, & dum in minoribus constitutus existeret, toto mentis desiderio morum in clero ac populo introductionem, guerrarum, hæresum, falsorum dogmatum affectaverit exstirpationem, tam per concilii celebrationem, quam Romani pontificis provisionem: immo cum lacrymarum effusione & orationum continuatione per se & alios Dei servos hanc a Domino sæpius gratiam postulabat; & dum prædicta a Domino humillime postulabat, sicut Domino placuit, felicis recordationis MARTINUS papa V. exitit vita functus, & sua sanctitas canonice ad summi fuit apicem apostolatus assumta; & illico post ejusdem assumtionem, tempus, in quo suum poterat devotissimum propositum adimplere, advenisse considerans, id omne etiam, quod in sacro Constantiensi concilio diffinitum, & a piæ memoriæ MARTINO papa V. ejus prædecessore, cum Senensi fuerat concilio deliberatum, executioni volens debitæ demandare, bullas & commissiones sub certis modis, ampliſſimis formis, reverendissimo in Christo patri ac domino JULIANO S. R. E. diacono cardinali, apostolicæ sedis legato, hic præsenti, pro sacri prosecutione concilii demandavit, ut in eisdem bullis latius prospicitur contineri; & si quid in contrarium actum esse constaret, non nisi bono ac sancto zelo, & ut in ejusdem celebratione sanctissimus dominus noster pastor ac papa, cui gregis Dominici cura commissa existit, personaliter interesset, quod semper desiderio maximo affectavit, ut videlicet in suæ sanctitatis ac reverendissimorum dominorum cardinalium de sacro collegio præsentia, totius Christianitatis convocatis principibus ac prælatis, ac aliis qui vocandi essent & possent commode interesse, dictum celebraretur concilium, ut omnium Christianitatis partium notitia reserata, ibi sufficiens adhibeatur antidotum, ubi vulnus compertum erit esse repertum, ad Dei laudem, cleri & Christiani populi reformationem; quod suæ sanctitatis summum fuit & est desiderium. Quis igitur, præmissis diligenter inspectis, non comprehenderit suam sanctitatem esse innocentem, cum prædicti concilii celebrationem tam ardenter & ferventer procuraverit, & cum quanta hoc fecerit sinceritate & animi puritate, prædicta manifestant? Innocens igitur & sanctus manifeste comprobatur. Suæ igitur sanctitatis innocentia, sinceritate & veritate manifestatis, cedat opinio suprадictis, ne illa universo orbi optata gloria optimum ac sempiternum nomen, quæ ex pace & ecclesiæ unitate in sacro Constantiensi data concilio, hæc tam ampliſſima sibi acquisivit Germania, nunc sibi ad crimen adscribat & culpam. Ad eum enim, cujus beatissimus dominus noster in terris vicarius existit, cum illo psalmigrapho clamare non cessat, dicens: *Judica me Domine secundum justitiam meam, & secundum innocentiam meam super me, quia in te sperans non infirmabor.* Et sic de primo, in quo dixi Regem tuum per innocentiam & sinceritatem tibi venire taliter qualiter expeditis, accedo ad secundum, in quo dixi, quod rex & pastor tuus venit tibi mansuetus per clementiam & pietatem, & non immerito. Debet enim summus pontifex talis esse, cum vicem Dei teneat in terris, qualis ipse Dominus est, cujus gratia vices tenet. Ait enim propheta: *Magnus Dominus & magna misericordia ejus.* Cum igitur pius, misericors ac largus sit Deus, ejus non debet vicarius ac minister tenax existere aut avarus. Nullus enim potest majorem pietatem ac clementiam ostendere, quam summus pontifex, princeps, & qui in terris superiorem non habet monarcham; qui rejecto quocumque rigore, cum nimia mansuetudine & pietate filios & fratres per suos convocat oratores, ut ecclesiam sanctam, puriſſimam matrem, immaculatam Christi sponsam, & columbam a diu plangentem & lacrymantem, per veram unitatem ac pacis fœdera consolentur. Et licet omnes Christi fideles, Dei & ecclesiæ per creationem & baptismi regenerationem filii existant; specialius tamen S. R. E. reverendissimi cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, qui JESU CHRISTI legati, & domini papæ fratres, ac præcipui ac spirituales * sunt patres, & ecclesiæ columnæ immobiles comprobantur; & nihilominus sacerdotes, magistri, doctores, ceteræque ecclesiasticæ personæ, genus electum, qui propter concilii magnitudinem & virtutum abundantiam, seniores ecclesiæ comprobantur. Cum igitur in Dei ecclesia multi filiorum consumti essent, nomen Dei despicientes in utroque genere Christianorum, alii per discordiæ, guerrarum, turbinum & calamitatum vias, alii per morum deformitatem, & sanctorum patrum decretorum & præceptorum non observantiam, alii per hæresum introductionem

*al. puræ.

*al. speciales

in gravem orthodoxæ fidei læsionem, populi Christiani & ecclesiarum ac etiam clericorum devastationem, quibus in sua peccatorum involutione durantibus, juxta Moisi canticum, fame forsan consumentur, & eos aves morsu amarissimo devorabunt. Volens præterea mansuetissimus, pius, & clemens dominus noster papa EUGENIUS IV. sanctissimus discordiarum sordes, guerrarum commotiones, morum deformationes, hæresum introductiones, in suis & ecclesiæ filiis exstirpare; cum Dei ecclesiam per viam, quæ Christus est, non deducant, sed sordibus scelerum prædictorum coinquinati existant, ac finis sui & Christi & ejus ecclesiæ minime recordentur: qui Christus nostrorum fons erit desideriorum, quem sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine fatigatione laudabimus, Redemtoris nostri exemplo pedes & sordes lavare & mundare omnium præfatorum, suorum videlicet & ecclesiæ filiorum, quacumque injuria, justitia & rigore circa ea quæ in præteritum gesta sunt, in totum seclusis & rejectis, attento quod nullum magis, quam principem, ut dixi, clementia deceat, mittit istos patres meos & majores, & me ad R. P. V. ut cum eisdem tractent, ordinent, & concludant aliquam bonam & honestam pacis & concordiæ viam, ad laudem Dei & ejus sanctæ ecclesiæ Dei augmentum ac religionis Christianæ, suæ sanctitatis & vestrum omnium hic astantium honorem, quos in fratres & peculiares filios, ut semper habuit, vult habere, & juxta nobis traditas per sanctitatem suam informationes & instructiones, cum dulcedinis benedictione & caritate perfectissima generale concilium celebretur. Quis namque tam præcelsi patris innocentiæ tamquam devotus filius non assurget, ut tot quot discordia mala generare consuevit, evitet, & dicat: *Benedictus qui venit in nomine Domini?* Veni ergo, sanctissime pater, libera, adjuva, protege & defende nos, quia a Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Eia ergo, milites magnifici, sanctæque Romanæ ecclesiæ cardinales reverendissimi, ceterique prælati, sanctissimi Christi legati doctissimi, aliique patres & domini *optimi, induimini armis lucis, prout semper optastis & fecistis, ut dum tempus & lucem habetis, ac talem ac tam sanctissimum optimi desiderii patrem verumque pastorem, qui animam suam pro ovibus sibi commissis paratus est ponere, Christi Salvatoris nostri ac sui magistri doctrinam imitans, procuretur sanctæ Dei ecclesiæ matris nostræ consolatio, quæ quotidie clamat, & filios suos plorat, & lacrymæ ejus pendent adhuc in maxillis ejus, nec nisi solius Dei restat eidem consolatio, & sanctissimi domini nostri & vestrum reverendissimarum paternitatum, ut in diebus nostris non vituperetur ministerium nostrum, aut scandalum aliquod oriatur. Sed pro pace, unione & Christi fide ampliandа exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in jejuniis multis & orationibus, cum multa patientia & concordia ac etiam unitate, ut in extremi judicii die immunes a vitiis reperiamur & in Dei caritate concordes, ut sic cum Domino Deo nostro, qui nos ex nihilo procreavit, qui est Rex regum, pacificus & mansuetus, cum mansuetudine atque clementia nobis nostrum papam recipientibus, sic benigne & cum clementia venientem, in æterna gloria recipiamur, quam omnibus concedat, qui sine fine vivit & regnat. Amen.

al. ccimii.

PROPOSITIO (a) FACTA per dominum abbatem S. Mariæ de Moniacis alterum ambassiatorem domini nostri papæ Eugenii IV. in concilio Basileensi MCCCCXXXIII.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-sancti. Amen. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.* Recitata fuere hæc verba in epistola primæ Dominicæ hujus quadragesimæ ecclesiæ nostræ militantis. Reverendissimi cardinales, illustris dux, clarissimi antistites, varii ecclesiarum prælati, juris divini & humani doctores doctissimi, ceterique astantes plurimum eruditissimi, & in Christo fratres dilectissimi, exigeret amplissimus cœtus vester in primo dicendorum alloquio; orationem ornate compositam & mature digestam, quæ cujusque vestrûm dignitatem, prudentiam, sapientiam, eloquentiam, atque alias venustates & dotes summas in medium adduceret, & rem ipsam piissimam, Deo gratissimam & hominibus salutiferam, de qua paulo post dicturus sum peroraret. Sed tria sunt, patres reverendissimi, quæ me ut adplausum eloquentiæ præterirem, & levi * atque plano stylo agerem, non modo persuasere, sed vehementer impulerunt. Illud quidem in primis est, quod juventutis meæ florem, non in hoc dicendi genere, sed in aliis scientiis, veritatem, pietatem, divinarum humanarumque rerum notitiam concernentibus fere consumsi, & Cicerone eloquentiæ flore & fluvio teste uberrimo, nec imperatores, nec medici, nec denique oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine usu & exercitatione consequi possunt. Silentium autem imperito eloquio omnes philosophi atque morales non immerito prætulerunt. Rursus quia apud personas vestras ampliffimas propheticum oraculum illud adimpletum fore intueor: *Labia sacerdotis custodiunt sapientiam, & legem re-*

Anno 1433. *Ex mss. Aquietanicis, & illustrissimi domini Chauvelin.*

* *al.* communi.

(a) *al.* Oratio domini Nicolai abbatis S. Mariæ de Moniacis, apostolicæ cameræ auditoris, alias Siciliæ.

quicunt ex ore ejus. Cum enim vos omnes, patres doctiſſimi, diſciplina, ſcientia & eloquentia refulgentes videam, quid rem ipſam veſtris ampliſſimis judiciis referendam verbis exornabo? quid apud vos doctiſſimos perſuaſione atque rethoricæ artis lepore opus eſt, cum vos omnes magiſtros in hac re conſpiciam? Quid namque a me aut expolitum ingenium, aut eloquentia lautum emanare poterit, quod veſtris acutiſſimis ingeniis non videatur incultum atque perfacile? Amplius & tertio cum rem ipſam illico ſubjiciendam, veritatis nitore ſubnixam videam, ratus non ſum eam ipſam verborum lenocinio indigere. Canon mihi teſtis locupletiſſimus eſt, inquiens, cum ſupervacuis laborare impendiis, qui ſolem certat facibus adjuvare, quoniam gratiæ plenitudo adjectione non indiget, nec ulla requirit commendationis argumenta. Divertam igitur, pace omnium veſtrùm, ad illa, ob quæ ad hoc ornatiſſimum domicilium dulciter atque gratiſſime paternitates veſtræ reverendiſſimæ ſe duxere conferendas, illius cunctorum opificis pollicitatione fretus, qui per vatem ſuum inquit: *Dilata os tuum, & ego adimplebo illud;* denique per alium: *Clama, ne ceſſes, exalta quaſi tuba vocem tuam*, omnibus vere in Chriſto credentibus. Patres reverendiſſimi, admodum diſſentio atque ſcandalum inter SS. in Chriſto patrem & dominum, dominum EUGENIUM divina providentia ſummum antiſtitem quartum, & congregationem veſtram ampliſſimam, noviter ſubortum innoteſcit: quod ego ex antiqui hoſtis verſutia ſuggeſtum & accenſum eſſe non hæſito. Is enim in angelum lucis ſæpenumero ſe transfigurat, & ſub obtentu bonitatis, reformationis eccleſiæ atque pacis, ſciſſuram, hæreſes & ſcandala inter homines & præcipue prælatos reliquoſque clericos, qui laïcorum ſunt oculi, ſuggerit, ut diſperſis atque diviſis clericis, illud pſalmographi adimpleatur: *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſa eorum ſemper incurva.* Habet enim ipſe malignus hoſtis, ut belliſſime inquit canon XVI. q. II. *Viſis.* mille nocendi modos, nec ignoramus aſtutiam ejus. Conatur namque a principio ruinæ ſuæ unitatem eccleſiæ reſcindere, caritatem vulnerare, ſanctorum operum dulcedinem invidiæ felle inficere, & omnibus modis humanum genus evertere & perturbare. Dolet enim ſatis & erubeſcit, caritatem, quam in cœlo nequivit habere, homines conſtantes ex lutea materia in terra tenere. Unde oportet quantum fragilitati noſtræ conceditur, ut omnes aditus nocendi ejus verſutiæ muniamus, ne mors ingrediatur portas noſtras. Eccleſiæ reformationem omnes quærimus, ſed cavendum ne, proh dolor! nobis ſic conflictantibus, eam amplius deformemus. Quid enim ſciſſura atque ſchiſmate eam magis decolorat, denigrat, deformat, atque prophanat, cùm unica ſit ſponſa Chriſti, unici ſponſi, unici paſtoris atque vicarii? An ſciſſuræ eccleſiæ nefandiſſima mala ignoramus? eccleſiarum namque bona diripiuntur, vitia tolerantur, inſoleſcunt principes ſæculi, & ſuis pontificibus rebelles officiuntur; indevotiones ſurgunt, clerici conculcantur, unitas eccleſiæ confunditur, Deus offenditur & exacerbatur, & denique in hæreſes homines labuntur, cum teſte canone, vix ſine hæreſi ſchiſma conſiſtit, XXIV. q. 3. *inter ſchiſma.* Quamobrem cavere ſummopere debemus, patres optimi, ne quando laïci in nos clericos inſurgant, intuentes illud Hieronymi eulogium ſemel atque iterum per nos & ævo noſtro verificatum exiſtere; inquit enim, proh dolor! in quadam ſua epiſtola, & tranſumtive deſcribitur in canone *Transferunt* XXIV. q. III. quod veteres ſcrutando hiſtorias, invenire non potuit, ſcidiſſe eccleſiam & Domini populos ſeduxiſſe, præter eos qui ſacerdotes a Deo poſiti erant. Iſti enim ſecundum eum vertuntur in laqueum tortuoſum, in omnibus locis ponentes ſcandalum. Dare principibus & populis corporaliter colluctantibus pacem quærimus, ſed verendum eſt, ſi perrexerimus ut cœpimus, ne non modo corpora, ſed eorum animas ad conflictum maximum exponamus. Hæreſes ab his qui foris ſunt exſtirpare conamur, ſed annuat Deus pius & clemens, ne nobis hic diſſidentibus, graviores & deteriores inter nos inſurgant, & contemtibiles reddamur, non modo apud eos qui fidem noſtram odiunt, ſed etiam apud oves nobis commiſſas, quoniam ſecundum Gregorii eulogium, cujus vita deſpicitur, reſtat ut ejus prædicatio contemnatur. Erigite tandem, patres doctiſſimi, mentis oculos & conſiderate: Ecce enim fidei Chriſtianæ inimicos in foribus, & diſſidium non parvum in civitate noſtra accenſum. O Germania, verum germen & vera nobilitas, quæ tuis ſtrenuis actibus eccleſiæ matri tuæ contra nefandiſſimum & inveteratum ſchiſma pacem & unitatem in tuis finibus nupertime tribuiſti, ex qua ſiquidem re gloriam non modicam in præſenti & mercedem maximam in futurum conſequeris, patieriſne eam ipſam matrem tuam tuis in eiſdem finibus veluti canem ad vomitum & ſuem lotam ad volutabrum luti revolvi? Cavete, quæſo, patres optimi, ne concilia iſta univerſalia, quæ in ſynodo Conſtantienſi principaliter ob ſchiſmata eliminanda inſtitutionem habuere, ſciſſuram nobis afferant, & ſic antidotum convertatur in venenum, paſtor in lupum, medicus in aſſaſinum. At veſtrùm quiſpiam dicet: Nos ad pacem convenimus, & eccleſiam reformare cupimus. Eſt qui uno verbo & diſſidium tollere & pacem eccleſiæ & populo Chriſtiano dare poteſt. Profecto etſi hoc veritate niteretur, non tamen prorſus nos inſontes reddit,

dit, cum, teste canone in c. 11. *de novi operis*, ea quæ omitti & committi absque mortali peccato queunt, omitti & committi debent pro scandalo evitando, ac ea quæ petituri sumus non modo delictum, sed justitiam, ut arbitramur, continent manifestam. Præterea, patres doctissimi, si gentilium leges suadent bono viro, ut potius de jure suo decedat, quam litibus judicialibus involvatur, hinc Apostolus: *Quare non magis fraudem patimini?* quanto magis pro scandalo in ecclesia Dei & populo Christiano vitando, de jure suo, si quod in hac re competit, cedere debetis? Hoc idem & amplius SS. dominus papa EUGENIUS agere censuit. Et ut clarius morbus ipse scandali pateat, quatenus celerius & facilius antidotum præparetur, radicem unde insurrexit attingam. Dixere namque paternitates vestræ reverendissimæ dissolutionem, translationem, seu loci mutationem præsentis concilii per sanctissimum dominum nostrum EUGENIUM minime fieri potuisse de jure, eoque non obstante, ad ulteriora procedendum solemniter decrevistis, pluribus rationibus, argumentis & auctoritatibus moti utique non spernendis; quæ omnia etsi non insolubilia suæ sanctitati, atque aliis viris prudentibus, ob hanc causam in unum redactis viderentur; attamen non immerito vos omnes patres domus Dei zelo ductos restitisse arbitrata est. Ob quam siquidem causam nullas sententias contra principum jussa contemnentes fulminavit, sed more illius piissimi Salvatoris, cujus vices agit in terris, pietate, benignitate & clementia ad unionem, concordiam, & pacem revocare jugiter studuit, & novissime istis meis patribus reverendis & majoribus collegis & mihi indigno una ad hujusmodi rem electis & destinatis, tria sua sanctitas vobis patribus amplissimis referenda injunxit: primo ut vestris reverendis paternitatibus caritative suis verbis saluratis, & apostolica ac sua benedictione munitis, suam in hac re justitiam, ex qua resultat ejus innocentia, quam pauciss. mis verbis in medium adduceremus, non quidem disceptandi aut disputandi causa, tum quia medius judex deest, tum quia de jure suo etiam clarissimo non parum concedere pro scandalo evitando censuit atque firmiter decrevit; sed ne temere aut inconsulte Bononiæ concilium instituisse videatur, denique ne jura & potestates sedis apostolicæ contemni & comprimi conniventibus oculis patiatur, & quoniam ratio assignanda potest esse posteris profutura. Secundo ut suam clementiam, pium atque benignum animum & animi promtitudinem tam erga reformationem ecclesiæ, quam hæresum extirpationem, atque pacis inter Christicolas procurationem, apud paternitates vestras instructiones nostras referando, adduceremus. Tertio, ut una vobiscum super universalis concilii celebrationem, instructionibus nostris servatis, conveniremus.

Primum igitur aggrediens, idem SS. dominus noster papa inquit, nullam prorsus ex concilii Bononiensis institutione alicujus synodi aut summi pontificis constitutionem violasse. Quoniam licet duorum conciliorum, Constantiensis scilicet & Senensis institutione in septennium a fine dissolutionis synodi Senensis in hac ornatissima & jocundissima Basileensi urbe concilium generale fieri deberet. Attamen ex quo in termino communi consensu præfixo, scilicet post septennium, nec aliquibus mensibus postea fluxis, nemo de habentibus vocem consultivam & decisivam comparuit, videntur ipsi auctores ipsius concilii atque termini, contrario facto, ipsum eumdem terminum revocasse, & saltem pro illa vice celebrare velle destitisse. Nam quemadmodum eadem synodus potuisset communi consensu constitutionem illius capituli *frequenter* expresse revocasse, sicut expresse instituit, cum nihil sit tam naturale, quam ut unumquodque vinculum solvatur quod ligatum est. Ita potuit tacito consensu, saltem quoad illam vicem, constitutionem illam facto revocasse, cum facta potentiora sint verbis, & tacitum ab expresso regulariter non differt, secundum legitimas sanctiones. Et in hac sententia in pene similibus terminis consistere videntur majores nostri juris interpretes in commentariis suis super capitulo *Cum nobis* de Electionibus. Inquiunt enim, quod si capitulum ecclesiæ pro electione futuri pontificis communi concordia coarctavit sibi terminum juris, novum terminum præfigendo, quod licet minor pars compareat in termino, non potest aliis non comparentibus ad electionis actum non procedere: quoniam major pars capitularis non comparendo in termino, videtur illum terminum tacite revocasse. Sed dicet quispiam, Finis septennii a die dissolutionis synodi Senensis, est principium celebrationis novi concilii, ita quod etiam post septennium possint prælati quomodocumque convenire pro concilio celebrando. Profecto etsi applaudere hæc consideratio videatur, non tamen necessario concludit: nam ex ea sequeretur absurdum, quod quandocumque etiam per triennium post terminum comparerent alii prælati etiam pauciss. quod possent, aliorum contumacia accusata, procedere ad concilii celebrationem, & toti orbi legem dare: quo nihil absurdius; quoniam ex quo in termino minime comparuerunt, non potest aliquis eorum dici negligens, nec potest esse in facultate postea venientium aliorum accusare contumaciam. Opus est enim novam interpellationem per superiorem fiendam, ex quo in termino nemo comparuit. Non enim coguntur alii divinare aliorum adventum longe post termi-

num, nec etiam venire tenentur, cum tacite per non comparitionem in termino videantur terminum ſuſtuliſſe, ſicut in ſimili glo. ordinis noſtri ti. III. l. *Celſis*, ff. *de arbitris*. firmat, inquit enim quod ſi per me non ſtetit quominus in termino debito ſatisfacerem, opus eſt nova interpellatione, ad hoc ut in mora conſtituar. Ad idem quod notant, ſentit Baldus in commentariis in l. 1. cap. de *his qui pene*. Præterea & ſecundo, præſuppoſito quod in termino poſt ſeptennium aliqui comparuerint, & ſine præjudicio veritatis, præſuppoſito quod concilium conſtituiſſent; attamen loci mutatio tunc temporis facta per eumdem dominum EUGENIUM, expreſſe non comprehenditur in illa conſtitutione *Frequens*. Providet enim in duobus dumtaxat caſibus: Primus, cum inſtat cauſa rationabilis mutandi locum concilii congregandi. Et in hoc caſu præſtatur papæ facultas ipſum locum mutandi cum conſenſu & ſubſcriptione dominorum cardinalium aut duarum partium. Secundus caſus eſt in electione loci ſubſequentis concilii, quæ debet fieri per ſummum pontificem, approbante & conſentiente concilio, ante finem cujuſlibet concilii. Caſus autem noſter eſt tertius ibidem non comprehenſus, ſcilicet cum ex juſtiſſima cauſa inſtat mutatio loci concilii jam principiati ſeu congregari initiati. Cum ergo in iſto caſu non adimatur poteſtas papæ & cardinalium locum mutandi, juſtiſſima cauſa ſuggerente; videtur tacite data poteſtas, quia caſus omiſſus relinquitur diſpoſitioni juris, ac papa JESU CHRISTI verus vicarius omnia poteſt, clave diſcretionis non errante. Unde, inquiunt commentarii juris canonici in capitulo *Quanto* de tranſlatis, quod papæ & Dei unum eſt conſiſtorium. Itaque excepto peccato, poteſt papa quæ poteſt facere ipſe Deus. Quod nihil aliud eſt dicere, quam quod ſupra dixi, quod papa poteſt omnia, clave diſcretionis non errante, de quo in cap. 4. de Jurejurando; & in caſu noſtro ſuberant multæ legitimæ cauſæ locum mutandi, ut in litteris inde confectis plenius continetur. Una tamen ſuberat, cui in pace reſponderi non poteſt, quia cum Dominus noſter cuperet eccleſiam reformare univerſaliter, quia ab olim reformata non extitit, nec extra Italiam poterat ſe transferre propter notoriam corporis invaletudinem, debuit ad eum locum concilium convocare, quo perſonaliter cum ſua curia poſſet intereſſe. Nam ſi propter caſum obſeſſionis, guerrarum, peſtis, aut ſimilis caſus, illa conſtitutio *Frequens* expreſſe permittit loci mutationem, fortius longe ex mente videtur permittere papæ vicario JESU CHRISTI, qui eſt concilii caput; & debet eſſe auctoritas in ipſa reformatione propter corporalem ægrotationem. Nec obſtat aliquorum motivum dicentium, quod ſine papæ præſentia poteſt concilium celebrari, cum ſæpenumero etiam in caſu fidei, ejus legatis intervenientibus, concilia generalia celebrata & abſoluta eſſe leguntur. Fateor quidem papam hoc poſſe aliis delegare, ſed minime ad hoc arctari poſſe credendum eſt, cum ſua interſit, cui Chriſtus oves paſcendas commiſit, ut eccleſia eo præſente reformationem integram accipiat. Præterea & fortius, cum prælati licet pauciſſimi, in hac urbe Baſileenſi congregati, in quadam ſeſſione declaraverunt concilium iſtud fuiſſe congregatum inter cetera pro morum in capite & in membris reformatione; & ſic intendunt procedere ad reformationem capitis: tenebaturne papa vicarius JESU CHRISTI ad rem tam arduam & periculoſam per procuratorem comparere, cum ad rem arduam explicandam, etiam privatæ perſonæ morbo impeditæ, non arctantur, ad procuratorem conſtituendum, ut habetur in legitimis ſanctionibus? Cum ergo hæc reformatio legitime potuit fieri, prælatis proficiſcentibus ad ſuum paſtorem & vicarium JESU CHRISTI, præſertim in loco tertio; non debuit illa loci mutatio contemni, violari, nec damnari. Ad hoc quod in ſimili ſcribunt doctores in capite *Bonæ* 11. *de poſtulatione prælatorum*, inquientes, quod ſi canonici aliqui excitiii, ſine eorum culpa nequeunt propter metum tyranni, ad eccleſiam redire pro negotiis eccleſiæ explicandis, debent conſiſtentes in eccleſia ire ad illos excitiios, ex quo commodius negotia eccleſiæ extra eam expediri poſſunt. Sed dicet fortaſſis aliquis: licet conſtitutio illa *Frequens* expreſſe non providet per quem debeat locus mutari concilii actualiter congregati, ſatis tamen poteſt ex mente colligi. Nam ſi locus concilii ſubſequentis debet eligi & deputari per papam, approbante & conſentiente concilio, fortius debet requiri conſenſus concilii actualiter congregati, in mutatione loci ipſius concilii; cum magis poſſit inquietari ipſum concilium in mutatione loci, data congregatione, quam in electione loci concilii ſubſequentis. Ad hoc poteſt dupliciter reſponderi; primo, quod iſta conſideratio procederet, ubi congregatio prælatorum fuiſſet ſufficienter facta: ſed cum in caſu noſtro pauciſſimi prælati conveniſſent, ſaltem de habentibus vocem conſultivam & deciſivam, rationi magis convenit & auctoritati, ut magis concludatur iſte tertius caſus ſub primo quam ſub ſecundo, ut ſufficiat habuiſſe conſenſum & ſubſcriptionem dominorum cardinalium, vel majoris partis; præſertim cum ipſi domini cardinales, computatis epiſcopis, preſbyteris & diaconibus, eſſent numero plures, & majoris auctoritatis, quam illi pauciſſimi prælati, qui erant congregati in hac urbe Baſilcæ tempore mutationis loci. Amplius cum caſus iſte eſſet dubitabilis, ſtandum erat de-

clarationi ſummi pontificis & ipſorum dominorum cardinalium. Nam auctoritate divina & canonica dubia quantumcumque arduiſſima & obſcura, ipſe dominus papa cum ſuorum dominorum cardinalium conſilio vel aſſenſu declarare habet, ut habetur in eo libello qui Deuteronomium intitulatur, & declarative beliſſime continetur in cap. *per venerabilem.* qui filii ſunt legitimi. Item & ſecundo principaliter reſponderi poteſt, quod ex cauſa rationabili ac aliis nota, poteſt papa expreſſe venire contra conſtitutionem concilii etiam univerſalis, ſtatum eccleſiæ concernentem, ut notanter ſentit Innocentius & omnes ſcribentes poſt eum in cap. IV. de conſecratione, & Gloſſ. ord. in cap. *Ubi periculum* de elect. lib. VI. quæ dicit papam poſſe de plenitudine poteſtatis prorſus tollere conſtitutionem concilii, licet de honeſtate non debet abſque convocatione concilii hoc facere. Et idem ſentit Gloſſ. præterquam in articulis fidei in c. *Sicut* XV. d. Et in hoc caſu, cauſa rationabili ſubſiſtente, indiſtincte poſſunt jura intelligi, quod papa de neceſſitate non ſubjicitur conciliis; immo ejus auctoritas intelligitur excepta, ut in c. *Significaſti.* de elect. & XXV. q. I. in c. *Ex his.* Nec obſtat ſi dicatur illud verum, ubi concilium expreſſe non præfigit legem papæ, quia, ut dictum eſt, ex quo ſubeſt cauſa rationabilis, ejus poteſtas eſt excepta, cum teneat locum Dei in terris. Præterea etſi illa conſtitutio *Frequens* concernat univerſalem ſtatum eccleſiæ, quoad celebrationem conciliorum, ut colligitur ex ejus principio; non tamen quoad loci deſtinationem vel mutationem, cum in quolibet loco congruo poſſit eccleſia reformari, nec ex mutatione loci, eſt cauſa notoria facta per vicarium Jesu Christi. Perturbatur autem & decoloratur eccleſia, præſertim cum mutatio loci fieret ad liberiorem * reformationem conſequendam per applicationem membrorum ad caput.

* *al.* uberiorem.

Ultimo idem SS. dominus noſter allegat aliam cauſam, cui in pace reſponderi non poteſt, etiam præſupponendo, ſine veritatis præjudicio, quod locus etiam ex cauſa mutari non poſſit ſine conſenſu concilii actualiter congregati. Attamen cum cauſæ ſubſint mutandi in præcedentibus deductæ, paratus eſt in mutatione loci omnium veſtrum habere conſenſum, ut ſupra prælibatus ſum. Hæc dicta ſint non diſputationis cauſa, ſed ut eluceſcat ejus innocentia, quatenus morderi aut notari a quoquam aliud ſentiente non valeat. Et hæc breviſſime quoad primum. Proteſtatur tamen idem SS. dominus noſter, quod expoſcentibus cauſa & tempore, per verba longe ampliora cum pluribus auctoritatibus atque rationibus juſtitiam atque poteſtatem ſuam oſtendet, motivis veſtris ampliſſimis alias ejuſdem ſanctitatis oratoribus factis, ſpecialiter & ſerioſius reſpondendo, & hoc quoad primum nobis ſpecialiter commiſſum.

Ad ſecundum condeſcendens. Idem dominus noſter papa paratus eſt inpræſentiarum pro ſcandalo evitando ſuam juſtitiam negligere, & in hac re pietatem, clementiam & benignitatem imitari. Et quamquam plurimas inſtructiones reverendis patribus viriſque in hac parte majoribus, collegis & mihi una contulerit, ſucceſſive diverſis temporibus paternitatibus veſtris explicandas: attamen ut vobis reverendiſſimis patribus morem geramus, qui tantopere ſumma cum inſtantia nos omnes exoratos * feciſtis, ut pro ſcandalo evitando omnes ſimul illas reſeramus, libenter annuimus, ut etiam clare comprehendatis nulla verſutia, nulla duplicitate, nullaque dilatione in hac re nos velle uti. Prima ſiquidem inſtructio eſt, quod cum alias ex cauſis jam dictis SS. dominus noſter civitatem Bononienſem elegerit, nec hactenus ejus voto ſatisfacere curaſtis, iterum atque iterum paternis & efficacibus precibus quibus poteſt deprecatur, obſecrat, & exorat, ut illam civitatem Bononienſem pro celebratione concilii acceptare velitis, cum ſuæ ſanctitati & reformationi eccleſiæ veſtriſque commoditatibus congruere plurimum arbitretur. Eſt enim illa civitas de dominio eccleſiæ, ſpacioſa, decora, & ſcientiarum alumna, & in ea longe ſecurius, quam in terra aliena poteritis moram trahere, & paratum ſe reddet idem dominus noſter ad ponendum urbem ipſam cum ſuo comitatu & fortaliciis in eo exiſtentibus in manibus concilii, durante toto tempore concilii. Item paratum ſe offert remittere & annullare, ſi quid per eum contra vos aut veſtrum quemlibet occaſione iſtius concilii attentaſſet ſeu decreviſſet, & quod eadem congregatio veſtra ampliſſima faciet ut annulet atque irriter, ſi quid in præjudicium & dedecus ſedis apoſtolicæ fuiſſet attentatum ſub nomine concilii in hac veſtra congregatione. Tertio, ſi Bohemi ad illam urbem Bononienſem ſe transferre non vellent, contentus exiſtit ut continuetur hic concilium, quatenus concernet Bohemorum reductionem ad fidem catholicam, & ad procurationem pacis in populo Chriſtiano: ita ut ad hæc explicanda certus terminus præfigatur, ut eo elapſo poſſit intendi citius ad eccleſiæ reformationem. Secunda inſtructio, quod ſi votis juſtiſſimis ſuæ ſanctitatis in hac parte acquieſcere non velletis, contenta eſt ſua ſanctitas *, ut alium locum in regione Italiæ congruum & non ſuſpectum una nobiſcum eligatis, & in eo ſervatis prædictis in prima inſtructione, videlicet ſuper revocatione attentatorum & reductione Bohemorum, ex nunc fundetur concilium generale, ſeu iſtud ibidem continuari intelligatur. Tertia inſtructio, quod ſi malis ingra-

* *al.* exor re.

* *al.* velletis contentare ſuam ſanctitatem.

vescentibus, non vellent paternitates vestræ A suo desiderio acquiescere, ut sic præsentiam suam concilio exhibere valeat, parata est sua sanctitas, ad omne scandalum tollendum, ut res ista, cum justa postulet, committatur arbitrio XII. prælatorum hic existentium, neutri parti suspectorum, ac ambassiatorum, electorum imperii, & oratoribus, regum, ducum & principum hic existentibus, & si declaraverint petitionem suam supra factam esse justam, fiat concilium in Dei nomine in Italia cum modis factis. Si autem declaraverint utilius fore Christianitati, ut fiat in Almannia, quod in Dei nomine eorum arbitrium observetur, cum modis tamen & conditionibus in sequenti instructione reservandis. Quarta & ultima instructio, quod si nullis precibus atque persuasionibus ad prædicta induci potestis, contulit nobis facultatem, ut pro omni scandalo evitando eligamus una vobiscum locum in Almannia propinquum vel remotum huic urbi Basileensi, ubi generale concilium continuari intelligatur quoad reformationem ecclesiæ ibidem fiendam. His tamen modis adjectis, ut in hac urbe Basileensi, quam semper dilexit & diligit, firmetur concilium & continuetur, quoad Bohemorum reductionem, C ac etiam si videbitur paternitatibus vestris, quoad pacem in populo Christiano procurandam. Sed ex certis causis juste suæ sanctitatis animum moventibus, reformationem ecclesiæ vult differre ad locum per vos & nos communiter eligendum. Item, quod hinc inde fiat attentatorum revocatio, prout supra in prima instructione prælibatum est. Tertio, quod in reformatione ecclesiæ fienda non extendantur manus ad ardua, nisi data in concilio præsentia saltem LXXV. prælatorum, intelligendo tantum de patriarchis, archiepiscopis cum episcopis: quoniam D cum ab olim ecclesia non fuit generaliter reformata, conveniens est, quod tanta res in arduis saltem, cum forte sine scandalo ordinari * non possit, non ordinetur sine numeri prælatorum præsentia & assistentia. Quarto, ut ex parte suæ sanctitatis & concilii interea fiat prælatorum nova convocatio *, ut infra certum terminum, ad dictum concilium generaliter convenire debeant. Interea tamen poterit procedi in hac urbe Basileensi in casibus prædictis. Et hæc sunt E omnia, patres reverendissimi, quæ in instructionibus nostris continentur. Ad quas tamen me refero, si quis modus qualificativus per me fuisset omissus, vel aliter relatus, quam ibidem contineatur: quarum omnium copiam vestris paternitatibus libenter offerimus.

* *al.* provideri.

* *al.* conventio.

Postremo veniens ad tertium, paratos se reddunt hi R. P. atque collegæ majores & ego una ad conveniendum de loco pro concilii celebratione, servatis instructionibus no- B bis traditis, supra referatis, obnixe atque ex corde maximo paternitates vestras amplissimas exorantes, obsecrantes, deprecantes, quatenus aliquam ex prædictis instructionibus summa cum pace acceptare velitis, ut omne scandalum cesset, reassumendo verba thematis propositi, *Ecce nunc tempus acceptabile*, &c. dies profecto ista salutis est salus, quæ hodie illuxit, cum pro prædictorum reseratione, in manibus habeatis potestatem necis & vitæ, pacis & discordiæ, unionis & scissuræ. Nam omni occasione submota, omni figmento excluso, libere poterunt paternitates vestræ ecclesiæ Dei dare pacem, quietem, & morum integerrimam reformationem, nec impedimento erit loci mutatio, cum illico possitis capere locum satis propinquum, merito dictum est in themate, *Ecce nunc tempus acceptabile*. Et si hæc feceritis, nulli præstabitis offensionem aliquam. * Si autem contrarium decreveritis, quod absit, profecto vituperabitur ministerium vestrum. Non enim sine maximo totius cleri opprobrio totiens de papatu contendere, non utique sine læsione ministerii vestri, oves insurgunt in pastorem suum, & maxime clerici, qui laicorum oculi sunt, &, ut inquit, Hieronymus, qualis erit ædificatio discipuli, si magistro intelligat se esse majorem? & subjicit: hoc ecclesiam Dei vehementer confundit laicos meliores quam clericos esse, VIII. q. I. *qualis*. Et iterum obsecro cum eodem apostolo capite præ allegato, ne in vacuum istam Dei gratiam, quæ hodie per nos offertur, recipiatis. *Ait enim tempore accepto exaudivi te*. Et si hoc egeritis, patres optimi, non hæsito quoniam honorem, & benedictionem in hoc sæculo consequimini, & mercedem maximam in futuro, quam omnibus hic existentibus, & mihi una concedere ille dignetur, qui non dubitavit pro suis & amicis nedum omnia discrimina subire, sed morti ultraneum se offerre, qui vivit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

* *al.* præstabitur ulla offensio.

RESPONSIO SACRI CONCILII Basileensis data magistro JOHANNI DE MELLA *referendario, & venerabili fratri* CHRISTOPHORO *episcopo Cervicnsi referendario, nec non dilectis filiis* LUDOVICO *S. Justinæ Paduanæ &* NICOLAO *S. Mariæ de Moniacis Montis-regalis diœcesis monasteriorum abbatibus, oratoribus & nunciis Eugenii papæ IV.*

Speravit hactenus hæc sancta synodus, *&c. ut apud Labbeum tom.* 12. *pag.* 699.

EPISTOLA EUGENII PAPÆ IV. venerabilibus fratribus ac dilectis filiis universis & singulis tam ecclesiasticis quam secularibus personis in civitate Basiliensi congregatis.

Lecta die sabbati VII. Martii MCCCCXXXIII. cum aliis quatuor sequentibus bullis.

Mittit ad concilium novos nuncios quibus fidem adhiberi petit.

Anno 1433. 2. mil. Apostol.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus, ac dilectis filiis universis & singulis, tam ecclesiasticis quam secularibus personis, in civitate Basileensi congregatis S. & A. B.

Dilectum filium magistrum Johannem de Mella decretorum doctorem notarium, ac venerabilem fratrem CHRISTOPHORUM episcopum Cerviensem referendarios nostros, ac dilectos filios nostro LUDOVICUM S. Justinæ Paduanæ, & NICOLAUM S. Mariæ de Moniacis, Montis-regalis diœcesis, generalem curiæ Romanæ auditorem, monasteriorum abbates, viros siquidem comprobatæ prudentiæ, de nostra mente plene & fideliter informatos, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, nuncios & oratores nostros ad vos destinamus, voluntatem nostram ad pacem & quietam ecclesiæ & fidelium conservandam religiose & sincere dispositam declaraturos. Velitis itaque præfatis oratoribus in his quæ nostro nomine vobis explicabunt, fidem indubiam adhibere. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ MCCCCXXXII. *MCCCXXXII. nonas Januarii, pontificatus nostri anno II.

JA. BRANCHACIUS.

EUGENII PAPÆ IV. MEMORIALE datum suis ad concilium Basileense oratoribus.

Ex mss. Aubertin. & Charvelin.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro Johanni de Mella decretorum doctori notario, ac venerabili fratri CHRISTOPHORO episcopo Cervienſi referendario, nec non dilectis filiis LUDOVICO S. Justinæ Paduanæ & NICOLAO S. Mariæ de Moniacis Montis-regalis diœceſis monasteriorum abbatibus, oratoribus, & nunciis nostris S. & A. B.

1. Inter omnes curas pastoralis officii illa præcipue nobis existit, qua exstirpationi dissentionum & scandalorum, & reformationi morum, & animarum saluti quantum ex alto conceditur, salubriter intendimus. Cum itaque de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium decrevimus sacrum concilium celebrare in civitate nostra Bononiensi, & ibi pro reformandis moribus & aliis ordinandis, quæ sunt ad pacem principum Christianorum, præsertim Italiæ, quæ gravibus bellorum turbinibus conquassata, & pene prostrata jacere conspicitur; nec non & Dei gloriam & utilitatem universalis ecclesiæ præsentialiter interesse cum omnibus & singulis prælatis Basileæ congregatis, seu etiam forsitan congregandis, & cum ipsa congregatione, modo & forma infra scriptis, per nos convenire decreverimus; primo instabitis rationibus & persuasionibus, quibus melius poteritis & scietis, ut prædicti prælati de Basilea ad civitatem Bononiæ prædictam realiter & cum effectu se conferant, pro generali concilio, ut præmittitur, celebrando.

2. Item, declarabitis nostræ intentionis esse, quod dictum concilium Bononiæ celebrandum, sit idem per omnia cum concilio quod Basileæ erat celebrandum, ut sic sit sola loci mutatio, non concilii, licet in litteris nostris super dissolutione dicti Basileensis concilii, aliquibus forsitan aliter contineri videatur: ita tamen quod omnia & singula per dictos prælatos seu congregationem in dicta civitate Basileæ a prima prætensa sessione attentata, seu in futurum forsitan attentanda, per eos penitus revocentur, & in statum in quo erant ante dictam assertam sessionem, per omnia reducantur, cum & nos in eventum dictæ revocationis intendamus omnia & singula, si qua forsan per nos attentata esse contingeret, in statum pristinum reducere, & sic ea per nos revocari posse, & pro infectis haberi decernimus, ut sic abolitis veteribus nova sint omnia, & sic in unione capitis & membrorum, uno spiritu, una mente, cum benevolentia & caritate ad ea quæ Dei gloriam, salutem populi Christiani, & universalis ecclesiæ reformationem concernunt, salubriter procedatur, & ad hoc offeretis dictam civitatem Bononiensem cum toto suo comitatu, & omnia & singula castra & fortalitia in eo existentia, ita quod ponantur libere in manibus dicti concilii tenenda & custodienda, quamdiu dictum concilium durare contigerit, cum omnibus expensis, quæ pro custodia dictæ civitatis, castrorum & fortalitiorum hactenus solvi consueverunt.

3. Insuper offeretis salvum-conductum omnibus & singulis, cujuscumque gradus, status & conditionis existant, etiamsi sint S. R. E. cardinales, ad dictum concilium Bononiense venire volentibus, in ea forma & omnibus clausulis opportunis, aut de quibus eis melius videbitur & placebit. Quod si contingeret dictam congregationem sanctæ ordinationi prædictæ non adquiescere, allegantes forsitan reductionem Bohemorum in Bohemia fieri non posse, contentamur quod requisitis ipsis Bohemis, si non acquieverint venire Bononiam, aut melius maluerint in

Basilea esse, quod revocatis attentatis, ut supra præmittitur, prosequi possitis concilium in Basilea, quoad reductionem Bohemorum duntaxat; qui tractatus reductionis expediri debeat infra quatuor mensium spacium, a die requisitionis eorumdem, & plus vel minus, ut melius facere poteritis. & quanto minori spatio terminum statuetis, tanto magis contentamur, ut ad majora & utiliora, pro utilitate & commodo universalis ecclesiæ, & exaltatione fidei Christianæ, quantocius cum dicto generali concilio personaliter, ut præmittitur, insistere valeamus. Contentamur etiam, quod dicto concilio generali, si pro reductione Bohemorum, ut præmittitur, celebrari contigerit, quod cardinalis S. Angeli nomine nostro ibi præsit. Et si interim ipse cardinalis cum ipso concilio voluerint tractare de aliqua pace inter principes Christianos, contentamur quod oratores auctoritate nostra & sacri concilii possint mittere ad tractandum de illa; vel si id maluerint, eadem auctoritate possint requirere reges, principes, barones, & communitates, qui invicem haberent guerram seu dissentionem aliquam, ut pro pace tractanda inter eos, oratores suos & nuncios cum pleno mandato ad ipsum concilium debeant destinare. Volumus tamen quod propter hujusmodi pacis tractatum, lapso termino infra quem de reductione Bohemorum debet tractari, aut si infra terminum per vos, ut præmittitur, assignandum, fuerit tractatum, & super eorum reductione conclusum, non differant ipsi prælati Basileæ existentes, ad dictam civitatem Bononiæ se transferre, ubi ipsum concilium, ut præmissum est, erit perficiendum.

4. Quod si forte, peccatis exigentibus, contingeret eos non acquiescere, quod ipsum concilium Bononiæ celebretur, contentamur de alia quacumque civitate Italiæ, ubi commode interesse possimus, præter quam de terris duci Mediolani subjectis: omnibus tamen & singulis, quæ de revocatione attentatorum, tractatu reductionis Bohemorum, & pacis Christianorum, cum modis & terminis supradictis, quæ supra narrata sunt, per omnia observatis; super quibus omnibus & singulis supra præmissis, auctoritate apostolica, juxta tenorem commissionis in litteris nostris sub data xviii. calendas Januarii contentæ, plenam & liberam concedimus facultatem. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicæ MCCCCXXXII. *decimo nono calendas Januarii, pontificatus* nostri anno II.

L. DE ORTO.

SEQUITUR FACULTAS DATA PER DOMINUM NOSTRUM PAPAM suis oratoribus missis Basileæ.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio magistro Johanni de Mella, &c. Nulla major cura, &c. *Extat apud Raynaldum ad annum* 1432. *num.* 19. *Ex mss. Ambrosianis & Chamvellanis.*

ALIA FACULTAS.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio magistro JOHANNI DE MELLA decretorum doctori notario, ac venerabili fratri CHRISTOPHORO episcopo Cervienſi referendario, nec non dilectis filiis LUDOVICO S. Justinæ Paduanæ, & NICOLAO S. Mariæ de Moniacis, Montis regalis diœcesis monasteriorum abbatibus, oratoribus & nunciis nostris S. & A. B. Anno 1433. 18 Jul. *Ex mss. Ambrosianis & Chamvellanis.*

Sedis apostolicæ circumspecta clementia, nonnumquam ad obviandum scandalis & dissentionibus, quæ verisimiliter oriri possent, ampliora concedit, prout & ipsas dissentiones & scandala præcavenda viderit salubriter expedire. Licet itaque super reducendis prælatis in Basilea congregatis, & in futurum forsitan congregandis, ac cum eis nostro nomine conveniendi in vinculo pacis & unionis caritate, ad ea quæ honorem Dei, reformationem morum, & fidei catholicæ exaltationem concernunt, amplam vobis dederimus facultatem, prout in instructionibus in litteris nostris sub data XIX. calendas Januarii plenius continetur. Verumtamen infirmitati, quæ quandoque unico remedio non sanatur, more pii patris compatientes, ne forsitan, omisso validiori remedio, in incurabilem morbum deveniat, decrevimus ampliori cura & diligentia, si opus fuerit, subvenire. Si igitur ingravescentibus malis contingeret, quod prædicti prælati non acquiescerent, quod in partibus Italiæ, prout in dictis *instructionibus præmittitur, concilium* celebretur, quamvis incongruum & a SS. patrum orthodoxorumque Christianorum moribus alienum esse videatur, ut quis mortalium ejus, qui pro Deo & ab ipso Deo unico Domino nostro JESU CHRISTO sui vice in terris est institutus, de voluntate, dispositione seu judicio audeat quomodolibet disceptare; sed magis expediat cuicumque ex *populo Christiano, quovis præfulgeat gradu,* allidere suos cogitatus ad petram, super quam solam ipse Dominus noster JESUS CHRISTUS protestatus est ecclesiæ ædificia velle ponere; quæ sunt ejus vicarii ordinationes, dispositiones & justa præcepta. Nihilominus exemplo ipsius Domini nostri JESU CHRISTI, qui in sua gravi passione non de-

dignatus est hominibus etiam peccatoribus se submittere, contentamur quod in quantum ipsi prælati instarent, ut concilium omnino in Almannia celebretur, duodecim ex prælatis ibi pro tempore congregatis, exclusis illis, si qui ecclesias sibi commissas in ducis Mediolani territoriis seu dominiis haberent, & aliis, si qui merito alteri partium viderentur suspecti, electores imperii, ambassiatores regum, ducum & principum, qui videlicet fuerint præsentes, prius præstito juramento coram vobis oratoribus nostris, quod non odio aut timore vel furore alicujus viventis, sed solum pro eorum pura conscientia judicabunt, quid melius, quid utilius, quidve magis expediens sit pro reformatione universalis ecclesiæ, reductione hæreticorum, pace & concordia in populo Christiano obtinenda, ac ejusdem populi Christiani ab infidelibus in orientalibus partibus pene consumti, subsidio procurando, quod concilium celebretur in Italia, ubi nos personaliter cum omnibus venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus & tota Romana curia, ac prælatorum & sapientum virorum multitudine copiosa, interesse possimus, aut quod absque præsentia nostra & aliorum, ut præmittitur, in Almannia fiat; & quicquid per eorum majorem partem fuerit declaratum seu judicatum, observetur, dicta civitate Basilea ex nonnullis rationabilibus & honestis causis semper excepta & exclusa, & cum moderationibus infrascriptis. Primo, quod ipsa declaratione loci concilii continuandi seu celebrandi, omnia & singula attentata a prærensa sessione in dicta civitate Basileæ habita, usque in diem declarationis prædictæ, per omnia revocentur & annullentur, & pro infectis habeantur. Et similiter si qua per vos attentata esse contingeret, per vos valeant revocari. Item, quod locus ubi concilium fuerit transferendum, non sit immediate subjectus alicui speciali domino temporali, sed per communitatem dicti loci regatur & gubernetur. Si tamen dominus ille temporalis vellet realiter & cum effectu ipsum locum libere ponere in manibus concilii, contentamur quod etiam in ipso loco celebretur. Item, quod dominus, rectores, officiales, & communitas loci declarandi, obligent se sufficienter ad tutelam, favorem & libertatem dicti concilii, & salvos conductus, quotiens opus fuerit, & fuerint requisiti, facient in forma plena & sufficienti. Item, quod custodia concilii & omnium in eo existentium, detur sub potestate electorum imperii, qui commode ad hoc interesse possint: ita quod unus de archiepiscopis, & unus de principibus prædictis electoribus, actualem custodiam habeant. Item, quod nulla determinatio in arduis fiet, nisi fuerint præsentes inter patriarchas, archiepiscopos & episcopos septuaginta quinque. Item quod deputentur præsidentes ad nutum & placitum nostrum, & concilium celebretur auctoritate nostra, ac prout juris est, omnia & singula auctoritate nostra & ipsius concilii terminentur. Item, quod antequam fiet aliqua sessio, deputetur congruus terminus, infra quem prælati iterum nostra & dicti concilii auctoritate vocati, possint venire in his omnibus & singulis supra contentis, cum dictis prælatis & congregatione Basileensi & aliis cum quibus opus fuerit, tractandi, ordinandi & concludendi auctoritate apostolica, juxta tenorem commissionis in litteris nostris sub data XVIII. calendas Januarii contentæ, plenam & liberam concedimus facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIII. XV. cal. Februarii, pontificatus nostri anno II.

ALIA FACULTAS.

Ex mss. Aquicinct. & Chauvelin.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro JOHANNI DE MELLA decretorum doctori notario, ac venerabili fratri CHRISTOPHORO episcopo Cerviensi referendario, nec non dilectis filiis LUDOVICO S. Justinæ Paduanæ, & NICOLAO S. Mariæ de Moniacis Montis-regalis diœcesis monasteriorum abbatibus, oratoribus & nunciis nostris S. & A. B.

Romani pontificis circumspectioni convenit, nullum officii genus prætermittere, quo pereunti gregi dominico consulat & subveniat, sed veluti verus vicarius JESU CHRISTI, qui pro nostra redemtione in ara crucis seipsum hostiam obtulit Deo patri, omni studio, industria, labore, periculis animarum compati ac illis salubriter providere.

Quamvis igitur pro tollenda omnium scandalorum & dissentionum materia, quæ aliquo modo evenire possit, pene caput nostrum aliorum voluntati subjecerimus, adhuc majori humilitate ipsum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM sequentes, ac voluntatem nostram pro animarum lucro & salute immolantes, decrevimus periculis, quæ ex morbo forsan, quod absit, ad extrema perducto evenire possent, salubriter obviare. Si igitur prælati seu congregatio Basileæ pro tempore existentes, ad extrema pervenerint, quod tamen in mentibus bonorum hominum cadere non potest, quod nullo modo velint compromissum in duodecim prælatis electoribus & ambassiatoribus regum & ducum, principum, eo modo & forma, de quibus in litteris nostris sub data XV. cal. Februarii plenius continetur, permittimus & contentamur, quod alius locus in Almannia, præter Basileam, pro concilio celebrando & perficiendo per vos deputetur, omnibus tamen & singulis quæ de revocatione attentatorum,

conditione loci, cuſtodia, favore, libertate, numero prælatorum, deputationum, & præſidentium vocatione, ac terminis ſtatuendis & aliis, prout de verbo ad verbum in dictis litteris noſtris ſub data prædicta xv. calendas Februarii diſtincte continetur, obſervatis. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIII. calendis Februarii. Pontificatus noſtri anno II.

Hæc copia oblata fuit cariſſimo patri domino cardinali & legato in congregatione per magiſtrum Cornelium de Planqua, nomine dominorum oratorum domini papæ MCCCCXXXIII. *die* X. *Martii.*

RESPONSIO FACTA oratoribus papæ per promotores concilii & nomine ipſorum promotorum.

Exmſ. Aquienſeſis.

CUm ſicut ſecundum Gregorium, laudabile diſcretumque eſt reverentiam & honorem exhibere prioribus: ita rectitudinis & Dei timoris eſt, ſi qua in eis indigent correctione, nulla diſſimulatione poſtponere, ne totum, quod abſit, corpus morbus invadat, ſi languor non fuerit curatus in capite.

Sacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis ad exſtirpationem hæreſis, reformationem eccleſiæ in capite & in membris, pacemque in populo Chriſtiano procurandam, in Spiritu-ſancto a quo regitur, auctoritate ſacrorum generalium conciliorum Conſtantienſis & Senenſis, nec non & felicis recordationis dominorum MARTINI papæ V. & EUGENII IV. Romanorum pontificum legitime congregata, conſiderans dictum dominum EUGENIUM ex nonnullis per eum cauſis prætenſis, licet, honore ſuæ ſanctitatis ſalvo, non bene, diſſolutionem ipſius ſacræ ſynodi Baſileenſis, in impedimentum & turbationem bonorum prædictorum, propter quæ ipſa ſacra ſynodus eſt congregata, eccleſiæque & populi Chriſtiani ſcandalum graviſſimum, de facto, cum de jure non poſſet, attentaſſe; ipſum dominum Eugenium per ſuos oratores cum omni honore & reverentia, quatenus dictam diſſolutionem prætenſam publice & expreſſe revocaret, ac ipſi ſacræ ſynodo in cooperatione bonorum prædictorum adhæreret, ſicut incumbenti ſibi apoſtolatus officio facere tenebatur, ſupplicari, precari, exhortari, ac moneri fecit; ſed ipſe etiam per ſereniſſimum regem Romanorum & plures alios reges, & principes Chriſtianitatis ſuper his ſupplicatus, requiſitus & exhortatus, præmiſſis obtemperare recuſavit, & quicquid adverſus ipſam ſacram ſynodum, ut impediretur & diſſolveretur, apud reges & principes, prælatos & alios eidem ſacræ ſynodo adhærentes, facere potuit, fecit; non conſiderans quod ex quo ipſa ſacra ſynodus pro cauſis fidei & reformationis eccleſiæ in capite & in membris faciendæ, erat & eſt legitime congregata, poteſtatem recepit & habet immediate a Chriſto, cui ipſe & quilibet alius Romanus pontifex in præmiſſis ſubjicitur, & obedire tenetur, ſicut in decreto ſacri generalis concilii Conſtantienſis alias fuit declaratum & definitum. Et cum ipſa ſacra ſynodus tantis malis & ſcandalis occurrere cupierit, ac cum eo cum manſuetudine, ob reverentiam ſedis apoſtolicæ, procedere intendens, accuſata ejus ſuper præmiſſis contumacia, ad declarationem ipſius contumaciæ procedere diſtuliſſet, & cum ad faciendum debitum ſuper præmiſſis diutius expectaſſet, contra eumque poſtmodum in virtute Altiſſimi, prout juſtitia ſuaderet, procedere diſpoſuiſſet; tandem ad requiſitionem nonnullorum regum, & principum, & electorum imperii, ipſa ſacra ſynodus eidem domino EUGENIO terminum XL. dierum, ad revocandum publice & expreſſe dictam diſſolutionem prætenſam, & adhærendum ipſi ſacræ ſynodo in operatione tantorum bonorum, pure & ſimpliciter, ac realiter & cum effectu, peremtorie aſſignavit. Cum autem dominus EUGENIUS dicto decreto non ſatisfecerit, ſed ad magis impediendum executionem bonorum, propter quæ ipſa ſacra ſynodus fuit & eſt in Spiritu-ſancto legitime congregata, Baſileam miſerit oratores ſuos, qui in congregatione generali ipſius ſacræ ſynodi, ſuam ex parte domini EUGENII, ad oſtendendum bonam intentionem ejus, ut dicebant, fundandumque per allegationes juris, quod dictam ipſius ſynodi diſſolutionem facere potuit, per orationem fecerunt, & cum hoc quatuor litteras bullatas ex parte ipſius domini EUGENII in dicta congregatione generali in medium obtulerunt, petentes & requirentes, quatenus reverendiſſimi patres in ipſa congregatione exiſtentes, contentis tam in dicta peroratione, quam in litteris per eos, ut præmittitur, oblatis, annuere vellent. Quibus attentis, nos promotores agendorum in hoc ſacro concilio Baſileenſi, conſiderantes dictum dominum EUGENIUM litteras ſuas huic ſacro concilio non direxiſſe ſub nomine concilii, & per hoc quod ipſi concilio non adhæreret, oſtendere; quod allegata per oratores ſuos contra dictum concilium multos maxime puſillanimes decipere poſſent, contra facti & etiam juris divini pariter & humani veritatem, ſi veritas ipſa ex adverſo non manifeſtaretur, præmiſſis contra concilium per dictos oratores domini Eugenii propoſitis & allegatis duximus reſpondendum, ut ſequitur.

Et primo, ad illud quod papa non habet judicem in terris, ut dixit primus proponens, & viſus eſt confirmare ſecundus, cum dixit quod in caſu, de quo loquimur, medius judex deeſt; reſpondetur, quod ſalva reverentia dicentium, ita generaliter & indiſtincte dictum hujuſmodi non poteſt ſuſtineri,

ſtineri, quia decreta ſacri Conſtantienſis concilii, quibus omnino ſtandum eſt, contrarium determinant in eo quod primo declarant, quod S. ſynodus in Spiritu-ſancto legitime congregata generale concilium faciens, & eccleſiam catholicam repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet, cujuſcumque ſtatus vel dignitatis etiam papalis exiſtat, obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem & ad exſtirpationem ſchiſmatis ac reformationem eccleſiæ in capite & in membris. Ex quo manifeſte ſequitur, quod papa habet in dictis caſibus ſuperiorem in terris, ſcilicet ſacrum concilium generale, cui obedire tenetur. Hoc etiam magis demonſtratur per aliud decretum ejuſdem concilii, ubi decernitur, quod quicumque, cujuſcumque conditionis, ſtatus, dignitatis, etiamſi papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus aut præceptis ipſius ſacræ ſynodi, aut cujuſcumque alterius concilii generalis legitime congregati, ſuper præmiſſis ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contemſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo. Ex quo ſequitur manifeſte, quod papa habet ſaltem in caſibus prædictis judicem in terris, qui poteſt ipſum ſubjicere condignæ pœnitentiæ, & debite punire, ac etiam procedere contra eum ſecundum alia juris ſubſidia. Quæ decreta etiamſi numquam fuiſſent declarata per ſacrum concilium Conſtantienſe, nihilominus tamen poterant fundari per auctoritates evangelicas, ac per dicta, & determinationes SS. patrum, & SS. doctorum, ut in reſponſione per hoc ſacrum concilium primis oratoribus dicti domini EUGENII facta plene videri poteſt. Ad quæ bene faciunt illa quæ habentur in cap. *Sicut* XV. d. & cap. *Sancta* XVI. d. & in cap. *quodcumque*, & in cap. *Omnibus* XXIV. q. 1. & in cap. *Sunt quidam*, cum duobus capp. ſequentibus. Et pro hac ſententia facit, quod notatur in §. *Huic etiam* XVII. d. & illa quæ habentur & notantur in cap. *Si papa* XL. d. cum ibi notatis in gloſſa, quæ fuit practicata per concilium Conſtantienſe. Item faciunt notata per archidiaconum & Johannem Andream & omnes doctores modernos in cap. *In fidei favorem* de hære. l. VI. Ex quibus manifeſte probatur, quod papa habet in certis caſibus judicem in terris. Et iſtud dictum, prout fuit allegatum per ipſum primo proponentem, videtur fuiſſe Alvari Hiſpani in prima parte de Statu eccleſiæ, quod in iſta parte communiter reprobatur a doctoribus per jura ſuperius allegata.

Item, ad illud quod propoſuit ſecundus proponens in oratione ſua, quod dominus noſter papa nullam prorſus ex concilii Bononienſis inſtitutione alicujus ſynodi vel ſummi pontificis conſtitutionem violavit, ſatis ſufficienter reſponſum eſt, per hujuſmodi ſanctam ſynodum in reſponſione data primis ambaſſiatoribus ipſius domini noſtri. Sed ad rationem noviter factam per prædictum proponentem, qui dicit, quod quemadmodum eadem ſynodus potuiſſet communi conſenſu conſtitutionem illius c. *Frequens* expreſſe revocaſſe, ſicut expreſſe inſtituit, cum nihil ſit tam naturale, quam ut unumquodque vinculum ſolvatur, quo ligatum eſt: ita potuit tacito conſenſu, ſaltim quoad illam vicem conſtitutionem illam facto revocaſſe; cum facta potentiora ſint verbis, & tacitum ab expreſſo regulariter non differt ſecundum legitimas ſanctiones. Reſpondetur quod, ſalva reverentia allegantis, hoc nullo modo poteſt ſuſtineri de jure, quia actus univerſitatis ſecundum communem ſententiam omnium doctorum, tam canoniſtarum, quam legiſtarum, pro quo videtur caſus in c. *Ingeneſi* de elect. & ibi notatur per Innocentium & omnes doctores. Ideo ſequitur quod prædictum c. *Frequens*. ſicut collegialiter fuit inſtitutum, ita neceſſarium fuit quod collegialiter revocaretur per ſacrum concilium, & ſic per omnes prælatos mundi ſingulariter & diviſim, tacite nec expreſſe potuit revocari. Et hoc expreſſe dicit Innocentius & omnes doctores poſt eum in cap. *Bonæ* 11. de poſtu. præla. ubi dicit quod actus geſti ab univerſitate, non poſſunt per ſingulos ut ſingulos revocari. Ex quo ſequitur, quod ad hoc quod c. *Frequens* in concilio Conſtantienſi editum, potuiſſet revocari tacite vel expreſſe, neceſſarium fuit quod fuiſſent prælati congregati Baſileæ per modum univerſitatis, & faciunt notata per Johannem Andream in cap. 1. de his quæ ſi. a ma. per ca. Nec obſtant notata per doctores in dicto capitulo *Cum nobis olim*, quoniam potius faciunt contra allegantem, quam pro ipſo, quod probatur manifeſte ex eo, quia Innocentius & omnes doctores ibidem dicunt, quod in termino ſtatuto a jure, ſeu in fine termini juris, ſi minor pars præſens eligit, tunc valebit electio, majoris partis abſentia non obſtante art. 65. d. 3. c. finali. Immo in iſto caſu unus ſolus præſens eligere poterit, aliis non expectatis, quia terminus a jure præfixus interpellat, de locato potuit. Præterea notata per doctores in dicto c. *cum nobis olim* loquuntur in caſu, in quo terminus eſt aſſignatus ad inchoandum & finiendum negotium electionis, & in caſu noſtro terminus poſt eſt aſſignatus ad finiendum concilium generale.

Præterea notat Johannes in cap. *Quamvis* de of. ord. lib. 6. & in cap. *præſentium* de teſtibus eodem li. & cap. *cum in eccleſiis* de præben. eodem li. quod licet in caſu electionis prælati, & in caſibus in dictis juribus expreſſis, præſentes non poſſunt procedere de

jure, niſi vocatis abſentibus: in aliis tamen A caſibus præſentes procedere poſſunt ſine abſentibus; ſed caſus celebrationis concilii generalis non eſt de præmiſſis in dictis juribus expreſſis. Igitur in toto præſentes procedere potuerunt abſque abſentibus in termino eis aſſignato non venientibus. Nec obſtant notata in dicto c. *cum nobis olim*, quia procedunt in caſu electionis, qui exprimitur in c. *quamvis* of. ord. l. 6. in quo & in aliis tribus expreſſis in dictis c. eſt ſpeciale, quod præſentes abſentibus non vocatis poſſunt procedere. In aliis autem caſibus, de quibus eſt caſus celebrationis concilii generalis eſt B contrarium regulare, ut patet per Johannem Andream, ubi ſupra.

Item, non obſtat quod prædictus proponens dicit in oratione ſua, quod dato quod finis ſeptennii a die diſſolutionis ſynodi Senenſis, fuiſſet principium celebrationis novi concilii: tamen ex hoc non concluditur, quod poſt ſeptennium poſſint prælati quocumque convenire pro concilii celebratione. Nam ex hoc ſequeretur abſurdum, quod quandocumque, etiam poſt triennium, poſt terminum comparerent aliqui prælati etiam pauciſſimi, quod poſſent, aliorum contuma- C cia accuſata, procedere ad concilii celebrationem, & toti orbi legem dare, quo nihil abſurdius ſecundum ipſum. quia ex quo in termino minime comparuerunt, non poteſt aliquis eorum dici negligens. Ad quod reſpondetur quod iſte non eſt caſus noſter, quia in termino ad celebrationem hujus concilii aſſignato, erant in Baſilea aliqui prælati, & aliqui doctores, & magiſtri egregii, cum quibus inchoatum fuit, & inchoari potuit concilium juxta jam ſupradicta, & fuit concilium inchoatum priuſquam dominus Eugenius diſſolutionem prætenſam feciſſet. Unde D ex quo concilium erat inchoatum, non fuit licitum ipſi domino Eugenio illud diſſolvere, nec ad alium locum mutare, obſtante ſibi dicta conſtitutione *Frequens*.

Præterea præſuppoſito etiam ſine præjudicio veritatis, & non conceſſo, quod nullus prælatus veniſſet in termino, & concilium non fuiſſet inchoatum, adhuc prædictus dominus Eugenius non potuit diſſolvere iſtud ſacrum concilium, prout de facto nec fecit; nec potuit mutare ad civitatem Bononienſem eo modo quo mutavit, cum hoc eſſet E manifeſte contra prædictum c. *Frequens*, ac etiam contra concilium Senenſe, quod ſtatuit concilium debere celebrari in Baſilea, ad reformationem eccleſiæ in capite & in membris faciendam. Et ſic in caſu in quo dominus Eugenius ſubjicitur dicto concilio Senenſi, ipſe, ut ſubditus, ordinationem loci dicti concilii, per ſuum ſuperiorem factam, mutare non potuit, ut dicunt jura, quoniam inferior legem ſuperioris tollere non poteſt, vel illi derogare c. *ne Romani* de elect. in Cle.

Et cum dicitur per dictum oratorem, quod aſſignatio loci perdidit ſuam efficaciam poſt lapſum terminum, ex quo prælati cum quibus poſſet inchoari & celebrari concilium, in termino non venerunt. Reſpondetur hoc non eſſe verum, etiamſi nulli prælati veniſſent in termino, quoniam in ordinatione concilii celebrandi, ſunt duo. primum quod concilium celebretur in loco aſſignato, ſecundum quod in termino etiam aſſignato. Unde licet ſecundum non poſſit impleri, lapſo termino aſſignato, quando prælati non venerunt in illo; primum tamen poteſt impleri lapſo dicto termino, & ſic durat effectus aſſignationis dicti loci, poſt lapſum dicti termini, articulo eorum quæ habentur in c. *cum dilecti* de do. & con.

Ad abſurditatem allegatam reſpondetur, quod iſta abſurditas non ſequitur ex concluſione jam dicta, quia magna differentia eſt, quod aliqui prælati, licet pauci, veniunt in termino vel infra breve tempus poſt terminum, & in caſu quo per magnum tempus poſt terminum nullus prælatus venit: quia in primo caſu nulla poteſt ſequi abſurditas: in ſecundo tamen caſu licet poſſit ſequi abſurditas, tamen hoc nihil ad propoſitum, cum iſte non ſit noſter caſus. immo, ut dictum eſt, in termino aliqui prælati & magiſtri & doctores fuerunt; & poſt terminum infra breve tempus plures venerunt, & ſucceſſive fuit hujuſmodi ſacrum concilium per Dei gratiam in augmento notabili prælatorum, doctorum & magiſtrorum. Nec etiam obſtat gloſſa in l. *Celſus* ff. de arbitris, quæ videtur firmare quod ſi per me non ſtetit, quominus in termino debito ſatisfacerem, opus eſt nova interpellatione, ad hoc ut in mora conſtituar. quia licet gloſſa hoc dicat, tamen de hoc ſunt opiniones inter doctores legiſtas, quia aliqui doctores tenent contra, quod in iſto caſu non ſit opus nova interpellatione. Sed dato quod dictum gloſſæ eſſet verum, nihil tamen ad propoſitum noſtrum, quia legitur in caſu, ubi non ſtetit per illum qui habebat ſatisfacere, quominus in termino ſatisfaceret, & ſic non fuit conſtitutus in mora, nec in negligentia. Sed nos loquimur in caſu ubi notorie & manifeſte prælati abſentes pro majori parte fuerunt conſtituti, in notoria mora & negligentia in non veniendo ad hujuſmodi ſacrum concilium, cum dies ſtatuta interpellabat eos, & ultra hoc, multi eorum fuerint ſpecialiter vocati per hujuſmodi ſacrum concilium, ante prædictam prætenſam diſſolutionem.

Nunc reſtat reſpondere ad aliam novam rationem per prædictum proponentem, in qua dicit, quod loci mutatio facta per dominum Eugenium, expreſſe non comprehenditur in illa conſtitutione *Frequens*: Provident enim in duobus dumtaxat caſibus, primus cum inſtat cauſa rationabilis mutandi locum

concilii congregandi; & in iſto caſu præſtatur papæ facultas ipſum locum mutandi cum conſenſu & ſubſcriptione dominorum cardinalium aut duarum partium. Secundus eſt in electione loci ſubſequentis concilii, quæ debet fieri per ſummum pontificem, approbante & conſentiente concilio, ante finem cujuſcumque concilii. Caſus autem noſter eſt tertius ibi non comprehenſus, ſcilicet cum juſtiſſima cauſa inſtat mutatio loci jam principiati ſeu congregati. Cum ergo in iſto caſu non adimatur poteſtas papæ & cardinalibus locum mutandi, juſtiſſima cauſa ſuggerente, videretur tacite data poteſtas, quia caſus omiſſus relinquitur diſpoſitioni juris communis. Sed reſpondetur quod ad hoc non poteſt dari melior reſponſio, quam ipſemet proponens dat in ſua oratione, ſcilicet quod illa conſtitutio *Frequens* licet expreſſe non provideat, per quem debeat locus concilii actualiter congregati mutari, ſatis tamen poteſt ex mente iſtius colligi. Nam ſi locus concilii ſubſequentis debet eligi & deputari per papam, concilio approbante & conſentiente, potius debet requiri conſenſus concilii actualiter congregati in mutatione ipſius concilii, cum magis poſſit inquietari ipſum concilium in mutatione loci, data congregatione, quam in electione loci concilii ſubſequentis. Et iſta ratio eſt multum fortiſſima ac urgentiſſima, cum arguatur ex mente ipſius conſtitutionis *Frequens*, & a fortiori juxta illa quæ habentur in cap. *Si poſtquam* de elect. l. 6. & in cle. 1. de elect. & in multis aliis infinitis juribus; nec ad iſtam rationem poteſt dari vera ac ſufficiens reſponſio: quia licet prædictus proponens dupliciter ad dictam rationem nitatur reſpondere, ſalva tamen pace ſua, neutra de ſuis reſponſionibus poteſt ſuſtineri. Et prima reſponſio in qua primo nititur reſpondere, quod prædicta conſideratio procederet, ubi congregatio prælatorum fuiſſet ſufficienter facta: reſpondetur quod in ipſis pauciſſimis prælatis venientibus in termino ad iſtum locum de Baſilea, reſidet totum jus concilii, cum in tali caſu totum jus univerſitatis ſeu concilii reſideat etiam in uno, juxta illa quæ leguntur in cap. *Gratum*. de poſt præla. nec de eſſentia concilii generalis eſt multitudo maxima prælatorum, ex quo negligunt vel nolunt venire in termino aſſignato. Facit c. *Guilliſani patricius* 23. q. 4. 11. Et ad hoc propoſitum B. Iſidorus l. conciliorum dicit, quod in concilio generali habet locum illa auctoritas Chriſti, quod *ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, & ego ibi ſum in medio ipſorum*; & ſic ex quo totum jus ſeu poteſtas tota fuit in prælatis tunc congregatis Baſileæ, eſt clarum quod ſine eorum conſenſu non poterat fieri mutatio loci. Et ſi forte dicatur, quod licet hoc poſſit dici de jure, tamen non videbatur totaliter honeſtum, quod hoc fieret cum conſenſu tam paucorum prælatorum.

Ad quod reſpondetur dupliciter. Primo, quod in iſto caſu non erat conſideranda paucitas prælatorum, ſed potius erat conſideranda poteſtas quæ in eis reſidebat. Et cum dominus Eugenius prædictam congregationem prælatorum hic Baſileæ fiendam poſſe ſuo impedivit multis modis & viis, ſecundum quod toti mundo notum eſt, ex culpa ſua non debet reportare commodum. Nec eſt verum dici, prout allegat prædictus proponens, quod domini cardinales, quorum conſenſu & ſubſcriptione prædictus dominus Eugenius dictam mutationem fecit, computatis epiſcopis, preſbyteris, & diaconibus, eſſent numero plures & majoris auctoritatis, quam illi etiam pauciſſimi prælati, qui erant congregati in hac urbe Baſileenſi tempore mutationis loci; quia certum eſt quod prædicti domini cardinales non faciebant concilium generale repræſentans totam eccleſiam univerſalem, ſicut faciebant illi prælati etiam pauci, qui tunc temporis erant hic Baſileæ congregati, ut ſupra fuit probatum. Nec eſt verum dici, quod hujuſmodi dubii declaratio in iſto caſu ſpectaret ad ſolum papam cum cardinalibus, quia etiam ſpectabat ad concilium generale jam congregatum, ut colligitur ex mente prædictæ conſtitutionis *Frequens*, ut ſupra fuit dictum. Nec obſtant illa quæ habentur in c. *per venerabilem*. qui fi. ſunt legi. quia licet verum ſit, quod dubia quantumque arduiſſima & obſcura, ipſe dominus papa cum ſuorum dominorum cardinalium conſilio & aſſenſu declarare habet, quando dubia emergunt, concilio generali non congregato, cum illa dubia non pertinent ad concilium generale: quoniam quoad hoc eſt intelligendum verum, quando dubia emergunt in his in quibus papa non ſubjicitur concilio generali, & cum concilium generale non eſt congregatum; alias autem eſt ſecus, ut in caſu de quo agitur; quoniam ad ſuperiorem pertinet interpretatio legis ipſius, & non ad inferiorem, Cle. *Ne Romani* de elect. Item, nec ſecunda reſponſio poteſt ſuſtineri, in qua dicitur, quod ex cauſa rationabili poteſt papa expreſſe venire contra conſtitutionem concilii, etiam univerſalem eccleſiæ ſtatum concernentem, ut ſentit Innocentius & omnes ſcribentes poſt eum in c. *Quanto* de conſuetudine. Et etiam quia licet verum eſt, quod hoc dicat Innocentius & alii doctores ibi; tamen gloſſa & doctores videntur notare contrarium in c. *Quæ ad perpetuam* 25. q. 1. & in c. *Propoſuit* de conceſſione præben. ubi notatur, quod contra conſtitutionem concilii univerſalem ſtatum eccleſiæ concernentem, papa non poteſt venire, nec etiam diſpenſare; & cum diſpenſatio non debeat fieri niſi ex cauſa, ſequitur quod ex mente gloſ-

sarum & doctorum est, quod etiam ex causa papa non potest venire contra. Ad hoc bene facit prædictum c. *Quæ ad perpetuam* 25. q. 1. & c. *Sancta* 18. d. & quod notat ibi Hugutius. Et ista videtur communior sententia doctorum canonistarum, & quicquid in hoc passu ab antiquis olim opinatum fuerit, hodie tamen determinatum est per ecclesiam, papam in dictis casibus subjici concilio generali, ut patet per decretum super hoc factum in concilio Constantiensi; ex quo sequitur, papam non posse adversus decreta dicti concilii aliquid immutare in casu de quo agitur, cum de reformatione ecclesiæ in capite agatur. Sed dato, sine præjudicio veritatis, quod dictum domini Innocentii in prædicto c. *Quanto* de consuetudine esset verum; veruntamen in casu isto non potest dici, quod hujusmodi mutatio fuisset facta per EUGENIUM ex legitima causa & aliis nota. quia per decreta hujusmodi sacri concilii, facta in secunda sessione, declaratur ac determinatur, quod talis mutatio loci nullo modo potuit fieri per dominum EUGENIUM, nec etiam prorogatio termini. Ex quibus decretis sequitur, quod mutatio loci talis non fuit facta ex legitima causa, nec etiam nota fuit aliqua causa huic sacro concilio, quia si aliis illa causa debet esse nota secundum Innocentium, a fortiori debuerat esse nota concilio generali. Item, determinatio hujus dubii, quod dominus EUGENIUS fecerat hujusmodi mutationem loci ex legitima causa, non est dicendum quod spectaret ad ipsum dominum EUGENIUM, sed potius ad hujusmodi sacrum concilium. Et ratio est duplex, quia in concernentibus universalem statum ecclesiæ, concilium generale majus dicitur, quam papa, ut colligitur manifeste ex prædicto c. *Sicut* 15. d. tam in principio textus quam in fine, ubi hoc etiam notavit Hugutius & Archidiaconus, & per consequens ad concilium spectabat determinatio hujusmodi dubii. Et hoc est quod vult dicere glo. quod papa non potest revocare statuta concilii generalis circa articulos fidei, & generalem ecclesiæ statum. Et in talibus loquitur textus in prædicto c. *Sicut*, cum dicit ibi B. Gregorius loquendo de conciliis generalibus: Hæc tota devotione amplector, & integerrima approbatione, studiose, scilicet in his quæ ad fidem pertinent & ad generalem ecclesiæ statum, secundum omnes doctores ibidem; & in isto casu secundum mentem decretorum SS. patrum, & communem sententiam doctorum, potius standum est sententiæ seu determinationi concilii generalis, quam sententiæ papæ, secundum quod notatur per doctores ultimo scribentes in §. *In istis* 4. d. Et manifeste probatur ex juribus supra allegatis. Et hoc idem tenent doctores ultimo scribentes in c. *Sancta* 16. d. sequendo opinionem & intellectum Hugutii, quam ibi posuit. Secunda ratio est, quia contra rationem etiam naturalem videtur, quod papa declararet causam esse legitimam illius mutationis quam ipse fecit: quia tunc videretur esse judex in facto suo proprio, præsertim quia si hoc esset verum, semper papa posset facere contra constitutiones concernentes universalem statum ecclesiæ, quia semper diceret se facere ex legitima causa & aliis nota: & semper hoc allegaret ad justificandum factum suum, etiam si non esset verum: quod nullo modo est tenendum: quia hoc esset contra decreta SS. patrum & sacrorum conciliorum, quæ superius fuerunt allegata, & hoc tenderet evidenter ad destructionem universalis ecclesiæ status. Nec obstat illud quod allegatur, quia auctoritas papæ intelligitur excepta, ut in c. *Significasti* de elect. quia hoc verum est, præter quam in casibus concernentibus fidem vel generalem statum ecclesiæ, quia in istis auctoritas papæ non intelligitur excepta, cum contra talia papa non potest venire, ut supra fuit probatum. Item, istud dictum, quod auctoritas papæ intelligitur excepta, etiam debet intelligi, præter quam in casibus declaratis per decreta concilii Constantiensis, secundum illa quæ fuerunt sæpius deducta. Nec obstat etiam quod dicit prædictus respondens, quod si illa constitutio *Frequens* concerneret universalem statum ecclesiæ, quoad celebrationem conciliorum, non tamen quoad loci destinationem, vel mutationem, cum in quolibet loco congruo possit ecclesia reformari. Ad quod respondetur, quod destinatio loci, seu ejus mutatio, est accessoria suo principali, & debet sequi naturam principalis. Et quia celebratio concilii concernit universalem statum ecclesiæ, ut supradictum est, ideo videtur dicendum, quod destinatio loci vel ejus mutatio, tamquam accessoria suo principali, respectu principalis cui adhæret, aliquo modo concernat universalem statum ecclesiæ, cum in accessoriis adhærentibus & connexis id juris sit quod est in principali, secundum quod omnia jura dicunt. Et hoc propositum cavetur in decreto concilii Constantiensis, quod si papa non obediat concilio generali in dictis casibus & in pertinentibus ad eos, per ipsum concilium puniatur; & ille ad quem spectat judicare de principali, debet etiam judicare de accessoriis & eidem adhærentibus. Et ad id respondetur ad unum dictum, in quo proponens fecit magnum fundamentum, quod papa omnia potest, clave discretionis non errante, ut dicit Innocentius in c. *Quanto* de Jurejur. quia istud dictum fatendum cum temperamento, quod ponitur communiter per doctores, scilicet, quod potestatis plenitudo est in papa; ita tamen quod non erret: si tamen erret, hoc habet corrigere concilium, apud quod est plenitudo potestatis, tamquam in fundamento; nec in hoc

poteſt papa per ſuas conſtitutiones vel alio modo facere reſiſtentiam, quia hoc eſſet ſubvertere ſtatum eccleſiæ; quod papa non poteſt facere, ut in juribus ſuperius allegatis. Et cum in caſu de quo agitur, agatur de reformatione eccleſiæ, & ſic ſumus in caſu in quo papa ſubjicitur concilio generali, patet quod illud, quod papa omnia poteſt, &c. fallanciam recipit in caſu de quo nunc agitur, quia eſt de pertinentibus ad caſus expreſſos in dicto decreto concilii Conſtantienſis.

Item, dicit dictus orator, quod dominus Eugenius in cauſa tam ardua, cauſante infirmitate ſua, non cogebatur conſtituere legatum vel alium. Ad quod reſpondetur dupliciter. Et primo, quod ſuppoſito & non conceſſo, quod non cogeretur conſtituere procuratorem vel legatum, quia legatum voluntarie conſtituit, videlicet reverendiſſimum dominum cardinalem S. Angeli, illum revocare non potuit, attento quod in hoc concilio agebatur & agitur de reformatione eccleſiæ in capite & in membris. Et ſic ſumus in caſu in quo ipſe dominus Eugenius ſubjicitur judicio concilii, quod in ipſum invitum poteſt reddi ff. de ver. obliga. l. *Inter ſtipulantem* §. 1. Præterea conſtat ſecundum relationem medicorum, quod impedimentum infirmitatis domini Eugenii eſt perpetuum, vel ſaltem duraturum ad magnum tempus, in quo caſu etiam in arduis cogitur conſtituere procuratorem c. *Si ægrotans* 5. q. 3. faciunt notata in c. *querelam* de procuratoribus.

Nunc reſtat reſpondere ad quatuor inſtructiones ſeu petitus pro parte ipſorum oratorum propoſitos, ac etiam ad contenta in prædictis quatuor bullis per ipſos præſentatis, & primo per ordinem reſpondetur ad prædictas quatuor inſtructiones ſeu petitus.

Et primo ad primum petitum, qui fuit de mutando locum concilii ad civitatem Bononienſem. Reſpondetur quod iſte petitus jam fuit oblatus per alios oratores domini Eugenii prima vice venientes, & iſte petitus non fuit admiſſus, immo fuit totaliter repulſus per hujuſmodi ſacrum concilium prædictis primis oratoribus: quas rationes ſacrum concilium hic vult haberi pro repetitis. Et nunc etiam de præſenti hujuſmodi ſacrum concilium reſpondet, quod talis petitus nullo modo eſt admittendus propter multas rationes ſeu cauſas. Prima, quia hoc eſt contra prædictum decretum *Frequens* concilii Conſtantienſis, ac etiam contra decreta hujuſmodi ſacri concilii, contra quæ hujuſmodi decreta ſancta ſynodus nullo modo intendit venire, nec in toto, nec in parte, ſed ipſa inviolabiliter obſervare. Item, quia notorium eſt quod prædicta civitas Bononienſis de præſenti non poteſt dici tutus locus pro concilio celebrando: immo notorie eſt locus non tutus, propter multas cauſas. primo, quia populus Bononienſis eſt valde ſuſpectus ac rixoſus, ac nuſquam & numquam in eodem ſtatu permanet; ac etiam inter majores ipſius civitatis Bononienſis ſunt partialitates & inimicitiæ maxime capitales; & una pars de ipſis partialitatibus eſt extra Bononiam, & nititur totis viribus capere prædictam civitatem, vel ſaltem expellere aliam partem ſibi contrariam de civitate Bononienſi.

Item, in circuitu dictæ civitatis & ejus comitatus, ſunt maximæ guerræ, propter quas prædicta civitas redditur ſatis ſuſpecta: immo ſatis dubitatur de mutatione ejus ſtatus. Item, quia propter prædictas guerras nullo modo patet tutus acceſſus ad prædictam civitatem. Et ultra hoc, ibi eſt maxima penuria omnium neceſſariorum, & maxime eſt penuria in blado & vino; & per conſequens ſequitur quod talis mutatio ad prædictam civitatem nullo modo eſt concedenda, etiamſi non eſſet contra decreta concilii Conſtantienſis.

Ad ſecundam inſtructionem, quæ fuit, quod ſi votis juſtiſſimis ſuæ ſanctitatis in hac parte acquieſcere non velimus, contenta eſt ſua ſanctitas, ut alium locum in regione Italiæ congruum & non ſuſpectum, una vobiſcum eligamus, & in eo, ſervatis prædictis in prima inſtructione, videlicet ſuper revocatione attentatorum, & reductione Bohemorum, ex nunc fundetur concilium generale; ſed iſtud ibidem continuare intelligatur. Reſpondetur, quod hanc ſecundam inſtructionem hæc ſancta ſynodus non admittit, nec etiam admittenda eſt, propter rationes ad primam inſtructionem datas, quia ad id hoc eſſet contra prædictum decretum *Frequens* concilii Conſtantienſis, ac etiam contra decretum concilii Senenſis, & etiam contra decreta hujus ſacri concilii. Item, quia hodiernis temporibus, peccatis exigentibus, in tota Italia ſunt magnæ guerræ & diſcordiæ, ac etiam eſt penuria omnium neceſſariorum. Item, hujuſmodi ſecunda inſtructio non eſt admittenda, in eo quod petit in ea revocari attentata. Ex quo ſequeretur hujuſmodi ſanctam ſynodum erraſſe in his quæ fecit, quod nullo modo dicendum eſt, ut infra oſtendetur; ac etiam ex eo quod vult, quod ex nunc fundetur concilium generale, quia ex hoc ſequeretur, quod antea non fuiſſet hæc ſancta ſynodus Baſileenſis ſacrum concilium, quod erroneum eſt dici, & eſt manifeſte contra decreta & determinata per hujuſmodi ſanctam ſynodum Baſileenſem. Et ſi ſic eſſet, prout præſupponit iſta ſecunda inſtructio, quod ex nunc debet fundari concilium generale, tunc concilium quod antea non erat hic Baſileæ, non poterat dici, quod in alio loco, ad quem mutaretur, continuari intelligatur, prout dicitur in iſta ſecunda inſtructione.

Ad tertiam inſtructionem, quæ fuit, quod

si non velimus in hoc desiderio suæ sanctitatis acquiescere, parata est sua sanctitas, ad omne scandalum tollendum, ut res ista, an juste postulet, committatur arbitrio XII. prælatorum hic existentium, neutri parti suspectorum, &c. Et si declaraverint petitionem suam supra factam esse justam, fiat in Dei nomine concilium in Italia cum modis sanctis. Si autem declaraverint fuisse utilius Christianitati, ut fiat in Almannia, quod in Dei nomine eorum arbitrium observetur, cum modis & conditionibus in sequenti instructione referendis. Respondetur, quod talis instructio non est admittenda, nec admittitur per hujusmodi sanctam synodum propter multas causas seu rationes; primo, quia hoc esset derogare auctoritati concilii Constantiensis & hujusmodi sacri concilii, si tale compromissum, prout petitur, fieret. Secundo, quia de jure non potest compromitti per prælatos seu per universitatem prælatorum super re certa & indubitata, sicut est ista, super qua petitur fieri compromissum, sicut hoc manifeste probatur tam per decreta concilii Constantiensis, quam etiam per decreta hujusmodi sacri concilii. Tertio, quia si tale compromissum fieret, prout petitur, quasi dubium videretur fieri super potestate immediate tradita a Christo conciliis generalibus, in casibus declaratis per decreta concilii Constantiensis. Et hoc non videtur fieri posse de jure, cum super jure divino, seu contra jus divinum non posset fieri compromissum, ut jura dicunt. Quarto, quia verisimiliter creditur, quod compromissarii numquam vel saltem tarde concordabunt. Et sic interim negotia expedienda in concilio non expedirentur, & transiret tempus in vanum, & nihil boni fieret; ideo hoc nullo modo videtur concedendum.

Ad quartam & ultimam instructionem, quæ fuit, quod si hujusmodi sancta synodus ad prædicta induci non possit, quod sanctitas sua contulit nobis facultatem eligendi unà vobiscum locum in Almannia propinquum vel remotum huic urbi Basileensi, ubi generale concilium continuari intelligatur, quoad reformationem ecclesiæ ibidem fiendam, his tamen adjectis, ut in hac urbe Basileensi firmetur concilium & continuetur quoad Bohemorum reductionem; & etiam, si nobis existentibus in hac sancta synodo videbitur, quoad pacem in populo Christiano reformandam & procurandam. Sed certis causis animum suæ sanctitatis moventibus, ecclesiæ reformationem vult differre ad locum, prout dictum est, eligendum, servatis tamen semper certis modis & conditionibus, prout in bullis dicti domini Eugenii præsentatis per ipsos oratores huic sacræ synodo continetur; præcipue, quod hinc inde fiat attentatorum revocatio, prout in prima instructione prælibarum est. Respondetur, quod talis instructio non videtur rationabiliter admittenda. Ideo hæc sancta synodus eam non admittit propter multas rationes: primo, ex eo quod petit, quod revocentur attentata per hujusmodi sacrum concilium a tempore primæ sessionis, quod nullo modo potest concedi, nec fieri debet, propter multas causas seu rationes. primo, quia propter hoc derogaretur Spiritui-sancto, in quo hujusmodi sacrum concilium est legitime congregatum. Item, quia per hoc derogaretur auctoritati ac potestati immediate traditæ a Christo huic sacro concilio generali. Item tertio, quia propter hoc derogaretur non solum auctoritati hujusmodi sacri concilii, sed etiam auctoritati omnium generalium conciliorum tam præteritorum, quam futurorum, quod nullo modo potest fieri. Quarto, quia hoc esset contra determinationes & decreta sanctorum patrum ac sanctorum doctorum, quæ decreta & auctoritates pro majori parte allegantur in responsione data per hujusmodi sacrum concilium primis ambassiatoribus domini nostri papæ; in quibus cavetur, quod statuta seu decreta sanctorum conciliorum omnino servanda sunt, & de his non licet disputare reprobando, vel dubitare an justa sint, vel non, secundum illa quæ habentur & notantur per doctores in c. *Quis nescias.* 9. d. ad quod benefacit c. *Majores.* 24. q. 1. Quinto, quia per hoc videretur hujusmodi sacrum concilium fateri se errasse in omnibus decretis factis seu promulgatis per hujusmodi sacrum concilium, & per consequens cum aliqua decreta de prædictis tangant fidem, ac illa quæ necessaria sunt ad salutem animarum, videretur hujusmodi sancta synodus fateri se in respicientibus fidem & salutem animarum errasse; quod nullo modo fatendum est, nec credendum, quod Spiritus-sanctus, a quo hujusmodi sacrum concilium dirigitur, hæc permitteret.

Item, cum verbum revocare attentata, sonet male, quia attentata dicuntur, quasi de facto & non de jure præsumta ac facta; sequeretur quod per talem revocationem hujusmodi sancta synodus fateretur se non habuisse potestatem de jure, ad faciendum seu promulgandum prædicta decreta, & per consequens hujusmodi concilium nullam habuisset potestatem, & per consequens non fuisset nec esset concilium generale, quod erroneum est dici, ac abominabile cogitari, secundum quod multipliciter fuit probatum in responsione prælallegata, data primis ambassiatoribus domini nostri. Ideo talia nullo modo debuissent peti ab hujusmodi sacro concilio, secundum quod patet per rationes supra allegatas.

Item, hujusmodi sancta synodus hanc quartam instructionem decernit non admittendam, quia continet multos modos ac conditiones inducentes scandala, ac impedientes veram & completam reformationem

ecclesiæ Dei in capite & in membris, & propter alias multas rationes, quæ infra ponuntur in responsione ad contenta in prædictis quatuor bullis, per ipsos oratores præsentatis.

LITTERÆ

decani & quorumdam canonicorum Trevirensium ad concilium.

Concilii implorant auxilium adversus exactiones Ulrici de Manderscheit, quem in archiepiscopum elegerant.

Anno 1433. 11. Martii. Ex mss. Aquisinct.

REverendissimis ac reverendis in Christo patribus & dominis, venerabilibusque, egregiis & præstantissimis viris in sacrosancta generali Basileensi synodo universalem ecclesiam repræsentantibus, in Spiritu-sancto legitime congregatis, dominis nostris metuendissimis.

In nomine Domini nostri JESU CHRISTI, patris orphanorum & judicis viduarum orthodoxæ fidei & Christianæ religionis, reverendissimis, immo SS. patribus, præsulibus, patriarchis, optimis doctoribus, legatis ac judicibus in sacrosancta synodo Basileensi per Spiritum-sanctum legitime congregatis, & universalem ecclesiam repræsentantibus, humiles filii Tilmannus de Indagine decanus, Ægidius *Urabe* archidiaconus major, Henricus de Dinia, Conrardus *de Brnusberg* custos, Nicolaus *de Bruck*, Philippus *de Siirch*, Johannes *Grifflenclar* celerarius, canonici ecclesiæ Trevirensis, non immerito lugentes, cum humilitate provoluti filialem obedientiam, debitam reverentiam, errores confutare, inimicos Christi debellare, pacem procurare, ecclesiam conservare, judicium facere, misericordiam diligere, & cum Deo semper ambulare. Et benedictus Deus & pater Domini nostri JESU CHRISTI, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, quoniam jam consolatur nos in omni tribulatione nostra, dum altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, cujus fons in excelsis scaturiens, cujus jucundus impetus supercœlestem lætificat civitatem, cujus sicut investigabiles viæ, ita & incomprehensibilia judicia, vobis potestatem contulit judicium facere, cum inquit: *Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* Et sane nihil eo jocundius arridet oculis, nihil eo mulcebrius nostris auribus citharizat, quam quod præclara dilucidatio vestræ prudentissimæ providentiæ, in cunctisque sæculis judicet, discutiat & terminet. Quapropter in dictæ ecclesiæ Trevirensis forma seu figura more lactantium filiorum, cum fiducia filiali ad ubera matris confugientium, familiari quodam eloquio, ipsius sacrosanctæ synodi dominationem velut deificam singulariter implorando, dicimus cum propheta: *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* Et sequitur: Longe *ab homine iniquo & doloso eripe me, quoniam tu es fortitudo mea, & refugium meum, & liberator meus.* Et rursum: *Apprehende arma & scutum, & exsurge in auxilium mihi.* Jam jamque Trevirensis civitas, quæ tempore Abrahæ legitur fundata, & ante Romam annis mille trecentis constructa, & post Romanam ecclesiam quasi prima Christo ascripta, sedet sola & quasi viduata, plorans facta est sub tributo, nec est qui consoletur eam, quoniam amici ejus spreverunt illam, & facti sunt ei inimici, prout rei sequentis eventus luce clarius explanabit.

Est namque verum, quod per mortem bonæ memoriæ domini OTTONIS quondam archiepiscopi novissime defuncti, sede vacante, factis fiendis, & observatis observandis jure & laudabili more consuetis a tanto tempore, quod non est memoria hominum de contrario, domini canonici numero quatuordecim, capitulum facientes, ad electionem futuri pastoris processerunt, quorum undecim in numero seniores, majorem partem & saniorem capituli facientes, in venerabilem virum dominum JACOBUM *de Siirch*, dictæ ecclesiæ canonicum & scholasticum, voces suas direxerunt, ipsumque in suum & dictæ ecclesiæ Trevirensis archiepiscopum elegerunt, præfecerunt & erexerunt cum solemnitatibus & ritibus in talibus fieri consuetis. Cumque vero dictus electus cum duobus canonicis concapitularibus ingressus fuisset Urbem, a SS. domino nostro papa MARTINO cum ea qua decebat reverentia confirmationem petiturus, ipse dominus papa, cum debita tamen reverentia loquendo, in favorem domini RAPANI episcopi Spirensis, ipsum Rabanum instituit archiepiscopum, nullo tamen examine facto, aut quocumque impedimento potente seu valente dictam electionem vitiare, interjecto, in quo quamplurimum conspexit capitulum se fuisse & esse læsum; attento, quod SS. domini summi pontifices, dicti etiam SS. domini MARTINI prædecessores, semper affectuosissimi, & per effectum probatissimi, hujusmodi electionibus confirmationes, omni cessante varietate, velut rationabile quid impenderunt, & eisdem ratas habuerunt.

Sed, proh dolor! quoniam hoc gravamen geminatam pestem induxit, pro eo quod sede, ut præmittitur, vacante, nobiles, comites, barones, oppidani, castellani, ausu prophano ac sacrilega intrusione adscripserunt sibi oppida, castra, villas, & quasi ecclesiæ Trevirensis totum patrimonium. Quapropter accidit, quod visa repulsa de dicto domino JACOBO super ejus electione facta, nunc per dictos nobiles, comites, & ceteros dictum patrimonium occupantes, ipsi nos canonici, importunis precationibus ac minis interjectis, nunc propositione alienationis totius dictæ ecclesiasticæ facultatis nobis exposi-

ta, violentati ſuimus ad ulteriorem procedere electionem, & dom. ULRICUM *de Manderſcheit* eccleſiæ Colonienſis decanum, quantum pro tunc in nobis fuit, in archiepiſcopum elegimus, pro eo tum primo quod ferebatur impoſſibile, etiam quavis interveniente auctoritate, dicta bona ad gremium & utilitatem eccleſiæ Trevirenſis revocare, niſi ipſe dominus ULRICUS in ſæpe dictæ eccleſiæ Trevirenſis archiepiſcopum eligeretur.

Et quia difficiles aditus impetus omnis habet, currenti furori videntes eſſe cedendum, electus fuit tum ſecundo, quia ipſe dominus ULRICUS ante dictam ſui electionem, fide ſtipulata per modum ſolemnis juramenti, quod & poſt per ſuas patentes litteras, quod authentico inſtrumento firmavit dictam ſuam electionem, ſi & in quantum caſus requireret, juravit & promiſit prædicta bona eccleſiæ, ſic, ut præmittitur, ſublata revocare, & reſtituere perſonas, & res eccleſiæ & ſignanter civitatem Trevirenſem & totum archiepiſcopatum ſalubriter regere, defendere, nec aliquid in præjudicium eorum attentare; quin immo quod etſi eligeretur, promiſit in manibus noſtri decani, nomine totius capituli, bona fide, & notarii publici, ſtipulando loco juramenti, dictam ſuam electionem, ſi & in quantum requireret contradictio cujuſcumque, per viam juris coram quocumque judice competente evocatus defendere, & jus conſuetudinarium in hujuſmodi electione conſuetum fieri in dicta eccleſia, quantum id juris ordo expoſcit, defendere. Ex quo ſatis innuitur, quod in dicto capitulo & eligentibus numquam fuit pertinacia in aliquo contra juſtitiæ æquitatem, dum a dicto electo exegerunt, ſecundum juris veritatem, ſuam debere proſequi electionem.

Quid autem referendum eſt de dictis promiſſionibus & juramentis neſcimus, niſi lamentum, heu & væ, quoniam & licet occaſione ſua fuerimus & fuerit civitas & totus archiepiſcopatus ceſſui & interdicto per proceſſus papales ſuper his confectos ſuppoſiti, quod etiam ſententiam excommunicationis incurrendo, & hoc pro eo, quod, ut præmittitur, juravit, dejerando violavit. Nam feritate beſtiali immemor legis divinæ & ſuæ ſalutis, per eum a ſuis complicibus quaſi quotidie invaditur Trevirenſis civitas contra ſuum expreſſum juramentum, mittuntur incendia, captivantur pauperes coloni & habitantes in terra, jam per eum ſunt quaſi omnes viæ deſtructæ, virgines ſunt ſqualidæ, & ſacerdotium lugubre. Si autem filiis ſceleratis & prophanis hominibus dictum archiepiſcopatum, civitates, oppida & terras non appropriaret, adhuc mitior eſſet ruina & tolerabilior malitia. Sed proh dolor! quoniam jam non habet tot fera inſidias, tot avis laqueos, quot eccleſiaſtici & chriſticolæ pauperes habent furibundos raptores & venatores, heu! heu! jam ab allophilis & philiſteis arca domini capitur, tota Trevirenſis eccleſia a laicis conculcatur, preſbyteri tam religioſi quam ſæculares captivi detinentur, & carceribus mancipati ſunt, bona monachorum & clericorum rapinis & incendiis lamentabiliter devaſtantur. Jam Malcus ſævit in Chriſtum, & Balthaſar in vaſa Domini ſacrilegas manus extendit.

Amplius autem ſuam electionem ſecundum juris veritatem, prout promiſſione & ſtipulatione firmaverat, nedum proſequutus eſt: immo ſimpliciter & de facto vacationibus reſtitit & reſiſtere non deſinit. Unde ab ipſo tamquam a negligente paſtore, etiam ſi paſtor dici mereatur, quod non creditur, pro eo quod nulla confirmatione obtenta, infra juris terminum ſe immiſcuit, & hodie pertinaciter ſe immiſcet de adminiſtratione, licet ſæpius per nos requiſitus & monitus ſit, nec deſiſtit: Item, a dilapidatore bonorum Chriſti & pauperum, & dejeratore & promiſſorum violatore diſceſſimus & diſcedimus, receſſimus & recedimus: volentes per Dei gratiam & miniſterium veſtræ juſtitiæ beneficium abſolutionis a præfatis cenſuris humiliter poſtulare. Scimus enim quod quemadmodum mater papillam negare neſcit, ſuo lactanti, ita neque ſancta mater eccleſia gremium neſcit claudere redeunti.

Eia ergo, *reverendiſſimi, immo ſancti* patres, ad unitatem fidelium & ſacroſanctæ ſynodi Baſileenſis gremium viſceroſe ſuſcipientes, a dictis excommunicationis & interdicti ſententiis, & aliis pœnis in apoſtolicis mandatis contentis, ſimpliciter vel ad cautelam nos ac noſtros familiares, & de gremio ſæpe dictæ eccleſiæ Trevirenſis nobis adhærentes, abſolvere, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, dignetur veſtra piiſſima providentia, quoniam in præmiſſis promittitur inviolabiliter tenere & obſervare quicquid ſancta mater eccleſia dictaverit, & diſpoſuerit fore tenendum, tractandum & deliberandum; & quantum ad hoc ſubmittimus nos determinationi ſacroſancti concilii, matrem noſtram ſanctam eccleſiam reputantes: ſcientes, ex ſapientiæ vaticinio, quod qui fugit matrem infœlix eſt, verum pro eo quod generoſos animos fructuoſus labor potius recreat quam fatigat, non timentes veſtram fatigare ſolertiam, oramus in Domino JESU veſtram magnam, immo maximam caritatem, quatenus per juriſdictionem eccleſiaſticam, quam ſi contemſerit, prout tradunt ſanctorum patrum documenta, per gladii ſæcularis invocationem ab irregulari & injurioſa tyrannide ipſius domini ULRICI perſonas eccleſiaſticas defendatis, viduas, orphanos, & oppreſſos miſericorditer relevando protegatis, & nos pariter & ipſi per

abundans

abundans miniſterium veſtræ juſtitiæ, qui qualiter & quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena neſcimus, tunc cantare valeamus Domino & benedicere nomini ejus, ac de die in diem annunciare ſalutare ejus, ad laudem & gloriam nominis ſui, & magnificentiam ipſius ſacroſanctæ ſynodi, quam CHRISTUS JESUS Dominus noſter, inimicitias omnium inimicorum hominum repellendo, viſitet, cuſtodiat, protegat & defendat. Amen. Datum in oppido *de Stirch* Trevirenſis diœceſis, anno Dominicæ incarnationis M CCCC XXXII. ſecundum ſtylum (a) die XI. Martii.

[a]

Veſtri humiles & devoti oratores Tilmannus de Indagine decanus cum aliis in principio litteræ expreſſis, &c.

LITTERA MISSA SACRO CONCILIO Baſileenſi in favorem ducis Litwaniæ per nobiles terrarum Ruſſiæ, &c.

Cauſantur de Sigiſmundo duce & concilii judicio jus ſuum committunt.

Anno 1433. 26. Martii. *Ex inſ. Spiritual.*

SAcroſanctæ generali ſynodo Baſileenſi in Spiritu-ſancto legitime congregatæ univerſalem eccleſiam repræſentanti, nos principes, nobiles, boiari, militares, civitates & oppidani terrarum Ruſſiæ, poſt obedientiam & reverentiam humillimas, tenore præſentium ſignificamus, quod temporibus præteritis eramus ſubditi domini ducis WITARDI principis catholici: una cum ducatu Lithwaniæ, & duce WITARDO ſublato de medio, de conſilio & aſſenſu illuſtriſſimi principis & domini, domini WADISLAI regis Poloniæ, &c. & nobilium & illuſtrium ducatus Lithwaniæ & terræ Saginagitarum, concorditer elegimus illuſtrem ducem BOLESLAUM, alias *Swidrigal in ducem magnum*, verum heredem & dominum noſtrum, & juramentis firmatis, pro tali ipſum reputavimus, & promiſimus tenere & reputare. Et licet dux SIGISMUNDUS perſonaliter juraverit, & fecerit homagium prædicto magno duci SWIDRIGAL, nihilominus ad ſubornationem doloſam dicti regis Poloniæ, per tradimentum idem dux SIGISMUNDUS conatus eſt verum dominum noſtrum interficere & exheredare, niſi, Deo volente, per fugam evaſiſſet, & dominam & uxorem duciſſam cum puellis & tota curia ſua captivavit, omnibus rebus ſpoliavit, & quod deterius eſt, in derogationem honoris feminei ſexus veſtibus ducalibus denudavit; in capellanos & clericos tam ducis magni, quam dominæ duciſſæ, manus violentas injecit, more paganorum turpiter trucidavit, & adhuc hodie hæc domina cum omnibus curialibus & certis filiis & filiabus noſtris utriuſque ſexus in diris carceribus inhoneſte detinentur & tractantur, & in his perſonis, & per hoc tradimentum abominabile & abſurdum, tantas inhumanitates inauditas *in partibus iſtis* commiſerunt, ut nec pagani, nec Sarraceni, aut alii quicumque infideles ſimiles injurias aut inhumanitates committere conſuevere. Verum, reverendiſſimi patres, multi nobiles, & alii Deum timentes, & hujuſmodi ſcelera abhorrentes, de Lithwania, relictis uxoribus, filiis & filiabus, ad exilia potius, quam ſufferre ſuprafcripta, ſe tranſtulerunt. Intelleximus etiam quod forſitan prædictus dux SIGISMUNDUS litteris & etiam oratoribus vel nunciis ſuis coram ſummo pontifice eccleſiæ Romanæ, & ſereniſſimo Romanorum rege, & aliis principibus non ceſſat illuſtrem ducem & dominum SWIDRIGAL infamare, ipſum a fide catholica & a ſancta Romana eccleſia receſſiſſe, quod minime verum eſt, immo præſentibus fatemur nos ante tempora juraſſe, & ita velle obſervare, numquam habere dominum, nec obedire, niſi eſſet verus catholicus & fidei eccleſiæ Romanæ, & ſecundum juramenta & homagia noſtra domino noſtro duci magna facta, volumus ſibi ſervire & obedire, & agnita ipſius juſtitia, & rebus & corporibus pro perſona & juſtitia ipſius offerimus nos pugnaturos, bonis noſtris in hoc minime parcentes, & adepto ſalvo conductu a *Polonis*, in quem tamen minime confidimus, cum ſæpius viſum eſt, nedum ſalvos conductus, ſed & juramenta Polonorum per ipſos violata. Nihilominus ſi poſſit haberi ſalvus-conductus per terras & loca aliorum principum & dominiorum, ad hoc ſacrum concilium parati ſumus pro juſtitia domini noſtri conſequenda venire, & hujus ſacri concilii determinationi ſtare, & Deum *deprecamur ex corde* optantes, quod ſeniores fidei noſtræ, quæ eſt de ritu Græcorum, & fide eccleſiæ Romanæ, vobiſcum concordant, quo facto, & nos parati ſumus ſtare & obedire concordatis. In cujus rei teſtimonium & evidentiam pleniorem nos duces JAVASLAUS LENGEWENITIZ nepos regis Poloniæ & ducis Swidrigal, ANDREAS NICHALAWITIZ etiam nepos regis Poloniæ & magni ducis Swidrigal IWAN SENIANOWITZ, MICHEL IWANOWITIZ, Wayewoda in Lya. IWAN PUCACA SEMANOWITIZ capitaneus Svialentzky, ANDRE DYMITREWITIZ, WOLODIKO SAROYDAWITIZ, FEDOR NESEDWITZKY capitaneus Podoliæ, & domini Iwasko *Monivvodovvityz*, Jurſcha *Ivvanovvitiz* capitaneus in *Brensky*, Rehori Prothaſi capitaneus in *Mezensky*, Georgius *Butryus*, Michael *Geordovvitiz* capitaneus in *Witersky*, *Waſſfily*, *Dowgor*, *Dymytrchevvitiz*, Polotzky, Georgius *Podkovvitiz* marſchalchus, & Alexander marſchalchus *Sinalentzky* ſigilla noſtra præſenti-

(a) Quippe Trevirenſes annum incipere ſolebant a die vigeſima quinta menſis Martii, quo Verbum caro factum in utero intemeratæ Virginis conceptum eſt.

bus fecimus ſubappendi. Datum Vitebsky [a] Dominica *Letare* (a) anno Domine M CCCC XXXIII.

EPISTOLA
Jacobæ ducissæ Bavariæ ad concilium Basileense.

Scribit pro pace ecclesiæ Trajectensis.

Anno 1433. 8. April. *Ex mss. Aquicinctinsi.*

REverendiſſimis & reverendis in Chriſto patribus & dominis, domino præſidenti, dominis cardinalibus, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, doctoribus, ceteriſque egregiis viris ſacrum Baſileenſe concilium generale conſtituentibus, dominis meis confidentiſſimis.

Cum omne datum optimum & omne donum perfectum a patre luminum deſcendat, qui & fines ſuos pacem poſuit, ipſe filium ſuum ante ſæcula genitum, ut pacem poneret, formam humanæ naturæ fragilem capere in tempore ſua ordinavit majeſtate, qua de re angeli in nativitatis ejus exordio pacem commendantes, lætitia ineffabili paſtoribus ſuper gregem vigilantibus decantarunt, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, non tamen indifferenter omnibus, ſed hominibus bonæ voluntatis. Cum igitur reverendiſſimi & reverendi in Chriſto patres & domini præſtantiſſimi, vos in agro dominico tamquam veri paſtores præeſtis, ſuper gregem Chriſti fidelium vigilantes, perfectiſſimum donum jocundiſſimumque teſtamentum a Domino noſtro JESU CHRISTO vobis & cuilibet veſtrum ſit derelictum, dicente *pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*, illud non puto a quoquam relinquendum, ſed cum omni diligentia cuſtodiendum, prout paternitates veſtræ peramplius ſcrutatæ ſunt, & plus me noverunt. Ad quod quidem bonum ſive pacem Chriſti fidelibus diſcordantibus procurandam, etiam ſancta ſynodus pro præſenti in Spiritu-ſancto legitime eſt congregata. Hortor igitur vos in Domino, & per viſcera miſericordiæ ejus, quantum meæ ſuppetit facultati, requiro, ut pacem in terris iſtis tam clero quam populo ſtabilitam, firmam ſtabilire curetis. Nec ſeducamini verbis quorumdam ſanctæ congregationi veſtræ incorporatorum, qui ut percepi ſub ſpecie boni toxicum & venenum in eccleſia Dei, & præſertim in eccleſia Trajectenſi, cui dominia mea, quoad juriſdictionem eccleſiaſticam, ſubſunt, ponere nituntur. Inſtant enim, ut relatu didici, apud ſacras deputationes veſtras, ut irritentur & caſſentur ea quæ per ſanctiſſimum dominum noſtrum papam EUGENIUM modernum ſunt facta, qui res deteſtabiles & in eccleſia Dei exſecrabiles, ut puta diviſiones, ſeditiones in clero & populo eccleſiæ & civitatis Trajectenſis, cum multis aliis cenſuris eccleſiaſticis abſtulit, pacemque in tota dioceſi & regionibus circumvicinis per ſuum oratorem reverendum in Chriſto patrem dominum Jo. (a) epiſcopum Matiſconenſem ſtabilivit, & eccleſiaſticos propter cenſuras diſperſos inter ſe univit. Ita quod omnis lis & diſſentio ab eccleſia eſt rejecta, & in vera caritate & fraternali unione eccleſia Trajectenſis prius diviſa, jam vero unita in pace ſuum laudat opificem. Si igitur, quod abſit, aures veſtras petitionibus eorum aut ſuggeſtionibus ſimulato bono coloratis, quoquomodo accommodetis, & ſuum haberent intentum in parte vel in toto, quod Deus avertat, lites, guerræ, ſeditiones, prædationes, incendia, & alia innumerabilia mala ſuſcitarentur, nec ſic finis & intentio ſanctiſſimæ veſtræ congregationis, pacem videlicet Chriſti fidelibus miniſtrandi, quoquomodo attingeretur, immo omnino tolleretur, & evelleretur: quod quantum malum eſſet, perpendere poterunt circumſpectiones veſtræ venerandæ. Ampliore quoque de re iſta relatu oratorum reverendi P. domini RODOLFI DE DIEPHOLT illuſtris, a ſanctitate domini noſtri papæ EUGENII in eccleſia Trajectenſi confirmati, eædem reverendiſſimæ & & reverendæ paternitates veſtræ percipere poterunt; de cujus laude multa in medium proferrem, niſi tædium veſtris auribus afferre crederem. Hoc tamen ſibi pro laude merito adſcribendum putavi inter cetera, quod propriis ſtipendiis a patrimonio eccleſiæ Trajectenſis, per tranſlatum ab epiſcopatu dominum SUIDERUM alienata in manu forti & extento brachio recuperavit. Taceo virtutes & merita, protectionem patriæ Trajectenſis ab hoſtium inſultu, & multa alia quæ præfati oratores una cum procuratoribus meis, tam in concilio exiſtentibus, quam adhuc Dei gratia in poſterum per me miſſuris, veſtris paternitatibus explicabunt: in quibus ipſis & ipſorum ſingulis pro parte mea plenariam fidem placeat adhibere. Et ſi quæ grata fieri decreverint, ſæpedictæ paternitates veſtræ fiducialiter remandantes, & cum omni diligentia, me promptam ſanctæ congregationi veſtræ exhibebo, quam Spiritus-ſanctus ad pacem conſervandam in unitate eccleſiæ conſervare dignetur. Scriptum in domo mea Hagenſi partium Hollandiæ, die VIII. menſis Aprilis, anno MCCCCXXXIII.

JAQUE DE BAVIERE, &c.

Humilis veſtra & devota JACOBA duciſſa Bavariæ, comitiſſa Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Pontiviæ.

(a) Scilicet Dominica quarta in quadrageſima, quæ illo anno in diem Martii 26. incidebat.

(a) Johannem *Macet* decretorum doctorem, qui ab Eugenio IV. legatus apoſtolicus miſſus eſt Trajectum, ad componendam pacem cum Radulfo electo antiſtite, ut habet Chron. magnum Belgicum.

EPISTOLA LUDOVICI regis, Calabriæ & Andegaviæ ducis, ad concilium Basileense.

Mittit nuncios & oratores suos ad concilium Basileense.

Anno 1433. 25. April. Exmf. Aquitanii.

SAcrosanctæ generali synodo Basileensi in Spiritu-sancto legitimæ congregatæ.

Sacrosancta, &c. post debitam recommendationem pacemque in caritate Christi. Ad vestri sacri cætus præsentiam reverendos in Christo patres ac venerabiles & circumspectos viros JOHANNEM Forojulienſem, P. (a) Dinienſem episcopos & G. (b) monasterii S. Honorati sacræ Insulæ Lerinensis abbatem, Andream Lotarii, & Raymundum *Talon* decretorum doctores & magistros, Martinum (c) *Berruyer* consiliarios & fideles meos carissimos, præsentialiter duxi destinandos, plenaria potestate suffultos, *nomine mei* in sacro concilio interveniendi, consultandi, deliberandi & adimplendi omnia & singula, quæ pro exaltione fidei Christianæ & reformatione sanctæ matris ecclesiæ opportuna fuerint, & quæ tractabuntur in dicto sacro concilio; consensumque præstandi, prout & quemadmodum oratores ceterorum catholicorum sæcularium principum in talibus intervenire debent atque solent. quibus quidem certa imposui statum meum non mediocriter concernentia. Supplico igitur quatenus ipsos audire benigne placeat, & in explicandis credulam fidem adhibere, agenda mea cum favore recommissa suscipiendo, ac mihi grata quæcumque præcipiendo. Altissimus vos conservare dignetur feliciter & votive. Scriptum in civitate Cusantiæ, die XXV. mensis Aprilis indictione XI.

[a] [b] [c]

Rex LUDOVICUS reginalis unicus filius, Calabriæ & Andegavensis dux, humilis ecclesiæ filius.

PACTA

Inita & firmata inter sanctissimum dominum Eugenium papam IV. & serenissimum principem & dominum dominum Sigismundum Romanorum, &c. regem.

Anno 1433. 8. April. Exmf. Aquit. ducisq.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Quoniam dominus Dei filius, &c. *ut in tom.* 12. *conciliorum pag.* 944. *Post quartum vero articulum qui incipit.* Item promiserunt, *& desinit in hæc verba*: Licentiet & remittat *in manuscripto hæc adduntur.*

5. Item, promiserunt quo supra nomine, quod postquam majestas regia susceperit coronas suas, demorabitur cum sanctitate domini nostri, quemadmodum per ipsos viros dominosque declaratum fuit, ad videndum, quid ulterius agendum sit pro pace Christianorum, & præsertim Italiæ; & quid pro his utile, expediens & honorificum etiam apparuerit.

6. Item, promittunt nomine quo supra, & ultra omnia juramenta quæ facit regia majestas, & quæ promittit & vult inviolabiliter & inconcusse, interim quod vivit, omnibus subterfugiis & excusatione semotis, servare promittit SS. dominum nostrum papam EUGENIUM, quem sua majestas fatetur, semper tenuisse & tenere pro indubitato & vero pontifice canonice electo, cum omni reverentia, diligentia, cura & labore apud *universos dominos reges & principes*, & qualescumque mundi personas, tam ecclesiasticas quam sæculares, pro tali venerari, tueri, atque facere pro sanctitate sua & ecclesia Dei, quousque in humanis fuerit, semper fideliter & puro corde, secundum omne suum scire & posse, absque fraude & dolo, quantum cum Deo poterit.

7. Et vice versa idem dominus noster sanctissimus EUGENIUS papa IV. promisit procuratoribus & ambasiatoribus antedictis, dicto nomine regio stipulantibus & recipientibus, quod *ipse ipsum regem benigne*, gratanter & honorifice recipiet, more pii patris; ac eidem cum adventum suum ad terras ecclesiæ præsenserit, ad confinia obviam mittet cardinales & prælatos, ipsumque benigne tractabit ac tractari faciet cum sua comitiva, & prout decet suscipere tantum principem, etiam per terras ecclesiæ, ad quas in accessu suo dictum regem vel comitivam ejus declinare contigerit.

8. Item, promisit dictis procuratoribus nomine dicti regis, ut supra, eidem regi XV. die mensis Junii proxime futuri, in Romana urbe dare & conferre imperialem coronam, unctionem, & consecrationem cum aliis cerimoniis in hujusmodi consuetis, sine ulteriori dilatione.

9. Item, promisit eisdem procuratoribus ut supra, quod elapsis temporibus de stando cum ipso sanctissimo domino nostro pro corona suscipienda, & aliis honestis pertractandis, de quibus in promissione regia superius continetur; quod majestas sua regia possit pro libito suæ voluntatis, & quando sibi placuerit, ad propria redire sine omni impedi-

(a) Petrum de Versellis, quem eumdem esse existimo cum Petro de Versaliis, dicto etiam de Vercellis, monacho S. Dionysii in Francia, priore de Calvo-Monte, sacræ theologiæ professore, qui etiam interfuit concilio Constantiensi, cujus præclaram habes epistolam, tom. I. nostrorum Anecdotorum.

(b) Is est Gaufridus de Monte-electo ex monacho Majoris monasterii factus abbas Lirinensis, deinde ad Parisiensem S. Germani a pratis translatus abbatiam, a perfidis & ambitiosis monachis veneno sublatus creditur.

(c) Interfuit etiam concilio Constantiensi, factus tandem ex canonico Turonensi episcopus Cenomanensis.

mento & ulteriori requisitione; & quod ipse dominus noster papa cum præfata comitiva cardinalium & prælatorum, usque ad prædictos fines terrarum ecclesiæ, cum prædicta sua comitiva in eundo, stando, recedendo, pura caritate suscipiet & tractabit, & qua decet bonum patrem amplecti optimum filium & ecclesiæ advocatum, ac ipsum secure remittet per omnes prædictas terras ecclesia & territoria cum honore & pace & paterna benedictione, faciendo ipsum honorari & ejus comitivam per omnes ecclesiæ subditos illorum locorum per quos transitum habebit.

10. Item, promiserunt sibi invicem dictæ partes, quod de omnibus capitulis hinc inde conventis, debeant fieri ab utraque parte litteræ publicæ & authenticæ, videlicet pro parte ipsius sanctissimi domini nostri fiant litteræ sub plumbo, in forma ecclesiæ consueta regi; & vice versa serenissimus rex per suas litteras, regio more subscriptas & sigillatas, omnia prædicta confirmet, & ipsas litteras sanctissimo domino apostolico tradi faciat.

FORMA JURAMENTI.

Nos Matiko de Colloum comes Roronienſis, &c. *ut in tom.* 12. *conc. pag.* 966.

LITTERA MISSA CONCILIO per dominum regem Romanorum ſuper coronatione ſua, &c. lecta in congregatione generali die ſabbati 11. *Maii* MCCCCXXXII.

Anno 1433. 15. April. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

REverendiſſimis in Chriſto patribus, & venerabilibus dominis, ſacroſanctæ generali Baſileenſi ſynodo in Spiritu-ſancto legitime congregatæ, &c.

Reverendiſſimi in Chriſto patres & domini, ac venerabiles & egregii, ſincere grateque dilecti, ad requiſitionem & continuatam inſtantiam veſtrarum paternitatum, ut ad ſacrum concilium nos quantocius conferremus ſatis confiavimus operas noſtras atque ſtudium, ut conſiliis veſtris nos conformare poſſemus. Quemadmodum profecto ipſi concilio & rebus peragendis, per præſentiam noſtram non modicum commodi eventurum ſperavimus, ſicque res noſtras aptavimus, ut ſive per terram, ſive per mare diſponeremus recedere, omnibus periculis & diſcriminibus parvipenſis. Verumtamen, approbante domino ſummo pontifice ſacrum concilium, ad perſuaſionem nonnullorum notabilium virorum, & etiam oratorum noſtrorum, & imperii ſacri principum electorum, qui nobis hujuſmodi bullas exhibebant, nobiſque receſſum noſtrum ſine imperialibus inſulis noſtris penitus diſſuadebant, cum ſanctitate ſua concordes remanſimus in deificis licitis & honeſtis; ſicque per totum iſtum menſem Aprilis cum ſanctitate ſua in Viterbio conſtituemur, & uſque medium Junii, vel prius in urbe Romana a ſanctitate ſua coronabimur, præſtabimuſque & innovabimus ſibi illa juramenta, quæ noſtri prædeceſſores Romanis pontificibus præſtiterunt. Iſtudque adjecimus, quod ipſum manutenebimus, quantum cum Deo poterimus: quoniam nos uſquequaque ad alia obligare non promiſimus, nec promittemus. Et hæc veſtris paternitatibus ideo deſcribimus, ut ſi aliquis hanc concordiam ſiniſtre initam forſitan interpretari vellet, illud a veſtris paternitatibus non credatur. Quoniam hæc concordia bonis reſpectibus facta eſt, diſpoſitique ſumus ſemper ipſi concilio, *juxta bullam per nos traditam*, in proſecutione illorum, pro quibus ipſa ſynodus eſt congregata, plenarie favere, & conſtanter adhærere. Certificantes vos quod niſi ſanctitas ſua ſæpedictum concilium approbaſſet, indubie ſine noſtris coronis, quas propter facta ipſius concilii tanto tempore prætermiſimus, ad propria rediſſemus, quemadmodum de his omnibus illuſtris princeps & locum tenens noſter dux WILLERMUS V. P. poterit clarius informare, cui in dicendis velitis credere tamquam nobis. Datum Senis die XV. menſis Aprilis, regnorum noſtrorum anno Hungariæ XLVII. Romanorum XXIII. Bohemiæ XIII.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum rex ſemper auguſtus, ac Hungariæ & Bohemiæ, &c. rex.

Ad mandatum domini regis GASPAR SLIGK.

EPISTOLA MAGISTRI GENERALIS ordinis B. Mariæ Theutonicorum, ad concilium Baſileenſe.

Magnum ducem Lituaniæ paratum eſſe ad ineundum pacem cum rege Poloniæ.

Anno 1433. 21. Aprilis. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

REverendiſſimis in Chriſto patribus ſacroſanctum generale Baſileenſe concilium agentibus dominis & patribus noſtris metuendiſſimis, humillima recommendatione cum ſinceriſſima promtitudinis exhibitione jugiter antemiſſa.

Reverendiſſimi patres & domini, domini noſtri glorioſiſſimi, noſtris annexas ſuſcepimus litteras reverendiſſimarum paternitatum veſtrarum, illuſtri duci magno Lituaniæ & Ruſſiæ mittendas: quas exacta cum feſtinantia eidem duci magno SWIDRIGAL non obmiſimus deſtinare, nihilominus ſcriptis noſtris ad pacem & concordiam cum ſereniſſimo rege Poloniæ ipſum exhortando ineundam. Quem quidem ducem magnum ad pacem conſequendam promtum reperimus & paratum: ipſo tamen ad dominia ſpoliata prius reſtituto, & ad informandas *reverendiſſimas P. V. de hac ſua ſpoliatione*, ipſius oratorem ſeu procuratorem conſtitu-

tum honorabilem virum dominum Andream *Pfaffendorff* decretorum doctorem, ordinis nostri professum, cum plenissimo mandato in brevi coram V. R. P. reperietis comparentem. notabilemque ambassiatam præfatus magnus dux ad V. R. P. transmisisset, si ad dominia, quibus per ducem SIGISMUNDUM suffragiis Polonorum traditorie est spoliatus, esset restitutus. Cui tamquam catholico principi P. V. R. ut restituatur auxilium dignentur præstare & favores. Nam ipse sic restitutus, aptus est & erit cum potentia sua fidem ampliare catholicam: pro quo Omnipotens personas vestras reverendas conservare dignetur incolumes pro regimine universalis ecclesiæ feliciter & longæve. Datum in castro nostro *Marienburg*, ipso die B. Marci, anno Domini MCCCCXXXIII.

V. R. P. humilis & devotus frater Paulus *Rusdorff*, ordinis B. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitanus magister generalis.

EPISTOLA PHILIPPI ducis Burgundiæ, ad concilium Basileense.

Commendat patribus confessarium suum ad episcopatum Autissiodorensem e Bethleemitano translatum.

Anno 1433. 26 April. *Ex mss. Aquisext.*

SAcrosancto universalis ecclesiæ generali concilio Basileensi, &c.

Reverendissimi reverendique in Christo patres spectabiles & præclari, placuit sanctitati domini nostri papæ, nuper providere reverendo in Christo patri confessori & consiliario nostro (*a*) dilecto & fideli episcopo Bethleemitano de episcopatu Autissiodorensi, ipsum de Bethleem ad eumdem episcopatum Autissiodorensem transferendo. Verum decanus (*b*) ecclesiæ Autissiodorensis supradictæ, prætextu cujusdam prætensæ quam de se asserit electionis, jam dictum nostrum confessorem ad sacrum Basileense concilium citari procuravit, intendens sibi vexationes possibiles inferre, & novitates indebitas suscitare, non sine gravi periculo seu totali perditione civitatis Autissiodorensis & totius diœcesis; quæ quidem civitas sub nostro constituitur dominio: cujus tuitioni affectu pariter intendentes & effectu, dictam provisionem sollicite promovimus, tamquam nobis, clero totique plebi civitatis & diœcesis hujusmodi gratam & fructuosam. Quapropter reverentias vestras summis affectibus deprecamur, quatenus in hoc negotio quod habemus singulariter recommissum, totaliter procedere, procedique curare velitis, quod sanctissimus dominus noster in ipsa dispositione non irritetur, mensque nostra a suo desiderio minime fraudetur, significantes quæque vestra beneplacita, quæ possetenus toto conamine curabimus adimplere. Reverendissimi reverendique in Christo patres spectabiles & præclari, Omnipotens vos dirigat in prosperis & votivis. Scriptum in oppido nostro Middeburgensi, XXVI. die Aprilis.

Devotus ecclesiæ filius PHILIPPUS Burgundiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ dux &c. Flandriæ, Artesii, Burgundiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Namurci comes, vestris beneplacitis paratus.

SALMANDRE.

(*a*) Laurentio Pino ordinis Prædicatorum conventus Senonensis.

(*b*) Petrus de Longolio, qui anno 1439. electus episcopus Autissiodorensis, Laurentio successit.

EPISTOLA ULRICI electi Trevirensis, ad concilium Basileense.

Petit ne credatur litteris decani & quorumdam adversus eum.

REverendissimis in Christo patribus & dominis, sacrosanctæ Basileensi synodo in Spiritu sancto legitime congregatæ, præsidentibus dominis, & amicis meis præcolendissimis, cum recommendatione humillima promtissimæ voluntatis obedientiam. Anno 1433. 29. April. *Ex ms. Aquisext.*

Reverendissimi in Christo patres, domini ac amici præcolendissimi, grate sincereque dilecti, ex transpersa in populum fama mihi innotuit, quod venerabilis decanus certis cum capitularibus ecclesiæ meæ Trevirensis, quædam strepentia admodum querulosa adversum me, militiam, incolas, subditosque meos coram ea percelebri sacrosanctaque concione V. R. P. conscripta produxere. Cum ergo qua serie hujusmodi contexatur scriptum usque huc rimari nequiverim, nec prout res postulat ipsa, nec juxta facti qualitatem, respondendi defensandique mihi patuit facultas. Et præterea R. P. V. perlucidum agnovere, partibus contendentibus duabus, ad unius relata dumtaxat ferenda non extat sententia, alterius ignota causa. Quare animus ad R. P. V. probatam clementiam, quæ se digna petentibus suæ munificentiæ donaria liberalius impertitur, promptissimis me dirigit cursibus, humili prece pulsans: si quæ dicti decanus ac capitulares præfata querulosa V. R. P. duxissent, duxerintve significanda scripta, velint eædem V. R. P. eorumdem me exemplaribus paternis edocere clementiis, ac meorum suffragio expensarum, in usus hæc transmittere proprios. Experientur enimvero P. V. R. ex responsali, quem fide credita, testimonio, immo stabilito affirmare decrevi tenore, personam adeo criminosam detestandamve non existere meam, quemadmodum contrariæ meæ partis rancorosa editio lividis in me sævit mor-

sibus, cupiens, licet demeritis non exigentibus, famam dilaniare meam, quam promtissimis semper propositi illæsam servare studiis.

Et si iidem ipsi decanus & capitulares quorumdam testimoniorum conscriptorumve prætextu super derogando honori una cum fama meis, in paternos vestros recurrerent amplexus, oro non assumantur fide, neque mancipentur prona, nisi ad hæc intellecto quid responsurus defensurusque decreverim, prout ingenti mihi cautela opus esse constat. Volabat enim sparsim satis in patriam fama, quod cum sæpefati decanus & capitulares diffidatis contra positisque hostibus meis incolis civitatis Trevirensis, conspiratorio quodam tractatu se mutuo colligantes, patentibus novere modis, cum memorati Trevirenses adversum me ruminarent, testimonia credita prorsus cernerentur.

Ea præter solitum esset, eo ipso sententialiter in me procedi testimonio, cum oppositam partem rursus fovere dinoscantur. Possent insuper ipsi decani una cum capitularibus notarios ad vota requirere velle, instrumenta producturi cum nonnullis confectionibus sigillorum munimine roboratis, quarum nihilominus compagines infringi constaret; attento quod hac hora & in Basilea & in circumvicinis territoriis ut plurimos noverim in me sævientes æmulos, qui fortassis causam non foventes meam, velata rei qualitate, dispendiosa eructarent testimonia.

Quamobrem etsi memoratas editiones cum producendis instrumentis coram R.P.V. contingat propalari, dignentur intuitu prætactorum humilium affectuum meorum eædem V. R. P. suspensa sententia, tam super transmittendis exemplaribus, quam super consignando mihi termino ad afferendum opposita cum evidentia veritatis stabilitæ piis discernere medelis. Et si rursum innotuerit militiam, burgenses, subditosque diœcesis meæ his ipsis deprehendi scriptis, confido pleniſſime quanto innocentiores impositi criminis censeantur, tanto ferventioribus defensabunt se conatibus. Et qui super reconciliatione totius universi in Spiritu-sancto congregati estis; dignetur Altissimus septiformem ejus gratiam uberioribus inter vos augmentare commodis, mihi ad tempora præcipienda longiora. Datum *Erembrectein* meo sub sigillo, die penultima mensis Aprilis, anno Domini MCCCCXXXIII.

V. R. P. humillimus Ulricus electus Trevirensis.

EPISTOLA EUGENII PAPÆ IV. Johanni de Mella, Johanni archiepiscopo Tarentino, Thomæ episcopo Tragurienſi, Ludovico & Nicolao abbatibus.

Deputat eos ad concilium ut suo nomine ei præsideant.

Anno 1433. 7. Maii. Ex reg. Aquicinct. & illustriss. domini Chauvelin.

Eugenius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio magistro Jo. de Mella notario ac referendario, & venerabilibus fratribus Johanni archiepiscopo Tarentino, Thomæ episcopo Tragurienſi, necnon dilectis filiis Ludovico S. Justinæ, & Nicolao S. Mariæ de Moniacis apostolicæ cameræ auditori, monasteriorum abbatibus S. & A. B.

Cum ex certis rationabilibus causis de venerabilium fratrum nostrorum consilio decreverimus, ut generale concilium in civitate Basileensi per legatos nostros, nostro & apostolicæ sedis nomine præsidentes celebretur, non obstante dissolutione alias per nos facta, prout in nostris litteris super inde sub data XVI. calendas Martii confectis plenius continetur. Cumque aliqui ex præfatis præsidentibus, ut præmittitur, deputatis, videlicet venerabilis frater noster Jordanus episcopus Sabinensis, & dilectus filius Angelotus tituli S. Marci presbyter S. R. E. cardinales & apostolicæ sedis legati, ob multa in his partibus incumbentia, sine magnis incommodis & suspicione maximi detrimenti ipsarum partium, ac etiam propter adventum carissimi filii nostri Sigismundi Romanorum regis illustris ad almam Urbem, ob quem ipsorum cardinalium præsentia nobis plurimum necessaria existit, usque in præsentem diem non potuerint iter suum ad dictam civitatem Basileensem arripere. Considerantes quoque contingere posse, quod venerabilis frater noster Petrus Albanensis episcopus, & dilectus filius Nicolaus tituli S. Crucis in Jerusalem presbyter S. R. E. cardinales, etiam legati & præsidentes per nos deputati, ex bonis & honestissimis causis forsitan necdum finitis, adhuc plurimum occupati, pari modo ad dictam civitatem Basileensem venire tardarent: nolentes ex his ipsum concilium aliqualiter retardari, sed potius quæcumque ad reformationem morum, exstirpationem hæresum, concordiam, pacem & unitatem, necnon commodum & augmentum religionis & reipublicæ Christianæ pertinent, veluti semper optavimus, indilate promoveri, & ad desideratum finem perduci; vos, seu illos ex vobis, quos in dicto concilio pro tempore contigerit interesse, fide, bonitate, & prudentia præclaros, ac in magnis nostris & præfatæ ecclesiæ negotiis longa experientia comprobatos, ad præsidentiam ejusdem concilii nostro & sedis apostolicæ nomine, loco dictorum cardinalium, & in ipsorum absen-

tia, de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio deputamus, cum poteſtate ipſum celebrandi, ſecundum quod in litteris prædictis ſub data XVI. calendas Martii ſtatuimus, necnon continuandi, promovendi, tractandi, ordinandi, diſponendi, decernendi, concludendi & exſequendi omnia & ſingula, de quibus in litteris noſtris ſuper deputatione, præſidentia & poteſtate præfatis cardinalibus conceſſa ſeu conceſſis ſub data kal. Martii, anno II. confectis, & quemadmodum per dictas litteras præfatis cardinalibus dedimus in mandatis, plenius continetur, ratum & gratum habituri, quicquid ſuper præmiſſis per vos ſeu illos ex vobis, quos in dicto concilio pro tempore intereſſe contigerit, juxta facultatem per dictas litteras præfatis cardinalibus, ut præmittitur, conceſſam ordinatum, ſtatutum, deliberatum ac decretum fuerit & concluſum; idque faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Quocirca circumſpectioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus injunctum vobis miniſterium laboris hujuſmodi, pro Dei ac noſtra & ſedis apoſtolicæ reverentia ſuſcipientes, illud in omnibus & ſingulis ſupradictis, juxta datam vobis a Domino prudentiam, omni induſtria & diligentia exſequamini, quo fructus optati proveniant, quos ſperamus. Super quibus omnibus & ſingulis ſupra præmiſſis plenam & liberam, auctoritate apoſtolica, vobis concedimus facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCCXXXIII. nonas Maii, pontificatus noſtri anno III.

De curia,

L. DE ORTO.

In plica, JA. DE LANGUSTO.

LITTERÆ LEGATIONIS R. P. domini cardinalis S. Angeli, lectæ in congregatione die Veneris V. *Junii* M. CCCC. XXXIII.

Anno 1433. 8. Maii. *Ex mſſ. Angelicanis, & Chauvelinianis.*

EUGENIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto eccleſiæ filio JULIANO S. Angeli diacono cardinali apoſtolicæ ſedis legato, S. & A. B.

Dudum ex certis rationabilibus cauſis decrevimus, ut generale concilium in civitate Baſileenſi per legatos noſtros noſtro & ſedis apoſtolicæ nomine præſidentes celebretur, non obſtante diſſolutione ſeu tranſlatione alias per nos facta, prout in noſtris litteris ſub data XVI. cal. Martii plenius continetur. Cumque te fide, circumſpectione, bonitate & prudentia præclarum, ac in magnis noſtris & Romanæ eccleſiæ négotiis diutina experientia comprobatum, cum præfatis legatis, ſeu aliis deputatis, aut deputandis, nominibus quibus ſupra, eidem concilio, de venerabilium fratrum noſtrorum conſilio, cenſuerimus præſidere, tenore præſentium tibi injungimus, ut cum legatis, ut præmittitur, deputatis, ſeu aliis in futurum forſitan deputandis, necnon cum quibuſvis loco eorum & in ipſorum abſentia per nos deputatis ſeu deputandis, quæcumque ad reformationem morum, exſtirpationem hæreſum, concordiam, pacem & unitatem, necnon commodum & augmentum religionis & reipublicæ Chriſtianæ pertinent, prout per alias litteras noſtras ſub data nonas Maii anno III. declaravimus, in præmiſſis promoveas, eidem concilio pariter præſidendo cum honore, prærogativa, facultate & poteſtate, quæ ſingulis aliis, ut præmittitur, deputatis, ſecundum formam contentam in litteris legationis ſeu deputationis eorum ſub data calendis Martii anno II. ac data nonas Maii prædicta confectis, competere dinoſcuntur. Quocirca circumſpectioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus injunctum tibi miniſterium laboris hujuſmodi, pro Dei, noſtra & ſedis apoſtolicæ reverentia, juxta datam tibi a Domino prudentiam omni ſtudio & induſtria exequaris, quo fructus optati proveniant, quos ſperamus, & tu retributionem conſequi merearis felicitatis æternæ. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIII. VIII. idus Maii, pontificatus noſtri anno III.

In plica, Ja. de Languſto.

L. de Veneciis.

BULLA FACULTATIS reverendiſſimorum legatorum.

EUGENIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus JORDANO Sabinenſi, & PETRO Albanenſi epiſcopis, ac dilectis filiis NICOLAO tituli S. Crucis in Jeruſalem, & ANGELOTO tituli S. Marci preſbyteris S. R. E. cardinalibus, apoſtolicæ ſedis legatis, S. & A. B. Alta nos cura, &c. *ut in conc. tom.* 12. *pag.* 947. *& apud* Bzovium, *ad annum* 1433. *& in editis quidem* data cal. Januarii, *in noſtro mſ.* cal. Martii.

RESPONSIO SACRI CONCILII

Facta ambaſſiatoribus domini noſtri EUGENII *papæ IV. ſuper petitionibus ſuis, videlicet domino Jo. de Mela, epiſcopo Cærvienſi, &c.* MCCCCXXXIII. XV. *Junii.*

Speravit hactenus, &c. *Extat conciliorum tomo* 12. *pag.* 699.

EPISTOLA
EUGENII PAPÆ IV.

Venerabilibus fratribus ac dilectis filiis in ſacro generali Baſileenſi concilio congregatis.

Mittit nuntios qui concilio præſideant, cui omnem favorem optat & promittit.

Anno 1433. 10. Maii. *Ex mſſ. Aquicinctenſi, & Chauvelinia.*

EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus ac dilectis filiis in generali Baſileenſi concilio congregatis, S. & A. B.

Poſteaquam ſtatuimus in civitate Baſileenſi debere concilium celebrari, nonnullos ex venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus, apoſtolicæ ſedis legatos, ad præſidendum præfato concilio, noſtro & ſedis apoſtolicæ *nomine*, ad dictam *civitatem* Baſileenſem decrevimus tranſmittendos, intendentes præfatos legatos quamprimum ad prædictum concilium acceſſuros; verum quia ob multa gravia & ardua, ſtatum Romanæ eccleſiæ concernentia, ac etiam ob adventum cariſſimi in Chriſto filii SIGISMUNDI Romanorum regis illuſtris, qui vix una dieta a præfata urbe diſtat, ipſorum legatorum, qui *hic ſunt*, *præſentia permaxime neceſſaria* nobis extiterit, & adhuc exiſtat; conſiderantes etiam poſſe contingere, quod reliqui ex præfatis legatis per nos deputatis ex arduis & honeſtiſſimis cauſis forſitan necdum finitis, adhuc plurimum occupati, pari modo ad dictam civitatem Baſileenſem venire tardarent, ne quid hujuſmodi concilii celebrationi impedimentum aliquod habeat, ſeu dilationem afferat, dilectum filium magiſtrum Jo. de Mella notarium referendarium, ac venerabiles fratres Jo. archiepiſcopum Tarentinum, THOMAM epiſcopum Tragurienſem, nec non dilectos noſtros filios LUDOVICUM S. Juſtinæ Patavinæ *, & NICOLAUM S. Mariæ de Moniacis, apoſtolicæ cameræ auditorem, monaſteriorum abbates, *viros utique bonitate*, prudentia & ſapientia præſtantes, in præfato concilio nominibus quibus ſupra, loco dictorum legatorum & in ipſorum abſentia, & cum ea poteſtate, quam prædictis legatis antea conceſſimus, cenſuimus præſidere, quemadmodum in noſtris litteris ſuperinde confectis plene & ſpecifice continetur. Quamobrem fraternitates, circumſpectiones ac devotiones veſtras hortamur in Domino, atque etiam in virtute ſanctæ obedientiæ tenore præſentium vobis injungimus, quatenus memores pietatis, officii & religionis juramenti, quibus ſanctæ ſedi apoſtolicæ, quæ vos genuit in viſceribus caritatis, obſtricti eſtis, præfatos, ut præmittitur, deputatos ad præſidentiam præfati concilii ea qua decet reverentia ſuſcipientes, cum ipſis zelo ſancti Spiritus inflammati, his quæ ad reformationem morum, exſtirpationem hæreſum, pacem Chriſtianorum, *honorem* ſedis apoſtolicæ, & augmentum religionis & reipublicæ Chriſtianæ conducant, prout ad unumquemque pertinet, totis cordis & caritatis viſceribus intendere velitis. Singulari enim, teſtis eſt nobis ille qui nihil ignorat, & ſincero cordis tenemur deſiderio, concilium hujuſmodi ita ex inſtinctu ſancti Spiritus, in cujus caritate & fervore congregatos vos eſſe oportet, debere celebrari, ut debita divini honoris ac nominis exaltatio, congrua eccleſiæ reformatio, pacis & tranquillitatis totius populi Chriſtiani reductio & reintegratio conſequatur. O felicem diem illam, ad futurorum ſæculorum memoriam recolendam, in qua tam multa nobis, licet immerito, totique populo Chriſtiano bona largitor omnium bonorum conceſſerit intueri! Agite igitur, ac *bonis ſinceriſque & in Deum erectis animis*, eſtote ad ſingula quæque & ſalubria & ſancta eccleſiaſticæ reipublicæ, & univerſo populo Chriſtiano patranda & etiam reducenda, parati. Nos autem, quamvis ex legitimo impedimento effectum ſit, ut ad partes tam longinquas accedere, & ſic Baſileenſi concilio præeſſe perſonaliter nullo modo inpræſentiarum valeamus, omnia tamen auxilia, omnes operas, *omnes favores*; ad hoc ut prædictum concilium bonos & proſperos ſucceſſus in Dei eccleſia habeat, conferemus. curabimus etiam, ut cœpimus, efficacem operam dare, ut prælati ex omni parte ad ipſum concilium Baſileenſe conveniant, cum non dubitemus eo plura & majora bona in dicta eccleſia fieri poſſe, quo plures operarii in agro dominico ad operandum fuerint conſtituti. Accedant præterea iſtuc quamprimum oratores cariſſimi in Chriſto filii noſtri SIGISMUNDI Romanorum regis illuſtris præfati, ne quid ipſi concilio favoris deſit, a quibus etiam de noſtræ mentis ſinceritate & fervore circa eccleſiæ reformationem & omnia alia, de quibus ſupra præmittitur, efficiemini certiores. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis dominicæ MCCCCXXXIII. VI. idus Maii, pontificatus noſtri anno III.

* *al.* Paduanæ

An L. DE ORTO.

MANDATUM

domini ducis Burgundiæ, lectum in congregatione generali XXVI. *Junii* MCCCCXXXIII.

PHILIPPUS Dei gratia Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ dux, Flandriæ, Artheſii, Burgundiæ, Palatinatus, Hollandiæ, Hannoniæ, Zellandiæ & Namurci comes, ſacrique imperii marchio, atque Friſiæ, de Salinis ac Machliniæ dominus, univerſis

Anno 1433. 10. Maii. *Ex mſſ. Aquicinctenſi.*

niverſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in vero ſalutari.

Etſi ab incœptione & prima convocatione ſacri *concilii generalis Baſileenſis, in Spiritu-ſancto*, quo duce regitur, legitime congregati, fuerimus ſemper intentionis atque ferventiſſimæ voluntatis eidem adhærere, prout aſſidue abſque ulla hæſitatione hucuſque firmiter aſſentientes adhæſimus & adhæremus, noſtroſque nuncios & oratores ad illud pro re *tam ſancta tamque ſalubri & neceſſaria*, quæ inibi agenda foret & tractanda, cum aliis eadem de cauſa ibidem congregatis ſeu congregandis, deſtinare. Attamen multis in negotiis publicis & privatis ſuper modum & numerum interim & uſque ad modicum citra tempus elapſum impediti, noſtræ mentis deſiderium & ſalubre propoſitum vix hactenus, in noſtram non mediocrem diſplicentiam & cordis mœſtitiam, valuimus adimplere. His vero jam Dei dono aliquantiſper pacatis, & *tranquille diſpoſitis, quod in votis* eſt pleno libet affectu ſub duce Chriſto ſtudioſe proſequi, votivoque effectui demandare. Notum itaque facimus, quod nos ad plenum confidentes de probitate, induſtria, fidelitate & reliqua virtute reverendi in Chriſto patris epiſcopi Nivernenſis, nec non dilectorum & fidelium conſiliariorum noſtrorum domini Guilleberti *de Launoy*, domini de Villari-valle militis & cambellani noſtri, magiſtrorum quoque Johannis de Fruyno theſaurarii eccleſiæ Biſuntinenſis in legibus, Johannis Viviani archidiaconi de Belna, & Roberti *Auclou* canonici Pariſienſis in decretis licentiatorum, ipſos & quemlibet ipſorum in ſolidum fecimus, conſtituimus & ordinavimus veros & indubitatos ambaſſiatores noſtros, & nuncios ſpeciales ad prædictum ſacrum generale *concilium Baſileenſe*, dantes & concedentes per eaſdem præſentes, illis & eorum ſingulis omnimodam poteſtatem & facultatem plenariam adhærendi primum nomine noſtro antedicto ſacro concilio, etiam approbandi, comparendique & exhibendi ſe pro nobis in eodem coram quibuſcumque principibus eccleſiaſticis & ſæcularibus, præſidentibus, judicibus, officiariis deputatis, & aliis quibuſve perſonis ibidem conſtitutis. In omnibus inſuper congregationibus generalibus & particularibus ſeſſionibus, ceteriſque cœtibus & locis, actibus quoque & rebus univerſis ejuſdem concilii opportunis; nec non agendi, tractandi, conveniendi, diffiniendi & concludendi una cum reliquis ſuper materiis & agibilibus quibuſcumque in eodem concilio tractandis & expediendis, tam pro reformatione generali eccleſiæ in capite & in membris, quam exſtirpatione hæreſum & ſchiſmatum, pacificationeque regnorum, & aliorum Chriſti fidelium, & generaliter omnia alia & ſingula quo ſupra nomine faciendi, gerendi & exercendi, quæ in præmiſſis & circa præmiſſa neceſſaria fuerint, ſeu quolibet modo opportuna; & quæ nos ipſi faceremus aut facere poſſemus, ſi præſentes & *perſonaliter intereſſemus. Promittentes* bona fide & in verbo principis, nos ratum & gratum perpetuo habituros quicquid per præfatos ambaxiatores noſtros & eorum ſingulos actum, dictum, geſtumve fuerit in præmiſſis, ſeu quomodolibet alias expeditum. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus litteris juſſimus apponendum. Datum in villa noſtra Bruxellenſi, die XI. menſis Maii, anno Domini MCCCCXXXII.

Per dominum ducem,

G. Serarii.

EPISTOLA

Syndici & conſilii civitatis Avenionenſis ad concilium Baſileenſe.

Monent concilium de expeditione ſuſcepta adverſus comitatum Vaineſini a cardinali Fuxenſi & ejus fratribus.

REverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis ſacrum generale Baſileenſe concilium digne celebrantibus, &c. Anno 1443. 12. Maii. *Ex inſ. Aquicinct.*

Reverendiſſimi, &c. humillima recommendatione præmiſſa. Non ſine cordis compunctione maxima cogimur ex debito noſtræ fidelitatis, quo eccleſiæ univerſali per hoc ſacrum concilium repræſentatæ, aſtricti ſumus, quæ in his partibus eidem eccleſiæ ſubditis dietim obveniunt, in eccleſiæ ſanctæ Dei non modicam injuriam, dicti ſacri concilii contemtum, & ſubditorum ejus læſionem inexplicabilem, enarrare. Nempe ſiquidem, patres & domini reverendiſſimi, nudius tertius *ingreſſi ſunt comitatum Venaiſyni*; ad eccleſiam Romanam pertinentem, domini cardinales de Fuxo & fratres ejus cum exercitu gravi, uſque ad ſummam duorum millium equitum, & ducentorum peditum, & ultra, & dietim augmentantur, paſſagio eis conceſſo per Pontem-Spiritus-ſancti, deferentes vexillum cum armis domini noſtri papæ, emittentes clamorem: Vivat papa & dominus cardinalis de Fuxo ejus vicarius. Eſt autem ipſe dominus cardinalis aſſociatus quinque epiſcopis & duobus abbatibus, epiſcopo videlicet Laudunenſi, Conſeranenſi, qui totius mali auctor exiſtit, Aduренſi, Apamienſi & Bethleem, abbate de Lezato, & quodam alio cujus nomen ignoramus. Practica per eos tenta eſt hæc. Veniunt prælati prædicti ante villas dicti comitatus, & faciendo blandos eorum ſermones, quanta populis ad exaltationem domini noſtri papæ, ad oppreſſionem vero concilii, & civitatis præſentis ignominiam, explicare non poſſemus. & ubi cum verbis damnatis prædictis obtinere non poſſunt eorum damnatum propoſitum, com-

minationes inferunt mortiferas, non ſolum animarum, immo corporum & bonorum; & ſpecialiter de faciendo (a) vaſtum, & deſtruendo blada & vineas, & alia innumerabilia mala faciendo. Die dominica proxime lapſa de ſero ipſis applicatis ante villam de Abolena comitatus prædicti, ſuper qua fundatum eſt collegium ſtudentium civitatis Avenionenſis, uſque ad numerum XXIIII. ſtudentium, per bonæ memoriæ dominum cardinalem Oſtienſem, ad ſuggeſtionem & totalem inductionem dicti Conſeranenſis executoris teſtamenti, ac etiam principalis ordinatoris collegii prædicti, dicta villa fuit poſita ad obedientiam dicti domini cardinalis de Fuxo, & in ſummitate eccleſiæ prædictæ villæ, poſitæ (b) banderiæ papæ & dictorum dominorum de Fuxo, & facti ſonitus campanarum non modici, cum inexplicabili gaudio, & civitatis præſentis contumelia pariter & offenſa. & demum infra eamdem villam dimiſſa ſtabilita certarum gentium armorum, diſcurrunt per villas & loca comitatus prædicti, modum & formam, de quibus ſupra, continue obſervantes. Et quia patria eſt pauperrima victualibus, locaque ſunt multa, nonnulla gentibus depopulata, alia vero debiliter clauſa, alia vero modis quibus ſupra, ſeducta, dubium eſt, niſi Deus & veſtræ reverendiſſimæ paternitates celeriter provideant, de totali dicti comitatus ſubverſione. Reverendus in Chriſto pater dominus Valentinenſis (c) epiſcopus, & rector ejuſdem, hucuſque fecit quod potuit: qui continue in Carpentorate reſidet, ſuccurſum ducentorum hominum armorum per hanc civitatem ſoldatorum, una nobiſcum languentes ſpectando. Sed quicquid ſit, ſecundum ſuas litteras ad nos directas ſatis deſperat, quod etiam villæ majores comitatus ejuſdem ſe parare velint ad defenſionem. Nam nec uſque in hodiernum diem induci potuerunt, neque poſſunt induci de præſenti ad contribuendum una cum civitate præſenti, etiam uſque ad unum obolum pro defenſione prædicta. Et niſi occurratur, dubium eſt quod exercitus prædictus una cum gentibus dicti comitatus ſe convertat contra civitatem præſentem. quod ſi ita fieri contingeret, quod Deus avertat, ad incommoda non modica, periculumque deſtructionis totalis hæc civitas eſſet parata. Et quia P. R. hæc civitas ſemper fuit & eſt eccleſiæ ſanctæ Dei fideliſſima, & ſecunda ſedes, a multis propterea exoſa, & a magnis temporibus citra propter factum eccleſiæ quaſi depauperata, abſque eo quod ab eccleſia reformationem ſeu conſolationem quamcumque effectualem hucuſque perceperit, & noviſſime hæc damna his temporibus ei parata, propter obedientiam ſacro concilio præſtitam evenerunt; ſupplicamus humilius quo poſſumus eaſdem V. P. R. quatenus pio & paterno affectu eidem compatientes, dignentur de convenienti remedio atque ſubſidio adverſus inconvenientia prædicta eidem providere. Nam præter mala jam ſuſtentata, diſpoſiti ſumus, etiamſi totus comitatus eſſet perditus, adhuc majora pati, quantum nobis poſſibile fuerit, non obſtante quod multi domini de tractatu concordiæ ſe interponant. & hodie in Carpentorate cum ſalvoconductu ingreſſus eſt ſeneſcallus Belli cadri cum domino rectore, conſenſu reverendiſſimi in Chriſto patris domini gubernatoris & conſilii civitatis præſentis, interveniente, ſuper aliquo tractatu colloquium habens. Sed quicquid ſit, qualiſcumque fiat tractatus, concluſio dominorum de Fuxo eſt habere obedientiam civitatis & patriæ expeditam: quod animi noſtri patienter audire non tolerant. De remediis autem adhibendis, hoc eiſdem paternitatibus veſtris reverendis diſcutiendum relinquimus, quæ illorum notitiam habent luce meridiana clariorem. Hæc licet tædioſe intimare eiſdem diſpoſuimus ad fines & effectus prædictos, & ne civitas a tantis paternitatibus, quicquid evenire contingat, poſſit in futurum redargui. quam patriam eccleſiæ ſibi circumvicinam dignentur eædem paternitates reverendiſſimæ tueri & protegere favoribus & auxiliis opportunis, ut illis intervenientibus, & celeriter ipſa poſſit, ſicut affectat, eccleſiæ ſanctæ Dei continue ſubjici, famulari & conſervari; quod eis concedat ille cujus cauſa agitur, qui eaſdem ſalvet, protegat cum felicibus incrementis, deque eccleſiæ ſuæ ſanctæ inimicorum proſtrationem feliciter & votive. Poſt hæc P. R. hodie XIII. Maii civitas Carpentorate, quæ caput eſt comitatus Venaiſini, abſque alia violentia, interveniente tractatu inter eos inito, præfato domino cardinali de Fuxo, & ſimiliter quaſi omnia loca pro majori parte dicti comitatus, præſtiterunt obedientiam totalem, & cras cum exercitu ſuo, ut dubitamus, erit ante præſentem civitatem, quia jam eſt in loco de Montibus, ad tres leucas prope Avenionem. Nos enim ad viam defenſionis parati, ejus inductionibus, quantum poterimus, bono corde reſiſtemus. Subſequenter hodiemet, XI. hora ante meridiem, ipſe dominus cardinalis cum fratribus & prælatis ſuis locum prædictum Montiliorum deſerunt, & apertis januis civitatem Carpentoratenſem intraverunt: qui fuerunt recepti cum gaudio & exultatione, campanis pulſatis, & alia lætitiæ ſolemnitate ſervata, &, ut mandaverunt, cras contra Avenionem comminati ſunt dare aſſaltum contra locum Pontis-Sorgiæ; ſed, ut ſperamus, non prævalebunt, quia potenter & ſtrenue dabitur eis repulſa. Scriptum Avenione die XII. Maii MCCCCXXX XII.

[a] [b] [c]

(a) Id eſt devaſtationem, gallice *degaſt*.
(b) Id eſt vexilla. hinc banderarius pro vexillifero.
(c) Is fuit Johannes *de Pottiers*, frater Caroli epiſcopi Lingonenſis, Carolo Francorum regi carus.

Earumdem paternitatum veſtrarum reverendiſſimarum humillimi ſervitores ſyndici & conſilium civitatis Avenionenſis.

EPISTOLA JOHANNIS regis Portugalliæ, ad concilium Baſileenſe.

Promittit oratores ad concilium ſe miſſurum, collectas vero pecunias in regno ſuo pro cauſa Bohemorum ad papæ nutum eſſe diſtribuendas.

Anno 1433. 25. Maii. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

SAcroſanctæ generali ſynodo Baſileæ in Spiritu-ſancto legitime congregatæ, univerſalem eccleſiam repræſentanti, JOHANNES Dei gratia regnorum Portugalliæ & Algarbii rex, Ceptæque dominus, filialem obedientiam cum ſubjectione debita & devota.

Diu Chriſtianæ religionis ſtatum, perſecutionem eccleſiæ, hæreticorum peſtem ac exinde varia Chriſtianorum diſſidia, ſtrages, civilia bella, morum deformationem non tam reſpeximus, quam filiali pietate defleximus, idque ægrius tuliſſemus, ni Paraclitus Spiritus-ſanctus hanc ſacroſanctam Baſileenſem ſynodum in horum remedium legitime congregaſſet. Qua de re gratulamur plurimum, ſperantes de illius clementia, qui cum eccleſia ſancta ſe uſque ad conſummationem ſæculi manſurum pollicitus eſt, ut etſi Petri navicula in hoc tribulationis ſalo varios hæreticorum fluctus agitata tranſiliat, nullatenus tamen eamdem naufragari permittet. Ex litteris a clementia veſtra per venerabilem abbatem Bonæ-vallis nobis delatis, piam exhortationem ſuper deſtinandis noſtris oratoribus ad prælibatam ſacroſanctam ſynodum percepimus, quam etiam venerabilis Jo. SANCII abbas S. Mariæ *de Arnas*, ſub credentiæ litteris vivæ vocis oraculo intimavit. Nos quoque ſacri concilii exhortationi, quam potius mandatum dicimus, obtemperantes, oratores noſtros quales decet ad antedictam ſanctam ſynodum decrevimus deſtinare, forma, modo, ac tempore opportunis. Prælatos etiam regni noſtri, quibus tam pium opus conveniet, quantum in nobis erit, ut ad hanc ſacram ſynodum feſtinent, exhortaturi. Ceterum cum pecuniæ Bohemorum cauſa hoc in regno habitæ, de mandato beatiſſimi domini noſtri papæ collectæ fuere, ſicut & harum collectionem, ita & diſtributionem aut aliam diſpoſitionem quamlibet, auctoritatem apoſtolicam credimus flagitare. Unde cum veſtra celtica providentia de exigendis his pecuniis aſſenſum apoſtolicum nacta erit, ſicut & in ceteris agendis nanciſci eſt ſolita, parati ſumus mandatis domini noſtri papæ & veſtris cum omni ſollicitudine obedire, accuratiſſime operam daturi, ut a quibuſcumque, apud quos hujuſce pecuniæ fore dicantur, Portugalenſibus epiſcopis eaſdem exigere valeat, ut mandatis. Spiritum-ſanctum qui eſt per appropriationem inexhauſtibilis fons, a quo optima data gratiarum & perfectiſſima dona virtutum uberrime fluunt, majorem in modum deprecamur, quatenus replere, inflammare atque illuſtrare dignetur ſuorum corda fidelium, mittatque ſuper vos Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilii & fortitudinis, & timoris Dei. Illuminet veſtram intelligentiam fide, ut labes hæreſum extergatis, inflammet affectum caritate, ut quemadmodum hæc ſacra ſynodus in Spiritu-ſancto, qui caritas eſt, congregata fuit; ita ſingulis in ea peragendis aſſiſtere dignetur, ut quicquid in ea decretum fuerit, honorem, gloriam, laudem & amorem primarie reſpiciat omnipotentis Dei. Datum in civitate Ulixbonenſi VIII. calendas Junii MCCCCXXXIII.

ELKEI.

ANNO DOMINI MCCCCXXXIII. in Praga III. menſis Junii, dominus Johannes de *Polemar* fecit relationem eorum quæ habuit in commiſſis ex parte ſacri concilii, & aſſumſit thema.

1. *Benedicta ſit ſancta Trinitas & indiviſa unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.* Habentur in introitu miſſæ de Trinitate. Deducto themate multum notabiliter, venit ad ea quæ ſibi occurrebant dicenda circa onus ſibi commiſſum. Unde dixit, quod propter errores qui incipiebant eſſe poſt tempus martyrum, congregatum fuit primum generale concilium, ubi ſymbolus qui cantatur in miſſa, editus fuit. Item de poſt, alia tria concilia celebrata fuerunt: quæ quatuor concilia tamquam evangelia ſunt retinuenda & tenenda. Item ex fundamento iſtorum patrum, Baſileenſe concilium ordinatum eſt pro tribus, ſcilicet pro exſtirpatione hæreſis, pro morum reformatione, & pace populi Chriſtiani. Et dicitur Baſilea a baſileos, id eſt a baſis quod eſt fundamentum, & leos quod eſt populus, quaſi fundamentum populi, quia populus firmabitur per ea, quæ hic acta ſunt & agentur. Anno 1433. 3. Junii. *Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin.*

2. Item, dixit, qualiter ſacrum concilium a principio congregationis in mente cepit ipſos Bohemos unire ſacroſanctæ eccleſiæ, ut patet ex litteris eis miſſis, quarum prima erat ſcripta & dictata per dominum legatum cardinalem S. Angeli. Et quod ex eis in Egra conventum fuit, quod ipſorum ambaſſiatores ad ſacrum concilium venire deberent, prout & fecerunt, qui bene erant recepti, dummodo ibi venerunt. Quibus ibidem exiſtentibus, ipſi erant auditi per decem dies, infra quos propoſuerunt ſuos quatuor articulos multum diſerte, omnibus audientibus, &c.

3. Item, quod illis decem diebus elapſis

dominus legatus eis fecit mentionem de aliis articulis ſupra enarratis longe ante.

4. Item, narravit qualiter ipſi Bohemi dominis de concilio gratias agerent pro benigna & caritativa tradita eis audientia. Hoc autem nihil aliud eſt dicere, niſi quod gratum eſſet eis, ſi quid eis gratum factum eſſet aut fieret, quod utique domini de concilio ſemper facere pollicentur.

5. Præterea dixit, quod ſacrum concilium *multum in verbis & proteſtationibus magiſtri* Johannis de Racuzana fuit gaviſum & conſolatum, in eo quod dixit in ſua prima proteſtatione, dum diſputare propoſuit de articulo communionis ſub utraque ſpecie; & hoc idem alii ſui ſequentes dixerunt hæc verba: Credimus inſuper domum ſuam ſanctam eccleſiam fundatam tam firmiter ſupra firmam petram, quod portæ inferi adverſus eam prævalere non poſſunt; quæ, ſecundum Gregorium & Auguſtinum, eſt univerſitas fideliũm, quæ per totum mundum diffuſa creſcit & fructificat in univerſo: adjicientes quia promti ſunt in ſpe ipſius capitis Chriſti Domini, mortis diræ potius ſuſtinere martyrium, quam elective aliquid dicere, quod foret Chriſti ſuæque eccleſiæ veræ ſponſæ contrarium voluntati. Unde ſacrum *concilium, ſi animus veſter hujuſmodi verbis* correſpondet, bonam ſpem futuræ unionis concipit & concepit, & gratias agens Deo, multum confortatum eſt & hortatur vos, ut ita agatis, & ſperamus habere in vobis bonam extimationem: ſed omnia quæ poſſunt eſſe contra ſanctam eccleſiam per vos promulgentur, & dicantur ſine fictione, ad illam intentionem, ut ſimul uniamur, quia non eſt bonum in parte facere pacem, & in parte tenere diſcordiam, quia tunc cito lites de novo oriuntur, dummodo aliqua ſcintilla remaneat.

6. Narravitque qualiter ipſi Bohemi per diſputationes erant auditi in quatuor articulis per tanta tempora, quod non volebant magis audiri, ſed petierunt licentiam * Et tamen ſacrum concilium libenter vidiſſet quod *magis manſiſſent, ut viſis libris, omnia*, tam iſti quatuor articuli fuiſſent diſcuſſi, quam etiam alii articuli, qui in Bohemia tenentur uſque ad XXVIII. & ultra. De poſt vero erant tractatus habiti ad conveniendum primo in magno numero ex utraque parte, demum ad minorem numerum, ut ſcilicet tantum quatuor eſſent ex utraque parte. Et ſic deventum eſt, quod ſacrum concilium ſuos deputavit oratores, qui hic ad Pragam venire deberent, qui ſunt decem in numero, ſcilicet quatuor epiſcopi, & alii doctores ex Francia & Almannia & Hiſpania; & quod ultra iſtos dominus dux Sabaudiæ ſuos miſit ambaxiatores, ut pro unione laborarent. Narrat enim qualiter ipſi venerant pro pace & unione, &c. ſperando quod in hac civitate Pragenſi ſint filii pacis: quia pax eſt unum bonum in ſe continens omnia bona, ut dicit gloſſa in pſalmo CXXIV. *Qui confidunt.*

* Videtur deeſſe *abeundi*, vel ſimile quid.

7. Narravit etiam omnia mala, quæ ex diſcordia veniunt. Poſtea enim concludit, quod in nobis debemus habere caritatem & dilectionem, quia perfectio & ſcientia veritatis evangelicæ inutilis eſt ſine pace. Unde dicitur Matth. 9. *Sal habete in vobis & pacem inter vos.* Per ſal intelligitur ſapientia. Unde Gregorius in Paſtorali: Sal quippe ſine pace, nullius virtutis eſt donum, ſed damnationis augmentum, juxta illud Jacobi apoſtoli: *Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus, nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem: quia iſta ſapientia eſt deſurſum, ſed terrena animalis & diabolica.* Unde Zacharias dicit: *Veritatem & pacem diligite*; quia illa duo debent eſſe ſimul.

8. Item, hortatur ipſos, ut vadant ad ſacrum concilium, & ut ibi veritas de eorum articulis inquiratur, & quod per viam veritatis aperiat & doceat, & ut intellectum ſacræ ſcripturæ apprehendant, &c. ſicut & apoſtoli in eorum conciliis dixerunt: *Placuit Spiritui ſancto & nobis*, quia in una patria diſcordiæ diſcutiantur & finiantur, congregatis ſenioribus & ſtatibus illius patriæ. Si hoc *fit inter mundanos, cur* hæc fieri non debent in ſpiritualibus & ſuper rebus ſpiritualibus? Nec quis debet inniti prudentiæ ſuæ magis quam decretis ſacrorum patrum, ut dicit Hieronymus; & ideo imperatores voluerunt, quod illa executioni mandarentur, quæ in ſacris conciliis ordinata ſunt. Unde ex praxi apoſtolorum & aliorum patrum, dum non eſſet dubitatio circa fidem & circa ritus ſacrorum, quod tunc faciebant concilia ſacra, & quod ibi diffinitum fuerat, hoc ſervabatur ſine ambiguitate. Unde Act. XV. c. dum Apoſtolus plures convertiſſet, tunc illi converſi volebant quod deberet circumciſio ſervari, quia dictum eſt in lege: *Anima cujus præputii caro non fuerit circumciſa, peribit de populo meo.* Gen 17. Tunc Paulus & Barnabas ſtatuerunt ſuper hoc debere ire ad Jeruſalem ubi apoſtoli & preſbyteri erant. Et ibi fuit deciſum circumciſionem non eſſe neceſſariam, & huic ſententiæ omnes acquieverunt. Item, ad idem cum de legalibus ſervandis, ab iis qui ex circumciſione erant, controverſia fieret, fuit illa materia diſcuſſa. Act. 21. Deinde cum aliqui dicerent, quod Filius eſſet minor Patre, eo quod ſcriberetur in evangelio: *Pater major me eſt*, fuit congregatum ſacrum concilium Nicænum, ubi hoc fuit diſcuſſum. Item, cum diſceptatio fieret de *Spiritu-ſancto*; tunc fuit concilium Conſtantinopolitanum congregatum, in quo & a quo omnes illæ contentiones diffinitæ erant: de quibus omnibus videri poteſt in lib. Iſidori & conciliorum. Item, B. Cyprianus conſultus fuit an baptizatus

ab hæretico veniens ad fidem catholicam, esset rebaptizandus. Et determinavit, quod sic; & ita determinaverunt secum LXXX. episcopi. Dixit tamen quod sua diffinitione non obstante, non vellet recedere a consuetudine quæ contrarium practicavit, nec a concilio, si concilium aliud deliberaret. Et postea concilium generale quod determinavit contra sententiam Cypriani, sicut ex tunc & pro nunc ecclesia servat. Ergo stabimus in talibus diffinitionibus conciliorum, quia sacrum concilium numquam potest diffinire contra evangelicam veritatem; quia ibi viri litterati, conscientiosi & timentes Deum, & Spiritus-sanctus est judex & arbiter, prout B. Isidorus in lib. conciliorum ponit, ubi sic dicit: Ex epistola Cælestini missa ad synodum quæ sic dicit: Spiritus-sancti testatur præsentiam congregatio sacerdotum. Et ergo dicit Dominus JESUS CHRISTUS, ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ego sum in medio eorum. Idem Isidorus in gestis tertiæ synodi Toletanæ, ubi dicit, quod beata Trinitas interest conciliis, concludendo dixit, quod ad hoc venerunt, ut in Bohemia pacem facerent, quam obtulerunt, & eos restituere ad omnes honores, &c. & sic concluſit multum rationabiliter.

RESPONSIO ILLORUM DE PRAGA ad præmissa.

PRimo dixerunt, quod bene verum est, quod sine unitate & pace debite vivere non possent. Sed quod ipsi haberent discordiam inter se, hoc venit ex prælatis ecclesiæ Romanæ in Constantiensi concilio congregatis, qui hujusmodi bella inchoaverunt, dummodo eis non vocatis, neque citatis, neque convictis aut confessis, per censuras ecclesiasticas a seipsis rejecerunt eos, decernentes processus prælatis ecclesiarum dirigendos, prout & illos direxerunt, ut qui populum sub utraque specie communicarent, & in illa communione indurato animo manserint, deberent hæretici condemnari & coërceri, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachio sæculari.

2. Item, ipsi de concilio in hac terra seminaverunt discordias intestinas, quia clerum convocaverunt contra populum, eo quod presbyteri volentes obedire mandatis sacri concilii, sacramenta ecclesiæ, excepto baptismo parvulorum, de medio illorum Bohemorum tulerunt; & his non contenti, magistros JOHANNEM HUS & HIERONYMUM combusserunt, & quod magis est, contra ipsos Bohemos crucem erigi fecerunt, homines ad arma provocando; ac ulterius SIGISMUNDUS rex Romanorum & Hungariæ, terram Bohemiæ incendio vastabat, Pragam circumvallando; & tamen pro tunc non cessavimus, nisi quærere pacem, prout adhuc quærimus, si vos vultis tenere hos salutares quatuor articulos. Sed quid est? vos vultis quod debemus stare ordinationi sacri concilii de istis quatuor articulis. Quomodo hoc quis rationabilis homo judicare deberet, quia vestrum concilium semper est & fuit nobis contrarium & adversarium?

3. Item, plures sunt in Basilea, qui seminaverunt quod communicantes sub utraque specie sunt coercendi, & illi sententiæ acquieverunt, nec adhuc actu cessant illam sententiam approbare. Item, in Basilea sunt illi qui ordinaverunt, quod crux deberet contra nos erigi in regni Bohemiæ devastationem. Tum etiam solius Dei est fidem Domini nostri JESU CHRISTI judicare, & non hominum.

4. Igitur his attentis, non debet quis nobis consulere, ut definitioni sacri concilii stemus. Et ad id quod dicitis, quod non est bonum inniti propriæ prudentiæ; ad hoc dicimus, quod via regia vadimus, non ad dextram, neque ad sinistram: quia communio sub utraque specie & alii tres articuli observati sunt per patres in primitiva ecclesia, & positi sunt in libris sanctorum doctorum. Et ergo non innitimur prudentiæ nostræ, sed antiquorum patrum, quorum via est potius imitanda, quam illorum qui dicunt contrarium. Et ad id quod dicitis quod standum est sententiæ conciliorum, dicimus hoc verum, dummodo tale concilium sit in lege Domini expressatum & Spiritu-sancto congregatum, in veritate repræsentans ecclesiam catholicam. tunc Christianus tenetur sub pœna anathematis ratificare & approbare ea quæ in tali concilio statuuntur: quia solum sententia illius concilii est servanda, quæ est conformis vitæ & doctrinæ domini nostri JESU CHRISTI. Unde ipsi posuerunt duas regulas, quarum prima est ista: Si dicta & facta conciliorum sunt legi Dei & ejus præceptis conformia, vel a Deo directiva, sunt approbanda & fideliter observanda. Secunda regula: Si dicta & facta cujuscumque concilii sapiunt cupiditatem, ambitionem sæculi, & tendunt ad amorem carnalium & dilectionem hujus mundi, ac ad divitias & delicias hujus sæculi, seu ad ejus gloriam, abjiciantur. Si autem eorum dicta vel facta inducunt contemtum mundanorum, ac humilitatem Domini nostri JESU CHRISTI & ejus amorem, ac observantiam ejus evangelicam, tunc sunt acceptanda, vel si permanent ad fidem spem & caritatem. Ideo Augustinus in epistola ad Hieronymum dicit: solis eis scriptoribus, qui jam canonici appellantur, didici honorem & timorem deferre, ut nullum eorum scribendo audeam erasse credere: aut si aliquid in eis offendero quod videatur contrarium veritati, nihil aliud est quam vel mendosum esse codicem, vel

non esse debite interpretatum quod dictum est, vel me minime intellexisse. Alias autem ita legam, ut quanta sanctitate, quantave doctrina polleant, non ideo verum putem, quod ipsi senserunt; sed quia mihi per alios doctores vel canonicos vel probabiles rationes, quod a vero non aberrent persuadere potuerunt. Hæc ille.

5. Item, dicit idem B. Augustinus, quod quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum aut laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere non debemus. Et ideo dictum unius doctoris, puta Hieronymi, potest præferri decreto concilii, ut patet xx. di. Ad id quod dicitur, quod concilium errare non potest. Hoc verum est, quia ecclesia militans in omnibus suis suppositis simul errare non potest, quin ad minus in aliquo supposítorum maneat fides, ut accidit tempore mortis Christi, quod tunc fides sola fuit in gloriosa Virgine Maria.

6. Item, dixerunt isti Bohemi, quod plura fuerunt concilia, in quibus paucum bonum factum est, & ideo non vellent se submittere nec domino papæ, nec sacro concilio. Nihilominus tamen finaliter petierunt habere pacem, & quod vellemus cum eis stare in communione sub utraque specie & quatuor eorum articulis: bene tamen, ut dixerunt, vellent scire quomodo domini de concilio illos quatuor articulos intelligerent.

Item, magistri de Praga dederunt magistro Ægidio Carlerii unam cedulam continentem intellectum quatuor articulorum, prout ipsi Bohemi intelligunt.

Postulaverunt barones & alii, ut quatuor articulis intellectum salubrem assignemus. Magistri Pragenses congregati de libertate verbi Dei dixerunt, ut verbum Dei sub potestate diœcesani & jure ejus libere prædicetur. De evellendis peccatis dixerunt, ut spirituales in spiritualibus & sæculares in sæcularibus, secundum potestatem a Deo eis concessam, extirpent publica mala. De bonis ecclesiæ dixerunt quia non debent sæculares vel alii bona ecclesiæ, quia sunt communia, & quia sunt patrimonium crucifixi, ejus ecclesiæ & pauperum, sibi appropriare, quoniam sacrilegium esset. Quia tamen pro supposito quasi semper objicitur, quod talia bona sunt superflua. Ad hoc dixerunt: si superflua, tunc illi qui habent super ea potestatem dispensatoriam, convertant in usus pios & communes, ad nos talia non pertinet diffinire; & civiliter non debere super his dominari dixerunt, quia dominium civile, ut videtur, supponit pro subjecto bona temporalia per modum proprietatis possessa. Bona autem ecclesiis collata, sunt bona communia. Igitur impertinenter habet se ad ipsa dominium civile. Aliqui tamen dixerunt quasi superfluitatem in talibus bonis non permittentes, ut relictis bonis congruis necessariis clero, pars auferatur. Et super tales partes spirituales & sæculares simul, aliqui dispensatores constituantur, ut sæculares pro se non trahant, & spirituales non dominentur. Clerus autem super sibi derelictis in judicio non contendat, & sibi subditos non judicet, pœnas pro excessibus infligendo temporales, quia ipsi talia judicant fore conditiones civiles, seu dominii civilis. De communione utriusque speciei dixerunt, quia est a Christo tradita & instituta, ab apostolis & in ecclesia pratticata; & ideo est animæ utilis, meritoria, & salubris, dummodo fuerit in caritate, juxta limites sanctorum patrum pratticata. Quo autem ad præceptum vel necessitatem ejus dixerunt, quia adhuc in eis dubium an cadat sub præcepto, aut sub quali præcepto, & quali pœna qui hoc præceptum omitteret aut non impleret esset puniendus; & non sciunt hæc per aliquod concilium fore definita. Sed ex quo concilium Basiliense nunc offert, & dicit se velle ferre judicium in talibus juxta doctrinas & sacræ scripturæ & SS. patrum auctoritates; ideo volunt decisionem expectare, nihilo minus tamen aliqui illam communionem dicunt necessariam, dum locus & tempus assunt, eo quod sit necessaria necessitate conditionata, scilicet ut dum aliquis sciat utilitatem communionis sub utraque specie, fore talem, dum locus & tempus assunt congrua, ipsam amplectitur sub gravibus pœnis, ut per hoc perterriti non sic communicantes tamquam adhuc ignari excusentur. Et sua dicta volentes probare dixerunt, quia communes doctores ecclesiæ dicunt, quinque sacramenta fore necessitatis & duo libertatis. Inter primum autem est sacramentum eucharistiæ enumeratum. Priores dixerunt quia asserunt hoc idem, quod doctores. Qualis autem uniuscujusque prædictorum sacramentorum est necessitas, concilio erit interpretari. Speramus ergo, quia si in hac clausula utriusque partis aliquis salubris intellectus daretur unanimis, multa conquiescerent, occasio bellandi tolleretur. Clamor invalescebat, pacem affectamus, &c.

PROPOSITIO FACTA PER Procopium Rasum nomine Thaboritarum, ad ea quæ dicta sunt per oratores sacri concilii de periculo bellorum.

Quo ad materiam de bellis, novit ille qui nihil ignorat, quod ex eo quod dum contra nos erectio crucis fuit facta, incipiebant bella, ita quod pro tunc ipsum regnum igne & gladio inhumaniter devastarunt. & licet hujusmodi bella, ut præmittitur, sic sunt contra Bohemos exorta; attamen multi qui

fuerunt contra iſtos quatuor fideles articulos, modo illos eoſdem articulos defendunt & defendere volunt uſque ad exitium, & ad hoc per Bohemos fuerunt coacti. Item, alii videntes quod deffenduntur a Bohemis, idcirco iſtos articulos tenent. Item, quia creditur quod ob hoc ſacrum concilium ſit vocatum in Baſilea, ex eo quod tot bella ſunt orta in Bohemia, & quod ob hoc ſit audientia ipſis Bohemis data, ut veritas illorum articulorum patere poſſit cuicumque fideli. Item, quia per ipſa bella notitia dictorum articulorum ad quemcumque fidelium venit, & in ejus mente firmatur. Attamen licet hæc bona ex dictis bellis eveniunt, condolent ipſi Bohemi & triſtantur ex eiſdem bellis: ſed idcirco ferunt onera bellorum, ut beatis illis veritatibus in Dei eccleſia præparantes ſedilia, pacem felicem & dies bonos nanciſci poſſimus, unde omnia bona evenire poſſunt.

RESPONSIO ad præmiſſa magiſtri Egidii Carlerii, doctoris ſacræ theologiæ, decani Cameracenſis.

COnſiderantibus nobis reſponſa pro parte veſtra, o viri Thaboritæ, quibus juſtificare vultis veſtra bella utilia eſſe; dicimus quod ſi aliquod bonum aut utile dici debeat, non debet attendi ſolum ad unam circumſtantiam, ſed ad omnes; quia ſi aliud ex una parte videtur bonum, & non ex omnibus, utique bonum non eſt. Unde Dionyſius, bonum ex integra cauſa. Ideo JESUS dixit: *Nolite ſecundum faciem judicare, rectum judicium judicate.* Nam quædam ſecundum faciem bona videntur, quæ vere bona non ſunt: & ideo ſi aliquando ex bellis bona eveniunt, non ideo bona ſunt, cum plurima mala inde ſequantur. Paucos enim profectus habetis ex bellis veſtris, viri Thaboritæ: mala autem quæ ex iſtis prælliis vobis acciderunt, non eſt neceſſe quod depromantur, quia manifeſta oculis ſunt, quia ex eis ſequuntur eccleſiarum deſtructiones, ſacrarum imaginum confractiones, ſervorum Dei, id eſt ſacerdotum confuſiones, proſcriptiones, occiſiones, virginum & feminarum religioſarum ad ſæculum reditus, ac corporis Domini noſtri JESU CHRISTI in ſacramento irreverens contrectatio, quæ piis utique fidelium auribus confuſionem generant & offenſam. Etiam ſequitur perditio animarum & inferni repletio & multa alia; & ſic non poteſt dici, quod illa bella ſunt vel fuerunt utilia, ſed magis damnoſa, nec debent ea aſſumi, ſi aliter poſſit pax haberi; quia licet finis belli ſit pax, non tamen bellum eſt acceptandum, ſi alias pax haberi poteſt: quia ſi ſanitas haberi poteſt abſque potione amara, illa ſumenda non eſt. Et ergo cum vos potueritis habere pacem ſine bellis & unico verbo, cur juſtificatis bella? Et licet bella poſſint fieri, dum aſſint juſta cauſa, juſtus ordo, juſtus animus; attamen illa tria non habetis; quia ut ſit juſtus ordo, auctoritas principis requiritur, ſine qua bella geri non poſſunt. Item, nec juſtus animus eſt, cum ſolo verbo pacem habere poteſtis & non accipitis. Et quæ juſta cauſa inter vos bellandi, cum vos ad gremium matris eccleſiæ veſtræ inducere volumus? Nec obſtat quod dicere vultis, quod pro veritate vultis bellare, ut aperiatur, & quod in hoc vices principis geritis. Si vultis Chriſti imitari exempla, per arma non tentabitis veritatem defendere, quia JESUS CHRISTUS fidei ſuæ exordia ſeminavit in pace, nec diſcipulos elegit divites & potentes, ſed pauperes & impotentes. Unde Jacobus dicit: *Si zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, nolite gloriari; quia iſta ſapientia non eſt deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis & diabolica. Ubi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus pravum. Sed ſapientia quæ eſt deſurſum, pudica eſt, pacifica, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens, & fructus juſtitiæ in pace ſeminantur facientibus pacem.* Itaque veritas fidei, quia deſurſum eſt, in pace ac modeſtia reperitur, non in bello, quia ſceptra violenta non diu durant. Ergo ſi veritas apud vos eſt, non eſt opus ad arma confugere, quia veritas fidei omni potentia regali fortior eſt. Poteſt enim hæc veritas veſtra non ſolum diſcuti in ſacro concilio, ſed & etiam in omnibus univerſitatibus; & tunc ſacrum concilium diffiniet, quid ſit faciendum & tenendum. Nec obſtat ſi dicere velitis, quod non vultis declinare a via veſtra, quia Spiritus-ſanctus vos in illa via docuerit, &c. quia ſi revelatio & doctrina illa ex Spiritu-ſancto venerit, utique manebit & ſtabit, quia Spiritus-ſanctus, qui eſt ductor ſacri concilii, non permitret aliud, quam veritatem, nec umquam ſua diſſolvet opera, nec derelinquet concilium univerſalem eccleſiam repræſentans. Item, & ſi principes non poſſunt facere bellum, ſi aliunde poſſent habere pacem, ergo nec vos. Item, merito debetis attendere, quanta mala veniunt ex bellis, quia deſolationes pariunt, odia augent, iras acuunt, acie Chriſtianiſmi per eos convulſa, audaciam dæmonum provocant, infidelium animas parant & perimunt dilatatum populum Domini. Non ſunt ea dicenda quæ ex bellis veniunt. Nec obſtat quod dicitis, quod per bella veſtra aliqui victi ſunt confiteri veſtros articulos, poſtea ſpontanee illorum fuerunt defenſores, & aliqui fideles poſtea fuerunt protecti ne cogerentur illos deſerere, & negare metu hoſtilium incurſuum, per illa bella multorum animi ad eorum amplexus. O ſi hæc, ut creditis, per arma facere poteſtis, magis hæc fieri poſſunt ex inquiſitione ve-

ritatis; quia nullus conſtringitur melius ad credendum, niſi per doctrinam evangelicæ veritatis; nec quis melius tueri poteſt, quam clipeo veritatis. Invalida enim ſunt arma adverſus fortiſſimam veritatem. Et hoc habetis vos in picturis veſtris (a), in quibus ſcriptum eſt: *veritas vincit*. Si ergo ipſa vincit, non eſt neceſſe ad arma convolare. Si enim creditis, quod ad hoc ſacrum concilium Baſileenſe ex inſtinctu Spiritus-ſancti fuit ordinatum, ut daretur vobis audientia; ergo eidem aſſiſtite, & diſcutiatur ibidem veritas, ut ſic unanimes, cum conſenſu veritatis, ambulemus in nomine Domini. Et ad id quod dicitis, quod a nobis bella ſumpſerunt exordium. Quomodo autem hoc dicere poteſtis? Numquid poſt mortem regis WENCESLAI, per vos diſrupta ſunt monaſteria plurima? Nonne veſtros articulos manu armata pro tunc defendere cœpiſtis? Et ideo cum noſtri hoc viderent, & quod deſtruxiſtis & occidiſtis ſervos Dei, & templa ejus, accenſi erant contra vos, & ergo ex nobis hæc cauſa belli non venit. Item, libenter audimus quod deteſtamini bella, rogantes, ut talia memoriter recogitetis, & ut quæ pacis ſunt in unum cogitemus & loquamur. *Et pax Dei quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras*, ut ab hac ad illam quæ ſurſum eſt, in æternitate transferri valeatis. Amen.

Item, de poſt fuit ad præmiſſa alia reſponſio facta per dominos oratores ſacri concilii.

Et quia tam vos, quam nos optamus pacem unionemque, eo quod diviſio eſt vitanda; idcirco eam amplecti debemus, quia nihil melius quam pax, & quia petitis a bellis ceſſare: hoc poteſtis ſi vultis, & etiam habere pacem, quia vobis pax offertur. Via plane, via regia, via facilis, via juſta & recta & vobis honorifica, prout patebit ex actis noſtris, &c. quæ vobis præſentabimus, & quia faciemus, ſi vultis, pacem. Item, propoſitione veſtra facitis memoriam de præteritis. Et quia non expedit, quia accendit quandoque animos ad iram & ad odium: idcirco ne talia ad memoriam reveniant, toleranter ſuſtinemus illa, quæ dicta ſunt per vos, & ad ea non volumus reſpondere quoquo modo, ne detur occaſio rumpendi tractatus. Et ideo non volumus aſpera loqui, & ſi contingat talia loqui, quod non conturbabimini, ne propter hoc ſpes pacis diriматur. Idcirco dicimus quod patres in ſacro concilio Conſtantienſi, non ſeminaverunt bella & jurgia. Sed clarum eſt, quod vos & veſtri ante Conſtantienſe concilium, illam diſſenſionem feciſtis, & pullulaſtis, & ſedi-

(a) Picturas illas delineari curavit Johannes Huſs in parietibus Pragenſis capellæ Bethleem dictæ, ut docet pluribus in locis Stephanus prior Carthuſienſium in Valle-Joſaphat, tom. 4. Anecdotorum Petzii.

tionem inter vos feciſtis, ita quod unus alterum hæreticavit, & delationem ſuper hæreſi tali coram domino papa feciſtis. Et etiam clarum eſt, quod de & ſuper communione calicis ſanctiſſimi ſacramenti non fuit proceſſum in & contra magiſtros veſtros JOHANNEM HUS & HIERONYMUM DE PRAGA, ut patet ex actis ſacri concilii Conſtantienſis; ſed ex aliis, quæ ſi vos audiretis, & coram vobis proponerentur, etiam ſimile judicium, ut creditur, diceretis, ſi vobis conſtaret illa eſſe vera. Et quia illam injuſtam cauſam feciſtis & foviſtis, clarum eſt, ſalva reverentia loquendo, quod diſſentionem feciſtis. Numquid abavi, proavi, & avi ac patres veſtri unionem habuerunt cum tota eccleſia in communione ſanctiſſimi ſacramenti, ac in articulis fidei, & etiam per centum & centum annos? Cur receditis a nobis? Numquid ille graviter peccaret, qui in civitate Pragenſi contra ſocietatem indictam novum modum importaret, ſcilicet quod ordinaret, quod bona unius deberent eſſe bona omnium, & facere de platea domum? Hoc autem facere non poſſet, niſi cum conſenſu civitatis, & altera pars haberet juſtam cauſam querelandi. Idcirco cum in communione SS. ſacramenti habuimus unam ſocietatem, non decet quod in illa communione non veniat, ne oriatur novitas, niſi qui ſunt de illa civitate, qui habeant intereſſe, ſint vocati & conſentiant. Idcirco nullam mutationem facere poteſtis in ritu ſacramentorum, ſine aſſenſu eccleſiæ, ſi de eccleſia eſſe velitis, vel ad minus veſtros conſocios conſulere debebatis.

Item, de poſt prædicti ambaſſiatores ſacri concilii, cum tunc non poterant bene proficere, reveniebant ad ſacrum concilium, & tunc habitis certis tractatibus cum certis deputatis in ſacro concilio, convenerunt quid deberent cum eis concludere; & ita denuo erant miſſi de novo quatuor de primis oratoribus, qui multa concluſerunt cum illis Bohemis: ſed non fuit deventum ad effectum, quia licet promiſerant, quod deberent ea ſervare quæ concepta erant & promiſſa ſervari per manuum ſtipulationem; attamen circa articulum de communione ſub utraque ſpecie, quatuor difficultates fecerunt; quia voluerunt primo, quod ritus eſſet unus per totam Bohemiam & Moraviam, ita quod omnes deberent communicare ſub utraque ſpecie, & ad hoc deberent compelli. Secundo quod vicini, ſcilicet Bavari, Poloni, qui vellent quod ſimiliter auctoritate eccleſiæ communicarent ſub utraque ſpecie. Tertio quod infantes dum eſſent baptizati, ſimiliter communicarent ſub utraque ſpecie. Quarto quod ſacrum concilium declararet, quod illa communio eſſet ſalubris, utilis, & omnino neceſſaria. Et ſic licet ipſi Bohemi, Thaboritæ, & Orphani, ac etiam

Campeſtres

Campestres erant concordes cum tribus articulis & eis condescenderant, juxta sententiam sacri concilii Basileensis, prout supra dictum est, nullomodo tamen in quarto articulo consentire volebant, & sic quoad quartum articulum nihil actum fuit, propter malitiam ipsorum.

LITTERA IMPERATORIS lecta in congregatione generali antequam inciperetur sessio XII. &c.

Significat se imperatoriam suscepisse coronam, novosque ad concilium mittit oratores.

Anno 1433. 4. Junii. *Ex mss. Aquicinctensi*

REverendissimis ac venerabilibus in Christo patribus, &c.

Reverendissimi in Christo patres, &c. Satis superiori tempore V. P. notificavimus concordium inter SS. dominum nostrum papam & majestatem nostram secutum, demum celebrem receptionem nostram ad hanc almam urbem; & ut de ulterioribus processibus nostris tamquam amici nostri carissimi certi reddamini, vobis iterum notum facimus, qualiter, auctore Domino, a quo omnis principatus & honor dependet, in sacratissimo die pentecostes proximo, de manibus SS. domini nostri domini EUGENII papæ IV. in Basilica principis apostolorum in hac urbe Romana, ubi divi imperatores prædecessores nostri imperiales insulas suscipere soliti sunt, ipsas imperiales insulas & coronas cum solemnitatibus & cerimoniis circa hujusmodi laudabiliter observari consuetis, rite suscepimus pro Dei omnipotentis gloria, necnon tranquilla pace & sperata salute subjecti nobis populi Christiani. Et quia sanctitatem ipsius domini nostri repetimus habere optimam intentionem ad prosecutionem illorum, pro quibus sacrum concilium congregatum existit, & pro quo in favorem sacri concilii usque modo tantos labores subivimus; idcirco mittimus ad vos illustrem principem & locum tenentem nostrum WILLELMUM Bavariæ ducem, venerabilem JOHANNEM episcopum Curiensem, ac strenuum militem Hartingum *Klux*, & honorabilem doctorem magistrum Nicolaum *Scok* consiliarios & fideles nostros dilectos, de mente nostra pleniſſime informatos, quibus precamur P. V. in dicendis tamquam proprio ori nostro velint firmissime credere, & illa quæ desideramus perficere ad salutem totius populi Christiani. Datum Romæ, die IV. Junii, regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. XLVII. Romanorum XXIII. Bohemiæ XIII. imperii vero I.

SIGISMUNDUS I. divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus.

Ad mandatum domini imperatoris,
GASPAR SLICK.

Vet. script. & mon. ampl. Collect. Tom. VIII.

Credentia istius litteræ fuit quod concilium vellet supersedere a sessione illa die celebranda de monitione papæ, &c. quod tamen non fuit factum.

EPISTOLA MAGISTRI GENERALIS ordinis B. Mariæ Theutonicorum, ad concilium Basileense.

Auxilium concilii adversus regem Poloniæ & Bohemos deprecatur, queriturque de eorum fraudibus.

Lecta die Veneris X. Julii.

CUm humillima servitiorum nostrorum recommendatione paratam & benevolam ad quævis vestra beneplacita voluntatem. Anno 1433. 9. Junii. *Ex mss. Aquicinctensi*

Reverendissimi patres & domini præstantissimi, ex paterna affectione pro procuranda pace inter illustrissimum principem & dominum, dominum WADISLAUM regem Poloniæ, & nos & ordinem nostrum, comperimus paternitates R. V. reverendum in Christo patrem dominum DALPHINUM Parmensis ecclesiæ episcopum, & venerabiles viros dominos fratrem Hieronymum in sacra pagina magistrum & provincialem Lombardiæ ordinis Carmelitarum, & Antonium de Bermicis decretorum doctorem, &c. reverendissimarum paternitatum vestrarum legatos ad partes nostras transmisisse. De hoc V. R. P. immensas referimus gratiarum actiones. Ad tractandum igitur pacem contemplatione V. R. P. & ut sanguinis Christiani effusio periculaque animarum evitarentur; in plurimis locis utrique parti communibus, consiliarios nostros cum consiliariis domini regis Poloniæ prædicti obtulimus convenire, quod tamen minime a rege Poloniæ poteramus obtinere; & ex adventu cujusdam honorabilis & religiosi viri fratris Hieronymi de Praga ordinis Camaldulensis, sacræ theologiæ professoris, & decretorum doctoris, relationeque ipsius in multis eramus gravati. & in favorem regis Poloniæ præfatus frater Hieronymus retulit, quod ducenta millia hæreticorum juxta diffidationem eorumdem in nostram destructionem, essent venturi. Consiliariis vero nostris pro pace ineunda per medium legatorum R. P. V. in metis Poloniæ stantium, & ad regnum Poloniæ ire volentibus, prædictus frater Hieronymus salvum conductum Polonorum oratoribus nostris tradendum ad ipsorum manus sive custodiam dare recusavit. Ex quibus non modica fraus Polonorum elici poterat, & metus qui cadere posset in constantem, propter quod oratores nostri, negotio remanente infecto, recesserunt. Si igitur rex Poloniæ & Poloni reddunt se difficiles, & ingerunt difficultates fraudulentas de conventione fienda & loco tractandæ pacis, quas difficultates ergo in-

gererent in cauſis pacis iniendæ, relinquimus judicio R. P. V. & ad comprobandum fraudem domini regis Poloniæ & Polonorum, verbo dumtaxat & non facto ad colorandum doloſa facta ipſorum offerunt tractare pacem: nam tempore conventionis fiendæ validus exercitus hæreticorum Orphanorum, juncto exercitu Polonorum, per Poloniam ad terram noſtram novam marchiam eſt ingreſſus, ubi quoddam oppidum noſtrum nomine *Waldemberg* hæretici jam hoſtiliter expugnarunt. Reverendiſſimi patres & domini præſtantiſſimi, ecce quomodo ſub hujuſmodi doloſa pace, quam verbo tractant, nobis damna inferunt; & quomodo ſacer ordo noſter, murus & dilatatio fidei, per regem Poloniæ temporibus præteritis auxilio paganorum ſæpius eſt oppreſſus. Itaque propter hujuſmodi oppreſſionem hucuſque idem ordo noſter infideles impeditus fuit impugnare. Et quia, divina diſpoſitione volente, prænominatus rex Poloniæ ad præſens auxilio paganorum juvari non poteſt, nunc adjutorium hæreticorum aſſumere non erubeſcit, cum quibus colligatus & unitus eſt. Et propter quem, tamquam ipſorum fautorem, & confœderatum adjutorem, ab eiſdem hæreticis ante plures menſes ſumus diffidati. Quales & quantas inhumanitates & damna in terris noſtris paganí tranſactis temporibus commiſerunt, tantas & execrabiliores hodie hæretici cum Polonis conjunctis facere non verentur, & nemo percipit corde. Intueri ergo dignemini, reverendiſſimi patres, quomodo non in æquitate aut juribus ſuis rex Poloniæ & Poloni confidunt, ſed in gladiis paganorum & hæreticorum jus ipſorum fore prætendunt. Quare, R. P. exſurgite in auxilium, providete muro fidei, quia caſus ſacri ordinis noſtri pro hac vice maxima ruina erit univerſalis eccleſiæ Dei; victoria autem noſtra erit caſus & totalis extinctio hæreticorum & fautorum eorumdem, qui non concordia aut pace, ſed potius gladio ſunt de terris noſtris expellendi. Inſuper R. P. & domini præſtantiſſimi, ſtipendiarii nobis contra hæreticos ſubvenire cupientes, per terras quorumdam principum nobis vicinorum pertranſire prohibentur, quos etiam hæretici cum alia parte fluminis Oderæ in terris noſtris impediunt pertranſire. Dignentur ergo V. R. P. ſcribere & mandare illuſtriſſimis principibus & dominis marchioni Brandeburgenſi, Stetinenſi, & de *Wolgaſt* ducibus, quatenus hoc omni impedimento ceſſante, per terras ipſorum nobis ſuccurrere volentibus liber & tutus pateat acceſſus, & contra hæreticos & eorumdem fautores nobis auxilium præſtent & favorem. In hoc R. P. V. hæreticis incutient terrorem, & maximum præſtabunt impedimentum; nobis autem & ordini noſtro ſuccurſum & gratias exhibebunt ſingulares. Perſonas paternitatum veſtrarum omnipotens Deus conſervare & dirigere dignetur pro felici regimine univerſalis eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum in caſtro noſtro *Marienburg*, nona die menſis Junii, anno Domini MCCCCXXXIII.

Veſtrarum reverendiſſimarum dominationum humilis & devotus frater Paulus *de Ruſdorf*, ordinis B. Mariæ Theutonicorum Jeroſolymorum magiſter generalis.

SEQUUNTUR RATIONES ALLEGATÆ per ambaſſiatores dominorum electorum imperii pro jure ſuo in facto ſedium; & reſponſio domini epiſcopi Nivernenſis ambaſſiatoris domini ducis Burgundiæ.

PRIMA RATIO quæ ſumitur ex officio elective, quia electores ſuccedunt ſenatui, qui erat pars corporis imperatoris, ille honor, qui debebatur ſenatoribus, debetur electoribus; ſed ſenatores præcedebant quoſcumque. Ergo electores. RESPONSIO. Quod electores ſuccedunt ſenatui quantum ad officium eligendi imperatorem, ſed non quantum ad jus dominandi a quo acceperunt ſenatoris dignitatem. Sive enim dominium Romanorum fuerit ſub conſulibus & dictatoribus, ſive ſub regibus, ſive ſub imperatoribus, ſemper ſenatores fuerunt pars reipublicæ ut ſenatores, non ut electores. Non autem ſic de electoribus modernis, qui etſi dicantur pars & membra imperii, hoc eſt quoad officium tantum, ille honor non debebatur ſenatoribus, ut electores erant, quia frequenter electi ſunt imperatores a tribunis, ac Cæſaribus, aliquando etiam a tumultu militari, quibus tamen nuſquam eſt honor debitus ſenatui. Anno 1433. 18. Junii. Ex inſ. Aquiſgranenſ.

SECUNDA RATIO, quæ eſt a ſimili, eſt talis. Sicut ſe habet imperator ad reges, ita electores ad alios principes; ſed imperator præcedit omnes reges: ergo electores omnes principes. RESPONSIO. Conſequentia non valet ex falſitate moris; ſed debet ſic argui. Sicut ſe habet imperator ad reges, ita electores imperatoris ad electores regum. Modo dux Burgundiæ & alii principes non ſunt electores regum, qui vadunt per ſucceſſionem. Item, quia imperator de jure communi fuit dominus omnium regum; ſed electores nullum dominium habent, neque ſupra reges, neque ſupra principes, niſi ex accidenti venerit.

TERTIA RATIO, quæ eſt etiam a ſimili. Sicut ſe habent cardinales ad papam, ita electores ad imperatorem. Sed cardinales qui eligunt papam, immediate ſequuntur papam. Ergo electores imperii imperatorem. Probat per conſtitutionem Bonifacii VIII. RESPONSIO. Vel comparatio attenditur penes auctoritatem & dignitatem, aut penes

officium. Si quoad primum, major eſt falſa; quia cardinales ſunt pars eccleſiæ, & poſt papam ſolemniores, cum ſint ibi ad agendum pro maximis & publicis aſſiſtentes. Electores autem non, quia reges & multi principes ſunt auctoritate & dignitate eis majores. Si vero quoad officium, tranſeat; id eſt, ſicut cardinales communiter eligunt papam, ita electores imperatorem; modo auctoritas in cardinalibus non ſurgit ex eo quod eligunt papam, quia aliquando poſſunt non eligere, ſicut in Conſtantienſi concilio, & aliquando non elegerunt, ſed populus Romanus, & aliquando imperator; & tamen tunc cardinales erant, & ſuis prærogativis utebantur. Item, cardinales non ſemper immediate ſequuntur papam, ſed inter eos miſcentur reges & duces, & præſertim noſter dux, qui præcedit omnes cardinales non ſacerdotes.

QUARTA RATIO ſumta eſt ex conſtitutione Caroli IV. in qua appellat electores partem ſui corporis, candelabra aurea & columnas imperii. RESPONSIO. Dicitur quod illa inſtitutio facta eſt in favorem electorum in his quæ tangere poſſunt immediate facta imperii, in quibus potuit eo modo quo voluit eos elevare. In aliis autem & maxime in præjudicium dominorum aliorum, qui ſibi nec jure, nec conſuetudine ſubjiciuntur, facere non potuit. Quod ſi ſecus factum eſt, ipſo facto, ipſa Carolina nihil facit pro electoribus, niſi pro tempore, pro quo imperator tenet curiam ſuam apertam.

QUINTA RATIO, in qua aſſerit non poſſe præſcribi per dominum ducem Burgundiæ, qui eſt princeps imperii & vaſſallus ratione comitatus Burgundiæ, ducatus Brabantiæ, Limburgi, & comitatus Namurci: quæ dominia præferuntur ducatui Burgundiæ. RESPONSIO. Primo, quod vaſſallus non poteſt præſcribere contra dominum jus dominii, ſed bene alia multa, ut hæreditatem & ſimilia. Dicitur etiam quod ratio concludebat, quod dominus dux non poterat præſcribere locum contra imperatorem, de quo non erat quæſtio, ſed contra electores, quorum ipſe nullo modo eſt vaſſallus. Additur etiam quod ad dominum doctorem non pertinebat ponere talem materiam in medium, quæ poſſet aſſerre diſſentiones inter principes, cum ſervitus ſit ſuper omnia odioſa, & maxime quod non credebatur eumdem doctorem fuiſſe in homagiis præſtitis, &c. neque habuiſſe procurationem ad talia faciendum. Dicebatur ulterius quod de tempore FRIDERICI II. viri dominæ BEATRICIS comitiſſæ Burgundiæ, ex qua genuit Othonem, dictus OTHO ſe ſcribebat comitem Burgundiæ Dei gratia. Ad idem uſque in hodiernum diem ſe eodem modo ſcribit dux Brabantiæ.

SEXTA RATIO, quod dominus dux eſt vaſſallus eccleſiæ Colonienſis ratione quorumdam caſtrorum: per quod non debet præcedere dominum Colonienſem, quia debet fidelitatem imperatori & dictæ eccleſiæ Colonienſi, &c. non poteſt præſcribere contra eos. RESPONSIO. Dicitur primo, quod dubium erat quod ſupponebatur, ſed ſuppoſito quod ita eſſet, argumentum non concludebat, niſi quod dominus dux in illis in quibus erat vaſallus, non poterat præſcribere contra eccleſiam Colonienſem. Modo ducatus Burgundiæ, a quo ſurgit dicta prærogativa, non eſt in quantumcumque ſubjectus dictæ eccleſiæ. Ideo, &c.

SEPTIMA RATIO ſumitur ex facto dominorum, tunc Burgravii & marchionis Miſnenſis, quorum unus tranſlatus ad marchionatum Brandeburgenſem, & alius ad ducatum Saxoniæ, & ſic facti electores ex hoc præcedunt alios duces Germaniæ, quos perprius non præcedebant. RESPONSIO. Quod nihil arguebat adductio facta dominorum de Almannia, & quod bene reſponderent. Addebatur etiam quod Karolina declarabat, quod ſolum hoc habebat locum & veritatem quando imperator tenebat curiam imperialem, quam forte vix bis aut ter tenere conſuevit in vita, ut expreſſe dicit Carolina.

OCTAVA RATIO, quæ ſumitur ex generoſitate domini comitis Palatini electoris filii imperatoris, qui tamen impendit honorem coelectoribus; qui quidem filius imperatoris eſt major domino duce, pro quanto domus imperii eſt major domo Franciæ. RESPONSIO. Primo, quod quia comparationes ſunt odioſæ, præſumtuoſum erat adducere hanc rationem, & quod generoſitas domini ducis Burgundiæ erat ſatis cognita; & quantum erat de generoſitate comitis Palatini, ipſe fuerat filius RUPERTI comitis Palatini, qui poſt mortem CAROLI imperatoris, & vivente WADISLAO filio ejus primogenito & fratre imperatoris moderni, fuit electus in imperatorem, & rediens de montibus Lombardiæ ſatis cito poſt electionem ſuam mortuus eſt. Quantum autem ad hoc quod ponebat domum imperialem ſuper domum Franciæ, dicebatur, quod ibi non erat ſuperioritas dominii, ſed ſolum ex antiquitate, & quia advocatus eccleſiæ eſt dignitas quædam.

NONA RATIO ſumitur ex antiquitate officii electoriæ imperii & novitate ducatus Burgundiæ. Ex quo enim ducatus eſt creatus a centenis annis, non poteſt afferre prærogativam in præjudicium electorum imperii. RESPONSIO. Dicebatur quod dominium Burgundiæ in regno præceſſerat ſtatum electorum imperii per DC. annos; in ducatu & decanatu parium per CCC. annos vel circa; in fide vero per CCCC. annos. Dicebatur etiam quod auctoritas eligendi ſolum fuerat introducta tempore Othonis III. per Gregorium V. natione Saxoniæ ſub anno DCCCXC. vel

circa, ut teſtatur Auguſtinus de Anchona, Martiniana & multæ hiſtoriæ, ex quo apparebat antiquitas dicti dominii ante ſtatum electorum.

DECIMA RATIO, quæ ſumitur ex facto & minoritate domini ducis PHILIPPI avi domini ducis moderni, quem præcedebant omnes ſui fratres primogeniti, quamquam ipſe eſſet dux Burgundiæ. RESP. Primo, illa ratio eſt, ſicut multæ præcedentes, ſeditioſa, ſcandaloſaque; quia ſi regnum Franciæ rediret ad pacem, ſicut, Deo agente, cito redibit, daret hæc ratio occaſionem diviſionis inter duces Burgundiæ, Andegavenſem & Bituricenſem. Tamen ſi aliquando dux PHILIPPUS ſuis fratribus antiquioribus detulerit, hoc fuit in ſervitiis privatis, ſed non in his quæ reſpiciebant ſtatum communem regni. in lecto juſtitiæ, in menſa honoris, in coronatione CAROLI VI. Remis, dominus dux PHILIPPUS dux Burgundiæ illos præceſſit. Etiam in concilio Conſtantienſi, dum advenisſet ambaſſiator regis Siciliæ & ducis Andegavenſis, dictum fuit per præſidentem nationis Gallicanæ, quod ſi venirent nomine regis, tranſirent ad nationem Italiæ; ſi nomine ducis Andegavenſis, ſequerentur ducem Burgundiæ.

UNDECIMA RATIO ſumta ex facto probante poſſeſſionem & uſum in materia ſeſſionis ſeu loci, etiam in concilio Piſano, ubi aſſerebat ambaſſiatores electorum imperii poſſediſſe primum locum. RESPONSIO. De iſta ratione referebamus nos ad informationem.

DUODECIMA RATIO ex his locis & ſedibus quæ habuerunt in concilio Conſtantienſi ambaſſiatores præfatorum electorum in abſentia dominorum ſuorum. RESPONSIO. Quod informatio erat facta in contrarium. Erant XXX. teſtes facientes pro parte domini ducis, & quod mirandum eſſet, ſi aſſertio unius hominis eſſet præponenda teſtimonio XXX. perſonarum.

TERTIA DECIMA RATIO ex quodam facto interjecto inter dominum epiſcopum Attrebatenſem ambaſſiatorem domini ducis Burgundiæ, & epiſcopum Verdenſem ambaſſiatorem comitis Palatini ſuper loco aſſerendo, præfatum epiſcopum Attrebatenſem ceſſiſſe loco epiſcopo Verdenſi ſub hac forma: Quia eſtis ambaſſiator comitis Palatini electoris ſacri imperii, debetis me præcedere ambaſſiatorem domini ducis Burgundiæ. RESPONSIO. Referebamus nos ad informationem, & dictum fuit quod magiſter Petrus Bruneti fuit in concilio Conſtantienſi ſervitor dicti domini Attrebatenſis, & quod poſſet deponere veritatem.

QUARTA DECIMA RATIO ſumta ex facto interjecto in præſentia imperatoris, ubi ipſe imperator voluit ambaſſiatores electorum præferri in locis. RESPONSIO. Quod forte hoc violenter fecit imperator pro tempore pro quo non erat bene conjunctus cum domino duce, quamquam non credebatur. Item, ex quo erat in domo ſua, ipſe poterat honorare & repellere quem volebat.

QUINTA DECIMA RATIO. Allegavit uſum in capella papæ, ubi ambaſſiatores electorum habent locum dextrum, aut ad pedes papæ, ante protonotarios, allegans quod ita obtinuit dominus RABANUS Trevirenſis archiepiſcopus. RESP. Referebamus nos ad dominos cardinales & alios qui ſciunt veritatem. Et de Rabano dicebatur, quod ipſe dicebat ſe archiepiſcopum Trevirenſem, ipſe propter hoc præcedebat & tenebat locum: ſi tamen dominus dux fuiſſet in perſona, ipſe ſediſſet inter cardinales, & præceſſiſſet dictum archiepiſcopum.

SEXTA DECIMA RATIO, de quodam nuncio miſſo pro materia eccleſiæ Trajectenſis, quem præceſſerunt electores imperii. RESPONSIO. Quod dominus dux non conſuevit mittere ambaſſiatam ex uno ſolo ſuppoſito, & quod ille erat forſitan nuncius miſſus ad expenſas & requeſtam, & quod dominus dux non miſerat ambaſſiatam Romam, a tempore quo fuit præſtita domino EUGENIO papæ obedientia.

DECIMA SEPTIMA RATIO ſumta ex poſſeſſione, quam prætendunt habere ex intruſione in locum nobis debitum. RESP. Dicebatur quod poſſeſſio erat dijudicanda ex ultimo concilio Conſtantienſi, in quo fuit dominus dux realis & verus poſſeſſor. Ipſi autem in hoc concilio ſunt uſurpatores intruſi & injuſti detentores.

DECIMA OCTAVA RATIO ſumta ex loco quem occupant, eis per dominum legatum ordinato & conceſſo. DICTUM fuit quod reſpondeat dominus legatus, ſi dederit, & audivi ab eo quod non.

EXPLICIT.

ORDINATIO CONCILII

ſuper controverſia ratione ſedium, &c inter oratores domini ducis Burgundiæ, & oratores dominorum electorum imperii, lecta in congregatione generali, die Martis XVI. *Junii* MCCCCXXXIII.

SUper controverſia inter venerabiles ambaſſiatores illuſtrium principum domini ducis Burgundiæ & dominorum ſacri Romani imperii electorum, in ordine ſedendi in ſeſſionibus & congregationibus, miſſis & aliis actibus publicis & privatis hujus ſacri concilii, hæc ſancta ſynodus pro conſervanda caritate inter prædictos principes, attento etiam quod ſunt conſanguinitate & affinitate conjuncti, etiam quod hoc ſactum concilium celebratur infra fines Alamanniæ, & ex hoc videatur dominos electores debere

honorare præfatum dominum ducem & ambaſſiatores ſuos, prout credendum eſt, quod ipſe dominus dux inibi & alibi eoſdem dominos electores ſuoſque ambaſſiatores vellet honorare, ordinat per modum proviſionis dumtaxat, quod in hoc concilio unus ambaſſiatorum dicti domini ducis Burgundiæ ſedeat primus poſt ambaſſiatores regum, & poſt eum ſequatur de ambaſſiatoribus dominorum electorum, & deinde alternentur mixtim. Et hoc ſine præjudicio alicujus partis in poſſeſſorio vel petitorio, ſuper quibus poterunt agere & proſequi quando eis placuerit.

LITTERA PATENS REGIS SCOTORUM miſſa cuidam abbati ſui regni, concernens adhærentiam concilii, lecta in congregatione die Veneris XIV. *Auguſti* MCCCCXXXIII.

Anno 1433. 11. Junii. *Ex mſ. Aquicinct.*

JACOBUS Dei gratia rex Scotorum venerabili patri in Chriſto abbati de Dourdrana ſalutem.

Noſtro reſidet in animo illa crebris inductio, qua ſacroſanctum concilium Baſileenſe eccleſiam repræſentans univerſalem, pro reformatione morum in clero & populo Chriſtiano, ac diſcordia inter principes catholicos ſedanda, Spiritu ſancto congregatum, ad mittendum noſtros oratores ad tam ſanctam rem perficiendam monitionibus paternis & exhortationibus ſalutaribus nos invitavit. Perpendentes itaque, quod ſi recte inſpicitur, ad quæ invitamur, nec res honeſtior, nec juſtior, nec oportunior, nec magis neceſſaria, nec denique principi catholico dignior aut deſiderabilior eſſe aut reperiri poſſet; etſi viarum diſcrimina, & periculoſus tam per terram inimicorum quam maria tranſitus, & alia quæ ſilentio duximus prætereundum, quod nondum dictos oratores miſimus, nos utique forſitan hactenus excuſarunt. Sic vires noſtras & operas efficaces hujuſmodi oratores mittendo jam adhibere curabimus, quod de cetero excuſatio nulla locum obtinebit. De veſtris igitur ſcientia & diſcretione plurimum etiam per veſtra ſcripta ad hoc nos excitando, plenam obtinentes fiduciam, ad exponendum in dicto concilio præſidentibus ejuſdem tam ſanctum propoſitum, non abſque Spiritus-ſancti inſpiratione inchoatum, ut felicem & beatum habeat progreſſum, noſtras devotionem, inclinationem & pro viribus aſſiſtentiam, ac noſtræ ambaſſiatæ celerem & indubium adventum, plenam per noſtras præſentes litteras patentes vobis tribuimus facultatem. Datum ſub noſtro privato ſigillo apud *Edemburg* XXII. die menſis Junii MCCCCXXXIII

LITTERA MISSA SACRO CONCILIO per clerum diœceſis & civitatis Altiſſiodorenſis, ut eximeret ſe a ſemidecima.

Anno 1433. 29. Junii. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

REverendiſſimi in Chriſto patres & domini percelebres, humili recommendatione præmiſſa, magnopere admirati ſumus, nimioque ſtupore animo perculſi, dum certo ſcivimus R. P. V. ad civitatem iſtam & diœceſim Autiſſiodorenſem undique deſolatas, bullas ſacroſanctæ ſynodi Baſilienſis deſtinaſſe fratri Petri *Luſurier* religioſo & camerario Virziliacenſi, exſequendas, pro levanda ſemidecima, ſive viceſimo denario, de & ſuper fructibus beneficiorum noſtrorum in dictis civitate & diœceſi ſitorum, ſicuti latius inſpeximus ex tenore dictarum litterarum. E quidem, reverendiſſimi patres, juſtiſſimo jure comperimus ſacris veſtris conſtitutionibus fore obediendum, tamquam veri zelatores orthodoxæ fidei, qui propria etiam corpora pro tam ſalubertimo ac pertutili negotio exponere non formidamus, ex quo unionem ſanctæ matris eccleſiæ & regni hujus Chriſtianiſſimi tranquillitatem & pacem reſultare credimus. Sed quæ poteſt apud nos terrena proſperitas bellis undique ferventibus eſſe, quando nec agrorum vacare licet culturæ, nec ſata ſi quæ ſint colligere, nec condita ſervare, ſed ipſa etiam colonis abductis arva mœrentia ſqualent, equos, boves, & jumenta quæque prædo impius abigit; vomeres, bidentes, ligones in caſſides & tela vertuntur, & curvæ rigidum falces conflantur in enſem. Ob hoc longa nimium ſpe pacis pene tabeſcit animus: vere ſiquidem ſapiens ait: *Spes quæ differtur affligit animam.* Quam durum itaque nobis, viri percelebres, qui dum viribus valemus & Dei cultum ſectari mens ſatagit, grave paupertatis onere premamur! Quamobrem apud prudentiſſimas dominationes & paternitates veſtras teximus querimoniam, non quidem adverſum vos, quos ſcimus ſinceriſſime in pauperes Chriſti affectos; ſed ut majorem V. R. P. miſericordiam mereamur. Ecce multo languore & longo tempore famem crudeliſſimam toleravimus, non patrimoniorum ſolatiis, non proventuum eccleſiaſticorum ſubſidio aliquando relevati, ſed propriis ſemper laboribus victum quæritantes. Ecce jam perdita eſt in proventibus beneficiorum noſtrorum eccleſiæ decima, immo quinquageſima & centeſima portio ad nihilum redacta: quia ubi quondam domus & eccleſiaſticæ ſtructuræ, ibi nunc arbuſta & vaſta ſolitudo, populus noſter vel fame vel gladio periit. Non nobis, ſed experientiæ credite rerum magiſtræ, quæ neceſſitatem noſtram urgentiſſimam & vulgatiſſimam a lege veſtra ſeparabit. Igitur ſi ſubſidium a nobis quæritis,

procul dubio & nos exſilium petemus, ſicque profugi & vagi ſuper terram in opprobrium cleri mendicati conabimur. Eo tamen minus poſſeſſiones noſtras & eccleſiarum noſtrarum omnes accipite, & ipſarum ſolam ſemidecimam pro cultu divino & victu tenui ac neceſſario nobis aſſignate. Uberrima hæc regio in ſolitudine verſa eſt, & ferarum, veprium, & ſpinarum habitatio eſt, non hominum facta. Propterea domini percelebres per viſcera miſericordiæ JESU CHRISTI vos obſecramus, & cum omni pietate & manſuetudine requirimus, & inſtanter rogamus, quatenus clementi miſericordiæ oculo ſolamen impendendo, hanc ſemidecimam, ſive viceſimum denarium nobis omnino remittatis perſolvendam, non quidem nobis, ſed eccleſiæ ſanctæ Dei afflictæ & oppreſſionibus ac amaritudinibus attritæ. argentum & aurum non eſt nobiſcum, quod tamen habemus, lacrymas & orationes aſſiduas apud patrem miſericordiarum offerimus. Precamur, patres, ſuſcipite; & ſi quid nos facturos velitis, juſſu tantum opus eſt, id agemus animo libentiſſimo quod noſtris exilibus profus facultatibus ſuberit, per præſentium gerulum, quem ad vos præmiſſa de cauſa tranſmittimus, gratum ſi placet reſponſum nobis mandantes reverendiſſimi in Chriſto patres & domini percelebres V. R. P. optatiſſimæ felicitatis jocunditate impleat qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Scriptum Autiſſiodori die XXIX. Junii.

Veſtri humiles & devoti oratores clerus civitatis & diœceſis Autiſſiodorenſis.

EPISTOLA ERICI REGIS DANIÆ ad concilium Baſileenſe.

Laudat ſynodi zelum, excuſatque prælatos ſuos, quod vocati necdum advenerint.

Anno 1433. 29. Junii. *Ex mſ. Aquicinct.*

SAcroſanctæ venerandiſſimæ Baſileenſi generali ſynodo, in Spiritu ſancto congregatæ, univerſalem eccleſiam repræſentanti, patribus, dominis, & amicis noſtris præcariſſimis. Reverendiſſimi, reverendi, venerabileſque patres & domini ac amici noſtri cariſſimi, &c. debitis reverentia & veneratione præmiſſis. Ut in omnibus quæ profectum & votivam expeditionem eccleſiaſticæ reformationis expoſcunt, promta cooperandi voluntate ſacroſancti ejuſdem concilii litteras cum clauſula credentiali per manus reverendorum virorum magiſtrorum Nicolai *Cimeiſter*, decretorum doctoris, præpoſiti Wratiſlavienſis, & ſacri palatii auditoris, & Mathiæ provincialis Saxoniæ ordinis Minorum, ſacræ theologiæ magiſtri præſentatas nobis, humiliter & reverenter accepimus. ex quarum tenore ac ipſorum oratorum ſolerti expoſitione intelleximus, quod eadem ſancta ſynodus pro errorum & hæreſum exſtirpatione, reformatione morum, ac pacificando populo Chriſtiano, Spiritu-ſancto auctore, congregata ſit & legitime ſtabilita, vigore conſtitutionum ſacrorum Conſtantienſis & Senenſis generalium conciliorum, ac approbatione ſummorum pontificum felicis recordationis quondam MARTINI papæ V. & domini EUGENII papæ moderni, ſereniſſimi principis domini SIGISMUNDI Romanorum regis & fratris noſtri cariſſimi conſenſu & approbatione accedentibus. Sane noſtram aſſiſtentiam tam deſiderato operi impendendam oratores ipſi plurimum eleganter invitavetunt, ſollicite exhortantes, ut quemadmodum plures reges & principes deſtinaverunt ſuos, noſtros etiam ambaſſiatores ad ipſum ſacrum concilium mittere curaremus. Orthodoxi patres, nos una cum prælatis, magnatibus ac ceteris regnorum noſtrorum incolis congaudemus ex corde devoto tam ſanctis ſtudiis & ſalubribus deſideriis veſtris, immenſas Deo gratias agentes, qui vos ad ſperatam ſalutem orbis univerſi coadunare dignatus eſt, eique devotas precum inſtantias porrigentes, ut firmam perſeverentiam, in ſanctis veſtris votis miſericorditer concedat, optatæ conſummationis effectum feliciter tribuendo, noſque ad tantum bonum opem & operam conferre quantas valemus intendentes, veſtro ſanctiſſimo cœtui conſiliis, auxiliis, ac adherentia opportunis voluntarie ſatagemus aſſiſtere, ſanctaque acta veſtra complecti & approbare, oratores noſtros & prælatos, quantocius & expedientius poterimus, ad ipſam ſanctam ſynodum mittere non dilaturi, eidem ſupplicantes humiliter & devote, quatenus attentis remotiſſima terrarum noſtrarum diſtantia, viarum variis diſcriminibus, ac guerrarum inſultibus, quibus terra marique undique circumcepti ſumus, ac multiplicibus laboribus & expenſis, quos ipſi prælati noſtri pro guerris hujuſmodi ſedandis ac pace quærenda ſæpius adhibuerant, dignetur benigniſſima ejuſdem ſanctæ ſynodi clementia ipſis prælatis noſtris parcere, quod ad ipſam venire ac mittere, prout tenebantur, diſtulerint. De ſententia & pœnis in eis forſan propterea infligendis miſeriter noſtri contemplatione ſuperſedentes. Ceterum, reverendiſſimi patres & viri præclariſſimi, depoſcimus nobis indulgeri, quod reverendiſſimos ambaſſiatores veſtros longo tempore quam forſan a veſtris R. P. in mandatis habuerint, non ſine eorum tædio, retardaverimus, ſub veſtræ benignitatis confidentia ex cauſis ad hoc moti, tum quia imminebat nobis tractatus pacis habendus cum Civitatenſibus die apoſtolorum Philippi & Jacobi qui pendebat uſque ad dominicam Trinitatis, ubi ipſorum ambaſſiatorum deſideravimus præſentiam, tamquam pro bono

pacis & concordiæ plurimum neceſſariam & accommodam, & ut ipſi videre & audire poſſent, qualiter ipſi Civitatenſes recompenſationem juxta prius promiſſa pro damnis & injuriis nobis & regnis noſtris multipliciter illatis exhiberent. Speramus igitur quod ipſi oratores veſtri clara experientia informati ſunt, quia non ſteterat per nos, quominus pax & concordia finales initæ fuiſſent pariter & firmatæ, tum etiam quia prælati regnorum noſtrorum longe lateque in ſuis manſionibus ſeparati ad audiendum veſtrarum R. P. voluntates per ipſos oratores proponendas, non poterant, cauſante etiam hiemis aſperitate, in breviori tempore convocari, prout de his & aliis ipſi oratores poterunt latius informare V.R.P. quas Altiſſimus in vinea ſua laborantes dirigere, confortare & conſervare dignetur feliciter & longæve. Scriptum Kopenhannæ anno Domini M CCCC XXXIII. ipſo die beatorum Petri & Pauli apoſtolorum noſtro ſub ſecreto ſigillo.

Devotus eccleſiæ filius ERICUS Dei gratia Daciæ, Sweviæ, Norwegiæ, Sclavorum, Gothorumque rex, & Pomeraniæ dux.

LITTERÆ SEU BULLA DECRETI, quod omnes cauſæ, quæ tractantur in concilio Baſileenſi revertantur ad curiam Romanam præter tres, videlicet ad reformationem morum, ad exſtirpationem hæreſis, & ad pacem ponendam inter principes.

Anno 1433. 1. Julii. Ex mſ. Aquiſtranſi.

EUGENIUS, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Paſtoralis cura ſollicitudinis divinitus nobis injuncta, excitat mentem noſtram, ut quæ ordinata ſunt ad univerſale commodum populi Chriſtiani, ad proprium finem, auctore Domino, dirigamus. Sane quidem cum ex ordinationibus Conſtantienſis ſynodi certis temporibus debeant generalia concilia celebrari, ad morum reformationem, ad tollendum errores & hæreſes, & ad pacem ponendam inter principes & populos Chriſtianos, qui ſunt fines principales, quibus Baſileenſe concilium ſtatuimus celebrari, & ad quæ omnis vis & opera ipſius concilii debent dirigi & intendi, quia nuper diſplicenter accepimus, quod in dicto concilio in aliquibus potius privatæ utilitati quam publicæ intenditur, & a rectis finibus, ad quos dicta concilia expreſſe ordinata ſunt deviando, privatarum & ſingularum perſonarum cauſæ & lites in dicto concilio ventilantur, agnoſcuntur & terminantur, non equidem ſine magna diſtractione ſive divortione prædictorum quæ tractari debent. Nos igitur a principalibus propoſitis cupientes nullatenus deviare; ſed ea produci unde potius univerſali bono quam ſingulorum cauſis & litibus conſulatur, ad quod debemus eſſe propitii directores, de conſilio etiam & aſſenſu venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium, tenore præſentium, auctoritate apoſtolica decernimus, quod in præfato Baſileenſi concilio nullæ cauſæ ſingularium publice vel private, eccleſiaſticæ ſeu ſæculares quovis modo cauſa vel colore introducere vel introducendæ poſſint vel debeant in dicto Baſileenſi concilio agitari, cognoſci aut terminari, ſed dirigente Domino fidelium operas ad exſtirpationem hæreſum, ad pacem ponendam ad principes & populos Chriſtianos, ad morum reformationem omnia ſtudia dirigantur, & nullatenus ad alias cauſas, quam ad præmiſſas, ad quas concilium ordinatum eſt, converti debeant: decernentes irritum & inane, ſi ſecus a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli, &c. noſtræ conſtitutionis decreti confringere, &c. Si quis, &c. Datum Romæ calendis Julii anno tertio.

EPISTOLA DUCIS MEDIOLANENSIS ad concilium Baſileenſe.

De fuga cardinalis Arelatenſis a Romana curia ad concilium tendentis.

Anno 1433. 21. Junii. Ex mſ. Aquiſtranſi.

SAcroſanctæ generali ſynodo Baſileenſi in Spiritu-ſancto legitime congregatæ, &c. Reverendiſſimi in Chriſto patres & domini præſtantiſſimi, accepi reverenter litteras ad me veſtras, & cum eis copiam decreti quod illa ſancta ſynodus adverſus Romanum pontificem nuper edidit, nec non exemplar reſponſionis ambaſſiatoribus ſuis ultimo datæ, quarum litterarum & copiarum miſſio fuit mihi profecto gratiſſima. nam etſi mihi antea perſuaderem, crederemque firmiſſime, vos maximam fiduciam in meipſum poſuiſſe, meque cordiali dilectione & caritate complecti; id ipſum nunc multo magis experior: quod ita libere & benigne communicatis mecum omnia quæ agitantur, & contingunt in illo ſacro concilio. Summas igitur & immortales gratias pro tanta benignitate vobis habeo, certioreſque veſtras dominationes efficio, quod quibuſcumque felicibus ſucceſſibus illius ſacroſanctæ ſynodi ita ſemper exulto, quod ſi mihi & ſtatui meo accederent, majori affici gaudio ſane non poſſem. Et diſpono quidem, ſicut ex multis literis meis multiſque ſignis videre potuiſtis, pro manutenendo & ampliando ipſo concilio, non ſolum favores impendere & omnem operam adhibere; ſed omnes, ſi expedierit, opes & facultates, ipſumque ſtatum, & denique hanc perſonam meam prorſus effundere & exponere. Vos, patres reverendiſſimi, procedite excelſis animis & ſolita ſapientia ad omnia quæ pertinent ad incre-

mentum & prosperitatem dicti concilii, sicut A sacitis. Estis enim proinde apud universum orbem laudem & famam eximiam habituri, comparaturique vobis apud clementissimum Deum nostrum gratiam & merita infinita. Ut autem ego vobiscum participem, quæ habeo de tangentibus bonum præfati concilii, significo vobis quod reverendissimus dominus cardinalis Arelatensis ad civitatem meam Januæ nuper applicuit seminudus & quasi solus; ita quidem quod quando attigit, omnes videntes ad magnam pietatem induxerit. Asserit ipse quod cum sæpenumero petivisset licentiam a summo pontifice transferendi se ad illud sacrum concilium, illeque B eam semper sibi negasset, applicuit proximis diebus galea aquardia magnificæ civitatis meæ Januæ in saucem Romanam, & facta sibi notitia, deliberavit omnino a Roma discedere, & cum jam sub certo alio colore urbem egressus fuisset, remisit, &c. Cum vero procederet ad galeam, contigit quod a nonnullis hominibus apud Tyberim insultatus est, quos putat fuisse ex illis cardinalis de Ursinis. Sed cum equum præstantem haberet, cœpit fugere, quamquam & ipse & equus in cursu deciderint, non absque læsione unius C genu sui. Equo autem hinc inde vagante, cœpit solus ipse pedibus ambulare, studens appropinquare galeæ, & cum non reperisset eam ita cito sicuti voluisset, occultavit seipsum in certis arbusculis, gratiam divinam *expectans, & si quid posset de galea sentire.* Tandemque factum est quod nonnulli socii galeam exeuntes & quærentes super ripam ipsum dominum cardinalem, emissis, ut fieri solet, vocibus & clamoribus, quia nullibi videbatur, cum ipse prima facie dubitaret ne alii essent, eum pro parte summi pontificis inquirentes, post cognitos socios signum fecit, ex quo ad eum statim quatuor accesserunt, deferentes eum super humeros ultra Tyberim, attingente etiam aqua fluminis usque ad guttura deferentium. Reducto ergo in galea, & satis attonito pro discriminibus in quibus fuerat, cum patronus galeæ diceret non satis tutum esse ibi morari diutius, deliberaverunt, &c. recedere, ac Januam se dirigere, quo in diebus quatuor attigerunt. Demum præfatus dominus cardinalis ad illud concilium statim accedet, intenturus toto studio & animo agendis ibi rebus; ex cujus accessu non dubito, recipiet illa sancta synodus solamen & gaudium singulare, nec in- E digne quidem, cum sit ipse præsul sapientissimus & maximæ reverentiæ: cujus præsentia ipsum concilium non mediocriter quidem ornabit & augebit, dabitque magnum favorem & præsidium rebus agendis. Postremo me vobis facio recommissum. Datum Mediolani, die XXI. Julii MCCCCXXXII.

PHILIPPUS-MARIA-ANGELUS, dux Mediolani, &c. ac Januæ dominus.

URBANUS.

EPISTOLA BOLESLAI magni ducis Lithuaniæ, ad concilium Basileense.

De sua ad concilium adhæsione, & desiderio conversionis Ruthenorum.

Anno 1433. 25. Julii. Ex ms. Aquitaniæ.

REverendissimis in Christo patribus, cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, &c. illustrissimisque principibus, comitibus, ceterisque reverendis & spectabilibus dominis, in sacrosancto concilio Basileensi in Spiritu-sancto congregatis, &c. humillimæ reverentiæ debitum, & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ præceptis & statutis sinceriter obedire.

Reverendissimi in Christo patres, &c. non modicum cordi nostro accessit exultationis augmentum vestrarum paternitatum, quam ad nos geritis, pia affectio, quæ profecto velut de abysso solitæ benignitatis dignata est nos ab oculis valde procul quasi in exilio degentes, oculis paternæ recordationis respicere, *nobis spectabilem virum dominum* LAURENTIUM DE DAMIANIS comitem Palatinum dirigendo, quem vestrarum paternitatum contemplatione, una cum litteris creditivis a sacrosancto Basileensi concilio nobis missis, ea qua decuit reverentia, suscepimus, verbisque suæ legationis attentas aures gaudenter inclinavimus, gratias humiles V. P. pleriformiter refundentes, quia nos ad ea utique salubria *& super aurum desiderabilia, quæ salutem,* honorem & commodum nostros, nostrarumque terrarum, quin immo bonum totius Christianitatis respiciunt, dignati estis paternis excitationibus propulsare. Primo quidem inter alia prædictus dominus L. ex legatione ei commissa coram nobis asseruit, quomodo hoc sacrosanctum Basileense concilium sit legitime & rite & rationabiliter omnibus *modis, viis, & juribus* ad *hujusmodi* concilium spectantibus, constitutum, ordinatum & confirmatum, prout quodcumque aliud inantea ab ecclesia celebratum. Quamquam de hoc minime dubitabamus, facti tamen sumus de hujusmodi relatione amplius certiores. Avisavit nos insuper, & supplicativis exhortationibus & affectionibus ex parte totius congregationis sanctæ prædicti concilii deposcebat, ut eidem concilio more aliorum regum & principum adhæreremus, oratoresque nostros ad ipsum continuo legaremus. Reverendissimi patres, absit a nobis, quod tantæ temeritatis & incredulitatis pertinacia illaquearemur, qua huic sacrosanctæ generali synodo Basileensi, Spiritu-sancto inspirante legitime congregatæ, in aliquo contraire inveniremur, & quasi inobedientes censeremur; sed revera sincero corde adhæremus, subjacemus, & constanter adhærebimus: oratores etiam nostros ad eamdem synodum dudum direximus, honorabilem videlicet

delicet dominum Andream *Pfaffendorff* doctorem juris canonici, ſolemnem fratrem & preſbyterum ordinis Cruciferorum de Pruſſia, & Johannem *Perling* notarium noſtrum, qui ſuper noſtris intentione & negotiis ſunt plenarie informati. Poſtremo prænominatus dominus L. pro parte V. P. a nobis pia & deprecativa exhortatione exigebat, quatenus mitibus ſagacibuſque viis, modis & blandis perſuaſionibus fideliter alliceremus & induceremus principes, duces & ſeniores Ruthenorum ad unionem cum ſancta Romana eccleſia, ſignanter ut ambaſſiatores ſuper ritibus eorum & induſtria expertos, ad hanc ſanctam ſynodum generalem concilii Baſileenſis dirigere procurarent. Multas etiam rationes & rationabiles cauſas, quas animadverſione ſolerti fore opportunas cenſuimus, nobis in medium adduxit, quomodo multum expediens, immo neceſſarium foret, ut ipſi duces & ſeniores Ruthenorum ad eamdem ſanctam ſynodum ſuos mitterent oratores, qui ibidem cum catholicæ fidei doctoribus, de ſortibus & ritibus eorum, & ſalutari incremento totius populi Chriſtiani ſalubriter pertractent. Venerandiſſimi patres, illuſtres principes & domini, quamquam dudum hoc ipſum in votis habuerimus, & toris viribus ſatagere propoſueramus Ruthenos & ſchiſmaticos, præſertim ſub ditione noſtra conſtitutos, ad unionem & ritum ſanctæ Romanæ eccleſiæ allicere, & ad verum cultum reducere; nihilominus veſtris paternis monitis & poſtulationibus amplius excitati, vigilantiorem diligentiam & operam apponemus circa eorumdem converſionem, & jam aliquotiens cum ducibus ipſorum crebrius confabulati ſumus blandis perſuaſionibus de reductione eorum ad noſtrum ritum; non aliud potentes ex verbis & reſponſionibus ipſorum elicere, niſi quod uniri ſanctæ Romanæ eccleſiæ multum ſunt inclinati, & totis niſibus concupiſcunt. Superioribus tamen ipſorum, ſcilicet metropolitanis & patriarchis, ſe opponere & contraire non affectant, ſed ipſos precibus impulſare, ut de ſalute ipſorum velut paſtores vigilare, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quemadmodum & nos eoſdem noſtris ſcriptis & nunciis aviſavimus, uniren-
tur. In veritate comperietis, colendiſſimi domini, nos pro augmento orthodoxæ fidei ſinceram apponere operam, cum ad hoc non ſolum ex fidei debito, ſed etiam neceſſitate urgente movemur, ex quo in finibus totius Chriſtianitatis in hac parte habitamus, nec ultra noſtra dominia aliquis Catholicorum dominorum aut principum dominatur. Et ſi inantea cultum divinum in noſtris ducatibus hinc inde multiplicamus, quamplures eccleſias, ubi pridem non erant, fundando & dotando, quarum numerum ad præſens pertranſimus. dante Domino, dum pacificata fuerint noſtra, quibus vacamus, ardua negotia, attentius & copioſius circa profectum Chriſtianitatis, & cultum nominis Jesu Christi manus ſollicitas extendemus, velut hoc V. P. & fere toti mundo in effectu clarius innoteſcet. Si quis vero noſtræ famæ æmulus, veritatis immemor, aliud de nobis ſuggeſſerit, precamur eidem aures credulas non porrigere, ſed cenſere velut mendacem filium in ſuis ſtateris, & velut ſuo proximo detrahentem. Reverendiſſimi patres, veſtras reverentias & dominationes, quibus nos humiliter commendamus, pro profectu totius populi Chriſtiani & augmento fidei, incolumes conſervare, regere & dirigere dignetur ad cupita tempora Rex perennis. Datum in caſtro noſtro *Ploczerw* feria tertia poſt feſtum ſanctæ Margaretæ MCCCCXXXIII.

Boleslaus alias Swidrigal Dei gratia dux magnus Litwaniæ, Ruſſiæ, &c.

EPISTOLA UNIVERSITATIS Pariſienſis ad concilium Baſileenſe.

Petit ut cauſæ univerſitatis & ſuorum, extra civitatem Pariſienſem judicandæ non trahantur.

Sacroſanctæ univerſalis eccleſiæ ſynodo Baſileæ congregatæ.

Anno 1433. 26. Julii. *Ex mſ. Aquicinct.*

Reverendiſſimi in Chriſto patres, ſacroſanctam generalem ſynodum Baſileæ in Spiritu-ſancto legitime congregatam celebrantes, debita ſubjectione cum filiali obedientia.

Hactenus, licet ægre, pertulimus indicibilia gravamina, moleſtias graves, & denique crebras ſupra modum inquietudines, quas gens illa Romanam ſequens curiam, noſtris intulit ſuppoſitis, clamavimus apud ſanctitatem felicis recordationis domini papæ Martini & ſui nunc ſucceſſoris SS. domini noſtri papæ Eugenii, ut noſtrorum ſuppoſitorum promotio, & in multis exaltatio pro utilitate eccleſiæ, quantum diffiniret eorumdem ſanctitas, haberetur. Tunc enim res noſtra firmis conſiſtebat ſtabilita fundamentis, neque ulla alia petebantur, quam aut gratioſa aut juſta præmia laborum. Nunc vero, reverendiſſimi patres, apud nos id actum eſt, & agitur, non ut promovcamur, non ut exaltemur, non ut reputemur; ſed certe ut Pariſienſis univerſitas, quæ ad expugnandas hæreſes & ſchiſmata cœlitus fertur eſſe vocata, nec doctores habeat, nec ſcholares. Nempe jam pridem paſſim tracti ſumus & in dies trahimur ab his ultimis terræ finibus ad ſanctam ſedem apoſtolicam, citamur, ſuſpendimur, excommunicamur, unde ſumus in hoc ancipitio rerum diſtricti, ut noſtros oporteat ſtudium dimittere vel beneficium. Sed ceſſi defendere beneficium præhaberent, non ha-

bent ſuppoſita noſtra unde poſſent trans Alpes agere cauſas ſuas. Grave eſt, reverendiſſimi patres, viros ſcholaſticos & ſcientiarum doctrinis apprime deditos, ſectari lites, ſed multo gravius dulciſſimos ſtudii amplexus lucem veritatis parituros deſerere, & tranſcenſis Alpibus Romam percurrere. Illud inſuper graviſſimum, dum ſtudio quærendæ veritatis opera dedita & longo temporum curſu conſumtis facultatibus, dura coguntur inopia ſtudium dimittere pariter & beneficium: quod pie ſancteque conſideraverunt ſummi pontifices, qui nobis, ne traheremur in cauſam extra muros Pariſienſes, privilegium indulſerunt. Id idem ſapienter excogitaverunt Francorum reges & principes, qui ne in ceteris cauſis civilibus extra hanc urbem Pariſiacam agitaremur, ſua ſponte non precati edicta perpetua contulerunt. Ipſe etiam vir prædeceſſor Jo. XXIII. litteras conceſſit apoſtolicas, ut intra conſeptum dictæ urbis mœnium, tribus datis judicibus apoſtolicis, univerſæ noſtræ lites etiam beneficiales, omni appellatione remota, terminarentur. Hoc quoque provide & religioſe penſavit prætacti domini Martini clementia, quæ cunctas noſtrorum ſuppoſitorum beneficiales cauſas in prima inſtantia terminandas Pariſius eſſe cenſuit. Sed quis non videat, quod parum proſit in prima noſtras hic lites terminari, ſi non ſecunda & tertia finiantur inſtantiis? Si enim propter duas ultimas inſtantias oportet nos Romam vocari, frangitur ſtudium, mutiplicantur impenſæ, nec jacturæ maximæ tantæ perditionis obvenitur. Verum nec pro prima inſtantia hic manere permittimur, quin potius per ſimplicem citatorem, ſuppreſſis noſtrorum ſuppoſitorum qualitatibus, ad Romanam curiam evocamur. qui modus jam adeo percrebuit, ita ſe ardenter exercit, ut ad egregios & famoſiſſimos viros, ſacræ ſcripturæ profeſſores & jurium doctores, jam quaſi decrepitos, & ad alios plurimos pervaderet in noſtri ſtudii duram, lamentabilem & exitioſam enervationem. Sed reverendiſſimi patres, ſi antiqua & generalis conſtitutio ultra duas dietas reum per litteras apoſtolicas trahi prohibet invitum; ſi nova ad unam reſtrinxit dictam; ſi propter viarum diſcrimina excommunicatum propter violentam manuum in clericum injectionem, extra curiam permittit abſolvi, qua ratione noſtri non ultra unam dietam, non extra duas, ſed rupto ſtudio Romam proficiſci cogentur, dum tanta ſunt viarum pericula, quanta umquam fuerunt, dum tantum ſunt diminuta beneficia, ut neque ad victum ſupra locum ſufficiant? nolite, reverendiſſimi patres, nolite ferre, ut iſti curſores ſtudioſos viros tantis laboribus feſſos, tantiſque cautelis circumventos, jus ſuum tamdem exagitent indefenſum dimittere. Valeant apud reverendiſſimas paternitates veſtras favor fidei, virtutum, ſcientiarum & ſtudii. Valeant privilegia a ſummis pontificibus nobis dudum indulta, & per hanc ſacram ſynodum, Domino cooperante confirmanda & amplianda, ut per nullas litteras apoſtolicas extra muros Pariſienſes in cauſis & querelis noſtris trahi valeamus. Perſuadeant jus, ratio, temporum malitia, fructus ſtudii, & alia innumera, quæ brevis non caperet epiſtola, ſed ſuper omnia ſuperflue veſtrarum clementiarum gratiæ V. R. P. concludant, ut propius aſpicientes, huic morbo mederi dignentur, omnes cauſas noſtrorum ſuppoſitorum & querelas, majoribus exceptis, auctoritate ſacri generalis concilii Baſileenſis, tribus Pariſius & in perpetuum committentes judicibus, omni appellatione remota; & ſi interjecta, terminanda tamen Pariſius pro primis inſtantiis noſtrorum conſervatori privilegiorum, pro ſecundis domino abbati S. Genovefæ Pariſienſis, pro tertiis domino abbati S. Germani de Pratis prope Pariſius, cum reverendiſſimi patres juri pauperum, & quieti ſtudii, communi juri, & prædeceſſorum indultis detulerunt veſtræ reverendiſſimæ paternitates ad laudem Dei, & juriſdictionis apoſtolicæ conſervationem: cum præſertim nihil niſi ſub auctoritate ſacri concilii & apoſtolica agetur. Ex quo etiam glorioſum nomen veſtrum noſtra univerſitas & apud Deum & apud homines recolet memoria ſempiterna. In his vero V. R. P. & aliis ſtatum noſtrum tangentibus, noſtros ambaſſiatores dudum ad concilium Baſileenſe deſtinatos dignentur audire, faciliter admittere, & petitiones exaudire veſtræ clementiæ; quas Dominus noſter Jesus Christus conſervare dignetur ad reformationis eccleſiæ univerſalis in capite & in membris, debitum & votivum complementum. Scriptum Pariſius in noſtra congregatione generali apud S. Mathurinum ſolemniter celebrata, die xxvi. menſis Julii, anno Domini M ccccxxxiii.

Veſtræ ſanctæ congregationis humiles & devoti & obſequioſi oratores Rector & univerſitas ſtudii Pariſienſis.

Hebertus.

EPISTOLA SIGISMUNDI IMPERATORIS ad concilium Baſileenſe.

Ut ſuſpendant decretam citationem papæ uſque ad ſuum ad eos acceſſum.

Anno 1433. 3. Auguſti. *Ex mſ. de quinionibus.*

REverendiſſimis ac venerabilibus in Chriſto patribus & dominis, &c.

Reverendiſſimi in Chriſto patres, &c. mox ut veſtrarum paternitatum litteras IV. nonas Julii datas, & ſub ſolita plumbea bulla ſacri Baſileenſis concilii una cum copia decreti citationis domini noſtri ſummi pontificis cif-

dem incluſa emanatas, nobis commiſſas, heſ- A
terna ſecunda die hujus menſis Auguſti re-
cepimus. ipſas legentes, ex earum tenore
grate collegimus, quod intervenientibus pre-
cibus noſtris ad vos frequentatis, dictum ſa-
crum concilium quamplures proceſſus con-
tra dominum noſtrum ſummum pontificem
conceptos, prout in veſtro decreto citatio-
nis ejuſdem, & prædictis litteris V. P. nobis
directis latiſſime continetur, propoſuit &
decrevit differre. Super qua dilatione ob re-
verentiam noſtræ majeſtatis & ejuſdem pre-
ces ſæpe numero, ut ſcribitis, facta, plurimum
recreati, eiſdem V.P. ad exuberantiſſimas ex-
ſurgimus gratiarum actiones. Cum autem V. B
P. commemoraverint perſonæ noſtræ illac
acceſſum, & ejuſdem in medium paternita-
tum veſtrarum celerem progreſſum, & per-
ſonalem intereſſentiam, ut ſcribitis, perutilem
& omnino fore neceſſariam pro redu-
ctione Bohemorum, & aliis multis noſtra in-
tereſſentia cum ipſo concilio promovendis,
Deo teſte, & ante & poſt receptionem litte-
rarum veſtrarum, erga ſuam ſanctitatem fe-
cimus exactam diligentiam, & nunc, inſpi-
rante in ejus cor gratia divina, taliter pro
voluntate & exhortationibus ſacri Baſileen- C
ſis concilii & V. P. & pro bono ſtatus univer-
ſalis eccleſiæ, conſervatione ejus, ſanctitas ſic
inclinata eſt, quod de noſtra reverſione re-
cipietis conſolationem, totuſque mundus
gaudebit, & vos merito critis contenti. Ut
autem ex præcipitatione & acceleratione ne-
gotii ſcandalum in univerſali eccleſia Dei
non exſurgat, laboribus tamdem vix totius
Chriſtianitatis tollendum & ſubmovendum,
V. R. P. ſinceris affectibus in Domino ſtudio-
ſe exhortamur, quatenus decretum citationis
jam factæ, & proceſſus contra ſuam ſancti- D
tatem, expletis LX. diebus jam deputatis ex-
inde fiendos & fulminandos, uſque ad ad-
ventum noſtrum felicem ad ipſum ſacrum
concilium Baſileenſe, ad quod continuatis
greſſibus dirigimus iter noſtrum, ſuſpendere
& prorogare velitis, ad nullos in ipſa re ac-
tus medio tempore procedentes, aut in ipſa
re aliquid innovantes; certificantes vos, quod
ſub ſpe Dei taliter & cum talibus facultati-
bus ad veſtras paternitates nos proficiſcemur,
& negotium iſtud cum V. P. ſic & eo mo-
do tractabimus, quod omnes difficultates in- E
ter ſuam ſanctitatem & paternitates veſtras
ſubortæ, gratia Dei inſpirante, tollentur de
medio, & univerſalis militans eccleſia Dei
votivum in omnibus ſuſcipiet incrementum.
Datum Romæ die III. Auguſti, regnorum
noſtrorum anno Hungariæ, &c. XLVII. MCCCC
XXXIII.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum
imperator ſemper auguſtus, &c.

Ad mandatum domini imperatoris,

PETRUS KALDE canonicus Zagrabienſis.

LITTERA REGINÆ JOHANNÆ Siciliæ, &c. ad concilium Baſileenſe.

Spondet ſuum erga concilium favorem.

SAcroſanctæ generali ſynodo Baſileenſi in Spiritu-ſancto legitime congregatæ, univerſalem eccleſiam repræſentanti, JOHANNA II. Dei gratia Hungariæ, Jeruſalem & Siciliæ regina, &c. recommendationem humilem & devotam, & boni ſanctique incepti operis, aſſiſtente Spiritus-ſancti gratia, perfectionem conſummationemque votivam. Anno 1433. 7. Auguſti. *Ex inſ. A. quicinctenſi.*

Sane noverit veſtra magna prudentia atque reverentia, nos olim de præterito menſe Aprilis præſentis anni veſtras litteras, per quas nobis ſignificatis ipſum ſanctum concilium congregatum fore ad exſtirpandas hæreſes, pacem in populo Chriſtiano componendam, & mores in ſtatu eccleſiaſtico reformandos, præſentatas nobis per venerabilem virum Jacobum Alberti, canonicum Ebredunenſem, oratorem veſtrum, una cum copia decretorum per vos in tribus ſeſſionibus jam factis interpoſitorum, cum caritate & reverentia recepiſſe, & tam contenta in eis, quam relata nobis oretenus per jam dictum oratorem plene intellexiſſe. Et tam pium, tamque ſanctum inceptum opus multifarie commendantes; redeunte noviter ad noſtri præſentiam præfato oratore veſtro, qui veſtri parte ad alia loca ſe acceſſiſſe aſſerit, & a nobis reſponſum ſuper præmiſſis poſtulante, reſpondimus, quod nos tamquam ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ fideliſſima & obedientiſſima filia, cupientes univerſale bonum, atque compendium ipſius eccleſiæ & totius populi Chriſtiani, promte paratæ ſumus exhibere veſtro ſacratiſſimo cœtui noſtra honeſtiſſima præſidia poſſibileſque favores, præfataque veſtra decreta, quoad poterimus, & quantum ipſius regni honeſtas perſuadebit, in hoc regno noſtro facere realiter obſervari. Oratores autem noſtros ad ipſum ſacrum concilium pluries tranſmittere deliberavimus, & etiam in puncto & ordine poni juſſimus: ſed propter multas notorias tribulationes & arduas impedimenta, nobis per noſtros æmulos & rebelles illata, non potuimus commode ipſos noſtros oratores ad veſtram præſentiam deſtinare, offerentes nos ſemper ad quævis vobis placita atque grata. Sancti Spiritus gratia veſtra bene incepta opera, ut optatis, fœcundare dignetur pro bono, unitate & pace orthodoxæ fidei & eccleſiæ Chriſtianæ. Datum in caſtro noſtro Capuano Neapolis ſub annulo noſtro ſecreto, die VII. Auguſti MCCCCXXXIII.

COPIA CUJUSDAM LITTERÆ domini Eugenii papæ IV. transmissæ regi Angliæ.

Laudat ipsius oratores, quod in concilio suas partes fovere susceperint.

Anno 1433. 20 Augusti. *Ex mss. Angelini.*

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio HENRICO (a) regi Angliæ illustri salutem & apostolicam benedictionem.

[a] Sicut a multis fide dignis accepimus, oratores tui, quos destinasti ad concilium Basileense, semper in omnibus casibus qui acciderunt fideliter obsequentes voluntati tuæ, pro nostro & Romanæ ecclesiæ statu & honore tuo laudabiliter se habuerunt, & egregiam operam fide & devotione tua dignam cum singulari prudentia præstiterunt, & novissime omni studio contendentes prohibere conati sunt, ne promulgaretur, & pias aures offenderet illud quod magis tonitruum, quam decretum ex sacro concilio emanatum, appellari potest; in quo decrevere & pronunciare ausi sunt, nos nisi infra certum terminum adesse mus, ut eis placet, præfato concilio, ab omni administratione papatus fore suspensos. quo nihil iniquius, nihil absurdius, nihil magis ab omni divina & humana justitia, & a SS. patrum, qui sacra concilia celebrarunt, more & consuetudine alienum est. Sed de hoc plura non dicimus, suo loco discutientur hæc omnia. Ceterum pro his, quæ tuo jussu & tuo nomine faciunt tui, pro nobis & ecclesia, proque multis aliis laude dignis operibus, quæ fecisti semper & facere non desistis, incedens per vestigia primogenitorum tuorum, qui semper pro Dei ecclesia laborarunt, regratiamur serenitati tuæ, & tam meritis laudibus commendantes, affectuose rogamus, ut in hoc proposito perseveranS, quam potes jus nostrum & ipsius ecclesiæ auctoritatem foveas & defendas; in cujus sanctæ defensionis officio non eris solus, sed, ut tenemus indubie, habebis socios, uno fortassis excepto, quem honoris sui causâ nominare non volumus, omnes Catholicos, & præsertim carissimum in Christo filium nostrum SIGISMUNDUM Romanorum imperatorem illustrem, qui nobiscum pluribus diebus fuit, & nostram sinceram dispositionem & optimam voluntatem circa omnia, quæ concernunt honorem Dei, reformationem ecclesiæ, exstirpationem hæresum, pacem fidelium & salutem publicam populi Christiani, quæ merito agenda sunt in sacro concilio, plene vidit, tetigit & cognovit, ac propterea recte sentiens & bene disponens unionem ecclesiæ, pro qua tantopere laboravit, conservare & tueri. Crastino mane de Urbe recedit, profecturus recto itinere Basi-

(a) Hujus nominis VI. qui regnare cœpit anno 1422.

A leam, ubi cum erit, multa jam præparata scandala removebit, & sicut dignitati suæ convenit, qui imperator & advocatus ecclesiæ existit, illas res in melius reducet. Velis itaque, fili carissime, præfatis oratoribus tuis mandare, ut cum eo bene sentiente, incepta per eos juxta tuum desiderium prosequantur. Nos enim præfato imperatori talia tam æqua, tam justa ibidem agenda commisimus, quod nisi illi qui concilium illud versant humanæ pietati, rationi, & ipsi ecclesiæ erunt adversi, nobis consentient, & nobiscum cum debita fidelitate convenient. Et utcumque res B accidat, talem de hujusmodi dispositione nostra præstamus & præstabimus evidentiam, quod totus mundus intelligat in nobis nunquam culpam fuisse alicujus erroris aut scandali. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicæ MCCCCXXXIII. IV. idus Augusti, pontificatus nostri anno tertio.

COPIA LITTERÆ MISSÆ per sacrum concilium Basileense archiepiscopo Lugdunensi.

Extat conc. tom. 12. *pag.* 831.

C

LITTERA CREDENTIALIS BOHEMORUM, lecta in congregatione generali, die Martis XI. *Augusti* MCCCCXXXIII.

Anno 1433. 11. Aug. *Ex mss. Aquicinctin.*

REverendissimis in Christo patribus & dominis, dominis cardinalibus, primatibus, archiepiscopis, episcopis, ceterisque venerabilibus prælatis, magistris, & doctoribus, in veneranda Basileensi synodo constitutis, gubernatores, capitanei, seu præfecti, barones, civitas Pragensis, nobiles civitates, D & communitates regni Bohemiæ ac marchionatus Moraviæ, ipsisque adhærentes, condignæ reverentiæ cultum, & in cunctis eruditi ac dirigi a veritatis summo doctore.

Ad vestrarum paternitatum & dignitatum celebrem præsentiam, spectabiles & honorandos, benemeritos, nobisque acceptos viros Matthiam de *Chlumpezan*, magistrum Procopium de Pilzna, ac Martinum presbyterum de *Thrudim*, exhibitores præsentium, de nostro certo proposito sufficienter eruditos destinamus, accuratius postulantes, quatenus paternitatum vestrarum dignitas nunciis prædictis in omnibus & singulis relationibus, vestris dignitatibus ex parte nostri referendis, plenitudinem fidei adhibere dignetur, tamquam vestro assistentes conspectui propriis loqueremur in personis. Insuper eisdem nunciis nostris nomine nostro dandi & concedendi litteras salvi-conductus, pro personis ex parte vestri, si opus foret, ad nos mittendis plenam potestatem largimur. Datum Pragæ, anno Domini MCCCCXXXIII. die X. mensis Julii, nostro communi sub sigillo.

ARTICULI OBLATI CONCILIO ex parte regni Bohemiæ & marchionatus Moraviæ, &c. anno Domini MCCCCXXXIII. *in festo S. Tiburtii post Laurentium.*

Ex ms. Aquicinct.

HOs articulos paternitatibus vestris offerimus, quatenus intuitu optandæ cunctis mortalibus pacis & unitatis, velitis ipsis in hac forma subscripta vestrum præbere consensum, ut libere teneantur, doceantur & irrevocabiliter observentur in regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ, ac locis eis adhærentibus in hac parte:

1. Ut communio divinissimæ eucharistiæ utilis & salubris sub utraque specie, scilicet panis & vini, universis Christi fidelibus in regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ, ac locis eis in hac parte adhærentibus constitutis per sacerdotes libere ministretur.

2. Ut omnia peccata mortalia, & præsertim publica, per eos quorum interest rationabiliter & secundum legem Dei cohibeantur, corripiantur & eliminentur.

3. Ut verbum Dei a sacerdotibus Domini & levitis idoneis libere & fideliter prædicetur.

4. Quod non licet clero tempore legis gratiæ super bonis temporalibus sæculariter dominari.

Ipsius autem, quam utrimque diutine optavimus, unionis tenorem offerimus in hac forma. Parati sumus uniri & esse unum, modo quo omnes Christiani fideles uniri secundum legem Dei obligantur, & adhærere ac obedire quibuscumque nobis legitime præfectis in omnibus ecclesiasticis, quæcumque nobis secundum legem Dei mandaverint. Quod si quicquam concilium, papa, aut prælati quod a Domino prohibitum sit determinaverint faciendum, aut facere jusserint, vel quod in canone bibliæ scriptum est præterierint, aut præterire mandaverint, cum canones tales dicant execrabiles & anama, obedire non obligabimur, nec obediemus.

Hæc vobis offerimus inter vos & nos, ut supponimus, concludenda. Expeditis nostris quatuor articulis secundum judicem parte ex utraque concordatum, cujus sententiam & judicium etiam in futuris emergentibus volumus ab omnibus acceptari.

Præterea istud per ambassiatores nostros tandem pro finali unione facienda mittendos volumus, exigente & urgente æquitate, propter conservationem & confirmationem pacis & unitatis obtinere, ut unione facta, concilium suis patentibus litteris præcipiat omnibus primatibus, archiepiscopis, episcopis, regibus, & principibus, & universis utriusque status sibi subjectis, quatenus nos & nobis in hac parte adhærentes & adhærere volentes amplius palam & occulte hæreticare, aut quovis modo infamare, aut etiam hostiliter invadere non præsumant, propter aliquem prædictorum articulorum, & præsertim propter primum, quem asserimus & asserere proponimus Dominico cadere sub præcepto usque ad discussionem finalem, mutuam & concordem per concilium & nos, secundum sententiam judicis in Egra condictati, circa difficultates prædictorum articulorum, si quæ occurrerint, fiendam. Nam illius æquissimi judicis legibus & decretis optamus, Dei dispositione, in concilio sedentibus cooperari fideliter ad reformationem totius ecclesiæ in capitibus, artubus, & membris: quam quidem sententiam, ut veridico didicimus relatu, uti proposuit concilium circa reformationem ecclesiæ atque spopondit.

Insuper ut litium & jurgiorum inter nos & coïncolas nostros materia radicitus evellatur, circa unionem inter nos & concilium celebrandam, istud volumus per nuncios nostros ad concilium mittendos obtinere, ut facta unione, ipsum concilium modis & hortamentis congruis scribat, inducat & efficiat, quantum in eo est, quatenus omnes & singuli sacerdotes, cujuscumque præminentiæ aut dignitatis existant in eodem regno & marchionatu, præsertim, qui ipsos articulos nondum in effectu observarunt, queant cum honoris sui conservatione, & valeant libere ac fideliter exequi & amicabiliter observare & docere. Nam sic in sancta veritate uniti, erimus nunc gratiæ divinæ participes, & in futuro visionis ipsius jocundæ consortes. Amen.

LITTERA CREDENTIALIS domini imperatoris.

Anno 1433. 15. u. Ex ms. Aquicinct.

REverendissimis ac venerabilibus in Christo patribus & dominis, &c.

Reverendissimi in Christo patres, &c. Veniens ad nos strenuus Hermannus *Offenburg* de Basilea miles familiaris noster fidelis dilectus per V. P. cum littera vestra credentiali ad nostram majestatem missus, injuncta sibi & commissa per easdem V. P. nobis eleganter exposuit; quem audivimus & intelleximus luculenter. Venit etiam ad nos post cum venerabilis Jo. Curiensis episcopus, princeps & consiliarius noster fidelis dilectus, qui etiam nobis retulit quædam ardua facta de sacro *concilio* Basileensi. Quo etiam audito & intellecto, commisimus illustri Willelmo comiti Palatino Rheni duci Bavariæ nostro locum tenenti principi avunculo nostro carissimo, ac eidem Jo. episcopo Curiensi & præfato Hermanno *Offenburg* desiderium & intentionem nostram R. P. V. referendam, easdem P. V. affectuosius rogantes, quatenus

in his quæ præfatus dux Willelmus, Jo. A epiſcopus & Hermannus *Offenburg*, aut duo eorum ad præſens V. P. noſtro nomine retulerint, fidem velitis per omnia credulam adhibere. Datum in deſcenſu noſtro campeſtri prope caſtrum Montem-rotundum die xv. menſis Auguſti, regnorum noſtrorum anno Hungatiæ &c. xlvii. Romanorum xxiii. Bohemiæ xiiii. imperii vero 1.

Sigismundus Dei gratia Romanorum imperator ſemper auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. rex. B

Ad mandatum domini imperatoris, Gaspar Sligk.

Credentia hujus litteræ fuit, quod concilium vellet ſuſpendere decretum citationis papæ uſque ad unum menſem. Et propter honorem imperatoris fuit factum, & ponitur credentia in decreto prorogationis termini papæ, videlicet in xiii. *ſeſſione.*

SEQUITUR LITTERA MISSA ſacro concilio Baſileenſi per Carolum regem Francorum. C

Orat ut ſuſpendatur exſequutio decreti in papam editi.

Anno 1433. 28. Aug. Ex mſ. Aquicinct.

SAcroſanctæ ſynodo Baſileenſi in Spiritu-ſancto legitime congregatæ, Carolus Dei gratia Francorum rex devotus eccleſiæ filius.

Urget nos, patres orthodoxi, Chriſti caritas, ſanctiſſimi patris noſtri filialis amor, optimo jure debitus honor, fervens zelus, & veſtræ ſanctæ congregationis in idipſum ea ſcribere quæ ad pacem ſunt. Audivimus, viri patres amantiſſimi, ſacri pontifices præcolendi, decretum nuper in ſeſſione veſtra promulgatum adverſus beatiſſimum patrem noſtrum univerſalis eccleſiæ ſummum pontificem: quod utique, ut verum fateamur, non parum deterruit nos, pertimeſcentes non immerito ventura ſcandala, turbationes conſcientiarum, diviſiones regnorum; attento quod pauci reges & principes Chriſtianitatis, quos tantum negotium omnes proxime tangit, nondum comparuerunt, aut incorporati decreto minime adhæſerunt; quæ omnia totis viribus propulſare noſtra parte debuimus, votis omnibus ab eccleſia ſancta catholica tolli & deleri peroptamus. Attendite, patres zelantiſſimi, & videte, precamur vos per viſcera miſericordiæ & caritatis Jesu Christi, & ſocietatem ſpiritus, ne ita arctare videamini beatiſſimum patrem noſtrum, ut ſchiſma peſtiferum & horrendum ſupernimium in corpore e vicino oriatur, quod natura ipſa fagax tantopere refugit, exhorreſcit animus, & heu! diuturni nimis ſchiſmatis noviſſime tantis laboribus & vigiliis vix ſedati actus memoria, quod pia-avertat Dominus & Chriſtus ejus eccleſiæ catholicæ ſponſus.

Enimvero ne in diebus noſtris videre contingat, omnem & totam operam, vigilias & laborem, alias etſi occupati, mortali qui utpote urgemur ab hoſte, libentes offerimus; quod ut facilius cum pace omnium fiat, oramus & obſecramus cœtum veſtrum ſacerrimum, ut in dies aliquod & competentes ſatis executio decreti jam facti proveletur, favore pacis & amore unitatis. Nos autem interim impetrata mora temporis, cum inſtantia plurima ſanctiſſimum patrem noſtrum filiali devotione requiremus, exorabimus obſecrantes, uti ſedulo attendat hæc & videat, nec Chriſti & ipſius ſponſam eccleſiam ſcandalizet, diſcrimen auferat, cujus tandem eum pigeat, & medela facilis non inveniatur. Ea enim de cauſa ad ſanctam veſtram congregationem dilectum & fidelem conſiliarium noſtrum Simonem *Charles* militem ex præſenti tranſmittimus. Poſtmodum abſque omni mora ad SS. patrem noſtrum proficiſci injunximus noſtri ex parte, ejuſdem ſanctitati perſuaſurum, quatenus ſacro concilio noſtriſque monitis & precibus tandem pie adhæreat, & eccleſiæ ſanctæ atque populo Dei debitam omni præſtantia & caritate impartiatur conſolationem. Reliqua latius explicanda vivæ vocis oraculo dilectis & fidelibus noſtris ambaſſiatoribus ad Vos delegatis, vice noſtra commiſimus, quibus fidem non dubiam dabit regiis precibus exoratus facer cœtus veſter congregatus in Domino, quem feliciter ſucceſcere ad condignam reformationem eccleſiæ peroptamus. Scriptum in oppido noſtro Lochiarum, die xxviii. menſis Auguſti. D

Devotus eccleſiæ filius Karolus rex Francorum.

Lanselot.

ALIUD MANDATUM DOMINI DUCIS BURGUNDIÆ, *Lectum die Veneris ſecunda Octobris* MCCCCXXXIII.

Anno 1433. 1. Septemb. Ex mſ. Aquicinctenſi.

PHilippus Dei gratia Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ & Lymburgiæ dux, E Flandriæ, Artheſii, Burgundiæ, Palatinatus, Hannoniæ, Hollandiæ, Zellandiæ & Namuci comes, ſacri imperii marchio, atque Friſiæ, de Salinis ac Machlinia dominus, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino.

Notum facimus, quod nos conſtituimus, fecimus, & ordinavimus, & per præſentes conſtituimus, facimus, & ordinamus reverendiſſimum, reverendoſque in Chriſto patres dilectos & fideles conſiliarios noſtros ar-

chiepiſcopum Rothomagenſem, & epiſcopos Cameracenſem, Conſtantienſem, Autiſſiodorenſem confeſſarium noſtrum, Cabilonenſem & Nivernenſem: abbates quoque Ciſtercienſem, S. Sequani, S. Eugendi, & de Domno-Martino, nec non dominos JOHANNEM comitem de Friburgo, GUILLERMUM marchionem de *Hoochberg*, GUIDONEM de Ponte-ſciſſo dominum de *Thalemer*; Guilbertum *de Launois*, dominum *de Willerwal*, & Johannem *Docors* dominum d'*Ethay* & de *Eubeke* noſtros milites & cambellanos; poſtremo magiſtros Quintinum Menardi præpoſitum S. Audomari, Johannem Viviani archidiaconum de Belna in decretis, Johannem de Fruyno theſaurarium eccleſiæ Biſuntinæ in legibus licentiatos: Henricum de Ruppe præpoſitum Lauſanenſem decretorum doctorem, Johannem *Griboval* archidiaconum Rothomagenſem, Johannem *Lavantage* canonicum Cameracenſem magiſtrum in medicina, & Guidonem Serrarii bacchalarium in theologia noſtrum ſecretarium, noſtros veros & indubitatos ambaxiatores ac nuncios ſpeciales ad ſacrum generale concilium Baſileenſe: dantes & concedentes per eaſdem præſentes omnibus ipſis, ac etiam ſeptem ex eis, de quorum fidelitate, induſtria & probitate ad plenum confidimus, omnimodam poteſtatem atque facultatem plenariam comparendi & ſe exhibendi in dicto ſacro concilio nomine noſtro, ſtandique & intereſſendi cum quibuſcumque principibus eccleſiaſticis & ſæcularibus, eorumque ambaſſiatoribus præſidentibus, judicibus, deputatis, ceteriſque officiariis & perſonis, in dicto concilio pro negotiis illius tractandis conſtitutis. Inſuper in omnibus congregationibus generalibus, & particularibus ſeſſionibus, deputationibus, aliiſque cœtibus, locis, actibus & rebus univerſis ejuſdem concilii opportunis; nec non agendi, tractandi, conveniendi, diffiniendi & concludendi, una cum prædictis ſuper materiis & agibilibus quibuſcumque in eodem concilio agendis, diſcutiendis & expediendis tam pro reformatione generali eccleſiæ in capite & in membris, quam exſtirpatione hæreſum & ſchiſmatum, pacificatione quoque regnorum & reliquorum Chriſti fidelium; denique agendi & deffendendi pro nobis, ubi & coram quibus opportunum fuerit, & generaliter omnia alia & ſingula quo ſupra nomine, gerendi, faciendi & exercendi, quæ in præmiſſis & circa præmiſſa ac ea concernentia neceſſaria fuerint, ſeu quomodoliber opportuna, & quæ nos ipſi faceremus aut facere poſſemus, ſi præſentes & perſonaliter intereſſemus; promittentes bona fide, & in verbo principis, nos ratum, gratum & firmum perpetuo habere quicquid per præfatos ambaxiatores noſtros & ſeptem, ut dictum eſt, ex ipſis actum, dictum, geſtumve fuerit in præmiſſis & eorum ſingulis, ſeu alias quomodolibet expeditum. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum. Datum in villa de *Ranieres* die prima Septembris, anno Domini MCCCCXXXIII.

Per dominum ducem in ſuo conſilio,

DORMESSENT.

EPISTOLA ELECTORUM ROMANI imperii, ad concilium Baſileenſe.

Significant ſuam ad concilium adhæſionem; orantque citationis papæ decretum relaxetur.

Anno 1433. 7. Septemb. *Ex inſ. Aquicinct.*

REverendiſſimis reverendiſque patribus dominis & amicis noſtris præcipuis, ac venerabilibus nobis ſincere dilectis, in ſacra Baſileenſi ſynodo congregatis.

Humillima recommendatione præmiſſa, reverendiſſimi reverendique patres, ac venerabiles ſincere dilecti, &c. Deſideratam piis mentibus in eccleſia militante ſolidam unionem conſervari, ac debitum ſacri generalis concilii honorem pro viribus nobis collatis indeſeſſe promovere fidei ardore cupientes, ut optata ſancta opera ſub tranquillitate in unione exſequantur, quæ mundo diſcurrens fama & primordialis cœtus veſtra convocatio in ipſo concilio peragenda ab initio huc uſque referebant, claram in hiis ſacro concilio noſtram adhæſionem dudum pollicitos profitemur, quæcumque nobis pro his ſanctis rebus agendis incumbentia onera parati ſubire, ut exſtirpatis hæreſibus, reformatis moribus, bellorumque ac ſeditionum fomentis de populo ſublatis, religio Chriſtiana concordi unione quietius Deo famuletur. His itaque beatis rebus prudentias veſtras præcipue intentas eſſe populus fidelis affectat, ſperans ab imminentibus malis veſtro patrocinio liberari. Unde maxime abſtinendum cœtus veſter ampliſſimus non ignorat ab his quibus mundum prementibus malis deterius accidere poſſit: præſertim cum hæreſes exſtirpari, reformari mores, ac mundo pax dari cunctiſque eccleſiæ filiis & membris dulcem in terris pacem oriri a ſancta congregatione veſtra ſperetur. Et ſi his ſperatis bonis omiſſis, ſacrum concilium diſſolutum malis majus malum accumulatum, ac mundum turbine magno agitatum, cui ſalutis portum promiſerat fortioribus fluctibus relinqueret; qualis auctoritas, honor aut reverentia futuris umquam temporibus ſacris poſſit conciliis adhiberi? Nec enim matris pietas, ſi qua acerbitate offenſa fuerit, omnem prolem extremo periculo deſtinaret, ſed potius illatam offenſam abſque totius diſpendio prolis, manſuetudine materna placari ſubſtineret, qua ſancta mater eccleſia excelſius inſignita cunctos eccleſiæ filios latiſſima pietate invitans, jacturæ filiorum

non committit, quæ ſub manſuetudine ad eorum poterat ſalutem deducere. Qua de re ut mundo omnis benignitas ac cœtus veſtri manſuetudo clarius innoteſcat, omniſque ſuborta adverſus ſanctam congregationem veſtram linguarum mordacitas a cordibus populi penitus abducatur, ad reverentiam matris eccleſiæ & generalium conciliorum ampliorem gloriam, ut firmior eorum futuris temporibus in populo Chriſtiano ſuccreſcat auctoritas in puritate conſilii, humiliter rogamus, quatenus immortalis Dei ac rerum Chriſtianæ fidei & religionis cauſas quibus intenditis, ac tempora undique pavore juſto horrenda conſcientiarum veſtrarum ſecretis ſcrutiniis meditantes, decretum monitorium contra SS. dominum EUGENIUM *papam promulgatum, inſigni veſtra pietate* relaxare, ac populum fidelem a multa perplexitate, quam incidet illo non mitigato decreto, eripere more piiſſimorum patrum benigniter dignemini. Quod enim prudentia agendum conſtituit, plerumque ſine reprehenſionis morſu alterat, dum ex conſtituto propoſito evidentibus ſignis læſionis onera conſpiciuntur futura. Sic agant his diebus prudentiæ veſtræ, in domino obſecramus, ut laudabilis mundo ſuccedat eventus, virufque letiferum latitans ſepultum claudatur, ne conſurgens unionem in eccleſia Dei diſſolvat, ac multitudinem deferat animarum & corporum in ruinam. quoniam pro puritate concordiæ inter cœtum veſtrum celebetrimum ac S. D. N. EUGENIUM papam, ad ſereniſſimum dominum noſtrum *imperatorem noſtros quantocius deſtinabimus* oratores, imperatoriam attentis mentibus rogaturi majeſtatem, ut eumdem SS. D. N. papam diligentius obſecret, ac filiali inſtantia admoneat ea confeſtim efficere, quæ ad ſacri *confirmationem* Baſileenſis concilii, & eorum proſequutionem propter quæ congregatum exiſtit, pertinere videntur, & ſuæ ſanctitati incumbunt agenda, noſtris etiam laboribus, & per noſtros fideles, Deo auctore, modos omnes quos cognoverimus opportunos fidis animis agemus, ut omni extincta diſcordia cœtus veſter circa exſtirpationem hæreſum, reformationem morum ac procurationem pacis gratia ſpiritus ſancti ſalutariter verſare poterat. Non modicum enim pro ſperata noviſſima ad dominum noſtrum ſanctiſſimum Romanum pontificem noſtra deſtinata legatio, ſpem mentibus noſtris affert, ſereniratem poſſe obtinere concordiæ, ſi votis noſtris ſancta congregatio veſtra aſſenſum præbuerit. Hæc cordis noſtri deſideria oratores aliquorum ex *nobis præſentium exhibitores diſtinctiori relatione* explicabunt. Quibus plenam credentiæ in præmiſſis fidem adhibere, ac ea nobis quæ ſuper his preces noſtræ obtinuerunt, grata reſponſione remittere dignentur reverendiſſimæ reverendæque paternitates veſtræ, quas pius & miſericors Deus *pro ſalute* populi feliciter dirigat & conſervet. Datum Francofordiæ ſeptima die menſis Septembris MCCCCXXXIII.

CONRADUS Moguntinenſis.
THEODERICUS Colonienſis archiepiſcopi.
LUDOVICUS comes Palatinus Rheni, &c. & Bavariæ dux.
FREDERICUS dux Saxoniæ & marchio Miſnenſis.
Et FREDERICUS marchio Brandeburgenſis & Burgravius Nurembergenſis omnes ſacri *imperii electores.*

(a) Johanne *de la Roebetaillée*, facto poſtea archiepiſcopo Rothomagenſi, *Biſuntino*, & cardinali.
(b) Percevallo *de la Baume* a Felice V. poſtea patriarcha Gradenſi.

EPISTOLA CREDENTIALIS ducis Sabaudiæ ad concilium Baſileenſe.

REverendiſſimis reverendiſque in Chriſto patribus ac ceteris venerabilibus ſacro-ſanctum Baſileenſe *concilium celebrantibus* amicis meis præſtantiſſimis. Anno 1433. 24. Septemb. *Ex mſ. Aquenſi.*

Reverendiſſimi reverendique patres, & ceteri venerabiles amici præſtantiſſimi, debita recommendatione præmiſſa. Ad veſtram reverendiſſimam communitatem deputo dilectos fideles conſiliarios & oratores meos, ſpectabiles, egregios & circumſpectos dominos Johannem de Seybeſto, dominum Bariacti conſanguineum, Guillermum de Menthone, Bonifacium de Saxo milites, Ludovicum Letardi in theologia magiſtrum, & Nicodum Feſti, quibus una cum reverendiſſimis in Chriſto patribus (a) Gebennenſi & (b) Bellicenſi epiſcopis (c) S. Eugendi, Abundantiæ & de Six abbatibus ceteriſque oratoribus meis, penes vos jam degentibus, nonnulla commiſi reverentiis veſtris mei parte credentialiter *proponenda*; *relatibus quorum firmiter tamquam* mihi credere dignemini. Altiſſimus in cujus nomine & opere congregati eſtis, vos dirigat & conſervet feliciter & votive. Scriptum Thononii die XXIV. Septembris MCCCCXXXIII.

[a] [b] [c]

Dux Sabaudiæ.
FABRI.

(c) Abbatia S. Eugendi vulgo *S. Claude* ordinis S. Benedicti in Monte-Jura diœceſis Lugdunenſis, Abundantia olim ordinis S Auguſtini, nunc Fulienſis Congregationis, Six abbatia ordinis etiam S. Auguſtini, utraque in diœceſi Gebennenſi.

BULLA ADHÆSIONIS DOMINI noſtri papæ lecta in deputationibus die Mercurii XIV. *Octobris* MCCCCXXXIII.

EUGENIUS, &c. ad futuram rei memoriam dudum ſacrum, &c. *Extat conc. tom.* 12. *pag.* 945.

BULLA

A

BULLA FACULTATIS præſidendi in concilio datæ ambaſſiatoribus.

EUGENIUS & venerabilibus fratribus Bartholomæo epiſcopo, &c. *Extat ibid pag.* 946.

EPISTOLA SIGISMUNDI imperatoris ad concilium Baſileenſe.

Quid egerit cum Venetis & cum papa pro retinendo in concilio cardinali Bononienſi.

Anno 1433. 16. Sept. Ex mſ. Aquiſcinct.

B REverendiſſimis reverendiſque in Chriſto patribus, &c. Dum pridie hanc civitatem Mantuæ feliciter intraremus, occurrit nobis veſter nuncius, afferens bullam, in qua V. P. nobis lamentationem faciunt de communi Venetorum, quod reverendiſſimum cardinalem Bononienſem requiſivit ſub certis pœnis, ut a concilio ſacro recedere debeat. Supplicaſtiſque nobis, ut talia apud ſummum pontificem, cujus inſtigatione hæc fieri creditis, apud dictum commune intercipere dignaremur, quemadmodum ſeries dictæ bullæ veſtræ hæc omnia in C ſe clarius continet. quibus quidem R. P. diſplicenter auditis, mox oratores Venetorum, qui in notabili numero & apparatu modo nobiſcum ſunt, aviſatos fecimus, ipſiſque ſerioſe expreſſimus, ut ſuum dominum aviſare vellent de rebus hujuſmodi: quoniam illis non ſopitis, pernicioſa ſcandala poſſent ſuccedere, tradimuſque eis copiam bullæ P. V. cum qua mox & ſubito per eos Venetias miſſum eſt, cotidieque præſtolamur reſponſum. Et quicquid abinde nos ipſique habuerimus, V. P. illico tranſmittemus. Si- D militer facturi ſumus erga dominum ſummum pontificem, notificantes V. P. quod per Dei gratiam proſpere huc advenimus, & ſine ulteriori dilatione greſſus noſtros ad Baſileam maturabimus, ſperantes in domino quod ante expirationem termini per V. P. domino ſummo pontifici ad noſtras preces prolongati, de quo eiſdem P. V. ſummas grates referimus, ejus gratia largiente, vobiſcum conſtituemur, confidentes omnia felici & ſancto fine concludi. Rogamus ergo P. V. ut ſi aliquis, quemadmodum plerique mortalium proni ſunt ad zizaniam ſeminandam, fortaſſis conaretur V. P. aliquas novitates ſuggerere, illi aures minime præbeatis, ſed quiete noſtrum felicem adventum præſtolari velitis ad complacentiam nobis gratiſſimam. Datum Mantuæ die XXVI. menſis Septembris regnorum noſtrorum, anno Hungariæ, &c. XLVII. Romanorum XXIV. Bohemiæ XIV. imperii vero I.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum imperator ſemper auguſtus.

Vet. Script. & Mon. ampl. Collect. Tom. VIII.

LITTERA DOMINORUM epiſcoporum de Armenia, &c. miſſa ſacro concilio penultima Julii MCCCCXXXIV.

De unione facienda cum Armenis & eccleſia Romana.

SAcroſanctæ generali ſynodo Baſileenſi in Spiritu-ſancto legitime congregatæ univerſalem eccleſiam repræſentanti. Anno 1434. 30. Sept. Ex mſ. Aquiſcinct.

Reverendiſſimi reverendique patres domini, & amici præſtantiſſimi, ac venerabiles ſincere dilecti in ſacro concilio Baſileenſi ac ſynodo congregati, recommendatione devota ante lata. In lapide angulari JESU CHRISTO militantem & ſolidatam eccleſiam, domino noſtro auctore, virtute ſua omnipotenti nos & vos dirigat, & qui pium opus incœpit perficiat, cum ipſe Dominus in evangelio dicat *ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ego in medio eorum ſum.* Inſpiciant ergo veſtræ paternitates, quod nos JOHANNES epiſcopus deſtinatus per dominum noſtrum patriarcham totius eccleſiæ Armeniæ ad partes Conſtantinopolitanas, pariter & epiſcopus ISAIAS civitatis præfatæ pro eccleſia Armeniorum, habuimus conferre ſuper facto unionis, pacis, ac concordiæ totius eccleſiæ ſanctæ Dei, Latinæ, Orientalis, & præſertim Græciæ & noſtræ, cum ambaſſiatoribus veſtris deſtinatis, pro hac ſancta concluſione ad dominum noſtrum imperatorem Romanorum, principaliter & præcipue ut ſuos ambaſſiatores illuc tranſmittat, & nos ipſi hoc idem requiſiti pro parte veſtri concilii faciamus, & indeſinenter mittamus ad illam ſacroſanctam ſynodum: verum quia in primis tribus conciliis antiquis Nicæno, Epheſino & Conſtantinopolitano reſponſio fuit data in determinatione præmiſſorum conciliorum perſiſtere; nunc autem habemus patriarcham noſtrum, multoſque prælatos & doctores fixos ſecundum dogma eccleſiæ noſtræ Armeniæ, & quaſi uſque ad mortem, ob quam cauſam ad præſens difficile eſt nobis ad plenum reſpondere, nam circa hanc rem meliori judicio ac conſilio veſtri ambaſſiatores pro parte veſtra ample & abunde, immo prudenter & complete E ſcripſerunt per me Johannem antedictum patriarchæ noſtro, & quicquid facturus ſit pro concluſione hac ſancta in litteris mihi aſſignatis ſibique deferendis continetur de verbo ad verbum, & niſi forent itinera prava, via prolixa, diſcrimina guerrarum & pericula magna, veſtri ambaſſiatores polliciti ſunt perſonaliter illuc ſe transferre. Ideo pro meliori elegimus ſcribere, & cum minori periculo ſperamus inde ipſe patriarcha noſter cum ſuo clero & cum ſuis prælatis, habita matura deliberatione, dare bonam &

plenam reſponſionem, & prout Altiſſimus A inſpirabit, fiet. Nihilominus ſcitote quod gens noſtrorum Armeniorum dogma approbatum per papam SILVESTRUM & GREGORIUM magnum Armeniæ epiſcopum, necnon per ſereniſſimos & clementiſſimos imperatores, Conſtantinum & Tirtacum, ſic dictum, tunc temporis imperatorem prædictæ magnæ Armeniæ, tenet firmum & ratum habet. Porro tunc temporis editum fuit per eccleſiam Romanam, quod nos celebraremus in pane Azymo meroque vino, & in teſtimonium hujus ad pepetuam rei memoriam de vino ipſo mero celebrationis poſito in atramento (a) [a] dictum dogma ſcriptum fuit, aſſerens quod deinceps Latini & Armeni & omnes Chriſtiani erunt fratres in CHRISTO JESU. De hoc quidem veritatem habemus in chronicis antiquis tempore SS. papæ Silveſtri, qualiter & quomodo de his verbis & ſermonibus ſit. Tamen quicquid patriarcha cum ſuis prælatis & ſapientibus faciet & determinabit de materia hac, tenebimus & habebimus ratum firmum & indubitatum. Nobis multum extitit difficile in unum fore congregati, cum C gens noſtra fere tota ſit diſperſa in diverſas partes barbarorum, Tartarorum, Turcorum & infidelium, & quod pejus eſt, facta ſubdita & tributaria: ita quod propter prædicta non habemus facultatem pro expenſis fiendis, quod dolendum eſt. Verum tamen ille qui eſt auctor cunctorum, & qui de nihilo aliquid poteſt, & per ipſum omnia facta ſunt & fiunt, illud quod nobis videtur impoſſibile fieri, fiat poſſibile. Amen. Datum, &c. die ultima menſis Septembris M CCCC XXXIII.

Veſtri filii dilecti ISAIAS & JOHANNES D epiſcopi eccleſiæ Armeniæ, &c.

dis, rebus propriis non parcentes, pro viribus ſuas operas, uti tenentur, impendere valeant; diligenti conſultatione habita, in unam tandem firmati concluſionem, nos ſuos exiguos ſervitores ſimul cum aliis principum & dominorum parte hac eiſdem adhærere volentium ambaſſiatoribus requeſtam præſentem huic ſacro concilio explicandam mandaverunt. Proinde nos attendentes, quod concordia inter prædictum dominum noſtrum ſummum pontificem & hoc præſens concilium, in tantum toti mundo extitit deſiderabilis, ut pro ea adipiſcenda nulla rationabilis requeſta fienda cuicumque viventi B *diſplicenda putanda ſit; etiam quod* ſereniſſimus invictiſſimuſque princeps & dominus, dominus imperator pro eadem concordia obtinenda, aliique quam plures illuſtriſſimi principes innumeros labores aſſumſerunt, & a quibus præfati noſtri principes & domini noſtri metuendiſſimi expertes eſſe non vellent, cum omni reverentia, humilitate, devotione, & affectione eorumdem dominorum parte deprecamur, exoramus & ſupplicamus, ut pro vitandis tantis periculis & ſcandalis, hoc ſacrum concilium dignetur continuare & prorogare abſque innovatione quacumque, decretum ſuper ſuſpenſione ab adminiſtratione papali contra dictum dominum noſtrum ſummum pontificem factum, uſque ad tres menſes, inchoantes a die reſponſionis nobis aſſignandæ, *infra quos noſtri prædicti principes & domini* ſuos oratores ad ſanctitatem ejuſdem domini noſtri tranſmittere voluntarie offerunt, ad ſupplicandum, exhortandum, inducendum & requirendum ſua parte ejuſdem domini noſtri ſanctitatem, ut abſolute & de plano huic ſacro concilio adhærere dignetur. Verum ſi eadem ſua ſanctitas, quod Deus avertat, tam devote petitis intendere contemſerit, dicti noſtri principes generale eccleſiæ bonum tantis acturis & diſcriminibus exponi ægre ferentes, hujuſque ſacræ ſynodi reverendiſſimorum reverendorumque in Chriſto patrum & aliorum dominorum periculis, laboribus, & expenſis compatientes, ad fidei orthodoxæ eccleſiæque univerſalis bonum, debitum ſuum ſic peragere ſtudebunt, quod merito præſens ſacrum concilium debuerit contentari.

PETITIO OBLATA per dominos ambaſſiatores illuſtriſſimorum dominorum ducum Burgundiæ & Sabaudiæ lecta in congregatione generali die Veneris ſecunda menſis Octobris.

Anno 1433. 2. Octobris. *Ex mſ. Aquicinctenſi*

ILluſtriſſimi principes & domini noſtri metuendiſſimi, domini duces Burgundiæ & Sabaudiæ, eccleſiæ ſanctæ & hujus ſacri concilii Baſileenſis devotiſſimi, quaſdam differentias inter dominum noſtrum ſummum pontificem EUGENIUM & hanc ſacram ſynodum Baſileenſem exortas eſſe dolenter comperientes, quæ ſi in longum protraherentur, in magnum totius populi Chriſtiani diſcrimen & ſcandalum devolvi poſſent, fidei orthodoxæ, eccleſiæ atque hujus concilii res & facta filiali affectu devotiſſime accurantes, ut tantis periculis emerſuris auferen- E

(a) Vide quæ de ſubſcriptionibus cum calamo ſacro calici intincto olim factis diximus in lib. 1. de antiquis eccleſiæ Ritibus cap. 5. art. 4. num. 5.

[a]

DISPUTATIO (a) FACTA

Inter dominos cardinalem S. Angeli præſidentem concilii Baſileenſis, & archiepiſcopum Spaletenſem oratorem domini EUGENII *papæ IV.*

Anno 1433. 16. Octobr. Et dubitat aſſ. una Anquiſitenſis, altera veſti collegii Navarr.

IN nomine Domini. Amen. Anno a nativitate ejuſdem MCCCCXXXIII. die veneris XVI. Octobris, dominis cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis & aliis ceteris per ſacrum concilium Baſileenſe deputatis, & exiſtentibus ibidem ambaſſiatoribus domini noſtri papæ, aliorumque regum & principum, in præſentia invictiſſimi SIGISMUNDI Romanorum imperatoris ſemper auguſti, & aliis pluribus in multitudine copioſa, reverendiſſimus in Chriſto pater dominus JULIANUS S. Angeli cardinalis diaconus in Germania legatus, & ſacri concilii præſidens, habita prius quadam brevi collatione, per quam in effectu, poſtquam ſe excuſabat, ſi quid minus bene diceret, & quæcumque per eum dicenda, omnium correctione & emendationi ſubjiciebat, exorſus eſt dicendo, quod licet tantæ auctoritatis ſint decreta conciliorum, quod cuilibet Chriſtiano debeant pro ratione ſufficere; tamen quia juxta B. Petri doctrinam, parati eſſe debemus omni poſcenti reddere rationem de ea quæ in nobis eſt fide, juſtitia & veritas, pro quibus hoc ſacrum concilium inſtat, luce meridiana clarius toti orbi conſtaret; ipſe vellet ex multis clariora quædam dicere, ut obloquentibus contra concilium non eſſet detrahendi locus; adjiciens, quod licet concilium a principio ſui paſſum fuerit continue multas impugnationes & anguſtias, nec tamen adhuc patres minus confidebant juſtitiam concilii prævalere debere, cum, ſicut a principio eccleſiæ, patribus qui pro ipſa decertabant, contigerat, Chriſto præmonente: *Si me perſecuti fuerint, & vos perſequentur*; & Apoſtolo: *Qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur.* Sed cum propheta ſperabant dicente: *Multæ tribulationes juſtorum, & de omnibus his liberavit eos Dominus.* Et ſubjunxit poſt hæc, quod cauſa quæ in præſenti agitur, non eſt inter papam & patres de concilio ſingulares, pro intereſſe ſuo aut commodo privato, ſed inter ſanctam matrem eccleſiam & ipſum papam, ſuper honore & auctoritate ipſius eccleſiæ, videlicet pro obſervandis & exſequendis decretis ſacrorum conciliorum, permaxime ſacratiſſimi concilii Conſtantienſis, exorans omnes ibi exiſtentes, viriliter decertare pro his paternis legibus obſervandis, & ne ullo pacto paterentur leges ipſius infringi. Et demum his per ſe præmiſſis, propoſuit quæſtionem in terminis qui ſequuntur.

Quæſtio eſt, an ſummus pontifex potuerit facere diſſolutionem. Sacrum concilium dicit papam non potuiſſe diſſolvere concilium ſine conſenſu concilii. Papa vero dicit contrarium.

Quæritur quid juris.

1. Et incipiens dominus legatus allegare pro parte concilii, legit decretum tertiæ ſeſſionis concilii Conſtantienſis, quod dicit primo, Quod quodlibet concilium legitime congregatum repræſentat eccleſiam univerſalem militantem. 2. Quod habet poteſtatem immediate a Chriſto. 3. Quod ſacro concilio & decretis ejus quilibet, etiamſi papalis dignitatis exiſtat, obedire tenetur in tribus: ſcilicet in his quæ pertinent ad exſtirpationem hæreſum, morum reformationem in capite & in membris, & pacem in populo Chriſtiano ponendam. Ad idem legit aliud decretum Conſtantienſis ejuſdem ſeſſionis, quo cavetur, Quod quicumque, etiamſi papalis auctoritatis exiſtat, obedire decretis ipſius concilii & alterius generalis concilii recuſaverit in præmiſſis & pertinentibus ad ea, puniri poteſt, & condignæ pœnitentiæ ſubjici. ex quo videtur evidenter ex iſto textu, quod papa eſt inferior concilio, quod repræſentat militantem eccleſiam, quia ipſe eſt pars, concilium vero totum.

2. Item, concilium poteſt papæ legem indicere & mandare: ergo papa eſt inferior, quia inferior numquam punit ſuperiorem, aut ſibi præcipit. Credo, ſereniſſime princeps, quod tenetis illa concilii Conſtantienſis decreta ſanctiſſima. Gregorius quoque venerabatur quatuor concilia prima, ſicut quatuor evangelia, ratione motus, quia facta ſunt ab univerſali eccleſia & a Spiritu ſancto; quæ ratio habet locum in aliis conciliis. Idem Auguſtinus, qui dicit, quod eccleſia conſtringitur evangeliis & communi omnium traditione. Sicut ergo illa tenetis, ita reputetis iſta decreta firma ſicut evangelia.

3. Item, ſancti doctores, maxime Hieronymus, venerati ſunt permaxime concilia generalia, & dixit ipſe alias diſputans contra Luciferianum hæreticum, præter multas rationes & argumenta, Poteram omnia tua argumenta hoc uno ſole ſiccare, loquens de auctoritate concilii, quod determinaverat contrarium ejus quod ille hæreticus tenebat.

4. Item, per leges civiles pœna imponitur dicentibus contra decreta concilii, aut ea revolvere volentibus. l. 3. c. *de ſacroſan.* &c. In concilio quoque Chalcedonenſi, habendo mentionem de concilio Nicæno, dicitur: Qui hujuſmodi retrectat, gratiam Spiritus-ſancti caſſat. deinde ſubjicitur: Quando celebratur, qui habet dicere, dicat. nam poſt

(a) In codice Navarræ hæc ita legitur inſcriptio: *Diſputatio habita per dominum legatum cum ambaxiatoribus papæ ſuper diſſolutione, an valuerit, &c. reportata per magiſtrum Stephanum de Novaria* MCCCCXXXIII. *die decima ſexta menſis Octobri.*

ſtatuta publicata, ſi quis contradicit, pellatur de civitate, & fuit N. imperator. Item, laïcus dicit: Nullo modo debetis de ſynodi decretis diſputare, quia non licet nobis, & ex his videmini habere fundamenta pro concilio. Reſtat modo videre de controverſia, ſcilicet an papa potuerit diſſolvere. Et reſpondetur quod non potuit, ſed quod tenetur diſſolutionem revocare, & auferre injuriam, quam ſanctæ matri eccleſiæ fecerat diſſolvendo hoc concilium, quod ad tria bona maxima & neceſſaria erat congregatum, ſcilicet ad exſtirpationem hæreſum, reformationem morum *in capite & in membris*, & ad pacem procurandam in populo Chriſtiano.

5. Et quod non potuerit diſſolvere papa probatur, primo ex decreto ex quo habetis expreſſe quod non, quia inferior non poteſt tollere legem ſuperioris, ſed concilium eſt ſuperius, ut dixi: ergo, &c. Secundo, ſaperet contradictionem, quia concilium dicit quod papa *tenetur obedire*. ergo non poteſt diſſolvere contra voluntatem concilii, & ſic non obedire eſt contrarium decretis concilii, quæ volunt quod teneatur obedire. nam quomodo deberet concilium præcipere aliquid papæ, aut præciperet, ſi papa id poteſt deſtruere aut diſſolvere? aut quomodo obediret concilio, ſi deſtruat ipſum? Tertio, jura volunt, quod in his quæ pertinent ad univerſalem ſtatum eccleſiæ, papa nihil poteſt immutare, & habetur 21. q. 1. *Convenit*. Sed celebratio generalium conciliorum concernit ſtatum eccleſiæ univerſalis, ut patet in procœmio c. *Frequens*. Igitur papa circa primum, nedum potuit diſſolvere, ſed nec aliquid immutare. Item, ante concilium Conſtantienſe, ſi agebatur de hæreſi, papa non poterat diſſolvere, & erat ſubjectus concilio, *ut in c. Si papa* 40. d. Sacrum concilium Conſtantienſe præterea æquiparavit alios tres caſus. Igitur non poteſt in aliis, ſicut nec in cauſa hæreſis, cum de ſimilibus idem debeat eſſe judicium. Item, per concilium Conſtantienſe fuit actu declaratum, quod papa non poſſet diſſolvere concilium, quando declaravit concilium, quod ſi quid fieret per Johannem poſt ejus diſceſſum, nihil valeret. Item, concilium Conſtantienſe declaravit diſceſſum Johannis ſcandaloſum & turbativum univerſalis ſtatus eccleſiæ, & tamen per talem fugam non diſſolvebatur concilium Conſtantienſe, multo magis iſta expreſſa diſſolutio turbativa eſt & ſcandaloſa. Item, concilium Conſtantienſe voluit concilia fieri ad reformationem eccleſiæ in capite & in membris. Si papa poteſt diſſolvere, quod veriſimile faceret, ſi ſentiret aliquid fieri contra eum, fruſtraretur omnis effectus illorum patrum & conciliorum. Item, ex mente arguentis prohibetur ibi prorogatio & loci mutatio: ergo multo magis diſſolutio, quia prorogatio non tollit, ſed differt, *juxta illud*: quod differtur non aufertur. Diſſolutio vero totum annihilat.

6. Item, ex alio articulo probatur, quia dicit decretum concilii Conſtantienſis, quod antequam diſſolvatur concilium, eligatur locus pro futuro concilio, conſentiente & approbante concilio. Ergo debebat concilium Baſileenſe conſentire & approbare loci electionem. Item, cum jam Bohemi *fuiſſent* vocati ad declarationem Catholicæ veritatis, ſi concilium ante adventum eorum receſſiſſet, ipſi dicerent & dixiſſent, ut populus etiam merito æſtimare potuiſſet, quod quia non credebant ſe reſiſtere poſſe ipſorum argumentis, ideo patres de concilio fugiebant. Et crederetur, quod illi veritatem tenerent, quod manifeſte fuiſſet in ſcandalum, damnum & oppreſſionem fidei. Item, *cum* hic eſſet congregatum, decebatne ſummum pontificem ſaltem ex honeſtate diſſolvere ſine conſenſu concilii, & ex falſis cauſis, ut conſtat omnibus evidentiſſime, præſertim ubi dicit regnum Bohemiæ finitimum huic civitati, quod nedum eſt finitimum, immo ad dietas ſaltem xv. remotiſſimum. Item, quod civitates finitimæ erunt infectæ hæreſi Bohemica, quod non eſt ita, immo * *expertes* ſunt, quia ſunt gentes earum magnæ devotionis. Item, dicit quod vocavimus Bohemos, & quod illud non erat faciendum * ullo modo. Sed ſi quis legat jus naturale, canonicum & theologum; inveniet, concordantibus omnibus doctoribus, poſſe diſputari cum hæreticis ſaltim duplici reſpectu, 1. ad confundendum eos, 2. pro eorum reductione. Et ſi *quis bene legerit geſta* conciliorum, inveniet, quod hoc fuit practicatum in duodecim conciliis. Et quia dicitur per nonnullos, quod non eſt ſcandalum natum ex diſſolutione; certe magnum ſubortum eſt, & adhuc quotidie per eam turbamur; quotidie ſunt ſcandala, quotidie diſſentiones. Nonne fuit ſcandalizata veſtra majeſtas, quæ ſtatim audita diſſolutione, ſcripſit concilio, quod mallet ſepeliri *vivus*, quam quod pateretur diſſolvi? Nonne ſcandalizati ſunt alii reges & principes, qui miſerunt ambaſſiatores ad papam, ut tolleret diſſolutionem, reputantes eam magnum in eccleſia Dei ſcandalum peperiſſe? Si non fuiſſet diſſolutio, jam facta eſſet reformatio. Sed reſpondeant mihi ad diſceſſum Johannis XXIII. quia ille non fuit expreſſa diſſolutio, & tamen fuit declaratus ſcandaloſus. Ergo iſta expreſſa diſſolutio multo magis, ut ſupra dixi, ſcandaloſa fuit. Multa alia poſſent adduci pro iſta parte, ſereniſſime princeps, quæ ideo prætereo, quia nollem majeſtatem veſtram tædio afficere. Et quia jam ſacri concilii juſtitiam videtis, modo reſtat ut veniam ad bullas nunc præſentatas, & eas non ſatisfacere votis noſtris oſtendam.

* *al.* Egerto pertas ſam.

* *al.* patiendum.

7. Prima bulla dat poteſtatem oratoribus papæ, quod ſi & in quantum ſacrum concilium revocet, quæ fecit contra papam, &c. illi e contra revocare poſſint quæ papa fecit contra concilium. & præſupponit papa, quod ſit quæſtio de privatis commodis inter concilium & ipſum, quod non eſt verum; quia quæſtio eſt inter eccleſiam & ipſum. Voluit enim eccleſia ſua jura tueri, nam non poteſt fieri univerſalis reformatio, niſi in concilio: ſi quando congregatum diſſolvitur, quando fiet? certe numquam. Vult igitur procedere* ut fieri poſſit. Et dicite, precor, poſt concilium Conſtantienſe, quid fecit concilium Senenſe? quid iſtud? certe nihil adhuc propter diſſolutionem. Si in viridi & in decretis ita novis exiſtentibus, prout ſunt, papa hoc facit, quid faciet hinc ad centum annos, ſi concilium cederet & papa obtineret? nihil aliud dicere poſſemus, niſi quod actum eſſet de Chriſtiana religione, & principes qui nunc favent papæ, eſſent cauſa quod papæ eſſent in futuro peſſimi, & nullus eſſet qui auderet eis dicere quicquam.

* al. provideret.

8. Vult ergo concilium omnibus his malis occurrere, quantum poteſt. Præſupponit & dicit, nos attentaſſe multa contra ſedem apoſtolicam & ſeipſum. Abſit hoc a nobis, ut aliquid contra ſedem apoſtolicam attentemus, immo illius auctoritatem vellemus augere; & ſi bene videantur decreta noſtra, invenietur, quod omnia faciunt pro ſede apoſtolica, & etiam pro ipſo domino EUGENIO, ſi bene vellet vivere, & ſalutem animæ ſuæ deſideraret. Citavimus eum bis, obaudivit? Serenitas veſtra miſit primo ad eum plures, poſtea perſonaliter inſtetit apud eum, ut diſſolutionem revocaret; principes etiam alii miſerunt omnes, obaudivit? Sed libenter audirem quæ ſunt attentata contra ſedem apoſtolicam vel libertatem eccleſiæ. Certe nihil factum eſt, quod fieri non potuerit & debuerit. Primo videamus. miſimus a principio oratores noſtros ad eum ſupplicandum, ut revocaret diſſolutionem. Secundo, citavimus eum, ſicut ſancta concilia ſæpe ſummos pontifices citaverunt, nedum propter hæreſim, ſed propter deformitatem vitæ, ut de Johanne XII. propter fornicationis crimen, & quia ſcandalizabat eccleſiam, etiam potuimus. Tertio, eſt factum decretum monitorium ſuſpenſivum, de quo audivi ab homine fide digno, quod papa illud nominat tonitruum, & bene poteſt ſic nominari, quia tonitruum deſcendit de cœlo, & ſic hoc eſſet tonitruum quondam cœlitus & a Spiritu-ſancto indubie inſpiratum. Ipſe dicit quod ita facere, vel dicere, quod concilium poſſit ſuſpendere papam, eſt hæreticum & prophanum. Et ſic hæreticat nos. Si hoc verum eſt, ergo Concilium Conſtantienſe, quod ſuſpendit Johannem priuſquam eum deponeret, eſt hæreticum. Ergo alia concilia quæ idem fecerunt, eſſent hæretica. Sed cum concilium Conſtantienſe & bulla Martini dicat, quod ſi quis diceret concilium non poſſe facere omnia in his quæ pertinent ad reformationem in capite & in membris, & in aliis caſibus expreſſis in decreto, eſſet hæreticus. Ergo de ipſo quid dicendum ſit, qui aliud affirmat, vos videtis. Inviti venimus ad hanc monitionem. ſed neceſſitas eccleſiæ & iſtius pertinacia ita facere nos compulit. Patet igitur, quod in his nihil eſt injuſtum, aut contra ſedem apoſtolicam, vel ipſum dominum EUGENIUM, ſi ipſe debitum ſuum facere vult.

9. Eſt aliud decretum, quod electio papæ fieret in hoc loco, ſi contingeret, durante concilio, ſedem apoſtolicam vacare. Hoc decretum juſtiſſimum eſt, & ex cauſa legitime factum. Hoc enim ideo fecit concilium, quia vellet eccleſia, ſi vacaret ſedes, providere de bono paſtore & bono modo eligendi. Iſtud autem in nullo alio loco melius fieri poterat, quam in concilio.

10. Item, fuit alia ratio. Sacrum concilium vocaverat omnes cardinales, ex quibus jam plures venerunt, ut videtis, & alii venient. Ad eos autem pertinet ſummi pontificis electio ex jure. Non ergo videbatur æquum, ut apud unum qui nollet venire, ſed malignari, ceteris obedientibus, remaneret electio.

11. Eſt tertium decretum, quod papa non faceret cardinales. Dicunt aliqui, concilium non potuiſſe facere tale decretum; ſed legant decreta concilii Conſtantienſis, & videbunt illud idem ſtatuiſſe, ne Johannes XXIII. poſt diſceſſum faceret cardinales. Et ſi illud factum fuerit propter diſceſſum, multo magis hoc fieri potuit hîc propter diſſolutionem.

12. Item, eſt magnum intereſſe eccleſiæ, quod ſit bonum caput & boni conſiliarii, qui ſunt cardinales, qui regant eccleſiam. Conveniens igitur eſt, quod ſint de omnibus mundi partibus & viri electiſſimi. & cum ſacrum concilium vellet circa aſſumtionem & numerum cardinalium modum apponere, fuit hujuſmodi decretum convenientiſſimum.

13. Item, ex fide dignis perſonis habebatur, quod multa promittebantur aliquibus, ſi operam darent, quod eorum principes non adhærerent, & ſunt hîc præſentes aliqui ex illis, quibus hujuſmodi promiſſiones factæ fuerunt. Ergo ita facere injuſtum non fuit, ut eccleſiæ utilitati provideretur.

14. Item, hæc prohibitio temporalis eſt, & ſi debitum ſuum feciſſet, omnimodam habuiſſet poteſtatem.

15. Item, conqueruntur conſequenter de commiſſione regiminis civitatis Avenionenſis, facta reverendiſſimo domino meo S. Euſtachii. Sed in hoc nullam habent juſtam cauſam querelæ. Nam cum ille qui civitatem

illam regebat, esset inimicus concilii, & impediret volentes venire ad concilium, necesse fuit, ut opportune provideretur. Item, concilium non commisit uni extraneo, sed uni ex nobilissimis membris ecclesiæ, & non sine causa, sed instantibus oratoribus civitatis Avenionensis, qui de ipso provideri rogabant. Item, non fuit hujusmodi commissio perpetua, sed temporalis, donec providisset aliter concilium cum papa. Item, conquerebantur cives quod non servabantur eorum consuetudines & privilegia, quia tria officia, quæ solebant dari tribus præstantissimis viris, & ex necessitate dari debebant, quia ab uno appellatur ad alium, videlicet episcopatus, vicariatus civitatis, & rectoratus comitatus* Venesini, erant data uni soli, & sic unus & idem erat episcopus, gubernator sive legatus civitatis & rector comitatus. Et sic ipse idem erat judex a quo, & judex ad quem; & ex his asserebant se plurimum de scandalis & guerris in patria dubitare, ultra eas turbationes quæ prius fuerant, & adhuc durabant, quibus legatus papæ non erat satis aptus obviare. Et quamquam super his apud summum pontificem querelam fecissent cives, non erat tamen usque ad hoc provisum, immo de provisione desperabant. Fuit ergo necesse ut concilium provideret. Et quia nonnulli asserunt concilium hoc facere non potuisse; respondeant mihi, si papa, qui tamquam caput ministeriale habet ab ecclesia administrationem, *hoc facere potest*, cur non & ecclesia ipsa? Nam & doctores nostri tradentes exemplum de rege, qui de regno suo discedens, dimisit sponsam in regno, & administratorem unum, cui omnem potestatem gubernandi & administrandi tradidit; dicunt quod si ille voluerit quicquam facere in dedecus & verecundiam sponsæ, quod potest sponsa sibi resistere. Sic & in casu nostro dicendum est, universali ecclesiæ congregatæ licuisse committere talem administrationem, cum videret administratorem per papam deputatum, in dedecus & detrimentum ecclesiæ laborare, & totis viribus inniti, quomodo ipsam ecclesiam, per hoc sacrum concilium repræsentatam, destrueret & annihilaret. Ex quo etiam aliud infertur, videlicet quod decretum hujusmodi sacri concilii, per quod declaratum fuit, *papam non potuisse dissolvere*, valuit & licite fieri potuit. Et si hæc & similia diceremus ecclesiam facere non posse, certe sequeretur Christum minus sufficienter providisse ecclesiæ suæ sanctæ, quod nullatenus est dicendum.

* *al.* vicecomitatus.

16. Conqueruntur de causis consequenter, sed nonne in concilio Constantiensi fuerunt dati quatuor judices, qui de causis cognoscerent? Nonne concilia provincialia & generalia de causis cognoscunt? Certe sic. *Et si quis legerit Isidorum & alios libros conciliorum, inveniet concilia de causis cognovisse.* Item, hoc factum est ex necessitate, quia papa omnes qui erant in concilio persequebatur, neque quisquam erat, qui speraret *justitiam posse consequi in curia Romana*, etiamsi jus optimum haberet; * videmusque experientiam in magistro Johanne *de Polemar* sacri palatii apostolici causarum auditoris, qui modo est in Bohemia pro concilio. Nam cum proposita esset causa contra eum in Romana curia in consistorio, papa dixit expresse contra eum, dicens quod dictus magister Johannes erat contra eum cum aliis de concilio. Item, hoc pertinet ad unum de articulis, propter quod congregatum est concilium, scilicet pacificationem, cum per diffinitionem causarum habeatur pax litibus peremtis.

* *al.* videmus.

17. Conqueruntur de administratione generalatus Humiliatorum, pro qua satis est allegare, quod fecimus id quod etiam similiter fecit concilium Constantiense, quod *suo tempore commisit cuidam administrationem* ecclesiæ Olomucensis, & administrationem ecclesiæ Ariminensis ipsi domino Eugenio tunc cardinali & * domino Bononiensi. Sed & hoc ratio nobis suasit; nam videbamus imminere periculum, ne forte alius suspectus illustri principi domino duci Mediolanensi poneretur ad illud officium: quia non ignorabamus papam inimicari ipsi domino duci, ex quo cum generalis ille semper solitus sit stare Mediolani, quia major pars conventuum illius ordinis est in dominio dicti domini Mediolanensis, verisimiliter dubitabamus, ne quid deterius ordini deveniret. Item, licet ecclesia non soleat se de rebus minimis intromittere, sicut ista est: potest tamen, si vult, & hoc ita facere hic persuasit hujus ordinis utilitas, ne forte si domino duci suspectus datus fuisset, reclamasset ipse, sicut potest secundum traditionem doctorum, maxime Innocentii in c. *Super his*, de accusa. Et bene scit majestas vestra, quod quando erat in Constantia, si qui voluissent poni in regno vestro, qui erant vobis suspecti, reclamabatis. Sicut ergo majestas vestra, licet rebus maximis præpedita, non solet se de minimis intromittere, potest tamen si vult; ita & in ecclesia dicendum est. Item, si ecclesia potest statuere leges super *omnibus beneficiis conferendis, multo magis* potest de una ecclesia providere. Item, providit non perpetuo, sed usque ad beneplacitum concilii, & sine præjudicio alicujus. Item, providit archiepiscopo probissimo viro, nullas alias obventiones ecclesiasticas habenti; neque providit homini ingrato ipsi ordini, sed postulato a majori parte ordinis, videlicet a præpositis quinquaginta conventuum. Non ergo temere hujus administratio illi commissa est, sed justis & rationabilibus causis subsistentibus. De alia collatione

* *al.* & reverendissimo domino ms

beneficiorum per concilium facta, nescio, nisi de certo beneficio pro quodam doctore in theologia magnæ commendationis, qui jam bis iverat in Bohemiam in ambaxiata pro concilio, & nunc ibi est, & adhuc illud beneficium erat litigiosum, ut sic lis terminaretur, nec daretur eis novus adversarius.

18. Conqueritur postremo de officio vice-cancellariatus. Nos non dedimus alicui illud officium, sed executionem bullarum ipsius papæ fecimus & commisimus. Concedit enim papa per bullas suas reverendissimo domino meo Rothomagensi, ut officium vice-cancellariatus in curia Romana & extra exercere possit: nos ut illud huc exerceat, secundum bullas suas patimur, & sic papæ & ejus bullis deferimus. Non deberet ergo nos de bono opere lapidare, & quia suis litteris paruimus increpare. Si fuisset competitor, utique egregie auditus fuisset; sed nemo fuit neque est, ex quo sumus magis laudandi, quam reprehendendi; & constat satis ex præmissis nihil factum esse per nos, quod sit reprehensibile, aut revocatione dignum, vel quod per nos fieri non potuerit.

19. Nunc venio ad secundam bullam, & considero circa eam, quod per decretum nostrum monitorium, quatuor fiunt domino nostro papæ mandata. Primo, ut prætensam dissolutionem revocaret; secundo, ut declararet hoc sacrum concilium a sui principio fuisse & esse legitime continuatum. Tertio, ut pure & simpliciter cum effectu eidem adhæreret; quarto, ut infra IX. dies prædicta omnia per suas bullas more curiæ Romanæ bullatas, huic sacro concilio intimaret. Pro examinatione hujus bullæ dati sunt deputati per sacras deputationes, & hi omnes simul convenientes, propter multas rationes concluserunt, quod non satisfaciat. Inter ceteras vero rationes illa evidentissima est, quia *non penitus revocat, ut decretum vult*, quia apponit infra conditionem, quam oportet prius impleri, & si illa esset justa, satisfaceret, sed illa est prorsus impossibilis & turpis, quia præsupponit, quod concilium fecit contra se * aliqua quæ non potuit facere, quorum primum supra deductum est non esse bene dictum. Alterum quam sit contra auctoritatem sacrorum* conciliorum unusquisque videt. *Non satisfacit secundo*, quia non declarat, ut petitur, sed novum inducit ex sua potestate. Aliud autem est declarare aliquid fuisse, aliud velle. Ipse autem vult, ut sit ad sui libitum, & loquitur per verba mere dispositiva, non declarativa. Item, loquitur per verba fictionis, sicut est in lege Cornelia, quæ fingit captum & reversum, numquam fuisse captum. Est autem magna differentia inter ista. Majestas vestra potest illegitimum facere legitimum. Papa vero potest matrimonium nullum fuisse & esse aliquod facere, sicut potest instantiam nullam, propter defectum litis contestatæ, vel alias facere, supplendo defectum scilicet aliquando. Item, qui declarat nihil inducit de novo l. *hæredes palam*, §. *sed si notam*, ff. de testa. Qui autem vult disponit ex sua voluntate, & si quis diceret illa verba *Volumus* & *contentamur*, intelligi posse, ut declararent; quia tamen verba sunt valde perplexa, multa mala exinde sequi possent. Item, si admitteremus hujusmodi suam bullam dispositionem ejus continentem, posset statim dissolvere: quia sicut voluit, ita potest nolle. Item, quia aliqui dicunt, quod debent capi verba in bonam partem, & non tantum verba quantum finceram illius mentem attendere, subjicientes quod mens sua pura est, & si quid deficit, iterum faciet. Possemus hoc amplecti ex benignitate, nisi de illius mente contraria evidenter appareret. Nonne dicit in bulla quam dirigit universis Christi fidelibus, & quæ certis principibus delata est: *Absit igitur a nobis, ut talem declarationem faciamus, & quod talia gesta comprobemus. Prius est enim, ut non solum pontificatum vel partem ejus, vel animam ipsam a nobis tollant, quam fidem catholicam a nobis auferant.* Creditis ergo vos reverendi & spectabiles principum oratores, quod ipse adhærebit, & revocabit dissolutionem? Certe non faciet in æternum, ut plurimum dubito. Facile erat dicere, *declaramus*, sicut dixit *Volumus*, & *contenti sumus*. Sed certe id non gerebat in animo; nec in hoc potest prætendi, si per inadvertentiam factum sit, ponendo unum verbum pro alio, quia in decreto ipso suspensionis continebantur verba per quæ debebat fieri. Item, ego miseram unam minutam de forma adhæsionis domino imperatori, quatenus papa juxta illam faceret; & ipse imperator ibi statim respondit, quod fuerat data papæ in manu sua, & tamen facere noluit.

20. Dicit post hoc quod sumus acephali & hæretici, & ceteri nobis adhærentes omnes. Ergo vestra serenitas, quæ semper adhæsit & adhæret, & quæ post prætensam dissolutionem scripsit nobis, ut nullo modo dissolveremur, fuit principalis; & omnes alii reges & principes Christiani, quorum nullus est qui ad hoc sacrum concilium non scripserit, aut miserit post dissolutionem, velut ad synodum legitime congregatam.

21. Ad tertium non satisfacit, quia nec pure nec simpliciter adhæret, neque etiam cum effectu. Pure quidem intelligitur quod non habet admixtam conditionem, neque modum. Non facit ergo pure, quia apponit conditionem: non cum effectu, quia effectus non concordat verbis. Putatisne dici posse eum adhærere in effectu, cum privaverit dominum S. Sixti omnibus beneficiis, & dominum de Cypro una abbatia, propterea quia adhærent concilio? Nullus diceret talem adhæsionem, etiamsi ad plenum satis-

* al. contra fidem apostolicam.

* al. canonum.

facceret, nisi verbalem, potissime si * attendi- A
tur bullam illam plenam hæresibus & erro-
ribus per eum ad universos Christi fideles
missam, quæ nullo pacto potest tolerari.

22. Ultra hæc præsupponit in bulla præ-
dicta, nos non potuisse facere multa, quæ
fecimus: quod si toleraretur, nimis esset
grave pro ecclesia Dei. Nam faceret dubitari
de conciliis præteritis & futuris: quia sicut
unum ruit aut aliqua ejus pars, ita & aliud.
Item, non vult aliquo modo includi in re-
formatione; & tamen prius dederat pote-
statem suis præsidentibus cum illis tribus,
propter quæ concilium est congregatum, in
quibus eum contineri nemo dubitat. Ex- B
presse enim in ista bulla dicit, quod proce-
datur ad reformationem morum, de capite
nullam faciens mentionem; immo plus,
quod si ipse vel legatus suus habent unam
opinionem, & concilium haberet aliam,
quod standum sit suæ opinioni, non conci-
lii. Quid ergo servit nobis Constantiense
concilium, cum providet concilium esse
supra papam in certis casibus.

23. Item, si ista bulla prætensæ dissolu-
tionis * esset plena, intelligitur revocata per C
aliam bullam postea factam, posteriorem in
data, in qua multa dicit hæretica, injuriosa
& piarum aurium offensiva. Et primo dicit
quod volumus scindere ecclesiam. Ecce re-
verentiam quam habet ad sacrum concili-
um. Item, dicit quod conatus est nos redu-
cere & a nostris erroribus revocare, & quod
facta hic sapiunt hæreses & schisma. Ecce
quid sentit de nobis & gestis nostris. Item,
quod concilium est inferius papa, & tamen
concilium Constantiense dicit contrarium:
ex quo innuit, quod illud concilium falsè &
male fecit deponendo JOHANNEM, cum ipse D
esset superior concilio. Deinde dicit quod
legitima fuit sua dissolutio, & quod dicen-
tes contra, sunt ab omni veritate & fide ca-
tholica alieni. Ergo sentit reges & principes
omnes, qui ad hoc sacrum concilium scrip-
serunt post dissolutionem, appellando hunc
sacrum cœtum, sacrosanctam generalem sy-
nodum Basileensem in Spiritu-sancto legiti-
me congregatam, & mittentes oratores ad
papam, ut hujusmodi dissolutionem revoca-
ret, inter quos majestas vestra prima fuit,
quæ litteris & nunciis & præsentia accuratam
operam dedit cum eo, fuisse hæreticos, quod E
tamen minime verum est. Item, dicit quod
monuisse & citasse papam sub pœna suspen-
sionis, sicut hoc sacrum concilium fecit, est
contra jura divina pariter & humana, & sapit
hæresim. Ergo concilium Constantiense quod
suspendit Johannem, hæretice fecit. Item,
quod non est hic caput Spiritus-sanctus, nec
esse potest piissimus JESUS-CHRISTUS, &
quod petitio nostra quam facimus, ut decla-
ret hic fuisse ab initio concilium continua-
tum, est sacrilega & hæretica. Item, quod

omnia quæ fecimus sunt contra jura divina
& humana, & quod etiamsi habuissemus po-
testatem faciendi, omnia essent irritatione,
annullatione & cassatione dignissima, & sic
præsupponit quod concilium in nullo pote-
statem habet supra papam; sed vult quod
præsidentes sui omnimodam habeant pote-
statem, & concilium nihil sit. Quæ quam fi-
dei, æquitati, & honestati conveniant, &
quam sint contraria decretis sacri concilii
Constantiensis & hujus concilii, quisquis me-
diocriter peritus facile prospicit.

24. Videtis igitur vos, reverendi, spec-
tabiles & venerabiles dominorum principum
oratores, sactatissimi concilii justitiam & hu-
manitatem, & qualis mens & qualis animus,
qualisve intentio sit summi pontificis, & quod
jam frustra esset apud eum amplius instare
vel laborare pro adhæsione; præsertim cum
sereniss. dominus noster imperator, cum
Romæ esset, omnimodam instantiam fece-
rit, super adhæsione & revocatione dissolu-
tionis, super quibus honestam minutam os-
tendit & tradidit summo pontifici, ut secun-
dum illam bullam faceret, & tamen eam fa-
cere recusavit, sicque non est verisimile quod
ad instantiam alterius regis vel principis de
mundo talem bullam, ut petimus, quæ ta-
men honestissima est, facere velit. Si itaque
serenitas vestra & alii reges & principes debi-
tum suum facere velint, ut speramus, om-
nia bene fient, neque dubium erit de schis-
mate. Amplectimini ergo sacrum concilium,
& illi totis viribus adhærete, conservate ec-
clesiam & fidem catholicam, quam certe in
magno fluctu videtis. Et licet ipse dominus
EUGENIUS papa ab ecclesia se separet, vos ta-
men cum ecclesia perseverate, neque credat
quisquam, quod aliquid fiat aut velit fieri
per nos ad vindictam, sed solum omnia fe-
cimus ut resipiscat, & ecclesiam matrem om-
nium recognoscat, atque ecclesiæ monitio-
nes & mandata suscipiat. Si viderit se non
habere obedientiam, fortasse mutabit ani-
mum, tollet scandala, & honorabit eccle-
siam matrem suam. Si viderit per vos nimis
sibi faveri, crescet pertinacia sua, & vos ec-
clesiam offendetis, & eritis causa multorum
malorum in ecclesia Dei in futurum, nutrie-
tisque suam scandalosam dissolutionem.
Ego ut multi sciunt satis laboravi pro ipso,
adhuc laborare vellem, & ponere me in per-
petuis carceribus Venetiis aut alibi, ubi ipse
vellet, quod fortasse pauci facerent. Quod
si adhuc vellet adhærere, & scandalosam
illam dissolutionem & bullam per eum fa-
ctam revocare, quod omnia fient in hoc sa-
cro concilio cum honore suo. Et quia sunt
qui dicunt quod in ipsorum incorporatione
jurarunt solum pro illis tribus, & quod no-
lunt adhærere concilio, in eo quod fieret con-
tra papam, pro Deo tales bene advertant di-
centes talia, quod si bene consideraverint,

in

* al. attendit.

* al. adhæsionis.

in istis tribus comprehenduntur omnia. Cum enim quicquid sit ecclesiam aut fidem aut mores concernat, si adhærent in tribus, adhærent in omnibus, quia hic nihil fit quod non pertineat ad fidem vel ad mores. Nonne reformare est tollere deformitates? sed quæ major deformitas, quam quæ impedit ne reformatio in ecclesia fiat. Ita est de dissolutione quæ impediebat destruendo concilium ne procederet ad reformationem in capite & in membris. Non dubium autem pertinere ad reformationem quod papa non *alienet* se ab ecclesia, sed illi adhæreat super quo ipse processus est. Item, quæ major deformitas in ecclesia, quam illa quæ est in capite, cum sicut communiter dici solet, quando caput dolet, cetera membra dolent? & in capite quæ major deformitas, quam nolle adhærere sacro concilio, ut tenetur, ac monita sanctæ matris ecclesiæ suscipere? Item, causa pro qua *laborant concernit* fidem, nam articulus fidei est credere unam sanctam ecclesiam. An ergo ipsa sit supra papam qui est minister ejus, an non, hoc ad fidem pertinet. Nam claves ecclesiæ datæ *sunt in persona Petri, & ecclesia non* est propter papam, sed papa est propter ecclesiam, & non dicitur credo in papam, sed in sanctam ecclesiam catholicam. Item, concernunt fidem quæ hic facimus, quia nos dicimus, quia non potuit dissolvere, ipse vero dicit contrarium, videlicet quod hoc asserere hæreticum est, ut dixit in bulla quam vidistis, in qua multa hæretica dicit, jamque non oportet eum citare super adhæsione sua, sed super fide. Si ergo reputet concilium non habere potestatem, ista est materia fidei, in qua adhæserunt. & si volunt servare *eorum juramenta*, debent adhærere, tueri, ac conservare decreta concilii: nec quisquam ex eis est, cui aliter facere aut asserere liceat. Quod vero a quibusdam objicitur contra hoc concilium, quod scilicet tendat ad schisma, non sic est, quia concilium est ubi ecclesia, & ecclesia ubi concilium, quod eam repræsentat. Sed papa est qui vult se a concilio & ab ecclesia alienare, & nulla actio concilii tendit ad hoc, ut schisma fiat. nec est de intentione patrum, qui in concilio sunt, & hoc non debet timeri per principes, quamdiu ipsi velint debitum *suum facere huic sacro concilio*, scilicet, prout tenentur, adhærere. Cum jam clareat manifesta de justitia & veritate sacri concilii, plurima alia dici possent, quæ ideo in præsens obmittenda censui, quia nollem tædio afficere vestram majestatem. Supplico tamen ut quicquid per me dictum est omnes deputati & alii quicumque corrigant & emendent. Ego equidem novi imperfectum meum. Unum protestor, quod nihil causa injuriæ alicujus vel affectionis dixi, sed puram & meram credens dicere veritatem, ac loquens pro ecclesia sancta Dei & fide catholica.

Vet. script. & mon. ampl. Collect. Tom. VIII.

RESPONSIO DOMINI ARCHIEPISCOPI Splatatensis oratoris domini Eugenii papæ IV. ad præmissa.

1. SErenissime imperator, audivit majestas vestra propositionem reverendissimi in Christo patris domini mei legati, in qua sua dominatio reverendissima justificat congregationem & causam concilii. 2. Exhortatus est patres, ut non patiantur leges paternas infringi. 3. impugnavit dissolutionem & quædam dicta sanctitatis domini nostri, in quadam cedula contenta, nominans decretum concilii tonitruum. Post hæc dixit de duabus bullis domini nostri, quarum prima habet concessionem reverendo domino Cervensi consocio meo & mihi factam, *super revocatione factorum contra concilium* per dominum nostrum: ita tamen quod & hic revocentur facta per concilium contra sanctitatem suam & sedem apostolicam; & multa alia produxit, quæ dicit esse facta contra concilium. Postea ad effectum alterius bullæ devenit, quæ de deputatorum consensu, ut asserit, impugnata & non satisfacere judicata est. Ultimo deduxit effectum bullæ, quam dixit emanasse ad principes Christianos pro parte sanctissimi domini nostri, in qua multa contineri dicit contra concilium sacrum. Facta hæc sunt quæ effectua*liter produxit in medium.* Sacratissime Cæsar, reverendus in Christo pater dominus episcopus Cervensis collega meus & ego, viri certe non multæ litteraturæ, sumus hic improvisi & sine advisamento; tamen quia debemus & volumus inniti veritati, illam in medium perducere curabimus.

Sereniſſime imperator, voſque reverendi & ſpectabiles oratores, juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ: juſtitia SS. domini noſtri Eugenii papæ IV. in manu Dei eſt, & numquam ſupprimetur, quia in manu univerſalis eccleſiæ eſt, id eſt majeſtatis veſtræ & aliorum regum & principum, qui ſunt eccleſia Dei & univerſus coitus fidelium, ſecundum quod exhortatus eſt reverendiſſimus dominus legatus, ut videlicet veſtra ſerenitas & alii do*mini non patiantur leges antiquas & mo*dernas infringi. Nos etiam exhortamur pro parte ſanctitatis domini noſtri. Sumus ergo concordes. De 2. & 3. quibus niſus eſt impugnare diſſolutionem, quæ tamen verius dicenda eſt commutatio. Nobis tamen datum eſt in mandatis, ut ſuper hujuſmodi poteſtate non diſputemus; ideo an legitima & juſta fuerit non eſt noſtrum decidere. Vos moveamini ex juribus ſcriptis & conſcientiis veſtris. 4. Dicit illam ſcandaloſam extitiſſe, ex quo procedendum fuiſſe innuebat, foreque ac

procedi posse contra SS. dominum nostrum inducit. Ad hoc quod fuga Johannis de Constantia fuit declarata scandalosa per concilium Constantiense; & tamen illa fuga non fuit concilii dissolutio. Ergo multo magis hæc dissolutio. Certe si concilium Constantiense ita declaravit determinavitque; non immerito, quia ibi agebatur de fuga ejus qui de papatu disceptabat cum duobus, & sic si remansisset, poterat tolli schisma & divisio, quæ erat in ecclesia Dei, sed hic sumus in alio casu, quia habemus papam unicum. Item, dominus noster papa non ut concilium dissolveret, sed ut melius & commodius intereſſet reformationi, quam summe desiderabat & desiderat; quia tam longe propter notissimam ejus infirmitatem venire non poterat, hujusmodi non dissolutionem, sed commutationem fecit, & magna est in facto differentia. Post hæc præfatus dominus meus legatus hoc decretum appellat suspensionis tonitruum quoddam: subjungens quod ideo hoc tonitruum appellandum est, quia descendit Spiritus-sanctus de cœlo tempore quo fuit factum. Apud naturales audivi non descendere de cœlo tonitrua, sed potius generari *ex putrefactionibus quibusdam*. Ulterius dicit, quod dominus noster papa contrarius est concilio Constantiensi, dum determinat, & dicit hoc decretum suspensionis nihil esse, & fieri non potuisse. Et tamen concilium Constantiense, sicut & alia concilia sancta, venerandum est sicut evangelium, nisi aliquid a fide alienum contineret.

2. Quæ verba cum audisset præfatus dominus legatus, illico interrogavit memoratum dominum Spalatensem an de hoc dubitaret. Ipse vero per verba ista respondit, Credo secundum quod credit & tenet ecclesia, & scio pontifices non jurare nisi de octo conciliis tenendis.

3. Consequenter instat ad effectum bullarum, quod datur nobis potestas revocandi facta contra concilium per sanctitatem domini nostri: si tamen econtra per hoc sacrum concilium contra suam sanctitatem & sedis apostolicæ auctoritatem facta revocentur, adjiciens quod videretur sanctum hoc concilium causas agere particulares. Certe credo quod procedit pro causa fidei & ecclesiæ, sed *forte aliqua facta sunt, quæ nullo* jure fieri debuerunt, sicuti quod illi qui sunt pars formata contra sanctitatem suam, sedent tamquam judices ad eam judicandam, pro qua re adduco illud in testimonium, quod paternitas sua dicit, videlicet quod dux Mediolani est inimicus papæ, & tamen prælati sui sunt conjudices.

4. *Et cum hoc dixisset, statim respondit dominus legatus & alii ipsum male intellexisse, quia non ita ipse dixerat, sed potius econtra, quod papa erat inimicus ducis Mediolani. Quibus dictis, statim præfatus Spalatensis continuavit verba sua dicens:* Si ipse non est, multi alii sunt hic sui inimici, omnibus, immo toti orbi notissimi; & certum est quod in antiquis conciliis, quando causæ agitabantur & debebant diffiniri, personæ quæ erant partes formatæ, non admittebantur, sed expellebantur. Item, Petrus cum ordinaret *Clementem, quem propter ejus virtutes* & merita sibi successorem elegerat in vita, dixit ad populum: Si quis sit cujus iste Clemens fuerit inimicus, nemo cum illo amicitiam contrahat; qui enim contraxerit, iste exterminare ecclesiam Dei volet. Sed si ille ita locutus est, nescio quomodo inimicos tales vobiscum admittatis, cum omnia jura tales ut suspectos evitent. Nemo igitur mirari debet, *si aliquando papa se in manibus istorum* non ponere velit. Item, quoad collationem beneficiorum etiam certum est, quod quædam sunt reservata summo pontifici, quæ alteri non licet conferre. Impugnatis aliam bullam, quia dicitis quod penitus eam non revocat. Certe qui omnino revocat, penitus revocat, etiamsi verbum non ponatur; sed ita est in bulla nostra, si tenor & effectus ejus bene *consideretur*. Displicent *vobis illa* duo verba: *Volumus* & *contentamur*, quasi sint novi juris inductiva; sicque videtur, ut dicitis, papa de novo indicere, licet prius fuerit. Reverendissime pater, ipse intelligitur declarare, non de novo inducere, si omnia bene ponderata fuerint. Nam quando verba non possunt *intelligi in propria significatione*, juxta dispositionem materiæ in qua ponuntur, *trahuntur* ad consequens significatum. Cum ergo id quod non fuit non possit fuisse, nec econtra, oportuit ut ea trahamus ad consequens * significatum. Audivi equidem a theologis sæpenumero, etiam ipsum Deum rerum omnium factorem non posse efficere, quominus ea quæ fuerint facta, non fuerint facta, licet *hominum mentes* possit cœcare, ut factum id fuisse non intelligant. Unde si Deus etiam diceret, nolo quod tale quid fuerit, hoc facere non potest, si id prius factum fuit. Ita in proposito SS. dominus noster dicit, quod vult concilium istud intelligatur vere fuisse continuatum, &c. Et hoc non potest intelligi, quod si non fuit, ipse velit illud fuisse; itaque voluntas sua efficeret *illud fuisse quod non fuit*. Ergo *verbum volumus* trahitur ad significatum sibi in hoc possibilem sive consequentem, * ut idem sit *volumus* quod *declaramus*, maxime quia ista voluntas respicit præteritum, & sic nihil potest de novo dare; & pro hoc habeo auctoritatem & decretum Anacleti papæ, scilicet in c. *In novo* 21. d. quia dum dubitaretur an potestas Petri esset concessa a Christo vel apostolis, ubi dicitur, quod a Christo tamquam a concedente, & ab apostolis volentibus sive consentientibus in eum, ut princi-

* al. consequiens.

* al. consequentem.

palem & caput epiſcoporum. * Hæc autem voluntas ſe habet ibi per modum declarationis, ſcilicet notificando ſic a Chriſto fuiſſe conceſſum, & pro hoc facit verbum *Contentamur*, quod videtur infecutivum. Ad id facit illud apoſtoli Pauli: *Habentes victum & veſtitum his contenti ſumus*, ſive eſt dicere, quaſi declararet ſic eſſe ſecundum legem Dei, & ſic eſt voluntatis divinæ non ipſius dicentis. Sic dicendo eſt in caſu noſtro. Deinde dicitis, quod non adhæſit pure, ſimpliciter & cum effectu, quia apponitur conditio, quæ turpis & inhoneſta eſt. Reverendiſſime pater, memini me legiſſe apud legiſtas, quod conditio, quæ tacite ineſt, ſi exprimatur, non dicitur actum facere conditionalem. Ita hic iſta conditio ineſt tacite & neceſſario, & non facit conditionem. Hoc probatur evidentiſſime, quia ſi quis legerit XVII. q. c. *totam*, inveniet in pleriſque capitulis dici concilia celebrari debere, præſente papa vel ejus legatis. Sed concilium Conſtantienſe noluit ritum tollere & ordinem juris & canonum. Ergo ſi in hoc * cautum eſt, & hoc concilium ſit celebratum ſine eis, clauſula iſta neceſſario intelligitur. Item, quod revocentur facta contra papam & ſedem apoſtolicam. Iſta videtur conditio neceſſaria. Nam non petit quod revocentur quæ concilium facere potuit. Sed ſi quid eſt factum ultra poteſtatem, illud vult tolli & revocari debere. Et ſic iſta eſt potius cenſenda revocatio tam facti quam juris. In his ergo quæ concilium facere non potuit, fiat revocatio: in aliis approbat & confirmat. Et pro hoc credo bullas illas ſatisfacere omnibus, & mihi ita videtur, & ita credo potiſſime, ſi mens magis quam verba attendantur. Demum producitis quoddam ſcriptum, per quod dicitis papam has bullas revocare debere, & multa hæretica in illis contineri. De illo nihil ſcimus, ſocius meus & ego, & an a domino noſtro emanaverit ignoramus. Credimus tamen quod non. Quare, princeps ſereniſſime, ſupplicamus ut cauſam eccleſiæ & domini noſtri papæ ſerenitas veſtra pie, juſte & miſericorditer determinet.

* al. ipſorum.

* al. tantum.

DOMINUS LEGATUS REPLICAVIT PROUT SEQUITUR.

Mallem, pater reverendiſſime, quod intenderemus reformationi eccleſiæ Dei, & ſuper hoc mandatum haberetis, quam veniretis ad luctam diſputationis in præſenti materia: certe tempora diſputatione non indigent. Nam ſatis laboratum eſt, ut papa revocaret diſſentionem, & adhæreret, ac faceret debitum ſuum, & tamen uſque adhuc numquam voluit. Et quia dixiſtis juſtorum animas in manu Dei eſſe, & quod non tanget eas tormentum malitiæ, ex quo ſubinfertis quod anima & perſona domini noſtri papæ in manu Dei eſt, & in manu eorum qui repræſentant univerſalem eccleſiam, videlicet imperatoris & aliorum principum, & plura alia, quæ poſtmodum replicabo. Primum ad iſtud ne bis idem repetere habeam neceſſario, reverendiſſime pater, non nego omnem hominem, qui Chriſtiano nomine cenſetur, cujuſcumque ſtatus ſit, eſſe de corpore eccleſiæ, & omnes catholicos eſſe eccleſiam Dei, & principes mundi Chriſtianos eſſe magnam partem eccleſiæ, quia, ut inquit Apoſtolus, *datus eſt eis gladius ad laudem bonorum, vindictam vero malorum*; ſed dicere quod ſoli principes repræſentent eccleſiam Dei, cum ſupportatione non eſt bene dictum: quia non ſoli principes repræſentant eccleſiam, ſed omnes catholici & fideles; & ſi concilium eſt actu congregatum, ipſam repræſentat eccleſiam, & precor legatis textum 96. d. c. *Nos*. Videbitis enim ibidem quantam reverentiam faciebat Conſtantinus eccleſiæ.

Secundo, dixiſtis quod exhortabimini omnes, ut ſequerentur omnes & defenderent leges paternas, neque paterentur illas infringi, dicendo quod illud prius idem feceram, & quod in hoc ſecundo eramus concordes; ſumus concordes in verbis, non in re. Nam vos nullas leges expreſſiſtis, quas defendere aut ſequi deceat. Ego de legibus conciliorum, & potiſſime Conſtantienſis feci mentionem, & illas adduxi evidentiſſime, probando quod concilium eſt ſupra papam, & quod papa decretis concilii obedire tenetur, & ſi non paruerit, pœnitentiæ & pœnæ condignæ ſubjici poteſt; vos nullas adducitis, quod papa ſit ſupra concilium & eccleſiam congregatam.

Tertio dicitis, quod non eſtis miſſus ad diſputandum an diſſolutio valuerit vel non, ſed ſolum ut exhiberetis litteras adhæſionis, dicendo quod hujus ſacri concilii diſſolutio potius dicenda ſit commutatio. Neſcio, pater reverendiſſime, ſi vidiſtis bullas quas ad me miſit, ut concilium diſſolverem. Neſcio ſi videritis bullas ſuæ prætenſæ diſſolutionis, certe in eis expreſſe dicit concilium, ſi quod fuit Baſileæ congregatum, diſſolvimus; nunc immutat verba, & dicit commutavimus, ut aliqualiter ſe honeſtet in præſens, quod minime, ut dixi, fecit in aliis bullis. Sed quis eſt qui ignoret, quæ differentia ſit inter commutationem & diſſolutionem, cum commutatio ſit incontinenti de loco ad locum mutatio ſine intervallo, ſicut factum de concilio quod inchoatum erat Papiæ ad Senas, ſed diſſolutio totum perimit, ſicut in caſu noſtro? Item, poteſtne dici *commutatio*, cum ipſe terminum prorogaverit per annum cum dimidio?

Quarto, reſpondetis ad illud quod dixi diſſolutionem magnum ſcandalum generaſſe, & conamini confutare quæ dixi de fuga JOHANNIS, quæ fuit pronuntiata ſcandaloſa,

tamen non sic dicendum est in casu nostro. Rationem assignatis, quia recessus ille poterat impedire unionem quæ tractabatur, quia tres erant contendentes de papatu. Hic non est necessaria fienda unio, cum non sit divisio. Reverendissime pater, si videritis acta concilii Constantiensis, videretis quod totum concilium reputabat illum Johannem pro papa, & ita reputabat eum sereniſſimus dominus noster imperator, & sic reputabat eum bonæ memoriæ cardinalis Florentinus patruus* vester. Item, si ille impediebat ne fieret unio, iste ex dissolutione quam fecit, impedit ne unio quam fecit remaneat, impedit reductionem Bohemorum & reformationem ecclesiæ quæ fieri debebat: immo jam facta esset, nisi ipse impediviſſet, & adhuc fiet, ut speratur, per hoc sacrum concilium. *Si nos pacuissemus dissolutioni, majus* scandalum secutum esset, quam ex illa fuga.

* al. pateriaus.

Postea dicitis, quod ideo commutavit, ut posset ipso præsente concilium fieri. Numquam utimini verbo dissolvit, & tamen ipse EUGENIUS ipso uti non est veritus. Reverendissime pater, quatuor illa concilia sanctissima & alia plurima fuerunt celebrata sine præsentia papæ, & tamen in illis facta sunt omnia fere quæ ad fidem & mores pertinent.

Ulterius voluistis venari quoddam verbum quod dixi de tonitruo quod venit de cœlo, & etiam dicendo quod appellaverim bullam domini nostri papæ tonitruum. Sed ut mentem meam intelligatis, ego non illud dixi ad effectum illum, sed ut commemorarem quæ dominus EUGENIUS asserit de decreto nostro, & *dicerem decretum nostrum* monitionis cœlitus & a Spiritu-sancto emissum, & voluistis super hoc reprehendere & invehere, quod non decet personas graves & ecclesiasticæ auctoritatis in talia verba prorumpere. Sed an hoc sit dignum reprehensione judicate omnes.

Postea quia dixi, quod concilia sunt veneranda sicut evangelia, & in hoc non clare respondere videbamini. Interrogavi vos, an de hoc dubitaretis? vos autem respondistis, *quod credebatis illud* quod credit sancta mater ecclesia. Reverendissime pater, sicut dicit Innocentius in c. 1. *de Sum. Trinitate* & fi. ca. prælati debent scire & credere ea quæ ad fidem pertinent explicite & distincte. Et sic vos qui estis prælatus, debetis scire fidem catholicam explicite, nec debetis respondere, quod creditis id quod sancta mater ecclesia: immo paratus esse debetis respondere rationem cuilibet poscenti, de ea quæ in vobis est fide, juxta illud Petri. Item, hoc quod dico concilia veneranda sicut evangelia, nullam habet dubitationem, quod probo ratione inconvincibili: Concilium sacrum repræsentat ecclesiam universalem. Ergo est ejus auctoritatis, cujus est ecclesia. Sed Augustinus & alii dicunt, quod non crederent evangeliis, nisi auctoritas ecclesiæ eos commoneret. Igitur concilia veneranda sunt sicut evangelia. Item, Andræas & nonnulli alii scripserunt evangelia, & non tenemus ea, quia ecclesia illa non approbat. Item, B. Augustinus dicit & habetur 10. d. quod ecclesia universalis est *ex omni generali traditione*, & ea traditio fit per generalia concilia. Si ergo amodo interrogatus fueritis de conciliis, respondeatis audenter, quod ita tenetis, & veneramini concilia sicut quatuor evangelia. Et si aliter responderetis, non conveniret dignitati vestræ.

Item, dixistis, quod non jurant pontifices de omnibus conciliis tenendis, sed solum de octo. Si paternitas vestra vidisset decretum concilii Constantiensis, super professione *summi pontificis*, certe aliter diceret. Et illa octo concilia statuerunt multa circa fidem, alia vero circa mores. Ideo non mirum si non jurant omnia tenere propter periculum perjurii.

Post hoc dixistis, quod hoc concilium non forte processerat secundum quod debebat, quia admittebantur *inimici summi pontificis* ad cathedram judicandi, commemorando quod dixeram de duce Mediolani &c. Ego adduxi illud assignando rationem commissionis, administrationis generalatus,* quod papa videbatur inimicari ipsi domino duci Mediolani, & textus ille B. Petri intelligendus est de alia inimicitia, scilicet quæ veniebat propter fidem. Inter istos quæ causa inimicitiæ sit ignoro. Et præsuppositio quod essent inimicitiæ permaximæ, prælati juraverunt *interesse sanctis synodis in eorum* consecratione, & quando incorporantur, jurant sacro concilio fideliter ac diligenter laborare pro honore sacri concilii, non ducis Mediolani, & dare sanum & salubre consilium, secundum Deum & conscientiam. Non est igitur verisimile quod aliquis sit immemor conscientiæ suæ.

* al. generalitatis.

Item, de jure est quod suspicio tollitur & cessat per juramentum, & bene scio quod si vellem amplius specificare, quod dolenter refero, plures summos pontifices temporibus nostris egisse bella contra multos, non tam causa ecclesiæ & fidei, quam pro affectione particulari* & aliis causis inhonestis.* Unde non est simile quod de B. Petro ad Clementem dicit, quod textus ille intelligitur ut prius dixi. Post hæc de bullis dicitis quod *papa revocat penitus, & pure* ac simpliciter adhæret. Nec est necessaria expressio verbi *penitus*, cum aliter appareat de expressa mente sua. Ego dico quod non revocat penitus, quia adjicit caudam, sicut non est intelligendus penitus donare, qui donat ut sibi aliquid redonetur. Dicitis quod verba *volumus & contentamur*, inducunt declarationem, & allegatis textus Anacleti, &c. Deinde di-

* al. partis. * al. minus honestis.

citis quod Deus non potest facere quin facta sint facta, & sic oportet quod illa verba referantur ad declarationem, *non ad novam indictionem concilii. Deinde dicitis de verbo *Contentamur*, & allegatis illud Pauli, *Habentes victum & vestitum his contenti simus*. Reverendissime pater, nisi de contraria mente summi pontificis aliter constaret, fortasse essent amplectenda verba illa, & inducerent declarationem. Sed apparet evidenter quod papa vult contrarium, & hoc nullatenus gerit in animo. Nam alias misi sibi copiam adhæsionis, & serenissimus dominus noster imperator instantiam fecit apud eum. *Tunc* » *imperator ibidem dixit hæc verba* : Ego dedi » sibi copiam vestram in manibus, ut bullam » super ista forma faceret, quæ erat honestis- » sima, & ipse nullo modo voluit, immo pe- » nitus abhorruit. Si ergo voluisset declarare, potuisset *Declaramus*, sicut posuit *Volumus & contentamur*, art. c. *Cum audiamus* de decimis.

*al. declaratoria.

Item, de mente sua contraria apparet per ejus litteras, quas per nuncios suos misit & mittit ad reges & principes & universos Christi fideles, in quibus, ut prius dixi, ipse dicit : Absit ut talem declarationem, &c. Bene utitur ibi &c. verbo *Volumus* & *contentamur*.

Ad aliud dum dicitis quod facta non possunt haberi pro infectis, verum est; si vere tamen lex potest quoad effectum facere illud quod est factum, haberi pro non facto, & econtra, sicut in lege *Postulamini*, quæ fingit captum ab hostibus & reversum numquam fuisse captum. Ad textum Pauli, *his contenti simus*, videtis vos ipsi quid faciat ad propositum.

Item, concilium requirit eum, ut pure, simpliciter & cum effectu adhæreat. Ista autem verba quæ ponit, *præsupposito quod* satisfacere possent, saltem sunt dubia & ambigua valde. Ad aliud quod dicitis de conditione, quæ inest tacite, & intelligitur necessario, & ita dicitis hic intelligi, rationem assignatis, quia processimus sine præsentia papæ vel legatorum ejus, allegando 17. dist. *Per totum*, & reprehenditis nos tacite, licet non expresseritis, quod istud sit conciliabulum, non concilium, sicque tacite inest illa conditio, quasi ista sit revocatio magis facti, quam juris. Reverendissime pater, vos ex istis præsupponitis, quod dissolutio valuit, & sic estis in eadem sententia cum domino nostro. Nos autem contrarium tenemus, & vos ipse ex superioribus percipere potestis quid verius sit. Et si petitis, quomodo ergo valuit concilium sine præsidentia papæ; & ego quæro, quomodo valuit concilium Constantiense post fugam Johannis sine præsidentia papæ? Sed veniendo ad rem, dico quod requiritur auctoritas papæ ad initium, & ita fuit hic, & non tantum unius, sed duorum, scilicet Martini & ipsius Eugenii. Sed postquam est inchoatum, & est in esse, tunc sacrum concilium est supra papam, & habet potestatem a Christo. unde, sive recedat, sive non, non desinit esse concilium : quia jam illius auctoritas erat fundata. Et quod sit legitime congregatum, patet ex auctoritate concilii Constantiensis, quod fuit legitime & auctoritate apostolica congregatum & sanctissimum, & de hoc nemo debet dubitare; & postea papa fugiente, habuit nihilominus finem & prosecutionem. & fortasse potest dici, quod deinceps in aliis conciliis faciendis, non requiratur alia auctoritas, sive notificatio papæ, stante decreto nuper edito super *conciliis in futurum celebrandis*.

Item, in concilio Senensi hæc civitas Basileensis pro præsenti concilio fuit electa. Item, felicis recordationis Martinus dedit mihi potestatem præsidendi in hoc concilio, & ipsemet Eugenius : quod onus ego male libenter acceptavi, dubitans quod non forte ita *fieret hic, sicut factum fuerat in Senis. Et* certe idem, immo pejus fiebat hic, nisi fuisset istorum patrum constantia.

Item, in bulla dissolutionis ipse idem dicit, & attestatur quod dedit mihi potestatem præsidendi, & de his omnibus habetur mentio in responso dato primis ambassiatoribus papæ. Unde, reverendissime pater, cum omnia hic facta fuerint per habentes potestatem, & licite ac rite, non inest illa conditio tacite, & necessario, ut asseritur, immo turpis est & extrinseca.

Demum dicitis, quod concilium intromisit se de factis papæ, & sibi soli reservatis, &c. Probavi quod illam auctoritatem habet ecclesia, quam habet ipse papa, & quicquid potest ipse papa, qui est pars, potest ipsa ecclesia. Fateor tamen quod est pars nobilior, quia est caput, potest & *ipsum totum* videlicet & ipsa ecclesia, & multo magis.

Item, papa est propter ecclesiam, ergo si propter quod unumquodque, & illud magis. Item, verum est quod papa est minister ecclesiæ, & ecclesia non solet se impedire de minimis, potest tamen, si vult; & si papa vult dissolvere ecclesiam congregatam, quare non potest ipsa ecclesia tutari jura sua, & se defendere ac sua supposita? Postremo dicitis, quod nescitis de illis bullis, quod emanaverint a *domino* Eugenio. Utinam ita esset, & ego essem multum contentus, quia essemus propinquiores concordiæ, quam sumus : quia multos errores continent istæ bullæ, qui non poterunt, salva fide, per hoc sacrum concilium conniventibus oculis pertransiri.

Hic finiuntur verba domini legati.

SEQUUNTUR ALIA DOMINI SPALATENSIS.

REverendiſſime pater, reſpondiſtis ad omnes partes per me tactas, & certas admonitiones feciſtis, quas caritative ſuſcipio. Dicitis poſt hæc, reverendiſſime pater, quod ego dixi, quod eccleſia Dei eſt apud ſereniſſimum dominum noſtrum imperatorem & alios reges & principes. Ego non nego, quin ſit apud ſacrum concilium; ſed dico, quod reſpective eſt apud reges & principes, & ita intelligo, quod iſta majoritas conſideratur, non ex numero vocum hic exiſtentium, ſed ex repræſentatione; quia unus ſolus ambaſſiator unius regis poteſt habere vocem pro toto uno regno, & plus valebit vox iſtius, quam triginta aliorum etiam prælatorum. Et ſic iſto reſpectu dixi & intelligere volui, majorem partem eccleſiæ eſſe apud reges & principes. Subſequenter petitis, ut declarem illas leges paternas, quas dixi eſſe conſervandas, & exhortatus ſum patres & dominos, ut illas non patiantur infringi, & quod pontifices ſive prælati debent ſcire fidem explicite ſive ſpecifice. Certe, pater reverendiſſime, non poſſunt omnia uno ſpiritu dici; ſecundum vero fateor indubie, de materia diſſolutionis nihil dixi de inimicis papæ etiam non proſequor, nec de aliis [a] inimicis, qui non debent admitti ad cathedram, judicantes velut ſuſpecti, ut toti mundo, ſicut dixi, notiſſimum eſt. Ad aliud de præſidentia papæ non deduco inpræſentiarum in dubium, an facta per hoc ſacrum concilium bene ſint facta, vel non; ſed dico, quod quandocumque ſui præſidentes venirent, quod debent admitti, &c.

DOMINUS LEGATUS.

Reverendiſſime pater, omiſſis verbis ſuperfluis, vos dicitis, quod orator unius principis, qui repræſentat unum principem & regnum, debet reputari pluribus aliis vocibus numero, ſive ſint prælatorum ſive aliorum: de qua re non mediocriter miror. Vos ſcitis, ſicut dicitur in teſtamento veteri, quod ſi dubium fuit in lege de re aliquâ, recurri debet ad ſacerdotes, & eos qui in lege Dei periti ſunt, non ad principes. Dicere ergo, quod ſi eſt in concilio unus ambaſſiator unius regis aut principis, qui habeat centum epiſcopos in ſuo dominio, & ipſe ſentiat unum, & illi epiſcopi dicant aut ſentiant contra, * quod ſtandum ſit dicto ambaſſiatoris; ſequeretur ex hoc, quod plus valet dictum illius ambaſſiatoris, quam illorum epiſcoporum: quod certe non videtur bene dictum; quia, ut prius dixi, ad epiſcopos & viros eccleſiaſticos, qui ſunt periti in lege Dei, recurrendum eſt; non autem ad reges & principes, quorum non eſt de rebus legis judicare, & qui communiter non habent peritiam, niſi humanæ legis. Deinceps igitur pro *honore & debito veſtro*, a *ſimilibus verbis* precor abſtineatis.

* In Navar. codice deeſt *contra*.

(a) *Navar. codex addit*: Et tamen dominatio veſtra proſequitur. Ego non doquot magis de prælatis ducis Mediolanenſis, quam de aliis.

DOMINUS FRANCISCUS DE CAPITIBUS LISTE, UNUS EX AMBASSIATORIBUS VENETORUM.

Sereniſſime imperator, reverendiſſime præſidens, & vos reverendiſſimi mei, ego pauca dicam de mandato imperialis majeſtatis, non cauſa diſputationis, ſed ad pacem & concordiam, ſicut antea in congregatione pauca dixi: quia ſpectabilis collega meus, & ego habemus in mandatis offerre nos ad pacem & concordiam ſeu compoſitionem, réminiſci vero injurias non bene eſt. Ideo ut ad pacem veniamus, quam ſerenitas veſtra deſiderat multum, & ſimiliter illuſtre dominium Venetorum; non dicam hoc loco niſi pauca ad compoſitionem. Videtur in primis non quærendum eſſe, an ſacra concilia ſine papæ auctoritate teneant, vel non, utrum concilium Conſtantienſe & illius decreta teneant, vel non: quia illa diſputatio non eſſet fortaſſe utilis, ut vellemus. Sed eſt videndum, & de hoc agitur, de litteris noviter compertis, quas nonnulli aſſerunt a ſummo pontifice emanaſſe, alii autem e contra, ſicque res adhuc in dubio eſt. Sed ponamus quod ſint litteræ ſummi pontificis, non eſt propterea recedendum a concordia, quæ interventu operum imperialis majeſtatis in foribus eſt. Et ſi litteræ illæ a ſanctitate ſua emanaverint, credendum eſt, eum ideo feciſſe, quia exiſtimabat ſerenitatem veſtram hic non eſſe in termino, ſicque velut compulſus illas fecit, videns ſe omni alio auxilio deſtitutum, quia decretum ſuum monitorium ſtatim habebat effectum & vigorem. Credo, immo certus ſum, quod modo ſi ſenſerit ſerenitatem veſtram hic eſſe, & prorogationem factam, ſpemque ſubeſſe alicujus compoſitionis, ſicut eſſe poteſt & eſt, maxime propter præſentiam majeſtatis veſtræ, quod hujuſmodi litteras revocabit: quia ceſſante cauſa ob quam factæ ſunt, ceſſabunt & litteræ. Extat ſecunda bulla adhæſionis, & facta eſt contentio in verbis; [b] (b) at cum realiter procedi debeat, non eſt facienda magna vis, quod vigore decretorum ſacri concilii Conſtantienſis, in certis caſibus concilium habeat poteſtatem ſupra papam in his quæ veniunt ratione hujuſmodi expreſſæ poteſtatis, non eſt diſputandum. Si quid vero eſt, quod non veniat, certe non vult iſta ſynodus facra aliquid plus facere vel ten-

(b) Navar. codex ita legit. *Sed potius meus eſt ſincera & devotio ſanctiſſimi domini noſtri ampleſtenda. Suppoſito ergo vigore decretorum facri concilii Conſtantienſis, in certis caſibus concilium habet poteſtatem ſupra papam in his quæ veniunt ratione hujus expreſſa poteſtatis.*

tare, quam ei sit concessum. Ne igitur propter hujusmodi disputationes inutiles retardetur pax, quies & concordia, quas sequi speramus, *interventu vestræ sanctissimæ regiæ* majestatis; supplicamus, ut si quid restat bullis addendum, id totum petatur, & habebitur: nec esset mirum, si quis aliquando crederet ex vi verborum plus attribui vel minus, quam fortasse attribueretur, neque hoc esset peccare *in Spiritum-sanctum*. Cum itaque majestas imperialis, & isti regum & principum oratores sint, qui nihil aliud vellent, nisi quod bonum, sanctum & rectum sit, & pro sancta ecclesia Dei utile, ne ullam divisionem vel scissuram in ipsa ecclesia nasci *contingat, supplicamus, ut acceptetur* aliqua via bona, per regiam majestatem & oratores regum & principum offerenda, quæ, non dubito, unionem in Dei ecclesia conservabit, & erit pro summo pontifice & sacro concilio utilis admodum atque salutifera.

POST HÆC DOMINUS IMPERATOR AIT:

Quod semel placuit, amplius displicere non potest. Sicut dixistis mihi heri, ita factum est; quia omnia sunt hic dicta, quæ heri dicta fuerunt mihi, & nullus alius debuit loqui, sicut nec *facimus. Nunc supereſt ut* trahamus nos ad partem: ita quod concilium [a] stet in suo robore, & papa in suo honore. (a) Et ne tempus labatur, quia appropinquat dies dominica, nos inveniemus aliquem bonum modum cum ambassiatoribus principum, &c.

Modus fuit prorogatio trium mensium, & interim dominus noster papa adhæsit, & revocavit bullas de quibus fit mentio, &c. prout in sexta decima sessione plenius continetur.

FINIS DISPUTATIONIS.

CEDULA

Oblata pro parte domini imperatoris, instantibus ambassiatoribus domini papæ, singulis deputationibus, die Mercurii decima quarta Octobris.

Anno 1433. 14. Octob. Ex ms. Aquicinctino.

AUdistis, patres, quanta puritate & caritate sanctissimus dominus noster summus pontifex amplecti velit hoc sacrum generale concilium, quanto etiam studio & favore id prosequi intendat. Cum autem ad illius integram incorruptamque prosecutionem, omnino necesse sit vulnera priora sanare, nec alias possibile sit aliquid boni fructus succedere, sed potius in ecclesia Dei paretur incendium; petit præfatus sanctissimus dominus noster quicquid contra personam, auctoritatem & libertatem suam & sedis apostolicæ ac aliorum sibi adhærentium & fidelium actum est, revocari, & in pristinum statum reduci. Ipse etiam, si quid dictæ prosecutioni & *continuationi obstans est, tollit & revocat. Petit* etiam, ut justissimum est, suo & apostolicæ sedis nomine præsidentem admitti. Hanc siquidem revocationem pro expeditiori concordia & pace petit in genere. Similiter etiam ex parte sua vobis offert, si quid contra ipsum *concilium* aut *singulares personas* forsitan fecisset, ut ex serie litterarum suarum plane comprehenditur. Videte quam facile convenire poteſtis, & quam sanctæ huic petitioni acquiescere. Multa sunt quæ ex vestro instituto per consensum ipsius pontificis in *continuationem prædictam ipso facto tolluntur.* In reliquis autem si nihil contra ea, quæ in prædictis litteris continentur, & supra diximus, actum est, nihil revocatum intelligetur. Si quid vero factum est, sicut oneris est id permanere, ita & laudis immutare; cum primum *admissi fuerint præsidentes* de quibus supra, & ipsum concilium plena caritate unitum, quicquid super prædictis dubium fuerit, majori consilio & communi apostolicæ sedis & ejus consilii consensu, facile poterit declarari ex tunc habituris perpetuam firmi*tatem. Hic est modus, hæc est via firmandi* concilia, & eorum vigorem & auctoritatem inviolabiliter conservandi. Neque alios ad ea pro quibus concilium institutum, ullo pacto intendi poterit. Experientia docebit quod vera proferimus. Hæc sunt quæ præfatus sanc*tissimus dominus noster ad pacem & concor*diam offert, & quidem sufficientissima, si amore & devote recipiantur. Si itaque pietatem, si veram solidamque justitiam colitis, omni studio, devotione & industria, ad ea quæ supra dicta sunt, velitis intendere, dare gloriam Deo, pacem mundo. Quod si feceritis, statim inter pontificem & filios Christus medius erit, omnis ætas & sexus intelliget benedictionem a Domino & misericordiam a Deo salutari suo.

DIE dominica XI. Octobris MCCCCXXXIII. dominis de concilio hora tertia vel circiter post meridiem in ecclesia majori Basileæ ad instantiam domini imperatoris congregatis, super prorogatione termini domini EUGENII papæ, &c. scrutatis votis dominorum, fuit concluſum ut sequitur.

Instante serenissimo principe domino Romanorum imperatore, propter ipsius jocundum adventum, sacrum concilium prorogat terminum XXX. dierum ad octo dies proxime futuros, modis, qualitatibus & formis, in decretis suspensionis & prorogationis contentis, in suo robore in omnibus suis clausulis permanentibus, non obstante quod hujusmodi prorogatio die feriata & non in publi-

[a] In codice Navarræ hæc adduntur: *Et quia dominus legatus fuit infirmus, & ego steti hic tantum & non bene, jam est hora tarda. Post prandium faciemus vocari aliquos de ambaxiatoribus principum. Et ne tempus labatur, quia appropinquat dies dominica, nos inveniemus aliquem bonum modum.*

ca sessione facta fuerit, ceterisque aliis solemnitatibus in talibus requisitis non obstantibus.

ALIA PROROGATIO.

Item, die Lunæ XIX. Octobris, ad instantiam sereniſſimi imperatoris & oratorum principum, fuit prorogatus terminus domini noſtri papæ ad octo dies, cum conditionibus ſupra poſitis.

ALIA PROROGATIO.

Item, termino adveniente de quo immediate ſupra, quia non potuit reperiri concordia, iterum fuit prorogatus ad octo dies, &c.

ALIA PROROGATIO.

Item, prorogatus fuit, termino adveniente, quatuor diebus uſque ad ſeſſionem in qua dati fuerunt domino papæ nonaginta dies, prout in decreto continetur.

EPISTOLA PHILIPPI DUCIS Burgundiæ ad concilium Baſileenſe.

Promittit belli inducias ſervare cum Auſtriæ duce.

Anno 1433. 26. Octobr. *Ex inſ. Aquicinct.*

SAcroſancto univerſalis eccleſiæ generali concilio Baſileæ congregato.

Reverendiſſimi, &c. recommendationes cordiales & ſincerum affectum obſequendi. Veſtris ex litteris hortamenta perlegi, ut in treugis inter me ac Auſtriæ ducem firmatis manere velim, nec judicare, ſi ab aliquibus inter nos illatæ ſunt injuriæ: ob id treugas ipſas fractas eſſe: ſed ſi fractæ fuerint, denuo reintegremus, firmaſque teneamus, & de injuriis ipſis in aliquos probos viros compromittamus, qui rem cognoſcant, & inter nos compoſitionem faciant. Idcirco, reverendiſſimi, reverendique in Chriſto patres ſpectabiles & præclari, veſtris reverentiis, nunc repeto, ſatis notum, videlicet quod ad inſtantiam & in favorem ſacroſancti concilii, treugas cum præfato Auſtriæ duce liberaliter inivi primum eodem ſtante concilio, ac per tres menſes poſt ipſius diſſolutionem duraturas. Deinde vero alias, quales feceram cum adverſario domini mei regis atque meo: quas quidem treugas dicti ducis Auſtriæ firmiter obſervare volui ac intendo. quamquam ex ſua parte, videlicet per ſuos ſubditos, & in ſuis terris & dominiis plura fuerunt in contrarium attentata, pro quorum reparatione loco & tempore expecto: nihilominus treugas ſæpedictas, quamdiu concilium durabit & tres menſes ſequentes, confirmare paratus ſum, ſi ſit opus, vel novas ad illud tempus firmare juxta formam & dictamen, ac ob reverentiam & contemplationem dicti ſacri concilii, ac ut victualia ex meis dominiis liberius illuc tranſmitti valeant, & paſſus diſtrictuum teneantur expediti, pro viribus cupio laborare, poſtulans ex intimis, quatenus ad reparationem injuriarum & attentatorum ex parte dicti Auſtriæ ducis curam agere velitis effectivam, & veſtra mandare beneplacita, quæ poſſetenus exſequi conabor. Spiritus almus reverentias veſtras cœtumque ſuum ſacroſanctum inſpirare dignetur & dirigere ac conſervare in proſperis. Scriptum in villa mea Divionenſi XXVI. die Octobris.

Devotus & obſequioſus eccleſiæ filius PHILIPPUS dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c.

EPISTOLA PRAGENSIUM ad nuncios concilii Baſileenſis Ratiſponæ exiſtentes.

Ut Bohemis communionem ſub utraque ſpecie a concilio concedi procurent.

REverendiſſimis ac venerabilibus & egregiis in Chriſto patribus & dominis PHILIBERTO epiſcopo Conſtantienſi provinciæ Rothomagenſis, Johanni DE POLEMAR decretorum doctori, & ſacri palatii apoſtolici cauſarum auditori, ceteriſque dominis epiſcopis, doctoribus, legatis a venerando concilio Baſileenſi verſus Ratiſponam tranſmiſſis, amicis noſtris in Domino dilectis.

Anno 1433. 8. Novemb. *Ex inſ. Aquicinct.*

Nos Aſſo de *Riſenburg* ſupremus gubernator regni Bohemiæ, barones, nobiles, civitas Praga, milites, clientes, necnon aliæ omnes civitates dicti regni & marchionatus Moraviæ, invictiſſimarum quatuor veritatum articulos amplexantes, venerabiles patres & domini, necnon viri dignitatum ac ſcientiarum eximii, ſincerum affectum ſalutaris boni vario cum genere complacendi.

Quia ſolemnis ambaſſiata ex utriuſque ſtatus ſpectabilium virorum adunata perſonis, & ad ſereniſſimi Romanorum imperatoris præſentiam nuper a nobis Ratiſponam tranſmiſſa, nunc nobis in generali congregatione conſtitutis, ejuſdem Cæſaris ac venerandi Baſileenſis concilii vota plene ac fideliter patefecit, ſuper quibus quidem maturo tractatu ſanoque prælibato conſilio veſtris reverentiis, prout ſponſum eſt, ita reſpondemus. Quemadmodum pridem, ita utique & nunc nobis videtur inſtitutioni JESU CHRISTI conſonum, primitivæ eccleſiæ matris & magiſtræ noſtræ praxi omnino conforme, ac ſaluti humanæ opportunum, & præſertim totius populi Bohemiæ regni ac marchionatus Moraviæ unitivum & in pace ſtabilitivum & roborativum, ut quemadmodum ſunt unius linguæ, unius ditionis, uniuſque regni incolæ, ac fidei orthodoxæ conſortes; ita fiant & in ritu communionis diviniſſimæ euchariſtiæ veri ſodales. Nam ſicut morum & rituum diſparitas diſcordiarum, litium, jurgiorum ac ſeditionum mater eſſe dignoſcitur:

tur : ita nimirum eorumdem grata conformitas puerpera & altrix tranquillitatis cenſetur & pacis. Unde ſicut dudum omni inſtabamus conatu, ita & nunc ab inſtantia non deſiſtentes, accuratius exoramus, quatenus reverentiarum veſtrarum ingens ſolertia, amatrix fidei, ac promotrix noſtri honoris pariter & caritatis fraternæ adhuc ſtudioſe & fideliter in conſpectu venerabilis concilii cooperari dignetur, ut omnes & ſinguli prædictarum regionum terrigenæ modis inducantur idoneis ad communionem ipſius diviniſſimæ eucharistiæ in utraque ſpecie, panis ſcilicet & vini, & ipſe ritus taliter communicandi ita firmetur & perpetuetur ad incolas memoratos, ut nulla queant in poſterum auctoritate caſſari.

Quod ſi veſtræ providentiæ ſtudium ad iſta, quæ ſumme & unanimiter totiſque præcordiis exoptamus, perducere nequaquam valuerit, ex tunc ad ea veſtræ reverentiæ ſollicitudo deducat, quæ in cedula præſentibus incluſa veſtris dignitatibus reſeramus, ad quæ, teſte Domino, dolenter condeſcendimus, ut pacem eccleſiæ, tot & tantis odiorum fomitibus evulſis, procuremus. Inſuper optamus, quatenus univerſa & ſingula noſtra ſcripta V. P. grato animo a nobis velitis acceptare, & ſuper eiſdem benignum & generoſum reſponſum quanto celerius poteritis nobis per veſtra ſcripta tranſmittere curetis. Datum in civitate Pragenſi, octava die menſis Novembris ſub ſigillo domini gubernatoris.

SEQUITUR COPIA CEDULÆ INCLUSÆ.

COndeſcendentes tamen, pro malis exſtirpandis & bonis inſerendis, noſtram voluntatem veſtris paternitatibus reſeramus, videlicet quod quieſcere a bellis volumus, *dum communio præfata perpetuo eis qui* communicaverunt ſub utraque ſpecie in ſuo vigore & praxi remanebit, eritque nobis & noſtris ſucceſſoribus firmata & roborata munimentis fide dignis & ſufficientibus, dum tamen licentia dabitur & proclamabitur per concilium Baſileenſe parti nobis adverſæ communicandi ſub utraque ſpecie. Quod ſi qui ſub una communicabunt laïci, non *conformantes ſe nobis in ritu communionis* duplicis ſpeciei, pro pacis & unitatis vinculo inter nos introducendo, eos volumus ſuſtinere dumtaxat in locis in quibus præfata communio duplicis ſpeciei non ſervabatur. Ipſum quoque concilium Baſileenſe diſponat ſimul cum Cæſare aut imperatore, quatenus nullus audeat regnum Bohemiæ & marchionatum Moraviæ mandare, hæreticare, infamare, aut quovis modo conviciari, quia tali modo communicaverunt, communicant, & communicabunt in futurum ſub ſpecie utraque. Et propter tres alios articulos in ſenſibus illis, in quibus cum legatis concilii Baſileenſis eſt receſſum & compactatum, nec aliquis præſumat perſonam aliquam & communitatem avertere & abſtrahere a communione utriuſque ſpeciei quovis modo. Quod ſi qua perſona vel communitas reperta fuerit, pœna ultionis condigna feriatur. Archiepiſcopum vero cum ſuffraganeis duobus, aliiſque epiſcopis, quos clerus una nobiſcum nunc vel in futurum elegerit, eoſdem pro electis ſuſcipiatis, ipſos confirmando, & ut exequatur officium epiſcopale per media debita deducendo. Qui quidem epiſcopi una nobiſcum & cum toto clero ſuo promittent vobis obedientiam, prout lex divina mandat & ſuadet ſic præfectis obedire : ita videlicet quod parati ſumus uniri, & eſſe unum, quo omnes fideles Chriſtiani uniri ſecundum legem obligantur, ac adhærere & obedire in omnibus a nobis legitime præfectis quæcumque juſſerint ſecundum legem Dei. Quod ſi quicquam contrarium papa aut prælati quod a Domino prohibitum eſt determinaverint faciendum, aut facere juſſerint, vel quod in canone bibliæ ſcriptum præterierint, aut præteriri mandaverint, cum canones tales dicant execrabiles & anathema, obedire non obligamur, nec obediemus, & iſtis vel iſti epiſcopo omnes ſubſint ſacerdotes in regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ. Hæc præmiſſa tranſeant de manu ad manum, reſervando nobis poteſtatem ulterius probandi ſenſus primarios trium articulorum ultra id quod conceſſum eſt in compactatis. Inſuper omnes perſonæ ſpirituales ſive clerici per archiepiſcopum aut ſuos officiales judicentur, nec ad ſuggeſtionem æmulorum quorumcumque extra diœceſim ſeu regnum citentur. Item, ut beneficia in regno noſtro non diſtribuantur per extra regnum poſitos. Pro præcepto vero & communione parvulorum difficultas quia reſtat, dictamini judicis in Egra compactati ſtetur parte ab utraque, nec in hoc præjudicet concordiæ, quia tempore intermedio noſtri parvuli & infantes communicabuntur diviniſſimo ſacramento ſub ſpeciebus panis ſcilicet & vini.

LITTERA REGIS ARAGONUM, miſſa ſacro concilio, & lecta in congregatione generali XXIII. Julii MCCCCXXXIV.

Extat tom. 4. Anecdotorum noſtrorum, p. 371.

A

COPIA LITTERÆ IMPERATORIS Græcorum, ad concilium.

Mittit ad ſacrum concilium ſuos oratores.

Anno 1433. 14. Novemb. Ex *mſ. Aquicinct.*

JOHANNES in Chriſto Deo fidelis imperator, & moderator Romeorum, Palæologus ſemper auguſtus, ſacroſanctæ generali ſynodo Baſileenſi, &c. ſalutem in omnium redemtorem.

Ambaſſiatores V. R. P. venerunt ad nos, & attulerunt veſtras litteras, ex quibus & etiam a relationibus eorumdem oratorum B certe cognovimus bonam diſpoſitionem & intentionem quam habetis pro * bonitate omnium Chriſtianorum, & etiam pro unione eccleſiarum Chriſti, & poſtulaverunt nos, ut mittere velimus noſtros ambaſſiatores ad V. R. P. pro iſto negotio ſancto unionis. Nos igitur illos & dicta per illos gratiſſime accepimus & audivimus : quia unionem prædictam jam diu deſideramus & petimus, & pro iſta multotiens miſimus noſtros ambaſſiatores ad ſacroſanctam Romanam eccleſiam, & iſtius ſummum pontificem, ſicut manifeſtum eſt omni mundo. Et nunc quoniam V. R. P. pro unione fienda miſerunt, & placuit vobis ut mitteremus noſtros ambaſſiatores ſuper tale propoſitum dicturos & audituros, & facturos quæ & quanta ad hæc pertinent : lætati ſumus valde & magnum habuimus gaudium, & ſecundum veſtram voluntatem & petitionem elegimus & miſimus noſtros ambaſſiatores excellentes, qui cum receſſi fuiſſent a noſtra civitate cum navi ſimul cum veſtris ambaſſiatoribus, reverſi fuerunt navitæ & cum magno periculo a procellis & turbatione maris. Et poſtea nobis viſum fuit propter cauſas veras & neceſſarias, ut unus ex veſtris ambaſſiatoribus veniat ad V. R. P. pro oſtendendo omnia; D reliquus vero remaneat hic, & vere inchoato veniat & ille cum noſtris ambaſſiatoribus prædictis, quod ſic factum eſt. Et nunc venit reverſus ad V. P. R. reverendus ANTHONIUS epiſcopus Sudenſis veſter ambaſſiator, ex quo de omnibus latius & particulariter ſcietis. Poſtea vero venient & prædicti ambaſſiatores noſtri cum fratre ALBERTO de Criſpis ſacræ paginæ profeſſore, & tunc etiam clarius & perfectius de omnibus V. R. P. ſcient. Datum in noſtra civitate Conſtantinopoli, die XXVIII. Novembris MCCCCXXXIII.

Signata manu propria imperatoris, de rubeo tamen & intra litteram, &c. ut moris eſt, indictione menſis Novembris XII.

* *f.* unitate.

PROPOSITIO FACTA PER DOMINUM legatum in concilio Baſileenſi in publica congregatione ambaxiatoribus Græcorum.

Ex *mſ.* vetus collegii Navarræ.

1. MOS eſt magna laude dignus, apud noſtros eccleſiaſticos diutiſſime obſervatus, cum de rebus arduis dicturi ſunt, ab aliquo ſacræ ſcripturæ verbo initium dicendi facere. Et recte quidem. Nam quanto ex fortiori materia fundamentum conſtructum fuerit, tanto quod ſuperimponitur ædificium firmius ac durabilius erit. Me autem B qui ad hanc rem, utinam digne electus eſſem, cum juſſu eccleſiæ loquuturus ſim, hujuſmodi laudabilem eccleſiæ conſuetudinem præ cæteris imitari oportet. Sed unde melius exordiri potero, quam ab his verbis, quæ Redemtor noſter ſuo ſacratiſſimo ore, ſuiſque benedictis labiis, circa tempus præſertim redemtionis noſtræ, protulit : quæ quia de dilectione Dei, de obſervatione mandatorum, de pace & unitate eccleſiæ dicta ſunt, cujuſquam dignius nuſquam convenientius quam modo, & hoc in loco recitari poſſunt. Hæc ſunt illa ſaluriſera verba noſtris inſculpenda C cordibus, paulo ante in officio lecta, quæ catholica eccleſia in Sancti Spiritus ſolemnitate decantare ſolet, ſum a ex evangelio Johannis XXIV. c. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad Deum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Licet omnipotens Deus neminem mortalium ſecundum communem legem de gratia ſua certum eſſe velit, juxta illud Eccleſiaſtes : *Nemo ſcit an odio an amore dignus ſit;* reliquit tamen nobis argumenta quædam, per quæ gratiæ ſuæ non mediocrem conjecturam habere poſſimus. Et ſicut cetera omnia, ita utrumque horum ſumma D cum ratione diſpoſuit, ne ſi forſitan divinæ gratiæ certi eſſemus, in elationem aliquando mentis aut deſidiam nimiam; econtra ſi nullam penitus haberemus conjecturam, in deſperationem aut puſillanimitatem incideremus.

2. Inter cetera autem divinæ gratiæ indicia, potiſſimum illud eſſe videtur, quod Salvator noſter his verbis nobis intimat : *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus.* Si quis ergo de gratia & dilectione Dei ſperare vult, neE ceſſe habet, ut ſermonem Dei fideliter cuſtodiat, & mandata ejus diligenter obſervet, alioquin, ut inquit Johannes, *qui dicit ſe noſſe Deum*, quod per dilectionem fit, *& mandata ejus non ſervat, hic mendax eſt, & veritas non eſt in eo.* Quapropter cum felicitatem & beatitudinem omnes homines ſuper omnia naturaliter appetant, & hæc ipſa felicitas & beatitudo ſine gratia & dilectione

Dei habeti nequaquam possint, nec quoque ipsa gratia & dilectio sine observatione mandatorum; quid aliud restat? nisi ut omnem vim, robur atque industriam ad observantiam mandatorum apponere debeamus: quæ quidem mandata, ut inquit Psalmista, mandat Dominus custodiri nimis: & ita nimis, ut in veteri testamento manu alligari, limineque ac postibus domus describi jusserit, quod jugem continuamque illorum commemorationem significat. Sed ne forsitan humana fragilitas, quæ vitio naturæ ad malum prona est, mandata Dei refringeret, timens illorum pondus ac gravitatem, duo mox subjunxit clementissimus Deus, quorum alterum efficit, ut etiamsi mandata durissima essent, magnitudine propositi præmii levissima viderentur. Inquit enim: *Et Pater meus dilexit eum, & ad eum venit, & mansionem apud eum faciemus.* Alterum vero manifestum demonstrat jugum Domini fore levissimum, & onus ejus suavissimum, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Consideremus ergo, si placet, præmii magnitudinem, deinde præcepti felicitatem: & quoniam, ut ait Apostolus, *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, divinarum rerum probationes ex humanis æstimemus exemplis.

3. Quid autem sit diligi a Deo, tunc levius intelligemus, si prius quid sit ab homine diligi requiram. Si quem vere diligimus & vera ei amicitia conjuncti sumus; res omnes, fortunas nostras, consilia & auxilia illi tamquam nobismetipsis communicamus. Quis enim medicus alicujus infirmi amicus est, qui mox, quantum per artem poterit, non curet eum sanitati restituere? Si cujus oppressi vel pauperis aut novitatem patientis, aliquis potens ac sapiens amicus sit, amico suo succurrere, consulere, opem ferre, & opportune providere non differet. Verus enim amicus non potest nec se, nec sua ullo pacto amico indigenti subtrahere aut denegare. Quod si amicus homo comparatione Dei impotentissimus & imperfectissimus, talem amici sui curam habet; quid de omnipotenti Deo aliquem diligente existimare debemus? Hinc ipse Salvator inquit: *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* Cui igitur ista consideranti grave videri poterit, mandata Domini servare, cum hinc ejus amicitiam promereatur, ut ipse inquit: *Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis?* Quod si veræ amicitiæ lex est, ut amicorum omnia communia sint, longeque liberalior ac perfectior amicus Dei sit quam homo, consequens est ut omnia sua quæ innumerabilia sunt, quin immo & seipsum largiatur dilectis suis, quibus etiam pacto infallibili pollicetur Dominus: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.* Quis hoc audiens non expergiscatur? Sed quis non ardeat totus, hæc quæ sequuntur diligenter attendens? Inter humanæ amicitiæ voluptates, illa præcipua videtur, amici præsentia: Sed hæc inter homines pro minima parte fieri potest. At si cui est amicus Deus, continua eum præsentia fovet, reficit, consolatur. Inquit enim: *Et ad eum venicmus, & mansionem apud eum faciemus*; nec sicut homines pro se solent, Dominus apud dilectos mansionem otiosam, somnolentam, aut inutilem facit. Loquitur enim continue ad cor hominis & animæ dilectæ, sanctas semper cogitationes inspirat. Unde propheta regius dicebat: *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Vocatus autem non obmutescit, nec opem differt; sed repente *Ecce adsum* respondet. Ejus vero oculi super dilectos semper vigilant, & aures ejus sunt semper intentæ, si quid dilectus petat. Unde scriptum est: *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.* Sic autem sedulam & continuam dilectorum suorum curam habet, ut eos sub umbra alarum suarum protegat, scapulisque obumbret, & scuto potentiæ suæ circumdet eos; qui si forte cadere viderit dilectum suum, statim ne se offendat, omnipotentem supponit manum. Quantæ igitur dignitatis, excellentiæ & utilitatis sit hominem visitari a Deo, & Deum apud hominem mansionem facere, quis digne queat exprimere? quis ista discutiens, non in stuporem potius mentis quam in vocem laudationis possit erumpere? Quis ille Chrysostomus, aut Demosthenes, aut Augustus, aut Tullius minimam etiam suavitatis particulam posset explicare, non solum quæ gustando, sed quæ talia cogitando sentitur? O felicem hominem si tuam conditionem noscres! En servando mandata trahis Deum, ac factorem, moderatorem universi, ad visitandum te, & non tantummodo ad visitandum, sed manducandum & cohabitandum tecum! O beatum domicilium talem habens visitatorem, talem mansionarium, talem hospitem, quem si velis, potes semper apud te habere, dummodo ejus præcepta non negligas! Neque hoc Deo optimo satis est cohabitare cum amico suo, nisi & ipsum unum spiritum efficiat: Scriptum est enim: *Qui adhæret Deo, unus Spiritus est cum Deo.*

4. Sed ne ullus relinquatur querelæ locus, quomodo mandata sua aspera sint, ea quæ superius in genere expresserat de mandatis & præceptis servandis, nunc nominatim specificat Dominus: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et, *hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Supervacuum puto ratione vel auctoritate vel exemplis probatum ire quam utilis & necessaria sit hominibus pax,

quamquam ejus nomen dulce & ſuave ac jucundum, natura ipſa omnia venientia ad pacem inclinat. Nemo eſt qui non animo ſuo pacem, ut finem quemdam, non conſtituat. Speciale quoddam privilegium pax ipſa habet, ut ſecundum Auguſtinum a ſuo etiam contrario quæratur, quod ceteris non congruit virtutibus. Ipſi enim qui bella gerunt, ad hoc certant & deſiderant, ut pace tamdem potiantur. Ita pax noſtra Deo grata eſt, ut qui eam quærunt, in filios ſuos adoptare dignetur. *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Et cum Dominus octo beatitudines nominaret, cuilibet præmia ſua conſtituens, ſolis pacificis nomen filiorum Dei, quod maximum eſt, conſcripſit. Honorabilius autem & multo dignius eſt fieri filium Dei, quam quævis alia poſſidere. Quantum inter Chriſtianos pax, unitas & caritas Chriſto noſtro fuerit cordi documentum, illud intimat datum diſcipulis ad prædicandum miſſis, ut in quamcumque domum intrarent, primum dicerent: *Pax huic domui.* Sed & ſermo ille prolixus, quem poſt ultimam cœnam edidit ex hoc mundo tranſiturus ad Patrem, evidenter oſtendit, cujus omnia fere verba, nihil aliud quam pacem, unitatem & caritatem redolent. Multis enim modis id ipſum repetens Salvator noſter, non poſſe quaſi ſatiari videbatur: Modo, inquit, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Et, *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem.* modo: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* modo: *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Iterum atque iterum: *Hoc mando vobis, ut diligatis invicem.* Et tamdem multa quæ dixerat uno verbo concludens, dixit: *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis.* Convertenſque ſtatim ſermonem ad Patrem, orabat inſtanter, ut diſcipuli ſui unum eſſent, ſicut ipſi ſunt Pater & Filius. Et licet tunc acerbiſſima paſſionis inſtaret hora, cerneretque quod Judas & Judæi impii adverſus eum machinabantur, ac quanta ſibi parabantur ſupplicia, flagella & tormenta proſpiceret; nihilominus quaſi ſui oblitus, ſolum ad exhortandum pacem, unitatem & caritatem inter diſcipulos intentus erat. Multa balbutiendo dixi de pace & unitate; ſed pauca pro effectu hujus ſacri concilii, quin immo & pauciſſima pro effectu quem mirum in modum deſideramus, ut nos & vos unum ſimus in unitate Spiritus in vinculo pacis.

5. Ex his ſacri evangelii verbis, reverendi oratores, edocti ſumus quid facere nos oporteat; videndum reſtat an ſic faciamus, & ſi quid impedimenti eſt, ut illud omnino de medio tollatur. Et primo ab hac ſancta ſynodo inchoandum reor, quæ prius pacis ſigna oſtendit. Deinde veniam ad vos, qui ipſam ſynodum æquis paſſibus ſequi nitimini. Hæc igitur ſancta ſynodus cupiens ſuper omnia diligere Deum, & diligi ab eo, ſummopere curavit præcepta ejus ſervare, præſertim ea quæ pacis ſunt. Nam præter cetera ſanctitatis opera, ob quæ congregata eſt, pacem in populo Chriſtiano pro viribus inquirit & proſequitur. Et quoniam ſuper omnem pacem, & pax & unitas eccleſiæ Occidentalis & Orientalis magis neceſſaria videbatur, omnem adhibuit diligentiam, ut illa diebus noſtris [fieret.] Quamobrem duos oratores, reverendum patrem epiſcopum Sudenſem, & venerabilem magiſtrum Albertum de Criſpis hic præſentes, pro hoc ſancto opere uſque Conſtantinopolim deſtinavit; & quamquam pro longitudine & rei gravitate per magnum temporum ſpatium vos expectandos cogitaremus, decrevimus tamen omnia potius ferre incommoda, quam tam ſalubrem & neceſſariam pacem negligere. Fecimus igitur, quantum in nobis fuit, exhortando, rogando, vocando & interpellando vos, ut ad hunc locum pacis pro ipſa pace proficiſceremini, prout latius ipſos oratores noſtros in Conſtantinopolitana urbe noſtro nomine referentes audiviſtis. Sed nec ſolum hoc egiſſe contenti ſumus; quin immo propter præceptum Domini & caritatem nimiam, quam ad vos habemus, facere promto animo nos paratos offerimus, quicquid ad hanc pacem & unitatem feliciter conſummandam neceſſarium ſeu accommodum viſum fuerit. Nunc de deſiderio & voluntate veſtra aliquid ad pacem dicam, & utinam tam digna, ſicut merita veſtra expoſcunt. Dediſtis & vos non parva indicia, per quæ vos divinis obtemperare mandatis, pacem & unitatem velle nobiſcum renovare ſatis cognoſci poteſt. Ut primum domini oratores noſtri Conſtantinopolim ingreſſi ſunt, tam ſereniſſimus dominus imperator, quam patriarcha, magna cum honorificentia eos ſuſceperunt. Lætitia quam patria veſtra in ipſorum demonſtravit adventu, honorque, munificentia, hoſpitalitas & tanta humanitatis officia, magnum perhibent animi veſtri ad pacem argumentum. Rogati poſt hæc imperator & patriarcha, ut oratores ad hoc ſacrum concilium deſtinarent, libenter aſſentientes, vos viros inſignes ad hoc ſanctum opus conficiendum deſtinarunt, deſignatoſque continuo navim aſcendere juſſerunt. Jamque diu applicuiſſetis, niſi procellæ maris & adverſus nimium ventus impedimento fuiſſent.

6. Ne autem longior mora ulla nobis ſuſpicionem poſſet ingerere, conſulte deliberaſtis dominum epiſcopum præmittere, qui veſtræ bonæ voluntatis, veſtrique paulo poſt futuri acceſſus nos certiores redderet. Sed poſteaquam temporis opportunitas docta eſt ad hoc ſanctum opus, *illico vos attingentes*, non longitudinem itineris, non viarum diſcrimina, non terras ignotas, non denique

plurima, quæ tam longe itinerantibus occurrunt *incommoda formidastis*. Et quamquam in via prædonum injurias, rerumque amissionem, plurimaque adversa passi sitis; constantia tamen animi semper retenta, huc quam celerius fieri potuit, Deo duce, applicuistis. Hæc omnia quam receptem promtumque ad unitatem animum habeatis, manifeste significant. Sed ex his omnibus impedimentis difficilibusque principiis spem unam *felicissimi exitus utrimque concipiamus*. Soler antiquus hostis, cum videt aliquid magni in ecclesia Dei inchoari, mille ad impediendum parare insidias. Nobis autem plurimas dedit, & adhuc quotidie dare non cessat; sed quo plures infelix ipse nobis laqueos intendit, plures certe triumphos administrat: & quo nos magis mergere satagit, eo gloriosiores exsurgere nos facit Christus Dominus noster. Prævidebat, *advenientibus vobis*, posse fieri pacem in ecclesia Dei, cujus tantam intelligebat futuram utilitatem, ut ex nulla umquam pace tanta provenerit; proinde terra marique vos a sancto proposito deturbare conabatur, nunc potestatibus æthereis mare commovens, nunc raptorum sævitiam instigans, ut vos nullatenus ad locum pacis nobiscum de pace conveniretis. Sed Christus Salvator noster *sponsam suam* ecclesiam consolari volens, & ventis ac latronibus fortiorem vobis animum tribuens, per varios casus ac discrimina tamdem incolumes ad hanc sanctam synodum perduxit: pro quo suæ majestati ex toto corde infinitas agimus gratias, suam humiliter gratiam exorantes, ut hæc magna principia felici & optato fine concludere dignetur. Vestro autem adventu mirum in modum gaudemus omnes. vestra etiam præsentia ita lætamur & exultamus, ut nemo pro quo tantum gaudii cepissemus, huc accedere potuisset. Utique cum iste vester adventus arrham quasi futuræ unionis aspiratus videatur, revertamur jam unde paululum digressi sumus. Nos igitur ac vos cum plurima pacis indicia, magnumque unitatis desiderium habuisse, habereque ostendamus, omni conatu incumbere debemus, ut bonam hanc voluntatem & per operis evidentiam ad consummationem usque perducamus; majus, quod in hac sit, est bona voluntas. Hanc utraque pars optimam se habere asserit, & signis evidentibus comprobavit. disponamus jam manus ad reliqua, & quod restat, sine intermissione & omni cum diligentia prosequamur. Veniamus jam prope ostium, & illud manu tangendo pene aperiamus.

7. Quid supereſt, fratres dilectissimi, nisi ut alter alterum in unitate spiritus complectentes, introeamus cantantes: *Ecce quam bonum & quam jocundum habitare fratres in unum*? sed video in ipso ostii limine offendiculum quoddam, sed forte pervium, nescio quis verbalis forsitan differentiæ obex se *interponit, & nos paruliper ab ingressu retardat*. Eia fratres in nomine Jesu Christi & spiritus ejus, qui spiritus est caritatis & pacis, obstacula illa quæcumque illa sint procul amoveamus, ut plana & expedita via ingrediamur in dilecta tabernacula Domini virtutum. quænam illæ differentiæ esse possint, quæ sanctam unitatem nostram dirimere valeant? quis lapis offensionis nos ejusdem *patris filios ab hereditate in* testamento dominico nobis relicta tantopere commendata privare poterit? Absit, fratres, absit, ut Christi orationem pro unitate nostra porrectam ad Patrem nostra culpa, quantum ad nos invicem, faciamus irritam. Et quomodo diligere Deum & diligi a Deo poterimus? quomodo ipse Deus pacis veniet ad nos, & apud nos mansionem faciet, si sanctum pacis & *unitatis præceptum non observemus*? Christus, ut inquit apostolus, est pax nostra & ipse fecit utraque unum & medium parietem maceriæ, solvens duos condidit in semetipso in unum hominem novum, faciens pacem, ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso. ipse veniens evangelizavit nobis pacem his qui longe & his qui prope. *Ipse nascens annunciavit nobis* per angelos pacem. Ipse prædicans docuit nos pacem, ipse moriens reliquit nobis pacem. Et nos qui dici volumus discipuli ejus, & Christiano nomine gaudemus, poterimus quacumque occasione pacem non colere, & unitatem ecclesiasticam negligere?

8. Consideremus in quam parva re differamus & in quot & quibus convenimus, *erubescendum erit*, quod inter nos dissidium amplius hoc patiamur. Utrique fatemur unum Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum, tres personas in unitate substantiæ, utrique tenemus Petri testamentum, utrique novum. plurimos sanctos doctores tam Græcos quam Latinos utrique tenemus & approbamus. Impossibile est quin ex his plurimis in quibus unanimiter consentimus elici *non possit veritas*. *Impossibile* certe arbitror per tot librorum volumina, quæ vel a Deo vel a Spiritu Dei per sanctos patres sunt condita, in quibus quæcumque ad salutem necessaria descripta sunt, omnem quæ inter nos est differentiam evacuari non posse. Hæc veritas licet sæpe declarata sit, & postremo in Lugdunensi concilio omnis sublata discordia, nihilominus si quis adhuc scrupulus restat, si quis ampliorem declarationem efflagitat, ecce sancta nostra mater ecclesia hic in Spiritu-sancto congregata, paratam se offert, juxta doctrinam S. Petri, omni poscenti de ea quæ in se est fide reddere rationem cum omni catitate & mansuetudine. Et quoniam nihil nobis tam est curæ, nihilque magis cordi nostro infixum

hæret, quam ut omnes qui Christiano nomine censentur, solliciti simus servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Et sicut unus est Christus & una Christi fides : ita simus in una fide, idem Christi corpus. Ideoque caritatem Christi, qui animam suam pro nobis posuit, ac suum pretiosum sanguinem quo nos redemit, ex toto corde nostro, ex tota anima nostra, ex tota intentione nostra vos hortamur, vos rogamus & obsecramus, ut a modo *id ipsum secundum apostolum* dicamus, & non sint in nobis schismata, sed sicut sumus Christiani, ita simus uniti & pacifici ad invicem Christiani. Nos pacem & unitatem in Christo vobiscum & omnibus hominibus habere desideramus & quærimus. Pro hac pace & unitate, nullum laborem, nullum opus respuimus ; pro illa, si opus sit, exemplo Salvatoris nostri nos ipsos & animas nostras *impendere* & superimpendere parati sumus. Similique modo & vos & omnes homines facere optamus. alioquin qui secus fecerit frustra Deum colit, frustra Christianus est. Nihil sibi homines,* nihil sibi jejunia, nihil eleemosynæ, nihil denique ipsa martyria, sine caritate & unitate ecclesiastica, secundum apostolum prodesse poterunt. id ipsum vos esse facturos *quod nos facimus, ex multis quas supra memoravimus* conjecturis sperandum est. quod ut faciatis præceptum domini de pace & unitate vobis necessitatem imponit salus animarum, quæ extra ecclesiæ unitatem esse non potest. vos attat sanguis Christi pro ecclesia effusus, ita vos agere reddit obnoxios, promissiones Domini ac præmia vitæ æternæ ad hoc sanctum opus vos merito debent allicere. Sed & quis erit *ille tam impius* Christianus, cujus ad compatiendum & succurrendum viscera numquam ex hoc dissidio apud inimicos patiuntur nominis Christi. Dirrident enim Christianam religionem Judæi, Turci, Sarraceni & alii infideles, quam sic in fide divisam conspiciunt ; & cum ei in alio detrahere nequeant, pro hac tanta divisione blasphemiis lacerant & maledictis discrepant.* Et quam *unitam formidant, sic* scissam contemnunt ac nihil faciunt. Multi procul dubio ad orthodoxam converterentur fidem ; sed videntes nos invicem de variis certare dogmatibus, adversisque discrepare opinionibus, in suo errore perseverant. Nescientes quos eligant, quibusve magis adhæreant. Heu ! quam ingemiscendum pariter & erubescendum, quod cum nulla infidelium secta *ita* pacem & *unitatem sicut* lex nostra præcipiat : apud nullos tamen minus quam apud Christianos pax & unitas in credendo servatur. Quodnam est hoc opprobrium, quod ipsi infideles in erroribus & superstitionibus suis pene conveniant omnes qui eamdem sectam tenent ; & nos veram fidem colentes, eademque veritatis principia recognoscentes, sic inter nos varie *dissentimus*? animarum præterea perditio, quas multis modis infideles pervertunt, nonne unionem mutuam vobis persuadere debent? Numquid non in extremo Dei judicio sanguis, nostra culpa ac desidia ...., peremit de manibus nostris exigetur, cum multis malis possumus & negligamus occurrere? Heu ! quot singulis annis filios etiam perdit, qui in manus deducti infidelium fidem *catholicam abnegare coguntur*.

9. In ultimis rerum temporalium detrimenta corporumque pericula dicenda reservavi. Hæcenim quia oculis conspiciuntur, magis cogitare magisque horrere solent. Post hoc* exactandum dissidium in ecclesia ortum, quot quantaque damna, injurias, persecutiones contumelias a Turcis, Tartaris, & Sarracenis, nobilissima Græcorum patria quadringentis *fere annis passa sit, & quotidie*, proh dolor! amplius atque amplius patiatur, ad quantum exterminium ecclesias orientales barbaricus infidelium furor deduxerit, quis referens a lacrymis se temperet? quot oppida præclarissima, quot urbes insignes diruptæ sint & solo æquatæ? quot numerosæ gentes, quot populosæ provinciæ a vestigiis deletæ? quanta quoque depopulatio ac ruina in orientali plaga *hinc sequuta sunt*? *quam horribili* servituti & jugo tributario Christiani orientales subjiciantur, & quam proximo periculo extremæ proditionis ceteri qui restant, & quidquid supereſt vestrorum populorum subjaceant quis nesciat? quis sciens non fleat? & quis flens non provideat ? Præter hæc liberalium artium aliarumque scientiarum studia, quæ illa in patria quondam copiosissime *florebant, nunc penitus deserta videntur*, & ubi semiarium olim litterarum erat, & omnis eloquentiæ & sapientiæ fons, quid modo superſit vos melius nostis. Horum omnium dissidium istud fuisse causam communem & omnium scandalorum. Sed omnium horum reparatio ipsa vestra nobiscum unitas judicio omnium futura extimatur. Nullum his calamitatibus facilius est remedium, *quam ut omnes* qui Christum *colunt in* eadem fidei nectantur unitate, & alter alteri sint fratres, invicem opem ferant, & mutuo subsidia ministrent ad adjuvandum vos, pellendumque de Græcia Turcos, certatim concurrant. quin immo reconciliationis fama ita illos attonitos reddet, ut desperare cogantur in terra vestra posse amplius innovati. Convocabimus reges, duces, & principes, & omnem populum Christianum. Sed & non vocati ultrò ad vestra præsidia confluent. Nemo erit qui quicquid roboris ac virium poterit vestræ genti non conferat.

10. Videor post hanc unitatem videre non longum affuturum tempus, quo pristinæ gloriæ & libertati tota restituatur. decus, dignitates & ornamenta majorum recuperabit,

*f. orationes.

*f. discrepant.

*f. exactandum.

& fiet, Deo disponente, Græcia illa quæ felici tempore olim florebat, tanta denique Latini ac Græci caritate copulabuntur, ut inter ipsos ac Germanos fratres, nihil pene interſit: ita ut nullum quodammodo inter eos fuisse quondam dissidium videatur. Quis tunc tam disertus ullo dicendi genere explicare illam poterit lætitiam ac jubilationem, quam sancta mater ecclesia ex optata filiorum unione suscipiet? vix corda hominum tam grande atque insolitum gaudium intra se capere poterunt, omnes ad cœlum levabunt manus, magnificantes & benedicentes Dominum, qui his noviſſimis diebus populum consolari dignatus est. Nemo præ gaudio a lacrymis continere poterit, talem intuens successum, quo nullus a principio nascentis ecclesiæ utilior atque optabilior visus fuit. Et quanto diutius ac pernicioſius hoc constat fuisse divortium, tanto reconciliatio gratior jucundiorque æstimabitur. Et quemadmodum nova humo revirescente, omnia quasi ridere videntur; sic inter nos pace compoſita, tota Christianitas resloresceet, & nimio quodam applausu jubilabit. Ipsa quoque mater ecclesia, quam pro tam diuturno filiorum dissidio nimius mœror in decrepitam senectutem adduxerat, pro tanta felicitate ad secundam adolescentiam revertetur. O quam glorioſum erit tunc esse Christianum! O quam longe lateque fides orthodoxa palmites suos diffundet! quantus hinc Christianæ religioni redundabit honor, decus, ac gloria! quantuſque timor & pavor adversariis suis, si diebus nostris hæc facere dignaretur Deus! O si hunc optatiſſimum diem oculis noſtris umquam intueri poſſemus multos fore non ambigo tam ex hoc cœtu, quam ex reliquo ecclesiæ corpore, sic hujus unionis desiderio accensos, ut poſt illam vix momento supervivere optarent, dicentes cum sancto sene Simeone: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Unionem ecclesiæ igitur acceleranda, fratres, & sicut faber calidum ferrum malleo super incudem percutit: ita nos ardentiſſimum ac ferventiſſimum desiderium noſtrum ad consummationem optati operis sine mora convertamus.

11. Ut ista igitur cogitetis, & cogitantes opportune provideatis, etsi omnia quæ prædiximus, & quamplura quæ pro vestra sapientia poteſtis, vos excitent & admoneant; nos nihilominus pro Christiana caritate id ipsum iterum atque iterum sollicitamus, rogamus & obsecramus, quod si feceritis, prout speramus, veri eritis cœlestium præceptorum conservatores, ut Deum reipsa diligere & ab eo diligi comprobabitis, qui veniet ad vos & mansionem apud vos faciet, hic per gratiam, & in patria cœlesti per gloriam, quam Jesus Christus nobis & vobis & omnibus Christianis largiri dignetur, qui vivit cum Patre & Spiritu sancto benedictus in sæcula. Amen.

RESPONSIO
præfatorum ambaſſiatorum, ſacro concilio Baſileenſi facta.

Ex cod. mſ.

1. PRimum quidem, o sacrosancta synode, de gloria & laude vestra dicturus, a Deo immortali auxilium invoco & favorem, præcipue cum ea laus ejus communis sit, ut quicumque de ea dicat, multum a dignitate vestrorum operum deficere necesse sit. Immo si antiqui clariſſimi oratores, & qui hac nostra ætate vivunt, adesſent, dignam vestris gestis orationem nequaquam haberent, & multis fortaſſis & ornate dicerent res a vobis bene gestas. Neque illi omnes conatum oporteret meo arbitratu dicere, cum tanto vestris operibus atque gestis omnium oratio sit inferior. Cum igitur hæc multis attenderem, quid mihi eveniet, parvam in dicendo vim habenti? Præterea cum enim nondum corpore bene valeam, & vix jam a longo & diuturno morbo liberatus sim, quin etiam adhuc reliquias malæ valetudinis aliquas fero. Sententia enim philoſophorum est & vera, animas hominum, si corpora patiantur, una quodammodo cum illis pati. Propterea vos omnes oro, ut patienter & æquitate animorum hanc meam orationem audiatis, nihil ſimilem rebus a vobis gestis. Nam parum in exercitatione dicendi expertus sum, & ea est magnitudo dignitatis vestræ, ut non modo dicere, sed vix eam inſpicere totam poſſim. Quam enim ex rebus quas a primis sæculis admirari, in nobis aliquis inſpiciens, non inveniret virtutem, quæ Dei est, & magnorum virorum, qui ad Deum cupiditatem intendunt, qua Deo ſimiles efficiuntur, & sine qua nihil viro dignum effici potest? Qua ratione & secundum ejus naturam vivere vult, quam etiam solum ex rebus omnibus si acceperint homines, ſimiles Deo quodammdo fiunt, quam præterea eos qui etiam poſſident, cœlorum cives esse demonſtrat. Ubinam quiſpiam viros virtute præditos plures videat, quos singulos singulatim conſideret? Ubi elegantiores simul animos? ubi magis pullulantes virtutes florentes, ut de phœnice propheta dicit. Quid hic apud vos? qui omnem orbem tamquam alia apoſtolorum ſocietas hic congregata, & certamen maximum aggreſſi, alios quidem devios & aberrantes dirigere ſtudetis, & ad primam fidem reducere, & pietatem in aliis, qui quamvis recte & divinis antiquorum patrum legibus & apoſtolorum vivant, quos usque modo, quos puto ab uno & ecclesiæ sanctæ corpore longitudo temporis diviſit, & non parum ad invium alienavit, immo

in tantum malitiæ principes alteros contra alteros instigavit, ut verbis invicem quandoque scriptisque pugnaverint, omni animo intenditis. Hinc ipsum abalienationis verbum sanare & corrigere, cum & legatos ad illos misistis, omnium puto bonam honestamque pacem & concordiam cupientes, quia unum ecclesiæ Dei corpus per multorum annorum spatium olim gavisa est, quamque diabolus scidit & divisit. Et quamquam ab ecclesia orientali sæpe pro ea legati missi fuerint, nullum tamen tempus adhuc tam magnum ac tam egregium opus videre potuit; sed vobis ut videtur summa virtute & sapientia præditis, res ipsa servabatur, qui omni ratione unitatem vultis, volentes ut id fieret studuistis studentes, ut eumdem veniremus locum fecistis, ad quem venimus, optimo & expectato fine, auctore Deo, res concludetur. Quod si ad laudabilem finem vestra providentia venerit, quis digne laudabit promtitudinem vestram? quis studium? qui in eumdem locum vestrum omnem conventum, qui ex gratia Spiritus-sancti intuemur. tantum quantum etiam laudis habet, quod a singulis patria relicta in aliena civitate, quasi in propria domo longam & diuturnam diuturnitatis moram ad hoc maximum & clarissimum opus, cum hunc vestrum conventum tanta animorum æquitate unitum, ut acceleretis, & patiamini moram, hortaturus, rogaturus, obsecraturus sim quod quidem paulo post & suo tempore faciam.

2. Non hoc quod super utilitate Christiani nominis conduceret omisistis, non jura, non æquitates, non ritus, non consuetudines, non leges. Omnia enim quæ Christi ecclesiæ conferunt, quæ civitatibus, quæ populis, quæ generi hominum, divina quadam providentia, divina industria tractatis. Nam divinum id vere est opus. Horum aliqua quidem opportune composuistis, alia ut componatis in manu sunt, reliqua corrigere *estis futuri. Quisnam igitur maxima* & divina vestra opera digne laudabit? quippe si quis tam claram, tam splendidam, tam ardentem vocem haberet, ut clamans ubique & finibus terrarum audiretur; numquam, quantum oportet, famam laudis & gloriæ vestræ extendere posset: quæ tam ampla, tam laude digna, tam Deo grata gesta vestra sint, ex certo nullum tempus, ut reliqua humana soler, abolebit. Ac primum quidem quantum paci hominum studeatis dicam, ac quam mira industria, magno certamine, & diligentissima cura nitimini: qui omnem mentem, omne studium intendentes, maximum hoc & sacrum pacis opus per omnem orbem firmare, & stabilire vehementer quadam innata animi cupiditate desideratis. Postea & alia fabri. . . . . non quantum *sapientiæ misit vobis aut ingenii, non quanta* elegantia sacræ theologiæ munus habeatis, non quia perspicacia & a civitate jus vel civile intelligatis vel exerceatis pontificium, non quanta Dei muneribus & loca scitis & videtis, sed quantum personæ videatur posse concedere tempus, & quantum cura indicendo jus valeat.

3. Pax magna quædam res, magnum quoddam nomen, angelicas cœlestesque virtutes continet, una & prima & magna deitatis luce circumvolantes, quæ divino illo & miro nutriuntur cibo, splendescere scilicet aptissima civitate. Hæ pace colligantur, & vivunt caritatis modo. Pax enim mundum rerum intelligibilium continet, quæ magis propinquos unitosque, in luce divina, quæ nec dici potest, nec addisci. Pax cujusquam magni boni, quæ & operis est factrix & conservatrix. Discordia e contra, quæ divisionem, schisma & litem assidue machinatur; non illum quidem invisibilium rerum mundum, & ita ut tantum erat, splendentem reliquit; immo quædam, quæ prima luce fulgebant, obscura fecit, & illic multas virtutes extraxit, quæ postea malorum operum auctrices factæ sunt. Extractus est qui eo tempore malitiæ dux fuit & postea perpetuo. Sed advertite ad hunc istum mundum, quem videns, qui diversis compositus elementis, si nulla qualitatum superabundet, pax & ordo in luce & quiete continet totum æquitate quadam omnibus quoad Dominum: cum discordia, confusio & contentio in illum venit; tunc superat turbo, & totius quasi dissolutio fit & perditio, ac pulcherrimum & expectatissimum hunc mundum deformitas quædam possidet & obscuritas, nec inspici quidem omnino potest. sed descendimus ad parvam mundi partem, hominem scilicet, maximam vero, & reginam & principem rerum omnium mundanarum, ut Deus jussit. Hic enim cum id quod in se est struat, & æquitatem animi & statum non omittat, pacem vero stabilem firmamque tenet, tunc maxime societati angelorum fit similis, numero atque ordine ambulanti. Cum vero a seipso decidit, pugna ac lite vexatur: quæ si parum crescat, rationem omnem ab illo diffugit, magnumque animarum & *tribulentium* facit; qui phantasiis quibusdam obscuris similis, vacuum se in omnibus & sine firmitate demonstrat. Verum inspiciamus quæ res qualisque pax sit. Pax certe sua quadam pulcritudine ferme regna securat; pax res publicas, quæ populos gubernant, servat; pax quæ civitates, quæ nobilibus eximiisque viris reguntur, servat, & omnem alium justum principatum. Pace urbes & crescunt & ornantur, qua magnum incrementum efficitur & subditis & principibus. Hæc villas & domos construit, hæc desolatas diruptasque terras habitat, hæc incultas relictasque colit, & omne quicquid inspicit augmentat, & ad magnam felicitatem venire facit; & ut multa de paucis

cis dicam, quicquid pulcherrimum & ſublime eſt, hoc factum conſtructumque fuit, ſine quo nihil in hac vita rectum ordinatumque eſt. Inimicitia & diſcordia e contra, bella ſuſcitant & conſtituunt. Ex bellis oriuntur cædes, ex cædibus deſtructio ac perditio fit hominum, villarum, civitatum, & rerum omnium publicarum. Venit etiam & ad bruta animalia. nam & una cum hominibus patiuntur & illa. Quid magnos lætoſque habentem viros urbem Trojanam deſtruxit? nonne pugnæ & diſſidia? Babyloniæ vero illum tutum, eminentem, clariſſimum & fortiſſimum murum, nonne hæc diruit? ſacram Jeroſolymæ civitatem, nonne hæc demolita eſt? nonne hæc etiam omnium fere Judæorum genus captivum ad Aſſyrios duxit? Nonne hæc Aſſyriorum, in Italia civitates olim claræ ab hac diruptæ, adhuc incultæ deſertæque manent? Vidimus non multum ab hac Galliam florentem, nunc aſſiduis Britannicis bellis ac diſcordia deflorere; quaſi videmus & duos illos maximorum Chriſtianorum principatus frequenti bello & inimicitia deterni.* Væ ubi hæc dominantur. Nonne ad interitum quaſi omnes res vertit? Hæc omnia quæ dixi, & antiqui libri & moderni, & quæ appellantur tragœdiæ & hiſtoriæ, vera eſſe probant.

*f. deſtrui.

4. Quibus cauſis, ô ſacer ſancteque cœtus, animis veſtris Spiritus ſancti gratia firmatum eſt, ut omni orbi pacem ponatis, & magno tempore certetis hoc tam magnum bonum omni hominum generi diſtribuere: memores quod Chriſtus nullo alio nomine ſe appellavit, non omnipotentem, non factorem, non rerum futurarum cognitorem. Horum quidem nomen nullum dixit, ſed pacis & amoris. Ego, inquit, pax ſum, ego ſum caritas. Hanc ſacram & ſanctam Domini vobis ſententiam imitati, omni cura Chriſti paci ſtudetis, tamquam ipſius pacis creatoris diſcipuli & pacis magiſtri: quam quidem, ut dixi, omni hominum generi & cupitis & nitimini firmare.

5. Doctrinam vero, quæ a Deo dicitur eſſe & eſt, & quam homines per gratiam adipiſcuntur, quamvis ingenium multum conferat, non ſuperficie, & ſummatim, ut a noſtra dicitis, accepiſtis, ſed profunde & penitus ſcientiam adepti, ſacra ipſius arcana ſcrutantes, tantum in ea re excellitis, quantum humano ingenio dari concediique poteſt. Cujus ſummitatem ſeu ſapientiam ſeu ſapientiæ amorem illam appellas, ubi tantum invenies, quantum in theologia, in qua qui eruditi ſunt & ſecreta noſcunt, & quantum in legibus ac ſacris ac divinis canonibus ſit, de quibus inter vos diſputatis, accipit, quam excellentiam quam inde habent, noſcunt etiam & perfectas Spiritus-ſancti gratias, & ſecretorum completam virtutem. horum omnium vos & inſpectatores & magiſtri eſtis.

A Quibus igitur, quantum in vobis, in his rebus aut ſtudium, aut exercitium, aut diligentia, aut doctrinæ perfectio fuit, immo ſemper utilitati Chriſtianorum ſtudetis. Quiſquis igitur dignein his quæ dicta ſunt ignitu divino veſtram laudabit ſapientiam, & omnis quicumque eam rem aggredietur, deficiet. Sed quoniam res geritis & miras & optimas, quibus laudes minores, ſicut neceſſe eſt oratoribus illas aliquo modo prædicare, quantum eis id facere poſſibile eſt; ſed auxilietur & conducat divinus ille David ad hanc veſtram laudem. Audite & omnes gentes, auribus percipite omnes habitantes terram, ut gaudeatis lætitiam & B gaudium exultationis, in qua hæc ſacroſancta congregatio, & facit & vult pacem & concordiam, quæ virtutum ſumma. Acceleratis enim & magna cura ſtudetis, ut Græci Romanis uniantur, unumque corpus & membrum facere, & eccleſiam Chriſti, quam ſuo ædificavit ſanguine, inclytiſque miraculis & ſignis, ut Deus illam firmavit & ſtabilivit, ac pacem & caritatem dans diſcipulis ſuis, apoſtolis mandans, ac ſigens illam ſub domini Petri confeſſione, ipſi & cum ipſo aliis apoſtolis Spiritum-ſanctum immiſit, cum circumeuntes omnem orbem uniti ſunt, pacem C ſingulis eos accipiendo porrigentes. Hæc eccleſiæ Dei muros, annos ut puto, tenuit mille & plures poſtea, neſcio quo pacto inſtigavit, cum invidus ille & malorum omnium princeps adveniens diſcordia quædam in eccleſia Dei nata eſt, cauſis neque probatis neque arduis, neque alterutram partem multum tangentibus. Suſcipiens igitur ſchiſma & tempus, & opportunitatem ſibi ſociam inveniens (illa enim tempeſtate Græci diſcordia civili laborabant) animos utrorumque ſauciavit. Poſtea currentibus annis multis, hujus ſancti D & excellentiſſimi patris, pacis ſcilicet, memor fuit, & ſi meminerit, non generoſe quidem. Atque uſque hanc noſtram ætatem, & majus & clarius ſchiſma duratum eſt; ac per parvum nonnumquam interea tempus hæ utræque partes conjunctæ fuerunt. Poſtea iterum pejora prioribus illa viſa ſunt, ac omnem orbem temporis prorogatio ignorantia & obſcura quadam nube complevit, tantamque ad invicem litem & contentionem ſuam paravit, ut altera alteram partem aliud a recto ſentire putet, & nullam rectam firmamque E credere eorum opinionem, in quibus altera firmaretur; ſed utramque ſolam ad ſententias ſuas inſpicere, nihilque omnino animadvertentes ad magnum unius eccleſiæ corpus. Nunc vero ſacro & ſancto Spiritu animis veſtris inſpirante, huc ad hunc ſacrum locum convenit quicquid optimum & excellens in eccleſia Chriſti eſt, quicquid in virtute, quicquid in ſapientia ac intellectu, quicquid in arte ſacræ theologiæ, quicquid in alta doctrina etiam, & ſi dicam, omne in rebus optimis præſtans ac menti fixum habetis, par-

tes jam pridem divisas conjungere ad pacem, & ad unitatem ecclesiasticam Christi reducere, atque in unam, ut olim fuerat, restituere.

6. Quamobrem ad serenissimum Græcorum imperatorem & sacram eorum ecclesiam legatos misistis, non parvum itineris laborem passos, longi quidem & difficilis. Sed sæpe pro hac Græci pace quoque legatos miserunt: verum nescio quo pacto nihil apud illos ad quos missi fuerant, conficere potuerunt. At non parva Christianorum multitudo est, quæ Græcorum ecclesiæ subjicitur. Nec tenue Græcorum genus putetis: ipsum tamen forte multos jam annos quasi obsessum a magno principatu, hominum multitudine diminutum quidem est, & infortunia multa passum, sed non omnino disruptum aut concussum. servat enim ibi adhuc partem Dominus. Nam Peloponesus omnis Græcorum imperio subjecta est, & Lemnos & Imbras, & juxta Constantinopolim major Thraciæ pars, ac etiam, exceptis dominis & quibusdam principibus, Cergramus quam Corcyram appellant, Cephalonia, Zacyntos, Uhata, Leucas, Eubœa, Cyclades insulæ, Creta, Rhodus, Cypros, Chios, Locris, & si quæ est alia in mari Ægeo insula, & in Europa Epirus, Illyricum, Achaia, Phocis, Bœotia, Actica, Macedonia & reliquum Græciæ; hæc omnia a Græcis inhabitantur. Paucis tamen quibusdam in locis Turci commixti sunt. Sunt etiam superior & inferior Misia magna hominum multitudine habitatæ, qui omnes ecclesiæ nostræ obtemperant. ac in Asia principatus omnis barbarorum est, in multis tamen locis Græci habitant. Est & Cynaren non parvus; inserti sunt præterea reges non pauci idiomate diversi, qui Græcorum ecclesiæ obediunt, scilicet Iberum, Regium & Ebazanum, & præter hæc Cethonum & Albanorum, Certanorum etiam & Gothorum, nec non Moldoblachia, & ea quæ magna Blachia appellatur ac Tribalorum, & juxta reprobatos montes Raisutum maxima respublica, & magnæ Russiæ qui magnus appellatur rex; multique alii parent Constantinopoli. tot sunt & plura nostris obtemperantia. Sed vos ego, cum virtus vestra non aliter ac solis radii resplendeat, oro atque obsecro, ut hoc ipsum vestrum studium & cupiditatem, quam Spiritus-sanctus vobis largitur, tradere acceleretis, nulli rei parcentes, quæ divinæ ecclesiarum unioni conducat: ut una existens, ut olim, ecclesia, & Latinorum ecclesia sit; & Græci e contra ad Latinorum ecclesiam veniant cum caritate & amore. ac alii cum aliis in maxima lætitia & fructu bonorum, sicut tempore antiquo fieri solebat, opera studentibus, adeo quidem honores & coronas similes illis quæ olim datæ sunt sanctis patribus antiquis, qui magnam curam, magnamque diligentiam habuerunt pro ecclesiæ unione ac statu, pro qua mille labores & certamina sustinuerunt, nequaquam sibi ipsis parcentes, immo omnem molestiam, omnem laborem pro ea re lætitiam putabant & gaudium. ab hominibus vero qui nunc sunt, & qui futuri vivent, gloriam immortalem adepti eritis. Semper enim habebunt uniuscujusque statuam ante oculos multo majorem ea quæ apud Rodios erat, quam illi Phrodo statuerant. Cui similem a principio sæculorum hanc usque ætatem mille humanæ manus facere potuerunt. Sed quid statuam manufactam dico? statuam, inquam, habebitis, quæ cœlos tanget, quæ ab oriente videbitur usque occidens. Quas ob res, reverendissimi, divinam ac sanctam celsitudinem vestram oro, ut hoc certamen, quod vos pro pace & unione tanto ardore, tanta animorum cupiditate proposuistis, laudato frui omnium, quamprimum fieri poterit, dare studeatis, ut statim mercedem ac merita, quæ modo dixi, & a Deo accipiatis & ab hominibus, ut vero gaudio, & quod sacros viros deceat, gaudeatis. Ad hoc quidem, reverendissimi & digni patres, vobis edicta sunt. ad ea vero quæ dicta fuerunt nudius quartus a reverendissimo in Christo patre & domino meo legato, viro quidem eruditissimo & meritissimo, ac nostra ætate exemplo multis, longis quod uter laudibus necesse est, pro ejus singulari eloquentia & doctrina, quod brevi temporis spatio fieri non potest. Res enim magnis ornari laudibus debent, quæ longo egent tempore, ac vi & otio in dicendo non parva. Sed si Deus dederit, orationem pro illa faciam opportunam.

EXPLICIT. *Deo gratias.*

PROPOSITIO DOMINI ABBATIS Conchensis ambassiatoris sacri concilii, ad Venetos, &c.

Ex ms. Apicibus.

ILlustrissime princeps ac magnifice domine, ad tuæ celsitudinis præsentiam sacrum Basileense concilium in Spiritu-sancto legitime congregatum, reverendum in Christo patrem ac dominum, dominum meum (a) Uticensem episcopum & me, quamquam immeritum & indignum, in ejus societate suos oratores transmittit, eidem offerens una cum præsentibus litteris, salutem optatam & omnipotentis Dei benedictionem. *Lectis litteris* &c. Illustrissime princeps, &c. Sacrosancta generalis, &c. veritatem ipsius sacrosanctæ synodi dictæ tuæ celsitudini exponendam nobis commisit. & quamquam in præsentia domini mei præfati hoc mihi in his aperire non liceret, de ejus præcepto tamen, cui obedire teneor, hoc facio sperans quod supplebit, prout sibi placuerit, defectus meos. Pro veritatis igitur ipsius sacri concilii ostensione, nec non exponendorum aliquali brevissima introductione, assumo mihi verba secundi

(a) Guillelmum Soiberti postea translatum ad sedem Carpentoratensem.

Paralip. cap. XIX. ſcripta. *Non eſt mea pugna, ſed Domini* pro quo facit cap. *Omni.* XXIII. q. V. Locuturus pro publica populi Chriſtiani utilitate & præfati concilii veritate, opus eſt mihi ut perſonam privatam exuam, & induam publicam, & tam publicam, ut omnes apprehendat, & nemo ab ejus juriſdictione eximatur. Ideo in perſona ſacri præfati concilii verba præfata aſſumo, quod non eſt noſtra pugna, ſed Domini. Et quia ſecundum leges poſitivas licitum eſt pugnare pro patria & pro ſervitute vitanda, quorum pugna etſi aliquo modo poſſet declinari, potius tamen eſt hominum quam Dei, lex enim B evangelica cedere jubet frequenter in iſtis: ſed ubi cadit ſtatus eccleſiæ, ubi perit cultus divinæ latriæ, ubi movet zelus juſtitiæ, ibi puto fore pugnam Dei, quia ibi agitur ejus principale negotium & inde cauſa. Cum autem hæc mala in præſenti pateant, debemus nos arma ſumere, ſuum autem erit pugnare. Ait enim ſacra ſcriptura *non eſt noſtra*, &c. ubi proponitur campus certaminis, apponitur manus juvaminis, oſtenditur modus conaminis.

2. Proponitur primo campus certaminis ad aggrediendum viriliter, cum ait *pugna eſt*, in qua debet homo habere ſe ſapienter, C ne circumveniatur; & potenter, ne dejiciatur. Perniciоſum eſt enim pugnare ſine bono conſilio, præſumtuoſum eſt ſine Dei auxilio, & periculoſum ſine forti brachio. valet enim ſapientia circa primum, confidentia circa ſecundum, perſeverantia circa tertium. Cum enim affligitur Dei eccleſia, cum dejicitur divina juſtitia, cum confunditur Dei familia, Domini eſt pugna, qui debet pugnare, qui debet ſtare pro ſua familia ne deſoletur. Pro his enim omnibus pugnam aſſumit Dominus, ut in tertio pſalmo. *Dominus eſt aſſumtio noſtra.* Ex hoc enim claret modus ad aggrediendum feliciter, cum ait, *non eſt noſtra*, alterius enim eſt, actus ſuſcipere, hoſtes impellere, noſque defendere. Unde non eſt noſtra cauſa, nec victoria. ubi thema, *Non eritis vos qui dimicabitis, ſed tantummodo confidenter ſtate*, ad propoſitum, princeps illuſtriſſime, applicando, campus certaminis eſt civitas Baſileenſis pro concilio celebrando, auctoritatibus primo ſacri Conſtancienſis concilii mediate, & Senenſis immediate electa, & etiam felicis recordationis domini MARTINI papæ V. & domini E noſtri domini EUGENII ſummi pontificis moderni roborata, & approbata, in qua ſancti patres de univerſi orbis regionibus occurrentes, & debite penſantes exiſtunt. Quis enumerare animas poterit, quas ſathanas errorum atque hæreſum laqueis in pleriſque mundi partibus alligatas detinet, quaſque alligaturus eſſet ſua contagione peſtifera, niſi celeriter in eodem ſacro concilio occurratur?

A Quæ autem Chriſtianitatis portiuncula eſt, quæ domeſtico civilique bello & exitiali odio non agitetur? adeo quidem ut atrocius Chriſtianus Chriſtianum, quam Sarracenus Chriſtianum perſequatur. Quantum vero ad mores attinet, quid dicendum, cum omnis & eccleſiaſticæ & Chriſtianæ vitæ diſciplina ubique pene extincta videatur? pro quibus reparandis, præfati patres fundamenta in eo, cujus res agitur, jactaverunt. Ex quibus populus Chriſtianus ſpe reſpirare videtur. Manus juvaminis eſt Spiritus ſanctus, dextræ cujus auxilio dictum ſacrum concilium juvatur, B dirigitur & protegitur. Modus conaminis eſt, *ut in dicto campo certaminis milites Chriſti*, id eſt reverendiſſimi reverendique in Chriſto patres ac domini, & doctores, magiſtrique eximii exiſtentes, dictum campum poſſetenus defendant, & uſque ad mortem contra hæreſes mundum inficientes, populi Chriſtiani pacem, & eccleſiæ tam in capite quam *in membris reformationem impedientes*, viriliter decertent. quibus proſtratis, ut ſperant, & in auxilio illius, cujus negotium agitur, confidentes, Chriſtianus populus ab hæreticorum faucibus erui, a receptoribus præſervari, & eccleſia militans, cunctis deC formitatibus ſuis depoſitis, ut aquilæ juventus valeat renovari.

3. Nec admirari debet quiſquam, princeps illuſtriſſime, eorum quæ in dicto campo certaminis die XIII. menſis proxime præteriti *acta ſunt*, & ut de vera juſtitia & manſuetudine & clementia in dicto campo decertantium clariſſime appareat, quantum potero ſuccincte enarrabo quæ geſta uſque ad illam diem, & qua de cauſa fuere. Nam cum hactenus dicta ſacra ſynodus ſpectaſſet ſua diuturna patientia ſummum pontificemetiam ad ea quæ rationis & æquitatis ſunt, aliquanD do deflectere, recogitavit diu expectando efficere, ut ipſe ſummus pontifex, cognita ipſius ſacri concilii manſuetudine, eccleſiam veraciter recognoſceret, & illi quemadmodum tenetur pure & ſimpliciter adhæreret, idque quod ſcandali ac perturbationis cauſa in eccleſia fuerat, ſine difficultate revocaret. Credebat ipſa ſancta ſynodus jam adveniſſe diem, qua de ipſo meliora concipere deberet, & dolorem quem uſque ad dictam diem ex ſua ſcandaloſa diſſolutione perpeſſa fuerat, ab inde ex ſua humili adhæſione converteret in gaudium. Sed quod non ſine fletu & cordis amaritudine referendum eſt, ſpe E ſua fruſtrata eſt, & quotidie major cauſa dolendi augetur, quoniam quem tolerando & differendo delinire curaverat, eum in ſuo propoſito duriorem experta eſt. Præſtolata enim fuerat XIX. menſibus, ut offenſam illam diſſolutionis graviſſimam, quæ graviſſime ac notorie univerſam lædit eccleſiam, pœnitendo emendaret, quam modeſte ac manſuete erga eum dicta ſancta ſynodus, licet graviter

laceſſita, ſe geſſerit, nemo eſt qui jam ignoret.

4. Poſtquam dictus dominus EUGENIUS in notorium eccleſiæ ſcandalum & perturbationem Chriſtianæ religionis dictum ſacrum concilium tam ſolemniter inſtitutum, diſſolvere conatus fuit, deſtinavit primo ipſum ſacrum concilium ad eum ſuos ſolemnes ambaſſiatores, ut per eos informatus de plurimis ſcandalis, quæ ex hujuſmodi diſſolutione ſequutura erant, ipſam penitus tolleret, & ipſum ſacrum concilium, prout inchoatum erat, ad honorem Dei & neceſſitatem eccleſiæ perfici pateretur. quod cum facere recuſaret, poſt exhortationes & monitiones debitas tam caritativas quam ..... frequenter repetitas, ipſum dominum E. in publica ſeſſione citavit, & monuit ut infra quatuor menſes ab ipſa diſſolutione deſiſteret, & ſacro concilio adhæreret. quibus elapſis, &c. *reſpice proceſſum*, &c. Nihilominus tamen ſuperſedere aliquandiu decrevit, ſi forte per tam exuberantem manſuetudinem ad cor reverti, & demum reſipiſcere vellet. Interim autem quatuor ambaſſiatores tranſmiſit cum quatuor bullis diverſarum facultatum, quæ cuique videnti non parvam admirandi occaſionem præbuerunt, ita variis cautelis & involucris plenæ erant, *Vide bullas*, &c. Et voluerunt ipſi ambaſſiatores atque conati ſunt nonnullis rationibus, quamquam admodum frivolis, probare dictum concilium non fuiſſe rite inchoatum, & tamquam tempore decreto non inceptum, lapſu *temporis expiraſſe; atque etiamſi rite* congregatum fuiſſet, licuiſſe papæ ſua poteſtate illud diſſolvere. quibus nomine concilii reſponſum eſt, & luce clarius probatum, ipſum concilium legitime extitiſſe inchoatum, nec a Romano *pontifice ſine ipſius concilii* conſenſu potuiſſe diſſolvi; quodque cum honore Dei & eccleſiæ prædictis bullis rem illicitam & valde abſurdam petentibus nullatenus ipſum concilium annuere poterat. Tandem ex parte electorum ſacri concilii quædam litteræ ipſius domini EUGENII fuerunt dicto ſacro concilio præſentatæ, quarum effectus, &c. *Vide bullas*, &c. Dominus S. Angeli confutavit ſatis dilucide illam clauſulam, qua dicebant quod in concilio Baſileenſi ſæpedicto præſideret ad exſtirpationem hæreſis Bohemorum, ſi in tempore congruo & decreto prælatorum ibi condecentem copiam reperiret; aſſerens ipſe dominus S. Angeli ſine ulla conditione fuiſſe ſibi injunctum ut ipſi concilio præſideret; nec aliud a domino MARTINO in mandatis habuiſſe, niſi hoc ſolum & viva voce repetitum, ut bene faceret; & per dictas bullas nemini videri poteſt aliquando ſatisfactum fore monitioni & requiſitioni dicti concilii per dominum EUGENIUM. Non recognoſcit concilium eſſe, ſed ſtatuit ut celebretur per legatos quantocius tranſmittendos & dicta clauſula, diſſolutione non obſtante, concilium celebretur per legatos mittendos. Nam futuram dumtaxat reſpicit concilii celebrationem, &c. firmat præteritam diſſolutionem potius quam tollit, dominumque epiſcopum Cervienſem per duos menſes expectavit concilium, credens ab eo reportari perfectam adhærentiam. Sed tandem compertum eſt ipſum dominum EUGENIUM in ſuæ diſſolutionis propoſito firmius perdurare, *Vide alias bullas, &c. & reſponſa.* Poſtremo cum ad ipſum inclinandum nullum aliud ſupereſſet remedium, dictum ſacrum concilium ad editionem cujuſdam decreti monitorii cum pœna ſuſpenſionis, ut infra terminum ibidem ſtatutum adhæreret, proceſſit, cujus copiam parati ſumus dare, &c.

5. Cum igitur, illuſtriſſime princeps, juxta dictum Iſaiæ XI. *Super ſolium David & ſuper regnum*, id eſt ſuper excellentiſſimum & potentiſſimum, hoc eſt Venetorum dominium *ſedeas, ut corrobores illud in judicio & juſtitia*; quia te vidi juſtum in generatione hac. Gen. 7. de cœlo habes auditum, fac judicium, & terra tua quieſcet. Nam, ut inquit Gregorius *in homilia XXVI. ipſe dominandi* poteſtate ſe privat, qui hanc pro ſuis voluntatibus & non pro ſubditorum utilitatibus & moribus exercet in c. *Ipſe* XI. q. III. quia judicare digne nequeunt, qui odium vel gratiam ſequuntur, in *c. Judicare. c. cauſa* & q. Illa enim præpoſitorum ſollicitudo eſt utilis, illa cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor vel amor nihil ſibi vindicat. Nam commotionis aut amoris tempore juſtum putat omne quod fecerit in c. *Illa* XI. q. III. Tu enim, princeps illuſtriſſime, dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas, firmetur, quæſo, cum dicto concilio manus tua, & exaltabitur dextera tua, juſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ, miſericordia & veritas præcedent faciem tuam, beatus populus qui ſcit jubilationem. Tu enim locutus es in viſione ſanctis tuis, id eſt prælatis dominii tui ad dictum ſacrum concilium tranſmiſſis; quibus, ut aſſeruerunt aliqui ex ipſis, dixiſti aut mandaſti, ut ſecundum Deum & bonas eorum conſcientias agerent ea quæ ad univerſalem eccleſiam & ejus ſtatum cognoſcerent profutura. In quibus verbis videris dixiſſe cum pſalmiſta *manus enim mea auxiliabitur ei*, videlicet ſacro concilio, *& brachium meum confirmabit eum, nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei, & concidam a facie ipſius inimicos ejus, & odientes eum in fugam convertam, & veritas mea & miſericordia cum ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus*, tuncque audies ab Altiſſimo, quod in eodem pſalmo ſequitur: *Et ponam in mari manum ejus & in fluminibus dexteram ejus. Ipſe invocabit me, pater meus es tu, Deus*

meus, & ſuſceptor ſaluris meæ : in æternum ſervabo illi miſericordiam meam, &c. Dicit enim Tullius de officiis, opera danda eſt, ne quid contra æquitatem contendas, ne quid pro injuria vel favore. nam firmamentum perpetuæ commendationis & famæ eſt juſtitia, utilibus rectum præponere ſuadet. Et Auguſtinus in c. *Quiſquis* xi. q. iii. Quiſquis metu alicujus poteſtatis veritatem occultat, Dei iram ſuper ſe provocat, quia magis timet homines quam Deum. Et poſt pauca: Uterque reus eſt & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia ille prodeſſe non vult, iſte nocere deſiderat. Et Johannes Chryſoſtomus in c. *nolite* in ii. c. *cauſa* & q. quia proditor eſt veritatis, qui non libere veritatem defendit, quam libere defendere convenit. In manu enim artificis opera laudabuntur, & princeps populi in ſapientia ſua, Eccleſiaſtici 9. quia *quæcumque ſeminaverit homo hæc & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, &c.* ad Gal. 6. Dicit enim Innocentius in c. *Error* LXXXIII. d. quod error cui non reſiſtitur approbatur, & cum veritas minime defenſatur opprimitur. Negligere quippe qui poteſt perverſos & a veritate deviantes perturbare, nihil aliud eſt quam fovere. Quid enim prodeſt alicui ſuo non pollui errore, qui conſenſum præſtat *erranti? conſentire certe* videtur, qui ad reſecanda quæ corrigere debet non occurrit. Non dico, princeps illuſtriſſime, quoquo modo nec dicere intendo, abſit, quod tu & hoc excelſens dominium tuum præfato domino noſtro ſummo pontifici in ſua uſque nunc duritia non adhærendi præſtiteritis auxilium, conſilium vel favorem, quin immo firmiter exiſtimo, ſapientia & aliis virtutibus, quibus inſignivit vos dominus, conſideratis, omnem operam dediſſe, ut ipſe ſuum debitum erga eccleſiam faceret. Sed arbitrantur plurimi, ut ipſe, quia oriundus & civis, de veſtra potentia nimium confidens, præter & contra voluntatem veſtram ſuum debitum facere contemnat.

6. Idcirco, princeps illuſtriſſime, præfatæ ſacroſanctæ Baſileenſis ſynodus in Spiritu-ſancto, &c. tranſmiſit præfatum dominum meum Uticenſem epiſcopum, & me in ejus ſocietate, ad te & excellentiſſimum dominium tuum. Primo ad informandum de veritate ipſius, prout fecimus quanto minus male potuimus, & parati ſumus plenius informare, ſi opus fuerit. Secundo ad regratiandum de adhærentia eidem facta, in mittendo ſolemnes prælatos dominii tui. Tertio, ad exhortandum, ut in tali adhærentia perſeverans, velis amplius, perfectius & ſtrictius exhortari & ſupplicare præfato domino papæ, ſi tibi videatur, quod in hoc valeas proficere, quatenus eccleſiæ, populo Chriſtiano & ſtatui ſuo velit proſpicere, & totum mundum unico verbo conſolari, adhærendo pure & ſimpliciter eidem ſacro concilio, & prætenſam diſſolutionem tollendo. Quod ſi fecerit, cedet ſine dubio ad honorem Dei, eccleſiæ & ipſius, ac profectum dicti ſacri concilii totiuſque populi Chriſtiani, necnon ad laudem non modicam & famam indelebilem augmentandam.

7. Interim vero nos humiles ipſius ſacri concilii oratores, te exhortamur in Domino per viſcera miſericordiæ Jesu Christi, quatenus tuos notabiles ambaſſiatores plena poteſtate ſuffultos ad adhærendum decretis in dicto concilio editis & edendis, una cum nobilibus prælatis dominii tui celerrime tranſmittere velis, quia indubitanter tenetur ab omnibus, ſi hoc feceris, quia eccleſiæ & toto orbi pacem dabis, & huic controverſiæ quæ eſt inter concilium & papam finem impones; quia hoc videns, ſperatur ſine dubio illico adhærere. Mitte ergo, princeps illuſtriſſime, ut prædicitur, celerrime, dum milites Chriſti in illo campo certaminis contra hæreſes paci & quieti populi Chriſtiani invidentes, eccleſiæque univerſalis tam in capite quam in membris reformationem impedientes, continue, ut prædicitur, debellantes invenies, ut cum eis in iſtis tribus bonis celeberrimis cooperêris. Abſit enim ut in tantis bonis futuris & toto orbi perneceſſariis abſens exiſtas, & tuum dominium ſolita & antiqua gloria prives, quod numquam eccleſiæ fluctuanti defuit, quin immo multa auxilia fructuoſa hactenus impendit, quæ non exciderunt a memoria. Cogita dictum Philoſophi: Amicus Socrates, amicus Plato, ſed magis amica veritas; & quod potius Deo & eccleſiæ quam ſingulari perſonæ quiſque aſtringitur. Sic enim faciendo exaltabitur dextra tua, & brachium tuum roborabitur, & erit tibi gloria per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

RESPONSIO DUCIS ad præfatam propoſitionem.

Litteris concilii credentialibus cum honore & reverentia ſuſceptis, & oratione peracta, dux in propria reſpondit, ut ſequitur. Aſſurgens & nobis obviam veniens, unum noſtrûm ponens ad dexteram, & alium ad ſiniſtram ſuam, materiam in decem partes diviſit multum eleganter & copioſe in ſuo vulgari, & primo benedictionem & ſalutem oblatas libenter, reverenter ac devote ſuſcipiebat. 3. Quoad erectionem concilii ad illa tria bona &c. dixit quod arbores ex fructibus cognoſcebantur, quod ipſius finis declarabit an habuerit bonum principium: quæ expectare cupiebat, ut ſecurius judicare poſſet an fructus bonos produxiſſet arbor, poſt utinam non produceret ſchiſma & diviſionem in eccleſia; & quod patres de concilio

debebant bene ad hoc advertere; & rogavit nos, ut eosdem redderemus attentos, quod ita manſuete vellent procedere, quod non fieret ſchiſma, quoniam Chriſtianitas erat in magno periculo, quia magnus Turcus invaſerat cum xxx. millibus equitum, unum magnum eorum territorium, & captivaverat ultra xxv. millia animarum, timebaturque de regno Cypri, & invadebat etiam regnum Hungariæ, cujus vires, ſi, quod abſit, ſchiſma fieret, augerentur, & Chriſtianitas debilitaretur. 4. Quod ipſi habebant dominum EUGENIUM pro vero papa, cui obedire, nec aliquo modo ab ejus obedientia recedere intendebant, quamdiu ipſe debitum ſuum erga eccleſiam faceret. 5. Quod ipſi cognoverunt eum in juventute, in minoribus, mediocribus & majoribus; & nunc vident eum in ſupremo, ſemperque viderunt eum probum, honeſtum & bene ſe gerentem, & credunt eum nunc eſſe meliorem ratione majoris dignitatis. 6. Videbatur eis, quod aliqui videbantur procedere contra eum in odium & vindictam, ex quo poterat ſequi ſchiſma & diviſio eccleſiæ, de quo quod non fieret exhortabatur & ſupplicabat. 7. Quod ipſi miſerant aliquos prælatos ſuos, qui male fuerant recepti, & quibus factæ fuerant comminationes de incarcerando, nec libere audiebantur. 8. Quod his non obſtantibus ipſi mandarent prælatis ſuis, ut accederent ad concilium & cooperarentur in omnibus bonis, excepto quod non conſentirent in ſchiſmate. 9. Quod jam diu deliberaverant mittere, ſed quia ibi audierant non eſſe libertatem, ſuperſederant. Nunc vero per nos melius informati de factis concilii, ipſi breviter mitterent. 10. Quod ipſi ſemper fuerant fideles eccleſiæ Dei, & alias multas expenſas fecerant, & ſi concilium habeat bonum finem, ipſi ſemper erunt, prout fuerunt, cum eccleſia. Ad iſta replicavi prout melius potui, &c. & finaliter præfatus dominus concluſit velle mittere prælatos dominii ſui, & hortari dominum EUGENIUM, ut faceret debitum ſuum, &c.

PROPOSITIO

domini archiepiſcopi Turonenſis ambaſſiatoris domini regis Franciæ.

Extat tom. 4. Anecdotorum noſtrorum.

PROPOSITIO

domini Dinienſis epiſcopi ambaſſiatoris ſereniſſimi regis Ludovici, &c. in concilio Baſileenſi, &c. *pag.* 428.

INTENTIO SACRI CONCILII ſuper quatuor articulis diſputatis cum Bohemis, quam ipſi Bohemi anno Domini MCCCCXXXIII. VII. *die Decembris obſervare manuum ſtipulatione promiſerunt.*

1. CIrca articulum & materiam de prædicatione verbi Dei, in quo Bohemi poſuerunt articulum hujuſmodi ſub tenore, quod *verbum Dei a ſacerdotibus & levitis idoneis libere & fideliter prædicetur.* Et ne ex verbo *libere* ſumeretur occaſio vagæ & diſpendioſæ libertatis, quam nec Bohemi, ut ſæpe dixerunt, non intendunt; idcirco ſacrum concilium dicit, hoc ſic eſſe circumſtantiandum, ſcilicet quod in hoc articulo ſecundum ſacræ ſcripturæ ſententiam, ſanctorumque documenta doctorum, ſic catholice eſt tenendum, quod verbum Dei a ſacerdotibus Domini & levitis ad hoc idoneis, & per ſuperiores ad quos pertinet approbatis & miſſis, libere, non tamen paſſim, ſed ordinate & fideliter prædicetur, ſalva auctoritate pontificis, qui eſt præordinator in cunctis juxta ſanctorum patrum inſtituta. Unde in hujuſmodi concluſione ipſi Bohemi manſerunt & promiſerunt manere cum concilio Baſileenſi & ejus determinatione de iſto articulo. Anno 1433. 7. Decemb. Ex muſ. illuſtriſſimi domini Clavelli.

2. Circa materiam articuli de dominio rerum temporalium, poſuerunt Bohemi & Huſſitæ hanc concluſionem: *Non licet clero tempore legis gratiæ ſuper bonis temporalibus ſaculariter dominari.* Sed quia in ſacro concilio dummodo iſta materia diſputabatur, ille qui fuit deputatus ex parte ſacri concilii, ſcilicet magiſter Johannes *Polemar*, cauſarum apoſtolicarum auditor, ad diſputandum de iſta materia, poſuerat duas concluſiones veras, quarum prima eſt iſta, *quod clerici non religioſi, ſeu qui voto ſe ad hoc non obligaverunt, licite poſſunt habere quæcumque bona temporalia, hæreditates paternas, & aliorum, ſi eis relinquantur, & alia bona juſte acquiſita ex cauſa donationis, vel alterius liciti contractus, vel arte licita.* Secunda concluſio: *Quod eccleſia licite poteſt habere & poſſidere bona temporalia, mobilia & immobilia, domos, prædia, villas, oppida, caſtra, & civitates, & in eis habere privatum & civile dominium.* Et quia Petrus Anglicus unus de ambaſſiatoribus regni Bohemiæ, publice in præſentia ſacri concilii dixerat, dummodo de hujuſmodi articulo diſputaverat, quod has propoſitiones ſenſui ſui articuli bene intellecto locum habere intelligebat. Ex quo etiam adhuc ſatis poteſt intelligi, quod hæc verba *ſaculariter dominari* in prædicto articulo poſita, ad aliquem ſpecialem modum & uſum videantur referri. Sed qualiter juxta legem Dei & ſanctorum dogmata hoc intelligen-

dum eſt, duximus exprimendum, quod prædictæ duæ concluſiones ſunt veræ, & quod eccleſiaſtici viri bona eccleſiæ quorum ſunt adminiſtratores debent fideliter adminiſtrare, juxta ſanctorum patrum ſalubria ſtatuta, ipſaque bona eccleſiæ tam ab iis quam ab aliis, quibus adminiſtratio canonica eſt commiſſa, uſurpari ſine ſacrilegii reatu non poſſunt. Et ſic ipſi Bohemi ſteterunt concordes.

3. Circa materiam & articulum de cohibitione & correptione peccatorum, in quo articulo ipſi Bohemi poſuerunt intellectum in his verbis: *Omnia peccata mortalia & præſertim publica, per eos quorum intereſt, rationabiliter & ſecundum legem Dei cohibeantur, corrigantur, & puniantur.* Et quia hæc verba *per eos quorum intereſt*, generalia ſunt, & poſſunt eſſe offendicula ante cœcos; & cum claudendæ ſunt foſſæ, ne bos vicini ibidem lædatur, ac etiam omnis occaſio tollenda, decidit ſacrum concilium in hunc modum, quod ſecundum ſacræ ſcripturæ ſententiam ſanctorumque documenta doctorum, ſic catholice eſt tenendum, quod omnia peccata mortalia, præſertim publica, quantum rationabiliter fieri poteſt, ſecundum legem Dei & SS. patrum inſtituta, ſunt cohibenda, corripienda, & eliminanda. Poteſtas autem monendi criminoſos, non ad privatas perſonas, ſed ad eos tantummodo pertinet, qui juriſdictionem habent in eos, fori diſtrictione, juris & juſtitiæ ordine obſervatis. Et in verba & ſenſum hujus articuli manſerunt ipſi Bohemi contenti, & eum ſic obſervare promiſerunt.

4. Circa articulum qui eſt de communione ſub utraque ſpecie, exhortati fuerunt ipſi Bohemi per oratores ſacri concilii, ut ſuſcipiant & amplectantur, prout tenentur, unitatem puram, ſimplicem, & perfectam realiter & cum effectu ſuper libertate ſacratiſſimæ euchariſtiæ ſub duplici ſpecie, quam poſtulant ipſi Bohemi ac deſiderant, quamque ſine licentia ſanctæ matris eccleſiæ licite non poſſunt habere, attento quod ipſi oratores ſacri concilii poteſtatem habeant a ſacro generali concilio certo modo cum ipſis Bohemis tractandi & concludendi. Sperantes etiam taliter quod ipſi Bohemi manebunt mente conſolati. Et pro inductione allegabant prædicti oratores, quod Dominus mandat per prophetas Aggeum & Zachariam veritatem & pacem diligere. Unde præfati oratores dixerunt: Ecce offerimus vobis veritatem, offerimus pacem, a vobis nihil aliud exigimus, niſi id ſine quo ſalutem animarum veſtrarum habere non poteſtis. Non enim ſalvari poteſt, qui eccleſiaſticam reſutat veritatem. Audite B. Cyprianum in epiſtola de catholicæ fidei unitate: « Nec pervenit ad præmia Chriſti, qui derelinquit eccleſiam Chriſti. Jam habere non poteſt Deum patrem, qui eccleſiam non habet matrem, & idem habere, inquit, non poteſt Deum patrem, qui univerſalis eccleſiæ non tenet unitatem. xxiv. q. 1. *Alienus.* Ad idem Ambroſius in [oratione] de obitu fratris, percontans utrum de catholicis epiſcopis eſſet, hoc eſt ſi cum Romana eccleſia conveniret, forte ad id locorum in ſchiſmate regionis illius eccleſia erat, & ita ſequitur; non putavit tamen fidem eſſe in ſchiſmate. Nam etſi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei eccleſiam non tenebant, cujus patiebantur velut quoſdam artus membra dividi & lacerari. Etenim cum propter eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti corpus ejus ſit eccleſia, non videtur ab his exhiberi Chriſti fides, a quibus evacuatur Chriſti paſſio atque diſtrahitur. Et Auguſtinus in lib. de Regula rectæ fidei cap. 36. Omnem enim hominem, qui eccleſiæ non tenet unitatem, neque baptiſmus, neque eleemoſyna quantumcumque copioſa, neque mors pro nomine Chriſti ſuſceptа proficere poterit ad ſalutem. Cum dictis tribus prælatis doctoribus concordant B. Hieronymus & B. Gregorius, ut habetur cap. *Diverſis* prælegatæ cauſæ.

5. *Cum ergo nihil aliud quæramus niſi* ſalutem animarum veſtrarum, pacem, tranquillitatem, honorem, felicitatem veſtram & patriæ veſtræ, audite & exaudite preces, monita, & exhortationes noſtras. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis; non in vacuum gratiam Dei recipere vos contingat. Cognoſcite tempus viſitationis veſtræ, quia Deus vos viſitare dignatus eſt viſitationibus pacis & conſolationis. Si oblatam vobis unitatem & pacem ſuſcipitis realiter & cum effectu, cenſuras & proceſſus tollemus, abolitionem faciemus omnium præteritorum. Nemo vos deinde audebit hæreticare, ſeu hæreticos aut ſchiſmaticos vos nominare: immo omnes Chriſtianos, ut fratres catholicos habebunt & repræſentabunt; fraternitas & omnis priſtina amicitia, gloria, ſtatus, & honor reſtaurabuntur. Dominus meus epiſcopus in pontificali officio veſtras eccleſias viſitabit, confirmabit vos confirmatos, & alia faciet, quæ ſunt ſolis epiſcopis reſervata; & vos alias terras intrabitis & eccleſias, venient alii populi ad vos cum pace, communicabitis & commerciabitis, florebit gloria regni veſtri, & vos exultabitis lætitia inenarrabili; ſed & univerſum mundum lætificabitis, & angeli gaudebunt in cœlo, & Deus pacis & conſolationis erit vobiſcum.

6. Da, Domine omnipotens, ſpiritum bonum amplectentem pacem & unitatem, ut bellorum feritate rejecta, omnique diſſentione ſemota, univerſus populus, qui nomine Chriſtiano cenſetur, in vera pace quieſcat, & eccleſiaſtica unitate, ut in uno corpore, dilectiſſimi Filii tui capiti ſuo fideliter cohærendo, ad pacem & gloriam perveniant ſem-

» piternam. Per eumdem Dominum noſtrum
» JESUM CHRISTUM.

» 7. In nomine Domini & Salvatoris noſtri
» JESU CHRISTI, de cujus ſacratiſſimæ eucha-
» riſtiæ ſacramento tractaturi ſumus, ut ipſe
» qui hoc ſacratiſſimum ſacramentum inſti-
» tuit, quod eſt unitatis & pacis, illud in no-
» bis efficiat quod deſignat; quod videlicet
» ſimus unum in CHRISTO JESU capite noſtro,
» & ut ipſe conterat diaboli verſutias, qui ſua
» maligna aſtutia ex *ſacramento* pacis & uni-
» tatis, bellorum occaſionem ingeſſit, ut jam
» qui de modo communicandi Chriſtiani con-
» tendunt, communionis fructu priventur.
» Unde B. Auguſtinus in ſermone de Infantibus
» in Decreto diſt. 11. *Quia paſſus*. Ita Dominus
» noſter JESUS CHRISTUS nos ſignificavit, nos
» ad ſe pertinere voluit, myſterium pacis & uni-
» tatis noſtræ in ſua menſa conſecravit. Qui
» accipit *myſterium unitatis*, & non tenet vin-
» culum pacis, non myſterium accipit pro ſe,
» ſed teſtimonium contra ſe.

» 8. Hoc ante omnia duximus præmitten-
» dum, quod conſuetudo generalis eccle-
» ſiæ, quam etiam patres veſtri & vos ipſi olim
» ſervatis per longiſſima tempora, inconcuſſe
» hoc habuit quod & habet, quod non con-
» ficientes, ſub ſpecie panis tantum commu-
» nicent. Quam conſuetudinem ab eccleſia &
» ſanctis patribus rationabiliter introductam,
» & diutiſſime obſervatam non licet repro-
» bare, aut ſine eccleſiæ auctoritate pro libito
» immutare, contra conſuetudinem eccleſiæ
» immutando; aſſumere uſum communicandi
» populum ſub utraque ſpecie abſque aucto-
» ritate ſanctæ matris eccleſiæ licitum non eſt,
» ſed illicitum. Sancta vero mater eccleſia, ſua-
» dentibus cauſis rationabilibus, facultatem
» communicandi populum ſub utraque ſpecie,
» poteſt concedere & elargiri. Et talis com-
» munio, quæ ſine auctoritate eccleſiæ atten-
» tata eſt, illicita eſſet; quæcumque auctoritate
» & licentia ſanctæ matris eccleſiæ fieret, licita,
» ſi alia non impediant. Propterea dicimus
» quoniam, ut ait Apoſtolus, *Qui manducat*
» *& bibit indigne, judicium ſibi manducat &*
» *bibit*. Unde B. Iſidorus, ut habetur De. IX.
» di. 11. Qui ſcelerate vivunt, & in eccleſia
» *communicare non deſinunt*, putantes ſe tali
» communione mundari, diſcant ſe nihil ad
» emundationem proficere. Et Auguſtinus e.
» di. in Decretis. Et ſancta malis nocere poſ-
» ſunt, bonis ſunt ad ſalutem, malis ad judi-
» cium. Sunt ad hoc plurimæ auctoritates.
» Etenim inter primos communicantes apo-
» ſtolos Judas fuit, ſed quia indigne ſuſcepit,
» proditionis peccatum habens in mente, ni-
» hil ſibi profuit: quin immo ex tunc diabo-
» lus in eo majorem exercuit poteſtatem. Ra-
» tio hujus magna *demonſtrat*. Quis veſtrûm
» dominum ſuum in hoſpitio ſuſcepturus, non
» cum omni cura domum ſtuderet mundare
» pariter & ornare, ut ipſum dominum poſſet
honeſte ſuſcipere. Suſcepturus igitur Domi- «
num & Salvatorem noſtrum in hoſpitio ani- «
mæ, debemus ipſam animam noſtram dili- «
genter mundare & ornare; mundare per ſa- «
cramentum pœnitentiæ, cum amaritudine «
& contritione cordis, peccata ſua humiliter, «
pure, integre, & veraciter confitendo, & ſuſ- «
cipiendo ſatisfactionem debitam & pœni- «
tentiam ſalutarem; ornare vero purpura ſan- «
ctæ devotionis, & ſic tandem purgato & fer- «
vore devotionis ornato, accedat ad divinum «
ſacramentum, in quo Deus eſt [mundum] «
nunc reconcilians ſibi. «

9. Admonet igitur, exhortatur & præci- «
pit ſancta ſynodus, ut *omnes ſacrificantes* «
exhortentur diligenter & moneant populum «
ut omne ſtudium & ſollicitudinem adhi- «
beant, ut nullus ad tam ſacratiſſimum ſacra- «
mentum niſi debite præparatus accedat cum «
magna reverentia & devotione, ne quod «
pro ſalute animæ ſuſcepit, in judicium con- «
demnationis redundet, dum ſuſcipitur in- «
digne. Præterea dicunt doctores, quod con- «
ſuetudo communicandi *populum ſub ſpecie* «
panis, tantum ab eccleſia & ſanctis patribus «
rationabiliter fuit introducta, propter ratio- «
nabiles cauſas; ſpecialiter propter duo peri- «
cula, ſcilicet erroris & irreverentiæ. Fuit «
enim Neſtorii error credendo quod ſub ſpe- «
cie panis ſit ſola caro Chriſti, & ſub ſpecie «
vini ſolus ſanguis Chriſti, quod eſt error. «
Nam veritas eſt, quod ſub utraque ſpecie eſt «
totus Chriſtus, *vivus*, & integer, caro, ſan- «
guis, anima, & divinitas; & ſub ſpecie panis «
eſt totus Chriſtus vivus & integer; & ſub «
ſpecie vini non tantum ſanguis, ſed totus «
Chriſtus vivus & integer: quoniam, ut ait «
Apoſtolus, *Chriſtus reſurgens a mortuis, jam* «
non moritur. Semel ergo tantum mortuus «
eſt, jam non moritur, nec ſanguis a cor- «
pore ſeparatur. Ut ergo huic errori occur- «
reretur, & magis imprimeretur fidelium «
mentibus, quod ſub qualibet ſpecie eſt totus «
Chriſtus, dum non ſolum verbo, ſed *ipſo* «
ſigno judicaretur, viſum fuit utile eſſe ſub «
utraque ſpecie miniſtrari. Efficacius enim im- «
primitur, quando cum doctrina verbali ſen- «
ſuale aliud ſignum concurrit. Ideo ſacra- «
menta & ſacrificia inſtituta ſunt; ideo & «
Dominus noſter JESUS CHRISTUS in paraboo- «
lis loquebatur, & ſequentes in parabolis lo- «
quuntur, ut cum doctrinæ ſententia ſimili- «
tudo repræſentativa concurrens, efficacius «
mentibus imprimatur. «

10. Secundum periculum eſt *irreveren-* «
tiæ. Etenim quamvis omnia ſacramenta cum «
magna reverentia ſunt tractanda; iſtud ta- «
men divinum ſacramentum ſuper omnia «
alia, cum maxima & ſumma reverentia tra- «
ctandum eſt. Alia ſiquidem ſacramenta ſunt «
vaſa gratiæ divinæ, non tamen per ea rea- «
lem *Domini noſtri* JESU CHRISTI præſentiam «
obtinemus. In hoc vero ſacratiſſimo ſacra- «

mento

» mento Dominus noſter JESUS CHRISTUS ſub
» alia quidem forma in propria ſubſtantia eſt
» nobiſcum. Ideo tractandum eſt cum omni
» ſtudio & cautela, ne quid contingat, quod
» cedat in irreverentiam ipſius ſacramenti. Et
» cum calix ſit ſub ſpecie liquida, multa con-
» tingere poſſunt, quæ cedent in irreveren-
» tiam ipſius ſanctiſſimi ſacramenti, tam ex
» parte miniſtrantis, quam ex parte ſuſcipien-
» tis, quam etiam ex parte ſpeciei vini, quæ eſt
» materia ad alterationem ſuſcipiendam magis
» diſpoſita, quam ſpecies panis. Vos ipſi, qui
» practicatis, per experientiam noſtis. Nam
» doctores de hoc multa dicunt, & nobis a
» fide dignis multa relata ſunt, quæ cum audi-
» vimus abhorruerunt pili corporum noſtro-
» rum, animi noſtri nimio terrore concuſſi
» ſunt. Dictum eſt nobis accidiſſe, quod cum
» ſacerdos ad infirmum ſacramentum ſub du-
» plici ſpecie detuliſſet; quando infirmo vo-
» luit de calice miniſtrare, nihil ipſe ibi rep-
» perit, totum dum per viam agitando veni-
» ret diſtillaverat. Et alibi cum mane diei Do-
» minicæ miniſtraretur, quod ex præcedenti
» die fuerat reſervatum, talis alteratio facta
» erat, quod qui ſuſceperat ferre non valens,
» emiſit. Hi caſus horrendi & non ſine magna
» cordis amaritudine referendi, & multa alia
» hujuſmodi nobis relata ſunt; & quiſquis vo-
» lens prudenter advertere, poterit quanta
» poſſunt accidere cogitare. At vero quam
» ſint hæc gravia, ex dicti ſententia poteritis
» intelligere de Conſ. di. 11. Si per negligen-
» tiam aliquid de ſanguine ſtillaverit in ter-
» ram, lingua lambatur, tabula radatur; ſi non
» fuerit tabula, ut non conculcetur ſanguis,
» locus radetur & igne conſumetur, & cinis
» in altari recondatur, & ſacerdos diebus XL.
» pœniteat. Si ſuper altare ſtillaverit, ſtillam
» ſorbeat miniſter, & tribus diebus pœniteat.
» Si ſuper linteum altaris & ad aliud perve-
» nerit, quatuor diebus pœniteat, & linte-
» mina quæ tetigerit, tribus vicibus abluat, ca-
» lice ſubtus poſito, & aqua ablutionis ſuma-
» tur, & juxta altare recondatur. Præterea au-
» divimus ſæpe contingere, quod conſecra-
» tum in calice non ſufficit multitudini com-
» municantium, & tunc fit noviter conſecra-
» tio calicis tantum, & a preſbytero non com-
» municante, quod eſt ſanctorum patrum di-
» ctis plurimum alienum. Et dicitur etiam,
» quod aliqui interdum vinum non conſecra-
» tum pro conſecrato miniſtrant: quod ma-
» ximum periculum eſt. Fiat igitur iſta ratio,
» quod vobis ſuſcipientibus eccleſiaſticam uni-
» tatem & pacem, realiter & cum effectu & tam
» in omnibus aliis quam in uſu communionis
» utriuſque ſpeciei, fidei & ritui eccleſiæ uni-
» verſalis vos conformantibus, vos qui talem
» uſum habetis, communicabitis ſub duplici
» ſpecie cum auctoritate eccleſiæ.

» 10. Articulus iſte cum in ſacro concilio
» diſcutietur ad plenum, videbitur quid circa

A illum articulum pro veritate catholica ſit te-
nendum, & ageendum pro utilitate & ſalute
populi Chriſtiani. Et omnibus his mature &
digeſte pertractatis, nihilominus etiam ſi per-
ſeveraris in deſiderio veſtro, ſicut veſtri am-
baſſiatores poſtulaverunt, ſacrum concilium
ſacerdotibus veſtris communicandi ſub utra-
que ſpecie populum veſtrum, eos videlicet,
qui in annis diſcretionis conſtituti reveren-
ter & devote poſtulaverint, auctoritatem &
& facultatem in domino largietur: hoc ſem-
per obſervato, quod ſacerdotes ſic commu-
B nicantibus dicant ſemper, quod ipſi debent
firmiter credere, quod non ſub ſpecie panis
caro tantum: nec ſub ſpecie vini ſanguis
tantum, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer
totus Chriſtus. Licet unicuique catholico ſa-
tis eſſe debeat auctoritas ſacri generalis con-
cilii, ut firmiter teneat bene actum eſſe, quic-
quid ab illo Spiritus-ſancti proceſſit tribuna-
li; tamen hoc exemplum hic inſerere vo-
lui. Numquid ſi medicus curam haberet in-
firmi qui nihil comedere vellet, niſi quod
eſt ſibi nocivum, illud tamen medicus ali-
C quo condito temperaret, ut nocivum non
eſſet, reputaretur crudeliter agere & impe-
rite, ſi illud temperare & miniſtrare infir-
mo, ut viveret, dedignaretur? Præterea om-
nia initia difficilia ſunt, & facilius introdu-
ctio partis poſt partem * non poſſunt etiam
committi. Hoc firmum tenete, quod non
levi judicio, ſed multa maturitate digeſto
tempore & per dies plures & continua diſ-
cutione multorum cardinalium, patriarcha-
rum, archiepiſcoporum epiſcoporum, ma-
giſtrorum & doctorum agitur, ac Deo pro-
pitio, poſtea plane intelligetis & plane, &c.
D Septimo die Decembris anno Domini MCCCC
XXXIII. Et tantum de illo.

» Hic aliquid deeſſe videtur.

LITTERA CREDENTIALIS Bohemorum.

Anno 1434. 10. Januar. *Ex mſ. Aquisgranenſi.*

REverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, dominis cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, venerabilibus patribus, prælatis, magiſtris & doctoribus, illuſtribus principibus, & ducibus magnificis, nobilibus & ſpectabilibus oratoribus & legatis regum, & principum, ſingulis quoque qualicumque titulo inſignitis, Alſſo de *Ryſinburg*, alias de *Wrzeſſciowo* gubernator ſupremus regni Bohemiæ & marchionatus Moraviæ, barones, civitas major Pragenſis, nobiles, milites, civitates, & communitates præfatorum regni Bohemiæ & marchionatus Moraviæ ac nobis adhærentes, debita reverenria cum quovis genere complacendi præporrectis. Ad veſtrarum paternitatum, dignitatum & dominationum celebrem præſentiam, honorandum & bene meritum nobiſque acceptum & fidelem virum Martinum

preſbyterum de *Chrudin* exhibitorem præſentium, de noſtro propoſito ſufficienter eruditum deſtinamus, quanto humilius valemus poſtulantes, quatenus paternitatum & dominationum dignitas veſtrarum nuncio noſtro prædicto in omnibus & ſingulis relationibus veſtris dignitatibus & dominationibus ex parte noſtra referendis, plenitudinem fidei adhibere dignetur, tamquam veſtro aſſiſtentes conſpectui propriis loqueremur in perſonis. Datum Praghæ anno Domini M CCCC XXXIV. die X. menſis Januarii.

Credentia hujus littera fuit quod regnum Bohemiæ, &c. ſupplicabat ſacro concilio, quatenus propter pacem conſervandam in dicto regno, ſacrum concilium vellet inducere omnes incolas regni ad communicandum ſub utraque ſpecie & adhærentes eiſdem; ſed nihil obtentum fuit, prout in littera ſequenti apparet.

RESPONSIO SACRI CONCILII ad litteram credentialem Bohemorum immediate præcedentem.

Anno 1434. 26. Februar. Ex mſ. Aquicinct.

SAcroſancta, &c. auditis & intellectis quæ dilectus eccleſiæ filius magiſter Martinus Berùerii decanus eccleſiæ Turonenſis, unus de oratoribus noſtris ad vos deſtinatis, nobis retulit, qualiter exhibita per eum capitula inter vos & legatos noſtros concordata, & manuum mutua præſtatione firmata fuerunt; quodque vos pacis & concordiæ avidos oſtendentes, hujuſmodi capitulis concordatis contenti, promiſeratis amplius nullas difficultates injicere, ſed velle concordata executioni debite demandare, ingenti gaudio exultavimus, gratias magnas pro his agentes omnipotenti Deo, qui eſt pacis & unitatis amator. Cumque illis diebus illud jocundum & cunctis deſideratum advenerit de plena adhæſione ſummi pontificis huic ſacro concilio facta, ac etiam quod Græci parati ſunt ad hoc ſacrum concilium deſtinare legationem ſolemnem, prout oratores noſtri illuc tranſmiſſi nobis reſcripſerunt, gaudia fuere gaudiis cumulata. Poſt hæc vero ipſorum noſtrorum legatorum ab ipſo regno audito diſceſſu, plurimum admirati fuimus. Ipſis quoque legatis noſtris venientibus, tam ipſorum quam etiam preſbyteri Martini de *Chrudim* oratoris veſtri, capitula ipſa coram nobis legentes, relatione ipſorum capitulorum firmam utrimque concluſionem omniaque alia hinc inde agitata, necnon impedimenta executionis eorum, quæ concordata & firmata fuerunt, intelleximus luculenter. Ea propter decrevimus vos requirere & admonere, ſicut & præſentium ſerie admonemus, requirimus, & exhortamur, quatenus promiſſionibus veſtris ſatisfacientes, in prædictis concordatis & firmatis capitulis velitis perſiſtere, & ea exequi omni dilatione ſemota. Alioquin Deum omnium cognitorem invocamus in judicem, cœlum & terra ſint teſtes, quod omnia mala quæ ex diſceſſione & ruptura ſequentur, culpæ veſtræ penitus imputentur. Ad id vero quod per dictum veſtrum ambaſſiatorem *extitit* veſtro nomine poſtulatum, ita duximus reſpondendum, quod hiis quæ concordata & firmata ſunt non implecis, neque ſignis aliquibus affectus pacis & unitatis in effectu a vobis oſtenſis, quin immo hoſtili perſecutione ferente, præſertim contra Pilzneenſes, aliquid aliud quod in præfatis capitulis contentum non eſt, per vos poſtulari a nobis ſatis videtur indecens. Sed ea quæ jam concordata & firmata ſunt ad executionem deducite, ut tenemini, & ut tunc cum veram, puram, & ſinceram unitatem & pacem vos amplecti noverimus, & habere realiter & cum effectu, & alia in ipſis concordatis capitulis contenta efficaciter impleviſſe, ſi quid pro ſalute animarum veſtrarum & bono ſtatu patriæ veſtræ, poſtulabitis, hoc ſacrum concilium Spiritu-ſancto dirigente deliberabit & faciet, quod pro ſalute animarum veſtrarum bonoque ſtatu terræ ipſius cognoverit melius expedire. Datum Baſileæ die XXVI. *Februarii* MCCCCXXXIV.

LITTERA CONTRA MENDICANTES aſſerentes quoſdam articulos prout in littera.

Anno 1436. 12. Febr. Ex mſ. Aquicinct.

SAcroſancta, &c. Venerabilibus Yporeyenſi & Auguſtenſi epiſcopis, ſalutem, &c.

Inter alias, quas ad eliminationes errorum & hæreſum, inſtantias impendimus, illa videtur præcipua, ut cum aliquam doctrinam ſuboriri ſenſerimus, quæ oculos divinæ majeſtatis offendat, & grave in ſe periculum animarum contineat, eam, ne propagetur ulterius, & mentes fidelium damnabiliter rapiat, mox ſtudeamus exſtirpare. Frequentes dilectorum filiorum *tuarum*, epiſcope Yporeyenſis, civitatis & diœceſis parrochialium eccleſiarum rectorum querela noſtrum excitarunt auditum, aſſerentes quod nonnulli de ordinibus mendicantium ſuis prætenſis dogmatibus Chriſtianum populum ſeducentes, errores infraſcriptos aſſerere, & in illis partibus prædicare non verentur, videlicet quod nulla juris diſpoſitione parrochiani tenentur diebus *dominicis & ſolemnibus* miſſas in propriis eccleſiis parrochialibus eccleſiis audire, ſed ubicumque fuerit eorum major devotio, ibi *poſſint audire*, ſuis etiam prætermiſſis propriis parrochiis & audire miſſam illis diebus, adeo liberum eſt, quod conſtitutio *ſynodalis ſuper hoc diſponens*, & Chriſti fideles ad id artans, illos non ligat, & quod parrochiani ſuis curatis ad oblationem illis diebus præſtandam minime te-

nentur; ſed in voluntate dantis erit, cui oblatio veniat diſtribuenda: quod ſi quis ad onus celebrare faciendi miſſas pro vivis aut defunctis teneatur, quod illud ſolvi non poteſt per aliquem ſacerdotem curatum, cum ratione beneficiorum ſuorum ad id teneatur, & ſi decimarum ſolutio ſit de præcepto in ſolvendo, nihilominus in cui ſolvendo non eſt de præcepto; ſed debitor pro libito voluntatis illas expendere poteſt in opera pietatis. Præterea quod omnes & ſinguli, qui in aliqua ex regulis B. Franciſci habitum receperint & profeſſionem fecerint, morientes ultra annum, ſtare non poterint in pœnis purgatorii, cum ex divino indulto B. Franciſcus quolibet anno ſemel deſcendat in purgatorio, & quotquot ibidem animas reperiat de hujuſmodi profeſſoribus, ſecum ducat ad gaudia æternæ vitæ: nec non quod tanta eſt fratribus mendicantibus, etiam locorum ordinariis debite non præſentatis, libera audiendi confeſſiones indulta facultas, quod Chriſti fideles volentes cum ipſis confiteri etiam ſemel in anno cum proprio ſacerdote confiteri non tenentur, nec ab ipſo confitendi petere licentiam. Ceterum quod diœceſani etiam cum ſuis ſynodis abſolutionem particularium delictorum ultra caſus expreſſos in jure ſibi ſpecialiter reſervare non poſſunt in eorum præjudicium, quo minus ab illis abſolvere poſſint. Nos itaque dogmata prædicta veluti erronea, & canonicis ſanctionibus ac ſanctæ matris eccleſiæ traditionibus & præceptis enormiter obviantia proſpicientes, illiſque ne in Chriſti fidelium animarum diſpendium latius effundantur, ac per eorum tolerantiam aſſeverantium grex fidelis peramplius inficiatur, totis viribus obviare cupientes, vobis & veſtrûm cuilibet ſub interminatione divini judicii, autoritate univerſalis eccleſiæ tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus vos & veſtrûm quilibet, per vos vel per veſtros in ſpiritualibus vicarios generales, in civitate & diœceſi prædictis Yporienſi, contra prædictos dogmatizantes, illorum defenſores inquiſitionis officium eadem auctoritate exercentes, in eo procedatis etiam ſummarie & de plano abſque ſtrepitu & forma judicii uſque ad definitivam ſententiam, prout juris fuerit & rationis, eos quos per inquiſitionem hujuſmodi prædictos errores dogmatizaſſe & docuiſſe inveneritis, & quæ dogmatizabunt & docuerint in futurum, eorumque defenſores ac culpabiles in primiſſis, juxta quorumcumque delinquentium exceſſus & demerita, auctoritate noſtra prædicta per cenſuram eccleſiaſticam & alia juris remedia compeſcendo & coercendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, non obſtante, ſi præfatis ordinibus communiter & diviſim a ſede apoſtolica ſit indultum, quod perſonæ eorumdem ordinum ad judicium trahi aut ſuſpendi vel excommunicari, ſeu ipſi & dictorum ordinum loca interdici non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis privilegiis, indulgentiis & litteris apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta veſtræ juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum debeat in noſtris litteris fieri mentio ſpecialis. Nos enim omnibus & ſingulis fidelibus per civitatem & diœceſim hujuſmodi conſtitutis ſimili interminatione judicii diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus vobis & veſtrûm cuilibet in hujuſmodi inquiſitionis officio contra aſſertores & dogmatizantes prædictos, auxilium præbeant & favorem, ſi indignationem ompotentis Dei & noſtram ac alias juris pœnas voluerint evitare. Datum Baſileæ II. idus Februarii MCCCCXXXIV.

Vet. Script. & Mon. ampl. Coll. Tom. VIII.

COPIA CUJUSDAM BULLÆ DOMINI NOSTRI PAPÆ

Super remiſſione cauſæ eccleſiæ Magdeburgenſis ad ſacrum concilium.

EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad futuram rei memoriam. Anno 1434. 18. Martii. *Ex mſ. Aquicinct.*

Super gregem dominicum noſtræ divinitus vigilantiæ creditum ſpeculatoris intenti, prout nobis deſuper conceditur, exercentes officium, curis efficere perurgemur aſſiduis, ut inter Chriſti fideles quoſlibet optatæ tranquillitatis fervor exuberet, ac eccleſiarum, quarum noſtris incumbit humeris ſollicitudo cunctarum, nec non earum dicti gregis perſonarum ſtatus feliciter proſperetur, & ſuccisis jurgiorum litiumque ſtrepitibus, eccleſiæ & perſonæ ipſæ per juſtitiæ greſſus ad acceptabiles excitentur ac dirigantur eventus. Gravem venerabilis fratris noſtri GUNTHERI archiepiſcopi Magdeburgenſis querelam accepimus continentem, quod cum olim inter ipſum ex una, nec non cives antiquæ civitatis Magdeburgenſis ex altera partibus, occaſione jurium & libertatum ejuſdem eccleſiæ, cui tunc etiam dictus archiepiſcopus præfuit, diſcordia ſuſcitata fuiſſet, generalis ſynodus Baſileenſis pro tractandis & habendis inter partes ipſas pace & concordia, quoſdam non modicæ auctoritatis viros ad eamdem civitatem deſtinavit, & per illos qui pacem & concordiam hujuſmodi firmare non poterant, ipſis partibus ad dictam ſynodum legitime citatis, & eis ne via facti ſub excommunicationis in cives prædictos, & interdicti in univerſitatem civitatis ejuſdem ſententiis aliquid attentarent injuncto, ſynodus præfata

causas omnes & singulas, quæ præmissorum occasione dictas partes contingere poterant, quibusdam tunc inibi residentibus audiendas commisit judicibus, & fine debito terminandas. Et quia cives ipsi nihilominus in censurarum vilipendium & litis pendentiæ hujusmodi præjudicium, reprobis inconsultisque motibus nonnulla dictæ ecclesiæ castra & oppida de facto occupare, nec non alia gravia contra hujusmodi jura & libertates attentare præsumserunt, ipse archiepiscopus, prout ordo juris suasit, duas ibidem contra dictos cives, per quas inter alia cives excommunicationis, & universitas hujusmodi interdicti sententiis præfatis subjacere declarati fuerunt, sententias, ac super illarum exsecutione dictæ synodi litteras reportavit; & licet synodus ipsa, propter rerum desuper subsistentium notorietatem & evidentiam, super præmissis aliquas ulterius appellationes admittere pro parte dictorum civium penitus recusasset, & super eo quod hujusmodi fieret exsecutio, carissimi in Christo filii nostri SIGISMUNDI Romanorum imperatoris semper augusti, nec non aliorum principum & prælatorum patrocinia decrevisset invocari: cives tamen prædicti, qui etiam adhuc præmissa, quibus ipsum archiepiscopum spoliaverunt, castra oppidaque detinent, & eum necnon sibi adhærentem clerum a dicta civitate per triennium detestabiliter exsulari, suisque fructibus, reditibus & proventibus destitui fecerunt, protractioribus ipsos archiepiscopum, ecclesiam & clerum dispendiis afficere molientes, ab altera sententiarum declarationis hujusmodi ad sedem apostolicam, ut dicitur, appellarunt; nosque de præmissis plene tunc nullatenus informati, causam appellationis hujusmodi & negotii principalis, dilectis filiis nostris magistris Jo. *de Walingsi* & Jo. *Lobier* capellanis nostris & auditoribus causarum palatii apostolici, audiendam commisimus & fine debito terminandam; qui & ipsa etiam in forma solita inhibendo, ad aliquos actus inter easdem partes dicuntur processisse. Cum autem nos interim etiam per ipsius synodi litteras de præmissorum circumstantiis, quodque dicti cives in his iniquas & injustas omnino causas fovent, sumus certiores effecti; per nos commissarum hujusmodi, & quæ inter dictos filios præpositum, decanum & capitulum dictæ ecclesiæ, nec non eosdem cives etiam ex commissionibus nostris in Romana curia pendere asseruntur indecise, & quarumlibet aliarum dictas partes præmissa occasione tangentium status causarum præsentibus habentes pro sufficienter expressis, omnia & singula, quæ in vim nostrarum commissionum hujusmodi in dictis causis hucusque quomodolibet facta fuerunt, auctoritate apostolica revocamus, cassamus, irritamus, ac nullius volumus existere firmitatis; nec non ipsas per nos commissas causas ad nos advocantes, illas ad præfatum synodum remittimus per præsentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis, cassationis, irritationis, voluntatis, advocationis & remissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum apostolorum ejus Petri & Pauli se noverit incursurum. *Datum Florentiæ* anno incarnationis dominicæ MCCCCXXXIV. XV. calendas Aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

N. CUPER.
L. DE CAMENIES.
ANSELMUS.

A. FIDELIS.
T. KATENSOEN.

(a) Scripta est hæc epistola cum exercitus Taboritarum & Orphanorum Pfenensem & alias Bohemiæ civitates subjicere sibi conarentur, anno scilicet 1434. quo Dominica infra octavam Corporis Christi 30. Maii, commisso prælio, cæsa sunt hæreticorum millia 13000. ipseque Procopus Taboritarum sacerdos, & Jacobus Lupi de secta Orphanorum sacerdos occiderunt, paucis ex Catholicis desidetatis.

EPISTOLA (a) ANONYMI [4]

Sub nomine ecclesiæ ad Procopium Razum.

INfideli Procopio contra Christum in campis degenti, JESUM CHRISTUM & hunc crucifixum pro salute. Anno 1434. ante 30 Maii. Ex mss. regii collegii Sorbonæ.

1. Caritas Christi, immo caterva fidelium exulatusque me compellit tibi sacræ scripturæ veritatem pro munusculo offerre, a qua te, proh dolor! devius error abduxit. Rex pacificus JESUS CHRISTUS ab æterno decrevit unam esse fidelium universalem ecclesiam, præter quam nullus omnino salvatur. In qua ipse sacerdos est & sacrificium JESUS CHRISTUS, cujus corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transsubstantiato pane in corpus & vino in sanguinem potestate divina. Dicis autem in campis te degere propter calicem sanguinis JESU CHRISTI. Christus autem a quo nomen Christianorum est abstractum, non quotidie in campis degebat, sed quotidie docens erat in templo; & apostoli quorum vestigiis te fingis ambulare, in campis non ambularunt cum apparatu armorum, sed fide omnia regna vicerunt. Zacharias in ordine vicis suæ non in campis, sed in templo ministrabat. Intendis nos compellere ad calicem Domini vi armorum: Christus vero dixit Petro: Mitte gladium tuum in vaginam; nec apostoli apparatu armorum, sed doctrinis & sanguinis effusione ecclesiam fundarunt & irrigarunt. Gloriaris enim in evangelio Christi, ubi dicitur: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Evangelium est non in verbis, sed in spiritu; non

in ſuperficie, ſed in medulla; non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis. Populus Chriſtianus ad corpus Chriſti accedens, veraciter ſanguinem Chriſti ſumit, & bibit: corpus enim vitale ſanguinis gaudet naturali concomitantia. Unde Chriſtus paucis interpoſitis annexuit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: de calice vero omnino tacuit. Dicis autem quod papa non poteſt ex poteſtatis plenitudine deſtituere quod Chriſtus inſtituit. Statutum ſanctum & juſtum, ſi in noxam vergat, papa cum ſacri concilii approbatione juſte & ſancte deſtituit. Nonne tempore Moyſi Dominus præcepit facere ſerpentem æneum, & poſt multorum annorum curricula, tempore Ezechiæ regis Juda, dum filii Iſraël importune inſtabant, quod deberet eis ſerpentem tradere, quia patres eorum a morte præſervaſſet, volentes ſerpenti exhibere cultum latriæ; videns rex quod in noxam vergebat, puta in idololatriam, cum conſilio maturo & digeſto, ſerpentem penitus deſtruxit? Pateant aures tuæ audire quod Spiritus-ſanctus in ſcripturis ſuis dicat.

2. Poſtquam Chriſti fidelium crevit multitudo, populus bibens de calice Domini, ſanguis Chriſti ſæpius irreverenter ſuſus fuit ad barbas virorum, ad pepla mulierum. Ideo papa Julius videns illam irreverentiam, laïcis ſubtraxit calicem Domini. Et ex alia cauſa potiſſima, quia tempore Julii papæ error periculoſus invaluit, qui aſſeruit, quod ſub ſpecie panis eſſet tantum Chriſtus medius, & ſub ſpecie vini eſſet alia medietas Chriſti, & non eſſet Chriſtus totus ſub ſpecie panis: ideo ſubtraxit laïcis calicem, ut credant ſub ſpecie panis eſſe totum Chriſtum, vere ſciens ſufficere ad ſalutem corpus Domini, ſanguine naturaliter concomitante, ſecundum verbum Chriſti: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* In prædicto verbo: *Niſi manducaveritis, &c.* Chriſtus patenter expreſſit dumtaxat manducationem ſpiritualem, quæ eſt in fide, caritate informata ad ſalutem neceſſaria; quia Chriſtus dixit: *Verba quæ locutus ſum, ſpiritus & vita ſunt.* Nam in certis caſibus manducare panem & bibere calicem ſacramentalem non eſt de neceſſitate ſalutis: quia ſi omnipotens Deus non daret nobis congruum fructum, vel uvas de racemis, nemo poſſet hoc ſacramentum confiteere. Similiter Chriſtianus captus a paganis multis annis, & interim terminum vitæ ſuæ claudens, non poſſet habere manducationem ſacramentalem. Durum autem eſſet totam eccleſiam in præfatis caſibus ſtare in ſtatu damnationis æternæ. Quid gloriaris de calice Domini ſine fructu? Ipſe enim eſt lignum vitæ faciens fructus, per menſes ſingulos faciens fructum ſuum. Nam ſecundum Apoſtolum ſunt opera carnis & fructus ſpiritus. Opera carnis ſunt contentiones, invidiæ, homicidia, furta, &c. Timeo quod ſumendo calicem, ſumas calicem diaboli, non Domini: quia opera carnis in te ſunt manifeſta, qui intraſti terram noſtram intendens rapinis inſiſtere, homicidia perpetrare more patris tui, qui homicida fuit ab initio, & rapere ſtuduit divinitatem, ac diſcordias & diſſentiones, ſicut inimicus homo, ſuperſeminare non tantum inter Chriſtianos, verum etiam inter tuos complices: quoniam alius Thaborita, alius Orphanus, alius Pragenſis, cum tamen tunica Domini inconſutilis fuit indiviſa. Tantus amator diſcordiæ factus es, ut, quantum in te eſt, concordia, dato libello repudii, extra fines mundi exſulaverit. Fructus autem ſpiritus ſunt pax, gaudium, caritas, benignitas, caſtitas, continentia. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Ubi eſt pax tua? ubi benignitas? Glòriaris autem in ſanguine Chriſti, qui pius fuit, & ut eccleſiæ caput, peccata noſtra ſuo cruore deterſit, & pius ſanguis Chriſti in cruce clamavit pium verbum: *Pater, ignoſce eis.* Ubi eſt pietas tua ad proximum? corruptus es, & abominabilis factus es. carnem diaboli induiſti, immemor humanæ miſericordiæ, qui tot crudelia præſumis facere: pauperes exſulant, gemitus miſerorum ubique oppreſſorum miſerabiliter clamant, nudi degunt, mendicos multiplicas, manus tuæ non ſtillant myrram, ſed cruore ſanguinis manus tuas lavas in ſanguine inſontum. Si enim calicem Domini ſumeres, deberes eructare verbum bonum pietatis: eructas autem verbum mortiferum fraudibus plenum, caſtra & civitates doloſe expugnando, ac ſuperbiendo in curribus & in equis. Nos autem in nomine Domini cum patientia ſuſtinebimus, donec omnipotens Deus pro electis faciet vindictam pro peccatis. Et ſcio quod Deus glorioſus per angelum ſuum una dierum feriet te, ſicut fecit exercitum regis Sennacherib in campis, ut pereas ab exterminatore.

3. Quid gloriaris quod in virtute ſanguinis Chriſti frequens tibi arridet victoria bellorum? O ſtulta æſtimatio! o ſuperba jactatio! Nonne Alexander magnus, cui Deus Jupiter fuit, totum mundum ſibi ſubjugavit? Nonne Romani omnium idolorum cultores, totum mundum ſuperarunt? Nonne in ſanguinis virtute intraſti in terram noſtram cum carbonibus deſolatoriis ſuccendere eccleſias, occidere ſacerdotes, & ſanguinem innocentem effundere? Cave ne in te ſatanas intraverit: quia Judas poſtquam accepit buccellam, intravit in eum ſatanas. Heu! abſque dubio ſatanas es. Satan enim adverſus Chriſtum dicitur. Chriſtus autem dicit: *Qui me honorificaverit, honorificabit eum Pater meus, qui in cœlis eſt.* Tu vero domos Dei in honorem Chriſti conſecratas ſuccendis, ſacra vaſa & veſtes ſacras abſtuliſti, altaria Chriſti deſtruxiſti: cum tamen Chriſtus decorem domus ſuæ dilexerit, qui ait: *Zelus domus tuæ*

comedit me. Immo nec Christus vas sinebat portari per templum. Spero quod manum videbis in pariete scribentem: *Mane, Techel, Phares.* Propter ista & similia Balthasar rex patiebatur regni jacturam, regnum suum perdidit, & mortem subiit improvisam. O quam confundis divini cultus augmentum! De domibus enim orationum, stabula facis equorum. Vasorum sacrorum apparatus est singulorum ornatus. Vestes enim sacerdotales rapiunt in abusum sæcularium: cum in utroque testamento Dominus præcepit sacerdotibus speciale vestimentum. Beato Johanni discursum totius ecclesiæ revelans, indutus fuit veste sacerdotali: immo quod timendum est, in domo Dei tot nefaria committis, quod dedeceret in paganis.

4. Dicis enim, sacerdotes in ecclesiis student avaritiis & vacant simoniæ in sacramentorum collatione: quod tu asseris absque veritate. Si tamen sic esset, quod absit, ob hoc domus Dei non debet tradi incendiis: & Jesus Christus cum invenit in templo vendentes & ementes, non templum incendebat; sed facto flagello de funiculis eos ejecit & pie correxit. Diffaveo tibi, quod ita a veritate exorbitasti. Noram certe ex relatu te esse virum magni consilii, utinam in bono. Sed, proh dolor! talentum tibi creditum non posuisti ad negotiationem, sed, heu! in sudario. Sudarium enim est vestis mortuorum. Totam enim intentionem ostendis ad nova peccata mortalia perpetranda, *in novis homicidiis*, rapinis, incendiis, pauperum oppressionibus: ita ut omnis sanguis a justo Abel ad damnationem Johannis Hus, qui effusus est super terram, super te & super generationem Hussitarum veniat. Ideo domus vestra deserta. Nonne Praga civitas regalis deserta est in magna parte, & civitates aliæ regni Bohemiæ? O Praga olim civitas fidei, civitas sapientiæ, nunc oppidum perfidiæ, magistra errorum. Unde hoc? quia non erubuisti manum tuam mittere in Christos Domini; non expavisti persequi ad te missos de civitate in civitatem. Ideo domus vestra deserta. Mirari non sufficio te degenerare a Christianorum sanguine & fidelium.

5. In ecclesia sancta orthodoxi sunt sancti quasi innumeri, qui signis clarnerunt & prodigiis coruscarunt, *qui ritum* ecclesiæ *in* missarum solemniis & aliis servaverunt, quem tu detestaris. Novis figmentis & superstitionibus gaudes, confessionibus fidelium non acquiescis. Laici tui, quod a sæculo non est auditum, officio sacerdotali se ingesserunt, prædicando, baptizando, & alia sacramenta ministrando. Dic unum de secta tua damnabili, qui sanctitate fuerit suffultus, qui signis clarnerit & prodigiis? Non video alia signa sectæ tuæ, nisi homicidia, rapinas & oppressiones *innocentium*, cum omnes leges, scilicet divinæ, Mosaicæ, canonicæ, & imperiales clament unicuique reddere quod suum est. Unde Praga vestra, unde Bohemici vestrum abjecistis? hæredem repulistis? alios repulistis & hæreditates usurpastis. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Dicis enim duo, primo quod Deus te elegit & misit proponere populo verbum Dei. Unde venisti minister, cum Christus dicat: *Principes gentium dominantur eorum: vos autem non sic*? Si enim te Deus elegit, fac fructus electionis; unde Christus: *Ego vos elegi ut eatis & fructum afferatis.* Secundum Apostolum, *Fructus autem Spiritus sunt pax, gaudium, caritas, benignitas, bonitas.* Ubi est pax tua? ubi gaudium? ubi benignitas ad proximum? Si enim Deus te misit proponere populo verbum Dei, verisimiliter ostende istam invisibilem missionem, operatione miraculi vel scripturæ testimonio spirituali. Unde cum Dominus vellet mittere Moysen in Ægyptum, dedit ei signum, ut converteret virgam in colubrum. Johannes quoque Baptista spirituale suæ missionis testimonium protulit de scriptura dicens: *Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut ait Isaias propheta.* Cum tu ergo nullius miraculi operatione missionem tuam demonstrasti; ideo more inimici hominis, qui zizania superseminavit, inimicitias, non ea quæ pacis sunt quæris. Immo, quod flens dico, inimicus crucis Christi es. In cruce enim Christus fecit utraque unum: unde in sua benedicta passione factus est lapis angularis.

6. Hæc scribo ut amico, utinam fratri in fide, quem corrigere volo, non perire. Obsecro te igitur per viscera misericordiæ Dei nostri, & per effusionem sui sanguinis pretiosi obtestor, ac per suum tremendum judicium, ut ab ista vita damnabili resilias, & ad stabulum sanctæ matris ecclesiæ redeas, ubi verus Samaritanus Jesus Christus vinum & oleum infundet, & tradet duos denarios vero stabulario, qui curam de te habebit, ne pereas, sed habeas vitam æternam, & abundantius habeas, quam tibi concedat Jesus Christus Mariæ filius, qui in sæcula est benedictus. Amen.

Subscriptio hujus epistolæ.

Ex parte ecclesiæ habentis pedes in camino ignis, deplorantis exulationes & oppressiones fidelium.

LITTERÆ CAPITULI BAJOCENSIS ad concilium Basileense.

Commendant Zanonem de Castillione episcopum Bajocensem.

Anno 1434. *Ex ms. Lugdunensi.*

Sacrosanctæ synodo Basileæ in Spiritu sancto legitime congregatæ, universalem ecclesiam repræsentanti.

Reverendiſſimi in Chriſto patres, domini metuendiſſimi, ac magiſtri præclariſſimi, in Spiritu-ſancto legitime congregati, ac univerſalem eccleſiam repræſentantes, præmiſſis recommendationibus humillimis, obſequiosis ac devotis cum promtitudine famulatus.

Veritatis teſtimonium perhibemus, quod poſtquam placuit omnipotenti Deo ac ſanctiſſimo domino noſtro domino EUGENIO cœleſti providentia papæ IV. providere eccleſiæ noſtræ Bajocenſi de digniſſimo paſtore ac ſponſo ejuſdem, videlicet de reverendo in Chriſto patre ac domino noſtro metuendo domino ZANONE DE CASTELLIONE, tunc temporis Dei gratia Lexovienſi epiſcopo, mandatis apoſtolicis obedire cupientes, ut tenemur, tamquam veri filii obedientiæ in comitiva prælatorum, baronum, militum, nobilium domini noſtri regis officiatiorum, civium Bajocenſium, ac cleri & populi civitatis & diœceſis Bajocenſis multitudine copioſa, propter hoc proceſſionaliter, ut moris eſt, congregata, ipſum reverendum in Chriſto patrem & dominum noſtrum metuendum in paſtorem & epiſcopum animarum noſtrarum cœleſti & apoſtolica proviſione nobis conceſſum, reverenter, ut decuit, ſecundum formam & tenorem ſtatutorum eccleſiæ prædictæ recepimus lætantes, ipſumque continue poſtmodum reputavimus, prout reputamus, verum & indubitatum eccleſiæ noſtræ ſponſum, cujus vitam & converſationem laudabilem viſu & auditu & famulatu & domeſtica experientia novimus, ipſumque generis nobilitate præſignem, litterali ſcientia præditum, & virtute, morum gravitate, vitæ munditia nitidum, experta induſtria, in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum; veridico teſtimonio aſſerentes & firmiter credentes, quod ſane de eodem poteſt dici, quod omnipotens Deus fructuoſe viſitavit plebem ſuam in diœceſi Bajocenſi, qui tantum digniſſimum paſtorem, gratum clero & populo civitatis & diœceſis Bajocenſis ibidem deſtinavit. Præmiſſis igitur meritis attentis, dictum reverendum in Chriſto patrem & eccleſiam prædictam cum ſuppoſitis ejuſdem humillime ſupplicamus in viſceribus miſericordiæ ſemper habere recommiſſos: offerentes nos poſſetenus paratos ſemper obedire & ſervire metuendiſſimis dominationibus veſtris, quas conſervare dignetur ad augmentum fidei catholicæ & optatæ pacis omnipotens Deus cum felicibus incrementis gratiæ & honorum. Scriptum Bajocis anno Domini 1434.

Veſtræ ſanctiſſimæ congregationis humiles, devoti & ſeduli oratores, decanus & capitulum eccleſiæ Bajocenſis.

EPISTOLA MAGISTRI CIVIUM & conſulum Pilznenſium, ad concilium Baſileenſe.

Significant ſe ab hoſtibus liberatos in magna penuria verſari.

Reverendis in Chriſto patribus & dominis, &c.

Lecta in congregatione generali XXI. *Maii* MCCCCXXXIV.

SAcroſanctæ generali ſynodo Baſileenſi in Spiritu-ſancto legitime congregatæ, eccleſiam univerſalem repræſentanti, magiſter civium, conſules & jurati, totaque communitas civitatis novæ Pilznæ, paratam in ſingulis obedientiam, humilemque ſubjectionem debita cum reverentia & condigna. Anno 1434. 10. Maii. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

Patres reverendiſſimi dominique glorioſiſſimi, ante omnia omnipotenti Deo, qui eſt protector & ſalus in ſe ſperantium, demumque paternitatibus & dominationibus veſtris devotas & innumerabiles gratiarum referimus actiones. Ipſo enim omnipotente Deo auxiliante, veſtroque ſubſidio & beneficio ſuffragante, ab inimicis crudeliſſimis ſumus liberati. Hodie namque die ſolis, quæ fuit dies IX. menſis Maii, hora quaſi prima ipſius diei, ſuccenſis omnibus tentoriis, ſtationibus, tuguriis, ceteriſque ædificiis omnium exercituum ſuorum a nobis cum confuſione receſſerunt. Patres igitur reverendiſſimi & domini glorioſiſſimi, dominationibus veſtris humiliter ſupplicamus & attente, quatenus dominatio veſtra defectus noſtros miſericorditer dignetur reſpicere. Nam propter prædictos inimicos noſtros & hæreticos ad finalem devenimus penuriam, & maximis debitis ſumus involuti, immo totus diſtrictus noſter per præfatos hæreticos eſt deſolatus & totaliter devaſtatus. Speramus itaque indubitanter, quod dominatio veſtra nos non derelinquet, ſed noſtros ſublevabit defectus, & nobis ſubveniet gratioſe. Perſonas veſtras ſanas & incolumes omnipotens Deus nobis totique fidei catholicæ dignetur conſervare in longæva ſanitate. Datum novæ Pilznæ, Dominico die poſt aſcenſionem Domini, anno MCCCCXXXIV.

Magiſter civium, conſules & jurati, totaque communitas civitatis Pilznæ.

LITTERA MAGISTRI JOHANNIS *de Polemar* auditoris & ambaſſiatoris ſacri concilii verſus Bohemiam.

Sacroſanctæ generali ſynodo Baſileenſi, &c.

De victoria ſuper Taboritas reportata.

Anno 1434. 13 Maii. *Ex mſ. Aquicinct.*

SAcroſancta ſynodus, ſi omnes corporis mei artus diſſolvere, & ſeparatis ab invicem articulis ſingulis poſſem linguæ officium commodare, ut univerſum diſcurrentes per orbem, illius fideliſſimæ civitatis Pilznæ laudes promere, principum, dominorum & univerſi populi Chriſtiani poſſem favores & auxilia procurare, id libenti animo facerem, me hujuſmodi exiſtimans debitorem. Quis Chriſtianus homo, quis fidei Chriſtianæ zelator non arbitrabitur ſe debere illis Chriſti fidelibus, qui pro fide catholica tam duram obſidionem conſtantiſſime paſſi ſunt? qui etſi nullum affuiſſet eis liberationis auxilium, decreverant, & repetitis deliberationibus firmaverant pro Chriſto mortem ſubire. Proinde meruerunt ab exercituum Domino, a Deo Sabaoth mirabiliter liberari. Jam igitur cum reperire valeam univerſam Chriſtianitatem in unum pariter congregatam, & quod natura negavit efficere, hoc actoris naturæ mira diſpoſitio intulerit, faciliter exequor deſiderium cordis. Te ergo, ſancta ſynodus, quæ univerſalem matrem fidelium eccleſiam repræſentat, voſque reverendiſſimos ac reverendos patres & dominos eam in Spiritu ſancto celebrantes, humillima ſupplicatione, totaque cordis affectione depoſco, quatenus dictam fideliſſimam civitatem benigno ſinu favoris & gratiæ, ut dignum eſt, infixam habentes, auxiliis, gratiis & favoribus attollatis, ut & magnifice ſubleveturi, & honoris titulis eluceſcat. Supplicationis meæ replicarem inſtantiam, niſi me a paternitatibus veſtris arbitrarer affectus magnitudine ſuperari. Opto, ſacratiſſima ſynodus, ut ad tria ſancta opera, pro quibus inſtituta es, morum præcipue reformationem, ſine qua, ſi fiant, cetera non ſubſiſtent, te dirigat clementia ſummi Patris. Scriptum Ratisponæ, XIII. Maii MCCCCXXXIV.

Ejuſdem ſanctiſſimæ ſynodi humillimus & indignus nuncius gratiam & benedictionem exoptans Johannes *de Polemar*.

LITTERA SIGISMUNDI imperatoris, ad concilium Baſileenſe.

De victoria reportata de Taboritis.

REverendiſſimi in Chriſto patres, &c. Hodie hora veſperarum, &c. *Extat apud Bzovium ad annum* 1434. *p.* 341.

COPIA LITTERARUM INCLUSARUM in epiſtola imperatoris.

NObili ac ſtrenuo militi domino Koluino de Briſska fratri meo dilecto. *Ex mſ. Aquicinct.*

Obſequiis præmiſſis, frater cariſſime, notifico vobis, quod regratiantes Deo bene valemus, & Thaboritas hodie, cum Dei adjutorio & meritis S. Venceſlai, proſtravimus, & damnum modicum de parte noſtra percepimus, & de Thaboritis magna multitudo interfecta eſt; ſed illorum numerum quot in loco remanſerint, neſcimus, quia a loco conflictus ſtatim ulterius receſſimus, & captivos plures adduximus, & de equeſtribus aliqui majores, ſed tamen pauci fugerunt & evaſerunt, & illa ſtrages facta eſt inter oppidum Gurſim & inter Brodam in illa planitie. Et Pilznenſes aciem duxerunt, & primi aggreſſi ſunt eos, & directo tramite præceſſerunt cum curribus & familia mea, ſicut boni & probi, ſine intermiſſione & retroceſſione. Propterea, dilecte frater, iſtis auditis, hanc ſtragem principibus notificetis, & ſi aliquem mittere poteritis ad Cæſaream majeſtatem, illa ſerenitati ſuæ ſignificetis, & etiam ſi juvenis ille nuncius Capunko venerit, mittatis eum in *Karleſtein*, & abinde *requirens* ubi fuerimus, veniet ad me, ubi campum vel caſtra poſuerimus. Etiam ulterius noveritis, quod nuncium ad vos miſiſſemus, ſed expectavimus, & nuncium retinuimus, volentes videre quem finem conſequeremur. Idcirco credimus & confidimus, illud quod in primis poſt cœnam ſcripſimus, quod hoc facietis. Et inſuper ſinceriter rogo, ſi aliqui de familiaribus meis furtive a me recedentes ad domum venerint, quod ipſos caſtigetis, ſicut in prima littera ſcriptum eſt vobis. De gentibus armorum vere copiam habemus, & validam multitudinem, & plures de die in diem conveniunt. Et aliud nihil intelligimus, nec ſperamus, niſi quod in brevi omnes civitates nobis ſubjicientur. Et cum iſtis vos Deo recommendamus. Orate ipſum pro nobis, & nos pro vobis. Datum inter Brodam & Gurſim, ſtatim poſt conflictum factum in ſero, Dominica poſt feſtum Corporis Chriſti.

Sdenko de Druſſeka reſidens in Tyno Horſwienſi.

REverendiſſimo in Chriſto patri *domino* domino Juliano miſeratione divina S. Angeli cardinali diacono, domino meo ſingulariſſimo. Anno 1431. *Ex mſ. de quicinct.*

Reverendiſſime in Chriſto pater & glorioſiſſime domine, exulret ſacroſancta ſynodus, gaudeat cunctus populus Chriſtianus, lætetur & præcipue animus veſter de tam celebri

celebri & felici victoria, quam Dominus Deus exercituum suis Christicolis contra hostes benedicti nominis sui misericorditer concedere dignatus est. Noverit ergo V. R. P. quod die Dominica post festum Corporis Christi barones regni Bohemiæ, civitatis antiquæ Pragensis, & aliorum fidelium fulciti præsidio cum Thaboritis & Orphanis campestribus in virtute Altissimi bellum animose aggressi sunt, & per totam Dominicam prædictam & noctem sequentem prælia continuando certarunt, & die lunæ hora diei tertia bellum pro parte nostra, auctore Domino, feliciter terminatum esse dignoscitur. Et ceciderunt de parte Hussitarum universi campestres XIII. millia, inter quos interemti sunt ille Zapko capitaneus, & Procopius & Lupus presbyteri seductores nequam, & septingenti capti existunt, & carceribus mancipati. Et de parte nostra, quam Altissimus protegere dignatus est, perierunt dumtaxat ducenti, quibus clementia Salvatoris misereri dignetur. Ceterum R. P. dirigo magnificentiæ vestræ copias duarum litterarum vulgarium materiam belli prædicti continentium, ut in illis magnificentiæ vestræ nedum dulciter recitetur; sed & hæc nova verissima intimet domino meo singularissimo domino auditori, ut & sinceritatis suæ integritas gaudeat feliciter in Domino, cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen. Scriptum Nurembergæ in octava Corporis Christi, anno, &c. MCCCCXXXIV.

Sigismundus *Stroumer* servitor vester humilis.

EPISTOLA CAROLI VII. regis Francorum ad concilium Basileense.

Significat se ad pacem paratum.

Anno 1434. 10. Junii. Ex mss. Aquicinct.

SAcrosanctæ generali synodo Basileensi in Spiritu-sancto legitime congregatæ, CAROLUS Dei gratia Francorum rex, in agendis ipsius Sancti Spiritus assistentiam & jugem directionem.

Gratas plurimum vestræ sacrosanctæ congregationis litteras libenti affectu, corde & animo per carissimum consanguineum nostrum cardinalem de Cypro, ac etiam per dilectum ac fidelem nostrum consiliarium archiepiscopum (a) Auxitanum, episcopum [a] Glascansem, abbatem (b) S. Honorati & de- [b] canum Cameracensem (c) susceepimus, quos [c] apud nos tamquam vestros nuncios, & ambassiatores solemnes, una cum præfato cardinali consanguineo nostro, quem veluti pacis angelum vestra sacrosancta congregatio destinavit, qua in re vestro sancto ac salubri voto & *propositio* quod nobis vestri parte in publica audientia & alias elegantissime reseravit, ad pacificationem desideratissimam Christianissimi regni nostri, longa nimium, proh dolor! bellorum agitatione, sicut divinæ placuit majestati, lamentabiliter afflicti, vobis uberrimas grates referimus: certam reddentes vestram sacrosanctam congregationem, quod ob Dei reverentiam & debitum sibi honorem, desiderium ardentissimum tranquillitatis populi nostri, bellica strage gravissime super vires oppressi, super quo cœlum & terram testes invocamus, semper voluimus, egimus nunc, & in futurum volemus, & totis vigiliis instabimus ad pacis tantopere desideratæ prosequutionem, consummationem & inviolabilem conservationem, numquam subterfugiendo opus adeo bonum concordiæ, & plane necessariæ, media omnia opportuna quærendo, pulsando omnes, & prosequendo sic & tam volenti animo, quod apud Deum, cui omnia patent, & homines recto oculo pervidentes nullatenus poterimus, prout nec usque meruimus, reprehendi. Quæ omnia latius & ad plenum memorato dilecto consanguineo nostro & ceteris jam satis nunciis & oratoribus zelantissimis concordiæ & pacis, vestræ sincerrimæ caritati referenda commisimus. Vestram sacrosanctam congregationem Sancti Spiritus gratia jugiter ac perseveranter accendat & dirigat ad omne opus bonum, & qui incepit confirmet solidetque, prout totis præcordiorum affectibus exoptamus & desideramus. Scriptum in castro nostro S. Symphoriani Auzonis, die X. mensis Junii MCCCCXXXIV.

CAROLUS.

SAUGNY.

(a) Philippum de Levis qui postea fuit cardinalis & archiepiscopus Arelatensis.

(b) Gaufridum de Monte-alecto.

(c) Egidium Carlerii.

Vet. Script. & Mon. ampl. Collect. Tom. VIII.

Zz

LITTERA DOMINI IMPERATORIS concernens factum domini cardinalis Rothomagensis & capituli Bambergensis.

Anno 1434. 21. Junii. Ex mss. Aquicinct.

REverendissimis ac venerabilibus in Christo patribus & dominis sacrosanctæ generali synodo Basileensi amicis, &c.

Reverendissimi in Christo patres, &c. Scripsimus his proximis diebus ex *Scaffhusen* reverendissimis dominis præsidentibus in sacro concilio, quemadmodum apud serenitatem nostram lamentationes fierent per principes, communitates, & alias singulares personas sacri Romani imperii, quod traherentur minus debite, & in causis mere prophanis ab ecclesiasticis personis, tam in Romana curia & sacro concilio, quam extra, coram aliis judicibus ecclesiasticis, & specialem mentionem fecimus de causa vertente inter

reverendiſſimum dominum cardinalem (a) Rothomagenſem contra cives Biſuntinos, & alia vertente inter venerabilem epiſcopum Bambergenſem & capitulum eccleſiæ Bambergenſis contra cives ſuos, qui gravi cum lamentatione majeſtati noſtræ propoſuerant, quod tracti eſſent & litigare cogerentur coram judicibus aliquibus a ſacro concilio deputatis, in cauſis quarum cognitio non ad forum eccleſiaſticum, ſed ad noſtram imperialem majeſtatem dinoſcebatur pertinere. Unde requiſivimus præfatos dominos præſidentes, quatenus operam dare vellent, ut in his cauſis ſuperſederetur, quoad ex Ulma ambaſſiatores noſtros ſolemnes, quos cum principum noſtrorum conſilio apud ſacrum concilium tranſmittere habebamus, nedum ex his cauſis, ſed aliis etiam majoribus illuc advenirent. Reſponſum a præfatis dominis præſidentibus ſuſcepimus, quo nobis in ſumma reſpondetur, quod præfatus dominus Rothomagenſis epiſcopus, & capitulum Bambergenſe, quos audire voluerant, dixerunt certos eſſe caſus in jure, prout ſuos eſſe affirmarunt, pro quibus recurſus haberi poteſt ad forum eccleſiaſticum contra quoſcumque, maxime ſedente concilio generali, ad quod quicumque oppreſſus contra quemcumque recurſum habere poteſt, & quod aliquis illud declinare non poteſt, ſubjungendo quemadmodum idem dominus Rothomagenſis aſſerebat, litem cum civibus Biſuntinis motam eſſe in curia Romana uſque tempus prædeceſſoris ſui, in qua procurator majeſtatis noſtræ pro intereſſe imperiali ſe adjunxerat, & quod Biſuntinenſes epiſcopi venerant ad cauſam, & libellum receperunt. Deinde in Baſilea diem coram judice acceperunt, & ſic prærogativa eſt, juriſdictio, &c. In cauſa vero Bambergenſi aſſeruerant epiſcopus & capitulum hujuſmodi ſuæ cauſæ poſt diverſas altercationes apud concilium remanere debere declaratum eſſe, a qua declaratione non licet epiſcopis diſcedere, &c. Nihilominus quod ipſe dominus Rothomagenſis contentaretur, quod ex parte ſacri concilii & ex parte ſerenitatis noſtræ aliquibus volentibus viris committeretur cauſa inter ipſum & cives Biſuntinos, tam in principali, quam ſuper omnibus dependentibus cum poteſtate decidendi auctoritate utriuſque cum clauſulis, &c. Aliter utrumque non poſſe deſiſtere a proſecutione litium ac ſine offenſa libertatis eccleſiaſticæ, nec ſalvis eorum conſcientiis, ac ſine nota perjurii per ipſorum quemlibet præſtiti juramenti eccleſiæ ſuæ, ſicuti latius in litteris ipſorum præſidentium continetur. Non potuimus reſpectu ipſorum domini Rothomagenſis ac etiam epiſcopi & capituli Bambergenſis pro hujuſmodi reſponſo nobis facto non admirari; quia prius illis offerri fecimus, & ſpecialiter domino Rothomagenſi, non advertendo exceſſus quos in majeſtatem noſtram commiſerat, quod eligerentur pro parte noſtra aliqui honeſti viri, & totidem ex parte eorum, qui cognoſcerent, ſi ea pro quibus impetebantur cives Biſuntini & cives Bambergenſes, ſpectarent ad forum eccleſiaſticum vel imperiale. Et caſu quo cognoſcerentur petitiones hujuſmodi ad cognitionem eccleſiaſticam pertinere, placeret nobis ut petitiones ipſæ cognitioni eccleſiaſticæ relinquerentur. Sin autem ad imperiale forum cognoſcerentur pertinere, cognitioni noſtræ ſimiliter relinquantur, ut ſic reddantur Deo quæ Dei ſunt, & Cæſari quæ Cæſaris ſunt. Quæ noſtra oblatio repudiata eſt: quod non intelligimus ex alio proceſſiſſe, quam propter favores plurimos, quos præfati dominus Rothomagenſis & capitulum Bambergenſe in ſacro concilio contra ipſos cives Biſuntinos & Bambergenſes aſſequi multimode arbitrantur. Nec huic noſtræ oblationi intelligimus quidquam derogare, quod præfati dominus Rothomagenſis epiſcopus & capitulum aſſerant cauſas petitionum ſuarum ex illis eſſe, pro quibus recurſus haberi poteſt ad forum eccleſiaſticum, quia hoc non conſentimus; & ſi aſſertioni laicorum credendum foret, plurimæ etiam cauſæ eccleſiaſticæ tamquam prophanæ ad temporalia traherentur judicia. Et ſi ipſi dominus Rothomagenſis epiſcopus & capitulum ita pro certo crederent, ut aſſerunt, & non plus ſperarent in favoribus quam in juſtitia, non recuſaſſent per honeſtos viros juxta oblationem noſtram hoc cognoſci. Nequaquam etiam acceptamus oblationem majeſtati noſtræ factam de eligendis viris pro parte ſacri concilii & noſtra, quibus committentur cauſæ ipſæ cum poteſtate decidendi, &c. ex eo quod ſi ipſarum cauſarum cognitio ad forum pertinet eccleſiaſticum, non intendimus cognitioni illarum tamquam de re ad cognitionem noſtram minime pertinente aliquem vel aliquos deputare. Pari ratione, ſi ipſarum cauſarum cognitio ad imperiale forum pertinet, non arbitramur honoris noſtri & ſacri imperii, ut in cognitionem ipſarum cauſarum etiam aliquem admittamus. Nam falcem in alienam meſſem imponere non curamus, nec pati volumus, ut in noſtram imponatur, qui non minori juramento aſtricti ſumus ſacro Romano imperio pro illius jurium conſervatione, quam dominus Rothomagenſis & capitulum Bambergenſe eccleſiis ſuis aſtringantur. Volumus, reverendiſſimi patres, hæc ſacro concilio nota fieri, ut R. V. P. ſuper hujuſmodi lamentationibus ſæpius nobis, ut ſupra, factis provideant, ut futuris ſcandalis, quæ multimode accidere poſſent occurratur, & ut ſi for-

(a) Is eſt Johannes de Rupeſciſſa Gallice *de Rochetaillée* a natali ſolo, viculo apud Lugdunum ſito, obſcuro loco natus, qui tamen epiſcopus Gebennenſis, archiepiſcopus Rothomagenſis & Biſuntinus, ac cardinalis extitit atque legatus Bononiæ, ubi diem clauſit extremum 9. cal. Aprilis 1437.

tasse provisio negligatur hujusmodi, simus Deo & mundo excusati, si convenientibus & honestis modis, qui nobis non deerunt honori nostro & conservationi jurium sacri Romani imperii providerimus. Nolumus etiam silentio præterire quod frequenter & noviſſime plures ex laicis qui in sacro concilio tracti sunt, aut coram judicibus per sacrum concilium deputatis, nobis lamentati sunt gravi cum querela, quod in eorum justitia nedum male tractantur, quin immo, si aliquando eis expediat, in sacris deputationibus aut generalibus congregationibus comparere non audiuntur. Sed cum sibilationibus & clamoribus ad rumorem populi, ut ita loquamur, non auditi recedere compelluntur. Non conveniunt hæc, si vera sint, honori sacri concilii. Rogamus igitur P. V. ex debito vestro ac honore sacri concilii & majestatis nostræ, ut hujusmodi inconvenientia non sustineantur. Sed sicuti a levibus personis hæc procedere credendum est, ita prudentia & gravitate bonorum virorum corrigantur. Datum Ulmæ die XXI. mensis Junii regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. XLVIII. Romanorum XXIV. Bohemiæ XIV. imperii vero II.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. rex.

Ad mandatum domini imperatoris, GASPAR SLIGK miles cancellarius.

LITTERA AMBASSIATORIS

sacri concilii, qui in Græcia remanserat, lecta in congregatione die tertia Julii anno Domini MCCCCXXXIV.

Quæ sibi in itinere contigerint enarrat.

Anno 1434. 15. Junii. *Ex mſ. illustrissimi domini Chaudelin.*

SAcrosanctæ generali Basileensi synodo in Spiritu-sancto legitime congregatæ.

Reverendissimi reverendique patres & domini præcellentissimi sacræ paginæ magistri insigniti, doctoresque egregii sacrosanctam synodum Basileensem celebrantes, cum humili recommendatione præmissa. Quamquam die XVIII. Januarii multa passi fuerimus, iter nostrum peragendo in mari majori, procedendo per Walachiam Moldavienſem, succedendo utique in itinere nostro & cum contramite Tyciam ante forum qui dicitur *Abbad* in regno Hungariæ, ex casu inopinato, confidentes per famam publicam, ac per personas fide dignas nullam diffidentiam habere, immo tuti & securi, absque ullo dubio iter nostrum progredere, ibique invasi per spoliatores sive per armigeros Johannis Banni *De Marot* totaliter spoliati fuimus in rebus & in bonis nostris, ita & totaliter, simpliciter & absolute, quod LXXXVI. equi & curA rus denudati nobis remanserunt, & sicut in puris naturalibus nati reducti fuimus. Attamen divina favente clementia, Budam pervenimus in vigilia festi Pentecostes. Itaque querela posita coram domino archiepiscopo Strigoniensi & aliis episcopis, prælatisque, & baronibus; itaque operatus sui, quod provisio facta est ambassiatoribus, non *omnibus de ducentis ducatis, pro itinere nostro perficiendo usque Basileam. Et sic propter hanc rem, moram ibidem Budæ per XVII. dies & per plures traximus. Tandem die XXIV. mensis hujus pervenimus Ulmam, ibidemque domini ambassiatores domini imperatoris Græcorum, ex sibi injuncto visitaverunt dominum nostrum cæsarem. Saniori consilio æstimo, prout sapientia vestra determinabit, prælibato domino nostro imperatori scribere pro expeditione celeri, ac personam venerabilem, idoneam, & sufficientem, si opus sit, usque ad præfatum locum Ulmæ obviam nobis dare. multa siquidem forent & alia stylo insinuare, quæ obmitto causa brevitatis in condigna relatione. semper & feliciter ac prospere in virtute cujus uniti estis ac congregati pro ipsa sancta unione valete. Amen. Datum Ulmæ die XXV. Junii anno Domini MCCCCXXXIV.

*f. nobis omnibus.

Vester minimus ambassiator FRATER ALBERTUS DE CRISPIS.

EPISTOLA HENRICI REGIS Angliæ ad concilium Basileense.

Graviter fert quod ad concilium non admittantur sui oratores nisi prævio juramento, improbatque acta in papam.

Anno 1434. 17. Julii. *Ex mſ. Aquicinctensi.*

SAnctissimæ generali Basileensi synodo legitime congregatæ universalem ecclesiam repræsentanti.

Sanctissime cœtus, cedrique Libani, lampades divinæ legis fumigantes, in monte præsentis viæ duces, animarumque lucernæ, devotissima recommendatione præmissa. Gaudent sicut nostis procellarum agitati fluctibus, cum aura vigore sui resolvens intemperiem, tranquillitatis vultum effingere protendunt, incedentes in tenebris cordis, assurgunt in solatium, cum orientis solis splendor itineris eorum faciem desideratis incipit salutare fulgoribus. Lætantur agricolæ cum transactis sterilitatis annis uberis fertilitatis desideratus succedit autumnus. Sic dum & post cleri sanctitatem magna quidem ex parte vanæ voluptatis. . . . . .

. . . . . .

solitam gravitatem in. . . . . multifariæ cæcitatis caligo procul obduxit, & reliqui plures cultum & obsequium erga Deum & majoris elationis & ignaviæ tumor surripuit & subtraxit, cunctis tam divinæ

quam humanæ legis zelatoribus ex nunc jocunditatis & lætitiæ tunc dies illuxit, quando quidem ſacro Baſileenſi concilio præſtolatum exilium dabatur, ubi ſperabatur, quod evangelicam juxta figuram, Chriſtus excitatus a ſomno, ventis hæreſum & errorum imperaſſet & mari, qui graviſſime perturbarunt & perturbant huc uſque naviculam Petri; quod inſuper ab ipſo ſole juſtitiæ, reformationis optatæ fulgor ad deviantium in manibus reductionem univerſum intuliſſet in orbem. Et poſtremo quod in mentium humanarum, coagente jam dextera cœleſtis agricolæ, pacis, tranquillitatis & omnium virtutum ſeges coaleſceret copioſa: qua de ſpe vox erupit lætitiæ exultationiſque percelebris in tabernaculis juſtorum. Gaudebant inde principes omnes catholici, gaudebant magnates, gaudebant divites, gaudebant pauperes, juvenes, & virgines, ſenes cum junioribus, & omnes ſtatus hominis laudabant nomen Domini, ſperantes, utinam quod ſuccedat, quod in hoc ſacro concilio exaltandum eſſet nomen ejus ſolius. quæ res ut votivum & eo promtiorem ſortiretur effectum, quo plurimi in hoc ſacro concilio convenirent, quoſdam ambaſſiatores noſtros Baſileam deſtinavimus, ut cum ceteris illic ad præmiſſa conantibus, ſuos ſimul impenderent ſollicitudines & labores, præſtolantes adventum aliorum ambaſſiatorum noſtrorum, quos de utroque regno noſtro in numero condecenti decrevimus deſtinare. quorum tamen certis rationabilibus de cauſis ſuſpendimus ad tempus diſpoſitam miſſionem. ea quidem inter alias unaque certa relatione cognovimus ambaſſiatores noſtros, quos primo Baſileam tranſmiſimus, illic in foro ſtantes uti ſpretos & otioſos, & ut aliquorum utamur termino, per incorporationis titulum in Baſileenſi concilio decretos non admitti, ut in vinea Domini ceteris collaborarent, niſi prius quoddam præſtiterint juramentum, a nobis non cogitatum, quod principibus vel aliis temporibus retroactis, in ſynodis aut conciliis exactum non audivimus; ſed nec ipſum didicimus patrum decretis inſeri, vel præcedentium conciliorum geſtis aut annalibus exemplari. cujus inconſueti juramenti requiſitio & principum judices vehementer duxerit in ſtuporem, non eſt mirandum, tum propter inexpertæ rei novitatem, tum propter eventus dubii vitandam prolixitatem, & diſpendium quod eorum libertati inde videtur inferri. Quis enim rationis lumine præditus, non dubitaret fidei ſuæ ſignaculo immunire ſcriptum, cujus nec ſeriem novit nec tenorem? Quis ſapiens religionis cujuſque jugo ſe ſupponet, cujus inſtituta non viderit, & regulam penitus ignoraverit? quæ vel rationis inſtinctu principum circumſpecta prudentia ſe juramento legum laqueis innodaret, quas necdum legis editio protulit, nec ſequentis publicationis auctoritas comprobavit? præcipuus legiſlator cujus actio noſtra eſt inſtructio, & cujus jugum ſuave legitur & onus ejus leve, neminem ſuæ legis artandum decrevit habenis, donec inſinuationis publicæ myſterio fidelium auribus innoteſceret. *Si non veniſſem*, inquit, *& loquutus non fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Quo quoniam divino ſcilicet & humano fideles principes non a ſuo, nec ab exigentium malo principes cum inobedientiæ macula non reſperſit, nec ſuſpicio quælibet eoſdem annotavit, juramentum præſtare conſtringi doceat ad obſervandas ſanctiones necdum lectas non perpendimus. Quid eccleſiæ conferat juramenti talis exactio, profecto, digniſſimi patres, ipſi non videmus. Nam eccleſia Chriſti ſponſa cenſurarum gladium ſuper omnia formidandum recepit a Chriſto, quo juramenti qualibet exactione prætermiſſa, compellat intrare declinantes, quos invenerit a convivio dominico, eorumque fomites ſubmittat, ſicut hactenus, ſaluberrimis inſtitutis & cuilibet legi juſtæ, non hoc modo, patres digniſſimi, reverentia tanto cætui debita ſemper ſalva, credimus eatenus proſperandum ſacrum Baſileenſe concilium, ut optamus, neque talium inventis novitatum corda regum vel principum concilio Baſileæ congregato conjunget, ſed abſcindet. nam prælatorum multitudinem illic non colliget ſed diſperdet, ut formidari poſſit quod reclamante notabili parte nationum orbis, tam in principibus quam prælatis non valentibus illuc incorporari ſine præſtatione juramenti, præſens Baſileenſe concilium apud nonnullos, ut ſperabatur, univerſale, reputetur, nec univerſalis eccleſiæ pro reformandis ſtatibus ſimul & moribus leges acceptabiles percurrat & decreta. Veſtrarum igitur paternitatum cœtum celeberrimum, cum omni filialis devotionis humilitate duximus exorandum, quatenus in modo procedendi, præcedentium ſynodorum, præſertim Conſtantienſis, cui præſens concilium innititur tamquam baſi, ſacra concilia proſequentes, velitis, exactione qualibet juramenti prætermiſſa, noſtros ambaſſiatores admittere, & de eo quod in ea re faciendum decreveritis nos digniſſimarum paternitatum veſtrarum literis certiorare. Ceterum patres conſcripti, præcipuæ devotionis integritas, qua complectimur ſacram Baſileenſem ſynodum, id videlicet quod conceptæ ſpei felicem exitum ſortiatur, non permittit, quod diſſimulationis forſan damnoſæ clamide tranſeamus rem eccleſiaſtici ſtatus honori, pro quo zelamus, derogantem, rem non minimi diſcriminis & exempli periculoſi, quo devotis fidelium mentibus mœroris acerbitatem incutit, & earum filiali devotioni profecto, ſicut creditur, non applaudit, videlicet quod in præ-

ſata ſancta ſynodo nonnulli modeſtiæ totius obliti, effrenis & indomitæ linguæ laxatis habenis, *beatiſſimum patrem* dominum EUGENIUM univerſalis eccleſiæ ſummum pontificem, *verborum indecenti laſcivia* procaciateque laceſcunt, quod oves in paſtorem irreverenter *irruunt*, quod filii contra patrem cervices erigunt, quod in majorem ſubditi *fæviunt contumeliis* & inſurgunt, & quod neglecta, de quo miramur, ſpe, licet vicina, *ſatis optatæ pacis* & concordiæ inter ipſum dominum EUGENIUM & concilium *componendæ*, pro qua cariſſimus confrater noſter imperator, & alii pacis amatores non *deſinunt, nec deſiſtent*, dummodo tempus detur, toris deſudatis conatibus, multifariæ *comminationis* actus in eumdem patrem tetenditur & rigidi proceſſus auſteritas ut *gladius vibratur*, ex cauſis quæ Chriſtianæ religionis ſtatum proſperum aut tranquillum *non adeo proſpiciunt* aut contingunt, quod mox expediat vel oporteat tam rigidi proceſſus *aculeis*, coſdem proſequi, plecti, vel feriri, ſed quæ negotiorum aliorum præcedente *tractatu poterunt*, ſi modo aliter merito proviſum extiterit, ſuo tempore diſcuti *oportune ſatis & rutinari*. cujus cœpti proceſſus vel ſaltim ad tempus retrahi depoſcimus *ex præcordiis & intimis* quantum valemus, ut ad exortæ diſcordiæ ſedandas tempeſtates poſſimus, ut intendimus, cum aliis principibus & eccleſiæ pacis zelatoribus ipſi col*laborare*. quod ſi *non* fiat, creditur quod nolit Deus, peſtiferi ſchiſmatis incendium *in foribus* jam exiſtere, quo materia domus Dei deſolationis verget in opprobrium & diſpergentur lapides ſanctuarii in omni capite platearum, quod Baſileenſis concilii fa*mam non* atroller: quin potius admiranda pax belligera, reformatio reformanda, lucrumque damnoſum prædicabitur in ſæculo Baſileenſis de concilii ſudoribus effluxiſſe: quorum malorum non facile peccando turbines noſtris in diebus eccleſiam non ſubminiſtrent. ſuis vos dignetur illuſtrare conſiliis magni conſilii magiſter, ſicque dirigere ſingulis in agendis, ut ipſius ſacri concilii glorioſos per labores exſtirpentur ab eccleſia hæreſes & errores, eradicentur vitia, plantenturque virtutes, vigeat & floreat inter ipſos Chriſti fideles pax nullis concludenda temporum compendiis, & unitas ſit ovilis, cui præſit unus paſtor. Datum ſub privato ſigillo in palatio noſtro Weſtmonaſterii XVII. menſis Julii.

Sanctæ matris eccleſiæ devotus filius HENRICUS Dei gratia rex Angliæ & Franciæ, &c.

EPISTOLA PRÆLATORUM & capitulorum quinque Trajectenſium, &c. ad concilium Baſileenſe.

Scribunt in gratiam Rodulfi adverſus Walramum.

REverendiſſimis reverendiſque in Chriſto patribus & dominis ſacroſanctum concilium Baſileæ in Spiritu-ſancto congregatum repræſentantibus, dominis meis metuendiſſimis, humili tam debita quam devota noſtri recommendatione cum omni reverentia prævia.

Reverendiſſimi patres & domini, ſi Deus in cordibus veſtris inſpiravit, ut pro cuncto populo Chriſtiano laborandum atque inſudandum ſit diligentius, ſitiſque lucerna ſuper candelabrum omnibus qui in domo Domini converſantur, & in muro dominico geſtetis angularis lapidis effigiem; id præcipuum & inconcuſſum ſtudium veſtris humeris incumbit, ut opere compleatis quod ipſa veſtra ſancta profeſſio præſignare videtur. Nihil enim beatum atque præclarum dici poteſt, quod non ex omnibus partibus ſuis bonum conſtat, potiſſime ex fine. Enimvero etſi principium rerum difficilior pars exiſtat, finis beatior & perfectior eſſe cenſetur. Sane exiſtimant omnes, ut cum vexillum pacis geſtetis, & ad eam undique conficiendam, quantum vires, conatus & veſtra ſtudia valent, operaturos vos eſſe promiſeritis, hujuſmodi pace in his temporibus anxietate, turbine, procelliſque plenis, Deo auctore, veſtriſque ſacris diligentiis & excubiis poſſe potiri ſperandum eſt. Hæc igitur ſpes multorum animos, quos bellorum vorago & infauſta tyrannides diu ac diu oppreſſit, recreat, & a tanta temporum iniquitate ſuſpendit. Maxime autem credendum eſt pontificium, diu impietate, inſolentia & abuſibus corruptum & depravatum, ad frugem & cultum debitum rediturum. quod ſi fiat, nullum Deo holocauſtum gratius, nullum ſacrificium acceptius fieri poterit. Videte igitur, reverendiſſimi patres, quid qualeve pondus ex humeris veſtris pendeat, quanta qualiſve cogitatio eſſe debeat, ne ſimul geſta veſtra a tam ſancta pollicitatione execrentur, & totus populus Chriſtianus hujuſmodi ſpe fruſtretur. eſſet enim profecto, ſi eo labefactarentur conatus veſtri, ut nihil quod ad pacem & mores pertineat, præclarum & magnificum ageretis. auctoritas ex tunc totius eccleſiæ confuſa atque obſcurata, & vulgarium mordacitatibus circumducta dejiceretur. Sicque obſecramus & hortamur ſacratiſſimum cœtum veſtrum, ut poſtquam militiam hujuſmodi ad depellendos humani generis hoſtis inſultus ſuſcepiſtis, eam feliciter finiatis, caventes ſummopere, ne vos vincat ita credulitas, im-

patienſque affectio. Hæ ſunt enim victoriæ hoſtis inviſibilis & horrendi, a quibus ſæpe clariſſimi victores turpiſſime victi ſunt. Porro & hanc rem ſi cunctæ eccleſiæ concupiſcant, noſtra maxime tam glorioſa, quæ quia juſta bella ſuſcepit, fructus victoriæ & quaſi pacis, Deo favente, reportavit, ea ſummo deſiderio gaudere concupiſcit. Fuit enim non noſtra, ſed aliorum, proh dolor! incuria, qui nondum ſuperſtites juſtitiam loqui ſinunt, ob pontificatus diſcordiam variis bellis & anguſtiis agitata. nec ſine maximo dolore memorare poſſumus cædes, incendia & depopulationes agrorum quæ emerſerunt, cum civitas hæc noſtra, glorioſiſſimo Deo, ut ſperamus, accepto clero, nobilium armigerorum & civium patriæ multitudine maxima & populoſiſſima ſtipata, ſub reverendi patris RODOLPI epiſcopi noſtri pontificatu cuperet poſt tot flagitia in pace requieſcere. Cumque diu ac diu hujuſmodi controverſia duraſſet, tandem placuit ſanctiſſimo domino noſtro ſummo pontifici moderno, habita ex ſolemni inquiſitione notitia, huic reidare pacem, & de perſona ejuſdem domini RODOLPHI ipſi eccleſiæ cum conſenſu dominorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium providere. Et hæc proviſio pro ſingulari devotione, quam ad apoſtolicam ſedem cunctis populis reverendam, hæc patria ſpecialiter habere conſuevit, & ſumma dilectione, quam ad eam exhibuit cum maximo applauſu & congratulatione ad cumulum pacis, quam ipſe efficaciter apportabat, & continuo ob egregias ejuſdem domini RODOLPHI virtutes, ingentiaque merita, quibus ſuorum magnitudine natalium illuſtriſſimus haberetur, qui non ſibi, ſed reipublicæ tamquam idoneus Deoque gratus & acceptus natus eſt, in dies magis gratum effici debere confidimus. Quid eſt ergo quod ad jam ſepultam diſcordiam priſca iræ bella redire cogi debeamus? Quis tam crudelis eſt, ut devotum & tranquillum populum jam pace fruentem, cujus animus jam arma depoſuit, ad recidivas bellorum procellas & tempeſtates retrahere voluit? Crudelitatis nempe habitus, niſi contrariis fuerit frenis revocatus, ſeipſum cum reipublicæ jactura demergit. Non ſine magna admiratione audivimus venerabilem virum dominum WALRANNUM ſe poſtulatum ad ipſam noſtram eccleſiam poſt mortem quondam reverendi patris domini SWIDERI archiepiſcopi Cæſarienſis, ſuper eadem eccleſia contendentis, pendentem apud ſacrum veſtrum cœtum una cum complicibus ſuis nobis & paci infeſtis, qui in ſui pudorem juſtitia victi ſunt; & ſi demum inciperent noſcere fortunam, Deumque timerent, animo, ſine fallo, vincerentur, multa cum inſtantia procuraſſe, & veſtras reverendiſſimas paternitates calumniis & ſubdolis ſuggeſtionibus induxiſſe, ut finiatur, ad veniendum ad eamdem ſynodum reverendus præſul noſter perſonaliter vocaretur; quodque ex officio ſacrum concilium ſuper juribus partium inquireret, ac judicaret; miranda quippe res & penitus ſtupenda. Quis enim color mentes veſtrarum paternitatum arripere potuit, ut tam exſanguibus ſuaſionibus aures præberetis. Nonne autem reverendiſſimus archiepiſcopus Colonienſis frater ſuus poſtulationem illam confictam minime admiſit, aut admittere minime potuit, cum & ea res ex mera ſedis apoſtolicæ auctoritate penderet? Quid autem aliud eſt hujuſmodi rei ac inſolentiæ aurem præbere, quam auctoritatem ſanctiſſimam & irrefragabilem apoſtolici throni in dubium revocare? Quanta enim admiſſioni prædictæ, ſi quæ appareat, quæ potius ex carne quam ex ſpiritu proceſſiſſe videri poteſt, cum ſe amore fraterno pertractent, ſit præbenda auctoritas, quis intelligere poteſt? Res eſt procul dubio peſſimi exempli, dum negotium hujuſmodi ambitione & avaritiæ latentium indagatrix lucrorum, manifeſtæ prædæ avariſſima votago, neque habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miſerrima, ſuſpectiſſimum intra ſacra veſtra geſta comprobari videtur, quod mox ut redargutione maxima dignum reprimi debuiſſet. Quis hoc non videat? quis non ſtomachetur? quis non compatiatur, & indignatione quadam, immo nauſea obducatur? Potitur THEODERICUS Colonienſi eccleſia tam magnifica atque opulenta; ſed dum hoc non ſatis, Paderburnenſem etiam non ſibi metropolitico jure ſubjectam habere voluit. Res penitus inaudita. Monaſterienſi excellenti eccleſiæ HENRICUS frater præfectus eſt; nunc autem alter frater WALRANNUS non per oſtium eccleſiam Trajectenſem minime vacantem, nec vocatus expoſcit. Hæc nimis dura eſt ingluvies, nimis horrenda carybdis. Solent divitiæ multæ pios animos facere inſolentes, quid tandem ubi inſolentibus animis opulentia rerum offertur, quæ mortem multis attulere, requiem fere omnibus abſtulere. Non ſunt hæc, reverendi patres, argumenta & ſigna modeſtiæ, quandoque reintegrandæ, dum alimonia præbetur luxuriæ. Credidimus poſtquam innotuit poſt obitum dicti domini SWIDERI, quod ſacra ſynodus, ut nihil per illos inobedientes & apoſtatas, non habentes, etiam vacationis tempore, eligendi poteſtatem, ſacro concilio inconſulto aliquid fieret novitatis, id aut ſervari debere, aut contra geſtum mox irritari & annullari. Nunc autem, quod grave eſt audire, gravius etiam pati, tam arroganter impieque attentata recipiuntur, & pro his locus in concilio datur. Quid ergo aliud hoc indicat, niſi ut paſſim & ſine delectu omnibus reſcindendi decreta veſtra licentia præbeatur? Si enim foveris abrogationes juſſionum veſtrarum, & illos

honoribus extollitis, ergo idem faciendi aliis audaciam præbetis. Dolemus & non dolere non possumus, ut plus a vobis qui pestem & bella patriæ excitant, quam qui pacem egliscunt, impetrant & gratius audiantur. Scimus id vobis insinuatum extitisse, quod idem WALRANNus patriæ hujus existeret notorius inimicus. Scimus etiam apud omnes exploratissimum esse, nullo pacto hostem patriæ antistitem designari, tolerari, revereri*que* debere. Ceterum intelleximus easdem vestras paternitates probationes nostras paratissimas *super* rerum gestarum veritate, quæ vos merito movere debuissent, minime audire voluisse, nostrasque *defensiones* contemsisse. Nos quidem cum jussiones vestras decretaque minime contemnamus, immo cum maxima, ut decet, reverentia suscipiamus, cur non allegationes nostras mitibus & patentibus auribus auditis? An horrenda & infausta vox nostra est, dum pacem *quærimus*, & pro illa pias preces apud sacros vestros conspectus porrigimus? Denique vobis satis innotescere credimus, omnem hanc causam per appellationis injectionem, etiam antequam apud tribunal vestrum aliquid ordiretur, fuisse devolutam. Nam id vos a nostris sæpissime audivisse minime dubitamus. Quid ergo cum graviora nos premunt, & pro quibus excubiæ quantæcumque *vix* sufficiunt, vos monent ut in derogationem appellationis hujusmodi his jurgiis implicare animos *diligatis*? *Non ergo* importunius vos seducat precator injustus, neque vestra sancta studia cupidine alienæ ambitionis involvat. Sinite obsecramus, & supplices exoramus in pace nobis desuper data, quos belli pernicies tanto tempore fatigavit, velitis hoc vestro in tempore jactata tranquillitatis semina coalescant, & disjectæ bellorum rabiei radices exsiccentur. proinde cum *dominum reverendum patrem* dominum Ro. nostrum antistitem personaliter compariturum, ut famatur, apud vestrum cœtum sanctissimum ex officio moneri jussistis, ut hujusmodi jussio, si qua appareat facta, revocetur quantiscumque possumus precibus obsecramus. non potest enim sine evidenti periculo totius patriæ personæque suæ, immo futuræ calamitatis suspicione hujusmodi *adventus exist*ere. *Conatus* enim dicti domini WALRANNI, &, ut putandum est, etiam fratrum suorum, sine maxima *formidine* patriam stare non sinunt. Dum ergo instat lupus, ut assit pastor oportet. ne enim illi gregi, cujus in tempore oppressionis pastor ad esse non potest, malignus noceat, non credidimus tam adeo ejus necessarium adventum, etiamsi tutus itinerare posset, existere, ut prædiligant vestræ paternitates ipsum venire, quam patriam in sua tutela permanere, & ostium *malignantibus* posse patere. Denique & alia sunt impedimenta urgentia, quæ sui nuncii referabunt. *Sit ergo* in cordibus vestris justitiæ & clementiæ zelus, & dum maxime efflagitamus & indigemus pacem nostram servare atque tueri, pro vestra dignemini pietate congruenter honori nostro totam in sermone ducere diem. Sed veremur ne vestris eminentiis sit oneri multitudo verborum; sique stylus prolixus in fastidium emerserit, necessitati nobis semper loquendi adscribatis. Concludimus igitur cum Apostolo, gratia & pax vobis in CHRISTO JESU, quam nobis estis daturi. Ex urbe Trajectensi anno Domini MCCCCXXXIV. mensis Julii die XXV. sub sigillis majorum ecclesiæ Trajectensis & nobilium virorum Raynaldi domini dominiorum *de Bredrode*, *de Gheux*, &c. Ludovici *de Montforde*, necnon civitatis Trajectensis, quibus nos infra scripti utimur pro præsenti.

V. R. P. humiles & devoti prælati & capitula quinque ecclesiarum Trajectensium, barones, milites & militares ac burgimagistri, scabini & rectores civitatis & oppidorum patriæ Trajectensis.

Superscriptio.

Reverendissimis reverendisque in Christo patribus & dominis, dominis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ceterisque prælatis, doctoribus sacrum generale Basileense concilium facientibus, dominis & præceptoribus *suis* merendissimis.

LITTERA SACRI CONCILII responsiva litteræ domini imperatoris Romanorum suprascriptæ.

SAcrosancta, &c. carissimo ecclesiæ filio SIGISMUNDO Romanorum imperatori semper augusto, Hungariæ & Bohemiæ, &c. regi illustri, salutem & Dei omnipotentis benedictionem. Anno 1434. 12. Aug. *Ex mss. Aquicinct.*

Accepimus nuper a sereniss*ima* majestate tua litteras, quarum tenorem, quia videbantur æstimationem & libertatem ecclesiasticam tangere, admirati fuimus. Exordio enim hoc in effectu significant, multas multorum querelas & principum & civitatum ac privatarum personarum crebro auribus cæsareis insonare, quod cum imperio subjiciantur, in causis mere prophanis ad judicia ecclesiastica injuste atque indebite a personis ecclesiasticis traherentur, non minus in Romana curia, quam hic in sacro concilio, & coram aliis judicibus ecclesiasticis. Huic generalitati, sereniss*ime* princeps, responderi neque apte neque bene compositæ posse videtur, nisi casus particulatim specificarentur. Nullus tamen dubitat omnibus in quacum-

que actione licitum esse, si justitiam consequi non possint, ad judicium ecclesiæ recurrere. Quod si de justitia negata constiterit, judex ecclesiasticus juste, & ut de jure & consuetudine est, de causa cognoscit. Et clericorum optioni est, si quam spoliationem vel oppressionem in personа vel rebus a sæcularibus patiantur, illos in jus vocare vel coram ecclesiastico vel coram judice sæculari. Postulat præterea majestas tua, ut in causis civium Bisuntinensium & Bambergensium, quæ coram deputatis sacri concilii aguntur superfedeatur, quousque quidam a majestate tua electi, & alii a sacro concilio deputati viderint, quæ partes ipsarum causarum ad imperium vel ad ecclesiasticum judicium pertineant. Super hoc partes non parum conquestæ sunt se nimium gravari, asserentes si hujusmodi fieret temporis dilatio, quæ sub tali incertitudine cui judici hæ causæ committi debeant, magnum ipsis partibus præjudicium afferret agentibus pro recuperatione jurium ecclesiarum suarum, per prædictos, ut dicunt, cives manifeste oppressarum. Præsertim cum evidens privilegium sit, quo cautum est, ut quicumque spolient aut opprimant, seu jura prælatorum aut ecclesiarum usurpent, possint coram ecclesiastico judice conveniri, & per censuram ecclesiasticam compesci. Quo jure ab antiquissimis temporibus ecclesia usa est a quingentis annis citra. Illud vero sine admiratione non legimus, quod serenitas tua scribit non consentire, ut tale privilegium exerceat ecclesia, eoque gaudeat & utatur, præcipue quia sub protectione majestatis tuæ, & hoc & aliis privilegiis gaudeat & utatur, cum videatur unus ex articulis jurium, quos Romanus imperator confirmat in ejus nova coronatione, quod esse verum tenore Clementinæ satis apparet. Satis etiam constat Cæsareæ majestati ex relatu commissariorum & tenore processuum causas prælatorum contra nominatos cives in foro ecclesiastico legitime induci, continuari, atque terminari posse; quin si introductæ non essent, & de novo introducere vellent, in hujusmodi casibus liceret illis & liberum esset. quicumque vero tale judicium talemque judicii continuationem vexat aut conturbat, a Deo & ab ejus ecclesia quod suum est aufert. Nec putandum est, ut in litteris ejusdem majestatis scribitur, dictos prælatos ea ratione in forum ecclesiasticum causas suas introduxisse, ut favoribus aliquo modo justitiam intervertere possent. Nam in foro ecclesiastico non secundum favorem, sed secundum allegata & probata judicatur. Dictant præterea eædem litteræ, eadem de causa sacro concilio prædicta significasse, ut ea corrigantur & provideantur, aliter apud Deum & homines ipsam majestatem excusatam esse, si honestis modis, qui eidem serenitati non deerunt, & honori & juribus sacri Romani imperii succurratis. Hic scribendi modus admirari nos cogit, cum omnino alienus ab eo qui semper per antecessores tuos & reges & principes omnes alios, ac per serenitatem tuam hactenus servari consuevit in scribendo sacris generalibus conciliis; qua in re nisi magis specifice scriberetur, aliter responderi convenienter non posset. Credimus tamen, & ea de re certiores sumus, id enim potissimum Cæsaris officium est, omne justum, omne rationabile eamdem majestatem ante omnia servaturam; favores vero ecclesiæ secundum privilegia & usus antiquos omni pacto observaturam. Postremo taceri ab eadem serenitate non potuisse in eisdem litteris significabat, quod plures ex laicis, quorum causæ in sacro concilio aut coram judicibus a sacro concilio deputatis aguntur, serenitati vestræ conquesti sunt, non modo eis justitiam negari, quin neque in deputationibus, neque in congregationibus generalibus audiuntur, sed sibilatu & clamore & tumultu non auditi discedere compelluntur. Hæc præter veritatem suggesta sunt. Nam in deputationibus & in congregatione generali non clamore aut sibilatu, aut tumultu veræ sententiæ, & quid fieri oporteat invenitur, sed magno ordine, rationibus & votis singulorum exquisitis. Quare omnes quicumque sunt, qui talia de sacro concilio sereniſſimæ majestati tuæ referunt, leves debent & vani ab eadem majestate reputari. Nam & perverse de hac sacra synodo loquuntur & injurioſe. Neque eis aliquo modo credi debet: nam non modo falsa, sed nec similia quidem veris loquuntur. Quicquid autem sit, quæcumque pro statu, gloria & honore Romani imperii & tuæ majestatis nobis possibilia sunt, sicut semper libenter fecimus, ita in futurum facere intendimus. Datum Basileæ 11. idus Augusti, anno MCCCCXXXIV.

SUPPLICATIO OBLATA in singulis deputationibus, per dominos generales Prædicatorum, Carmelitarum, Augustinensium, ac vicarium Minorum, nomine religionum suarum, die sabbati XIV. *Augusti* MCCCCXXXIV.

DUdum, patres reverendissimi, litteræ quædam sub bulla hujus sacri concilii expeditæ repertæ sunt, per quas nonnulli articuli, qui in se errorem continere dicuntur, velut prædicati & dogmatizati per nonnullos de ordine Mendicantium, inde sumta occasione, quod de his clamores venerunt ad concilium, nullo tamen assertore, condemnantur. Cedunt hæ prætensæ litteræ in maximam infamiam, denigrationem & scandalum ipsorum ordinum & patrum ac religiosorum

Anno 1434 14. Aug. *Ex ms. Aquisgranensi.*

gioſorum in eiſdem profeſſorum, modicumque honorem hujus ſacri concilii. Nam poſſent ob id in Chriſtianiſſimo populo & catholica fide adhuc majora ſcandala ſuſcitari & errores ſuboriri. Et quamquam pro parte reverendorum patrum dominorum generalium, & procuratorum, ac provincialium ipſorum ordinum, apud aliquos de ſacro concilio de his rebus querela expoſita fuerit, ac petitum, ut ſuper inde humiliter provideretur, ac famæ ipſorum conſuleretur, & ſcandalis obviaretur: attento maxime, quod dictæ prætenſæ litteræ abſque ſcitu & conſenſu patrum de ſacris deputationibus, & abſque eo quod ulla umquam facta fuerit querela de contentis in ipſis litteris, & contra ordinationes concilii expeditæ reperiuntur; quas etiam reverendiſſimus pater dominus cardinalis Rothomagenſis vicecancellarius expediri non debuiſſe atteſtatus eſt; nihilominus uſque adhuc nullus his rebus modus appoſitus eſt, neque famæ & integritati ipſorum ordinum proviſum vel aliter conſultum, in maximam infamiam, & denigrationem ipſorum religioſorum, & ſcandalum populi Chriſtiani, ac catholicæ fidei non mediocre diſcrimen, hoc potiſſime attento, quod in dictis prætenſis litteris verba ita per expreſſum ſonant, ac ſi dicti articuli prorſus hæretici & jam damnati eſſent pro hæreticis: quin immo aliud, quod eſt etiam inuſitatum, ipſos dominos religioſos & eorum ordines adhuc magis aggravantes, tentare nonnulli velle videntur, ut videlicet nonnullos ex articulis in dictis prætenſis litteris comprehenſos abſque ullo aſſertore, & illis prius non defenſis condemnent, quod eſt prorſus inconſuetum & inuſitatum, & in generalibus conciliis minime fieri ſolitum, cum talia nonniſi per judicia præſtantiſſimorum patrum in theologia magiſtrorum & doctorum, habendo perprius ſuper talibus articulis diſputationes ſolemnes, ut ex omni parte veritas inquiratur & elucceat, fieri debeant. Ne igitur quod uſque modo neglectum eſt, iterum in futurum negligi contingat, atque ut ipſorum religioſorum & ordinum famæ ac integritati conſulatur, & ſcandalis & periculis & naſcituris erroribus obvietur, & honori ſacri concilii provideatur; Supplicatur pro parte ipſorum patrum & religioſorum ordinum prædictorum, ut V.R.P. dignentur in ipſis rebus providere, revocando dictas prætenſas litteras, quæ abſque ſcitu & deliberatione ſacrarum deputationum, ut præmittitur, extortæ ſunt ſub bulla ipſius ſacri concilii, per quam ipſum ſacrum concilium atteſtetur, dictas priores litteras abſque ſcitu & deliberatione patrum de ſacris deputationibus & alias falſe extortas fuiſſe, inſerendo in ipſis litteris ſecundis de verbo ad verbum tenorem, & ulterius mandando, ne ipſis primis litteris, ubicumque reperirentur, ulla fides adhiberetur, ubi ante per prædictum modum aut alias congrue eiſdem minime in præmiſſis præjudicetur, proteſtantur, quod hujuſmodi rem proſequi volunt & intendunt ſuis loco & tempore opportunis, & ubi, ac quando melius poterunt, & ſecundum quod Spiritus-ſanctus eos edocuerit, & ordo melius dictaverit rationis & juris. Et nihilominus etiam quoniam ad condemnationem articulorum per nonnullos procurari & intentari velle videtur, ne per novam *pratticam* & contra conſuetum modum in ſimilibus obſervari ſolitum, ad aliquorum articulorum condemnationem procedatur, maxime nullo exiſtente aſſertore. Supplicant ut ad nonnullorum articulorum condemnationem, maxime eorum, qui in dicta prætenſa bulla contineri dicuntur, niſi aſſertor exiſtat, & ſervato more, qui in talibus obſervari ſolitus eſt, & niſi etiam examinentur, diſcutiantur, ac condemnentur articuli numero LX. vel circa, qui hujuſmodi materiam ut plurimum tangunt, quos certum eſt nonnullos aſſeruiſſe, procedatur. Et quod priuſquam aliud attententur in præmiſſis articulis, plures audiantur doctores & magiſtri ſolemnes, qui circa ipſos articulos publice diſputando auditi volunt & intendunt, tam pro intereſſe & favore fidei catholicæ & Chriſtiani populi, quam etiam pro intereſſe ipſorum religioſorum, atque ut veritas elucceat: ita quod doctoribus & magiſtris auditis, & re diſcuſſa, fiat per ſacrum concilium quod fieri debuerit. Quod ſi in his rebus tractandis & articulis aliquibus condemnandis aliter proceſſum fuerit, quam fieri debeat & ſolitum ſit, ipſique doctores & magiſtri minime fuerint auditi, proteſtantur quod quantum in eis erit inſtabunt & procurabunt, ut talia etiam alibi & alio tempore videantur. Et quod ex tunc de ipſorum conſilio aut conſenſu non fiet ipſorum articulorum condemnatio, & quod tali, ſi fieret, condemnationi non conſentiunt. Volunt tamen ſemper & intendunt ipſi omnes & eorum quilibet, & ita in his ſcriptis etiam proteſtantur quicquid catholicorum fuerit tenere & imitari, & econtrario quicquid erroneum fuerit, & a fide & moribus devium evitare.

EPISTOLA EUGENII PAPÆ IV. ad concilium Baſileenſe.

Gratias agit concilio de his quæ præſtiterat ad libertatem procurandam cardinali S. Clementis & archiepiſcopo Tarentaſienſi.

EUgenius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus ac dilectis filiis in ſacro Baſileenſi concilio congregatis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Anno 1434. 3. cal. Sept. *Ex muſſ. Aquitaniſi. & Chanvelliano.*

Advenientibus ad nos venerabili fratre

Francisco Brixiensi episcopo & dilecto filio magistro Petro de Monte oratoribus vestris, intelleximus quanto mœrore ex his quæ adversum nos concitata dicebantur affecti fueritis, quanta postmodum lætitia exultaveritis, cum nos sanos & incolumes ex Urbe in civitatem Pisanam veniisse audistis. Postremo quid favoris & operæ in liberationem dilecti filii nostri Francisci tituli S. Clementis S. R. E. presbyteri cardinalis & camerarii nostri, ac venerabilis fratris Marci *(a)* archiepiscopi Tarentasiensis per ipsos oratores impendi statueritis, plane cognovimus; pro qua devotiones vestras in Domino commendamus, vobisque pro devotione & caritate hujusmodi multas gratias agimus, sperantes ut si pro liberatione cardinalis præfati majorem operam dare oporteat, id libenti animo facietis, nec ullo pacto tantum sacrilegium amplius extendi patiemini. De Tarentasiensi autem archiepiscopo, quia liber est, præter gratias quas pro eo vobis agimus, amplius non dicimus. Hos autem oratores tum pro vestra contemplatione, tum pro re ipsa ad quam destinati sunt, quia pia est, libenter vidimus, ac grato animo & condigno honore suscepimus. Deinde cum a nobis discederent pro eorum tutela usque ad Urbem plene provideri mandavimus. Ceterum cum audiamus oratores carissimi in Christo filii Johannis Palæologi Romeorum imperatoris, apud vos esse, ac pro occidentalis & orientalis ecclesiæ unione nonnulla tractare; nos qui superiori tempore in negotio hujusmodi plurimum laboravimus, quod in ea re tandem egerimus, præsidentibus nostris satis plane explicamus. Vos autem ex eis quæ ad eos scribimus pro sapientia vestra recte arbitrari poteritis, quid cum prætatis oratoribus apud vos agentibus tractare & practicare debeatis. Datum Florentiæ, anno Incarnationis MCCCCXXXIV. III. calendas Septembris.

Ja. de Viterbio.

EPISTOLA
ducis Mediolanensis, ad concilium Basileense.

De victoria ab eo reportata.

Lecta 8. die Septembris MCCCCXXXIV.

Anno 1434. 10. Aug. *Ex mss. Aquicinctensi.*

Sacrosancto generali concilio Basileensi universalem ecclesiam repræsentanti.

Reverendissimi in Christo patres & domini præstantissimi, respexit omnipotens Deus meus oculo pietatis & gratiæ in me suæ felicem exercitum meum in partibus Romandiolæ militantem. Sicut enim ex litteris meorum avisatus fui, magnanimus & semper invictissimus, victoriosissimus vir Nicolaus de Perusio locum tenens & capitaneus generalis meus dilectissimus, qui ipsum meum ducebat & regebat exercitum, fregit & ex toto conflixit exercitum, qui meo adversabatur, & remanserunt in hujusmodi conflictu captivi multi viri notabiles & præstantes, cum maxima gentium tam equestrium quam pedestrium quantitate. Et inter alios nominantur Nicolaus de Tolentino, Petrus Jampaulus de Ursinis, & Cæsar de Martinengo, ac plerique alii, de quorum nominibus adhuc aliam certitudinem non habeo. Hanc igitur feliciratem & victoriam statim duxi vestris præstantissimis dominationibus intimandam. Nam cum omnis mea properitas vestra sit & ecclesiæ sanctæ Dei, merito debeo omnes rerum mearum felices eventus participare vobiscum. Reverendissimi patres, post scripta habui litteras a præfato locum tenente, quibus mihi enuntiat, quod ultra alios supranominatos capti sunt magnificus Astorgius dominus Faventiæ, Guerrezius de Marciano, Johannes de Malavoltis, conductores nobiles, & ut verbis ejusdem capitanei mei utar, capta sunt centenaria virorum præstantium, equitum vero milliaria cum vexillis, carriagiis & rebus omnibus hostilis exercitus. Quare adhuc major est habenda lætitia, majoresque sunt Deo nostro gratiæ referendæ. Datum Mediolani die XXX. Augusti.

Ejusdem ecclesiæ sanctæ Dei devotus servitor dux Mediolani.

LITTERA DOMINI NOSTRI PAPÆ
missa suis oratoribus & præsidentibus in sacro concilio Basileensi.

De his quæ pro unione cum Græcis egerit.

Dilectis filiis Nicolao tituli S. Crucis in Jerusalem, & Juliano S. Angeli apostolicæ sedis legatis, necnon venerabilibus fratribus Johanni archiepiscopo Tarentino, & Petro episcopo Paduano in sacro concilio Basileensi præsidentibus nostris. Anno 1434. 31. Augusti. *Ex ms. Aquicinctensi.*

Eugenius papa IV.

Dilecti filii & venerabiles fratres, S. & A. B.

Intelleximus oratores carissimi in Christo filii Johannis Palæologi Romeorum imperatoris veniisse ad sacrum generale Basileense concilium, atque apud nonnullos de ipso sacro concilio super modo unionis occidentalis & orientalis ecclesiæ aliqua tractare. Cum autem pro ipsa unione, ad quam plurimum affecti sumus, & nos dudum aliqua tractaverimus, dignum duximus ea vobis nota facere, ut quid cum ipsis oratoribus agendum videatur plenius cognoscatis. An-

(a) De Condelmeriis dicti, Veneti, ex familia ipsius Eugenii papæ IV. antea episcopi Avenionensis.

no præterito ſuper hujuſcemodi negotio cum oratoribus præfati JOHANNIS *imperatoris*, qui Romam ad nos venerunt, una cum fratribus, aſſiſtente etiam cariſſimo in Chriſto filio noſtro SIGISMUNDO Romanorum imperatore ſemper auguſto, plura practicavimus. Tandem cum in hoc viderentur perſiſtere, ut in civitate Anchonæ prælati & alii in numero copioſo ex utraque eccleſia convenirent, inter quos præfatus JOHANNES adeſſet, & nos cognoſcerenius rem hanc, prout petebatur, & difficultates & expenſas maximas patere, & forſitan ſine fructu aliquo, pro tunc nihil concluſum extitit. Sed ad ipſum JOHANNEM aliquem mittere deliberavimus, qui negotium hujuſmodi cum ipſo & venerabili fratre JOSEPH patriarcha Conſtantinopolitano plene tractaret, & ſuper eo finalem JOHANNIS & JOSEPH præfatorum ac aliorum intelligeret concluſionem. Miſimus itaque menſe Julio anni præteriti dilectum filium magiſtrum Chriſtophorum Biratonum ſecretarium noſtrum, Græcæ & Latinæ linguæ peritum, qui poſt multos ſermones, cum præfatis JOHANNE imperatore & JOSEPH patriarcha & multis aliis ex majoribus habitos, tandem comperit ipſos omnes id eligere, ut unus legatus a ſede apoſtolica cum prælatis & aliis viris doctiſſimis ad urbem Conſtantinopolitanam tranſmittatur, ubi & prælati & alii majores una cum ipſo JOHANNE imperatore pariter conveniant, ibique per viam diſputationis veritate patefacta, utraque eccleſia optatum unionis & pacis conſequatur effectum, & ſuper his litteras dictorum JOHANNIS imperatoris & JOSEPH patriarchæ etiam recepimus id clare continentes, & quod plus eſt, cariſſimus in Chriſto filius imperator Trapezenus, & plurimi ei adhærentes, in hoc pari voto conveniunt, quæ cum per præfatum Chriſtophorum ad nos revertentem delata eſſent, parato animo acceptavimus. Nam & id nos plurimum optabamus, quoniam per hunc modum de ipſa unione & concordia bona ſpes redditur, & multo minori impenſa opus erit. Accedit ad hoc, quod venerabilis patriarcha Armenorum eo tempore etiam Conſtantinopolim venturus ſit. Et in hanc unionem pariter conſenſimus, ut in Domino ſperamus. Propterea menſe Julii *præterito* ipſum Chriſtophorum Conſtantinopolim iterum miſimus cum nonnullis capitulis, quæ menti utriuſque partis plane ſatisfacere videntur. Ipſique injunximus, ut ſecundum *ipſorum* tenorem cum præfatis JOHANNE imperatore, JOSEPH patriarcha, & aliis ſupradictis concludat. Super quo ſibi plenum mandatum dedimus. Horum quidem capitulorum copiam ad vos miſimus, & iterum mittimus. Veſtræ itaque circumſpectiones ex his arbitrari poterunt, quid cum præfatis oratoribus apud ipſum ſacrum concilium agentibus tractare & practicare debeatis. Datum Florentiæ ſub annulo noſtro ſecreto die ultima Auguſti pontificatus noſtri anno IV.

A. DE FLORENTIA.

SEQUITUR COPIA LITTERARUM miſſarum domino legato ex parte cujuſdam provincialis Saxonum.

Contra concilii diſſolutionem & ſimoniacas promotiones.

Anno 1434. 2. Septemb. *Ex mſſ. illuſtriſſimi domini Chanvelin.*

CUm humilima ſui recommendatione, filiale obſequium, immo ſe totum ad veſtra vota paterna paratum. Reverendiſſima paternitas veſtra pro domo eccleſiæ, præſertim Germanicæ, in qua officio legationis fungitur, digniſſime zelare ampliſſima experientia didiciſti. Idcirco pro hujus *excitatione zeli*, in paucis eamdem reverendam paternitatem veſtram aviſate non inutile putavi. Pertranſiens enim Haſſiam, Thuringiam, Saxoniam, partes maritimas, Sleſiam, Luſaciam, Miſſiam, indifferenter coram omnibus tarditatem ſacri concilii in materia reformationis redargutam, ea pietate & congruentia, quibus efficacius potui, excuſavi. Mea tamen excuſatio fluctuationem *naviculæ tollere non* potuit in illis partibus: quin immo niſi reformatio rationabilis & humana in clero illarum partium appareat, numquam ſedabitur; ſed amplius navicula *ipſa operietur* [*fluctibus*]. *Contigit*, exiſtente in Luſacia, circa montes Bohemorum, quod una mulier obſeſſa a diabolo, de domo mariti ſui raperetur in deſertum a ſpiritu iniquo, ubi per aliquot dies cunctis *hominibus* incognita permanſit. rediens, per exercitas adjurata, dixit ſe fuiſſe in nemoribus Bohemorum, ubi concilium innumerabilium dæmoniorum fuiſſet celebratum, & concluſum *in eodem*, quod omnes & ſinguli pro concilii Baſileenſis diſſolutione omnem poſſe tenus facultatem [adhiberent]. Nam ſi proceſſum haberet, præſentes & magis futuri *incommoda ſentirent*. Ceterum *inter reformanda* neceſſarium eſſe cogitare ſuper ſcandaloſa promotione ad epiſcopatus mathematicos vel titulares, quorum magnus numerus eſt in dictis partibus, qui ſpoliatis ſuis monaſteriis, ad Romanam curiam cum ſumma pecuniarum acceſſerunt. pro titulo pecunia expenſa, redeunt ad partes, de conſecrationibus & ordinationibus ſimoniacis miſere victuri. *Inter* quos unus eſt famoſus, malæ utique famæ, religione Minor, malitia maximus: alius reverendiſſimi domini archiepiſcopi Bremenſis in ſpiritualibus vicarius, nomine THIDERICUS BERTHONER, cui non ſufficit dudum ſimoniaca vita continuata mala fama gradientibus per terram probata, quin immo turpitudinem ſuæ matris, ſcilicet religionis fratrum Minorum, revelare ſatagens,

fratres illius ordinis puniendos in ſuam defenſionem ac ignominiæ conſortium aſſeruit, eoſque ad diverſas partes mittit, ut turpe lucrum pro ſuæ iniquitatis fomento faciant, & ſic diſciplinas ſui ordinis evadunt. In his & aliis de remedio opportuno dignetur cogitare, prout ex dictæ legationis officio tenetur. Veſtram reverendam paternitatem conſervare dignetur Altiſſimus feliciter & longæve. Ex Wratiſlavo MCCCCXXXIV. ſecunda Septembris mei officii ſub ſigillo.

Subſcriptio.

Veſtræ reverendiſſimæ paternitatis humillimus, utinam utilis filius FR. MATHÆUS provincialis Saxoniæ, ordinis Minorum.

EPISTOLA CAPITULI ALBIENSIS ad concilium Baſileenſe.

Petit confirmari electionem Bernardi de Caſſiliaco in epiſcopum Albienſem.

Anno 1434. Ex inſ. deperdit.

SAcroſanctæ ſynodo Baſileenſi in Spiritu-ſancto congregatæ orthodoxam & catholicam eccleſiam repræſentanti.

Reverendiſſimi in Chriſto patres & domini noſtri quam plurimum metuendiſſimi, ad ſacroſanctam generalem ſynodum in civitate Baſileenſi Spiritus-ſancti ſuggeſtione congregati, poſt recommendationem humillimam, cum promtis animis tamquam filii catholicæ eccleſiæ matris unicæ veſtris ſacris præceptis obedire. Albienſis eccleſia nuper per obitum bonæ memoriæ reverendi patris in Chriſto domini P. Nepotis (*a*) ultimi præſulis noſtri paſtore fuiſſe orbata noveritis, noſque conſiderantes verbum evangelicum dicens: *pertutiam paſtorem & diſpergentur oves gregis*; & quod propter defectum paſtoris, tamquam oves errantes a grege eſſemus ſeparati, volentesque præfatæ eccleſiæ incommodis obviare, ſervatis ſolemnitatibus in talibus de jure ſervari conſuetis, inſtinctu Spiritus-ſancti per majorem capituli noſtri partem canonice fuit electus reverendus pater & egregius vir dominus BERNARDUS DE CASSILIACO in decretis licentiatus, præpoſitus & canonicus eccleſiæ noſtræ, de nobili & militari genere procreatus, ſcientia & morum venuſtate decoratus. Cumque ſecundum decreta antiqua ſanctorum patrum, & etiam ſecundum decretum per memoratam ſacroſanctam ſynodum Baſileenſem editum, electiones canonicæ per ſuperiorem debeant confirmari (*b*). Veſtris igitur R. P. humiliter & cum devotis animis ſupplicamus, ut pro bono juſtitiæ & eccleſiæ præfatæ Albienſis nos humiles filios ſanctæ eccleſiæ & ſervitores veſtros, ac eccleſiæ præfatæ Albienſis, cum oculis generoſæ juſtitiæ inſpicere dignemini taliter, quod nos nec dominus electus in juribus noſtris non privemur, ſecundum quæ ipſe dominus electus tamquam rite & canonice electus in epiſcopum debeat aſſumi. Deum enim pro veſtris R. P. humiliter rogare feſtinabimus pro ſtatu proſpero dictarum V. R. P. quas in ſua ſancta eccleſia conſervare dignetur Altiſſimus per tempora longiora cum augmento gratiæ & honoris.

Sacroſanctæ eccleſiæ filii humillimi Dei oratores capitulum eccleſiæ Albienſis.

(*a*) Obiit anno 1433. menſe Septembri.

(*b*) Ejus electionem confirmavit concilium Baſileenſe 19. Decembris 1434. cujus auctoritate conſecratus eſt Baſileæ in eccleſia Minorum ab epiſcopo Lectoratenſi 12. Februarii 1435. poſſeſſionem iniit 7. idus Martii 1436.

LITTERA CONSULUM CIVITATIS Albienſis miſſa ſacro concilio in favorem electi Albienſis, &c.

SAcroſanctæ ſynodo generali Baſileenſi univerſalem eccleſiam repræſentanti, &c. Anno 1434. 8. Septemb. Ex inſ. Aymeſtadiens.

Reverendiſſimi in Chriſto patres & domini noſtri præmetuendiſſimi, poſt humillimam recommendationem ac animos ad quæque præcepta, ut humiles eccleſiæ filii fore paratos. Nuper Albienſis eccleſia per deceſſum bonæ memoriæ reverendi in Chriſto patris domini PETRI NEPOTIS ultimi epiſcopi fuit viduata: poſt cujus exceſſum honorabile capitulum eccleſiæ Albienſis, infra juris terminum, ac ſervata juris ſolemnitate, quæ in talibus ſervari debet, ad electionem proceſſit. & licet pro parte domini Carnotenſis (*a*) dicto capitulo fuerint directæ litteræ precum per illuſtres principes, rogando dominos dicti capituli, ut prædictum dominum Carnotenſem eligerent in paſtorem eccleſiæ prædictæ; verum tamen quia ubi Spiritus-ſanctus vult ſpirat, inſpiravit igitur in cordibus majoris & ſanioris partis dominorum de capitulo, qui inſtinctu Sancti Spiritus elegerunt in paſtorem nobilem & egregium virum dominum BERNARDUM DE CASSILIACO, præpoſitum eccleſiæ prædictæ, in decretis licentiatum. Porro publicata electione, magnum gaudium civitati Albienſi fuit ortum. nam totus populus unanimiter vehementi gaudio exultando cum fletibus gratias Deo retulit, nec ſine cauſa, quia benignitatem & clementiam dicti domini electi per experientiam cognovit. Nam cum biennio elapſo raritas bladorum eſſet in præſenti patria, eſſentque quamplurimum gentes quæ non habebant quid comederent, idem dominus electus præceptum evangelicum in pectore habens, oculis pietatis mi-

(*a*) Roberti Delphini, filii Beraldi II. Arverniæ Delphini & comitis Claromontani & baronis de Mercorio, atque Margaretæ de Sacro. Cæſare, qui præter Carnotenſem epiſcopatum plures abbatias habuit, quibus non contentus, pinguiorem epiſcopatum ambivit, nullumque non movit lapidem ut eum per fas & nefas obtineret.

fericorditer egenos reſpiciebat, & compaſſione motus, ob Dei reverentiam eleemoſynas largiſſue dabat. nedum ſemel in ſeptimana, vel ſemel in die, ſed aſſidue, a mane uſque ad veſperam ad ipſius hoſpitium pauperes defluebant. Nimirum ſi ſic operatus eſt, quia ex nobili & antiquiſſima proſapia & ex gencre militari trahit ortum, & quia arbor bona bonos fructus facit, merito ſic operatus eſt, & ſtipes ſui generis nedum virgam domini electi protulit, cum alias epiſcopos protulerit & cardinales & etiam milites ſtrenuos in religione S. Johannis Jerolymitani, qui zelo fidei Chriſti calicem bibere cupierunt. & cum dicti cives & incolæ civitatis Albienſis ipſum ſciverint electum, nec ſine cauſa exultarunt, quia ipſum expectant firmiter eſſe bonum paſtorem, & ipſe cognoſcet oves ſuas & oves ſuæ cognoſcent ipſum; & ſic expectamus quod cum Deo crimus & exemplis & doctrinis ſuis proficiemus. Verum tamen audivimus dominum noſtrum ſummum pontificem, non expectata dicta electione, dicto domino Carnotenſi bullas tranſlationis ad epiſcopatum Albienſem conceſſiſſe, quod fuit nobis durum audire, cum bonitatem dicti domini electi ſciamus. Dictus autem dominus Carnotenſis eſt totaliter nobis ignotus. Verum quia ſecundum decretum dictæ ſacroſanctæ ſynodi electiones debent per ſuperiores confirmari, proceſſuſque electionis dicti domini electi dictæ ſacroſanctæ ſynodo ſit præſentatus, vobis reverendiſſimis in Chriſto Patribus dictam ſanctam ſynodum univerſalem eccleſiam repræſentantem celebrantibus, & in Spiritu-ſancto congregatis, cum vehementi ſtudio & affectione cordiali humillime & cum magna devotione ſupplicamus, ut ob Dei reverentiam & intuitu pietatis, oculos veſtræ clementiæ erga nos convertere dignemini, & prædictum dominum electum in juſtitia ſua velitis habere commendatum, cum apud ſacroſanctam ſynodum non ſit acceptio perſonarum. Supplicando Deum devote, ut ipſam ſacroſanctam ſynodum & omnes inibi congregatos Altiſſimus in ſua ſancta eccleſia conſervare dignetur cum augmento gratiæ & honoris, ac per tempora longiora. Scriptum Albiæ VIII. menſis Septembris.

Sanctiſſimæ catholicæ eccleſiæ humillimi filii & ſervitores conſules civitatis Albiæ.

LITTERA DOMINI EUGENII PAPÆ miſſa ſacro concilio ſuper facto eccleſiæ S. Audoeni Rothomagenſis & Trajectenſis.

Anno 1434. 10. Septemb. Ex mſ. Aquicinctenſi.

VEnerabilibus fratribus ac dilectis filiis ſacroſanctæ ſynodo Baſileenſi. EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus ac dilectis filiis, ſacroſanctæ ſynodo Baſileenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Placuit nobis plurimum pius affectus, quem habere videmini erga monaſterium S. Audoeni Rothomagenſis, in pace & quiete, ſublatis litigiorum ſumtibus, conſervandum; & propterea per veſtras litteras cum magna inſtantia nos rogatis, ut cum prædictum monaſterium dudum propter duorum ſuper eo contendentium litigia, diſſipatum, nunc in pace quieſcat, & reformari in melius ſperetur, in dies ſalubriter, gubernante dilecto filio JOHANNE RICHARDI monaſterii ipſius abbate, & quondam WILLERMO DE MELLE ejus adverſario, ſicut Deo placuit, nunc vita functo, eidem abbati non velimus novum adverſarium ſubrogare, nec per proviſionem aliquam aliud innovare, ne oriantur nova litigia abbatem & monaſterium conſumtura. quibus precibus veſtris benigne exauditis, in eadem ſententia vobiſcum ſimili caritate concurrimus, & libenti animo requiſitioni veſtræ honeſtæ & juſtæ diſpoſiti ſumus annuere, & inſuper abbatem eumdem cum ejus monaſterio ſuſcipere favorabiliter commendatum. Ceterum vos vice verſa rogamus, ut habeatis ſimilem caritatem erga alias eccleſias & pia loca quæ videbitis pati ſimilia detrimenta diſcordiæ, & præſertim erga Trajectenſem eccleſiam quæ cum in noſtræ aſſumtionis initio gravibus & cruentis diſſentionibus cum civitate & patria Trajectenſi laboraret, conſcientiam noſtram movit, ut eam de tantis afflictionibus & periculis paterna ſollicitudine reducere curaremus ad ſtatum pacis & quietis: quod ut melius perficere poſſemus, miſimus ad eas partes venerabilem fratrem JOHANNEM (a) Ambianenſem, tunc Matiſconenſem epiſcopum referendarium noſtrum, cui dedimus in mandatis, ut ſtatum & voluntates hominum atque rerum inſpiceret, renunciaturus nobis modos & vias, quibus per nos poſſent diſſidia tanta componi. quo reverſo & audito primum in ſecreto, deinde in publico conſiſtorio, præſentibus procuratoribus ſeu excuſatoribus bonæ memoriæ SUEDERI tunc epiſcopi Trajectenſis, ſicut procuratores ipſi petierunt, tandem ad id devenimus, quod erat unicum neceſſarium & ſalutare remedium pacis hujuſmodi: & de conſilio fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium tranſlato ad eccleſiam Cæſarienſem præfato SWEDERO, reſervata ſibi penſione condigna ſuper fructibus & proventibus ipſius eccleſiæ Trajectenſis, venerabilem fratrem noſtrum RODULFUM epiſcopum Trajectenſem, ad eamdem eccleſiam Trajectenſem promovimus in epiſcopum &

(a) Hujus epiſcopi locus extat vacuus in ſerie epiſcoporum Ambianenſium apud Sammarthanos in Gallia Chriſtiana.

paſtorem, quæ quidem noſtra proviſio propter tantum & tam commune bonum facta ſolemniter & *matura*, grata fuit *omnibus*, qui bonum publicum propriis & privatis paſſionibus anteponunt. Et tamen pauci quidam ſcandaloſi homines, affecti canonici Trajectenſium eccleſiarum, contra eam contendere præſumſerunt. quod videntes, ut eorum temeritatem & audaciam cum *omni* ratione frangeremus & comprimeremus loquacitatem, poſtquam Deus SWEDERUM epiſcopum miſericorditer ſecum agens, pro animæ ſuæ ſalute ab hac contentione ſubtraxit, licet opus non eſſet, de eadem RODULFI perſona de *novo* providimus eccleſiæ memoratæ, facientes proviſioni hujuſmodi fundamentum, non ex tranſlatione, ſed ex vacatione per *obitum*, & nihilominus non quieſcunt, ſicut accepimus, homines memorati indurati in ſcandalis, & litigiis; ſed poſtulatione quadam *inani*, quæ penitus nulla eſt, poſtularunt ad eccleſiam non vacantem quemdam laicum, & laicalibus exercitiis *deditum*, *germanum* venerabilis fratris noſtri THEODERICI archiepiſcopi Colonienſis, cupientes ipſum involvere in hac cauſa, ejuſque *favore turbare* pacem, quam fecimus eccleſiæ & patriæ Trajectenſi, ac bella extincta & ſopita ſcandala ſuſcitare. *Quare devotionem veſtram requirimus* & hortamur, ut, quantum in nobis eſt, proinde conſulentes præfatæ eccleſiæ, ſuſcitatores & *proſecutores hujuſmodi* ſcandalorum a veſtra audientia repellatis, & auctoritate veſtra bonum pacis quod fecimus defendatis, ac *moneatis* præfatum archiepiſcopum & germanum ejus, ut ſe abſtineant a proſecutione poſtulationis hujuſmodi: quæ cum, ut *diximus*, de jure ſit nulla, etiam injurioſa eſt & plena ſcandalis & periculis, & quam nemo vir bonus, & præſertim eccleſiaſticus ſequi debet. Datum Florentiæ anno incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIV. duodecimo calendas Octobris pontificatus noſtri anno IV.

JO. DE NURSIA.

EPISTOLA FREDERICI Lantgravii Thuringiæ, ad concilium Baſileenſe.

Petit ut cauſa Frederici ducis Saxoniæ cum Erico duce de Lanwenburg *ad forum ſaculare remittatur.*

Anno 1434. *Ex mſ. Aguicinct.*

SAcræ generali ſynodo in civitate Baſileæ congregatæ, eccleſiam univerſalem repræſentanti, ſibi gratioſiſſimæ, recommendationem humillimam, & ad quæque promtiſſimum famulatum.

Noſtis, patres & domini clariſſimi, nec non humiliter profiteor, quod diſponente Domino, cui obediunt univerſa, quod Romana eccleſia ſupra reges & regna, tamquam mater & magiſtra, ſupremum obtinet principatum, & per ejus miniſterium regitur & dirigitur catholicæ fidei firmamentum. Hæc autem ſicut mater alma, fidelis nutrix, & provida diſpenſatrix, in proſequendis & diſcernendis juribus cum ea circumſpectioni maturitate procedere conſuevit, quod nulli præjudicat dum cuique gratiam impertitur, & ſingulorum jura non minus in aliis quam in ſeipſa conſervat, nec in aliquos manus injurioſas extendit, a qua doctrina juſtitiæ recipitur & habetur. Profecto fervens zelus ejus non tepuit, nec tepeſcit, quin ſuos devotos & humiles filios non ſolum non lædere, vel injuriis provocare, ſed potius intendat favoribus & gratiis prævenire. Cum autem ipſa eadem mater eccleſia progenitores meos, meque, quos inter principes orbis terræ catholicos exhibentes ei omni reverentia ſemper filiales affectus, intra ſuæ dilectionis brachia collocaverit, ac in gratiis petitis repulſam non dederit, nec in juribus aut privilegiis aliquatenus non læſerit; mirari & comprehendere non ſufficio, quomodo vos univerſali eccleſiæ, Romano pontifice ſuperſtite, præſidentes, jus fori ſæcularis inter ſæculares, & in cauſa ſæculari, ſæpe licet petitum, impedire voluiſtis patruo meo FREDERICO Saxoniæ duci, contra quemdam ERICUM ducem de *Lanvvenburg*, cum ſuper eodem ducatu injuſte turbantem & inquietantem, de quo rite & realiter per glorioſiſſimum principem & dominum meum dominum SIGISMUNDUM imperatorem modernum, ad quem ſpectabat & ſpectat, infeudatus & poſſeſſionatus ipſe & ſuus bonæ memoriæ progenitor dominus FRIDERICUS dum vixerit, dudum exiterunt. Cum etiam coram eodem domino imperatore per me ad *judicium imperiale* ſuum evocatus & citatus in certum diem exiſtat canonice & legitime, ubi quodammodo cauſa pendet indeciſa, cum dicto duce de *Lanvvenburg* de jure ſibi competenti decertaturus. indecens quidem eſt, ut inde ſequantur injuriæ, unde jura naſcuntur; & illi de paterna manu umquam nocumenta ſentiant, qui per eam attolli meruerunt. Quomodo redderetur pro bono *malum* eidem patruo meo atque mihi, in eo qui pro fide orthodoxa contra hæreticos totum orbem de præſenti infeſtantes & conturbantes, bellando & pugnando a viginti annis citra, ſine intermiſſione, extremis periculis, res & vitas, proprias facultates & perſonas comitum, baronum, militum & armigerorum ſuorum atque vulgarium hominum ſine numero & modo impendit, viſus eſt perdere lætus? Quapropter peto ex animo tam ſupplici quam confidenti, quatenus ad præfatum dominum meum *patruum* atque me paternum convertentes intuitum, ac deſiderantes ta-

lem fidei propugnatorem in tranquillitate proſpera ducatus prædicti permanere, non ſolum ad forum ſuum ſæcularem remittere, ſed in juribus ipſius eum defendere liberaliter & effectualiter præſidia favoris veſtri ſibi impendatis, facturi ut ipſe & ego majoris devotionis debito teneamur, utilitatibuſque ac commodis & honoribus ſpecialioribus obligationum obſequiis aſtringamur, tam univerſali eccleſiæ quam P. V. quas univerſorum idem Dominus magni conſilii angelus in hoc ſacro concilio dirigat & conſervet pro reformatione unionis & pacis ejuſdem eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Scripta anno Domini MCCCCXXXIV. &c.

Earumdem paternitatum pronus & fidelis vernaculus FREDERICUS Dei gratia Thuringiæ Lantgravius & marchio Miſnenſis.

EJUSDEM EPISTOLA ad concilium Baſileenſe.

Petit in gratiam curatorum corrigi nonnullos abuſus.

Anno 1434. 21. Sept. *Ex mſ. Aquitanic.*

REverendiſſimis reverendiſque patribus ac dominis cardinalibus, archiepiſcopis, epiſcopis in ſancta Baſileenſi ſynodo conſtituris, univerſam eccleſiam repræſentantibus, nobis in Chriſto venerandis omnem promtitudinem pro ſalubri erectione ſtatus univerſalis eccleſiæ.

Reverendiſſimi reverendique patres ac domini, pro laude Dei & ſuæ eccleſiæ in Spiritu-ſancto legitime congregati, ex quo claret veſtris apicibus digniſſimis, ſynodalibuſque epiſtolis jocundiſſimis univerſum per orbem diffuſis, omnium laborum conatuumque ſolertiam veſtrorum circa reformationem abuſuum & erratuum, necnon eorum quæ eccleſiam Dei ſcandalizant remotionem potiſſime atque piiſſime intendere atque verſari. Hinc R. P. pro eodem ſalubri ſtatu eccleſiarum diſtrictuum noſtrorum, ſalute populorum, & præcipue indemnitate curatorum & eccleſiarum curatarum, quarum jus patronatus in potiori parte ad nos inibi ſpectare dignoſcitur, V. P. proponimus, intimantes quod nonnullus abuſus præfatis eccleſiis parochialibus maxime oneroſus, immo ut dictim exprimitur, finaliter exterminativus per commiſſarios domini archiepiſcopi Moguntini extitit introductus. Dum enim ipſis vel auctoritate apoſtolica vel noſtra præſentatione legitima rectores præficiuntur, continuo nec expectato quartæ partis anni lapſu, monentur ad ſolutionem fructuum biennialium ſub graviſſimis pœnis, quam ſi non infra breviſſimi temporis ſpatium expediant ad nutum eorum, ipſos rectores excommunicant, præfatas eccleſias in divini cultus diminutionem, damnum parochianorum in hoc non delinquentium, eccleſiaſtico interdicto ſupponunt, & quod eſt gravius, plerique in primo anno vacationis quadruplices fructus ſublevant. Immo ſi acciderit caſus, ſextuplices fructus tribus rectoribus ſibi invicem eodem anno ſuccedentibus expeterent; quos tamen natura eodem anno denegat germinare. Quibus exactionibus eccleſiæ terrarum noſtrarum adeo gravantur, quod interdum veris & utilibus rectoribus tanta gravamina ſubire timentibus, defraudantur interdum, & proh dolor! nimis crebre negligenter reguntur, interdum ex toto viduatæ deſeruntur, ſicuti plures hac occaſione inpræſentiarum viduatæ reperiuntur, & populus negligitur, quod dolenter referendo denuntiamus, cum potius paſtores omni cura ſtudere deberent, ut animarum ſaluti, quæ non modicum in curatis reſidet, provideretur; quam ſtatum curatorum in nihilum redigere, immo juris naturalis tramitem excedunt congrua portione, ubi fructus expenſarum deductionem non tranſcendunt, eoſdem exſpoliant. Quæ inconvenientia ex præmiſſis gravaminibus ſequentur V. P. perſpicuis indiciis luculenter elicere poterunt & penſare. Inſuper aliud mirandum genus gravaminis in terris noſtris agitatur, quod nullis eam clericis quam laïcis litteris apoſtolicis, immo ſacri veſtri concilii, uti licuerit, niſi prius pro littera nuncupata *Vidimus* certis pecuniis datis & ſolutis, & plerique in duplo plus quam in Romana curia, vel ſacra veſtra Baſileenſi ſynodo pro eiſdem expoſitum fuerit. Hæc, certis motivis noſtros animos pulſantibus, obticere nequivimus; immo ex præmiſſis gravaminibus pejora veriſimiliter inter ſtatum ſpiritualium & ſæcularium emergi nobis timentibus, cum ex nimia compunctione etiam ſanguis manſuetorum commoveri conſuevit. V. P. R. celeri remedio, ut ſperamus, ſuccurrentibus, non noſtri commodi, quin potius profectus eccleſiarum, ſalutis animarum, & debiti regiminis eccleſiarum zelo, confidentia etiam veſtri celebertimi cœtus ad præmiſſa juxta epiſtolarum continentiam nobis directarum intenti duximus proponenda, quem divina gratia fovere & felici fine mancipare dignetur, in eccleſiæ & ſui benedicti nominis gloriam & honorem præmiſſorum, ſolatioſum, benivolum, ac generoſum reſponſum affectantes. Datum anno Domini MCCCCXXXIV. VII. calendas Octobris, noſtri principatus ſub ſigillo quo omnes utimur.

Veſtrarum reverendarum paternitatum devoti filii FREDERICUS Thuringiæ Lantgravius & marchio Miſnenſis, ceteri comites, barones, milites, &c. per Thuringiam conſtituti.

LITTERA DOMINI IMPERATORIS missa sacro concilio super causa domini Rothomagensis & aliis concernentibus forum imperiale.

Anno 1434. 1. Octobris. *Ex mſ. Aquicinct.*

REverendiſſimis, reverendis ac venerabilibus in Chriſto patribus, ſacroſanctæ generali Baſileenſi ſynodo, &c.

Reverendiſſimi, &c. Sicut nobis ſemper jocundiſſimæ atque acceptæ ſunt litteræ veſtrarum paternitatum, quæ ad nos deferuntur, ſic etiam pridie gratanter ultra modum accepimus litteram bullatam ſacroſancti concilii, in qua poſt reſumtionem exhortationum noſtrarum, quam egregii oratores noſtri ad reformationem in eccleſia ſancta Dei, quam ſpeciali aviditate majeſtas noſtra deſiderat, fecerunt; nobis inſinuatis vos ſimile habere deſiderium, & quod datus ſit ordo, qui hactenus commode dari non potuit, pro executione præmiſſorum, & quod in brevi res acceptas a veſtra paternitate præſentire habebimus. Nos poſſemus edicere, reverendiſſimi patres, quantum res illa cor noſtrum lætificaverit atque extulerit, multum in Domino commendantes ſanctam intentionem atque exactam veſtram ſolertiam, quam in proſecutione ipſius neceſſariæ reformationis hactenus aliis incumbentibus prætermiſſæ, extendere diſponitis. Et ſic rogamus Altiſſimum, ut deſideria & ſanctum veſtrum propoſitum ad laudem Dei & fructum eccleſiæ ſuæ votive dirigat, & cœptis felicem conſummationem concedat. De reductione autem Græcorum habuimus alias per ſcripta veſtra decretum ſuper factis ipſorum publicatum, & tandem ex informatione certorum oratorum fratris noſtri imperatoris Græcorum, qui ad nos huc venerant, ſatis intelleximus ordinationem ipſam, quæ nobis ſumme placet, & mox præfato fratri noſtro imperatori ſcripſimus, & eum adhortati ſumus ſummopere, ut iſtud ſanctum negotium amplectatur, quemadmodum ex litteris noſtris alias V. P. miſſis pariter concipere potuiſtis. Hæc enim res inter ceteras peragendas non eſt mediocris, ſed in proſecutione ſua omnibus Chriſtianis præcipua eſſe debet. Præterea R. P. unum adjiciunt V. P. de cauſis Biſuntinenſi & Bambergenſi, quas prætenditis coram V. P. & foro eccleſiaſtico legitime introductas, & videmini nos adhortati ad protectionem & tuitionem perſonarum eccleſiaſticarum & bonorum eccleſiæ, &c. Non erat opus, reverendiſſimi patres, adhortatione hujuſmodi, quoniam nihil ita cordi habemus, uti miniſtros Dei omni honore, omnique conſervatione venerari, & ita a juventutis noſtræ primordiis, antequam officium imperialis dignitatis humeris noſtris incumberet, ſolerter fecimus, & in futurum omni ſtudio faciemus. Vellemus tamen, & ſic dignum arbitramur, ut & ipſi vice reciproca erga nos & imperium facerent debitum, & quicquid eſſet de foro noſtro nobis dimitteretent, & res imperii juriſdictioni eccleſiaſticæ non intricarent; ſed uſque modo illud obtinere non potuimus, *quin* & juſtiſſimæ oblationes parvipenduntur, & proceditur in rebus imperialibus, ac ſi juriſdictio noſtra non ſupereſſet. Si pro eo turbatum gerimus animum, ſi juriſdictionem noſtram manutenere & conſervare diſponimus, credimus per hoc non moleſtare facta eccleſiæ, quæ uti pupillam oculi protegere atque defenſare intendimus. Sed quod vocaverimus dominum cardinalem Rothomagenſem, hoc nobis profecto licuit, quia pro regalibus hoc fecimus, quæ ipſe tamquam vaſſallus noſter a nobis & ſacro recognovit imperio, præſtito fidelitatis & obedientiæ debito juramento, & in illa cauſa juridice procedere intendimus, non tamquam contra prælatum, ſed imperialem vaſſallum, qui forte debiti ſui immemor eſſe diſponit, ſperantes quod ſacrum concilium, pro cujus ſtabilimento tanta ſubivimus, nobis in juriſdictione & juſtitia noſtra favebit; quoniam nullatenus patiemur res mere imperium concernentes per adverſantes nobis ad libitum hinc inde trahi, ac ſi poteſtas imperii penitus videretur extincta: rogantes veſtras paternitates ex intimis cordis noſtri affectibus, quatenus nos & facta noſtra velitis recommiſſa ſuſcipere, & in juribus & juriſdictione ſua favorabiliter conſervare. Ceterum occurrentia nobis crebris nunciis atque litteris veſtris paternitatibus ſignificabimus. Et vice verſa cum deſiderio deprecamur, quatenus & vos de his quæ egeritis ſæpiſſime viſitare velitis pro conſolatione noſtra ſpeciali. Et ſi quid per nos fieri poſſit, quod ad honorem, promotionem & commodum, cum ad beneplacitum V. P. devenire conſpexerimus, gratiſſimo animo faciemus. Datum Ratisbonæ die 1. menſis Octobris MCCCCXXXIV. regnorum noſtrorum &c.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum imperator ſemper auguſtus, ac Hungariæ, &c. rex.

Ad mandatum domini imperatoris in ſuo ſacro conſilio, &c.

LITTERA DOMINI IMPERATORIS ſuper materia Græcorum.

Anno 1434. 1. Octobris. *Ex mſſ. Aquicinctenſi, & Chauvelliniano.*

REverendiſſimis reverendiſque ac venerabilibus in Chriſto patribus & dominis ſacroſanctæ generali Baſileenſi ſynodo &c.

Reverendiſſimi reverendique in Chriſto patres, amici ac venerabiles & egregii, ſincere grateque dilecti, recepimus pridem litteram

teram P. V. cum incluſo *decreto ſuper factis* Græcorum in ſeſſione proxima publicato. Audivimus tandem certos ex venerandis ambaſſiatoribus fratris noſtri JOHANNIS imperatoris Græcorum, qui ad nos huc venerant, viſiſque & auditis ſingulis, ſummam in Domino noſtro JESU CHRISTO pacis & unitatis auctore accepimus jocunditatem atque lætitiam, & concluſa hujuſmodi extollimus valde atque laudamus, nec aliud nobis poſſet incumbere, niſi Deo noſtro ingentes porrigere gratias, & divinam majeſtatem ſuam obnixius implorare, ut hanc rem pie & bene conceptam ſua miſericordia bono exitu, uti indubitanter confidimus, felicitare dignetur, ad augmentum & utilitatem eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Itaque mox præfato fratri noſtro JOHANNI imperatori Græcorum ſcripta & hortamenta noſtra tranſmiſimus, *ut omnes* conatus excitet, & *executioni* tantarum rerum *ſolers* intendat, & ſic ipſum facturum ſperamus. Reſtat nunc, reverendiſſimi patres, ut ſacroſancta ſynodus, quæ huic divino negotio laudabile dedit exordium, illud omni poſſe ad effectum felicem perducat. Et nos quoque, qui *inter* cetera vota noſtra ad hanc unitatem ſemper ſummum direximus deſiderium, prout præfato imperatori, qui ſuper re illa nobiſcum crebris ſcriptis & aviſationibus uſus eſt, conſtat; etiam omnes favores præſtabimus, nec per nos parcetur laboribus, nec fatigis. Clare namque R. P. nos qui cum orientalibus confinamur, cognoſcimus quantum unitas hujuſmodi ad augmentum eccleſiæ Dei & terrorem gentium barbararum profutura ſit; & tanto eam plus magnipendimus, & ad omnem *operam* & proſecutionem nobis poſſibilem nos promtos offerimus. Datum Ratiſponæ die 1. menſis Octobris MCCCCXXXIV. regnorum noſtrorum, &c.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum imperator &c.

SEQUUNTUR LITTERÆ ducis Britanniæ ad concilium.

Guillelmum abbatem Belli loci electum Maclovienſem ei commendat.

Anno 1434. 7 Octob. *Ex mſ. Chiffletiano.*

SAcroſanctæ ſynodo generali Baſileenſi in Spiritu ſancto legitime congregatæ, ſacroſanctam univerſalem eccleſiam repræſentanti, canonica reverentia & obedientia tam debitis quam devotis.

Nuper Maclovienſi eccleſia paſtoris officio deſtituta per obitum bonæ memoriæ AMAURICI ultimi ejuſdem epiſcopi, capitulum dicti loci, vocatis vocandis, cupientes eidem eccleſiæ de idoneo paſtore providere, unanimiter, nemine diſcrepante, vota ſua direxerunt in venerabilem patrem GUILLELMUM abbatem B. Mariæ de Bello-loco, eleA moſynarium ac conſiliarium meum fidelißimum, ipſumque in dictæ eccleſiæ ſponſum rite & canonice elegerunt, & electionem hujuſmodi ſolito more publicarunt. Quæ quidem electio, conſideratis *virtutum* meritis, quibus *ipſius* electi perſonam gratiarum largitor Chriſtus Dominus abunde inſignivit, cum idem electus ſit ſcientia eminens, moribus clarus, fidei orthodoxæ pugil, zelator juſtitiæ, atque totius bonitatis cultor, ex utroque parente *de nobili proſapia*, majoribus atque potentioribus & in legalioribus totius ejuſdem diœceſis ortus, in clero & populo dictæ diœceſis ingentem lætitiam &
B ineffabile gaudium in Domino contulit. Et licet ſanctiſſimum dominum noſtrum precibus humilibus, *litteris*, & *oratoribus* iteratis *rogaverim*, humiliter ſupplicando, ut de dicta eccleſia nullatenus diſponeret, aut aliquem eidem præficeret præſulem præter ſacrorum canonum, & præſertim ſaluberrimi veſtri decreti cenſuram; nihilominus ſua ſanctitas ſiniſtre, ut creditur, *informata*, præpropere aliter diſpoſuiſſe dicitur. Cum igitur, reverendiſſimi reverendique patres, fruſtra
C foret jura condere, niſi exſecutionem haberent, veſtras reverendas paternitates ea qua poſſum ampliori affectione ſupplico, quatenus Dei & ſacroſanctæ matris eccleſiæ intuitu ac mei contemplatione, dictum electum in ſua juſtitia dignemini favorabiliter habere recommiſſum, mihi grata quoque ſignificantes obedire paratiſſimo, auxiliante Domino noſtro JESU CHRISTO, qui veſtras reverendas paternitates ad ea feliciter peragenda conſervare dignetur & dirigere, ob quæ in Spiritu-ſancto eſtis legitime congregati. Scriptum Nanneti ſeptima Octobris.

D Humilis & devotus ſanctæ matris eccleſiæ filius JOHANNES dux Britanniæ, Montis-fortis & Richemondiæ comes.

LITTERA DOMINI IMPERATORIS Romanorum, miſſa imperatori Græcorum, ſuper reductione eccleſiæ orientalis, &c.

Ex mſ. Aquiſgranenſi & Illuſtriſſimi domini Chancellar.

SIGISMUNDUS, &c. Sereniſſimo principi domino JOHANNI PALÆOLOGO in Chriſto Deo fideli imperatori, & moderatori Romeorum, fratri noſtro cariſſimo, ſalutem & felicem perpetuamque conſequi
E unitatem.

Sereniſſime princeps, frater noſter cariſſime, inter alia deſideria, quibus ecclæ noſtrum ad augmentum eccleſiæ ſanctæ Dei ferventiſſime æſtuavit, ſemper nobis præcipua cura fuit, omnes vires laboreſque accuratos extendere, quo orientalis eccleſia, quæ numero hominum atque gentium copioſiſſima eſſe conſtat, in eadem nobiſcum fidei jungeretur unitate. Et licet retroactis tem-

poribus ſuper re illa multa perquiſierimus, & per alios amatores fidei ſit quæſitum, tamen viſum eſt illam unitatem nullatenus procurari, ac fieri poſſe, niſi in ſynodo generali. Itaque ſicut veſtra fraternitas noviſſime per venerandos ambaſſiatores veſtros ad ſacrum concilium miſſos, nobis ſuper ea materia ſcripſit, & nos hortata eſt ad exſecutionem unitatis hujuſmodi favores noſtros exhibere, de qua multum lætati atque jocundati ſumus; ſic etiam quicquid potuimus ad proſperitatem illius ſancti negotii applicavimus. Unde, frater cariſſime, ſacrum concilium Baſileenſe in Spiritu-ſancto congregatum, quod ad omnem unitatem & pacem intendit, nobis ſcripſit; ſic etiam egregii duo ex ambaſſiatoribus veſtris ad nos redeuntes majeſtati noſtræ expoſuerunt, qualiter ipſa ſancta ſynodus cum ipſis certa concluſit capitula, quæ vidimus. Et de illis, quoniam de felici exitu unionis hujuſmodi firmam fiduciam cupimus, in Domino noſtro Jesu Christo jocundamur, illaque firmata laudamus & extollimus, quoniam ex hac futura, Deo auſpice, unione ſummam Chriſtianæ reipublicæ utilitatem ſperamus accreſcere. Quid reſtat, cariſſime frater, niſi ut veſtra fraternitas jam omnes conatus excitet, vires animet, & illa quæ cœpta ſunt forti in Chriſto aſſumta fiducia proſequatur.* Quid enim fructuoſius atque honorificentius imperio veſtro atque orientali genti eſſe poterit, & apud Deum commendabilius, quam ſciſſuram veterem caritate & manſuetudine taliter reparare? Et ad hoc fraternitatem veſtram accuratiſſime adhortamur. Quicquid enim majeſtas noſtra ad hanc rem divinam facere debebit & poterit, ita nobis gratum & acceptum erit, ut nihil gratius, & ſic nos offerimus omni alacritate paratos. Datum, &c.

* *al.* proſequamur.

LITTERA DOMINI DUCIS BRITANNIÆ.

Miſſa concilio ſuper facto eccleſiæ Macloviensis, &c.

Anno 1434. 16. Octobr. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

SAcroſanctæ ſynodo generali Baſileenſi in Spiritu-ſancto legitime congregatæ, univerſalem eccleſiam repræſentanti.

Reverendiſſimi patres ac domini, & amici confidentiſſimi, carioris recommendationis alloquio tam humilis quam devotæ. Nuper & noviſſime cathedrali eccleſia Maclovienſi per bonæ memoriæ Amaurici illius tunc epiſcopi, obitum vacante, capitulum & canonici ejuſdem zelantes dictæ provideri eccleſiæ, certa tunc aſſignata ad futuri pontificis celebrandam electionem die advenienti, venerabilem in Chriſto patrem Guillelmum abbatem monaſterii B. Mariæ de Belloloco ordinis canonicorum regularium ſancti Auguſtini, dictæ diœceſis, de baronum & militari ex utroque parente procreatum genere, moribus comprobatum, nemine deflectente, elegerunt. Nihilominus tamen poſt electionem hujuſmodi, ſanctiſſimus dominus noſter papa de dicta dicitur providiſſe eccleſia, & per tranſlationis viam providiſſe epiſcopo Trecorenſi, contra ſacroſancti Baſileenſis concilii decreta laudabilia, & in electionis præmiſſæ præjudicium. A qua non immerito ad dictum ſacroſanctum Baſileenſe concilium, uti juſtitiæ matrem, duxi appellandum, intentione incommutabili ſuffultus, in Deo fiſus, electionem hujuſmodi propriis proſequi expenſis, quoniam mea quamplurimum intereſt, maxime cum dicta civitas Maclovienſis ſit portus, protectio, & pene pugil totius ducatus mei, reſque oppido opportuna ſit, quod præſul inibi præficiendus ſit generoſus, potens, & ſtrenuus ad hujuſmodi civitatem, quæ eſt in maris angulo verſus Angliæ & Normanniæ partes circumſepta, tuendam, clero & populo ac patriæ notabilis & gratus exiſtat; quoniam quamvis hactenus inibi ſemper exiterint epiſcopi notabiles, potentes, litteratique viri, vix illam civitatem a populi rumore protegere valuere; ac incunctanter ſi tranſlatus memoratus ad dictæ civitatis poſſeſſionem appulerit, informatus exiſto, grande præjudicium inde mihi poſſet generari, irreparabileque diſpendium, cum prorſus patriæ nobilibus, canonicisve eccleſiæ antedictæ ac civitatis civibus exoſus exiſtat, certis exiſtentibus cauſis in cauſæ deductione promendis, niſi ab hujuſmodi cœpto deflectatur negotio. Quapropter V. R. paternitatibus vicibus geminatis intimis ac ſinceris affectibus ad excutiendum ſcandala, quæ ex præmiſſis pullulare poſſent, irreparabilia, humilius quam poſſum ſupplico, quatenus dictam electionem approbare dignemini, perpetuum tranſlato imponendo ſilentium, ne pariatur mihi ſtimulus, quod abſit, a ſanctæ matris eccleſiæ obedientia per juſtitiam mihi ademtam recedere. Semper quippe per Dei gratiam mei progenitores reges & duces Britanniæ, & ego modernus eorum inhærendo veſtigiis, eccleſiæ ac ſanctæ ſedis apoſtolicæ zelatores extitimus. Et quia præſens negotium, cauſis ſinceriter inſpectis, adeo cordi adſcripſi, V. R. paternitates non turbentur ſic me fari, cum primogenitores mei illius eccleſiæ & aliarum ducatus ſimus fundatores; quodque tranſlatum antedictum ante diſpoſitionem præfatæ eccleſiæ Maclovienſis exhortaverim, ne illam quovis quæſito colore pereret; cum ſcirem patule ipſum eam in ſuis libertatibus, ipſius ignobilitate & potentia penſatis, non poſſe defendere. Et quia reor quod V. R. P. ſiniſtrum referatur, nuſquam fidem adhibeatis; ſentientes quod numquam meum intendo aliter commutare propoſitum. Et licet ipſum in ambaxiatam

ad dictum ſacroſanctum tranſmiſerim concilium, intentionis meæ, quod aliam haberet eccleſiam, præſertim tantam, tantæ potentiæ, tantæ cuſtodiæ, tantique periculi, ubi nervus totius mei ducatus ſolidatur, nullatenus extitit, nec erit umquam. Quare iterum eiſdem V. R. P. ſupplico, quatenus reciſorem quam poteritis dicto electo juſtitiam dignemini miniſtrare, & bene advertere, ut firmiter credo, egeritis, & mihi patriæque meæ pro utilitate reipublicæ complacere, taliter quod humiles preces ſentiam profuturas; & ſanctitati domini noſtri ſcribere, ut tranſlationem hujuſmodi dignetur ſupprimere, & teneat, prout teneor, ad gratiarum actiones. Inſuper ſanctitati domini noſtri papæ ante diſpoſitionem eccleſiæ, certos meos ambaxiatores tranſmiſeram, ad ſupplicandum humiliter, quod electionem expectaret juxta decretum concilii, quos ſiniſtre informatus, neglectus extitit exaudire. Unde non ſufficio admirari, quod ſic de levi non expectata electione proceſſit. Prolixus verbis exiſto; hoc enim me adigit negotium quod partim ſtatum totius mei ducatus concernit. Reverendiſſimi patres & domini & amici confidentiſſimi, ſi qua poſſum tam in ſpirituali quam in univerſali ſignificando poſſetenus facturum. Et conſervet vos Altiſſimus longævos per ſucceſſus cum honoris & gratiæ incremento. Scriptum Veneti XVI. Octobris MCCCCXXXIV.

Humilis & devotus ſanctæ matris eccleſiæ filius JOHANNES dux Britanniæ, Montis fortis & Richemondiæ comes.

LITTERA DOMINI NOSTRI PAPÆ miſſa concilio ſuper materia Græcorum.

Anno 1434. 10. Octob. *Ex mſ. Aquicinct.*

EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus & dilectis filiis in ſacro generali Baſileenſi concilio congregatis ſalutem, &c.

His proximis diebus tum per litteras veſtras, tum etiam per dilectum filium magiſtrum Simonem *Freron*, nuncium ad nos deſtinatum, ſatis cognovimus, quæ inter vos & cariſſimi filii in Chriſto JOHANNIS PALÆOLOGI Romeorum imperatoris, ac venerabilis fratris JOSEPH Conſtantinopolitani patriarchæ oratores ſuper unione orientalis eccleſiæ tractata & concluſa ſunt. Credimus plurimos ex vobis non latere, quanto cordis deſiderio ad eam ſanctiſſimam unionem ſemper affecti fuerimus. Primum namque apud felicis recordationis MARTINUM papam V. prædeceſſorem noſtrum, pro viribus noſtris laboravimus. Iterum poſt ejus obitum quæcumque ipſe prædeceſſor noſter promoverat, fuimus diligenter exſecuti. Invenimus multa valde bona, & ad ipſam unionem commodiſſima, quæ etiam præfato JOHANNI imperatori & JOSEPH patriarchæ multum conſona videntur, quemadmodum ex *litteris ipſorum* plane intelleximus. Ob quam rem exultantes in Domino eique offerentes hoſtiam jubilationis & laudis, oratorem noſtrum ad eos iterum deſtinavimus, qui, veluti convenire videmur, præmiſſa concludent, ſicut alias per venerabiles fratres præſidentes noſtros latius *inſinuavimus* vobis. Cum itaque in unum hujus ſanctæ unionis & pacis finem conveniamus, ſperamus rem hanc juxta utriuſque noſtrum deſideria eſſe ſucceſſuram; ad quam quidem omne ingenium & poſſe noſtrum, prout neceſſarium & utile fuerit, iterum inpræſentiarum offerimus. Verum enim dilecti filii noſtri NICOLAUS tituli S. Crucis Jeruſalem, & Jo. tituli S. Petri ad vincula S. R. E. preſbyteri cardinales ad nos ex ſacro concilio proficiſcentes, apud nos in proximo * exituri ſint, pauliſper reſponſioni vobis faciendæ ſuperſedemus. ut enim ad conſequendum integrum conſummatumque hujus negotii finem, nihil deeſſe videatur, nobis & venerabilibus fratribus noſtris viſum eſt de materia hujuſmodi prius cum præfatis NICOLAO & JOHANNE conferre, quos veluti plene informatos & ipſi unitati valde affectos non dubitamus multum eſſe valituros. Itaque cum primum venerint, curæ noſtræ erit una cum eis & aliis fratribus noſtris, ut ante promiſimus, quantum res exegerit, juxta omnium noſtrûm deſideria plene reſpondere, ſicut in domino, qui bonus eſt in ſe ſperantibus, indubie confidimus. Datum Florentiæ anno incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIV. XIII. cal. Novembris pontificatus noſtri anno IV.

f. extituri.

A. DE PALAZAGO.

LITTERA MAGISTRI SIMONIS Freron oratoris concilii apud dominum noſtrum papam ſuper facto Græcorum.

Anno 1434. 10. Octobr. *Ex mſ. Aquicinct.*

ECcleſiæ ſanctæ in Spiritu-ſancto Baſileæ congregatæ.

Reverendiſſimi reverendique patres, filiali recommendatione præmiſſa. Convenerunt Græci, qui in curia SS. domini noſtri papæ morantur, frequentius mecum, conferentes plurima verba ſuper reductione eccleſiæ orientalis ad unitatem fidei cum eccleſia occidentali; videnteſque decretum ſacri concilii ſuper hac re factum, laudaverunt, & *glorificaverunt* Deum, *qui talem inſpiravit* paternitatibus veſtris voluntatem, aſſerentes nullum alium modum ad finem unionis congruentiorem inveniri poſſe præter illum, quem ſacrum concilium juxta tenorem decreti intendit practicare; fruſtraque eniti Romanam eccleſiam per alium mo-

dum pervenire ad præfatam unionem. quos interrogavi inter cetera, si missi essent ex parte imperatoris ad sanctitatem domini nostri. Responderunt se non esse missos a quocumque, sed Græciam fugisse propter æmulorum suorum prosecutionem. quæ scribo paternitatibus vestris, ne quis vos seducat inanibus verbis. adjecerunt præfati Græci, quod sicut causa dissidii ecclesiæ orientalis ab ecclesia occidentali fuit ex eo quod post antiqua septem universalia concilia, in octavo concilio Græci non interfuerunt: in quo tamen fides processionis Spiritus-sancti a Patre & Filio fuit sine ipsis declarata: ita necesse est ad unionem componendam fieri concilium universale, in quo Græci super hac doctrina licet catholica audiantur. Video sanctitatem domini nostri huc usque bene dispositam ad exaltationem fidei & honorificentiam nominis Christiani. Sed ut res maturius fiat, adventum expectat reverendissimorum dominorum cardinalium domini S. Crucis & domini S. Petri ad vincula, qui cito sunt venturi Florentiam. Unde habito responso a sua sanctitate, revertar ad concilium sine dilatione. Ecclesiam suam in Basilea congregatam miseratio Dei omnipotentis continuo mundet & muniat, qui vestras reverendas paternitates pro suis laboribus perenni felicitate compenset. Datum Florentiæ die XX. Octobris MCCCCXXXIV.

Vestrarum R. P. servitor
Simon *Freron.*

LITTERA ISAIÆ EPISCOPI Jerosolymitani super materia unionis Græcorum transmissa domino papæ.

Anno 1434. 1. Novemb. *Ex mſ. Anticheſi.*

SAnctissimo ac beatissimo domino nostro domino Eugenio papæ.

Beatissime in Christo pater & sanctissime domine, post debitam devotam ac humilem recommendationem ad devota pedum oscula beatorum. Brevia sanctitatis vestræ humiliter suscepi circa materiam sanctissimæ unionis Armenorum gentis cum Romana ecclesia, communi omnium matre, cujus throno beatitudo vestra, annuente Domino, dedicata est; quibus reverenter respondeo, quod sicut anno præterito contuli cum venerabili viro Christophoro Gazatono secretario & nuntio sanctitatis vestræ, nihil mihi dulcius esse posset, quam diebus meis tam singularem rem Deoque gratissimam intueri posse, cum ad salutem animarum communeque bonum nostrum pertineat. Et ita etiam nunc præfato Christophoro in materia prædicta id dixi, sicut ipse pedibus sanctitatis vestræ diffusius narrare poterit. Verum, ut ipse scit, litteras beatitudinis vestræ directivas, reverendissimo patri catholico patriarchæ nostro per sufficientem nuncium missi, easque de Latino in Armenum transferri feci, ut ipsi reverendissimo patriarchæ clarius quæ antea eidem scripserim innotescere possint. Spero enim, favente Domino & omnibus sanctis ejus, quod celerrime responsionem suscipiam, cum optima ejus dispositione ad tam singulare Dei opus, cum vera cognoscam bonitate, clementia & munere sanctitatis vestræ erga genus nostrum rem ipsam, quæ tanto tempore silentio deducta est, facile ad optatum finem deduci posse, venit nunc hujus imperatoris ordine ipse Christophorus ad conspectum beatitudinis vestræ, cui nonnulla vestræ sanctitati significanda imposui. Verum, ut existimo, cito rediturus est, pro apparatu unionis sanctissimæ, quæ cum hoc imperatore noviter per eum vestræ beatitudinis nomine concluſa est. Cum enim redierit, poterit versus reverendissimum patriarcham nostrum, sicut ordo datus est, accedere, & ego secum unum de presbyteris meis mittam, cum quo poterit omnia diligenter circa unionis materiam tractare atque perficere, secundum quod a beatitudine vestra habuerit in mandatis, nosque omnes semper bene dispositi erimus, ut tam utilissimum Dei opus finem sortiri valeat. Sanctitati vestræ me & meos humiliter commendo. Ex Constantinopoli die 1. Novembris MCCCCXXXIV.

Beatitudinis vestræ filius Isaias episcopus Jerosolymitanus.

COPIA LITTERÆ IMPERATORIS Trapezundarum.

Sanctissimo & beatissimo in Christo patri & domino, domino Eugenio quarto summo pontifici Romanorum suo reverendissimo, &c. *Extat conc. tom.* 12. *pag.* 1010. *Signata* Aloiane Megacomeneno Dei gratia imperator Trapezundarum.

EPISTOLA PROVISORUM & decanorum foraneorum diœcesis Trajectensis ad concilium Basileense.

Scribunt in gratiam Walramni de Moirsa adversus Rodolphum de Diepolt.

Anno 1436 Novemb. *Ex mſ. Anticheſi.*

REverendissimis reverendisque in Christo patribus & dominis, dominis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, prælatis, doctoribus, sacrum generale Basileense concilium facientibus, dominis & præceptoribus suis metuendissimis, ad dignissimos V. R. P. pedes, subjectionem omnimodam.

Nuper nova nobilisque vox auctoritate sacri Basileensis concilii nostris in confinibus promulgata, qua videlicet nobiles & illu-

ſtres viri, diſſimiles tamen & diſſimiliter de ecclesia Trajectenſi contendentes, omnesque & ſinguli quorum intereſt, ad comparendum coram veſtris reverendiſſimis digniſſimiſque paternitatibus peremtorie citati ſunt, quæ nimium exhilarant & gaudio perfundunt totum partium noſtrarum populum Chriſtianum, jam diu ſatis tenebroſis ac tortuoſis errorum laqueis involutum, nunc tandem ab eiſdem in ſerenam juſtitiæ lucem V. R. P. æquiſſima ſententia deducendum, infimos nos puſilloſque & indignos nimis veſtris digniſſimis paternitatibus cum venia quam precamur, ſcribere compellit, eo quod noſtra vel modicum intereſſe videtur, utpote qui juriſdictionem ſpiritualem ipſius *Trajectenſis eccleſiæ in noſtris terminis ex* bonæ memoriæ domini SWEDERI DE CULENBURG quondam epiſcopi Trajectenſis, ipſo vivente, fere ſeptem annis primum, deinde poſt ejus obitum ex obedientis & exulantis ejuſdem eccleſiæ vicarii generalis fere tribus menſibus ſecundo, & demum ex ſui ſucceſſoris illuſtris WALRAMNI DE MOIRSA jam fere octo menſibus, commiſſionibus, auctore Deo, licet immeriti reximus quantum potuimus minus male, totius certe populi nobis licet indignis commiſſi ſubjectionem & obedientiam ipſi ſacro concilio Baſileenſi etiam in periculo diſſenſionum præterite devotiſſime applicando, cujus eſt non parva multitudo. Aſſunt enim plane in noſtro diſtrictu oppida murata circiter quinquaginta, & multa millia hominum adultorum, qui ſemper ſedi *apoſtolicæ & nunc ſacroſancto* generali concilio fuere devotiſſime obedientes, aliis ex adverſo ſe gerentibus, ipſi ſacro concilio nunc, ſicut prius duobus ſummis pontificibus, renitentibus ac rebellantibus manifeſte.

Nam ſicut ab initio proviſionis dicto domino SWEDERO quondam Trajectenſi epiſcopo per ſedem apoſtolicam factæ, quidam generoſus dominus RODULFUS DE DIEPOLT violenter contra mandata apoſtolica de prædicta eccleſia ſe intromiſiſſe dignoſcitur, rebelliter cum ſuis complicibus agendo, in tantum ut iniquitatis filius diabolico ſpiritu *ductus, de hæreſi ſuſpectus, tamquam membrum* putridum juſto judicio ab eccleſia præciſus, cum quo Chriſti fidelibus communicare non licet, ac alias multipliciter nobis vitandus & pro tali habendus ab eiſdem duobus ſummis pontificibus per ſeptem annos & ultra, nobis & ſubditis noſtris fuerit denuntiatus, ipſumque ut talem publicare & denuntiare cum maledictione conſueta, candelis accenſis, campanis pulſatis, & ſingulis diebus feſtivis in noſtris fere mille eccleſiis accepimus in mandatis, perfecimuſque in ſingulis feſtis, donec & quouſque quidam *dominus* (a) JOHANNES *Matiſconenſis* epiſcopus, incomprehenſibili modo totum mundum relinquens implicitum, ipſum cum ſuis complicibus, ſine pœnitentia, ſine reſtitutione, ſine etiam ſatisfactione quacumque ſaltem apparente, de innumeris violentiis, rapinis, exactionibus, oppreſſionibus utriuſque ſtatus & ſexus hominibus crudeliter & dire ſatis illatis, dicebatur taliter *qualiter* abſolviſſe. Propter quod præſcriptus recolendæ memoriæ dominus SWEDERUS tunc Trajectenſis epiſcopus, ab ejuſdem domini Matiſconenſis epiſcopi injuſtis proceſſibus *ſive actibus ad actum generale Baſileenſe* concilium appellavit; cujus etiam appellationi nos tamquam vere obedientes filii, noſtri ac ſubditorum noſtrorum nomine adhæſimus, & hodie adhæremus.

Medio vero tempore, dum non ad ſummum pontificem, ſed ad ſacrum concilium, ad quod ſe etiam perſonaliter contulit, appellaſſe repertus eſt, fama in noſtris finibus pervenit, qualiter ſummus pontifex ad ſuggeſtionem dicti epiſcopi Matiſconenſis, ipſum a ſua eccleſia Trajectenſi ad quamdam Cæſarienſem in Græcia crudeliter ſatis tranſtulerit, ipſique RODULFO de eccleſia Trajectenſi providerit. Quod dum omnes audientes nimium mirarentur, nec verum arbitrarentur aut poſſibile, talem hominem, tanto tempore rebellem, ad illam eccleſiam, quam tot annis violenter occupaverat, poſſe a ſummo pontifice promoveri. Certe idem RODULFUS nullam potuit a nobis aut ſubditis noſtris obedientiam aut ſubjectionem quomodolibet extorquere, licet diverſis perſecutionum generibus nos vexare non deſiit, nec deſinit pro præſenti; per hoc manifeſte inobediens ſacro generali Baſileenſi concilio, nobis ſub bulla plumbea ſic præcipienti, prout in eis quas veſtris conſpectibus recognoſcendas tranſmittimus, plenius continetur. Ipſo vero SWEDERO de medio ſublato, procedentibuſque *prælatis & canonicis eccleſiarum Tra*jectenſium ad electionem illuſtris domini WALRANNI DE MOIRSA, aliis prælatis & canonicis in civitate Trajectenſi ſub umbra illius domini Rodulfi reſidentibus, manifeſte excommunicatis, & ad eligendum minus idoneis, poſtquam ſecundum ordinationes decretorum ſacri Baſileenſis concilii poſtulatio ſive electio de perſona domni WALRANNI legitime fuerat per dominum metropolitanum confirmata, ipſi domino poſtulato prædicto devote hucuſque paruimus & parèmus; impoſſibile exiſtimantes, quod attentis veſtrarum reverendarum paternitatum æquiſſimis præceptis, earumdemque juſtiſſimis & divino ſpiritu conditis decretis, tali homini umquam tamquam epiſcopo animarum noſtrarum obedire deberemus: *quippe qui tot millia animarum* laqueo ſuæ inobedientiæ ac peſtiferæ rebellionis tanto

(a) Ejus prudentiam ſupra laudabat Philippus dux Burgundiæ in epiſtola data ad concilium 13. Januarii 1433.

tempore continuatæ damnabiliter peremit & perimit in dies. Sed potius eligere cupientes perpetuo exſulare, quam tali taliter obedire & flectere genua ante Baal. Quid enim *inſolentius*, quidve *indignius* in eccleſia eſſe poteſt, quam ut ſibi ipſi homo talis eccleſiaſticam vindicet dignitatem feritate armorum & violentiis multis contra duorum *ſummorum pontificum primo*, & demum contra generalis ſacri concilii auctoritatem? Quid jam *ſpirituali* gladio, quid cenſuris eccleſiaſticis, quid Chriſtianæ legi & diſciplinæ, quid reverentiæ ſacerdotali, quid denique divino timori relinqueretur, ſi non æquiſſima veſtrarum paternitatum ſententia tot malis debitum finem imponeret? Quamobrem reverendiſſimi metuendiſſimique patres & viri percelebres, qui poſiti eſtis regere eccleſiam Dei catholicam, quam acquiſivit ſanguine ſuo; vera utique mundi lumina, *judices orbis* ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad *alligandos reges in compedibus*, & nobiles in manicis ferreis, ad faciendum judicium *conſcriptum*; quorum certe judicium ramquam non hominum, ſed Dei, totus mundus anhelo ſpiritu deſideranter expectat. Expectamus & nos humiles ſervuli V. R. P. una cum multarum millium animarum ſubjectis populis.

Dignentur itaque digniſſimæ veſtræ dominationes antichriſtianæ huic perſecutioni tortuoſiſſimiſque errorum nexibus quibus premimur, juſtum ac celerem finem imponere, totique populo Chriſtiano inobedientium ac rebellium errorem peſtiferum cum correctione debita. Obedientium vero virtutem ac fidem e vicino cum præmio & honore condigno declarare, quatenus in ſimilibus eventibus hujus rei exemplo ſinguli Chriſti fideles ad veram & firmam obedientiam animentur, ceterique ad rebellionem cito parati terreantur, ut ſic conſulatur eccleſiæ, ſaluſque verorum fidelium per V. R. P. procuranda transfundatur in poſteros, ut cognoſcat generatio altera non ſolum quid a rebellibus iſtis temere fuerit præſumtum, ſed etiam qualiter auctoritate ſacri concilii fuerit juſte punitum; alioquin ſi conniventibus oculis pertranſeatur, ſerpatque hoc venenum ulterius, & non ſequatur antidotum, abſque dubio multas animas Chriſti ſanguine redemtas habebunt perimere, peribitque de populo noſtro jus, fas, lex, decus & honor eccleſiarum, libertas quoque & cenſuræ earumdem irrecuperabiliter deſtruentur, quod avertere dignetur & velit Dominus Jesus Christus ſponſus eccleſiæ, ſuo Sancto Spiritu a veſtro celeberrimo cœtu, ipſumque dirigere ad illa ſacra opera feliciter conſummanda, quæ eodem Spiritu agente glorioſe incœpiſtis; qui olim Simonem non ad alta tendere prohibuit, ſed in alto jam lo- A catum glorioſius dejecit, Ananiamque & Saphiram ſe decipere volentes, ad aliorum terrorem juſte proſtravit. Scriptum anno Domini MCCCCXXXIV. menſis Novembris die IV.

Humillimi & indigni proviſores ac decani foranei in juriſdictione ſpiritali Walatriæ, Scaldiæ, Suitphruclandiæ, Suithollandiæ, Boeriæ, Putæ, Strelandiæ, Delflandriæ, Rimlandiæ, Kevenarum & Amſtrelandiæ, comitatuum Hollandiæ & Zelandiæ ac Valvæ, ducatus Gelriæ diœceſis Trajectenſis V. P. R. devoti ſervuli.

EPISTOLA JOHANNIS ducis Britanniæ, ad concilium Baſileenſe.

Scribit in gratiam Guillelmi abbatis Belli-loci, electi Maclovienſis.

SAcroſanctæ ſynodo Baſileenſi in Spiritu- Anno 1434. 5. Novemb. Ex mſ. dom. ſancto legitime congregatæ, orthodoxam & univerſalem eccleſiam repræſentanti. *eccleſiaſt.*

Reverendiſſimi atque reverendi patres, & amici ſpecialiſſimi, cordiali recommendatione præmiſſa. R. P. V. innoteſcat, quod dudum eccleſia Maclovienſis paſtoris ſolatio deſtituta, per recolendæ memoriæ domini (a) G. cardinalis de Monte-forti obitum, eccleſiam ipſam, dum vivebat, obtinentis, decanus & canonici ipſius utilitatem & bonum univerſale præcipuæ patriæ meæ penſantes, civitatiſque Maclovienſis, quæ in extremitatibus mei ducatus, in maris inſula verſus Angliæ & Normanniæ partes circumſepta noſcitur, in qua variarum conditionum gentes per maris & terræ ſemitas affluunt, quam decurſis temporibus ipſius diœceſis nobiles, aliive ejuſdem vicini ab inimicis & pyratis, in dictæ eccleſiæ prælatorum favorem, qui de nobili genere germinarunt, ſæpiſſime defendere conſuevere, ſine quibus accommode aliter defendi non valuiſſet; & ſi contingeret eam ab inimicis occupari, quod abſit, inde totius mei ducatus conſequi poſſet perditio, guerrarum hoſtilitatibus, quæ diu partibus in illis viguerunt, obviare, periculis etiam, quæ ex defectu tuitionis civitatis memoratæ inſequi formidabant, pro parte ſua providere cupientes; certificati de moribus, ſcientia, probitate, & legalitate dilectiſſimi & fideliſſimi conſiliarii mei ac eleemoſynarii G. abbatis monaſterii B. Mariæ de Belloloco Maclovienſis diœceſis, eccleſiæ prædictæ filii & ipſi immediate ſubjecti, qui de nobilioribus & potentioribus totius diœceſis & locorum inde proximorum exiſtit, & omnium baronum dictæ diœceſis, & aliorum ducatus mei nobilium conſanguineus, ipſum electum in eccleſiæ prædictæ paſtorem elegerunt, & ipſius electionem inde ſanctiſſimo [4]

(a) Guillelmi de Monte-forti cardinalis, qui Romæ rediens obiit Senis in Hetruria 27. Septembris 1432.

domino noſtro papæ moderno præſentari fecerunt, qui ipſa *nullatenus exſpectata*, de eadem, prout ſibi placuit, contra juris communis & ſacrorum conciliorum ſtatuta diſpoſuit. Denuo eccleſia præfata per bonæ memoriæ (a) A. præſulis obitum paſtoris ſolatio orbata, ad eccleſiam ipſam fuit iterato concorditer electus, & veluti Aaron bis, ut veriſimiliter ſperatur, a Deo vocatus. nec minus præfatus dominus noſter ſimili modo, electione minime *exſpectata*, neque *trutinata*, de eadem providit, dictum electum a jure ſibi quæſito, ante proviſionem aliter factam lædendo; quod rationi conſentaneum non inſpicitur, quin immo etiam unicuique aſpertimum audire proditur, veſtri decreti nervum prorſus ſupprimendo. Et ideo quod decretum non fovet, ridiculum foret a quoquam foveri, nec patiar, præſertim cum dicta civitas ſit *clavis totius mei ducatus*, & indigeat homine opere & ſermone potente, & nobilibus conſœderato. Eapropter, reverendiſſimi reverendique patres, affectuoſe, quantum poſſum, V. R. exoro paternitates, quatenus decretum prout decet exſequendo, electionem prædictam confirmare dignentur. Nam alias læderentur eccleſiarum capitula, ſi ſuæ non valerent electiones, fruſtraque conderentur decreta, ſi non inveniretur qui ea tuerentur, eſſetque fabricandi materia totius deſolationis electorum, & lites generare peſtiferas, ſuadereque eccleſiarum invaſiones pariter & mortes inter electos, & per ſummum pontificem taliter præficiendos. ad quæ concilium in Spiritu-ſancto congregatum pro tam præmiſſorum, quam rerum aliarum exorbitantium reformatione, excuſſo negligentiæ ſomno, extemplo advertere circumſtrepitur. Reverendiſſimi atque reverendi patres, ſi quæ ſint V. R. P. grata, mihi curetis intimare, & ea poſſe tenus adimplebo, favente ſacro Pneumate, qui E. V. P. in felici proſperitate conſervet & dirigat in agendis. Scriptum in villa mea Veneti die v. Novembris.

[a]

Humilis & devotus eccleſiæ ſanctæ filius dux Britanniæ.

JEHAN, propria manu.

SEQUUNTUR AVISAMENTA

dominorum deputatorum in facto pecuniarum reperiendarum pro adventu Græcorum ad hoc ſacrum generale concilium Baſileenſe, &c.

Remſ. Aquil. Pictav.

1 IN primis, quod hæc ſacroſancto ſynodus ſcribat dominis epiſcopis & capitulis, aliis quoque prælatis & eccleſiis, ac ſæcularibus principibus Chriſtianis, eorum ſubſidium implorando, quatenus ſcilicet ad hoc ſanctiſſimum opus habeant contribuere, etiam cum largiſſimis oblationibus & donis.

2. Item, quod *fiant & concedantur* indulgentiæ ex parte & auctoritate hujus ſacroſanctæ ſynodi generalis & ſanctiſſimi domini noſtri papæ, contribuentibus ad iſtud ſanctiſſimum opus plenariæ, ſicuti conceduntur pro paſſagio Terræ-ſanctæ, & etiam contribuentibus ad reparationem eccleſiarum, pontium & aliorum operum, cum in hoc ſanctiſſimo opere jaceat lucrum quaſi inæſtimabilium *animarum*; & *aviſetur de modo congruo* levationis & receptionis pecuniarum hujuſmodi ſubventionis, ne ipſas pecunias in levatione & receptione contingat diminui.

3. Item, fiat exacta diligentia, etiam cum monitorio debito, tam in genere, quam in ſpecie & particulari, ſuper recuperatione pecuniarum alias levatarum .... pro opere reductionis Bohemorum, tam per dominos eccleſiaſticos *quam* ſæculares *in quibuſcumque* mundi partibus; & moneantur omnes & ſinguli cujuſcumque conditionis exiſtant, quatenus loca & perſonas in quibus & penes quas hujuſmodi pecunias noverint conſiſtere aut manere, habeant his qui ſuper hoc deputabuntur fideliter revelare.

4. Item, ſi aliquæ perſonæ eccleſiaſticæ vel ſæculares, vel collegia, aut conventus *cujuſcumque ſtatus, dignitatis, aut religionis* exiſtant, teneant res quaſcumque, quas conſcientiis eorum non videntur de jure poſſe licite tenere, vel quæ de jure deberent exponi ad pias cauſas per eccleſiam; quod domini deputati poſſint committere duobus vel tribus, quatenus prædictas res, ubicumque fuerint, faciant vendi, & pretium committi ad iſtam piam cauſam.

5. Item, quod *deputentur* a ſacro concilio aliqui exſecutores, qui habeant componere cum uſurariis ſuper uſuris incertis, quatenus illæ uſuræ ad hoc ſanctum opus applicentur, & cum quibuſcumque aliis qui illicite aliquid detinent vel alienum, & non extat perſona certa cui eſſet reſtitutio facienda. Similiter etiam ſuper incertis legatis ad pias cauſas.

6. Item, advertendum eſt de diſpenſatione ttium principalium votorum, peregrinationis ſcilicet ad ſanctum ſepulcrum, ſanctum Petrum, S. Jacobum, & aliorum etiam, matrimoniorumque principum & aliorum.

7. Item, ſi qui ex dignitatibus, beneficiis, vel officiis ſimoniace vel qualitercumque acquiſitis fructus quoſcumque & ex quacumque cauſa indebite perceperunt, ſolvendo *medietatem unius anni ad hoc opus*, intelligantur liberati de reſiduo quod perceperunt.

8. Item, diſpenſetur cum illis, qui alias arma ſeu alia de jure prohibita portaverunt ad terras infidelium, ſi manus ſuas ad expenſas Græcorum præfatas porrexerint adjutrices.

(a) Amalrici *de la Motte* antea epiſcopi Venetenſis, defuncti 1434.

9. Item, attendendum eſt de prælatis, qui ad hoc ſacrum generale concilium vocati non venerunt, nec miſerunt, & præcipue de his qui a ſubditis pro huc accedendo pecunias acceperunt, & venire neglexerunt.

10. Item, quod domini vicarii, civitates quoque, & terræ eccleſiæ habeant in iſto ſancto opere præſtare ſubſidium.

*f. collegium. 11. Item, quod ſacrum concilium *reverendiſſimorum dominorum cardinalium faciat in præmiſſis ſuum poſſe.

12. Item, habeatur recurſus ad reverendiſſimum dominum cardinalem Angliæ, quatenus nunc pro hoc ſanctiſſimo inſtanti opere velit, vel dono, vel mutuo concurrere ſuper ſemidecimam vel aliis juribus univerſalis eccleſiæ, vel ratione; & ſuper hoc habeatur tractatus cum reverendo patre domino epiſcopo Londonienſi, & aliis dominis ambaſſiatoribus regni Angliæ.

13. Item, advertatur de pecuniis debitis in regno Portugalliæ, &c.

14. Item, quod reperiatur modus aliquis, per quem etiam Judæi ad hoc tam pium opus contribuant.

15. Item, quod videatur de teſtamentis, & præcipue prælatorum, qui in hoc ſacro concilio deceſſerunt.

16. Item, videtur quod inſtanti expeditione ambaſſiatorum ad Græciam, quod committatur deputatis, ut componant ſuper ſemidecimam cum illo principe vel prælatis ſuæ ditionis, de quo alias fuit facta mentio in ſacris deputationibus.

17. Item, requiratur ſereniſſimus princeps dominus rex Poloniæ pro pecuniis ſuper ſemidecima & aliis juribus eccleſiæ mutuandis.

18. Item, requiratur ſereniſſimus dominus rex Aragonum, quatenus commodet galeas munitas.

19. Item, requiratur domina regina Siciliæ, quatenus etiam galeas munitas commodet, & præſtet ſubſidium ſaltim de his in quibus tenetur eccleſiæ.

20. Item, requiratur illuſtris dominus FREDERICUS dux Auſtriæ, quatenus velit aliquod ſubſidium facere, aut ſaltem mutuare.

21. Item, requirantur domini Veneti quatenus dent modum in civitate Conſtantinopolitana, quod caſu quo ſereniſſimus imperator Romeorum & alii domini Conſtantinopolitani ad hoc ſacrum concilium venirent, & infideles attentarent ipſam civitatem Conſtantinopolitanam invadere, reperiantur ibidem decem millia florenorum auri de camera pro illius civitatis defenſione, & detur de hujuſmodi decem millium florenorum, in caſum & eventum quod præmiſſa exponantur, eiſdem dominis Venetis per eccleſiam debita ſecuritas.

22. Item, practicetur cum dictis dominis Venetis, quod mutuent eccleſiæ duas galeas munitas pro dominis Græcis conducendis.

23. Item, petantur galeæ commodatæ a Januenſibus, & ſuper hoc requiratur illuſtris dominus Mediolanenſis.

24. Item, requiratur communitas Florentina, quatenus etiam impendat caritativum ſubſidium, & mutuet ſuper ſemidecima & aliis juribus eccleſiæ in ſuis territoriis debitis.

25. Item, ſimiliter communitas Senarum, & præcipue adminiſtratores hoſpitalis Scalæ ejuſdem civitatis.

26. Item, requiratur magnus magiſter Pruſſiæ, ut etiam det aut mutuet pecunias ſuper præmiſſis.

27. Item, ad idem requiratur magnus magiſter S. Johannis Jeroſolymitani, quatenus habeat tradere duas galeas munitas pro cuſtodia civitatis Conſtantinopolitanæ.

28. Item, etiam detur modus quod magiſtri S. Jacobi de *Calciana & de Alcantara contribuant etiam & mutuent. Similiter illi militares de Montoſia, & ſi qui alii ſunt in Chriſtianitate religioſi militares. *f. Calatra.

29. Item, de domino epiſcopo Taurinenſi ſuper mutuo.

30. Item, videatur ſi aliquid de ſemidecima jam impoſita nunc haberi poſſit.

31. Item, placeat ſacris deputationibus ſuper prædictis celeriter deliberare, & committere executionem prædictorum modorum dominis deputatis, qui coſidem modos excogitaverunt, vel aliis, prout ſacris deputationibus videbitur expedire.

BULLA DOMINI NOSTRI PAPÆ de aſſenſu præſtito in materia Græcorum.

EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus, & dilectis filiis in ſacro Baſileenſi concilio congregatis, S. & A. B. Anno 1434. 15. Nov. Ex mſ. Aquicinctenſi.

Exiſtimantes olim, etiam dum eramus in minoribus conſtituti, quantum eſſet grata & accepta Deo noſtro reductio omnium noſtrûm, qui ſub nomine Chriſtiano cenſentur, ad unum ovile & unicum paſtorem, ut vera fides in omnibus eluceret ſemper & verbo & opere, juxta poſſibilitatem noſtræ infirmitatis egimus, ut Græci ad unitatem Romanæ atque catholicæ eccleſiæ reducerentur. Itaque ante annos plurimos rem hanc multa cum diligentia promovere curavimus, inter cetera quantum in nobis fuit apud felicis recordationis MARTINUM papam V. prædeceſſorem noſtrum operam dedimus, ut oratores ſuos ad cariſſimum filium noſtrum Romeorum imperatorem & epiſcoporum Græcorum patriarcham Conſtantinopolim deſtinaret; qui cum diverſos ſuos oratores ad ipſum prædeceſſorem miſiſſent,

fissent, continuata cura solliciti fuimus, ut res ipsa finem optatum sortiretur. Denuo post assumtionem *nostram* ad summi apostolatus apicem, eadem renovantes, ut alia prætereamus, anno præterito cum oratoribus præfatorum *imperatoris & patriarchæ*, qui Romam ad nos venerunt, una cum venerabilibus fratribus nostris, assistente etiam carissimo *in Christo filio* SIGISMUNDO Romanorum imperatore semper augusto, multa practicavimus. Cumque hi oratores in hoc viderentur persistere, *ut in* civitate Anchona prælati & alii in numero copioso ex utraque ecclesia convenirent, inter quos & præfatus Romeorum *imperator* adesset; & nos cognosceremus rem hanc, prout petebatur, expensas maximas & difficultates inextricabiles parere, & forsitan *sine* fructu aliquo; pro tunc cum eis nihil concluſimus, sed ad præfatos imperatorem & patriarcham aliquem mittere *deliberavimus*, qui negotium hujusmodi cum ipsis plene tractaret, & super eo finale responsum ipsorum imperatorum & patriarchæ, ac aliorum suorum intelligeret. Misimus itaque mense Julio anni præteriti dilectum filium magistrum Christophorum *Garatorium secretarium* nostrum, græcæ linguæ peritum: qui post multos sermones cum præfatis imperatore & patriarcha ac *multis aliis ex Græcorum* majoribus habitos, tandem comperit ipsos omnes id eligere, ut legatus sedis apostolicæ cum prælatis *& aliis ex nostris* doctissimis viris ad urbem Constantinopolim transmittatur, ubi & prælati & alii majores ex ipsis Græcis una *cum præfatis imperatore* & patriarcha parimodo conveniant; ibique per viam disputationis, sicuti & alias in sexta synodo factum *fuit*, *veritate* patefacta, utraque ecclesia optatum unionis & pacis consequatur effectum. Sic tam ex ipso Christophoro, quam ex litteris *imperatoris* & patriarchæ prædictorum id continentibus plane percepimus. Quodque magis est, carissimus in Christo filius *imperator* Trapezuntis & plurimi ei adhærentes, in hoc etiam pari voto conveniunt. Quæ cum per præfatum Christophorum ad *nos revertentem* delata essent, parato animo acceptavimus. Nam & id plurimum optabamus, quoniam per hunc modum de ipsa *unione* & concordia bona spes redditur, & multo minori impensa, & quæ tolerabilis sit, opus erit. Accedit ad hoc quod patriarcha Armeniorum, veluti per litteras certas nobis constitit, eo tempore etiam Constantinopolim venturus sit, & in hanc rem pariter consensurus, sicut in Domino bene speramus. Propterea mense Julii præterito ipsum Christophorum Constantinopolim iterum destinavimus cum nonnullis capitulis, quæ menti utriusque partis plane satisfacere videntur; ipsique injunximus, ut secundum ipsorum tenorem cum imperatore & patriarcha ac aliis supradictis omnino concludat: super quo sibi plenum mandatum dedimus, quod pro Dei miseratione amodo factum esse existimamus. Horum siquidem capitulorum copiam dudum per nostros præsidentes ad vos deferri jussimus. Post hæc vero dilectus filius Simon *Ererus* nuncius vester, cum vestris litteris concluſa quædam inter vos & oratores ipsorum imperatoris & patriarchæ continentibus, ad nos venit: quæ legimus diligenter, vestramque affectionem circa tam pium opus in Domino commendavimus. Verum hoc paulum admirari cogimur, quod in re tanta & tam gravi, tamque diu desiderata & a nobis tractata, aliud per vos concluſum sit, non solum nobis inconsultis, verum etiam irrequisitis & insciis; præsertim cum ea sint concluſa & promissa quæ ex pluribus catisis non tantum difficilia, sed etiam impossibilia multis esse videantur; & quæ non spem rei conficiendæ, sed desperationem potius afferant menti nostræ. Affectionem tamen vestram, ut præmisimus, meritis laudibus commendamus: ex quibus fit, ut ad eam rem diligentius animadvertendum esse videatur. A vobis namque uno modo concluſum est, orator noster forsan & verisimiliter alio modo concluſit. Quid si uno tempore de eadem re duæ variæ & diversæ fiant concluſiones? Profecto ridiculum erit, & quod magis est, forte ex hac dissentione scandalum parituram, saltem non parvum dedecus nobis omnibus allaturum. Quid præterea, si juxta modum concluſionis vestræ ad eam unionem pertingere, veluti expertissimi viri autumant, impossibile esse contingat, nonne ad pudorem & confusionem cedet totius catholicæ militantis ecclesiæ? quæ ne accidant summopere cavendum est. Illa igitur media nobis & venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus eligenda videntur, quæ breviora atque expedientiora sunt, & ad ejus sanctissimæ unionis finem consequendum magis verisimilia. Hæc non ad obviandum rebus per vos gestis scribimus, cum & ad eumdem finem quem vos optatis nostra tendit intentio; & idcirco nostra parum referat, qua via aut quo medio is finis sequatur. Sed hæc ad pleniorem informationem vestram; verumtamen ut nostram sinceram & puram voluntatem plane prospiciatis, si omissis quæ supra diximus, per eum modum, quo cum præfatis oratoribus concluſistis, rem ipsam tandem prosequi intenditis, ex nunc pure & libere nostrum, prout petitis, præbemus assensum. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIV. XVII. calendas Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

LITTERA DOMINI CARDINALIS de Urſinis, ſuper materia Græcorum.

Anno 1434. 16. Nov. *Ex mſ. Aquicinct.*

REverendiſſimis reverendiſque patribus dominis cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, doctoribus & magiſtris in ſacro generali Baſileenſi concilio congregatis, *dominis noſtris* præſtantiſſimis.

Reverendiſſimi reverendique patres &c. poſt recommendationem. Et litteras veſtras cum deſiderio magno legi, & lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi per virum utique venerandum magiſtrum Simonem oratorem veſtrum. Nam quid poſſit eſſe deſideratius, quid optabilius omni Chriſtiano, quam audire atque ſperare *reductionem* orientalis eccleſiæ, quæ tot jam annorum curriculis ab integritate catholicæ fidei deviavit? O rem ſanctiſſimam! *ô factum* omni commendatione dignum! ô denique piiſſimum opus, atque a patribus noſtris per tot ſæcula expectatum! Profecto multi reges & præſides voluerunt videre quæ nos videmus, & non potuerunt. Sed quis dabit mihi ut videam fratres meos *ſugentes ubera matris meæ*? Utinam videam hoc antequam moriar! Sed benedicti vos a domino Deo noſtro, qui ita fideliter ac attente laboratis in vinea Domini ſabaoth, ut vulpeculas demolientes vineam capiatis oratione atque doctrina: qui propterea congregati eſtis, ut diſperſos filios ad gremium communis matris noſtræ eccleſiæ revocetis. Vere a Domino factum eſt iſtud, & eſt *mirabile* in oculis noſtris. Quod ſi opera ac diligentia veſtra, qui portatis pondus diei & æſtus, oves illæ deperditæ, populus ille Græcorum ad ovile Dominicum revertentur, plane verſum illum evangelicum decantabimus, *Mortuus erat & revixit, perierat & inventus eſt.* Cererum orator veſter, homo ſine dubitatione honorandus, & prudenter perfecit legationem, & benigne a domino noſtro papa extitit auditus. Verum intellecto jam pridem adventu dominorum meorum cardinalium S. Crucis & S. Petri, viſum perutile fuit nobis eorum prius præſentiam expectare, quam veſtrum ad vos remittere oratorem. Sed quemadmodum tam ex ejus relatione, quam ex litteris apoſtolicis intueri poteſtis, dominus noſter papa cum maximo religionis favore aſſenſum præbuit ſanctiſſimæ voluntati veſtræ. Neque ullis ego poſſem litteris explicare, quantum cepit gaudium beatitudo ſua atque omnis Jeroſolyma cum eo, quia talentum dominicum vobis creditum non abſcondiſtis in terram ligatum in ſudario, ſed ſatagitis cum uſura univerſorum Domino reſignare. Sed quid mirum eſt, ſi veſtrum ſanctiſſimum propoſitum dominus noſter papa litteris ſuis adjuvat, qui humeris, ſi poſſet propriis, oves illas perditas ad ovile catholicum reportaret, boni Paſtoris ſecutus exemplum, cujus ipſe vicem gerit, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis. Vos igitur, optimi patres, qui poſiti eſtis dare pacem gentibus & illuminare populum Domini, pergite ſicut cœpiſtis ad perficiendum tam pium, tamque religioſum negotium, quo nullum majus neque melius excogitari poteſt. Rogate quæ ad pacem ſunt Jeruſalem, atque laborate quantum cum Dei adjutorio poteſtis, qui non derelinquit ſperantes in ſe; ut græcas illas oves jam diu errantes, aliquando reducatis domum, ut tandem unum fiat ovile, quandoquidem unus eſt paſtor. Ego vero ejuſdem matris filius, ſi qua poſſum vel dicere vel facere pro univerſalis eccleſiæ pace, pro Chriſtianorum ſalute, pro domini noſtri papæ honore, numquam laborem ullum, numquam periculum recuſabo. Valete in domino Deo omnipotenti, qui mittat vobis auxilium de Sancto & de Sion tueatur vos. Ex Florentia ad diem XVI. Novembris.

Veſtrarum paternitatum ſervitor humilis JORDANUS DE URSINIS epiſcopus Sabinenſis S. R. E. cardinalis.

LITTERA QUORUMDAM canonicorum Albienſium directa ſacro concilio, contra electum ejuſdem eccleſiæ, &c.

SAcroſanctæ ſynodo Baſileenſi in Spiritu-ſancto congregatæ univerſalem eccleſiam repræſentanti. Anno 1434. 16. Novemb. *Ex mſ. Aquicinct.*

Reverendiſſimi in Chriſto patres & domini noſtri metuendiſſimi, ſacroſanctam ſynodum in Spiritu-ſancto Baſileæ congregatam repræſentantes, humillima ac devota recommendatione præmiſſa. Cum navis eccleſiæ Albienſis diverſorum temporum curriculis, variis fuerit æmulorum inſultibus agitata, & quaſi, proh dolor! nunc in præcipitium demergatur, tam priſcorum paſtorum impotentia, quam eorum improvida taciturnitate, qui ſervili timore perterriti, luporum morſus formidantes, nitidiori eccleſiæ calumniam inferentibus obviare, dominorumque temporalium audaciam compeſcere non auſi ſunt; prope jam ut, niſi divina virtute provideatur, fileatica inglu-vie brevi eam fore demergendam formidamus. Idcirco præfatæ eccleſiæ utilitatem attendentes & jacturam, ad vos, reverendiſſimi patres, in quorum anchora noſtræ ſpei fiduciam præfigimus, tamquam ad ſingulare refugium noſtrum, & juſtæ rectitudinis ſtateram confugimus, ea qua poſſumus humilitate ſupplicando, quatenus inſtanti ſi non provideritis, eccleſiæ noſtræ ruinæ ac deſo-

lationi compatientes, de tali nobis dignemini providere paſtore, qui æmulorum eccleſiæ niſibus rabidiſque tyrannorum morſibus contraire ſimul & ſerpentis antiquum venenum peſtiferum, quod jam per totam quaſi dioceſim Albienſem diffuſum, populum fere cunctum potionibus diſſentionis ac lethalis diviſionis intoxicavit, propellere audeat pariter & valeat. Et quoniam reverendus pater dominus ROBERTUS DALPHINI, qui de regio Francorum genere oriundus, ac illuſtriſſimi principis KAROLI BORBONII & Arverniæ ducis exiſtit, talis eſt adeoque potens, & tanta tamque egregia virtute præditus, ut ſub ejus clypeo eccleſiæ præfatæ juriſdictionem & libertates valido vigore defendi, oppreſſamque relevari merito ſperare debeamus. Iterum cum præmiſſa ſemper qua poſſumus humilitate ſupplicamus V. R. P. ut quemadmodum dominus noſter ſummus pontifex, ubi tamquam nullam cujuſdam *de Caſſillac* electionem juſte caſſavit, divino, ut credimus ſuggerente conſilio, de perſona nobis præfati reverendi patris domini ROBERTI DALPHINI pro paſtore providere dignatus eſt: ita quoque & vos eccleſiæ ſæpedictæ deſolationem necnon miſerabilem & irreparabilem, quam præſens hæc tempeſtas ei minatur, jacturam miſericorditer intuentes, ipſum itidem nobis talem hunc virum dignemini concedere in paſtorem. Et quamvis, reverendiſſimi patres, nonnullos nuperrime acceperimus de noſtri collegii numero ad ſacroſanctam Baſileenſem ſynodum, (*vos* ipſos loquimur R. P.) *ex parte totius collegii prædicti* litteras deſtinaſſe *ſuper* prætenſæ ante dicti *de Caſſillac*, quæ nulla fuit, confirmatione electionis, prætenſique ipſius mira recommendatione: de mente tamen præfati collegii, quocumque ſint hujuſmodi litteræ nomine commentatæ, numquam proceſſerunt, ſed temeraria atque affectata timis paucorum inſolentia; qui quatenus utcumque vota aſſequerentur, nihil ſunt veriti, quæ collegii non erant, collegio aſcribere, & falſo pro vero titulo fucata, veſtris coram reverendiſſimis paternitatibus præſentare. Qua autem audacia, immo potius dementia ac temeritate, ut de prædictis taceamus, præſumſerint, qui dicuntur prædictæ Albienſis eccleſiæ, ſi prætenſi hujuſmodi fides ea comitatur, utilitatem ſuadere, virtuteſque, ſanctitatem ac innumeras bonas artes ipſius fingere, & ad cœlum uſque extollere: quem tamen ſæpedictæ bonorum dilapidatorem atque plane alienatorem, & illi ipſi certius ſciunt & nullum latet, qui illum noverit, ſatis mirari non valemus. Quia vero, reverendiſſimi patres, o pudibunda conditio & cæca atque ambitioſa præſidendi cupido! prætenſus noſter, tam enim ſitienti pectore pontificales ardebat honores, litteras preciis præcariſſimis & precibus ex circumvicinis communitatibus emit: quæ veſtris coram paternitatibus prædicantes, devotionem, caritatem, & pias ejus in pauperes eleemoſynas jactarent. hoc unum de hac ipſa ſua miranda devotione duximus exponendum, quod ſpiritus, qui ubi vult ſpirat, illam tunc, & non ante ejus cordi ſpiravit devotionem, *poſt*quam bonæ memoriæ dominum PETRUM NEPOTIS, *noviſſimum noſtrum paſtorem, mors ipſa vita* privavit, & antea uſque duravit & non ultra hujuſmodi devotio; donec ipſam talem qualem quæ dicta eſt electionem adeptus eſt. Et tunc, ſicut propter electionem habendam cœpit iſta devotio, ita quoque ea adepta ceſſavit: nec tandem verum eſſe quæſumus in mentes cadat V. R. P. quod commentatores iſti tam inverecunde fabricarunt, præfatum *de Caſſillac* per majorem fuiſſe capituli partem electum, quoniam de univerſo, qui tredecim erant, *ipſa* die electionis *canonicorum numero, niſi quinque, quorum etiam quatuor voces habere prohibebantur*, nulli illum *de Caſſillac* elegerunt. quæ omnia etſi clara ſint, & in partibus in ore jam omni populo, ut ea tamen V. R. P. clarius vera eſſe conſtet, nos noſtra fratrumque noſtrorum, qui præſentium ſcripturæ conſenſerunt, nomina præſentibus ſubſcripſimus ordinate. Supplicantes humillime & cum intima cordis devotione, ut præſentibus tamquam veriſſimis fidem adhibentes prædictam humillimam ſupplicationem noſtram habere *dignemini recommiſſam*, & Altiſſimum ipſi devotius rogabimus per dies noſtros pro feliciſſimo R. V. P. ſtatu, quas ille conſervare dignetur feliciter & longæve. Scriptum Albiæ XVI. Novembris.

Sacroſanctæ eccleſiæ devoti filii & V. R. P. oratores humillimi, Johannes de Geyo, Raimundus de Balma, Hugo David, Marcus de Fumello, Hugo *de Choulaquet*, Petrus *d'Anglars*, Petrus *Bechebion*, Johannes *Banes*, Petrus *Scay* eccleſiæ Albienſis canonici.

EPISTOLA CAROLI VII. regis Francorum ad concilium Baſileenſe.

Scribit in gratiam Roberti Dalphini tranſlati per papam ad Albienſem epiſcopatum.

SAcroſanctæ ſynodo Baſileenſi in Spiritu-ſancto congregatæ KAROLUS Dei gratia Francorum rex, ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus. Anno 1434. 24 Novemb. Ex mſ. Aquitaniæ.

Cum ſanctiſſimus pater noſter papa modernus dilectum & fidelem conſanguineum noſtrum ROBERTUM DALPHINI, tunc epiſcopum Carnotenſem, ad eccleſiam tranſtulerit Albienſem, tam intuitu meritorum, quibus novit ipſius noſtri conſanguinei perſonam adornari, quam ad requeſtam noſtram, noſtrique contemplatione: de qua quidem tran-

flatione prædictus noſter conſanguineus nos A per bullas ipſius ſummi pontificis informavit, & conſtare fecit : quarum virtute, ut moris eſt, recepimus ſacramentum fidelitatis, ad quod nobis tenetur ratione temporalitatis ſui prædicti Albienſis epiſcopatus, & eidem poſtmodum noſtras contulimus regias litteras ſuper hoc neceſſarias & opportunas ; feceritque inſuper ipſe Albienſis epiſcopus per certos ſuos officiarios ad hoc expreſſe per ipſum deputatos, bullas apoſtolicas capitulo & habitantibus ipſius Albienſis civitatis præſentari, requirentes admitti ad epiſcopatum ipſum & paſtorale officium exer- B cendum : quod ſibi fuit denegatum per dictum capitulum, prætextu cujuſdam electionis in diſcordia, ut fertur, factæ de perſona cujuſdam B. de Caſſilliaco ad obtinendum proviſionem : ſuper qua proviſione & contradictione ipſe noſter conſanguineus ſuos deſtinavit nuncios tam apud prædictum ſummum pontificem, quam nos. quam proviſionem ex noſtri parte eidem in forma juſtitiæ conceſſimus, ad informationes fiendas ſuper inobedientiis & rebellionibus contra noſtra mandata & litteras factis. Etiam ſibi providit ſæpedictus ſummus pontifex, ex C parte cujus de Caſſilliaco contra executores ipſius proviſionis tam ſummi pontificis quam noſtra, fuit via facti proceſſum, taliter & in tantum, quod per quoſdam complices ipſius de Caſſilliaco executor litterarum ſummi pontificis, captus fuit & carceribus mancipatus, prout adhuc eſt, in maximum dedecus eccleſiæ & vituperium ; & quidam noſter ſerviens executor litterarum dictæ proviſionis, interfectus, in noſtri contemtum & læſionem juſtitiæ : de cujus quidem ſervientis morte intendimus reparationem facere D fieri prout caſus exigit. Et quia noſtra intereſt ipſam Albienſem eccleſiam ſub manu potenti & nobis fida, prout eſt ipſe noſter conſanguineus, cujus factum habemus non immerito ſpecialiter recommiſſum, quia ex noſtri proceſſit genere, regi & gubernari ; vos toto cordis affectu requirimus, quatenus noſtri contemplatione factum & tranſlationem ipſius noſtri conſanguinei velitis habere ſpecialiter recommiſſam, impedimentum illud quod occaſione electionis ipſius de Caſſilliaco, aut alias in ſua prædicta tranſlatione foret appoſitum, penitus tollendo: E ut incumbentibus inconvenientibus, quæ ex prædictorum impedimentorum cauſa ſeu occaſione evenire poſſent, eccleſiæ & patriæ Albienſi occurratur, in præmiſſis debitum veſtrum exercentes, & nos ſingularem complacentiam facientes, prout vobis enarrare poterunt dilecti conſiliarii noſtri & ambaſſiatores noſtri parte, quibus ſuper his ſcripſimus, &c. Datum Pictavis die XXIV. Novembris.

KAROLUS.

EPISTOLA EPISCOPORUM provinciæ Narbonenſis ad concilium Baſileenſe.

Scribunt in gratiam tranſlati a ſede Apamienſi ad eccleſiam S. Pontii Tomeriarum.

Anno 1436. 24. Novemb. Ex inſ. Apudcat.

REverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, dominis in ſacro generali concilio Baſileenſi exiſtentibus, univerſalem eccleſiam repræſentantibus, dominis noſtris metuendiſſimis.

Reverendiſſimi in Chriſto patres & domini metuendiſſimi, humillima & devota recommendatione præmiſſa. attendentes, reverendiſſimi patres, quantum omnium interſit circa conſervationem tranquillitatemque publicæ rei intendere, qua *nihil utilius* fore majoribus *recta* exiſtimatione viſum eſt, *nobis ex ipſis movemur* (neque amplius noſtros affectus continere poſſumus) ad declarandum V. R. P. ea quæ forſitan ſibi uſquequaque nota non ſunt : quæ ſi prius animadverſiſſent, nullo pacto ambigimus, quin rerum damnanda novitas jam pridem ſepulta fuiſſet ; ſed cum nihil effici potuit, quod poſthac adhuc expleri non queat. Quippe ſi fero queramur, *non tamen omnis remedii ſpes in nobis moritur*. Novimus itaque, reverendiſſimi patres, multis ab annis eccleſiam S. Pontii Thomeriarum provinciæ Narbonenſis, apoſtolicæ ſedi multifarie reſervatam, per felicis & bonæ memoriæ dominorum tum cardinalis S. Marci, tum patriarchæ Alexandrini obitus, qui ipſius eccleſiæ adminiſtrationem tenuerunt in commendam, nuper reverendo *in Chriſto* patri & domino, domino G. tunc epiſcopo Apamiarum patri, quem quidem ampla litterarum cognitio, morum gravis honeſtas, clarique ingenuitas ſanguinis paſtorali cathedra dignum eſſe comprobant, a ſanctiſſimo domino noſtro ſummo pontifice motu proprio fuiſſe collatam : itaque ut ſingulis perquiſitis hujuſmodi de eo factam tranſlationem irrefragabilem opinemur, ſi potuit apoſtolica ſedes de ad eam ſpectantibus diſponere. Verum profecto comperimus, unde incolumitatis provinciæ bonique communis contemplatione graviſſime conturbamur, impedimenta quæ nonnulli (a) religioſi ipſius eccleſiæ, ſub cujuſdam prætenſæ electionis colore, in diſpoſitionem & voluntatem apoſtolicam injicere moliti ſunt, prout & quotidie opponere attentant : quæ certe æquioribus animis ferenda forent, niſi acrioribus detrimentis refetta eſſent, atque tolerabilius permittenda, ſi commoditati quæſitæ rei utilia viderentur. Si quæ, qualia, quantaque ſint [a]

(a) Quippe eccleſiam cathedralem obtinebant monachi Benedictini, etiam poſt erectam abbatiam a Johanne XXII. in epiſcopalem ſedem.

animadvertant V. R. P. circa apponenda matura remedia vigilare minime gravabuntur. Hi quippe, qui præfato reverendo patri adversari nituntur, ubi potuerunt, ubi pro tota facultate valuerunt, diversis ex generibus hominum armatos congesserunt, qui viis exquisitis & quibus potuere viribus, villas, castra & oppida præfatæ diocesis S. Pontii hostiliter ingressi sunt, pene vel nusquam restauranda, damnis partes afficiendo finitimas, indigenas etiam & incolas truculentis gladiis occidendo: quo quid impius, quidque remedio justitiæ dignius vestris cum sapientiis judicate, reverendissimi patres. Ibi quidem, ut breviter res gestas exponamus, ne magis accusatores infesti videamur, quam provisionis justitiæ zelatores, tanta furit immanitas, quod nisi succurrente justitia mitigetur, hæsitamus ne vindicem defensorem, qui vim vi repellat, & armis arma retundat, exurgere oporteat. Ut igitur diutissime insuetis & nimis atrocibus tyranniis non modo præfata S. Pontii, sed & nostræ diœceses ipsaque patria multis in modis affectæ liberentur, tranquillaque pax incolas fugitivos & peregrinos formidolosos contineat, faciat atque securos, pio intuitu dignentur V. R. P. remedia mandare oportuna: quoniam quidem nisi justitiæ virtus hujusmodi ausus temerarios mollificet, verisimiliter dubitamus, ne præfatus dominus episcopus, quem & sensu & consiliis, viribus & amicis, dominisque complurimis strenua & altissima vi valentibus, non minus validum & potentem, dum non amplius in perniciem sui totiusque provinciæ patientiam longiorem ferre poterit, valida virtute resistendo impugnet. quo mage verendum sit, ne dolor toti provinciæ acerbior accrescat: & jam fortasse ad ulteriora processissent, nisi sperata V. R. P. deberent præire antidota. Quæ enim difficultas rerum est, quam non putemus V. R. P. dissolvere posse? Omnia certe vestras penes sapientias sunt, quibus opportunitati regum consulendum est. His igitur rebus lassis & tristibus finem vestris providentiis imponite, & id causæ quod tractandum supereſt inter vestra altissima & rectissima judicia pia cura celeriter absolvite, ut sic diu quæsitus terminus justitiæ appareat. In hoc etenim, reverendissimi patres in Christo & domini metuendissimi, aggravatæ provinciæ & desolatæ ecclesiæ maxima in parte succurrent V. R. P. ad quarum jussa & beneplacita exequenda, pro tota hominis facultate nos præsto paratos sincera devotione offerimus; quas Altissimus felices, prosperas & iongævas ad sanctissima cœpta perficienda dirigere & conservare dignetur. Ex Narbona *(a)* xxvi. mensis Novembris.

A Jacobus de Gaudiaco vicarius Narbonensis.
G. episcopus Carcassonensis.
P. episcopus Electensis.
G. episcopus Biterrensis.
Jo. episcopus Agathensis.
L. Nemausensis episcopus.
P. episcopus Lodovensis.
Jo. de Grangia vicarius Magalonensis.
G. vicarius Uticensis.

PETITIONES SERENISSIMI

B *domini imperatoris nuperrime . . . . . congregationem ad deliberationem sacrarum deputationum destinatæ sequuntur.*

Anno 1434. 4. Decemb. Ex ms. Autoinit.

PRimo serenissimus dominus imperator a V. R. P. instantissime petit, quatenus sic agatur, ut particularibus negotiis prætermissis, quæ hoc sacrum concilium jam plurimis annis tenuerunt occupatum, ad generalem tam in capite quam in membris reformationem, pro Dei reverentia amodo sine ulteriori dispendio & mora in hoc sacro concilio procedatur.

2. Item, ut provideatur ne dissolutio sacri *concilii* vel etiam ipsius loci translatio, C etiam propter Græcos, quovis modo admittatur, nisi ea propter quæ concilium ipsum est congregatum fuerint convenienter prius expedita. Hujus enim concilii dissolutio totius status ecclesiastici erit destructio, nisi hujusmodi dissolutionem præcedat morum reformatio.

3. Item, ut sanctissimus dominus noster papa, qui omnia quæ sacrum concilium voluerat fecit obedienter & devote, *in cunctis* plus solito veneretur; & quod summa diligentia fiat, etiam cum censuris ecclesiasticis, si necesse fuerit, pro recuperatione dominio- D rum terrarum & bonorum sanctæ Romanæ ecclesiæ sibi ablatorum.

4. Item, quod cum illi duo gladii, de quibus in evangelio: *Ecce duo gladii*, secundum sacros canones sibi invicem auxiliari teneantur; & sicut gladius temporalis, videlicet auxilium brachii sæcularis invocati, gladio spirituali, censuris videlicet ecclesiasticis, sine difficultate semper succurrere solet: ita etiam hic provideatur, quod gladio imperiali vel temporali spiritualis gladius quandoque vice versa succurrat; & hoc merito E fieri debet, quia invocatio brachii spiritualis est rarissima, sed temporalis quotidiana. Per hujusmodi invocationem brachii spiritualis censuræ ecclesiasticæ, quæ hodie in Christiano populo satis sunt vilipensæ, & ubique non timentur, maximam in populo auctoritatem & vigorem utique ex hujusmodi im-

(a) Quo anno scripta fuerit hæc epistola non indicant hic episcopi, at scriptam fuisse anno 1434. probat Godefridi *de Pompadour* episcopi Carcassonensis ipsi subscribentis obitus, qui anno 1435. 1. Januarii contigisse dicitur. Et tamen Gerardus Appamiæ adhuc sedebat anno 1436. Tomerien sem autem cathedram obtinebat 1438.

periali vel temporali invocatione resumunt. Statui ergo ecclesiastico bene convenit, ut auctoritas ecclesiæ universalis suum gladium sine difficultate in adjutorium temporali vel imperiali gladio jungat. Et hoc firmabit inter sacerdotium & imperium indissolubile vinculum unionis & caritatis.

5. Item, ut causæ prophanæ ad forum ecclesiasticum non pertinentes, quæ per simplicem querelam vel appellationes ad concilium vel judicem ecclesiasticum passim introducuntur, in foro ecclesiastico non tractentur, sed ad domini imperatoris vel alterius temporalis judicium sine difficultate remittantur, ne exinde magna inter ecclesiasticum statum & sæcularem suspicata turbatio surgat.

6. Item, ut hoc sacrum concilium Basileense procedat in antea per nationes ad instar concilii Constantiensis, a quo dependet *concilium præsens*, vel ad instar conciliorum antiquorum instauretur. Laudabilis enim finis horum omnium, propter quæ concilium præsens est congregatum, *citius* per processum nationum, quam aliter & sine consuetis his discordiis, propter rationes, in sequenti carta informationis ipsius *domini* imperatoris contentas, firmiter speratur haberi. Talis igitur hic processus est merito instituendus.

IMPERATOR AUGUSTUS per nos nuncios suæ majestatis pro nationibus sæpe sacrum concilium alloquutus, ut omnem diligentiam faciat, nihil omittendo singulas exhortatur deputationes, ut suis condescendant precibus, & eas humiliter alloquitur ut sequitur.

POstquam divina dispensatione ad generalem universi Romani regni curam præfecti sumus, animum ac diligentem operam continue ad hoc convertimus, ut quantum possemus, ministerio nostro, quo in primis obligamur, religioni nostræ & universali ecclesiæ Christi satisfaceremus, pro quo diligenter impendendo merito cuncta terrena parvipendimus. Et *hæc vobis* patribus nota sunt. Nunc vero licet post inutiles labores fervor tepescat, plerumque tamen in nobis eo plus ardet ad sanctam ecclesiam devotio, quo cognoscimus ex senio fini propinquando, præmium summæ gloriæ abundantiori gradu illum adepturum, qui reipublicæ Christianæ seipsum perseveranter impertitur. Vestigia sanctorum imperatorum insequentes, vestro sacro conventui, ut promotor publici boni & ministerialis sollicitator ecclesiasticarum rerum aliquandiu interfuimus, egimus nobis possibilia, & ea fidelitate qua ecclesiæ & sacerdotio verus advocatus obligatur: pericula, quæ ecclesiasticum statum ruiturum brevi pronunciant, aliquotiens per *nos & nostros* aperuimus, ac causam ejus puta morum fœdissimam deformitatem tolli suppliciter pro vestra ac Christiani populi salute summus deprecati. & postquam plerosque Deo devotos patres adeo affectos invenimus, quod suæ saluti & nostris instantissimis exhortationibus studium diligens adhiberent, *nihilque proficerent*; causam impedimenti scisitantes, comperimus ordinem deputationum concilii pro expediendis tractandis, fini reformationis non recte servire, cum regionum & patriarum diversitas sit causa rationabilis & juxta canonem moralis immutandi aut mitigandi: ita raro posset consultatio *introduci in tollendis deformitatibus*, quæ ex concordi voto variarum deliberationum conclusionem caperet, & si quid displicet, maxime directoribus primis, facile *suffocatur*; & *ita* dum quisque ut est loquitur, Italus ut Italus, Germanus ut Germanus, Gallicus ut talis, & sic deinceps, non potest una communi educi sententia, *in* rebus illis, quæ in particulari per omnes exequi debet in persona. de rebus vero quæ ad communem omnium nationum partem aut ad omnem fidem, quæ *in* animo est, pertinerent, possibile foret, per deputationes optime tractari posse nonnnulla, quæ particularem vivendi extrinsecum modum respiciunt. quoniam sicut ille ex loco varius est, ita sub una generali concordi regula includi nequit. Et hoc nos, dum in medio paternitatum vestrarum essemus, per multa media curavimus apetire, ne dies vestros inutiles & animos Christiani populi suspensos desperatiores faceretis. Admiramur admodum quod illa nostra monita, quæ clare pro publice omnium salute fini vestro ob quem in Christo convenistis servire conspici poteratis, non tunc acceptastis. fortassis judicabant, cuncta tamen majori pace ex instituto vestro ordine dependere. Habebatis enim paratam responsionem, quod in causa minime foret ordinis per deputationes ad finem reformationis disproportio, sed ob innumeras turbationes, quæ in præterito patres occupatos tenebant, nihil in hoc reformationis negotio actum esse, ac sponte palam asseruistis, nostram majestatem quam cito reformationis magnam partem audituram. Cogitavimus tunc, quod si hoc accideret, melius eos moveri qui ordinem deputationum ad reformationem conferre dicerent, quam nos expectamus. Itaque non sine maximo tædio, ut is qui in spe apprehendendi desideratum persistit, & proh dolor! nihil tale ad nos delatum est. ex quo conspicere aliud valeamus, quam quod ex vestro ordine potius major deformatio & turbatio quam speratus finis sequetur. Si non movent paternitates vestras rationes illæ, quibus nisi fuimus persuadere utile & conveniens fore per

nationes progredi ex exemplo venerandorum conciliorum Conſtantienſis & Senenſis, quibus illud veſtrum ira ſubſtiturum eſt, ut illa cenſeatur eſſe in complendo obmiſſa ibidem, ac aliis multis allegantibus ſatis aperte utilitatem nationalis proceſſus, & difficultatem alterius oſtendentibus, moveamini nunc ſaltem extrema diutina rerum experientia, qua apud unumquemque compertum eſt: quamvis omnium animus ſit promtiſſimus ad reformationem, ut hoc clamores veſtri & proteſtationes nationum & ſtatuum atteſtantur, quod nihilominus ex communi impedimento nihil perfici poteſt. Et hoc quidem impedimentum cum lateat & commune exiſtat, *alibi quam in ordine communi nequit inveniri.* Cum autem utique *noſtræ* religioni & propriæ veſtræ ſaluti aliquando conſulere intendatis, mirandum eſt in quo hæſitetis iſta per nationes quærere; quæ per deputationes nullo pacto poſt longiſſimam probam invenire potuiſtis. Timetis fortaſſis leves judicari, ſi inſtitutum mutaveritis proceſſum. non eſt, patres, *vitium*, ſi per ingreſſam viam *terminus attingi nequit, per aliam attentare.* Non enim ex cauſa bene neceſſaria a principio inchoatum continuandum eſt, ſi melius pro adipiſcendo fine occurrit. dum in exordio ob adverſantes ſe concilium unire & munire vellet, ut perſiſtere & reſiſtere poſſet, vaſebat pro hoc fine hic ordo, ut nulla concilii portio impermixta omnibus nationibus quicquam tractaret. Et quoniam *iſte non eſt finis concilii*, ut ſemper perſiſtat Baſileæ, ſed ut operetur mundo promiſſa, pro illo quidem neceſſe eſt media adaptare convenientiora. Si ſemper Baſileæ morari libet, ordinem habetis. Si aliquando promiſſa cupitis implere & finem dare, docti experientia eſtis alia via incedendum. Nec vos movere debet quod fortaſſis *diviſio in certis nationibus ob temporalem principatum extitit*, quia non decet ut ſpirituales patres hanc cauſam pro impedienda reformatione abducant. Memoria tenemus dixiſſe in ultimo conventu P. V. pacem ante reformationem procurari non poſſe: quia ſi quis guerram habens viam ad reformationem reſtat, pacem, qua dignus non extitit, numquam conſequetur. Nec eſt efficax *argumentum; ideo per nationes non eſt procedendum*, quia in prælatis & populo impares numero, æquales in vocibus eſſe non deberent. Hoc enim argumentum in re communi procederet, ubi autem pro particulari omnium ſalute agitur, quælibet provincia merito voto ſuo gaudet, nec eſt difficultas, ſi recte inſpiceretur. Sunt canones in catholica eccleſia, qui ſufficienter de *omnium moribus diſponunt*. quod ſi iſti aliquo caſu in Britannia potius quam in Gallia ſunt mitigandi, ob regionum diſparitatem: non deberet pro gratia reputari, quod jam de jure permittitur. Si enim in pleno concilio proponeretur, ita præcipit Nicænum concilium vivendum, & ita Calchedonenſe, &c. Et hæc eſt pœna canones *non* ſervanti. contrahat ſe quælibet natio & aviſet, an canon ad unguem ſervari poſſit, vel ne; & an pœna ſufficiens exiſtat, aut ſi gravior non ſervanti infligenda eſt, & quomodo exſequetur. Certe ſi quælibet natio magna aut parva juxta præſtitum juramentum ſecundum Deum & conſcientiam, expedientius pro loco & tempore aviſaret, ſacrum concilium *fragilitati unius & fortitudini alterius omnibus conſideratis* merito condeſcenderet. Quare cum nunc a deputationibus per noſtros legatos omnium ſalutem imploremus, non debent deputationes pro ſeipſis, ut deputationes remaneant ſententiam dare, ſed potius pati, ut in nationes tranſferantur. Et ſic finem propter quem concilium eſt congregatum, deputationes, ſeipſas adnihilando, *promoveant, ut tenentur.* Pro viſo quod hæc *noſtra ſollicitatio executionis* dono & affectione ſumma, quam ad publicum bonum gerimus, multis eſt fulta rationibus, ſperamus indubie non denegabitis & nobis complacere & vobis ipſis ſubvenire.

Oblata per deputationes IV. Decembris MCCCCXXXIV.

EPISTOLA JOHANNIS Armeniaci comitis, ad concilium Baſileenſe.

Scribit in gratiam Petri electi abbatis Bonæ-cumbæ.

Anno 1434. 4. Decemb. *Ex mſ. Aquicinct.*

REverendiſſimis ac reverendis in Chriſto patribus in ſacro Baſileenſi *concilio* exiſtentibus, &c.

Reverendiſſimi, &c. præambula recommiſſione debita cum promto famulatu veſtris parendi mandatis. Memori mente gero qualiter, Spiritu-ſancto cooperante, veſtra intervenerit congregatio in ſacroſancta ſynodo Baſileenſi ad hæreſum exſtirpationem, reformationem in Dei eccleſia tam in capite quam in membris fiendam, pacem inter *principes Chriſtianitatis* procurandam. Quam quidem reformationem cupientes, & ad illam anhelantes religioſi & Dei oratores devoti monachi monaſterii Bonæcumbæ ordinis Ciſtercienſis, quod quidem monaſterium per prædeceſſores abbates multipliciter fuit tam in vita quam moribus & regulæ obſervantia difformatum, dicto monaſterio paſtoris ſolatio *deſolato, oculos mentis* direxerunt in devotum religioſum, dominum (*a*) PETRUM *de la Combe* ejuſdem monaſterii pro tunc monachum, nunc abbatem

(*a*) Petrus *de la Combe* diu contendit cum Aſtorgio de Savaceto, qui eum excommunicari curavit, ſed excommunicationem ſolvit concilium Baſileenſe.

per eos regulariter & canonice in eorum pastorem electum, vita honesta, devota & religiosa, & quamplurimis virtutibus insignitum, & per patrem abbatem confirmatum. Quibus congratulatus insuper fui, respectu præsertim reformationis illi monasterio necessariæ; quod incunctanter per domum meam, memoria in contrarium postposita, fuit conservatum & defensum. Percepi tamen, ut reor, V. R. P. certiores existere favorem præstare domino Astorgio, provisum se asserenti de dignitate abbatiali dicti monasterii, adversus & contra dictum electum & confirmatum, quod cordi displicenter gessi, formidans dictum monasterium in deformationem reduci solitam, cum jam ad bonam, perfectam & debitam per istum electum & confirmatum pervenerit reformationem. fiduciam tamen gerens firmam V. R. P. animadvertere justum & sanctum propositum reformationis per easdem V. R. P. *supplices porrigendo* preces & plus quam cariores, quatenus præmissorum intuitu causam dicti electi & confirmati recommissam habere dignemini favorabiliter, ut mei ex parte R. P. V. latius referabitur per dilectum & fidelem consiliarium meum dominum Raymundum *Darens* decretorum doctorem, priotem B. Mariæ Deauratæ Tolosanæ, harum exhibitorem, cujus *relatibus* fidem adhibere dignemini indubiam, ac si in vestrorum conspectu personaliter adessem: mandantes & præcipientes cuncta grata V. R. P. quæ adimplere non differam posse tenus, *auxilium præstante Altissimo, qui* V. R. P. incolumes continue reddat. Scriptum Insulæ Jordani, die IV. mensis Decembris. MCCCCXXXIV.

Vestris paratus mandatis Johannes Dei gratia comes Armaniaci.

EPISTOLA BURGIMAGISTRORUM & consulum Leodiensis civitatis, ad concilium Basileense.

Adversus Lambertum Datin canonicum Leodiensem.

Anno 1434. 5. Decemb.

Reverendis in Christo patribus & dominis sacrosancto concilio Basileensi præsidentibus, &c.

Reverendissimi patres, pacis Christicolarum fiendæ zelatores, nostris pro posse obsequiis in pacis tranquillitate pro illius auctore libatis. Multum erraret a tramite rationis, & viam non cognosceret æquitatis, qui credere præsumeret, quod SS. dominus noster papa modernus vos suos constituisset vicarios ac præsidentes in sacrosancto concilio Basileensi, nisi firmiter præsciviisset, quod in vobis vigeret sapientia, regnaret justitia, & consisteret pietas cum plenitudine caritatis. Sane execrabilis horribilium scelerum * & multa præsumtio impunitatis licentiam cuidam Lamberto *Datin* prætenso canonico ecclesiæ Leodiensis, præstiterunt, ut idem contra fidelem populum eorumque gubernatores civitatis Leodiensis* pro fratribus Belial, *qui obstinatis animis* & colligatis causis ad exsequenda quæque nefaria velociter currere sunt edocti, neque ad illam crudelitatis sævitiam verentur manus extendere, quam politici & justitiæ zelatores *timerent incipere* vel audire. Verum quod quandoque pavidi & vecordes redditi, redduntur audaces ad flagitia perpetranda, ad quæ * si contra rem jam judicatam & rempublicam progrediuntur, beneque judicata denuo disceptarentur, non ordini, dignitati, vel officio parceretur, sed per facilitatem veniæ ad hostes nocendi potestate transfusa, super sortem justorum peccatorum virga fuisset extensa; quia ibi nervus disciplinæ negligitur, rectitudinis judicium relegatur, & consequenter partes justitiæ totaliter perstringuntur, condemnanturque patres pii, qui tolerant, *immo quo nimis in* corrigendo expectant, velociter aspernantur. Justus igitur Dominus, qui justitiam diligit, & in æquitate judicat orbem terræ. Licet enim in terris vix justitiæ ministerium ille Rex *regum invenit, cui omne judicium dedit* Pater: tamen seditiosis pernicioſissimus & læsæ majestatis obnoxius nostris crudelibus æmulatoribus justitiæque spretoribus, quorum idem Lambertus, nescitur quo spiritu ductus, causam fovet iniquam, non modicam ministrat audaciam: quod vos, patres præstantissimi, in justitiæ specula constituti, quasi non prospiciatis, conniventibus oculis tanti sanguinis effusionem, nobiliumque civitatis & patriæ Leodiensis totaliter eversionem; in quo etiam sacri canones sæculares curias consueverunt minime perturbare, neque per quascumque ipsarum commissiones rem judicatam & bene examinatam, immo notoriam facto, adeo quod nulla possit tergiversatione celari, quomodolibet impedire, quin talis res suum debitum sortiretur effectum, præsertim in materia antedicta, quæ si apud easdem paternitates, quamvis extere continuetur, dictisque malivolis perpetuum super ipsorum malivolentia antedicta ne serpat noxius silentium imponatur, infinita & importabilia verisimiliter damna & alia supradicta protervius subsequentur, quæ per easdem paternitates ex post poterunt minime resarciri; & ex *hinc* ipsæ paternitates apud clerum & populum civitatis & patriæ prædictarum, necnon ipsis vicinis & conterminis patriis poterunt, quod absit, sempiterna obloquia reportare, prorumpentes *quod* eædem *paternitates* ipsarum intentioni contraria malorum favore propria sua incuria practicassent. Porro verentes strages sæcularium*que*

* *f.* fama.

* *Suppl.* eorum vobis ageret.

* Hic videtur esse aliquis hiatus.

sæcularium*que* depopulationes ac sanctorum sacrilegia locorum, & alia sine numero mala, quæ ex similibus emergere consueverunt. O benigni atque pii patres, hæc omnia & eorum circumstantias attendentes, ea a vobis ut res judicata & *amplius minime* judicanda repellite; nuncios nostros desuper missos, quorum acta in eodem concilio apud easdem paternitates & alibi, quatenus ad onus per nos ipsis datum se extendat, eatenus ratificamus & approbamus, humiliter supplicantes easdem P. obnixis quibus valemus precibus & devotis, quatenus eosdem nuncios in libertatibus, franchisiis, privilegiis & indultis nobis a *divis imperatoribus* aliisque principibus concessis, & etiam coram easdem paternitates exponendis, pie placeat exaudire, seditionem a dictis civitate & patria, necnon conspirationem & turbationem a populo, prout eisdem P. congruit, penitus præscindendo, in quibus speramus, Altissimo concedente, nobis per easdem P. favorabiliter annui, qui illas *.. ..... pro quibus *in ipsius nomine* prospere congregatæ sunt* .... feliciter & *longæve*. Scriptum Leodii v. Decembris MCCCCXXXIV.

* *fuppla confuetudis negotiis, vel quid simile.*

* *fuppla conservare dignatur.*

Devoti & humiles vestri burgimagistri, jurati & consules civitatis Leodiensis.

COPIA LITTERÆ domini Christophori Garrani, &c.

Declarat summo pontifici quid cum Græcis & Armenis egerit.

Anno 1434. 21. Dec. *Ex mſ. Aquicinct.*

RVerendissimis (*a*) dominis Jo. archiepiscopo Tharentino, & PETRO Paduano episcopo, SS. domini nostri papæ in generali concilio præsidentibus.

Quod nemini hucusque præstitum est, beatissime pater & sanctissime domine, id præbuit Deus sanctitati tuæ, ut Græcorum unio cœlitus tuæ clementiæ atque bonitati dedicata esset. Ego enim qui indignus servus tuæ sanctitatis sim, cum, ejusdem mandato, urbem regiam Constantinopolim petiissem, cooperante Domino omnibusque sanctis & angelis ejus, circa unionis materiam, cum *sereniſſimo* Romeorum imperatore, atque reverendissimo patriarcha nonnulla capitula concluſi, juxta voluntatem sanctitatis tuæ, & commissionem quæ per eumdem mihi præstita est. Capitula autem in documenti forma redacta sunt, rata & subscripta per ipsos imperatorem & patriarcham, ac sigillis eorum munita juxta morem suum. Quamobrem lætare quam maxime, pater beatissime, pro singulari gloria, quæ pontificatui tuo pro tam excellenti bono divinitus exhibita est. Nam quemadmodum Ellenes EUGENIUM nunc patrem vocant, *ita* te omnes Græci fidelium moderatorem, fideique & *pietatis firmamentum nuncupant*. Sed his plura, cum latius coram omnibus tuæ beatitudini nota faciam. De Armenis autem quid egerim hæc sunt. Maxima in eorum reductione spes habenda est. Recte enim existimo ex his quæ vidi, ut cum Græcorum unio in manibus tuæ sanctitatis sit, erit in ejusdem potestate Armenos esse tamquam vere fideles ad tuæ pietatis gremium accumulare. *Micari forte non desinet tua beatitudo* de reditu meo, cum præter commissionem tuæ sanctitatis sit. Sed redeo, pater sancte, illustrissimi imperatoris ordine, mecumque sunt duo oratores sui, qui ad pedes tuæ sanctitatis venturi sunt, ut solum quæ per me tractata & concluſa sunt, videant & audiant per tuam sanctitatem confirmari. Quare dignetur tua sanctitas mandare, ut *domus congrua pro prædictis parari debeat*. Sunt enim episcopi, & qui cum eis veniunt numero forte XVI. Ego, beatissime pater, ut humiliter opinionem meam referam, laudo quam maxime, ut dicti oratores honorifice suscipiantur. Juvabit enim non parum omnis humanitas, quæ juxta morem liberalitatis sanctitatis tuæ erga illos exhibita fuerit. Ab illis equidem non discedam, donec eos Florentiam vel *prope conduxero*; *quandoquidem* prior per dietam ad tuæ sanctitatis veniam, cujus pedibus me humillime ac devotissime commendo. Ex Venetiis die XXI Decembris MCCCCXXXIV.

(*a*) Hanc epistolam ad summum pontificem scripsisse nemo non videt, & tamen hanc in codice inf. præfert inscriptionem; forte quod *fuit legatis ipsius* excerptum dixit Eugenius, absque alia epistola.

COPIA LITTERÆ AMBASSIATORUM

Græcorum transeuntium ad SS. dominum nostrum papam, missæ aliis ambassiatoribus Græcorum in concilio Basileensi existentibus.

DOmini & fratres nostri, quando venimus Venetias, invenimus in manibus Filomati litteras vestras, ad quas bis respondimus. Modo reperimus istam personam in Alpibus euntem Florentiam. Iterum scribimus dominationibus vestris cum isto, & sicut *scripsimus* vobis tunc *late propter* quid venimus, nunc secundum tempus & locum *scribimus* vobis breviter. Noveritis igitur qualiter synodus debet Constantinopoli celebrari, prout dominus noster imperator & sanctissimus patriarcha firmiter concluserunt: quæ res redit ad magnam felicitatem nostram, & ad faciendum aliter videmus magnam difficultatem. Fecit ambassiator beatissimi patris litteras notarii *cum testibus*, & juravit ille quod voluntatis erat papæ & cardinalium, ut fiat concilium in Constantinopoli. Erant autem testes bajulus & do-

Ex mſ. Aquicinct.

cueti & majores Peræ, Anchonitani & Cathalani; & coram eis juravit dominus imperator & patriarcha secundum consuetudinem suam. Quapropter & nos vadimus ad papam, ut confirmet ea quæ facta sunt juxta commissionem nobis factam. Est autem necessarium, ut super prædictis omnibus habeatur voluntas illius concilii. Vult papa mittore ad concilium, & tunc mittemus D. V. mandatum domini nostri imperatoris, qui præcipit, ut si feciſtis, ut fiat concilium in Francia, cum tamen *nostræ* felicitatis sit ut fiat in Constantinopoli, quatenus festinetis ad rescindendum ea quæ facta sunt, quia totus mundus habet quod concilium in Constantinopoli celebrabitur. Dominationes vestræ antequam veniat homo de papa ad concilium, faciant prout scribimus, videlicet ut rumpatur id quod per vos factum est, quia etiam concilium habet difficultatem & impossibilitatem super expensas quas promisit; & ut fiat illud quod desiderant & amant *omnes nostri*, prout & vos bene nostis. Scribatis nobis ad Florentiam citius quam potestis, ut sciamus omnia. De Florentia scribemus vobis clarius, ut sciatis quæ ibi & nos faciemus. Valete, &c.

COPIA PROCURATORII domini ducis Burgundiæ pro pace regni Franciæ.

Anno 1434. 17. Decemb. *Ex mſ. Aquicinctensi*

PHILIPPUS Dei gratia Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgiæ dux, Flandriæ, Artheſii, Burgundiæ Palatinus, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Namurci comes, ſacri imperii marchio, & dominus Friſiæ, de Salinis & Machliniæ: univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem.

Notum facimus, quod nos de fidelitate, legalitate & induſtria dilectorum & fidelium conſiliariorum noſtrorum reverendiſſimorum reverendorumque in Chriſto patrum archiepiſcoporum & epiſcoporum Conſtantienſis, Cabilonenſis & Nivernenſis, ac abbatis Ciſtercienſis, necnon domini JOHANNIS comitis Friburgenſis & Novi-caſtri conſanguinei noſtri, GUILLELMI domini de *Hoolberg* marchionis de *Rutheling* & de *Zuſſemberg*, & magiſtri Johannis de Fruyno decani eccleſiæ Biſuntinæ, ad plenum confidentes, ipſos conſiliarios noſtros aut ſeptem, ſex, quinque, quatuor, vel tres eorumdem commiſimus, *ordinavimus*, & *deputavimus*, committimuſque, ordinamus & deputamus per præſentes, procuratores & ambaſſiatores noſtros ſpeciales & generales; dantes eiſdem ſeu ipſorum ſeptem, ſex, quinque, quatuor, aut tribus, quorum tamen alter præfatorum epiſcoporum Cabilonenſis & Nivernenſis & comitis Friburgenſis, ſit ſemper unus, omnimodam & plenariam poteſtatem, auctoritatem atque mandatum ſpeciale & generale præſentium tenore, vice & nomine noſtris ac pro nobis conveniendi & congregandi cum ambaxiatoribus ſeu deputatis Delphini adverſarii noſtri, tam coram ſacroſancto concilio Baſileenſi, quam alibi in loco Baſileenſi, ubi aviſatum fuerit, ſuper materia pacis univerſalis totius regni Franciæ, audiendi & nobis referendi ea quæ pro parte adverſa ad finem & pro bono pacis hujuſmodi aperta, prolocuta & declarata fuerint. Et *nihilominus* tractandi & concludendi nomine noſtro & pro nobis, dum & quando opus fuerit, & eis expedire videbitur, in & ſuper facto dictæ pacis generalis; & *intimandi* & *notificandi* pro parte noſtra, nos pacem ipſam generalem ſemper deſideraſſe atque deſiderare, eidemque ſemper fuiſſe & adhuc eſſe intendere paratos, & ad nos non tenuiſſe, tenere, neque tenturum, quin ipſa pax generalis eveniat. Diem quoque & locum apertos & congruos ad materiæ pacis generalis prædictæ intendendum, & in ea ulterius procedendum, ſi expediens viſum fuerit, & res id exegerit, aviſandi, captandi, acceptandi, determinandi, & concludendi abſtinentias, necnon ceſſationes guerræ generales totius regni Franciæ, ſeu particulares de patriis & dominiis noſtris cum dicto adverſario noſtro & dominiis & patriis ſuæ obedientiæ, tales quales congruere videbuntur, ac eis modo & forma quibus melius, tutius, efficacius, & decentius fieri poterunt, componendi, firmandi, tractandi & concludendi; & nos abſtinentias ipſas ſic concluſas & firmatas approbaturos, tenturos & obſervaturos promittendi, & de hoc pro nobis ſe fortes faciendi, ac litteras ſuas deſuper conficiendi & tradendi, & partis adverſæ litteras ſufficientes, bonas & validas ſibi dari & tradi poſtulandi & obtinendi; promittendi bona fide ac in verbo principis nos rata, grata, ſtabilia atque firma habere & habituros quæcumque per dictos noſtros conſiliarios, aut per ſeptem, ſex, quinque, quatuor, vel tres eorumdem, dummodo tamen alter epiſcoporum Cabilonenſis & Nivernenſis ac comitis Friburgenſis prædictorum fuerit ſemper unus, ut præmittitur, in præmiſſis quæ noſtro nomine & pro nobis intimata, inſinuata, aviſata, determinata & concluſa fuerint. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigilli noſtri fecimus munimine roborari. Datum in villa mea de Divione, *menſis* Decembris die XXVII. anno Domini MCCCCXXXIV.

Per dominum ducem,

T. BONESSIAU.

EPISTOLA AMEDEI

ducis Sabaudiæ, ad concilium Basileense.

De causa ecclesiæ Lausanensis.

Sacrosancto concilio Basileensi, &c.

Anno 1435. 18. Decemb. Ex mss. Apricellerys.

REverendissimi reverendique patres, domini & amici præcarissimi, devota recommendatione præmissa cum promtitudine filialiter obsequendi.

Nunc reversus de conspectu vestro sacri concilii, dilectus, fidelis consiliarius & orator meus, magister Nicodus Festi, mihi sua relatione monstravit, qualiter V. P. R. sibi credentiam ei commissam per lecturam litterarum mearum plenarie exponenti liberam audientiam præbuerunt & benignam: unde devotas regratiationes eisdem paternitatibus impertior. Subjungens idem orator, quod per sacras deputationes prædictæ litteræ meæ, prout se *dixit intellexisse*, debebant avisari una cum debita provisione, super supplicatis ibidem ac responsione litterali mihi quantocius facienda, quas propter festivitatum modernarum propinquitatem expectare non potuit. Et quia R. P. res de qua in dictis litteris meis agebatur, videlicet causa ecclesiæ Lausanensis, est mihi peculiaris, meque continue stimulant synderesis ac reipublicæ illius ecclesiæ & patriæ evidens utilitas, ut ipsam causam non relinquam indefensam, sed potius eam cum omni studio prosequar pro meo & subditorum *meorum interesse*. Timens igitur ne sicut jam per partem adversam, & dominos commissarios ac etiam promotores partem facientes, cum omni reverentia loquendo, a tramite justitiæ in modo procedendi contra mentem *sacri concilii, ut verisimiliter credendum* est, plerumque deviatum est; interim quicquam inordinatum attentetur, non expectata responsione prædicta, quam de die in diem præstolor: supplicationem meam præfatam prosequens, *iterum* V. R. P. duxi in his scriptis supplicandum, ut super petitis in eadem, videlicet ne causa prædicta una suspicionum & scandalorum, cum causa mea particulari quam adversus partem prædictam movere intendo, per viam distortam, sed via recta & ordinaria secundum morem Romanæ curiæ in causis beneficialibus observatum, coram uno vel duobus aut pluribus auditoribus jus & justitiam non ignorantibus, sed scientibus & zelantibus, partibus non suspectis, qui ipsas causas modo præmisso audiant pariter & diffiniant, petens humiliter ita fieri; & si injuste peto, mihi provisio denegetur. Si autem juste & honeste, non sum mihi conscius erga sacrum concilium quicquam demeruisse, ut justitia mihi debeat denegari per paternitates vestras, quarum virtutibus summe confido, quæ, ut spero, super *his* taliter mihi *providebunt*, quod non erit opus aliud quærere juris remedium. Easdem paternitates vestras reverendas dirigere & conservare dignetur omnipotens ad exaltationem status ecclesiæ suæ sanctæ. Scriptum Rippaliæ die XXVIII. Decembris anno MCCCCXXXV. a Nativitate Domini sumto.

Devotus & humilis ecclesiæ filius AMEDEUS dux Sabaudiæ.

EPISTOLA PHILIPPI

ducis Burgundiæ, ad concilium Basileense.

Mittit ad concilium novos oratores.

Anno 1435. 1. Januar. Ex mss. Aquicinctens.

REverendissimis reverendisque in Christo patribus ac ceteris spectabilibus viris in sacro generali concilio Basileensi existentibus.

Reverendissimi reverendique &c. Post amplissimas & *vobis gratissimas exsolutas* gratiarum actiones, quod tam crebras & pias ad ea quæ pacis forent, per honorandos viros magistrum Nicolaum Amici consiliarium nostrum, & fratrem Albertum monasterii Viziliacensis exhortationes demandastis, vestra monita tamquam dignissimorum ac uti universalis ecclesiæ mandata devotius amplexati, ad V. R. P. transmittimus dilectos consiliarios nostros & fideles reverendos in Christo patres episcopos Cabilonensem & Nivernensem, Jo. de Fruyno decanum Bisuntinum in legibus licentiatum, magistrum requestarum hospitii nostri, Jo. *Lavantage* præpositum Insulensem, & magistrum Eustachium Calculi in medicina doctorem, pro operibus tam sanctis & a nobis omni desiderio aspiratis, perficiendis, omni *auctoritate & potestate communitos*. Supplicando V. R. P. devotius exoramus, quatenus in tam Deo placentibus materiis vestros labores impendentes, nos nostrosque præfatos demissos ambaxiatores simul & nostra agenda habere *recommissos*, *in tantum nobis intimantes*, quæcumque accepta, quæ totis conatibus accuratius perficere curabimus, ut novit Deus, qui vestram sanctam congregationem pro utilitate ecclesiæ suæ sanctæ conservare dignetur. Scriptum *in* villa nostra Divionensi die prima Januarii.

Humilis & devotus ecclesiæ filius PHILIPPUS Burgundiæ, Brabantiæ & Lymburgiæ dux, Flandriæ, Artheſii, &c. comes.

LITTERA SERENISSIMI domini imperatoris, missa concilio, & lecta in congregatione generali, die Veneris XVII. Februarii MCCCCXXXV.

Mittit ad concilium Conradum de Winsperg *tractaturum de rebus Bohemicis.*

Anno 1435. 6. Januarii. Ex mſ. Aquicinct.

REverendiſſimis, reverendis ac venerabilibus & egregiis in Chriſto patribus & dominis, ſacroſanctæ ſynodo Baſileenſi &c.

Reverendiſſimi reverendique in Chriſto patres, amici & domini, ac venerabiles & egregii, ſincere grateque nobis dilecti. Pridem ſacris litteris noſtris ſignificavimus veſtris reverendis paternitatibus conditiones rerum Bohemiæ, & maxime ea quæ noſtræ majeſtati proxime per Bohemos ſunt reportata : quæ quidem, laus Deo, bonum cœperunt principium, cum non mediocri ſpe votivæ & deſideratæ conſummationis. Verum quia nonnulli pacis & quietis æmuli forſitan hoc opus bonum conabuntur turbare, ita ut rigore gladii & ſubſidio illorum, qui ſe retraxerunt ab eis, venient reprimendi, quibus ut propter extenuationem eorum ſubveniatur neceſſe erit : idcirco habendo ſuper re illa cogitationes diverſas, commiſimus nobili Conrado domino de *Winſperg* noſtro & imperii ſacri hereditario camerario, fideli & dilecto conſiliario noſtro, ut V. R. P. in his & nonnullis aliis rebus Bohemicis mentem & deſiderium noſtrum aperiat. Cui veſtræ reverendæ paternitates in dicendis adhibere velint tamquam nobis credentiæ plenam fidem. Datum Poſomi die VI. Januarii, regnorum noſtrorum anno Hungariæ &c. XLVIII. &c.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum imperator ſemper auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. REX.

Ad mandatum domini imperatoris,
GASPAR SLICK cancellarius.

EPISTOLA CAPITULI & canonicorum eccleſiæ Tridentinæ, ad concilium Baſileenſe.

Cauſantur de capitaneo Frederici ducis Auſtriæ, quod eccleſiaſticam libertatem violando, eos ad forum ſæculare traheret.

Anno 1435. 20. Januarii. Ex mſſ. Aquicinctenſi, & Leodienſi Cruſigerorum.

SAcroſanctæ Baſileenſi ſynodo in Spiritu-ſancto legitime congregatæ, militantem eccleſiam repræſentanti, &c.

Reverendiſſimi celeberrimique patres & domini, militantem Chriſti eccleſiam in ſacroſancta Baſileenſi ſynodo repræſentantes, quoniam firmiter ſperamus, & a certo tenemus, quod veſter ſacratiſſimus cœtus inter cetera principaliter ad ſtatum eccleſiaſticum reformandum, tenendum & defenſandum, ipſumque ab oppreſſionibus & laïcorum inſolentiis & morſibus relevandum exiterit inſtitutus. Hinc viri eccleſiæ ſanctæ baſes & præſides, nos devoti ſervi veſtri capitulum & canonici eccleſiæ veſtræ Tridentinæ, ex intimis ad ſinum veſtrum velut domum refugii deplorando recurrimus, ſupplicando, ut tu ſacratiſſime cœtus, ſis protectio noſtra, locus refugii, & ſalvos facias nos. Licet enim divina & humana lex, ſacer & eccleſiaſticus ordo, ab omni juriſdictione ſæculari, omnique laïcali poteſtate nos ceteroſque eccleſiaſtico titulo inſignitos conſtituat liberos & immunes; nihilominus tamen quidam capitaneus generalis in Longo Acheti, illuſtriſſimi principis domini ducis FREDERICI Auſtriæ, ad certorum aliorum laïcorum inſtantiam, ad ejus forum ſuumque vetitum tribunal nos invitos excipientes, appellantes & reclamantes trahere, citando, monendo, pignorando, omnique auctoritate eccleſiaſtica, immo imperiali penitus ſpreta, conatur; licet ad ſedem apoſtolicam & ſucceſſive ad hoc ſacrum fuerit concilium appellatum, licet etiam fuerit apoſtolica auctoritate & per invictiſſimum imperatorem tam dicto capitaneo, quam duci FREDERICO inhibitum, ne nos in alio quam foro eccleſiaſtico trahi & conveniri permitteret, libertatem eccleſiaſticam violando. Attamen non ſolum continuo nos citare, monere, quin immo poſt & contra omnes inhibitionem apoſtolicam & imperialem idem capitaneus non eſt veritus nos condemnare & judicare; & quod deteſtabilius eſt, in vim judicii nos & bona noſtra hoſtiliter invadere, & ſacrilege rapere domos noſtras, earumque oſtia frangendo, decimas noſtras vinorum & aliorum redditnum noſtrorum, quæ in villa Terrannia R. P. domino epiſcopo Tridentino pleno jure tam in ſpiritualibus quam temporalibus eſt ſubjecta. Quare pro Dei miſericordia, pro auctoritate apoſtolica & ſpirituali conſervanda, pro tutela & defenſione libertatis eccleſiaſticæ, quæ iis in partibus, niſi in præmiſſis debite ſuccurratur, omnino ſupprimitur, & clerus eccleſiaſticuſque ſtatus ibidem conculcatur; quatenus præfato domino duci FREDERICO ejuſque capitaneo ſcribere, & in virtute Dei & eccleſiæ ſuæ ſanctæ, quam in Spiritu-ſancto legitime congregati repræſentatis, mandare dignemini, ut dictum ſuum capitaneum ceteroſque ſuos officiales ab hujuſmodi tractionibus ad dictum eorum forum vetitum, bonorum uſurpationibus, & hoſtilibus invaſionibus, ſacrilegiis, prophaniſque auſibus cohibeat, noſque viros eccleſiaſticos ſic indebite trahi, moleſtari, vexari, invadi, & injuriari de cetero non ſinat neque permittat : quin immo illa ſic attentata revocet & revocari faciat,

nobisque rapta & ablata reſtitui faciat; cum parati ſimus omnibus, ſi qui ſint qui nos eis prætendant obnoxios & obligatos, coram quocumque competenti judice aut foro, ſancitorum juri, & omne genus cautionis tam de judicio ſiſti, quam judicato ſolvendo juxta juris exigentiam pleniſſime ſatis dare atque præſtare, prout etiam dudum pluries nos paratos obtulimus. Datum Tridenti xx. Januarii anno MCCCCXXXV.

Humiles ac devoti ſervitores veſtri capitulum & canonici eccleſiæ Tridentinæ.

LITTERA DOMINI DUCIS Britanniæ in vulgari ſuo ſuper facto epiſcopatus Maclovienſis.

Anno 1435. 16 Januar. *Ex mſ. Aquiſtranſi.*

A Tres reverends peres en Dieu, tres chiers & grans amis, les prelats, & autres tenants le concile à Baſle.

Tres reverens peres en Dieu, tres chiers & grans amis. J'eſcrit preſentement à noſtre ſaint pere le pape en faveur de mes chiers bien aimez & feaulx conſeillers P. naguerres eveſque de Treguier tranſlaté à l'eveſquié de Saint Malo, & GUILLAUME abbé de Beaulieu mon aumonnier en la forme qui s'enſuit: *Tres ſaint pere & mon redoubté ſeigneur*, en me recommandant à votre B. S. tres humblement vous plaiſe ſçavoir, que de preſent on ma rapporté que votre ditte ſainteté a puis nagueres tranſlaté mon tres chier & bien amé & feal conſeiller P. eveſque de Treſguier à l'eveſché de Saint Malo en mon pais, qui etoit vacant par le deceix de feu AMAURI precedent eveſque dudit lieu de Saint Malo, auquel eveſché avoit eſté eſleu mon chier & bien amé conſeiller GUILLAUME abbé de Beaulieu mon aumoſnier, & ay entendu que voſtre dite ſainteté a pourvu à meſſire (a) RAOUL ROLAND, qui de tous tamps a eſté ſerviteur conſeiller & allié de ceulx de Blois mes anemis anchiens, qui autrefois me prindrent en trayſon, comme aſſez voſtre dicte *ſainteté a peu oir & ſçavoir, d'iceluy* eveſché de Treſguier. Si ſupplie à ycelle voſtre ſainteté, que en conſiderant la diviſion & inconvenient, qui par le moyen dudit *Roland* porroit venir en mon pays à grans peril & dangier de moy & de mes ſubjiez, il plaiſe à voſtre dicte ſainteté pourveoir deſdis deux eveſchiez à meſdits deux conſeillers & non à aultres, pour quelconques lettres, que par inadvertence je vous puiſſe ou pouroit eſcripre au contraire, & ycelui *Roland* pourveoir d'autres eveſché ou benefice hors de mon pays. Car pour nulle rien je porroit ſouffrir ne endurer, que en mon pays il ait benefice d'eveſchié pour les cauſes deſſus touchiées, & croys que voſtre ditte ſainteté bien aviſée de ceſte matiere ne le vouldroit faire. Si ſupplie à voſtre dicte ſainteté que ainſy luy plaiſe le vouloir, & ne m'en faillir, & ce faiſant, elle me fera tres ſingulier plaiſir, dont à touſiours je luy ſeray *tres obligié & attenu. Tres ſaint pere*, &c. ſi vous prie tant & ſi affectueuſement comme plus puis, qu'il vous plaiſe aviſer & conſeiller noſtredit ſaint pere de conueſcendre & obtemperer à ma ſupplication & requeſte, pour les cauſes contenues es lettres de noſtre ſaint pere, qui concernent le bien & tranſquillité de moy & de mon pays, & ne m'en faillir ainſy que j'en ay en vous tres entieres ſeurté & confidence. En me ſignifiant toutes choſes à vous agreables & à moy poſſible pour les accomplir de tres boin cuer à l'aide de noſtre Seigneur, qui, tres *reverends peres en Dieu*, vous ait en ſa ſainte garde. Eſcript en ma ville de Vennes le XXVI. jour de Janvier l'an (a) MCCCCXXXIV.

Le voſtre le duc de Bretagne, conte de Monfort & de Richemont.

JEHAN manu propria.

GODART.

(a) Hæc epiſtola nullum ſortita eſt effectum. nam Radulfus Treconenſem obtinuit epiſcopatum quem ad annum 1440. tenuit.

SEQUITUR LITTERA communitatis Leodienſis miſſa concilio contra quoſdam cives ſuos, qui fecerant cauſam ſuam committi in dicto concilio ſuper conſpirationibus, &c.

Anno 1435. 28 Januar. *Ex mſ. Aquicinct.*

R Everendiſſimis in Chriſto patribus & dominis ſuis ſacroſanctæ generali concilio Baſileenſi præſidentibus & conſedentibus digniſſimis.

Reverendiſſimi patres, juſtitiæ zelatores, & reipublicæ protectores, humilibus noſtris obſequiis cum reverentia debita prælibatis. prudenter prævidenda ſunt mala, ut ſalubriter bona ſuccedant, offendiculo quoque ſublato nocendi, cuivis occurrat facilior aditus ad optata. Sane cum dominus noſter EUGENIUS papa modernus, ſalutis amator, ad ea vos, ut fitmiter ſperamus, duxerit deputandos, quæ ſunt honoris Dei, eccleſiæ, imperii, ſtatuſque proſperi Chriſticolarum; nec in his veſtra, quod abſit, neque veſtrorum, ut credimus, quæratis commoda, ſed dumtaxat piacula JESU CHRISTI, præſertim præſenti conſiderato tempore civitatis & patriæ Leodienſis, ne inibi ſeditioſorum & conſpiratorum machinationes doloſæ, quæ ſicut neſandum in ipſa civitate alias periculum, & in totius civitatis everſionem nequiter conceperunt, conentur, ſi facultas aſſit, ac in

(a) Incipiendo annum in paſchate alioquin anno 1435.

ipsorum foventur nequitia, nequius consummare. Quippe iniquitas habens arma magis periculi comminatur. Idcirco credimus quod quemdam Lambertum *Datyn*, ut asseritur, in legibus graduatum, machinationis complicem, novarumque malitiarum perscrutatorem, in ipsorum versuti processus versipellem clypeum receperunt; qui nec hujusmodi periculis, neque venerabilis ecclesiæ Leodiensis dominæ fundi, cujus prætensus canonicus existit, ingenti status dissipatione pensatis, non cessat callide pro dictis iniquitatis filiis arma pollutis digitis, infrunitaque fronte, in fomentum malitiæ præparare; super quibus eisdem paternitatibus per alias nostras litteras, etiam scripsimus. Advertatis igitur, patres pii, si non irascatur per singulos dies dominus, si in grandi sævitia diutius sustinet peccatores, & tandem in eos sævius gladium vibrat ultionis. Quid igitur de conspiratoribus maleficis antedictis, quorum etiam nomina naribus fœtent probis, quique humanæ pietatis impudenter spreta modestia, satagunt apud easdem paternitates malitiæ fomentum atque falsitatis numismata thesaurizare, in hoc se Deo & justitiæ damnabiliter opponentes? Et quamvis inspexeritis eos nidum dudum proprium, & ipsis propter eorum malitias alienum, fœdo rostro, non sine fallaciis, defœdare; ipsos tamen, quo medio ignoramus, videmus apud easdem paternitates in ipsorum dolosis machinationibus injustum auxilium adipisci. Advertite, patres, advertite, si hi fines concilii Basileensis sint receptare tales, quos justa sententia, cujus etiam executio præterquam in certis casibus non differtur, extremo supplicio deputavit. Hoc abhorret sinceritas innocentum, justorum simplicitas & formidat. Ne igitur earumdem paternitatum manus merito immaculatæ tactu picis enormis maculentur, supplicamus eisdem quibus valemus precibus sedulis & devotis, quatenus hujusmodi exsecrabilium periculorum eventu prudenter & diligenter attento, dictos detestabiles maleficos & conspiratores, super ipsorum pernicios mendaciis, veluti de re per justitiam jam finita justeque judicata, & cujus iterata examinatio, quin immo sententiæ mutatio adeo foret sanguinolenta, ut umquam bellum in eadem civitate commissum, placeat penitus refutare, ipsis audientiam, qua indigni sunt, salubriter denegando. Ha Deus, quæ spes per tales relinquitur civitati & patriæ antedictis? quæ flamma ex latente scintilla, quantus ex furoris camino fumus surgeret noxie, si prædictorum malitiæ ad votum callidum progrederentur? quin immo tota Europa ex his in admirationem perstreperet, omnesque communitates ammirarentur habendo respectum, quantum in hoc sacrosancta Romana ecclesia, imperiique celsitudo, dictæ civitatis nobilis ejusdem Europæ partis nomen tam levibus & mendacibus suggestionibus infirmarent, dicerentque quid quærunt malefici, vel cur ad ipsorum instantias adeo enormibus consentitur? Verum si, quod absit, preces nostræ per easdem paternitates, prout hactenus, obaudientur, ex tunc opus erit, nobisque urgens necessitas cunctis vicinis principibus, communitatibus & universitatibus dictos conspiratores, ipsorumque fautores, qualisque fides eis adhibenda sit, elucidare, ut cognoscatur ab ipsis singulisque ipsorum suppositis, quo animo, quo zelo, quo liberamine, qua dissimulatione ipsorum versutiæ ponderentur, quodque hi fructu pacis oppresso, vineam domini sabaoth contendunt, ut * neque vulpeculæ devastare, adeo ut quæ uvas ferre consuevit gratissimas, labruscas ferat, proh dolor! cœcitatis ineptæ: quam speramus, concedente Altissimo, ejus spiramine sanis averti mentibus, qui easdem paternitates dirigat ad lumen veritatis, & prout Christicolis convenit & non ficte. Scriptum Leodii xxvm. Januarii anno, &c. MCCCCXXXV.

* *f. iniquæ.*

Devoti & humiles vestri burgimagistri, jurati, & consules civitatis Leodiensis.

LITTERA DOMINI DUCIS Sabaudiæ lecta in congregatione generali die Mercurii IX. Februarii MCCCCXXXV.

Adversus Ludovicum de Palude episcopum Avenionensem.

SAcrosanctæ synodo generali Basileensi in Spiritu-sancto congregatæ. Anno 1435 1. Februar. Ex ms. Aquit. citato.

Reverendissimi patres domini & amici specialissimi devota recommendatione præmissa. Quia fallacias & injurias domini Ludovici de Palude episcopi (a) Avenionensis nedum suspecti, verum etiam hostis mei notorii, & fautorum suorum diu supportatas, deinceps tolerare mihi non licet, si de crudelitate notari non vellem, sibi dirigo litteras opportunas, quarum tenorem V. R. P. notum esse cupiens, copiam earum coram V. R. P. publicandam feci præsentibus intercludi ad vestra obsequia propirius & paratus. Easdem V. R. P. conservare dignetur omnipotens ad dirigendos gressus fidelium & infidelium per viam pacis & salutis, prout ad hæc vocati estis. Scriptum Rippaliæ die 1. Februarii MCCCCXXXV. [a]

Humilis & devotus ecclesiæ filius Amedeus dux Sabaudiæ, &c.
Ravoire.

(a) Hujus episcopi nulla extat mentio in vulgatis indicibus episcoporum Avenionensium, sed neque in novissima Galliæ Christianæ editione.

COPIA LITTERA INTERCLUSÆ.

NOtum fecit nobis duci Sabaudiæ ex Basilea relatio certa, quod die Veneris vigesima prima mensis Januarii anno præsenti, tam promotores sacri concilii, quam reverendus in Christo pater episcopus Lubicensis, sereniſſimi principis & domini, domini SIGISMUNDI Dei gratia Romanorum imperatoris semper augusti, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, &c. regis, domini mei metuendiſſimi, orator, in publica congregatione proposuerunt ecclesiam & civitatem Lausanensem esse mere imperiales; ex hoc consequentiam, sicut eis placuit, inferentes, quod nullum interesse in causa ipsius ecclesiæ nobis superet, de quo satis mirari emur, si in sacro concilio præsentialiter non essetis. Sed ubi vos & fautores vestros plerumque nobis notos adesse novimus, de præmissis & similibus adinventionibus non miramur. deteriora enim contra statum & honorem nostrum tacita veritate vos & ipsi hactenus fabricastis, tam in conspectu SS. domini nostri papæ ac sacri concilii, pro honoris nostri tuitione per oratores nostros propalata. verum de præmissa nuperrima propositione præfatos episcopum Lubicensem & promotores habentes competenter excusatos, ex eo quia non spiritu suo, sed alieno fallaci loquuti sunt, totam culpam super vos culpabilem merito & juste retorquemus, qui huc usque ad nostrorum status & honorum ac patrimonii depressionem, quantum in vobis fuit & est, laborastis & continue laboratis. Unde nedum vos jam suspectum habemus, sed inimicum notorium reputamus, & ut sacrum concilium & præfatus dominus orator Cæsareus deinceps vestris clandestinis susurrationibus, qui sub agni specie lupum geritis, non credant, sed veritati. Suis R. P. præsentium copiam mittimus aliis nostris litteris intercluſam. Est enim verum & sine quacumque tergiversatione manifestum, quod ecclesia & civitas Lausanensis ac omnia ejus castra, oppida & dominia temporalia atque diœcesis citra pattiam & terras honorabilium confœderatorum & amicorum nostrorum carissimorum Bernensium, Friburgensium, & Solodorensium, intra patriam nostram consistunt; quodque in civitate Lausanensi nos & patres nostri inclyti habuimus, habemus & habebimus, Deo auctore, præter vestrum beneplacitum protectionem conventionalem, jure patrimoniali, supremumque judicium & tribunal appellationum, quæ a judicibus temporalibus episcopi Lausanensis emittuntur. quod quidem jus, prout & cetera dominia nostra, pro majori parte ab imperiali majestate tenemus, cui & subjicimur, ut sacri Romani imperii princeps & vassallus. erga quam & quod debitam & incontaminatam fidelitatem semper exsequemur, nec erit in facultate vestra, licet ad hoc operam dederitis & detis vestris suggestionibus inter imperialem celsitudinem & me interponere excogitatam zizaniam, quin in sua gratia continue maneamus. Difficile etiam erit vobis patrimonium nostrum talibus fabulis nobis minuere, vel auferre, sicut moliti estis. & quia non est parcendum humilitati, quæ ad libitum non potest superbire, vobis tamquam suspectissimo & hosti notorio, per præsentes ingressum patriæ nostræ prohibemus. Significantes quod si contra hujusmodi prohibitionem ipsam patriam nostram, & maxime Wandi; in qua ecclesia, civitas & cetera dominia ipsius ecclesiæ sunt, vos intrare contigerit, experiemini an ipsa patria Wandi sit in Sabaudia vel Samaria, de quibus præsentes nostras litteras fieri fecimus per suscriptum notarium & secretarium nostrum, penesque nos ad futuram memoriam registrari. Datum Rippaliæ die 1. Februarii M CCCC XXXV.

Hæ litteræ fuerunt præsentatæ per histrionem domini ducis Sabaudiæ, in plena congregatione inductum, prout, &c.

LITTERA COMITIS ARMANIACI ad concilium Basileense.

Scribit in gratiam electi S. Pontii Thomeriarum.

Anno 1434. 8. Februar. *Ex mſ. Aquicinctino.*

REverendiſſimis reverendiſque in Christo patribus dominis cardinalibus patriarchis archiepiscopis, &c. in sacro concilio Basileensi existentibus dominis meis præcipuis.

Reverendiſſimi reverendique in Christo patres..... præponendo recommissionem vestris parendi mandatis cum promtitudine. Satis dominationes vestræ hactenus intelligere potuerunt, quanta cum devotione, quantoque sincero affectu semper illud sacrum concilium fuerim amplexatus; quodque ejus decreta atque mandata, ut unumquemque catholicum decet, summa cum veneratione susceperim, eis obsequendo, obediendo, illaque executioni demandando, quantum per me fieri potuit: quæ etiam in futurum firma atque illibata fovere atque conservare intendo, & quantum in me erit ab aliis facere observari. Reverendiſſimi ac reverendi in Christo patres & domini præcipui, cum pridem ecclesia S. Pontii Thomeriarum Narbonensis provinciæ, quæ dominiis meis confinis est, pastoris solatio desolata fuisset, & capitulum dictæ ecclesiæ initens decretis ipsius sacræ synodi, ad electionem futuri pontificis rite & canonice processisset, per quam electionem salubriter eidem ecclesiæ de idoneo & insuper utili pa-

ſtore proviſum eſt, & plerique magnates etiam prælati magis de eorum potentia confidentes, quam de bono jure ſuffulti, volentes nervum & auctoritatem decretorum dictæ ſynodi infringere ac peſſumdare, niſi *fuerint* dictæ electioni, non quidem juribus, ſed præcipue, quod in viris eccleſiaſticis deteſtabilius eſt, ſe armis opponere, in maximum dictæ eccleſiæ exterminium, & totius patriæ grande diſpendium. quæ ego perpendens, nec ullomodo tolerare valens, quod decreta illius ſacri concilii aliquorum potentia ſupprimerentur & fierent irrita, juxta poſſe meum, ad deffenſionem atque præſidium dictæ electionis totis viribus occurrere procuravi. quo factum eſt, ut per eos qui dictam electionem eorum potentia tyrannica conantur evertere, aliquorum prælatorum de provincia eiſdem colligatorum, qui cum clerici & prælati ſint, & decreta ſacrorum *conciliorum* deberent venerari, *ipſi* minus bene de concilio illo ſentientes, magis favores temporales ſequuntur, quam ad *bonum* eccleſiarum intendant; teſtimonio minus vero attendentes, ſacro cœtui veſtro intimare non erubuerint, quod per hujuſmodi electionem eccleſia ipſa & patria maximis diſpendiis & cladibus affecta fuerit & afflicta; falſe ſubtricentes, *quod his tantis malis* tyrannides ſe opponentium dictæ electioni occaſionem præbuerint, non autem ipſa electio. Mirandum eſt profecto, quod per viros eccleſiaſticos ita irritari velint ſacrorum *conciliorum decreta ſanctiſſima*, *in quibus* eccleſiarum reformatio & ſtatus conſiſtit. Sed longe magis admiratione dignum eſt, quod nedum extra concilium ipſum, ſed etiam intra concilium decreta veſtra maximos habeant perſecutores; quoniam etiam in ipſo concilio electio ipſa, quam utique decuit, maxime cum juſta ſit atque canonica, confoveri turpiter & per ſordem nolint confirmari, per aliquos propria ſectantes, non autem juſtitiæ zelatores; quodque ſi dominationes veſtræ ad obſervationem decretorum veſtrorum promtis animis & omni ſtudio non aſſurgunt, quis de illis bene ſentiet, aut quis de illorum obſervatione curabit? Quod enim ab aliis vultis obſervari, decet primum voſmet obſervare quantum in vobis eſt. Dignentur itaque dominationes veſtræ pro *Dei reverentia & pro proprio* honore dominationum veſtrarum, taliter ad cauſam hujuſmodi electionis animadvertere, quod hi qui ſub confidentia decretorum veſtrorum ad proviſionem ſalubertimam dictæ eccleſiæ *inducti ſunt*, *eorum ſpe & fiducia* non fraudentur, & de decretis ipſius ſacri concilii, ac de his quæ contra ipſa decreta in ipſo concilio facta ſunt, turpiter & per ſordem patria iſta non ſcandalizetur. Ego *tamen decreta ipſa quantum in me erit* intendo uſque ad apicem obſervare & facere obſervari, etſi per aliquos turpiter & injuſte irrita fieri vellent, niſi per totum ſacrum *concilium aliter fuero certioratus*, præcipiendo cuncta beneplacita mihi veſtris parato obſequiis, quæ adimplere juxta poſſe non deſinam, auxiliante Altiſſimo, qui vos incolumes reddere dignetur aſſidue. Scriptum *Inſulæ Jordani die* VIII. *menſis* Februarii MCCCCXXXV.

Veſtris paratus mandatis JOHANNES
Dei gratia comes Armaniaci, &c.

PROTESTATIO FACTA per inclytam nationem Germanicam ſuper materia indulgentiarum in facto Græcorum, in generali congregatione, die Veneris XI. *Februarii* MCCCCXXXV.

Anno 1435. 11. Febr. *Ex mſ. d. epiſcopi Feſ.*

Circa *medium* indulgentiarum pro ſancta Græcorum reductione arreptum, ut proſit propoſito, & non obſit potius fidei & ſtatui eccleſiaſtico, Germanica natio neceſſaria exiſtimat infraſcripta, quibus intendit firmiter inhærere.

Primo, cum catholicæ fidei cauſa communis ſit, & onera grandia, oportet per univerſas nationes quæſtum liberaliter & efficaciter admitti, pro colligenda diffinita neceſſaria ſumma pecuniæ, ſublatis omnibus impedimentis, & ſuſpenſis quibuſcumque aliis publicis plenariis indulgentiis, iſta durante.

Secundo, ne timor fraudis impediat executionem, oportet Germanicæ nationi poteſtatem dari de ordinandis quæſtoribus per ſuas provincias, & conſervanda pecunia recollecta.

Tertio, ne advenientibus Græcis, una natio ſe per aliam de comportando excuſare poſſit, oportet ſervari ordinem & æqualitatem: ſic quod primo prior in ordine natio teneatur ſecundum ratam *contribuere*; ſecundo loco ſecunda natio, & ſic deinceps quælibet natio ſecundum ratam immediate poſt illam quæ eam ordine præcedit.

Quarto, ne populus ſub nomine reductionis Græcorum decipi per clerum *opinetur*, oportet Germanicæ nationi dari poteſtatem, ſi non venerint, quæ ſoluta rata ſupereſt convertendi in pios, utiles ac neceſſarios publicos uſus nationis & locorum ubi fuerint recollectæ.

Quinto, ne ſuſpicetur populus inſcripta infringi, oportet antequam bullæ indulgentiarum per nationes mittantur, omnia antedicta ſolemniter & ſynodice decerni cum decreto irritanti omnes alias ordinationes & conceſſiones indulgentiarum, mandata & proceſſus etiam apoſtolicos, præterquam *pro executione præfatorum*; quæ cum ſint juſta & rationabilia, & ad profectum rei neceſſaria,

cessaria, natio Germanica non solum consentit quod fiant, sed etiam P. V. obnixe deprecatur.

Quibus peractis & non alias, natio ipsa Germanica, licet pro catholica fide ad destruendam Bohemorum perfidiam in retroactis temporibus multa damna in corporibus & rebus passa sit, & pluries maximas summas contribuerint tam clerus quam populus, adhuc liberali animo pro tam salutari augmento catholicæ ecclesiæ se offert ad diligenter perficiendum debitum suum. Quod si hæc fiant, non fiant cum non videant, quin hujusmodi via indulgentiarum potius reductioni Græcorum ac fidei, quoad efficaciam indulgentiarum; & ecclesiastico statui, quoad detractiones popularium, valde obsit, ac etiam cum nullo jure plus astringatur ad admittendum quæstum hujusmodi, quam aliæ nationes, palam suam intentionem insinuat P. V. & protestatur per eam non stare quominus per viam indulgentiarum satisfaciat ordinationi sacri concilii pro reductione Græcorum, quam summe fieri optat præmissis observatis.

LITTERA DOMINI DUCIS Burgundiæ, super pace Franciæ.

Extat tom. 12. conc. pag. 974.

LITTERA ALIA

ejusdem domini ducis, super eadem materia.

Superscriptio ut in alia littera.

De dieta Attrebatensi ab ambassiatoribus regis acceptanda.

Anno 1435. 16. Martii. Ex mss. Aquicinctens. & Chronic. Belgic.

REverendissimi, &c. Post ultimarum litterarum mearum scripturam, quas nuperrime, die videlicet XVI. mensis hujus, paternitatibus vestris scribendas duxi, inter cetera paternitates easdem deprecando, ut ad effectum in regno Franciæ pacis consequendæ, dominum meum regem monere, hortari & inducere dignarentur, & vellent ad dietæ super hoc avisatæ teneri in villa mea Attrebatensi acceptationem & receptionem. Post ambassiatorum meorum ad sacram vestram synodum per me destinatorum scripta, redditus sum avisatus ambassiatores ejusdem domini mei regis Basilicæ præsentialiter existentes, ab eodem domino rege potestatem habere, & expressam in eorum instructionibus facultatem, dietam hujusmodi pro & nomine dicti domini mei regis acceptandi, si tamen de hoc faciendo per sacrosanctum generale concilium requirantur. Ex qua causa, reverendissimi reverendique in Christo patres & egregii viri, paternitates vestras easdem deprecor, ut prius, affectu, quatenus ad rei tam laudatæ tamque felicis optatum successum, dignentur eosdem domini mei regis ambassiatores solemniter requirere, aut requiri facere pro parte vestræ sanctæ congregationis, ut dietam ipsam dicti domini mei regis nomine recipiant & acceptent. Et nihilominus, sicut per easdem meas litteras vestris paternitatibus requirebam, litteratorie aut per solemnes nuncios hortari dignentur & inducere dictum dominum regem, ut ad dietam ipsam suos ambassiatores cum requisita potestate solemniter transmittere non postponat: quatenus exinde ad ipsius Deo & hominibus tam placidæ rei celeriorem effectum congruentius intendatur. Celebrem cœtum vestrum, reverendissimi reverendique in Christo patres & decoratissimi viri, feliciter & prospere dirigere & conservare dignetur in cujus estis nomine congregati. Scriptum in villa mea Divionensi die XVIII. Martii.

Ecclesiæ sanctæ devotus filius PHILIPPUS Burgundiæ, Brabantiæ & Lymburgiæ dux, &c.

PHILIPPE.

TRONSON.

LITTERA SERENISSIMI

imperatoris Græcorum, missa sacro concilio Basileensi super unione ecclesiarum occidentalis & orientalis, lecta die Martis V. Aprilis MCCCCXXXV.

Extat apud Bzovium ad annum 1434. n. 27. ubi data est 13. Novembris, hic 12. Novembris.

BULLA LEGATIONIS

cardinalium S. Crucis & S. Petri ad vincula.

Eos creat Eugenius legatos a latere ad sacrum concilium.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis NICOLAO tituli S. Crucis in Jerusalem, & JOHANNI tituli S. Petri ad vincula S. R. E. presbyteris cardinalibus, apostolicæ sedis legatis S. & A. B. Anno 1431. 19. Febr. Ex mss. Aquicinctens.

Dum onus universalis gregis Dominici superna dispositione nobis injunctum diligenter attendimus, & quod singulis Christianæ reipublicæ maxime nunc in sacro Basileensi concilio occurrentibus, per nos ipsos debitum apostolicæ servitutis exequi non valemus, animo revolvimus, nonnumquam viros fide ferventes, dignitate & scientia præditos, & rerum agendarum experientia conspicuos in partem nostrorum & ecclesiæ Romanæ negotiorum assumimus, ut dum tempus postulat, eorum operationibus vices nostras supplentes, ministerium nobis commissum, divina assistente gratia, juxta vires nobis ex alto concessas, executioni mandare

possumus. Cumque in sacro Basileensi concilio nonnulla ardua negotia Dei honorem, statum ecclesiæ, & bonum totius reipublicæ Christianæ concernentia, agenda & expedienda incumbant. Igitur vos vitæ integritate & sapientia præclaros, magnitudine consilii conspicuos, ac in maximis nostris & dictæ ecclesiæ negotiis diuturna experientia comprobatos, legatos de latere cum plena & omnimoda potestate legatis concedi solita, de venerabilium fratrum nostrorum JORDANI Sabinensis, BRANDÆ Portuensis episcoporum, JOHANNIS tituli S. Laurentii in Lucina, ANTONII S. Marcelli, JOHANNIS tituli S. Sixti, FRANCISCI tituli S. Clementis, ANGELOTI tituli S. Marci presbyterorum, LUCIDI S. Mariæ in Cosmedim, PROSPERI S. Georgii ad velum aureum, & DOMINICI S. Mariæ in via lata, diaconorum præfatæ ecclesiæ cardinalium consilio, auctoritate apostolica, tenore præsentium facimus, constituimus, & etiam deputamus, vosque ad præfatum concilium pro prædictorum expeditione negotiorum tamquam pacis angelos providimus destinandos. Quocirca circumspectioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus injunctum vobis ministerium hujusmodi pro divina, dictæ sedis ac nostra reverentia, ad honorem Dei, ecclesiæ, & nostrum, salutem quoque & pacem totius populi Christiani, juxta datam vobis a Domino prudentiam, laudabiliter exequamini, quod ex vestris operibus fructus optati proveniant quos speramus, vosque deinde illam quæ pias causas agentibus superna retributione impenditur, gloriam consequi mereamini felicitatis æternæ. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCC. XXXV. XIII. calendas Martii, pontificatus nostri anno V. *Subscripta per omnes dictos cardinales prænominatos propriis manibus.*

De curia,
A. FERRARII.

BULLA EUGENII
ad legatos, &c.

Extat concil. tom. 12. *pag.* 951.

EUGENII PAPÆ IV. BULLA
ad concilii Basilii præsides.

Ut possint lites componere ortas occasione electionum & nominationum ad beneficia.

Anno 1433. 19. Feb. EUGENIUS, &c. dilectis filiis NICOLAO tituli S. Crucis in Jerusalem, JOHANNI tituli S. Petri ad Vincula, & JULIANO tituli S. Sabinæ presbyteris cardinalibus apostolicæ sedis legatis, ac venerabilibus fratribus Jo. archiepiscopo Tarentino, & PETRO Paduano pro nobis in sacro Basileensi concilio præsidentibus, S. & A. B.

Cum intellexerimus nonnullos veluti asserentes se electos seu postulatos ad quasdam cathedrales ecclesias . . monasteria, vel alias in eis jus competere, alios per nos de consensu fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium promotos, ad sacrum Basileense concilium in judicium trahere, ex quibus graves inter eos lites & ipsarum ecclesiarum seu monasteriorum tam in spiritualibus quam temporalibus multa & varia incommoda oriuntur. Nos veluti pacis & concordiæ inter se diffidentium & utilitatis ecclesiarum ac monasteriorum amatores, volentes his discordiis & dispendiis opportune consulere, vestris circumspectionibus, de quibus plurimam in Domino fiduciam obtinemus, omnes & singulas differentias inter præfatos asserentes se electos aut postulatos, & per nos promotos & alios quoscumque .... prædictis sua interesse putantes comple .... concordandi, componendi, sopiendi & statuendi, disponendi, obligationes quascumque etiam per pensionum impositionem hinc inde communiter & divisim faciendi, ac omnia & singula gerendi ac faciendi quæ ad plenam concordiam necessaria videbuntur aut quomodoliber opportuna, de consilio venerabilium fratrum nostrorum JORDANI Sabinensis, BRANDÆ Portuensis episcoporum, Jo. tituli S. Laurentii in Lucina, ANTONII tituli S. Marcelli, Jo. tituli S. Sixti, FRANCISCI tituli Clementis, ANGELOTI tituli S. Marci presbyterorum, LUCIDI S. Mariæ in Cosmedim, PROSPERI S. Georgii ad velum aureum, & DOMINICI S. Mariæ in Via-lata, diaconorum S. R. E. cardinalium plenam & integram tenore præsentium concedimus facultatem: ratum & gratum habituri quicquid per vos in præmissis ordinatum, concordatum fuerit & conclusum, idque faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCXXXV. XIII. calendas Martii, pontificatus nostri anno V.

Ego JORDANUS episcopus Sabinensis SS.
Ego BRANDA episcopus Portuensis SS.
Ego JOHANNES tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis SS.
Ego ANTONIUS tituli S. Marcelli presbyter cardinalis SS.
Ego JOHANNES tituli S. Sixti presbyter cardinalis SS.
Ego FRANCISCUS tituli S. Clementis presbyter cardinalis SS.
Ego A. tituli S. Marci presbyter cardinalis SS.
Ego LUCIDUS S. Mariæ in Cosmedim diaconus cardinalis SS.
Ego PROSPER S. Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis SS.
DOMINICUS S. Mariæ in Via-lata diaconus cardinalis SS.

COPIA LITTERÆ regis Jacobi, &c.

Adversus electum S. Pontii Thomeriarum.

Anno 1435. 20. Febr. *Ex mſ. Aquitaniensi.*

REverendis in Christo patribus & aliis amicis nostris cariſſimis in ſacroſancta ſynodo Baſileæ congregatis.

Reverendiſſimi in Chriſto patres & domini honorandi, devota recommendatione præmiſſa. Sæpe & nimium R. P. *ſuimus perſuaſi* errores iniquorum patienti ſub taciturnitate pertranſire, ea ſpe freti, quod reducente *ratione*, ſuos animos ad meliora converterent. Sed nobis cernentibus, quantum in dies accreſcat malignandi affectus, nedum in privati, ſed communis boni multiplicia detrimenta, viſum eſt preces noſtras *diutiſſime nos penes* otioſas in præſentiarum ad V. R. P. emittere debere, tanto profecto exaudiendas facilius, quanto plus pro integritate publicæ rei intercedunt. Quas ut aliquando aperiamus, a quo primum exortæ ſunt eædem paternitates advertant. Nuper ſiquidem eccleſiam S. Pontii Thomeriarum provinciæ Narbonenſis multis ab annis apoſtolicæ ſedi ſpecialiter reſervatam, cum per felicis memoriæ dominorum tum cardinalis ſancti Marci, tum patriarchæ Alexandrini obitus, qui ipſius eccleſiæ adminiſtrationem tenuerunt in commendam, *nuper* reverendo in Chriſto patri domino G. (*a*) tunc epiſcopo Appamiarum, patri quidem, quem morum probata honeſtas, ſanguinis claritas, litterarum cognitio cathedra paſtorali dignum comprobant, SS. dominus *noſter papa motu proprio* contulit eodem modo, ut ſingulis diſtricte examinatis, hujuſmodi de eo factam tranſlationem irrefragabilem putemus, ſi potuerit apoſtolica ſedes de ad eam ſpectantibus diſponere. Verum profecto *comperimus, unde* incolumitatis provinciæ bonique contemplatione communis vehementer conturbamur, impedimenta quæ nonnulli præfatæ eccleſiæ S. Pontii monachi, ſub cujuſdam prætenſæ electionis umbra, in diſpoſitionem & voluntatem apoſtolicam injicere moliti ſunt, prout & quotidie opponere nituntur, æquioribus quidem ferenda animis, niſi acerrimis præjudiciis referta forent. Si quæ, qualia, quantaque ſint animadvertant V. R. P. circa apponenda matura remedia parumper invigilare minime gravabuntur. Hi quippe collectis ſanguinum viris, in villas, caſtra & oppida præfatæ diœceſeos S. Pontii hoſtiliter congreſſi ſunt, pene vel numquam reparandis damnis partes afficiendo finitimas, indigenas pariter & incolas truculentis gladiis occidendo; *quo quid inhumanius*, quid impius, *quid juſtitiæ remedio dignius* veſtræ prudentiæ recenſeant. Ibi enim, ut brevius res geſtas exprimamus, ne magis infeſti accuſatores, quam providentis juſtitiæ zelatores videamur, tanta fuit effrenata immanitas, quod niſi ſuccurrente juſtitia perdometur, neceſſe videmus vindicem defenſorem, qui arma armis repellat, vim vique retundat, exſurgere oportere. Ut igitur ipſuetis atrocibuſque nimium tyrannis, non modo præfata diœceſis S. Pontii, ſed & circumjacentes partes multis affectæ incommodis liberentur, tranquillaque pax incolas fugitivos & *peregrinos formidoloſos* contineat faciatque ſecuros, noſtræ quoque terræ contiguæ, quietiori pace congaudeant, pio & æquo intuitu eædem veſtræ reverendæ paternitates remedia mandare feſtinent opportuna, quoniam quidem *niſi* juſtitiæ veſtræ virtus hujuſcemodi auſus temerarios coërceat, veriſimillimum eſt præfatum dominum epiſcopum, quem & ſenſu & viribus & amicis dominiſque complurimis grandi virtute valentibus potentem novimus, dum non amplius in perniciem ſui totiuſque provinciæ longiorem patientiam ſufferre poterit, *pro tota* facultate reſiſtendo impugnare. Certiſſimum quoque eſt nos ob noſtrarum conſervationem terrarum damnatiſſimos hoſtes profligare debere, quod fortaſſis jam pridem effectum foret, niſi expectata V. R. P. diſpoſitio retardaſſet. Sed conſtantiſſima ſpes conſuluit, & recte, ut ad hæccine ſananda vulnera V. R. P. deberent præire antidota. Quæ enim rerum difficultas eſt quam non noſcamus V. R. P. diſſolvere poſſe? omnia quippe eas penes ſunt *quibus rerum opportunitati conſulitur*. His igitur rebus laſſis & triſtibus, reverendiſſimi patres, veſtris pro prudentiis finem imponite, & id cauſæ quod tractandum ſupereſt, inter altiſſima & rectiſſima veſtra conſilia pia cura celeriter abſolvite, ut ſic quæſitus terminus juſtitiæ appareat. In hoc etenim & aggravatæ provinciæ, & deſolatæ eccleſiæ magna in parte V. R. P. ſuccurrent, ad quarum beneplacita nos præſto paratiſſimos ſincera caritate offerimus, quas Altiſſimus felices, proſperas & longævas ad ſanctiſſima complenda cœpta dirigere & conſervare dignetur. Ex Biterris xx. Februarii.

Jacobus rex Hungariæ, Jeruſalem & Siciliæ, &c.

JAQUES.

BOURSERII.

(*a*) Gerardo, qui tamen adhuc anno 1436. Appamienſem obtinebat epiſcopatum.

BULLA PAPÆ missa concilio Basileensi in materia reductionis Græcorum.

Venerabilibus fratribus & dilectis in Christo filiis in sacro Basileensi concilio congregatis.

Lecta in congregatione generali V. *Aprilis* MCCCCXXXV.

Anno 1435. 21. Februar. *Ex mſ. Aquicinctensi.*

EUGENIUS, &c. Venerabilibus fratribus, &c. Salutem, &c.

Jam pridem orator noſter, quem, ut alias ſcripſimus, menſe Julio præterito Conſtantinopolim miſimus, ad nos reverſus eſt. Cum eo venerunt duo oratores cariſſimi in Chriſto filii JOHANNIS PALÆOLOGI Romanorum *imperatoris illuſtris*, & venerabilis fratris JOSEPH Conſtantinopolitani patriarchæ, videlicet dilecti filii nobiles viri GEORGIUS & EMANUEL DISSIPATO germani fratres ad nos deſtinati. Ex his plane intelleximus, quicquid inter præfatos imperatorem & patriarcham & ipſum oratorem noſtrum in re ſanctiſſimæ unionis conſequendæ actum fuerit. Audivimus inter cetera quanto amore & reverentia imperator ipſe ſanctam Romanam eccleſiam complectatur, ac dignitatem ſe dis apoſtolicæ veneretur. Ex qua re de conficienda illa unione ſanctiſſima optimam ſpem *non indigne concepimus*. Horum oratorum opera apud nos fuit, ut capitula quæ ultimo Conſtantinopolim miſimus a nobis peterent confirmari, paucis tamen additis, quæ ad rem facere videbantur, aſſerentes nullo pacto ad ipſam unionem deveniri poſſe per eum modum, quem aliàs oratores, qui ex Conſtantinopoli ad nos venerant, vobiſcum concluſiſſe intelligunt. Nos vero quantum ad ipſa capitula pertinebat, plene reſpondimus, oſtendimuſque nullius adjectionis opus eſſe. Sed capitula illa juxta plenum intellectum ad eam rem conficiendam integre ſatisfacere. quo factum eſt, ut præfati oratores in eum modum quo ex ipſis capitulis declarauimus conſentire decreverint, dicentes ſe ab imperatore & patriarcha præfatis hoc in mandatis habere, ut declarationi & modificationi noſtræ, ſi quam facere nos contingeret, ſuum præſtarent aſſenſum, ob quam rem petierunt iterum præfata capitula ſic declarata a nobis confirmari. Nos autem etſi hic modus ad conſequendam ipſam unionem melior & aptior immo ferme ſolus videtur, horum tamen poſtulationi continuo non acquievimus, obſtantibus his quæ per alios oratores apud vos aliter & longe diverſo modo concluſa ſunt, utpote qui ex *omni parte pacem*, unitatem concordiam quærimus. Decrevimus itaque conſilio venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium oratores iſtos ad vos remittere, & ut circumſpectiones veſtræ quæcumque a præfatis imperatore & patriarcha ad nos detulerunt ad liquidum intelligant, ac tandem id poſſint eligere, quod ad conficiendam ſervandamque illam ſanctiſſimam unionem melius & commodius accedere videatur, ſi auditis recenſitiſque omnibus quæ hii oratores ad nos attulerint, eorum poſtulationi juxta modum capitulorum, de quibus ſupra diximus, annuere cenſueritis, & nos parati erimus vobis annuentibus conſentire, & juxta modum prædictum, qui ut præmiſimus eligibilior & aptior nobis ſemper viſus eſt, cauſam ſuſcipere. Si vero juxta modum inter vos & alios oratores concluſum cauſam hanc proſequi ſtatueritis, nec nos igtendimus diſſentire, quamvis modus ipſe a multis pene impoſſibilis judicetur. Rogantes omnipotentem Deum, ut quod hominibus impoſſibile videtur, pro ſua miſericordia reddatur facile. Ut enim alias ſcripſimus noſtra parum refert, qua via, aut quo medio is finis ſequatur, dum tamen ſequatur. Ille autem divinus Spiritus, in cujus nomine omnis ſancta ſynodus congregatur, det vobis id ipſum ſapere ſecundum JESUM CHRISTUM, quo æterno Patri gratum reddatis ſervitium, ſemenque veſtrum cadens in terram bonam, fructum centuplum afferat in patientia. Datum Florentiæ anno incarnationis Dominicæ M CCCC XXXV. octavo calendas Martii pontificatus noſtri anno IV.

JO. DE STECCATIS.

ALIA BULLA PATENS DOMINI noſtri papæ, in qua inſeruntur capitula concordata cum Græcis, &c.

Anno 1435. 21. Febrvar. *Ex mſ. Aquicinct.*

EUGENIUS, &c. dilecto filio JULIANO titulo S. Sabinæ S. R. E. preſbytero cardinali apoſtolicæ ſedis legato, ac venerabilibus fratribus JOHANNI Tarentino archiepiſcopo & PETRO Paduano epiſcopo noſtro & apoſtolicæ ſedis nomine in ſacro generali concilio Baſileenſi præſidentibus, S. & A. B.

Menſe prærerito dilecti filii nobiles viri GEORGIUS & EMANUEL DISSIPATO una cum oratore noſtro, quem Conſtantinopolim miſeramus, ad nos venerunt, per cariſſimum filium JOHANNEM PALÆOLOGUM Romeorum *imperatorem illuſtrem*, ac venerabilem fratrem JOSEPH patriarcham Conſtantinopolitanum ad nos deſtinati; qui nobis quæcumque inter præfatos imperatorem & patriarcham ac ipſum oratorem noſtrum acta ſunt ſerio retulerunt; ex quibus tum pro affectione & reverentia, quam ipſum oratorem huic ſanctæ apoſtolicæ ſedi deferre percepimus, tum pro modo qui in practica venit veluti imperatori grato & toti fere Græciæ accommodo de conſequenda ſanctiſſima unione

ſpem bonam *concepimus*. horum oratorum opera fuit & quidem cum multa inſtantia, ut capitula quæ *ultimo* loco Conſtantinopolim miſimus, & quæ infra ſequuntur, aliquibus *additis*, *confirmare* vellemus: aſſerentes nullo pacto ex modo per alios oratores apud ſacrum *concilium* Baſileenſi concluſo, ad optatam unionem deveniri poſſe. Nos autem quantum ad ipſa capitula pertinet plene reſpondimus, oſtendimuſque alia adjectione opus non eſſe; ſed capitula illa plene intellecta ad complendam materiam *hujus ſanctæ unionis* plene ſufficere. Quo factum eſt, ut præfati oratores in eum modum, *quem ex dictis capitulis* declaravimus, aſſentire decreverint: dicentes ſe ab ipſis imperatore & patriarcha *in mandatis* habere, ut declarationi & modificationi noſtræ, ſi quam facere *contingeret*, ſuum darent aſſenſum. Et hac de cauſa petierunt iterum ipſa *capitula ſic* declarata *confirmari*. Nos vero etſi modus iſte juxta ipſa capitula ad *conſequendum optatum finem*, melior & aptior videatur, non tamen petitioni ipſorum acquievimus, *obſtantibus his* quæ per alios oratores cum ipſo ſacro concilio aliter & longe diverſo modo concluſa ſunt. Quamobrem de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium, oratores ipſos ad præfatum concilium remittere decrevimus, qui quæ acta ſunt referent, ac præfati imperatoris mentem, poſtulationem, & quæ*cumque* ad *rem* pertinentia nota facient, ut ipſum ſacrum concilium ea omnia intelligens, ad liquidum id poſſit eligere, quod ad hujuſmodi unionem conſequendam propius accedere videatur. Si itaque auditis & recenſitis omnibus, præfatum ſacrum concilium eorum poſtulationi juxta formam capitulorum, de quibus ſupra diximus, annuere ſtatuerit, & nos etiam parati ſumus aſſentire, atque in hujus rei eventum vobis de quibus ſpecialem in domino fiduciam obſtinemus, cum præfatis oratoribus & aliis, quos pro parte dictorum imperatoris & patriarchæ communiter vel diviſim forſan intervenire contigerit, noſtro & apoſtolicæ ſedis nomine promovendi, tractandi, concludendi & firmandi, ac diſponendi & ordinandi juxta ipſorum capitulorum continentiam, de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica, plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatem. *Tenor capitulorum in forma talis eſt.*

Sanctiſſimus dominus noſter Eugenius divina providentia papa IV. pro gerenda ſanctiſſima unione, ut ſupra præmittitur, mittet ad partes orientales, præſertim ad civitatem Conſtantinopolitanam unum ex reverendiſſimis patribus S. R. E. cardinalibus legatum de latere, cum prælatis, doctoribus, magiſtris, & aliis, ut ſibi opus eſſe videbitur, cum ampla facultate agendi & faciendi omnia & ſingula, per quæ præfata unio & caritas inter orientalem & occidentalem eccleſias prædictas ſuum plenum conſequatur effectum.

Item, quod præfatus legatus cum prædictis prælatis etiam hinc iter arripiet cum galeis verſus civitatem Conſtantinopalitanam infra annum, poſtquam hæc capitula per ipſum dominum papam fuerint confirmata, & iter ſuum continuabit juxta poſſe, quamdiu perveniat ad dictam civitatem Conſtantinopolitanam.

Item, quod ſereniſſimus dominus Johannes imperator, & reverendiſſimus dominus Joseph patriarcha prædicti interim operam dabunt cum effectu ſuis propriis expenſis, ut qui pro parte ſua fuerint evocandi evocentur. Et placet ſanctiſſimo domino noſtro quod fiat ſynodus generalis ex parte eccleſiæ orientalis ex omnibus nationibus ipſi eccleſiæ ſubjectis ſeu adhærentibus: ita ut infra menſem a die adventus dicti legati ad civitatem Conſtantinopolitanam prædictam, omnes qui venturi ſunt venient, & præſertim reverendi patres domini patriarchæ, Antiochenſis & Jeroſolymitanus, &c. Et ſtatim finito illo menſe, procedatur ad proponendum, diſputandum, diſcutiendum & concordandum ſuper differentiis inter utramque eccleſiam.

Item, quod præfatus legatus tamquam legatus ſedis apoſtolicæ ſuſcipietur, tractabitur & honorabitur per dictum ſereniſſimum imperatorem & reverendiſſimum dominum patriarcham & ſuos ſicut legati ſedis apoſtolicæ de latere ſolent ſuſcipi, tractari & honorari. Similiter omnes prælati, doctores, magiſtri, & alii, qui cum eo venient, tractabuntur & honorabuntur, ut tales tractari & honorari ſolent.

Item, quod præfatus legatus gaudebit plena ſecuritate & libertate: ita quod libere poterit ad præfatam civitatem Conſtantinopolitanam venire, ſtare, redire quandocumque ſibi videbitur & placebit ſine ulla moleſtia, injuria, vel offenſa, juxta omnem poſſibilitatem prædictorum dominorum imperatoris & patriarchæ & ſuorum, etiamſi contingat dictam unionem, quod abſit, non ſequi; & idem per omnia de omnibus & ſingulis prælatis, doctoribus, magiſtris, & aliis qui venient, ſtabunt & redibunt cum dicto legato, vel ſeparatim ab eo. Inter cetera quod in diſputationibus quæ fient, licebit præfatis dominis legato, prælatis, doctoribus, magiſtris & aliis libere proponere, promovere, arguere, reſpondere, replicare & dicere, quantum & quotiens eis videbitur opportunum, pro intelligenda, declaranda, & conſequenda veritate, ut decens eſt. Et ſimiliter liceat omnibus, qui ex parte eccleſiæ orientalis prædictæ ad diſputandum deputati fuerint: ita quod in ipſis diſputationibus,

propoſitionibus, & dictis, utraque pars ſe invicem benigne ſupportet, & honoret, verbis indecentibus omnino ceſſantibus, & omnia cum pace & caritate fiant. Nam alias ad ipſam veritatem pervenire impoſſibile eſſet.

Item, quod congregatis prælatis & aliis ex utraque parte, ut ſupra præmittitur, procedatur *per viam diſputationis* arguendo & reſpondendo, ut ſupra, & ut diſputantium moris eſt, interponendo pro argumentorum diſpoſitione auctoritates evangeliorum & aliarum ſanctarum ſcripturarum atque etiam ſanctorum patrum & doctorum.

Item, quod quicquid ſuper differentiis inter utramque eccleſiam exiſtentibus ex communi concordia utriuſque partis concludetur & ordinabitur, inviolabiliter ſervari debeat per utramque partem, & manderur ſub penis & cenſuris debitis per omnes ſubditos utriuſque eccleſiæ tam occidentalis quam orientalis inviolabiliter ſervari & illibate cuſtoditi, ſicque ut idem velle & ſapere omnes hujuſce ſanctæ religionis auctori Chriſto deſerviant, & in unitate Spiritus-ſancti pariter intendant. Datum Florentiæ anno incarnationis Dominicæ MCCCCXXXV. VIII. calendas Martii, pontificatus noſtri anno IV.

Ego JORDANUS epiſcopus Sabinenſis manu propria ſubſcripſi.

Ego ANTONIUS tituli S. Marcelli preſbyter cardinalis propria manu ſubſcripſi.

Ego N. tituli Sanctæ Crucis preſbyter cardinalis manu propria ſubſcripſi.

Ego *Jo. cardinalis S. Petri ad vincula* manu propria ſubſcripſi.

Ego Jo. cardinalis S. Sixti manu propria ſubſcripſi.

Ego F. tituli S. Clementis preſbyter cardinalis manu propria ſubſcripſi.

Ego LUCIDUS S. Mariæ in Coſmedim diaconus cardinalis manu propria ſubſcripſi.

A. DE PALAZAGO.

A. DE FLORENTIA.

LITTERA DOMINI DUCIS BARRENSIS ad concilium Baſileenſe.

Scribit in gratiam Guillelmi electi Maclovienſis.

Anno 1435. 26. Febr. Exmſ. Aquicinct.

SAcroſanctæ ſynodo Baſileenſi dominis & amicis meis confidentiſſimis.

Reverendiſſimi reverendique in Chriſto patres & domini amici confidentiſſimi, cordiali recommendatione præmiſſa. Jam pridem veſtris reverendis paternitatibus innotuit, quantum electionis negotium Maclovienſis eccleſiæ de perſona reverendi patris abbatis de Bello-loco, eleemoſynarii dilectiſſimi conſanguinei mei ducis Britanniæ, præ cunctis ſui ducatus fideliſſimi & approbati factæ, cordi habuerit & habeat dictus conſanguineus, non ob ipſius electi perſonam, quin immo etiam propter utilitatem eccleſiæ, ac loci & ducatus ſui inimicorum exſtirpationem, tum etiam cum alias eadem eccleſia vacante, in epiſcopum ejuſdem electus unanimiter extitit, nunc ſiquidem vero ſecundo videlicet ad eamdem eccleſiam per ſimilem electionis viam vocatus exiſtat, negotio hujuſmodi non expectato, per dominum noſtrum papam leviſſime repulſam habuit. qua de re ut *hujuſmodi electionis* negotium recenſendo juxta veſtri ſacri concilii decretum queat accipere libramentum, corde & animo quantum poſſum affectione cariori deprecor, quatenus laborare placeat, ut dictum decretum per vos celebratum obſervetur, & ſuum conſequatur effectum, ne tanta diſpendia. electis & in futurum eligendis fiſis de decreto hujuſmodi præſtentur, & ne occaſio amplior pluribus præbeatur, ſpe amicorum circumquaque dictum dominum noſtrum papam circumpoſitorum per pecuniam preces & munera in vineam Domini obrepere, nec ad perſonæ delectum attendere (hoc enim ab omni ratione alienum cenſetur,) ſi quod in reipublicæ utilitatem editum eſt, in privatum ſubverteretur, vigilantiſſime, ſi placet, inſtando apud dictum *ſanctiſſimum dominum noſtrum papam*, poſtquam ſacro concilio ſtatutiſque & decretis in eo editis adhæſit, ut non vituperetur opus per eum ſemel approbatum, ut ſcandala tollantur, diſſentiones, mortes, depræ-dationes, deſtructiones & eccleſiarum invaſiones vitentur, quæ & quas inde oriri poſſent, quibus obviare tenemini. Reverendiſſimi reverendique patres & domini veſtra benepiacita mihi ſignificetis, quæ *juxta* poſſe perficere curabo. Eaſdem paternitates veſtras conſervet Altiſſimus, &c. Scriptum apud Caynonem XXVI. Februarii.

Sanctæ matris eccleſiæ devotus filius dux Andegaviæ, Calabriæ, Barri & Lotharingiæ marchio, &c. comes Provinciæ & Forcalqueriі.

RENE'.

EPISTOLA CAROLI REGIS Francorum ad concilium Baſileenſe.

In gratiam Guillelmi abbatis Belle-loci electi Maclovienſis.

Anno 1435. 28. Febr. Exmſ. Aquicinct.

SAcroſanctæ ſynodo generali Baſileenſi in Spiritu-ſancto legitime congregatæ.

KAROLUS Dei gratia Francorum rex. Amici cariſſimi & ſpecialiſſimi, novimus pridem qualiter vacante eccleſia Maclovienſi, ſub cujus uberibus Altiſſimo famulando clerus & populus ibi commorantes alliciuntur, per defuncti AMAURICI ipſius ultimi paſtoris obi-

tum, dilectum noſtrum GUILLELMUM abbatum B. Mariæ de Belſo-loco per canonicos illius loci cum ingenti ſolertia, excuſſo quocumque negligentiæ ſomno, ad eamdem, veluti alias, ipſa etiam vacante, *infuſa* Spiritus ſancti gratia electus extiterat, ipſum ad ipſam utique dignum fore electum, de quo *ſuſcepimus* jocunditatem. Ipſe enim eſt vir utique generoſus, vitæ venerabilis, ſanctæ religionis, juſtitiæ zelator, *hujus* Maclovienſis diœceſis genitus de majoribus viris, quem præcipue optamus & deſideramus in dicta eccleſia præeſſe, pro felici hominum quiete ac incolarum ſicuti pugilem inde feſſum amplecti. Nam prædeceſſores & progenitores ſui, ſignanter ille famoſiſſimus ſtrenuus miles BERTRANDUS conneſtabulus tempore quo vivebat *in humanis* regni Franciæ, qui inimicos noſtros exſtirpavit, & tanta bona in dicto regno noſtro procuravit, quod perpetuis temporibus, ut ad memoriam redeant (a) ſervitia ſua ad recognitionem erga ſuos ſucceſſores tenemus nos *obligatos*, *cujus* BERTRANDI dictus electus eſt proprius nepos, hujuſmodi auctoritate, electione non expectata, neque examinata, dignovimus epiſcopum Trecorenſem ad eamdem eccleſiam Maclovienſem per ſanctiſſimum *patrem* noſtrum papam ſiniſtre informatum fuiſſe translatum, in decreti ſacroſancti concilii ludibrium, & ipſius electi exceſſivam jacturam, locique ac diœceſis antedicti ſubſannationem: quoniam ipſe epiſcopus Trecorenſis a tempore quo ſedit in dicta eccleſia Trecorenſi, ut cunctis hominibus totius patriæ innotuit, *non profuit*, ſed præfuit. Quapropter agnoſcentes ipſum epiſcopum Trecorenſem nec ſibi nec patriæ Maclovienſi prodeſſe poſſe, rogamus vos quo poſſumus modo, quatenus dicto elemoſynario juſtitiam miniſtrari facientes, ipſum *in* dicta Maclovienſi eccleſia velitis facere pacificum, dicto *Predro* penitus rejecto, & ſibi impoſito ſilentio, in quo nobis ſumme complacebitis. Datum Caynonis die XXVII. menſis Februarii MCCCCXXXV.

KAROLUS.

EPISTOLA CARDINALIUM S. Crucis & S. Petri, ad concilium Baſileenſe.

De actis a ſe & aliis in Italia pro pace.

Anno 1435. 21. Maii. *Exmſ. illuſtriſſimi dn. nri Chanc. alis.*

1. REverendiſſimis reverendiſque in Chriſto patribus & dominis, dominis S. R. E. cardinalibus, prælatis, doctoribus, ceteriſque venerabilibus viris in ſacro generali concilio Baſileenſi reſidentibus dominis merito venerandis.

(a) Ut ea ſervitia aliquo modo rex compenſaret, honorifice eum inter reges Francorum donavit ſepultura in celeberrimo S. Dionyſii templo, & quidem in eadem qua *ipſe Carolus* humatus jacet capella.

A Si jam diu, reverendiſſimi reverendique *in Chriſto patres*, ceterique venerabiles viri, nullas ad veſtras reverendas paternitates noſtras dedimus litteras ſuper *negotio pacis* Italicæ componendæ, ac ſuper recuperatione terrarum eccleſiæ prædictarum, per alterum *ex nobis*, *qui* ad eas partes legatus mitteretur, juſta & optima ratione nobis viſum eſt. Potuiſſemus enim frequenter errare ſcribendo, jugiter variato ſucceſſu emergentium negotiorum, quem nullo certo judicio vel firmatione *comprehendere* valebamus. Cœpimus enim poſt noſtrum e Baſi- B lea diſceſſum, apud ſanctiſſimum dominum *noſtrum* de pace agere, quam ſingulari a vobis mandato proſequendam accepimus. Superioribus diebus paucula quidem de ea veſtris reverendis paternitatibus ſcripſimus, ſpe accenſi feliciſſimorum ſucceſſuum. Videlicet, ut ſæpe aſſolet, expectavimus pacem deſideratam, ab omnibus gratam, jucundam, amabilem; tenemus in manibus, & ecce dum ſtringimus, elabitur ut murænula, ac ſi, ut nobis votivum erat, pacem, auxiliante Domino, dediſſemus rebus, ſcripſiſſemus ordine ſucceſſive quæ principia, quæ C media, qui finis noſtrorum tractatuum. Sed cum abſoluto negotio, poſt multos labores, ſpes omnis evanuerit conficiendæ pacis, ingrata videtur hora, quæ *nihil jocunditatis* afferret aut commodi. Unum ſane prætereundum non putamus, quod propter regnum Siciliæ, de quo illuſtris dux Mediolani ſe diſponit intromittere in favorem illuſtris domini ducis Barrenſis, non annuente domino noſtro, pax iſta non potuit conſummari. Allegat ipſe dominus dux Mediolani, quod *hoc facit pro* ſuo honore conſervando, propter quaſdam conventiones, quas habet cum præfato domino duce Barrenſi. D Replicat ſanctiſſimus dominus noſter, quod ſine ſuo mandato & juſſu, nemo debet de *terris* eccleſiæ ullo pacto ſe emparare, quovis captato colore vel cauſa. His poſtremo hoc fine ſtatutis, venit dominus marchio Eſtenſis viſere ſanctiſſimum dominum noſtrum, eique pollicitus eſt pacem ſe daturum ſibi cum eodem *domino* duce Mediolani, jamque confeſtim accedit Mediolanum experturus vires ſuas, induſtriam & diligen- *tiam* pro hac parte * firmanda. Illi Deus an- * *f.* pace. E nuat & dextre aſſiſtat. Nobis autem propter peccata noſtra hoc explere pro voto *non* eſt conceſſum. De legato autem mittendo altero ex nobis, pro recuperandis terris eccleſiæ, *non* eſt viſum ſanctiſſimo domino noſtro. Sperat enim aliis modis ſuccurrere rebus: quod præſter Omnipotens, qui *in* agendis ad ſui honorem veſtras dignetur dirigere paternitates. Sanctiſſimus dominus noſter me cardinalem S. Crucis mittit in Gallias, pro pace firmanda. Ego autem cardinalis S. Petri hic remaneo, pro certis bonis

cauſis, ſtatum & honorem eccleſiæ concernentibus, deſiderando mandatis R. V. libenter obſequi & parere, quibus nos pariter humiles commendamus. Ex Florentia die XI. Maii.

C. R. P. veſtrarum humiles ſervitores.

EPISTOLA ORATORUM concilii Baſileenſis ad imperatorem ad concilium Baſileenſe.

De negotio epiſcopi Tridentini, Bohemorum, & reformationis eccleſiæ.

Anno 1434. 30 Maii. *Ex mſ. Chamelli-ano.*

1. SAcroſanctæ, &c. Reverendiſſimi & reverendi in Chriſto patres & venerabiles domini, litteram ſacroſanctæ veſtræ in Spiritu ſancto congregationis recepimus, per quam in negotio reverendi in Chriſto patris & domini epiſcopi Tridentini injungebatur nobis *ſollicitudinis ſtudium adhibere.* Cui ſiquidem juſſioni, ſicut & omnibus per vos præceptis, promtum in nobis fuit obediendi propoſitum. Sed eo tempore, quo littera nobis oblata eſt, jam concordiam initam eſſe communi colloquio ferebatur. Nihilominus *eidem domino epiſcopo in hac civitate præſenti* per unum ex nobis vice omnium dictum eſt, quale a ſacro concilio recepiſſemus mandatum, & licet, ut dicebatur, jam concordia facta eſſet, ſi quid tamen neceſſarii operis ſuis negotiis putaret accommodum, *ſignificaret hoc nobis*; quoniam parati eramus juxta mandatum ipſius ſacri concilii apponere partes noſtras.

2. *De negotiis Bohemiæ*, ſicut veſtris paternitatibus notum fecimus, ad Dominicam *in Albis* apud Bruinam fuit condicta diæta. Poſtmodum *ſcripſit* nobis *ſereniſſimus princeps dominus imperator*, quod ad octo dies fuerat prorogata, hortans nos illo ibi adeſſe tempore, *quo & ipſe infallibiliter non* deeſſet: quo termino pendente, miſit unum baronem Bohemiæ de familia ſua nomine Pota, *petens illuſtrem principem dominum ducem* ALBERTUM, & nos ad ejus accedere majeſtatem. Nos mox ivimus, dominus vero *dux ſe ire non poſſe, cauſis urgentibus impeditum*, litteris excuſavit. Nobis itaque apud ipſius imperialem ſerenitatem in Poſonio *conſtitutis, de conſtituendo terminum* ſeu diem conventionis Bruinæ conſultationem propoſuit, & cum nos pro celeritate *fecerimus exactam inſtantiam, dominus imperator* imminere ſibi pro negotiis regni Hungariæ impedimenta expoſuit. Unde non abſque difficultate ad *hoc deventum* eſt, quod ad Dominicam ante feſtum aſcenſionis fuit apud Bruinam terminus præfinitus, *ad quam nos cum domino duce prædicto ire*, dante Domino, promti ſumus. Concedat clementiſſimus Deus illo in tempore ac loco *hæc negotia felice fine concludi, pro quo a* paternitatibus veſtris fieri & mandari fieri orationum ſuffragia humiliter ſupplicamus. Inter hæc per Dei gratiam undique audivimus in melius facta diſponi. Nam in Moravia duæ obſidiones ad evellendum reliquias poſitæ ſunt, & infra Bornuam contra Thaboritas quatuor a baronibus & duæ in proximo fiendæ ſunt, aut ſecundum prædicta nobis forſitan jam ſunt factæ: ita quod qui obſidebant, obſidentur; & qui calcare ſe poſſe orbem pedibus præſumebant, nunc vix recluſi fortalitiis ſtent ſecuri. Hæc mutatio dextræ Excelſi. Ipſe qui cœperit perficiet, quia Omnipotens nomen ejus.

3. Ceterum ſtyli officio explicari non poſſet, quanta lætitia refectæ ſunt mentes devotorum filiorum; qui eccleſiæ Dei obſtant, & ipſi ſacro concilio detrahentium opilatæ ſunt linguæ, cum diverſorum fuit relatione vulgatum, reformationis operi, poſt anfractus varios eum ordinem datum eſſe, quo felix concluſio abſque moræ diſpendio expectatur. Cum pridem apud imperialem majeſtatem eſſemus, & relata diſpoſitio & ſeprifaria partitio reformationis fuiſſet [expoſita], ipſius ſereniſſimi domini imperatoris, & circumſtantium prælatorum, baronum ac ceterorum exhilarata ſunt corda, prodentibus vultibus vocibuſque, plurimi hoc teſtati ſunt, & ſpem bonam ſe ex eodem reformationis opere habere dixerunt. Ideoque paternitates veſtras ſupplicum precum inſtante cunctorum fidelium voto depoſcimus, quatenus opus hoc tam ſalutare felici conſummatione donetis, & orbis Chriſtiani ſalutem, quæ in manibus veſtris eſt ſita, languenti & exoptanti præbete, ne hujus expectationis gaudium evaneſcat, & opilatæ linguæ, ſuperveniente exſiccatione, ſolutæ acrius inferveſcant, & auctoritas, & quod lugubrius foret, mala quæ nos gravant, ſperatis remediis deficientibus, invaleſcant, & deſperata ſalute, proximum interitum comminentur, quod abeſſe miſeratio divina concedat, atque ſacrum diſſolvi concilium, niſi terminato negotio Bohemorum in articulis pacis & reformationis facto notabili fructu. Spiritus almus, in cujus eſt nomine congregatum, ſicut diverſitatem linguarum in unitatem fidei adunavit, ita exploſis diverſitatibus & differentiis cunctis, vos in unum ſanctum & Chriſtiano populo utile propoſitum firma ſtabilitate conſtituat, & ad effectum pro gloria ſuæ majeſtatis perducat. Scriptum Viennæ, XI. Maii anno MCCCCXXXV.

PETRI

PETRI FUXENSIS CARDINALIS epiſtola continens concilii Baſileenſis litteras pro habendis informationibus de vita & ſanctitate ac miraculis Petri de Luxemburgo.

Anno 1435. 12. Junii. *Ex mſ. Aquicinct.*

PETRUS miſeratione divina epiſcopus Albanenſis S. R. E. cardinalis de Fuxo nuncupatus, in civitate Avenionenſi & comitatu Venaſini pro domino noſtro papa & S. Romana eccleſia in temporalibus vicarius generalis, necnon in Arelatenſi, Aquenſi, & nonnullis aliis provinciis, civitatibus & diœceſibus apoſtolicæ ſedis a latere legatus, venerabili domino Andreæ Sancii decretorum doctori, canonico & ſacriſtæ Lombarienſi, curiæ noſtræ cauſarum auditori, ſalutem in Domino ſempiternam.

Per religioſum virum fratrem Bartholomeum Rubei ſindicum conventus Cæleſtinorum civitatis Avenionenſis fuerunt nobis die datæ præſentium ex parte ſacri Baſileenſis concilii exhibitæ litteræ tenoris ſequentis.

Venerabili PETRO epiſcopo Albanenſi, S. R. E. cardinali de Fuxo, apoſtolicæ ſedis legato.

Sacroſancta, &c. venerabili PETRO epiſcopo Albanenſi, S. R. E. cardinali, &c. ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Dudum nonnullos cardinales & prælatos alios in ſacro concilio exiſtentes deputavimus, qui ſe informarent de ſanctitate vitæ ac miraculis, quibus claruiſſe fertur bonæ memoriæ PETRUS DE LUXEMBURGO olim cardinalis, ut de his probata veritate, ſanctorum catalogo annumeraretur. Et quia, ut intelleximus, nonnullæ in re iſta olim habitæ informationes in civitate illa Avenionenſi eſſe debent, quæ adhibita diligentia facile reperiri poterunt: ideo devotionem tuam rogamus & hortamur, ut cum diligentia partes tuas ità interponere velis, quod per opera tua dictæ informationes & alia legitima teſtimonia quibus comprobari poſſit vitæ ſanctitas dicti Petri, recolligantur, & recollecta ad nos tranſmittantur, ut ea, quæ circa præmiſſa intendimus, ad effectum deducere valeamus. Et ſi in his illam quam confidimus diligentiam adhibueris, nobis certe, ultra meritum quod inde conſequeris, rem gratiſſimam facies. Datum Baſileæ, XII. Junii MCCCCXXXV.

TENOR LITTERÆ REGIS ANGLIÆ.

Anno 1435. 14. Junii. *Ex mſ. Aquicinct.*

SACroſanctæ Baſileenſi ſynodo in Spiritu-ſancto legitime congregatæ univerſalem eccleſiam repræſentanti, HENRICUS Dei gratia rex Angliæ, &c. & dominus Hiberniæ ſalutem, & votivis in Domino ſucceſſibus

A aggreſſa feliciter conſummare.

Præſtantiſſimi patres, ſanctæ matris eccleſiæ pugiles & columnæ, viſis & intellectis veſtræ concionis ſacratiſſimæ litteris credentialibus, quas pridem honorabiles & diſcreti viri magiſtri Jo. Pulcripatris in theologia, & Stephanus de Novaria legum doctores eximii, veſtri cœtus almifici oratores, nobis præſentarunt, ac credentia eis deſuper commiſſa, noſtræ majeſtatis in conſpectu elegantiſſime ſtyloque diſertiſſimo ſerioſius explicata, poſt deliberationem cum noſtris conſiliariis exinde habitam, reſponſiones ſuper aviſatis eis tam verbo, quam in ſcriptis miniſtrati fecimus, de quibus iidem oratores veſtram congregationem ſacroſanctam plenius informare noverunt: quos tamquam perſonas multimoda laude dignas, apud veſtras ſanctitates internis affectibus recommitti precamur, quarum corda omnis gratiæ influentiam operans illuſtrare dignetur Spiritus ille ſanctus, cujus inſtinctu a diu fuiſtis & eſtis congregati. Scriptum in palatio noſtro apud Weſtmonaſterium, menſis Junii die XIV.

TENOR LITTERÆ DUCIS GLOCESTRIÆ.

Anno 1435. 4. Julii. *Ex mſ. Aquicinctenſi*

REverendiſſimis reverendiſque in Chriſto patribus in ſacro concilio Baſileenſi congregatis.

Sacroſanctæ ſynodo Baſileenſi, &c. devotiſſimas filiales ſuſcipere recommendationes & feliciſſimas gerendarum ſemper rerum reportare ſucceſſus.

Sanctis his ſtudiis, quibus, ô patres conſcripti, ſollicite inſudatis, adeo quidem adhæſit adhæretque anima mea, ut permaxime velim ea omnia, quæ quoquo modo ad promotionem eorum tendere queant, tam celerem quam ſalubrem ſortiri bonæ expeditionis fructum, & ad id ſtudium omne meum, ac operas indefeſſas ardenti nimis deſiderio impartiri. Hujus ſiquidem continui & immobilis voti mei, ex pleriſque rerum indiciis, quas ante geſſerim, veſtras, uti reor, paternitates argumenta non latent; ſed & ipſius fixi firmique propoſiti recens ſatis experientia teſtis eſt, dum nuper partes meas non ſegniter quidem appoſui, ut ſolemnes diſertiſſimique ambaſſiatores veſtri magiſtri Johannes Pulchripatris ſacræ theologiæ & Stephani de Novaria civilis ſcientiæ profeſſores egregii, ad iſtud inclytum regnum tranſmiſſi, apud ſacram regiam majeſtatem, benignam utique celeriter, immo citiſſime audientiam obtinuerunt, qui revera divinas ſancti concilii adhortationes ſacraque vota excellenti facundoque ſtylo edifferentes, plurimum apud Deum & homines laudis & honoris & præmii meruere. Hos igitur, amabiles Deo patres, ſuſcipere dignemini, pro

meritis recommissos, & quam gratis gratioseque invenerint celsitudinem regiam sanctissimis sacri concilii desideriis inclinatam, ipsis pro summa eorum prudentia auctoritateque permaxima, fidem præbere indubiam paternitatibus vestris fas erit; quas ad sanctæ matris ecclesiæ & suppositorum ejusdem directionem & reformationem felicem inspiret, quæso, Spiritus ille sanctus, in cujus estis nomine congregati, necnon ut positis & capitis & membrorum conficere unitatem, sua in vos carismatum dona largiri dignetur. Scriptum Londoniis, sub signeto meo IV. Julii.

Devotus ecclesiæ filius HUMFRIDUS dux Gloceſtriæ, comes Pembprochii, magnus camerarius Angliæ.

RESPONSIONES DATÆ

ad mandatum excellentissimi ac christianissimi principis HENRICI *Dei gratia regis Angliæ & domini Hiberniæ, per avisamentum consilii sui, honorabilibus & discretis viris magistris Johanni Puleripatris in theologia, & Stephano de Novaria in jure civili doctoribus egregiis, ambassiatoribus ad celsissimam suam regiam a sacro Basileensi concilio destinatis.*

Ex mſ. Aquitebatensi.

AD ea quæ pro parte dicti concilii per eosdem oratores postulata & petita fuere, videlicet quod cum ipsum sacrum concilium novissime fuerit avisatum per illustrem principem regiæ celsitudinis avunculum carissimum ducem Burgundiæ, quod ipse existens in civitate Nivernensi fuerat requisitus per ducem Borbonii & certos alios, ut vellet intendere ad generalem pacem regni Franciæ, & quod tandem prælocutum fuerat de diæta una sive conventione tenenda in villa Atrebatensi prima die Julii proxime futura: quæ diæta & conventio quantum ad locum & tempus per ipsum ducem Burgundiæ & partem alteram regiæ sublimitati adversantem, fuerat acceptata, cum ficta intentione ad dictam conventionem sive diætam de principalioribus sui sanguinis & aliis suis consiliariis, cum plenissima potestate ad effectum dictæ pacis habendæ, transmittendis.

Intendatque ipsum sacrum concilium solemnem ambassiatam ad dictam conventionem sive diætam aliquos de majoribus transmittere dicto tempore, & ita concluserit in sua congregatione generali.

Quamobrem iidem oratores celsitudinem regiam exhortabantur & rogabant in visceribus caritatis ex parte sacri concilii, ut sua majestas regia dictam conventionem locumque & tempus acceptare velit, ad eamque de suis parentibus & consiliariis cum plenissima potestate dictam pacem perficiendi mittere; atque ubi ex bona dispositione partium res solito se gratiorem offert, & sacrum concilium potest opus Deo adeo acceptum efficere, cupit ut majestas regia sincerum votum quod hactenus in pectore gessit, in acceptatione dictæ conventionis & ceteris rei accommodis ostendat.

RESPONSIO AD PRÆDICTA.

Ex mſ. Aquitebatensi.

SUblimitas regia sua constanter tenet in mente, quod ipsum sacrum concilium minime latet, neque latere potest, cujus & qualis dispositionis eadem omni tempore fuerit & sit erga ipsum pacis bonum. Ipsam namque sui animi dispositionem ad tantæ rei utilitatem flexam & inclinatam, primo beatissimæ memoriæ papæ MARTINO V. qui per medium reverendissimi P. Angliæ cardinalis suam serenitatem ad ipsam pacem crebro hortatus est, aperuit, & demum eamdem repetitis vicibus tam litteris quam etiam oratorum suorum Basileam transmissorum, ad tractandum, appunctuandum & inveniendum pacem ipsam, plenam potestatem hinc inde voce viva eidem sacro concilio intimavit. patere etiam nihilominus potuit hæc suæ dispositionis inclinatio per reverendissimum dominum cardinalem S. Crucis, a sede apostolica in regnum Franciæ ea de causa legati transmissi, relationem; qui quantas sollicitudines & diligentias pro ipsius pacis compendio rationabilibus mediis obtinendo, regia sublimitas ante hæc tempora fieri fecerat, bene novit. has quoque sollicitudinum & laborum diligentias ac regiæ celsitudinis animi ad pacis bonum inclinationem serenissimo principi SIGISMUNDO Dei gratia imperatori Romanorum, & etiam fratri suo præclarissimo, id idem ab eo postulanti, responsiones & scripta regia pluries sibi transmissa, ac etiam duæ variæ conventiones inter partes diffidentes appunctuatæ, primo scilicet apud Autissiodorum, deinde apud Corbolium, quibus idem dominus cardinalis intererat, plenius testantur.

Præmissis itaque pro regii culminis dispositione optima erga pacem hujusmodi habendam peroratis, suæ celsitudo inclytissimorum progenitorum suorum, qui pacis & unitatis intimi dilectores semper extiterunt, vestigiis inhærendo, ad Dei omnipotentis laudem & honorem, & ad vitandum Christiani sanguinis effusionem, immo pro quiete ac tranquillitate subditorum suorum, ipsum regnum Franciæ inhabitantium, & præsertim contemplatione & ob reverentiam hortamentorum & rogationum tam sanctissimi patris domini EUGENII jam summi pontificis, sub eadem re majestati regiæ scribentis, quam etiam concilii memorati; & ut realiter fictione quavis exposa, ejusdem sublimitas cunctis

insinuet ea quæ omni tempore erga ipsum pacis bonum gessit, & suo gerit in pectore de præsenti, ad locum memoratum suam ambassiatam solemnem, cum potestate plenaria dictam pacem assequendi, effectualiter destinabit.

Verum quia prout in credentia præfatis oratoribus commissa plenius continetur, sacrum concilium ad dictam conventionem sive diætam suam intendit solemnem ambassiatam, & præsertim aliquos de ipsius concilii cœtus majoribus destinare, majestas regia supplicat, quod ipsum sacrum concilium tales in hac parte personas illuc mittere debeat, quæ pacis amatores sint, & quæ absque partialitate quacumque circa ipsius pacis bonum suas operas efficaces interponere, & indifferenter partes ipsas ea quæ pacis sunt velint effectualiter procurare.

LITTERA CREDENTIALIS Ambassiatorum domini nostri papæ, venientium ad concilium pro responsione facienda ad proposita per oratores concilii, &c.

Anno 1435. 21. Julii. *Ex msf. Apostolicæ.*

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus ac dilectis in Christo filiis in sacro Basileensi concilio generali congregatis, salutem, &c.

Mittimus ad sacrum concilium Basileense pro nonnullis arduis negotiis, nostrum & Romanæ ecclesiæ ac sedis apostolicæ statum & honorem concernentibus, dilectos filios AMBROSIUM ordinis Camaldulensis generalem & magistrum Antonium de S. Vito, causarum palatii apostolici auditorem, oratores nostros ad pacem ecclesiæ sincera voluntate dispositos, & nonnulla alia nostro nomine prudentiæ vestræ exposituros, quibus sive alteri eorum in his quæ referent, fidem indubiam adhibere velitis. Datum Florentiæ anno incarnationis dominicæ MCCCCXXXV. X. calendas Augusti pontificatus nostri anno V.

G. DE YMOLA.

LITTERA CREDENTIALIS collegii dominorum cardinalium.

Ex eadem msf.

SAcrosanctæ synodo Basileensi, episcopi, presbyteri, & diaconi S. R. E. cardinales recommendationem & votivam in Domino caritatem.

Ex parte SS. domini nostri summi pontificis præsentium latores domini AMBROSIUS prior generalis ordinis Camaldulensis, & Antonius de S. Vito palatii apostolici causarum auditor, ad præsentiam P. V. in præsentiarum accedunt, quibus nonnulla commisimus P. V. nostri parte referenda colloquia. Precamur igitur, ut placeat relatibus eorum tanquam nostris fidem per omnia tradere creditivam, ad cuncta semper vestra mandata parati. Scriptum Florentiæ die XXII. Julii MCCCCXXXV.

LITTERÆ AMBASSIATORUM sacri concilii qui iverunt ad Græciam.

Anno 1435. 6. Augusti. *Ex msf. illustrissimi domini Chauvelin.*

SAcrosanctæ generali synodo Basileensi in Spiritu sancto legitime congregatæ, universalem ecclesiam repræsentanti, suis dominis metuendissimis.

Reverendissimi reverendique patres, & doctores, & magistri, ceterique domini nostri præstantissimi, debita ac devota recommendatione præmissa. Licet post accessum nostrum ad Venetias opportunitatem habuerimus scribendi; quia tamen propter pestem maxime ibidem urgentem, in maximis perplexitatibus fuimus, de itinere nostro prosequendo non scripsimus. Nunc autem ad alteram partem determinati, notificamus dominationibus vestris, quomodo post multas deliberationes & consilia, deliberavimus ire cum galeis, non attendentes infectionem, quæ posset, sicut & de facto timetur, contingere in eisdem, Deo nos & iter nostrum committendo. Maluimus enim cum periculo personarum nostrarum, negotia ecclesiæ & vestra secure agere, quam salvis corporibus nostris, aliud quærere, per quod impediri aut retardari quoquo modo posset nobis per vos injunctum negotium. Solvimus pro naulo galearum, pro nobis omnibus centum quadraginta septem ducatos, pro expensis vero per diem solvemus ad minus duos ducatos. Omnes autem sumus in galea divi Zachariæ Donati consanguinei reverendissimi domini episcopi Paduani. per illos de baneto de medicis fuimus optime tractati. Tam in facto cambii principalis pecuniæ, quam secure per viam Januæ in pera deposuerunt; quam in pecuniis expensarum nostrarum, quas ad omnem requisitionem nostram habuimus & præter votivam expeditionem in facto cambii... ut præmittitur. Honoraverunt nos ob reverentiam sacri concilii & paternitatum vestrarum, sicera, confectionibus & vinis quantum decuit valde abundanter & honorabiliter. quare rogamus dominationes vestras, ut Roberto & illis de dicto bancho debite regratientur, quia absque dubio humane in omnibus negotiis nostris se habuerunt nobiscum: quam potuerunt, & quam nos exprimere possimus. Postquam convenimus de naulo & expensis cum galeis, de consilio multorum quam citius potuimus de Venetiis recessimus propter pestem, & venimus ad manendum Polæ, in loco utique sceleri * valde & febricitanti, ubi quam meditas nostrum febribus decubuit; gratia Dei tamen sine periculo, & ubi jam galeæ cum qui-

* *f.* celebri.

bus ituri sumus convenerunt. Speramus autem quod die lunæ futuræ, scilicet octava presentis (mensis) iter accipiemus cum eisdem. Quotidie sumus & conversamur cum dominis ambassiatoribus Græcorum in magna caritate, & quantum est ad conclusionem sacri concilii in materia ipsorum, reputant jam quantum ad eos pertinet jam positam in executione, & licet ex una parte de bona dispositione ipsorum gaudeamus & simus lætantes; tamen ex parte altera semper cor nostrum ardet in nobis, ne ex parte ecclesiæ aliquo modo contingat defectus. quare rogamus dominationes vestras, & in Domino obsecramus, quatenus alia negotia ecclesiæ prosequenda, hoc præcipue ab oculis vestris non recedat, quia hoc feliciter peracto, alia succedent prospere & votive. Dominus Christophorus Garontonus est hic cum galeis, & venit Constantinopolim; nescimus propter quod, nondum locuti fuimus secum. Altissimus reverendissimas dominationes & paternitates vestras conservare, resque suæ ecclesiæ sanctæ in manibus vestris dirigere dignetur feliciter & longæve. Amen. Scriptum Polæ, die VI. August. MCCCCXXXV.

SUBSCRIPTIO.

Earumdem vestrarum reverendissimarum paternitatum humiles & devoti oratores.

Frater Johannes de Ragusio.
Henricus Virginer.
Simon Freron.

BULLA

per quam mandantur moneri domini archiepiscopus Tarentinus & episcopus Paduanus presidentes domini papæ.

Anno 1435. 6. August. Ex mss. Aquicinct.

SAcrosancta, &c. venerabilibus JOHANNI Antiochensi, LUDOVICO Aquilegiensi patriarchis, AMEDEO Lugdunensi, HENRICO Bituricensi archiepiscopis, JOHANNI Aurelianensi, BERNARDO Aquensi, MARTINO Lectorensi episcopis, & dilectis ecclesiæ filiis Johanni vicario Frisingensi decretorum, Dionysio *Sabrenoys* Theologiæ rectoribus, salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Cum per decretum sacri generalis concilii Constantiensis, cum magna maturitate & deliberatione editum, declaratum extiterit, ipsum concilium Constantiense & alia concilia generalia potestatem immediate recipere a Christo, cui quilibet catholicus cujuscumque status aut conditionis existat, etiamsi sit Romanus pontifex, in pertinentibus ad reformationem generalem in capite & in membris faciendam, & aliis in ipso decreto expressis & comprehensis obedire tenetur; & si non fecerit, subjici debet condignæ pœnitentiæ, & ad alia remedia contra talem procedi: venerabilisque JOHANNES archiepiscopus Tarentinus, PETRUS Paduanus episcopus, pro sanctissimo domino EUGENIO papa IV. in nostra generali synodo Basileensi compræsidentes, decretum prædictum sacri concilii Constantiensis & contenta in eo servare, necnon decretum nostræ factæ synodi super annatis seu vacantiis ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum ecclesiasticorum beneficiorum de cetero non solvendis, reformando ecclesiam in capite & in membris editum, ac solemniter in nostra publica sessione decretatum & publicatum, nonnullas protestationes nominibus suis & aliorum eis adhærere volentium, palam & publice fecerint, in illisque velle perseverare se publice jactaverint, in scandalum non modicum universalis ecclesiæ per nostram Basileensem synodum repræsentatæ, juramentique per eos, ut præmittitur, præstiti violationem, pœnis in decreto concilii Toletani contra tales protestantes edito se reos faciendo. Cupientes præmissis in perniciem & scandalum universalis ecclesiæ, reformationisque generalis ecclesiæ impedimentum, præsumtis obviare, vobis tenore præsentium committimus & mandamus, quatenus JOHANNEM archiepiscopum Tarentinum & PETRUM Paduanum episcopum prædictos, auctoritate nostra canonice & peremtorie requiratis, & moneatis, ut infra certum terminum per vos eis assignandum, juramentum per eos, ut præmittitur, præstitum inviolabiliter observent; & in vim observantiæ hujusmodi, protestationes prædictas & alia quæcumque per eos adversus juramentum hujusmodi & decreta conciliorum generalium Constantiensis & nostræ synodi attentata & præsumta cassent, revocent, annullent, quas & quæ nos etiam tenore præsentium revocamus, cassamus, & annullamus, dictisque protestationibus palam & publice renuncient cum effectu; quibus peractis, nobiscum in vinea Domini, in his pro quibus ipsa synodus congregata est, efficaciter quantum in eis est & erit laborent. Quod si præmissæ monitioni non paruerint cum effectu, ad deputationes, congregationes, sessiones, & alios actus publicos dictæ nostræ synodi eos non esse admittendos decernatis, prout & decernimus; & nihilominus ad alia contra ipsos procedatis, prout justitia & decreta conciliorum Constantiensis, Toletani & hujus, ac aliorum generalium conciliorum postulant & requirunt. Datum Basileæ in congregatione nostra generali, in majori ecclesia celebrata VIII. idus Augusti anno a nativitate Domini MCCCCXXXV.

JO. GAUFFRIDI.

Virtute suprascripti mandati fuerunt moniti prædicti reverendissimi patres archiepiscopus Tarentinus & episcopus Paduanus in forma

forma juris per ſupra nominatos commiſſarios, prout immediate ſequitur.

MONITIO CONTRA PRÆSIDENTES papæ, pro revocatione cujuſdam proteſtationis per eos factæ.

MIſeratione divina JOHANNES Antiochenus, LUDOVICUS Aquilegienſis patriarchæ, AMEDEUS Lugdunenſis, HENRICUS Bituricenſis archiepiſcopi, BERNARDUS Aquenſis, & MARTINUS Lectorenſis epiſcopi, Jo. canonicus & vicarius Friſingenſis decretorum doctor, & Dionyſius de *Samblevoys* magiſter in Theologia, executores ad infra ſcripta a ſacroſancta Baſileenſi ſynodo in Spiritu-ſancto legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentante, ſpecialiter deputati, reverendiſſimo ac reverendo in Chriſto patribus & dominis, dominis JOHANNI miſeratione divina archiepiſcopo Tarentino, & PETRO epiſcopo Paduano, pro ſanctiſſimo domino noſtro papa EUGENIO in dicta ſynodo compræſidentibus, & veſtrum cuilibet, ſalutem in Domino, & noſtris hujuſmodi, immo verius ejuſdem ſacroſanctæ ſynodi firmiter obedire mandatis.

Litteras ipſius ſacroſanctæ ſynodi ejus vera bulla plumbea & cordula canapis, more ipſius ſynodi, impendente bullatas, ſanas & integras, non vitiatas, nec cancellatas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, ut prima facie apparebat, nobis per honorabilem & diſcretum virum magiſtrum Johannem Eſpaſſerii, in legibus bacalaureum, procuratorem fiſcalem prædictæ ſanctæ ſynodi, coram notario & teſtibus præſentatas, nos cum ea reverentia recepiſſe noveritis, quarum tenor talis eſt: *Sacroſancta, &c.* Poſt quarum quidem litterarum præinſertarum dictæ ſacroſanctæ ſynodi Baſileenſis præſentationem & receptionem nobis & per nos ſic, ut præmittitur, factas, conſtitutus coram nobis dictus procurator fiſcalis, nobis expoſuit, quod alias nos ex parte dictæ ſacroſanctæ ſynodi Baſileenſis formam evangelicam ſequentes, vos nonnullis diebus proxime lapſis cum caritate, benignitate, humanitate, manſuetudine, & honeſtate quibus potuimus generoſe requiſivimus, rogavimus, & hortati fuimus, ut juramentum per vos præſtitum obſervaretis, & proteſtationes per vos factas, de quibus in præinſertis litteris fit mentio, & quæcumque alia adverſus decreta ſacrorum Conſtantienſis & Baſileenſis conciliorum prædictorum per vos attentata & præſumpta caſſaretis, & revocaretis, & annullaretis, ac eiſdem renunciaretis cum effectu; & deinde cum patribus ipſius ſacri concilii Baſileenſis, quantum in vobis erat & eſſet, laboraretis, proutnos, vel ſaltem major pars noſtrum numero ſeptem, ita fecimus: quibus exhortationibus & requiſitionibus obtemperare & annuere huc uſque diſtuliſtis & omiſiſtis. unde fuimus per ipſum procuratorem fiſcalem debita cum inſtantia requiſiti, quatenus ad executionem ipſarum litterarum & contentorum in eiſdem procedere curaremus, juxta traditam, ſeu directam per eaſdem litteras ab eadem ſynodo nobis formam. Nos igitur JOHANNES Antiochenus, LUDOVICUS Aquilegienſis patriarchæ, AMEDEUS Lugdunenſis, HENRICUS Bituticenſis archiepiſcopi, BERNARDUS Aquenſis, & MARTINUS Lectorenſis epiſcopi, Jo. vicarius Friſingenſis, & Dionyſius de *Sambroys*, executores præfati, præmiſſis attentis, volentes mandatum prædictæ ſacroſanctæ ſynodi nobis in hac parte directum, reverenter exequi, & ejus mandatis obedire, ut tenemur: id circo auctoritate prædictæ ſacroſanctæ ſynodi generalis Baſileenſis nobis conceſſa, qua fungimur in hac parte, vobis reverendiſſimo ac reverendo in Chriſto patribus & dominis, dominis Jo. archiepiſcopo Tarentino, & PETRO epiſcopo Paduano præfatis, & veſtrum cuilibet præinſertas dictæ ſacro-ſanctæ ſynodi, & has noſtras litteras, ac omnia & ſingula in eis contenta intimamus & inſinuamus, ac ad veſtram & cujuſlibet veſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes; voſque nihilominus & veſtrum quemlibet primo, ſecundo & tertio canonice & peremtorie earumdem præſentium tenore requirimus & monemus, quatenus infra ſex dierum ſpatium poſt requiſitionem & monitionem noſtras, ſeu notificationem hujuſmodi, immo verius dictæ ſacro ſanctæ ſynodi vobis & veſtrum cuilibet factas, proxime & immediate ſequentium; quorum dierum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio & peremtorio termino ac monitione canonica aſſignamus, juramentum per vos præſtitum, de quo in præinſertis litteris fit mentio, inviolabiliter obſervetis, & quilibet veſtrum obſervet. Et in vim obſervantiæ hujuſmodi proteſtationes prædictas, & alia quæcumque per vos adverſus juramentum hujuſmodi, & decreta ſacrorum conciliorum generalium Conſtantienſis & Baſileenſis prædictorum attentata caſſetis, revocetis & annulletis, & quilibet veſtrum caſſet, revocet, & annullet, quas & quæ prædicta ſacroſancta ſynodus caſſavit, revocavit & annullavit, dictiſque proteſtationibus palam & publice renunciet cum effectu, & quilibet veſtrum renunciet. Quibus peractis, in dicta ſacroſancta ſynodo Baſileenſi, in vinea Domini, in his pro quibus ipſa ſacroſancta ſynodus congregata eſt, efficaciter, quantum in vobis eſt & erit, laboretis, juxta dictarum litterarum formam, ſeriem & tenorem. Quia ſi monitionibus & mandatis noſtris hujuſmodi, immo verius dictæ ſacroſanctæ ſynodi Baſileenſis non

parueritis cum effectu, ad deputationes, congregationes, seſſiones, & alios actus publicos ejusdem sacrosanctæ synodi vos non esse admittendos, lapso dicto termino decernemus, & nihilominus ad ulteriora contra vos procedemus, prout justitia & decreta conciliorum Constantiensis, Toletani, & Basileensis prædictorum, & aliorum generalium conciliorum postulant & requirunt, juxta commissionem præinsertam nobis factam. Præinsertas vero dictæ sacrosanctæ synodi Basileensis, & nostras hujusmodi litteras, ac omnia & singula in eis contenta vobis & cuilibet vestrum per quemcumque dominum abbatem, priorem, præpositum, decanum, archidiaconum, cantorem & canonicum cujuscumque cathedralis aut collegiatæ ecclesiæ, & aliam ecclesiasticam personam, clericum, notarium, & tabellionem publicum, atque dictæ sacrosanctæ synodi cursorem super hoc pro parte dicti procuratoris fiscalis requirendum notificari & intimari, & nos seu dictam sacrosanctam synodum per instrumentum publicum, vel alias sufficienter de eis certificari volumus & mandamus, in quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes litteras nostras, seu præsens publicum instrumentum, monitionem hujusmodi nostram in se continentem seu continens exinde fieri, & per notarium publicum infrascriptum subscribi & publicari, sigillorumque nostrorum Johannis Antiocheni, Ludovici Aquilegiensis patriarcharum, ac Amedei Lugdunensis archiepiscopi, Bernardi episcopi Aquensis, de consensu aliorum nostrorum coexecutorum prædictorum fecimus & mandavimus appensione communiri. Datum & actum Basileæ in ecclesia majori Basileensi sub anno a nativitate Domini MCCCCXXXV. Indictione XIII. & die Jovis XI. mensis Augusti, nobis inibi hora sexta post meridiem vel circa quoad hoc pro tribunali sedentibus, pontificatus SS. in Christo patris & domini nostri, domini Eugenii divina providentia papæ IV. anno V. præsentibus ibidem venerabili ac discreto viro domino Hugone Pellicerii baccalareo in decretis canonico Lectorensi, Caspar *Figedolser* Faventino, Jacobo Hermanni de Kamburga Aquilegiensi, & Mathia *de Vilshonez* Patauiensis diocesis clericis testibus ad hoc vocatis specialiter & rogatis, & me Michaele Galteri clerico Constantiensi provinciæ Rothomagensis publico, apostolica & imperiali auctoritate notariis, qui in præmissis omnibus & singulis, &c.

INQUISITIO DE POTESTATE PAPÆ.

Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chancellarii.

QUæritur utrum papa vel ejus legati de necessitate juris divini debeant admitti ad præsidendum in concilio generali. Et arguitur quod sic. primo, quia papa est caput totius ecclesiæ. Joh. 1. *Dixit Dominus Petro, tu vocaberis Cephas.* Sed capitis est regere & dirigere omnia membra, & movere ea. Ergo pars assertiva vera.

Secundo, arguitur: Dignioris est minus dignum regere, & ei præsidere, sicut sponsus dignior est & perfectior quam sit sponsa; & ideo sponsa debet sponso subjici, & ab eo regi. Sed papa est sponsus ecclesiæ universalis, sicut & quilibet episcopus suæ ecclesiæ specialis. Ergo debet eidem auctoritative in concilio generali præsidere.

Tertio, arguitur: Papa est monarcha respectu totius ecclesiæ universalis, quia non recognoscit superiorem in terris; sed de ratione monarchici principatus est non subjici legibus communibus, & a nullo puniri, cum omnis punitio fieri debeat per superiorem. Sed verus monarcha non habet superiorem; ergo papa cum non habeat superiorem in terris, a nullo poterit puniri: sed ipse omnes alios & regere & corripere habet. Ergo auctoritative & jurisdictionaliter præsidere per se vel suos legatos licet in concilio generali.

In oppositum arguitur: Sacrum concilium Constantiense habet contrarium, ubi dicitur, quod in his quæ ad hæresim & schismatis pertinent exstirpationem, & generalem ecclesiæ in capite & in membris reformationem, omnis homo cujuscumque status aut præeminentiæ, etiamsi papalis existat, generali concilio tenetur obedire. Quod si non fecerit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur, ad ecclesiam & alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo. Manifestum est autem, quod nemo tenetur obedire, nisi suo superiori, nec etiam potest judicare quis auctoritative in foro ubi judicandus venit, cum nemo in propria causa debet esse judex & recom....

Pro responsione ad istam quæstionem notanda sunt aliqua. primo, quod multiplex est præsidentia. nam quædam est honoraria, alia est jurisdictionalis & coercitiva, qua judices præsident in suis foris; & proportionalis, intelligenda est de capite. nam caput quandoque dicitur ille qui habet honorabiliorem alicubi locum, sicut primi regum IX. cap. dicitur, quod *Samuel dedit Sauli locum in capite eorum qui fuerant invitati.* Et Job. 24. *Si voluissem*, inquit, *ire ad eos, sedebam primus.* Alio modo ille qui est in aliqua dignitate constitutus, dicitur caput; secundum illud Isaiæ 9. *Longævus & honoratus est ipse*

caput. Tertio modo dicitur ille caput, qui habet directionem & juridictionem coërcitivam in alios, ut 1. Reg. 15. ad Saül dicitur: *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es, unxique te in regem, &c.* Quarto, dicitur caput ille qui ad similitudinem capitis naturalis habet corpori mystico conjungere, & per omnia membra & singula viva sensum & motum, & nutrimentum spiritualiter ministrat. Et isto modo solus Christus, & nemo alius dicitur esse caput ecclesiæ universalis, secundum illud ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplevit.*

Rursus etiam notandum quod ecclesia multipliciter sumitur in sacra scriptura; quandoque namque dicitur ecclesia universalis multitudo omnium fidelium per totum orbem dispersorum, & ita sumitur in auctoritate modo allegata ad Ephes. 1. Secundo modo sumitur pro aliqua multitudine particulari fidelium alicubi degentium, ut 1. Pet. 5. *Salutat vos ecclesia, quæ est in Babylone.* Tertio modo pro templo materiali, in quo sacramenta sumuntur. 1. ad Cor. *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis?* Quarto modo pro cœtu virorum ecclesiasticorum, ut Act. 20. *Posuit ipsum regere ecclesiam Dei.* Quinto, pro multitudine eorumdem virorum ecclesiasticorum, & aliorum in unum conciliariter congregatorum, ad decernendum & definiendum de aliquibus rebus fidem, vel mores, vel bonum totius populi concernentibus, ut Mach. 5. *Convenit ecclesia magna cogitare de fratribus suis qui in tribulatione erant.* Sexto, sumitur etiam quandoque pro congregatione perversorum aliquod malum machinantium, ut in Psalmo. *Odivi ecclesiam malignantium.*

Postremo sciendum, quod multiplex principatus reperitur; primus monarchicus, qui superiorem in terris non recognoscit, nec subjicitur legibus, sic videlicet, ut si contra aliquas leges fecerit, ab aliquo non puniatur. Talem principatum habebat David super toto populo Israël, qui postquam peccavit in Bersabee, & occidi scripsit virum ejus, unum penitus dixit Domino: *Tibi soli peccavi*; id est: nullo habeo puniri, nisi a te. Secundus principatus est aristocraticus, qui per paucos bonos exercetur, qui & optimates solebant nominari, quia de toto populo ad regendum & judicandum optimi, id est meliores ad hoc eligebantur; & isti legibus politiæ subjiciuntur: ita ut si contra fecerint, a populo puniantur. Et de isto principatu habetur Daniel. ult. de duobus judicibus, qui postquam reperti sunt perversum judicium in Susannam protulisse, interfecti sunt a populo. Tertius est politicus, qui per multos bonos exercetur, qui & consules nominantur, ut in multis civitatibus; & isti etiam similiter legibus politiæ subjiciuntur. Quartus ex utroque aliquid habet. Ex monarchico quidem, quia unus est super tota multitudine constitutus ad regendum eam. Ex politico vero, quia secundum leges & statuta sive decreta per multitudinem sapientium facta & condita, necesse habet illam multitudinem regere, ita ut, si contra fecerit, dejiciatur. De tribus præscriptis principatibus habetur Politic. 3. De isto quarto habetur 1. Mach. 8. ubi dicitur quod *Romani tunc curiam sibi fecerant, & quotidie consulebant* CCCXX. *viros, concilium semper agentes de multitudine, ut quæ digna sunt gerant.* Et in omnibus istis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, ut magnificaretur in ea; sed committebant uni homini magisterium suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ, & omnes obediebant uni. Et si quandoque contingebat illum deviare, & contra leges & decreta senatus facere, dejiciebatur, sicut Domitianus a senatu interfectus fuit, & omnia ejus gesta irrita & revocata sunt ab eodem senatu, ut patet in legenda B. Johannis evangelistæ. Hac enim de causa ab exilio in quo relegaverat eumdem Domitianus, revocatus fuit.

His prænotatis, ponendæ sunt conclusiones. Prima est ista. Papa non est caput ecclesiæ quarto modo superius expresso. Patet, quia sic solummodo convenit Christo, qui in omnia & singula membra suum sensum & motum gratiæ justificantis & in bonum promoventis, influit, in quibus omnibus & singulis per fidem habitat, & per caritatem conjungitur, secundum illud Apostoli: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris*, & illud Joh. 3. *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et quia caput istud omnibus & singulis membris conjungere habet, hoc impossibile est de papa.

Papa est caput & monarcha ecclesiæ universalis dispersæ, accipiendo caput tertio modo, pro habendo jurisdictionem spiritualem super singulas ecclesias & singulas personas fideles totius orbis. Patet, quia ipsum præfecit Dominus toti ecclesiæ, ubi dicit Joh. ultimo: *Pasce oves meas*, id est, esto pastor generalis omnium ovium mearum. Manifestum est autem, quia pastoris est & regere & deviantes corrigere; & quia generalis pastor est, ideo nullus eximitur ab ejus jurisdictione.

Papa non est caput jurisdictionale & directivum sive correctivum ecclesiæ conciliariter congregatæ, id est concilii generalis legitime congregati. Probatur istud, quia ille non potest esse caput directivum sive correctivum illorum, a quibus dirigi & corrigi habet. Sed sic est de papa respectu concilii generalis, ut patebit in conclusione sequenti. Ergo &c.

Principatus papalis reſpectu eccleſiæ congregatæ, ſive concilii generalis, non eſt monarchicus. Patet, quia neceſſario ſubjiceretur legibus politiæ Chriſtianæ, quod eſt contra propriam conditionem monarchici principatus. Quod autem papa ſubjiciatur legibus politiæ Chriſtianæ, ſunt in duplici differentia. Nam quædam pertinent ad fidem catholicam; aliæ vero ad mores. Quod autem papa ſubjiciatur legibus fidei & ab eccleſia ſit corripiendus & dejiciendus, ſi in his deviaverit, nemo umquam quantumcumque ſibi faventium negavit, & habetur hoc etiam expreſſe in caput *Si papa* XL. *dies*. Sed quod etiam legibus morum ſubjiciatur, & ab eccleſia ſit puniendus, ſi deformis repertus fuerit, probatur ſic. Et primo per gloſſam ordinariam præfati capituli *Si papa*, quæ dicit Quod ſi notorium eſt crimen ejus quodcumque, & inde ſcandalizatur eccleſia, & incorrigibilis eſt, certe credo quod inde poſſit accuſari. hæc gloſſa prædicta. Certum eſt autem quod effectus accuſationis eſt depoſitio, ut in cap. *qualiter & quando* de accuſat. Sed apud quem accuſabitur vel judicabitur? non apud eccleſiam diſperſam: ergo apud eccleſiam congregatam, quæ eſt concilium generale. Ergo concilium generale judex eſt papæ. Nemo autem poteſt eſſe judex & reus in eodem exteriori foro. Quod autem eccleſia congregata lege & ordinatione divina judex ſit papæ, & auctoritatem habeat ſuper eum, etiam in his quæ ad mores pertinent, evidenter apparet per illud ſupremi & noſtri monarchæ Chriſti Matth. 18. dicentis: *Si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum*, &c. *Si non audierit, dic eccleſiæ*, congregatæ ſcilicet, quod patet per illud quod ſequitur: *Ubi enim*, inquit, *duo vel tres ſunt in nomine meo congregati, ibi ſum ego in medio eorum. Quod ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, id eſt excommunicatus. Et ibi fundatur auctoritas & juriſdictio eccleſiæ congregatæ, id eſt concilii generalis, ſuper omnem hominem, qui nomine Chriſtiano cenſetur. Sequitur enim: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis*. Quod autem nomine fratris omnis Chriſtianus, cujuſcumque præeminentiæ exiſtat, inteligitur, patet per illud quod habetur 11. q. 3. c. *Ad menſam*, & ſunt verba Chryſoſtomi illud Apoſtoli 1. ad Cor. 5. recitantis: *Si is qui frater nominatur inter vos eſt fornicator aut avarus*, &c. Fratrem, inquit, in hoc loco fidelem intellige ſimpliciter. Ergo etiam papa intelligendus eſt frater. Nempe ſicut omnis fidelis Deum habet patrem, ſic etiam ſanctam eccleſiam habet matrem, quæ eum ſpiritualiter genuit. Si ergo papa Deum habet patrem, eccleſiam ſanctam debet recognoſcere matrem, quæ eum ſpiritualiter genuit, & a qua ſacramenta purgativa & ſanctificativa, ſicut unus aliorum filiorum, neceſſario ſumit; nec propter officium ſolius vicariatus patris quod exercet, deſinit aliorum eſſe frater. Nam & ipſe Deus & Pater, cujus ſolummodo miniſterialis vicarius eſt, non dedignatus eſt ſe nominare aliorum fratrem, Johan. 20. Dicit Salvator noſter B. Mariæ Magdalenæ: *Vade ad fratres meos & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum*. Si ergo verus Deus & homo propter aſſumtam humanitatem ſe nominat aliorum fratrem; quanto magis purus homo peccator, ſicut unus aliorum, quamvis vicarius miniſterialis ſit, ſe debet recognoſcere aliorum fratrem, & eccleſiam matrem & non filiam; quia non ipſe eam, ſed ipſa ipſum ſpiritualiter genuit. Quia ergo frater eſt, ab ipſa matre dirigendus, & ſi opus ſit corripiendus venit. Et hoc ipſum ab ipſis apoſtolis Spiritus-ſancti primitias habentibus practicatum reperimus. Cum enim Petrus papa primus, non in fide, ſed in moribus quadam ſimulatione irrationabili erraret, Paulus reſtitit ei in faciem, ad Galat. 2. cum tamen ipſe Paulus dicat ad Romanos 13. quod qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & damnationem acquirit. Et tamen Petrus papa erat, cui reſiſtebat. Non autem dicendum eſt quod peccaverit, immo potius bene egerit: alioquin non toti mundo in epiſtola ſua notificaſſet. Ergo licet eccleſiæ ſimiliter agere ſecundum ejuſdem Pauli dictum: *Imitatores mei eſtote*. Ne enim Petrus ejuſque ſucceſſores ſuper eccleſia Dei ſuperbe niterentur dominari, & illam pro libito voluntatis regere, æterna Dei ſapientia Chriſtus omnia prævidens & providens, ſic illam a principio inſtituit, & ordinavit, ut ceteri apoſtoli nullam a Petro acciperent poteſtatem; ſed & poteſtatem ordinis & poteſtatem juriſdictionis immediate a Chriſto acceperunt. Poteſtatem quidem ordinis in ultima cœna, ubi omnes ordinavit ſacerdotes: poteſtatem vero juriſdictionis in foro conſcientiæ Joh. 20. ubi inſufflans in eos dixit omnibus ſimul: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: Poteſtatem legationis per mundum, Matth. & Marci ultimo, *Euntes in mundum univerſum prædicate evangelium omni creaturæ*, &c. Nam & cum in ultima cœna audientes apoſtoli Dominum velle ab ipſis recedere, facta fuiſſet inter ipſos contentio, id eſt inquiſitio, quis eorum videretur eſſe major, Luc. 22. id eſt prælatus ipſorum, non reſpondit Dominus: Ego conſtitui, aut inſtituo Petrum vicarium meum, & volo ut obediatis ei, ſicut mihi. Et hoc ne occaſionem dominandi ſuper eccleſia ſibi aut ſucceſſoribus ſuis præberet, ſicut, proh dolor! nunc videmus; ſed reſpondit: *Reges gentium dominantur eis*, &

quaſi poteſtatem habent ſuper eos; vos autem non ſic; ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor, ſicut qui miniſtrat. Et propter hoc in conciliis primitivæ eccleſiæ nullam juriſdictionem aut auctoritatem ſibi vindicabat B. Petrus; ſed omnia nomine concilii diffiniebantur & mandabantur, ut ſupra Act. 15. *Apoſtoli*, inquit, *& ſeniores his qui ſunt Antiochiæ & Syriæ, ſalutem*, &c. *Placuit nobis collectis in unum*, &c. Immo etiam ipſe B. Petrus papa ab ipſis in legationem mittebatur, ut patet Act. 8. qualiter apoſtoli miſerunt Petrum & Johannem Samariam. Et cum papa modernus non habeat majorem poteſtatem quam ſanctus Petrus, manifeſtum ex prædictis rationibus & auctoritatibus exiſtit, quod nullam juriſdictionem aut poteſtatem aut auctoritatem coërcitivam habet ſuper eccleſiam congregatam, quæ eſt concilium generale, immo potius aliquam ab ipſa eccleſia congregata, quæ eſt regina a regendo dicta: *Aſtitit*, inquit, *regina a dextris tuis*, & Chriſti ſponſa, Joh. 3. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt.* Ipſe papa peramplius ut miniſter, habet leges fidei & morum ſuſcipere & ſervare, & ſi opus fuerit, reformari & corripi ab ipſa; quam ſi non audierit, ſecundum mandatum Domini noſtri Jesu Christi, ejus veri regis & ſponſi, tamquam ethnicus & publicanus debet haberi, ut ex ſuperioribus dictis patet.

Ad ſolam perſonam ſummi pontificis non pertinet articulorum fidei declaratio, aut ſymboli editio. Probatur hoc, quia ſæpe contingit papam eſſe ſimplicem & minus littteratum; & ſic impoſſibile eſſet, per ſe prædicta facere, aut ſi facere per ſe præſumeret, totam eccleſiam poſſet in fide corrumpere. Unde nec S. Petrus præſumſit per ſe ſymbolum fidei edere, ſed omnes apoſtoli ſimul illud compoſuerunt: propter hoc enim & ſymbolum dicitur, id eſt plurimorum ſimul in unum convenientium ſententiæ. Nec valet illud quod Deus non permitteret eum deficere; quia hoc attentare eſſet tentare Deum; & præcipue cum nonnulli ſummi pontifices reperiantur in fide erraſſe. Et huic obviat quod ait Thomas 2. 2. q. 1. a. ultimo, quod ad auctoritatem ſummi pontificis pertinet ſententialiter determinate ea quæ ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſſa fide teneantur; quoniam aliud eſt perſona ſummi pontificis, aliud auctoritas ejus, id eſt quæ eſt in eo. Unum eſt ſeparabile ab altero. Auctoritas enim ſummi pontificis, id eſt quæ eſt in ſummo pontifice, auctoritas eccleſiæ eſt: quia & eccleſiæ datur, & propter eccleſiam, ſecundum illud Apoſtoli: *Omnis pontifex ex hominibus aſſumtus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum.* Quod autem hæc auctoritas ſive poteſtas eccleſiæ detur, & in eccleſia ſit, patet, quia mortuo vel depoſito ſummo pontifice, eadem poteſtas ſive auctoritas in eccleſia ſemper manet. Non enim revocat illam Chriſtus Dominus noſter, aut de novo creat in electione novi papæ. Ad auctoritatem autem ſummi pontificis ſecundum Thomam pertinet ſymboli editio, id eſt ad auctoritatem eccleſiæ, quæ eſt in ſummo pontifice, prout eſt unicus eccleſiæ paſtor; & ideo non dicit ad ſummum pontificem, ſed ad ejus auctoritatem, quæ eſt eccleſia. Non enim extra eccleſiam eſt, ſed de corpore eccleſiæ nobile membrum ejus: etſi tamen auctoritas, ſive poteſtas major eſt in eccleſia congregata, id eſt indeviabilior & durabilior, quippe quæ ipſum miniſtrum ſuæ poteſtatis, ſcilicet papam habet corrigere & deponere, dum opus eſt & ratio exigit, ſecundum illud: non habebis jugiter poteſtatem. Et hæc eſt poteſtas in eccleſia diſperſa noſtri habitu, in papam vero ab ipſa eccleſia ad hoc electum & aſſumtum, ut in actu, ut patet per illud dictum Salvatoris Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis*, & quod eccleſiæ congregatæ loquatur, patet per illud quod ſequitur: *Ubi enim duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

In quolibet generali concilio rite congregato & celebrato Chriſtus, ſive Spiritus-ſanctus verus perfectus Deus, proprius, inviſibilis, & indeviabilis præſidens eſt per auctoritatem ſuperius immediate allegatam. Inde eſt quod apoſtoli & ſeniores conciliariter congregati, ſuper his quæ fidei erant & morum dixerunt Act. 15. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis* ſic & ſic agendum, &c. Unde & per prophetam Dominus dicit Mich. 2. *Congregatione congregabo Jacob, pariter panam illum quaſi gregem in ovili, & quaſi pecus in medio caularum tumultuabuntur a multitudine hominum; & Dominus in capite eorum.* Ex quibus patet qualiter vetus & novum teſtamentum in unam ſententiam conveniunt de præſidentia Spiritus ſancti in eccleſia legitime congregata, & in concilio generali papa per ſe aut ſuos legitimos, nec de jure divino, nec humano poteſt aut debet in concilio generali propterea auctoritate ſive poteſtate juriſdictionali aut coërcitiva præſidere. Quod non jure divino, patet per præcedentia: quia ſi quid propria poteſtate aut voluntate vellet diffinire aut ſtatuere, quod non eſſet per concilium, cui præeſt Spiritus, & ſancitum & approbatum, aut etiam aliquid quod per idem concilium eſſet ſtatutum & deliberatum, nollet diffinire aut concludere; manifeſtum eſt quod injuriam Spiritui-ſancto faceret, qui jure divino per prædicta monſtratus eſt in concilio præſidere. Sed nec jure humano prædicto modo præſidere poteſt, quoniam cum omni jure humano cautum ſit, neminem in propria cauſa judicem eſſe, nec quempiam judicem & reum in

eodem foro posse esse, & in quarta superius A quæstione late monstratum sit, summum pontificem subjici concilio generali, & per ipsum concilium eum debere reformari, evidenter patet, quia juridice nec potest nec debet in eodem concilio, a quo judicari debet, auctoritative & potestative præsidere.

Rationabile est jurique divino & humano consonum, ut papa vel sui legati præsidentia honoraria in concilio generali, nisi aliud obstet, debeat præsidere, seu ad præsidentiam admitti. Probatur, quia cum ipse sit judex supremus totius ecclesiæ per orbem dispersæ, & supremam in ea obtineat dignitatem, ad generale concilium per se vel suos veniens, dignum & justum est, ut a cunctis præ universis honoretur, secundum illud Apostoli: *Reddite omnibus debita, cui honorem, &c.* Sed si per se vel suos velit esse organum concilii & Spiritus-sancti, per quod unanimiter diffinita debeant concludi sine aliqua conditione* aut repugnantia, non est respuendus, cum ipse sit caput dignificativum & honorificativum etiam concilii, quamvis non directivum aut potestativum jurisdictionaliter, ut dictum est superius. Ex quibus omnibus patet responsio ad rationes quæ sunt in oppositum, videlicet qualiter sit caput vel monarcha vel sponsus. Non enim est sponsus nisi figurative & ministerialiter, cum non sibi, sed Christo desponsata sit ecclesia, secundum illud Apostoli: *Despondi vos uni viro virginem castam*, id est in fide incorruptam, *exhibere Christo*. Et rursum alibi: *Sacramentum magnum est*, conjugii scilicet spiritualis, *ego autem dico in Christo & in ecclesia*, quæ duos sponsos non habet. Est ergo proprie, ut ait Bernardus ad Eugenium, paranymphus sponsæ & minister ejus.

* *f.* contradictione.

ALIA PROPOSITIO CORAM SUMMO pontifice in materia unionis Græcorum.

Ex mſ. Aquisgranensi.

SI in medio magnatorum loqui præsumendum non sit, patet beatissime, in conspectu Sanctitatis vestræ mihi tacendum esset, nisi ecclesiæ mandasset auctoritas, causæ pro qua jussi sumus exposcere æquitas, & in vestræ beatitudinis clementiam mentis oculos defigerem, quæ exemplo illius, cujus vices gerit, misericorditer parvulos ad se venire sinit, & cunctis pium præbet auditum. Qua de re apud S. V. speramus audientiæ patientiam, & votivam consequi exauditionem. Misit nos ad S. V. sacrosancta generalis Basileensis synodus universalem repræsentans ecclesiam, ejusdem sanctitatis nomine & auctoritate convocata, ac in Spiritu-sancto legitime congregata, ad explicandum eidem sanctitati aliqua quæ concernunt ecclesiæ orientalis reductionem, fidei unitatem, & sanctitatis vestræ cum sacro concilio plenam & perfectam unitatem.

Nec judicavit opus fore majores mittere. pro causa ejus, tantus est favor, ut nihil gratius soleat audiri, desiderabilius concupisci, meliusque inveniri, ad quam vestra beatitudo promtissimum semper animum & zelum serventissimum habuit: adeo ut omnem viam reductioni Græcorum accommodam optioni sacri concilii reliquerit, majoribus etiam ipsis arduissimis intentis negotiis; quorum quidam ex multo tempore missi sunt Bohemiam, aliqui nunc vadunt Græciam, B alii numero equorum ducentorum profecti sunt Franciam, nonnulli Angliam, & frequentius multi ad diversas partes Almanniæ, ceteris in Basilea residentibus pro continuanda reformatione ecclesiæ, ut in omnibus pro quibus congregata est debitum & promissum persolvat officium, omnesque lucrifaciat, quosdam ab erroribus revocando, alios ad pacem redeundo, universisque vitæ ordinem & morum tribuendo disciplinam.

Si igitur paternitatis vestræ dignitati ut* nostræ non respondeamus, præmissorum tamen C intuitu confidenter ipsam exoramus, eique offerimus verba quæ Salvatorem nostrum ad patrem orasse meminimus *Pater, unum sint, sicut & nos unum sumus*. Ut autem P. B. rei attinet, de qua nunc loquuturi sumus, duplex occurrit unitas, fidei & religionis Christianæ, qua Christus ecclesiam suam fundavit, ut esset unum corpus, unus spiritus, una fides, unum baptisma, unus dominus, quam unitatem inviolabiliter semper servavit Romana ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam, a recta fide & tramite traditionis apostolicæ numquam erasse probatur, nec hæ- D reticis novitatibus depravata succubuit. Sed ut in exordio norma religionis Christianæ percepit ab auctoribus suis, apostolorum Christi principibus, illibata fide hactenus manet. non sic orientalis populus, sed olim lares exiens paternos, profectus est in regionem longinquam, se separando ab unitate ecclesiæ, & obedientia sedis apostolicæ. Ideo ut oves quæ tanto tempore errantes fuerunt convertantur, ad S. V. tamquam ad pastorem & episcopum animarum suarum, pater oramus, ut sint unum sicut & nos unum sumus. Iste est, pater beatissime, finis in quem fertur omnium intentio, quod parum est, E nisi in medio esset concursus. Quid prodesset plures velle navem trahere, nisi in tractu esset concursus; milites velle victoriam obtinere, si non esset unanimis congressus. Ideo necessaria est alia unitas, caritatis & consentaneæ voluntatis, in his quæ agenda sunt, sicut in primitiva ecclesia omnium fidelium fuit cor unum & anima una, per quod decrevit fides, & religio Christiana observatur & augetur. Omnis politia hæc meretur divinam præsentiam, rei concupitæ assecutionem, gratiæ plenitudinem per continuum in-

* *f.* decet.

fluxum cariſmatum a Chriſto capite in congregatione fidelium. Illis dat Deus benedictionem & vitam uſque in ſæculum: quam unitatem etſi omnes fideles teneantur habere, maxime illi qui auctoritate funguntur apoſtolica, quorum non ſolum eſt inter ſe unum eſſe, ſed alios ad unitatem reducere. Ideo ſalvator noſter ſuos præficiens in dignitate apoſtolica convocavit in unum, tranſiens de mundo ad patrem, pro ipſis oravit, ut diximus, pater unum ſint ſicut & nos unum ſumus. Et hæc unitas, pater beatiſſime, eſt neceſſaria inter ſacrum concilium & ſanctitatem veſtram, ſicut cauſa & exemplar unitatis totius populi Chriſtiani in his propter quæ ſacrum concilium eſt congregatum. Quid enim pareret diviſio, niſi eccleſiæ ſciſſuram, ipſius miſerabilem ſervitutem, ruinam, & ſubverſionem, contemtum & opprobrium totius ſtatus eccleſiaſtici? ideo ſummopere cavendum eſt, ne ſint ſchiſmata, contentiones, diviſiones, ne dicat unus: ego Cephæ; alius: ego ſum *Pauli*, ſed *omnium* ſit cor unum & anima una, ſintque omnia in unitate & caritate, ut ſint *Deo grata* & ad finem intentum efficacia. De iſta unitate in morum reformatione locuturus eſt collega meus.

Nunc vero aliqua dicturus ſum de concurſu quoad reductionem Græcorum, quam ſemper ipſi offerunt, adjecto quod in omnibus interveniat concilii & S. V. conſenſus, ſicut propter ſchiſmata præterita dicunt multis temporibus ſuam diſtuliſſe reductionem. Deliberavit autem ſacrum concilium ad hæc neceſſaria, *ſuper quibus* petit S. V. unanimem & conſentaneam voluntatem. Nam poſt decretatam viam reductionis Græcorum in ſacro concilio ſub forma certorum capitulorum *per* ambaſſiatores, plenum ad hoc habentes mandatum, acceptatam & *juramento* firmatam, ac *per* diverſas partes publicatam, cui ſanctitas veſtra purum & liberum præbuit aſſenſum, advenit ad ſacrum concilium ſanctitatis veſtræ orator & ſecretarius dominus *Chriſtophorus*, qui in congregatione generali multum ſerioſe narravit, diligentiam quam ſanctitas veſtra fecit poſt ejus aſſumtionem in materia reductionis *Græcorum*, ipſumque *litteris* Græcis peritum miſit Conſtantinopolim, ubi cum imperatore & patriarcha *nomine* ſanctitatis veſtræ, convenit in unam viam ſub certis capitulis quæ *in longum recitavit*, quam viam quibuſdam rationibus conatus eſt oſtendere *faciliorem & durabiliorem* ipſa via *conventa* in concilio, tam ex parte imperatoris, cujus præſentia eſſet neceſſaria *in re* iſta, quia noſcens morem ſuorum, poſſet eos facile ad concluſionem rei ducere & difficultates tollere.

Allegabat patriarchæ ægritudinem, gravitatem *metropolitanorum*, & Caligerorum eccleſiæ orientalis in tanta itineris longitudine, periculum civitatis Conſtantinopolitanæ, abſente imperatore, illius viæ publicationem per totum orientem, & quod ſi hæc unio in Conſtantinopoli fieret, tamquam in finibus propriis, non poſſet ullo tempore, quavis occaſione ab ipſis Græcis impugnari. Ex parte noſtra allegabat ſumtuum magnitudinem, & tandem ſubdebat, quod licet ſanctitas veſtra illam viam faciliorem exiſtimaret, nihilominus prout etiam in litteris S. V. latius continebatur, totum optioni ſacri concilii, ut quam mallet viam eligeret, relinquebat. quod pro magno munere ſuſcepit, & gratias Deo & S. V. egit. quibus omnibus intellectis ac plene per ſacras deputationes diſcuſſis, viſum eſt ſacro concilio, quod via prima omnino eſſet amplectenda tamquam efficacior & ſecurior: quoniam ipſi Græci ſæpe & expreſſe aſſeruerunt iſtam unionem fieri non poſſe niſi in ſynodo univerſali utriuſque eccleſiæ, quæ tamen ſecundum illam viam non eſſet univerſalis, ſed particularis, & regionalis. Eſſet etiam valde periculoſum noſtram fidem ponere in manibus paucorum, taliter quod quicquid per eos concluderetur, ratum haberetur per totam eccleſiam, & cum ipſi eſſent multo plures noſtris, aliquid concludere poſſent, quod eſſet in læſionem fidei noſtræ. Videntes autem ipſi ambaſſiatores Græcorum tam primi quam ſecundi non poſſe obtinere viam ſecundam a concilio, contenti fuerunt ſtare in prima, & produxerunt unam litteram domini imperatoris directam primis ambaſſiatoribus, in qua continebatur, quod adhiberent diligentiam, ut capitula concluſa Conſtantinopoli acceptarentur; & ſi hoc obtinere non poſſent, manerent in primis concluſis in concilio, immo & dominus Georgius antiquior frater in generali congregatione recitavit, qualiter patriarcha dixerit ſibi, quod ſi concilium non vellet aſſentire illis capitulis concluſis Conſtantinopoli, tunc ſi deberet ſe facere ferri per humeros alicujus, ipſe veniret ad terras latinorum, juxta concluſionem factam per primos ambaſſiatores, qui poteſtatem habuerunt ipſum obligandi. Quare, beatiſſime pater, cum capitula viam primam continentia, facta ſint per univerſalem eccleſiam decretata, per Græcos recepta, ac juramento firmata, veſtraque ſanctitas ipſis aſſenſum præbuerit per bullam datam domino Simoni *Freron* & per dominum Chriſtophorum, ac per litteras apoſtolicas S. V. ſe obtulerit velle ſtare illi viæ, quam ſacrum concilium eligeret; Rogat, exhortatur, & requirit S. V. ipſum ſacrum concilium, ut dignetur hoc ſanctum opus totis viribus proſequi, & bonam voluntatem quam ſemper habuit ad rem iſtam opere adimplere, ſicut firmiter ſperat ſacrum concilium, quoniam iſtud eſt tantæ pietatis & utilitatis opus, quod pro eo omnia alia eſſent poſtponenda, ſicut proprium paſtoris eſt officium dimittere

omnia alia, & quærere ovem errantem, & ipſam ſuis humeris ad ovile reducere, multo magis unam totam gentem, quæ tot millia animarum ſub ſe continet. Si enim paſtor propter ovem centeſimam perditam, & mulier propter decimam dragmam, tantam curam habuerunt, aliis omnibus omiſſis, quanto magis paſtor univerſi populi Chriſtiani, ipſaque ſancta mater eccleſia non propter minorem partem totius gregis dominici, ut reducatur ad ovile Chriſti. Si principes catholici ſuam poteſtatem divinæ majeſtati famulari fecerunt ad defenſionem & augmentationem fidei & religionis catholicæ; tanto magis ſummi pontifices, quibus major cunctis Chriſtianæ religionis zelus incumbit; nec eis aliud licet, niſi omnes conatus ſuos impendere, his quæ ſtatum univerſalis eccleſiæ concernunt, & maxime omnem operam dare, ut incredduli ad fidem convertantur, converſi non avertantur, averſi revertantur, ſubverſi ad veritatem revocentur, *revocati junctis rationibus convertantur*, quod nunc requirit obligationis debitum propter generale decretum ſuper hoc factum, cui S. V. præbuit aſſenſum a quo ſine nota non licet reſilire, nec irritum facere, per quod decretum eſt filio revertenti, cui oblatum eſt oſculum pacis, dari ſtolam primam unitatis eccleſiæ, anulum integritatis fidei, calciamenta in pedibus ejus, hoc eſt teſtimonia ſacræ ſcripturæ & ſanctorum patrum, quibus fide declarata ad ipſam ſit affectus; & occidi vitulum ſaginatum, ut ſimul manducemus per uniformem ſacrorum comitationem rituum & obſervantiam. Et ne illa via tamquam impoſſibilis deſeratur, *propter* magnitudinem ſumtuum, deliberavit ſacrum concilium plenarias indulgentias dandas eſſe omnibus contribuentibus ad tam pium opus, pro ut conceduntur proficiſcentibus in ſubſidium terræ ſanctæ. quoniam ſi majorum revolvantur annales, numquam fuit cauſa juſtior, quam iſta eſt concedendi indulgentias, nec pro qua Chriſticolæ omnes ſe & ſua libentius exponere deberent, *cognita maxima utilitate* quæ inde proventura eſt. quid eccleſiæ catholicæ felicius glorioſiuſque umquam contingere poſſet, quam ut orientales populi, occidentalibus non pauciores, in eadem nobiſcum fidei unitate conjungantur? Quid utilius & fructoſius *exſtirpatione* tam diuturni & inveterati ſchiſmatis, quod fere a quingentis annis ortum habuit? ſic glorioſa mater eccleſia ſuis in unum *convenientibus* accingeret ſe fortitudine, & hoſtes fidei reprimeret, aut de ſuis finibus ejiceret, ſi per converſionem *non vellent unum* eſſe, ſicut unum ſumus. quis enim catholicus pro tanto nominis Chriſtiani & orthodoxæ fidei incremento, *non modo caducam ſubſtantiam*, ſed corpus & animam exponere deberet, & maxime cum per hoc viderit ſe pleA

B

C

D

E

nariam percipere omnium peccatorum remiſſionem. Et ſi interdum pro rebus minus neceſſariis & utilibus reperiatur & exponatur *major pecunia*, multo magis poterit fieri pro hac cauſa, qua nulla poteſt eſſe ſalubrior.

Quare, pater beatiſſime, cum per conceſſionem hujuſmodi indulgentiarum poſſit haberi ſubſidium, ſaltim in parte, pro hac re neceſſarium, & contribuentes ſuorum conſequantur *remiſſionem* peccatorum, omneſque eo lubentius contribuent, quo viderint iſtas indulgentias procedere a tota eccleſia, ſcilicet ſacro concilio & S. V. dignetur eadem S. V. in hujuſmodi conceſſione indulgentiarum concurrere cum ipſo ſacro concilio, & alias indulgentias ſimiles, durante hac proſecutione Græcorum, ſuſpendere, quoniam per has indulgentias petitur mediocre *ſubſidium*, quod nullum gravabit, & quilibet ſolvere valebit. Inſuper, pater beatiſſime, cum error Græcorum ſit multum inveteratus, & in cordibus eorum radicatus per plurimos articulos & differentias multiplicatus, ſintque ipſi paratiſſimi ſuos errores *defendere*, cum quibus habendum eſt certamen fortiſſimum, dignetur S. V. aliquos ex reverendiſſimis patribus dominis cardinalibus, alioſque prælatos & doctores, de quibus viderit eadem S. V. mittere ad ſacrum concilium, ut ante adventum ipſorum Græcorum plene diſcutiantur hujuſmodi errores, poſſintque in eorum præſentia conſutari, & de ea quæ in nobis eſt fide perfecte *poſſimus* rationem reddere; noſque in omnibus unum ſimus in potentia operante, bonitate remittente, & ſapientia declarante, habeatque in nobis efficaciam oratio Salvatoris, quam præmiſimus, *Pater unum ſint, ſicut & nos unum ſumus.* Quam felix & efficax erit iſte concurſus ad ſuſcitationem puellæ defunctæ propter defectum unitatis fidei, qua juſtus vivit, convenientibus patre & matre cum plenitudine poteſtatis apoſtolicæ, rejectis omnibus impedientibus & turbantibus, unoque eodem concurſu populus Chriſtianus plenariam recipiet peccatorum remiſſionem, & Chriſtiani fines unitatis fidei vinculo fraternoque fœdere ſociabuntur, eritque annus jubilæus remiſſionis debitorum & unionis univerſalis eccleſiæ, in fide, moribus, & temporali pace; eritque S. V. lapis angularis conjungens duos parietes in domo Domini, pax populi Chriſtiani, faciens utraque unum, populum Deo *reconcilians* per plenariam indulgentiam, populos per fidei unitatem, leges, ritus & obſervantias per veram & ſpiritualem intelligentiam; & clarificabit beatitudo veſtra filium ſuum orientalem populum, & inde nomen ſanctitatis veſtræ celebre erit apud Deum & homines, cognoſcet univerſus orbis zelum S. V. pro domo domini. Et cum venerit ſummus paſtor, ante cujus conſpectum apparebunt

parebunt cuncti paſtores cum grege ſibi commiſſo, Petrus cum Judea, Paulus cum gentium multitudine copioſa, Johannes cum Aſia, Andreas cum Achaia, Thomas cum India, ceteri cum aliis quos ad fidem converterunt aut reduxerunt, & vos beatiſſime pater, quaſi alter magnus patriarcha Jacob, tranſacto Jordane cum baculo paſtoralis officii, apparebitis cum duabus turmis eccleſiæ orientalis & occidentalis, recipietiſque in unitate perfecta coronam immarceſſibilem, quam ſanctitati veſtræ & nobis omnibus concedat ille qui eſt trinus & unus benedictus Deus in ſæcula. Amen.

CEDULA OBLATA PER POGGIUM ſecretarium domini noſtri papæ ambaſſiatoribus ſacri concilii Baſileenſis pro reſponſione ad petita per eos in præcedentibus propoſitionibus.

Sanctiſſimus dominus noſter papa venerabilibus. *Extat apud Bzovium ad annum* 1435. *n.* 23. *& concil. tom.* 12. *pag.* 864.

PROPOSITIO (a) FACTA coram ſummo pontifice per ambaſſiatores ſacri concilii Baſileenſis ſuper obſervantia decretorum.

Anno 1435. 22. Aug. Æneas ord. Aprilienſis.

BEatiſſime pater, exigeret præſentia veſtræ ſanctitatis in primo dicendorum alloquio orationem ornate compoſitam matureque digeſtam, quæ S. V. dignitatem, clementiam, aliaſque virtutes & dotes ſummas in medium adduceret, & rem ipſam Deo gratiſſimam & hominibus ſalutiferam, de qua paulo poſt dicturus ſum, perararet. Quis autem eloquentiæ princeps, aut Tullianæ ſapientiæ præſul ſupremi vicarii JESU CHRISTI excellentiam modico & inculto ſermone ad plenum explicare poterit? Profecto mearum virium, ſed & ſublimioris ingenii tranſcendit facultatem. Rem inſuper illico ſubjiciendam veritatis nitore ſubmiſſam video, ratus non ſum eam verborum lenocinio indigere. Canon mihi locupletiſſimus teſtis eſt, cum ſupervacuis laborare impendiis, qui ſolem certat facibus adjuvare. Quoniam igitur gratiæ plenitudo adjectione non indiget, nec ulla requirit commendationis argumenta, commorari in ea re verborum fuſcatis coloribus amplius non putamus. Ne autem uſque ad faſtidii neceſſitatem mea ſe extendat præfatio, ad conceptam materiam orationem converto: non tamen de propria virtute, ſed de munere largitoris illius qui dat omnibus affluenter & non improperat, confidens. Verum, beatiſſime pater, cum parens illi ſolus & unus Deus glorioſus confingeret animal rationale, ipſum ex humo ſubleVatum ad contemplationem ſui artificis erexit, & ſolus homo eſt, qui res cœleſtes accepit, ſpectare eum Deus cœlum voluit, utreligionem ibi quærat. Apparet non eſſe rationis humanæ, ut poſtpoſitis divinis ac humanis præceptis, opes terreas, quæ plerumque corruant, animal rationale venari teneret. Cum autem, pater beatiſſime, glorioſiſſimi pontifices anteceſſores veſtræ ſanctitatis, magni, juſti, in cœleſtibus rebus experti, ſumma religione Deum adorabant, juſtitiæ cultum colebant, in omnibus Deum præſentem eſſe putabant, decreta ſacrorum conciliorum in ſumma reverentia ac veneratione habere ſolebant, & a ſuis ſubditis obſervari faciebant; adeo etiam ut B. Gregorius, tantæ beatitudinis & ſcientiæ pontifex, quatuor concilia univerſalia ſicut quatuor libros ſancti evangelii profeſſus fuerit, ſcilicet Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum & Chalcedonenſe. *ratio, quia in his velut in quadrato* lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cujuſlibet vitæ atque communis actionis norma exiſtit; & cum univerſali ſint conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumſerit abſolvere, quos ligant, aut ligare quos abſolvunt. Clarum autem eſt, juxta Gelaſii papæ ſententiam, quod eadem veneratione decreta aliorum conciliorum cuſtodienda & *recipienda ſunt.* Nedum autem dicta quatuor generalia concilia cum ſuis ſequentibus ſolummodo quoad fidem B. Gregorius ſe venerari fatetur, ſed etiam quoad *reformationem, quando ſubjungit dicens:* quia in his cujuſlibet vitæ atque communis actionis norma exiſtit. Conſtat autem & luce clarius apparere poteſt, juxta ſacri Conſtantienſis concilii decretum, quemliber, etiam ſi papali dignitate præfulgeat, decretis ſacrorum conciliorum obedire debere in his quæ pertinent ad fidem, exſtirpationem ſchiſmatis, & reformationem eccleſiæ in capite & in membris, & *pertinentibus* ad ea. Et ſi glorioſiſſimi pontifices ea deſtruere quæ anteceſſores ſui ſtatuerunt, erubuerunt; multo magis decet & expedit, quin immo ſumme neceſſarium foret ſanctitatem veſtram eorum veſtigiis inhærendo, decreta ſacrorum conciliorum ſumma cum veneratione obſervare & obſervari facere & cuſtodire. Sicque, beatiſſime pater, ſi priſcorum ſacrorum pontificum magnifica opera ſanctitas veſtra attendit, ſummo ſtudio conabitur gloriam ſuam triumphalem ſuis poſteris & univerſo orbi relinquere profuturam. Neque ſanctitatem veſtram retrahat levis occaſio, quin immo divinæ neceſſitudini ſatisfaciat, ſi grato ſtudio ſua adminicula nunc petenda eccleſiæ Dei feliciter condonabit. Non injuſtum petimus, non ſanctitatem veſtram maximis prælüs aut certaminibus confligere

(a) Extat apud Bzovium ad annum 1435. n. 22. pag. 354. ſed hic paulo emendatior.

rogamus, non insuperabiles montes transire, non ampla terrarum spatia valli orbis lustrare, sed ut sancta catholica ecclesia favoribus benignis participata, bonos felicitatis suæ eventus * in perpetuum memorabiles conquirat glorioſe. Nunc autem, pater beatiſſime, de veſtræ ſanctitatis benedictione ad rem ſpecialius deſcendam, alia injuncta poſteris temporibus explicaturus.

* al. conventus.

Conſiderans itaque ſancta eccleſia catholica per ſacram ſynodum Baſileenſem repræſentata, reformationem Dei in capite & in membris univerſo orbi eſſe ſumme neceſſariam, & ad eam perficiendam crebertimis litteris ſanctitatem veſtram magna cum caritate & ſolertia propulſatam fuiſſe, in nomine Spiritus Paracliti, magnis & variis impedimentis intervenientibus, ſua ſalubertima promulgavit decreta. Cum autem, pater beatiſſime, ob eorumdem tranſgreſſionem magna ſcandala in eccleſia Dei præteritis temporibus exorta ſint, & niſi accuratius provideatur, timendum foret, majora ſcandala intoleratilia ac ſchiſmata graviora ſuboriri: maxime autem propter non obſervantiam decreti de electionibus, ob quam tranſgreſſionem paucis temporibus elapſis, ſequi poterit perniciosiſſimum ſchiſma in eccleſia Dei periculoſius quidem quam fuerit aliud noviter extinctum. Illud namque dividebat eccleſiam Dei in duas partes; ſed ſi ſanctitas veſtra non ſervaret decretum de electionibus per ſacrum concilium promulgatum, timendum foret, quod infra decem aut quindecim annos ſancta catholica eccleſia diviſa reperiatur in tot partes quot ſunt diœceſes. Proximis inſuper diebus cum ambaſſiatores ſacri concilii Francofordiæ in ſolemni conventione ſacri Romani imperii electorum & principum Almanniæ eſſent conſtituti, audiverunt graviſſimas querelas, maximaque ſcandala exinde evenire. Ad ſtatim vero expoſt Colonienſis & Moguntinus archiepiſcopi querelaſas litteras de novo ſacro concilio tranſmiſerunt, poſtulantes humiliter & devote, quatenus ſacrum concilium obſervantiæ decreti de electionibus ante ſui diſſolutionem dignaretur apponere remedium opportunum. Quamvis autem, pater beatiſſime, ſuperioribus temporibus ſacrum concilium per honorabilem dominum abbatem S. Juſtinæ, & demum per duos reverendiſſimos S. R. E. cardinales pro obſervandis decretis editis & edendis S. V. requiſiverit, nunc vero per nos humiles dictæ ſanctæ ſynodi oratores rogat, petit, hortatur, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri Jesu Christi obſecrat & amplius requirit; quatenus ſanctitas veſtra deinceps cum effectu ſervare & ſervari facere velit decreta edita & edenda per ſacrum concilium Baſileenſe, & in contrarium attentata revocare, alioquin P. B. dicta ſacra ſynodus multiplicibus jurgiorum ac ſcandalorum crebris propulſata opprobriis, intendit dare operam efficacem, per quam decreta ſua ab omnibus inviolabiliter obſerventur, etiam quacumque præfulgeant dignitate, prout impoſſibile erit: unde jam tot ſcandala & ſchiſmata in populo Chriſtiano ſuborta exiſtunt, & peramplius ſequi veriſimiliter timentur, quod ſacro concilio non expedit conniventibus oculis pertranſire. Et ſi ſacrum concilium non foret congregatum ad obviandum dictis ſcandalis, de novo deberet congregari. Numquam autem ſacrum concilium patietur ſe diſſolvi, niſi primitus adhibito ſufficienti remedio modo poſſibili, pro obſervandis decretis ejuſdem. Quid namque prodeſſet condere decreta & leges ſi non obſervarentur? Qualis inſuper futuris temporibus ſpes generalia concilia congregandi haberi poterit, ſi decreta ſacri concilii Baſileenſis tot laboribus & expenſis condita & promulgata, tam de facili violari, ac etiam retractari, irritari a quocumque tolerarentur. Et profecto niſi diligentius provideatur ſuper obſervantia decretorum, paucis temporibus elapſis, omnis auctoritas ſacrorum conciliorum enervabitur, & diſciplina eccleſiaſtica peribit. Vulgaris namque inolevit vox populi, ſi durante concilio hæc fiunt in viridi, quid eo diſſoluto ſperandum foret in arido.

Præterea, pater beatiſſime, ad dictam obſervantiam decretorum ex ſuſcepti regiminis officio S. V. aſtricta eſt. Unde juxta Juliani papæ ſententiam, officii noſtri conſideratio non eſt nobis diſſimulare, non eſt tacere libertas, quibus major cunctis Chriſtianæ religionis zelus incumbit, & per conſequens ferventiori deſiderio ea quæ ſunt Chriſtianæ religionis decreta Romanos pontifices ſervare oportet. Neque aliquam aliam ſedem, ſecundum Gelaſium, uniuſcujuſque ſynodi conſtitutum, quod univerſalis aſſenſus probavit, magis exequi præ ceteris oportet quam primam; quæ & unamquamque ſynodum tua auctoritate confirmat, & continua moderatione cuſtodit. Nedum autem verbo aut ſcripto ea amplecti, ſed etiam uſque ad animam & ſanguinem ea quæ Spiritu-ſancto dictante patres diffinierunt, præcipua virtute defenſare & ſervare, ab aliis obſervari facere & cuſtodire. Quod ſi ſanctitas veſtra fecerit, profecto ſancta catholica eccleſia immenſam gloriam honoremque ſuſcipiet pariter & decorem. Sacrum quoque concilium Baſileenſe in Spiritu-ſancto legitime congregatum & ſanctitas veſtra vinculo caritatis indiſſolubili erunt unum, ſicut & nos unum ſumus.

Inſuper, pater beatiſſime, quot & qualia ſcandala præteritis temporibus provenerunt, ex eo quod ſententiæ etiam tres conformes latæ in ſacro concilio, in curia Romana refricantur, retractantur & revocantur, ad

plene explicandum non ſufficeret dies, neque *menſis*. Patres autem ſacri concilii & etiam cuncti principes ſæculi de hac re non ſolum non adjurantur, * ſed & graviſſime ſcandalizantur, cum hoc cedat *in maximum* ſcandalum & perturbationem eccleſiæ univerſalis. Fiunt namque diverſi proceſſus in diverſis partibus; unus excommunicat, & alius *abſolvit*; *unus* obedit, & alius contemnit. Quanta autem mala & contemtus eccleſiaſtici ſtatus hinc proveniant, lingua noſtra mortalis ad plenum explicare non *poterit*. Et quod gravius eſt, fiunt proceſſus in curia Romana, per quos monentur ſuppoſita concilii, ſignanter autem ſcriptores & abbreviatores, *cum tamen ita neceſſaria negotia* ibidem tractentur, quod non ſolum non deberent vocari, quin immo & alii mitti. Eapropter, pater beatiſſime, dicta ſacra *ſynodus* veſtram ſanctitatem rogat, petit, hortatur, & inſuper per viſcera miſericordiæ Dei noſtri Jesu Christi obſecrat & requirit, quatenus ſanctitas veſtra deinceps *taliter velit p.ovidere*, quod iſta aut conſimilia de cetero non fiant, & præſertim mandare domino patriarchæ Hieroſolymitano, a quo dicitur *illud monitorium* emanaſſe, ut illud revocet, & de cetero ſimilia non attentet.

Peramplius autem ſanctitas veſtra dignetur fovere & habere recommiſſa *ſuppoſita ſacri concilii*, prout in decreto adhæſionis pollicita fuit ſanctitas veſtra facere. In omnibus autem ſanctitas veſtra velit ſic agere, quod patres *in ſacro concilio* concipere valeant ſanctitatem veſtram manutenere ſacrum concilium, & non per indirectum diſſolvere. Quod ſi ſanctitas veſtra *fecerit*, *totus inſuper* orbis univerſus exinde magnam ſuſcipiet conſolationem & quietem. Sacrum inſuper concilium & ſanctitas veſtra erunt unum, *ſicut & nos unum ſumus*.

Poſtremo, pater beatiſſime, ſacrum concilium volens ea ſignificare ſanctitati veſtræ, quæ proximis diebus in ſacroſancto opere *reformationis* dudum univerſo orbi per ſuas litteras promiſſo fecit & ordinavit, in præſentiarum in ſignum participationis tot & tantorum bonorum *operum*, *tranſmittit* ſanctitati veſtræ decretum de annatis, vacantiis, & communibus ſervitiis tollendis, prout in ipſo decreto ſtatim præſentando clarius *continetur*. Et dicta ſacra ſynodus hortatur & requirit ſanctitatem veſtram, quatenus velit ipſum decretum in ſua curia ſervare, & alibi obſervari facere & *cuſtodire*, quod ipſum eſt conforme legi divinæ & canonibus ſanctorum patrum, & dignetur ipſum benigne ſuſcipere tamquam opus quod principaliter *reformandum* erat. Quamvis autem, pater beatiſſime, iſtæ annatæ introductæ fuerint in cauſa paſſagii terræ ſanctæ, nunc autem ceſſante cauſa ceſſare poterit & effectus, etiam dictæ annatæ hactenus levatæ non ſunt converſæ in eum uſum & finem, propter quem annatæ *adinventæ* fuerunt, maxime quia ſuperioribus temporibus in ſublevatione dictarum annatarum tantus rigor, totque exorbitantiæ, tot *inſuper* deſtructiones & orbationes inſignium eccleſiarum provenerunt: adeo etiam quod in multis eccleſiis cultus divinus, nedum diminutus, ſed etiam in totum *collapſus* exiſtit. Multi etiam nobiles prælati ob non ſolutionem annatarum, innodati cenſuris eccleſiaſticis, multis annis a divinis abſtinentes, & tandem plurimi *in ipſis ſic mortui* in terra prophana inhumati ſunt; alii vero coacti ſunt vendere libros, calices, capſas reliquiarum, & ornamenta eccleſiarum. Alia autem innumerabilia mala, quæ exinde ſubſecuta ſunt, in longum enarrare ſuperſedeo de præſenti. Quibus ſinguliis attentis, peramplius non expediebat ſacro *concilio conniventibus* oculis pertranſire. Unde, pater beatiſſime, ſi Alexander S. R. E. & apoſtolicæ ſedis epiſcopus ſcribens Lucenſi (*a*) eccleſiæ conſtituerit & [*a*] decreverit, quod nullus cujuſcumque gradus clericus pro eccleſiaſtico beneficio audeat aliquid conferre, etiamſi fabricæ eccleſiæ, vel in denariis, ſeu etiam in uſus pauperum donatum tribuendum foret; multo magis decuit ſacrum concilium, quod eſt ſpeculum & norma cujuſlibet vitæ atque *communis actionis*, decretare & ordinare, quatenus amplius in collatione beneficiorum, confirmationibus electionum, admiſſione poſtulationum, tam *in* Romana curia, quam alibi, nihil penitus ante vel poſt exigatur, directe & indirecte, prætextu etiam cujuſcumque conſuetudinis, privilegii & ſtatuti, aut alias quacumque recepta occaſione. Sacrum namque concilium nihil novi feciſſe videtur, ſed antiquiſſima jura ſanctorum Romanorum pontificum innovavit.

Nihilominus, pater beatiſſime, ſacrum concilium omnino diſpoſitum eſt, & jam laborat per aliquem alium modum honeſtiorem ſanctitati veſtræ & *dominis cardinalibus*, talem facere proviſionem, de qua ſanctitas veſtra & domini cardinales merito poterunt contentari: præſertim autem ſi ſacrum concilium *informatum* fuerit realiter & cum effectu ſanctitatem veſtram decreta ſacri concilii Baſileenſis ſervare, ab aliiſque obſervari (*b*) facere, & in contrarium attentata [*b*] revocare. Has preces, pater beatiſſime, nos humiles & tantilli dictæ ſacroſanctæ ſynodi otatores, ſanctitati veſtræ magna cum inſtantia offerimus, rogantes ſanctitatem veſtram humiliter & devote, quod ſi nobis injuncta non tam mature aut eleganti ſtylo quo decuiſſet, expoſuerimus, *id non ſacro*

* al. admiranda.

(*a*) Apud Bzovium *Leonenſi* eccleſiæ.
(*b*) Apud Bzovium omiſſis his verbis: Et *in contrarium attentata revocare*. Additur: *Et cuſtodiri ſicut & prout S. V. in bullæ ſuæ adhæſionis pollicita eſt ſervare.*

concilio, ſed noſtræ imperitiæ ſanctitas veſtra adſcribere dignetur. Finaliter, pater beatiſſime, optat ipſa ſacra ſynodus, ut Deus glorioſus vota & agenda V. S. feliciter dirigat, & cœleſti dono proſequatur, ut per hæc & per alia meliora, quæ, Domino inſpirante, V. S. in poſterum fecerit, immarceſſibilem vitæ æternæ coronam & triumphalem gloriam conſequi mereatur, quam S. V. & & nobis omnibus concedat JESUS CHRISTUS benedictus in ſæcula. Amen.

INSTRUMENTUM REQUISITIONIS papæ, ſuper obſervatione decretorum.

Anno 1433. 12. Aug. Ex mſ. Agnetinenſi

IN nomine Domini, tenore præſentis publici inſtrumenti cunctis fiat manifeſtum, quod anno a Nativitate Domini MCCCCXXXV. indictione XIII. die vero XII. menſis Auguſti, pontificatus etiam domini EUGENII anno V. in domo fratrum Prædicatorum Florentiæ, in dominorum teſtium noſtrorumque notariorum, &c. præſentia, venerabiles viri Jo. *de Baukeſten* decretorum doctor, & Matthæus *Meſnage* baccalaureus formatus in theologia, ſanctæ generalis ſynodi Baſileenſis oratores & ambaſſiatores, coram reverendiſſimis reverendiſque patribus dominis epiſcopo Ilerdenſi, archiepiſcopo Spaletenſi, epiſcopo Cervienſi, Jo. de Mela protonotario, & quamplurimis aliis doctoribus, &c. perſonaliter conſtituti, expoſuerunt qualiter nuper videlicet XIV. Julii, præfati domini, aut major pars eorum, in audientia publica, & coram ſanctitate domini noſtri papæ præfati, reverendiſſimiſque dominis cardinalibus, præfati domini ambaſſiatores & oratores ex parte ſacroſanctæ ſynodi generalis Baſileenſis, ſupplicarunt, rogarunt & requiſierunt eamdem ſanctitatem ad obſervantiam decretorum ejuſdem ſanctæ ſynodi, & in contrarium attentatorum revocationem, necnon pro reductione Græcorum, indulgentiarum cum eodem concurſu, prout & quemadmodum in propoſitionibus & collationibus eorumdem ambaſſiatorum, coram eodem domino ſanctiſſimo factis & pronuntiatis continetur, quas pro repetitis habere voluerunt. & quia ſuper omnibus ſupradictis præfatus SS. dominus noſter papa in præſentiarum dicto ſacro concilio in eorumdem dominorum oratorum perſonas dederat reſponſum, per quamdam cedulam papyream eiſdem dominis ambaſſiatoribus per dictum Poggium præſentatam & per eos receptam, quam de mandato præfati SS. domini noſtri papæ aſſerebat ſcripſiſſe: non videbatur eiſdem dominis oratoribus pro honore ſacri concilii, domini noſtri papæ, ac ipſorum dominorum oratorum ſufficere, immo magis viſum fuit expedire, quod hujuſmodi reſponſio ſub bulla ipſius domini noſtri, necnon expreſſione nominum ſæpedictorum dominorum ambaſſiatorum ſacro concilio tranſmitti deberet, licet ipſam cedulam offerebant ſe velle ipſi ſacro concilio cum omni honore & reverentia repræſentare. Et nihilominus ex ſuperabundanti cautela, iterum de novo ſupplicarunt & requiſiverunt SS. dominum noſtrum, quatenus vellet ſervare & ſervari facere decreta ſacri concilii Baſileenſis, & in contrarium attentata revocare, ac alia facere & adimplere, prout & quemadmodum in propoſitionibus eorum & collationibus fuerat & erat expreſſum. De & ſuper quibus omnibus & ſingulis ſæpediſti domini oratores ſibi fieri petierunt inſtrumentum & inſtrumenta, &c.

Et ego Deſiderius Barardi de Forcellis Tullenſis diœceſis clericus, publicus imperiali auctoritate notarius, dum hæc agerentur, &c. præſens fui, &c. Quare, &c.

SEQUITUR PROPOSITIO FACTA per generalem ordinis Camaldulenſis (a) oratorem domini noſtri papæ ad concilium deſtinatum. [4]

NOn vereor, Patres reverendiſſimi & religioſiſſimi, ac doctiſſimi viri, qui hoc ſacrum generale concilium veſtra illuſtratis præſentia, ne qui nunc primum celeberrimo in conventu dicturus adveni, minus felici auſpicio aggrediar quæ inſtitui, ipſa vel novitate rei vel loci dignitate deterritus. Licet enim infirmitati meæ atque imperitiæ admodum conſcius, juſta metus ratione non careo, releват tamen intentionem, trepidationemque corroborat divina in primis miſeratio, quæ *piis conatibus* numquam deeſſe conſuevit; tum mittentis Romani pontificis auctoritas ſumma, cui ab hac ſacra ſynodo multum deferri, ut decet, non ambigo. Deinde veſtra benignitas, quam præcipuam ac ferme ſingularem in nos experti ſumus: poſtremo cauſæ ipſius quam agendam ſuſcepi bonitas. de caritate enim ac pace, atque unitate ſervanda in myſtico ſacratiſſimo corpore loqui inſtitui, ut ſermo vel infanti ac muto deeſſe non poſſit, difficiliuſque ſit hujuſce diſputationis campum ingreſſo, orationis exitum quam copiam verborum reperire; quæ ultro ſe ingerit, ut longius quærenda non ſit. Proinde neque dignationi veſtræ, niſi ſumme gratum fore arbitror noſtrum hunc de caritate ſermonem, quando in Dei nomine, & ad ea quæ ſunt divina tractanda convenimus. Eſt quippe, juxta Johannis teſtimonium, caritas Deus. excellentiſſima plane diffinitio, & qua majus nihil aut dignius excogitari poſſit. Quis autem ze-

(a) Ambroſium, qui Baſileam intravit XIII. calendas Septembris, ac ſexto poſtquam advenerat die, publice oravit, atque a ſacro cœtu auditus fuit, ut ipſe ait in epiſtola ad Coſmum ſeptima, ac proinde hæc propoſitio facta fuit die Auguſti 26.

lo Dei ſuccenſus, Deum ſitiens, & quæ Dei ſunt quærens, de caritate vel loquendi, vel audiendi ſatietatem umquam ullam, faſtidiumve percipiat? Porro de pace quid loquar? eſt enim pax, juxta ſapientiſſimi & ſanctiſſimi cujuſdam viri ſententiam, dulce nomen, & Dei res eſt, & apoſtolo teſte, Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum. Pacem quippe nato Domino terris redditam primum Angeli nunciarunt, eamque ſalvator ipſe diſcipulis vivens, moriens, reſurgens, jure hereditario tradidit, *pacem*, inquiens, *relinquo vobis*, &c. Et poſt reſurrectionem diſcipulos hac blanda & leni admonitione compellat, dicens: *Pax vobis*. Ne ſcilicet ſe alium putarent, quam qui vivens eis reliquerat pacem; ſed ex ſuavi pacis nomine præceptoris ac domini ſui vocem recognoſcerent. Mira plane divinæ pietatis diſpenſatio, aſcenſurus in cœlum, & corporalis præſentiæ ſuæ modum facturus, ea inprimis commendare & inculcare diſcipulis ſtuduit, per qua in corpore ſuo, ſancta videlicet eccleſia, quam toto orbe terrarum diffundendam prævidebat atque prædixerat perpetua caritas, & pax inviolata duraret; nam de caritate commendanda quanta illi cura fuerit, aperte ſatis oſtendit, cum tam proprium & peculiare præceptum ante crucem inſinuat, dicens *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, &c. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat; quis pro amicis ſuis?* Et poſt reſurrectionem, Petro ſingulatiter: *Petre amas me? Paſce oves meas*. Idque tertio, cum protinus ad imitationem ſui paſſurum pro ovibus, quas paſcendas accepit, ſubdidit: *Cum eſſes*, inquit, *junior, cingebas te, & ibas ubi volebas; cum autem ſenueris, alius te cinget, & ducet quo tu non vis*. Oſtendit profecto jam tunc rex noſter Chriſtus Dominus, eccleſiæ caput & ſponſus, Petrum ſibi in eccleſiæ gubernatione ſuccedere. Licet enim Apoſtolis & ceteris ligandi atque abſolvendi ſit a Domino indulta poteſtas; Petro tamen ſpeciali quodam privilegio dicitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris, &c.* Voluit nempe divina diſpoſitio, ne ſcandalum ullum aut ſciſſura fieret in corpore, unum eſſe eccleſiæ principem, ad quem oporteret cuncta referri, & ſub quo, ac ſi ſub capite membra fideles omnes eſſent veluti exemplari de cæleſtibus ducto, ut ſicut etiam juxta Philoſophorum ſententiam, Deus unus eſt, qui cæleſtia ſimul & terrena moderatur: ita & in eccleſia, cui Chriſtus eſt caput, unus eſſet gubernator & rector, qui ipſius vice fungeretur in terris, & ad quem, ut dictum eſt, cuncta referrentur. *Vide*, inquit Dominus ad Moyſen, *ut omnia facias juxta exemplar tibi in monte monſtratum.*

Sed non ero proxilior, neque nitar oſtendere inpræſentiarum, ut eccleſiaſtica miniſteria, diſtinctiones, ordines, functiones, officia cæleſtibus per omnia ferme conſentiant, utque qui Romano pontifici propinquius inhærent, *ſummis illis altiſſimiſque virtutibus** Deo ſine interpoſitione ulla adhærentibus congruant, & deinceps ſuis locis & ordinibus ceteri. Non ſunt iſta dicenda ex tempore, ſed in otio diſcenda, & crebra ruminatione volvenda. Legant qui volunt Dionyſium Areopagitam ſcriptorem nobiliſſimum, & pleniſſime admonebuntur. Licet enim arbitrentur quidam apoſtolum Paulum, eoſdem & epiſcopos & preſbyteros dicere, idque ex dictis illius probare nitantur; Dionyſius tamen Apoſtolici diſcipulus, in quem, velut in vas mundum & capaciſſimum refudiſſe videtur arcana illa cœleſtia, quæ raptus ad tertium cælum audiviſſe merito creditur, neceſſariam diſtinctionem docet. Unus itaque ſervandæ, ut dictum eſt, pacis & concordiæ gratia princeps a Domino inſtitutus eſt neceſſario, ſicut & *in exercitu imperator* unus ſit neceſſe eſt, pro ſervanda diſciplina militari; alioquin confuſione plena eſſent omnia; & in multis *quoque ſervari hunc ordinem cernimus. Sed enim non eſt in rebus manifeſtis immorandum. Is vero princeps unicus ut Romanus eſſet *pontifex* effecit ſedes illa, cui apoſtolus præfuit Petrus, & in qua martycium fecit, ut quia Romæ prædicaverit Chriſtum, & eccleſiam regens glorioſiſſime occubuit, Romanus deinceps epiſcopus eccleſiarum omnium princeps eſſet, quanquam & *civitas imperio* inclyta eam quoque opinione quorumdam haud immerito ſibi vindicavit dignitatem, ut quæ orbis caput diceretur, primatem etiam epiſcoporum omnium in ſe haberet. Quod poſtea de Conſtantinopolitana eccleſia ſtatutum in *concilio* legimus, ut *imperii* cauſa, quod illuc migrarat, ſecunda ab eccleſia Romana haberetur. Ad Romanum vero pontificem cuncta referri ſolere *ita* manifeſtum eſt, ut probatione non egeat. Nam ſi quid uſquam ullo tempore pietati chriſtianæ religionis adverſum ortum erat, conſulebatur inprimis apoſtolica ſedes, indeque remedium expectabatur. Si conſutandæ hæreſeos, aut propulſandi ſchiſmatis gratia *concilia* SS. patrum convocari* oporteret, Romani antiſtitis id efficiebat auctoritas. Denique invenies in ſynodis omnibus a *Romanis pontificibus* miſſos, quos locum tenentes Græcis vocare mos eſt, ut conciliis non modo intereſſent, verum etiam præeſſent, ſediſque apoſtolicæ & expectata ſemper & ſuſcepta ſententia eſt. Si qui ſanctorum patrum ſede ſua vel regum, vel principum, vel *epiſcoporum* factionibus pulſus extorris habebatur,* ad Romanam eccleſiam veluti ad matrem recurrebat, inde ſibi auxilium & ſolatium poſcens; nempe

* *al.* ſpiritibus.

* *al.* mutis.

* *al.* confiari.

* *al.* agebatur.

enim & ſanctus Athanaſius Alexandrinæ eccleſiæ præſul catholici dogmatis adverſus Arianam perfidiam propugnator invictus, cum toto orbe profugus ad ſupplicium Ariani imperatoris juſſione quæreretur, Romam ſecundo contendit, notaque catholicæ eccleſiæ præſidia occupavit. Johannes item Chryſoſtomus nobiliſſimæ memoriæ, Conſtantinopolitanus epiſcopus & doctor eximius, cum epiſcoporum Ægyptiorum ſententia ſecundo nequiſſime damnatus in exilium conceſſiſſet, Romani pontificis Innocentii per litteras auxilium flagitavit, non tam ſibi quam diſciplinæ eccleſiaſticæ periclitanti, jam jamque labenti opem ferri poſtulans. Et ut alios omittam, Thomas beatiſſimus Cantuarienſis epiſcopus, cum in exilium ob tuendæ eccleſiaſticæ libertatis jura ab Anglorum rege HENRICO crudeliſſime actus fuiſſet, apud Romanum pontificem ſolatium reperit, ipſiuſque tandem auctoritate ad eccleſiam rediens, martyrii triumphum retulit; adeo Romana eccleſia & Apoſtolica ſedes omnibus, quos injuſta umquam vexaret calumnia, ſeu potentiorum injuria premeret, veluti aſylum inviolabile patuit. Hæc jura & leges regibus, principibus, gentibus ſemper dedit; ab hac edicta gravia & pietatis & religionis plena toto orbe manarunt; quippe quam nulla umquam fuſcavit errorum macula, ſed intemerata ſemper perſtitit, atque omni hæreſis labe pura. (a)

[4] [Sed & cum tantus honor illi ſedi & a ſacris ſynodis & a ſanctis patribus, & ab orbe univerſo habitus ſit: ſi quid tamen ullo tempore minus decorum, minuſque honeſtum ab epiſcopo Romano geſtum eſſet, non expectata generalis concilii auctoritate, fervore caritatis ab inferioribus quoque corripi ſolere manifeſtum eſt. Ægre enim patiebantur membra viciſſim pro capitis honore ſollicita, quicquam ab illo indecens fieri, per quod matri catholicæ macula poſſet inuri. Urebat quippe illorum præcordia zelus domus Dei, neque eos ſinebat conquieſcere, donec decorem matri integre reſtitutum cernerent. Sic denique Cyprianus, & martyr glorioſiſſimus & doctor ſuaviſſimus, Carthaginenſis epiſcopus, Cornelium Romanæ ſedis antiſtitem, quod non digna ſantæ auctoritati fiducia uſus videretur, ſeverius corripit: quem tamen jam martyrio coronatum, ad Stephanum ſucceſſorem ejus ſcribens, miris laudibus prædicat. Sic, ut præteream plurimos, B. Bernardus Eugenium ſuum carpit, quod a ſe ſtatuta laudabiliter plurima non curaverit obſervanda. Sic hodieque & noſtro Eugenio non deſunt qui caritatis fiducia ſuggerant, ſi quid ad ſe increpatione dignum de illo fortaſſe pervenit. Semper autem accepta cum gratia, ut decuit, fuit inferiorum reprehenſio, ſicut neque Petrum a Paulo reprehenſum ægre aut moleſte tuliſſe legimus; ita ſemper in corpore ſervata unitas eſt, nullumque ſciſſura invenit locum, dum & ille paſtor ſummus, digna loci auctoritate ſervata, nihil indecens gerit; & ſi quid egerit, a ſubditis caritatis zelo correptus & benigne ſuſcipit & gratias agit. At vero ſanctorum conciliorum inſtituta nemini majori in veneratione, quam pontificibus ſummis ſemper fuiſſe quis neſciat? nam cum vel de ratione rectæ fidei tenenda, vel de ſervando eccleſiaſticæ diſciplinæ vigore, vel de ceteris ad integritatem religionis pertinentibus concilia egiſſe ſemper manifeſtum ſit; cui magis incumbere debuit illorum ſtatuta & ſervare exactiſſime, & a ceteris ſervanda curare, quam ei qui clavum univerſalis eccleſiæ regeret? Quippe & B. Gregorius in epiſtola ſynodica primas illas quatuor ſynodos, Nicænam ſcilicet primam trecentorum decem & octo patrum, in qua Arius; Conſtantinopolitanam primam centum quinquaginta, in qua Macedonius; Epheſinam ducentorum, in qua Neſtorius; Chalcedonenſem quingentorum triginta epiſcoporum, in qua Eutiches & Neſtorius damnati ſunt: ita ut quatuor evangelia ſe ſuſcipere cum omni veneratione teſtatur. Sed & anteriores & deinceps omnes Romani pontifices eadem ingreſſi ſunt via.]

Quorſum vero iſta, patres reverendiſſimi & Chriſtianæ fidei ac pietatis alumni? ut ſcilicet caritatis jura in corpore Chriſti, quod eſt eccleſia, præcipuo patrum præcedentium ſtudio ſervata, atque a vobis itidem ſervanda doceremus. Conveniſtis, patres præſtantiſſimi, pro diſciplinæ maxime eccleſiaſticæ decore, qui multum dilapſus erat, reſtituendo, omitto enim interim exſtirpationem hæreſis perniciоſiſſimæ, cui maxima cum Dei laude & ſanctæ matris eccleſiæ utilitate inſteriſtis; pacationem principum Chriſtianorum, cui ardenter incumbitis; Græcorum revocationem, quam conſtanter appetitis, utinam felici fine concludendam. Laudabile omnino ſtudium digniſque laudibus extollendum. Verum enim, patres fideliſſimi, Chriſtianæ religionis æmuli, ordinate oportet fiant omnia. Debent qui reſecandis exterorum vitiis inſtant, ipſi eſſe mundiſſimi & digni, per quos Deus dignetur operari, ſicut & in antiquis illis & venerabilibus ſynodis contigiſſe meminimus*, in quibus electi ſolum antiſtites & vitæ ac morum honeſtate* inſignes conveniebant. *Mundamini qui fertis vaſa domini*, ait propheta. Vere enim domini vaſa vos fertis, qui fidelium animos infirmos, & ingredi per ſe non valentes, doctrina roboratis, & ſacris inſtitutionibus ad æterna dirigitis. Divina ſunt negotia quæ tractatis. Non ſunt animi in humum deprimendi, ut ſecundum apoſtolum nihil per contentionem aut inanem gloriam. Perturbationes omnes procul pellendæ.* De Deo

* al. præmittit.

* al. obſervatum fuit.

* al. ſanctitate.

* al. accede

(a) Inclusa anſulis deſiderantur in codice Aquicinctenſi.

ac de Dei rebus pendendum, ut mentibus liberis ac paſſione vacuis, facilius & rectius de ceteris judicare poſſitis, & ea quæ ad laudem divini nominis & ad eccleſiæ univerſalis ornatum pertinent, digne diſponere.

Patiemini, patres reverendiſſimi, dignationem veſtram admoneri, & libenter tolerabitis ea quæ ad ordinem & diſciplinam pertinere videntur, caritatis fiduciam ſuggerentem. Servandus eſt apoſtolicæ ſedi honor debitus, neque committendum ut auctoritas Romani pontificis per vos depreſſa videatur. Quis enim ſedis illius honorem *tuebitur*, ſi concilia eum generalia deprimant, quæ hunc *in primis* contra oppreſſores omnes ſervare debuerunt? Quando umquam auditum eſt, patres præſtantiſſimi, ſacras & venerabiles ſynodos quicquam adverſus ſedem illam inclementer ſtatuiſſe. Quando oriens totus, Ægyptus, & Africa Chriſtianæ fidei titulo gloria erat illuſtris, quando orbis totus Chriſtum loquebatur, cum *ſanctiſſimis viris* omnis ferme eccleſiæ præſulibus gloriaretur, *cum* deſerta ipſa & montes ſancti foverent ſervos Dei, cum concilia ſingulis annis per omnes provincias ex inſtituto apoſtolico fierent, nihil umquam ullis in locis contra ſedis illius auctoritatem ac dignitatem vel leviter fuit attentatum. Modo quando, me miſerum! ſola ferme in occidentali regione Chriſti religio ſincera & *inviolata* utcumque ſervatur, ſacræ illius ſedis minuetur, aut per *vos*, patres, ſupprimetur auctoritas? Nolite id, quæſo, pati patres digniſſimi, ut qui ad honorem Dei & Chriſtinæ religionis augmentum congregati eſtis, oblatrantium & blaſphemantium ora in vos laxaſſe videamini. Ridebunt nos, credite, gentiles, ridebunt hæretici ipſi atque ſchiſmatici, ſi a capite membra *diſſidere videbuntur*. Reſtituendam eccleſiaſticam diſciplinam, quæſo, ita curate, ut omnia cum decore, pace & tranquillitate fiant, & ſciſſura omnis, immo ſciſſuræ vel obſcura ſuſpicio de medio fiat.

Nego equidem (id exterorum pace dictum ſit) quemquam ex omnibus magis cupere eccleſiaſticæ dignitatis ornatum & antiquam ſanctitatem quam eccleſiæ ſponſum Romanum *pontificem* EUGENIUM beatiſſimum. Non degenerat paſtor ille ſummus a veſtigiis patrum, ut crimen ullum ipſi merito poſſit impingi. Sacro huic concilio generali tantum ille detulit, quantum nemo ex præcedentibus ulli. (a) [Meretur hæc illius benigna libertas dignis favoribus extolli, patres laudatiſſimi.] Non modo autem ſummus ipſe pontifex, verum & ſacrum omne collegium reverendiſſimorum S. R. E. cardinalium ad ea quæ pacis ſunt, & quæ ad utilem omnem & neceſſariam reformationem pertinent, pronis animis concurrere ita parati ſunt, ut ſi nemo *plane in ea re expetenda* præcedat, multumque gratulantur ſacrum iſtud generale concilium, huic uni rei acrem dare operam, & ita ut mala omnis conſuetudo tollatur, & zelo domus Dei noxia evellantur germina, inſeranturque virtutes, juxta illud prophetæ Hieremiæ: *Ecce conſtitui te ſuper gentes & ſuper regna, ut evellas & deſtruas, &c.* ſed caritatis jura inconcuſſa tuenda maxime ſuadent, & cum *modo* facienda omnia, & ne quid nimis, ne dum *rubigo immodice* raditur, frangatur vas; Et dum zizania incaute colliguntur, evellatur & triticum. Eſſet enim profecto incongruum atque inconſultum, de extremo ad extremum aliud ſine medio tranſire velle, veluti ſi de infimo quis ad ſupremum gradum tranſire vellet ſubito, & omnes prætervehi in medio poſitos. Itaque prævia & duce ſancta caritate, a vobis geri omnia omnes *in commune* cupiunt, & hortantur, atque orant, ut firma ſint & ſtabilia quæ conſtituta fuerint. Nam ſi quid præter caritatis legem ſtatuatur, fundamento carebit & corruet, ſcandali potius & ſciſſionis quam pacis & unitatis erit occaſio, & unde Dei honor inquiritur, inde ſanctum nomen blaſphemabitur peſſimo exemplo *ſæcularium*. Noſtras enim illi contentiones inſpicientes, qui *ædificari ex* mutua pace & caritate noſtra debuerant, offenſionis & ſcandali potius materiam ſument. quando itaque arduum quid in ſacra ſynodo ſit decernendum, multo id melius, multo felicius, longeque honorificentius fiet, firmiuſque ac ſtabilius erit pontificis conſenſu requiſito, quam ſi illo inconſulto *fiat*, & *ut conſentiat poſt* factum requiratur. Conſuleturque per id non *modo* ſedis apoſtolicæ honori, verum & honeſtati veſtræ, multo magis dum officium ſervabitis & caritatis legem pro viribus ſervare curabitis inviolatam.

Enimvero, religioſiſſimi Patres, ſacræ & apoſtolicæ ſedi ſolemnes uberesque proventus ineſſe oportere quis abnuat? Emergunt in dies peccatis *noſtris exigentibus* * *plurima*, per quæ pecuniæ neceſſario ſunt impendendæ: quæ niſi ad manus erunt, peribunt omnia. Et ut iſta veluti moleſtum præteream ſcopulum, quam indecorum erit, quam inhoneſtum, ſi pauperibus opem petentibus ſubvenire non poſſit Romanæ ſedis antiſtes omnium pater, & a quo omnes ſibi ſolatia jure ſuo & quærere & expectare poſſe ac *debere videntur*? *Quando vero* lectum eſt ſummum pontificem non abundaſſe, & ita ut inopum miſeriis poſſet occurrere? Numquam eccleſia Romana in tanta ſeveritate * fuit, ut pauperes non ſemper foverit, levaverit, juverit. Denique de B. Gregorio legimus, quod omnium regionum pauperes deſcriptos ſibi & notatos habuerit,

* *al.* agentibus.

* *al.* ſecuritate.

(a) Anſulis incluſa deſiderantur in codice reginæ Sueciæ, quorum loco hæc habentur, *dum illud approbavit, atque ita approbavit, ut nihil in ſe ultra potuerit deſiderari. Iſta quia ſunt nota prætereo.*

eisque alimenta præbere solitus sit. Neque id solum, verum & auri plures libras annis singulis ad remotiora quædam monasteria consueverit mittere, pro sustentatione illic habitantium servorum Dei. habebat & in Sicilia & in locis aliis, qui patrimonii ecclesiæ Romanæ & *curatores* & *exactores* diligentes essent, & suæ administrationis rationem fidelissime redderent. Voluit nempe jam tunc divina miseratio ecclesiam illam, quæ esset ecclesiarum omnium princeps, abundare terrenis quoque proventibus. Ut enim Constantini donationem illam vulgatissimam omittam, hunc ipsum principem in *gravi historia* legimus, & alios subinde reges, præter auri & argenti ingentem in vasis sacris summam, fundos egregios & innumeros Romanæ ecclesiæ dono dedisse: Carolum postea magnum, Pippinum & alios *reges, provincias & regiones*, urbes & castella in Italia, translato ad Gallos imperio, Romanæ ecclesiæ addidisse certum est. Non modo vero Romana ecclesia ample dotata est, sed crescente fidei zelo & religionis devotione, *in omnibus fere provinciis* ecclesiæ omnes magnificentissime a regibus & principibus ac fidelibus reliquis extructæ ac dotatæ fuerunt. Testes hujus rei sunt, ut notiora & propinquiora memoremus, Gallia, Germania, Hispania, Italia, Anglia, *in* quibus fidelium regum ac principum, nobiliumque largitione ecclesiæ ferme omnes ac monasteria nimium ferme interdum abundant.

An vero quod inferioribus inest, matri ac principi ecclesiarum omnium inesse debere negabimus? Quis autem, Christiani Patres, ignorat quantas Romana ecclesia jacturas proxime sustinuit? quam multas quam varias clades accepit, quibusdam statui ecclesiastico insultantibus petulantissime, ipsumque funditus pessumdare studentibus? Nota sunt ista, & gemitu potius lacrymisque prosequenda, quam verbis. *Superioribus* quoque temporibus contigisse plurima scimus, Romanosque pontifices & aliarum quoque urbium sacerdotes per quorumdam intemperantiam pulsos sedibus suis, sicuti Innocentio * III. contigisse *legimus*, qui Petri Leonis insidias fugiens, vagus diu jactatus est. Alexandro item III. qui Romam ægre attigit, & nostri temporis Johanni XXIII. qui vage profugit, ut Ladislai regis manus effugeret. Ærarii vero sacri inopiam horum causam haud exiguam fuisse manifestum est.

*lege 11.

Jam vero pontificem Eugenium casus varios & pericula, quibus ferme irretitus est, quis fidelium pietate ulla præditus referre sine lacrymis possit? Ea quoniam & ingrata sunt & nota, prætereo, ex quibus tamen omnibus eum omnipotens Deus clementer eripuit miraculo ferme singulari. Verum enim ut unde cœperat oratio nostra recurrat, oramus atque obsecramus, patres reverendissimi & religiosissimi viri, qui ad opus Dei convenistis, quosque ex remotioribus locis domus Dei zelus attraxit, ut servandæ in Christi corpore caritatis & pacis curam summam diligentiamque habeatis. Ne quæsumus patiamini tunicam inconsutilem Christi, cui etiam gentilis miles perpecerat, scindi. Abusiones in ecclesia si quæ sunt ita resecate, ut tamen usus necessarii non tollantur Romani pontificis, & apostolicæ sedis honorem servate, ejusque jura, si ab adversariis *tollantur**, vestra, ut decet, auctoritate tueamini; caritatis dulcedinem in corde fovete, operibusque manifestissimis ostendite laudabilem ordinem, & necessarium a patribus sanctis institutum cum disciplina custodite. Auctoritatem *apostolicæ* sedis sicuti a majoribus nostris patribusque sanctissimis accepistis integram illibatamque servate. Nemo, dilectissimi, quæ sua sunt quærat, sed quæ Jesu Christi, omnis pellatur a peccatoribus vestris perturbatio, passionesque arceantur omnes, ut & in laudem Dei convenire aptius, & sponsæ Christi ornatum convenientius & conspicari & intelligere ac providere possitis. Et quoniam in tanto conventu cuncta prosequi a summo pontifice & a sacro collegio injuncta minus congrue possumus, majore enim illa & quiete & otio indigent, aliquos *ex hoc sacro cœtu deputari* postulamus de omni natione vel regno viros timoratos & graves, & pacis fraternæ studiosos atque avidos, cum quibus latius possimus cuncta conferre. Confidimus autem in domino ea nos allaturos, quæ *bonis desideriis* vestris diligentius inspecta, & altius considerata, plene satisfaciant, & in corpore mystico caritatem fervent, pacemque necessariam & concordiam nutriant. Et ne in eo quidem, quod nuperrime ab *hoc sacro concilio decretum* est, pontificis summi deviabit auctoritas. Si tamen modus congruus adhibeatur, & tam sedi apostolicæ quam sacro collegio provideatur effectu. quem quidem modum speramus a vestra benigna humanitate profecturum. Deus autem pacis auctor, caritatisque propagator, immo pax ipsa & caritas, lapis angularis, qui facit utraque unum, Christus Dominus, qui pacificavit per sanguinem suum quæ in cœlo sunt, & quæ in terra, ipse in cordibus vestris aspirare dignetur, ut idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata, sed uno spiritu & uno ore glorificemus Deum & patrem Domini Jesu Christi, cui est cum Spiritu-sancto honor, decus, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

*al. fabricantis alios pecuniæ.

RESPONSIO

RESPONSIO FACTA

per reverendiſſimum dominum legatum oratoribus domini papæ ſuper propoſitis per eoſdem in generali congregatione.

DEceret hujus ſacri concilii dignitatem, ut cum SS. domini papæ oratoribus nunc reſpondendum ſit, tali viro hoc onus injungeretur, qui & ſacro concilio & ipſi ſummo pontifici dignam orationem faceret; ſed cum joco tantum & non meritis hoc reſpondendi officium tribui hactenus ſolitum ſit, excuſabit conſuetudo, *ſi veſtris ornatiſſimis orationibus par aut ſimilis non reddatur oratio.* Excuſari & ego jure debeo, qui hunc primum locum non ambitu aliquo, ſed ſuperioris juſſu, contra meum inſtinctum conſecutus ſum: quem etiam non voluntas, ſed neceſſitas ad reſpondendum coëgit. Semper ergo familiariter, quemadmodum apud vos domi ſolec, nunc vobiſcum colloquens magis quam peroranS, *principales veſtrarum* orationum aſſumam partes, quibus nomine ſacri concilii reſpondebo. Et a vobis initium dicendi faciens, venerabilis domine generalis, qui primum Lactantii ac Ciceronis ſtylo hic peroraſtis, quatuor ex veſtra oratione principaliter colligo. Primo hanc ſanctam ſynodum ad caritatem, pacemque & unitatem cum domino noſtro conſervandam exhortati eſtis. *Secundo ſanctum piumque ejus* propoſitum ac deſiderium explicaſtis, ad hæc *tria opera*, quibus ſacrum concilium intendit. Tertio quod ſedem apoſtolicam potentem eſſe & opibus abundare neceſſe ſit, ut oppreſſos relevet, & indigentibus ſubveniat. Poſtulaſtis demum loco annatarum, quas decretum noſtrum proxime editum abſtulit, proviſionem ſedi apoſtolicæ ſufficientem fieri. *Vos autem, domine Antonine Auditor,* duo præcipue apud fratres Minores etiam diſertiſſime complexi eſtis. Primo quod hæ annatæ jure naturali divino & humano tolerari poterant. ſecundo quod aut ſuſpendatur decretum, aut debita ſedi apoſtolicæ fiat proviſio. Exhortatio, quam primo loco, domine generalis ad pacem caritatemque & unitatem feciſtis, ſancta quidem eſt & ſa*lubris, & omni receptione digna*, quam quilibet Chriſtianus utraque manu amplecti debet, quæ quam ſit neceſſaria & utilis in ſe quilibet palam experitur. Quantumlibet enim homo ſit dives ac potens, omnia habens naturæ & fortunæ bona, ſi pace & unitate cum proximis careat, nihil jocunditatis, nihil lætitiæ ſentire unquam poterit, ſed plurimas animi moleſtias, atque anguſtias ſecum ubique deferet. Nos etiam non paſſi ſumus hoc munere pacis ab ipſo ſummo pontifice præveniri. Nam & ſæpenumero ac per noſtros oratores noviſſime Florentiam deſtinatos, id

A ipſum ſuæ ſanctitati nunciavimus, optantes ut unum eſſemus caritate ipſe & nos, ſicut Chriſtus orans pro diſcipulis dicebat: *Oro, pater, ut unum ſint, ſicut & nos unum ſumus.* Ipſe igitur ſummus pontifex pacem & unitatem nobiſcum habere deſiderat, & nos ſecum: ipſe illam nobis nunciat, & nos ſibi. quid ergo reſtat quod ipſo & nobis pacem & unitatem optantibus invicemque nunciantibus, pax ipſa non ſit? An quia ſic alter alteri pacem optamus & nunciamus, pacifici dicendi ſumus? An etiam quia inter diſſi-
B dentes, *ut modo in Chriſtianiſſimo regno* Franciæ factum eſt, pacem componere ſatagimus, filii Dei vocabimur, ſi pacem inter nos invicem non habemus? Non quidem. Inquit enim B. Hieronymus ſuper Matthæo in verbo illo *Beati pacifici*, ille vero pacificus eſt, qui prius in ſeipſo, deinde inter alios pacem quærit. Ipſe & nos unum corpus eccleſiæ ſumus, qui regimur ſub uno Chriſto capite noſtro, *ipſe & nos civitas Dei ſumus*, ipſe & nos una domus Domini ſumus. Si in hoc corpore, ſi intra ejus civitatis eccleſiaſticæ mœnia, ſi intra hujus domus parietes
C diſſentionum, æmulationum, odiorumque bella verſentur, quis ipſum & nos pacificos recte nuncupabit, etiamſi in toto terrarum orbe pacem eſſecerimus? Quid ergo cauſæ eſt, cum uterque tam bonam & ſinceram ad pacem *ſe voluntatem* habere dicat, quod inter nos & ipſum non mediocres diſſentionum ſcintillæ apparent, quæ niſi caute extinguantur, verendum eſt, ne in maximam erumpant flammam? Quid opus eſt indiciis aut conjecturis hujus diſcordiæ cauſas inveſtigare? *Audiamus quid in nobis loquatur*
D *Dominus Deus noſter, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam*, inquit Deus per os pſalmiſtæ, *miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Demonſtrat nobis profecto Dominus Deus noſter, quod pax ſine juſtitia eſſe non poſſit, immo ut illa ſit, juſtitiam præcedere oportere. Cum ergo ita ſit, aliter eſſe non poteſt, cum veritas atteſtetur. neceſſarium eſt ſi Dominus noſter veram pacem & unitatem inter nos & *ipſum* fore deſiderat, ut ea quæ ad juſtitiam ſpectant, *prius* ipſe præmittat, hoc eſt ut eccleſiæ univerſali jus ſuum tribuat. Quid eſt illud eccleſiæ jus? quæ ſunt illæ juſtitiæ par-
E tes, quæ veram pacem præcedere debent? Non certe aliæ, niſi cum eccleſia univerſalis Spiritu ſancto dirigatur, & eam univerſale concilium repræſentat, ut decreta ſynodalia diligenter ſervet, & per alios ſuo exemplo & juſſu ſervari faciat. Ita & ſui anteceſſores *ſancti* Romani pontifices, quorum vitam in teſtimonium ſanctitatis etiam miraculis illuſtravit Deus, fecerunt, cum ſumma veneratione univerſalium conciliorum canones ſuſcipientes, & per eos inviolabiliter ſervari facientes, qui ſine maxima & urgen-

tissima causa adversus ea non disponebant quicquam, nec ab aliis aliter fieri patiebantur. Inquit enim B. Damasus, absit a me, ut SS. Patrum canones absque inevitabili causa umquam transgrediar. Et magnus ille Gregorius, ut sancta evangelia, concilia universalia se venerari affirmat; & non solum quatuor illa primæva, sed & omnia, dum ea ratione utitur, quæ omnibus universalibus synodis communis est. Beatus quoque Gelasius universalis ecclesiæ statuta asseverat. nullam esse sedem, quam magis exsequi oporteat, quam primam. Non satis mihi esset usque in crastinum, si singulos tam summos pontifices, quam sanctos doctores recensere pergam, qui saluberrimam conciliorum doctrinam super ceteras alias efferebant, venerabantur & observabant. Nec sic faciendo quicquam Romani pontificis auctoritati deperit aut detrahitur, immo adjicitur, immo accrescit. Quicquid enim in sacris statuitur conciliis, sua etiam auctoritate statuitur, quæ semper ibidem refulget, ut prima & præcipua, præ omnibus caput & directrix; & cum aut personaliter aut auctoritative semper in synodis universalibus interfit, ipseque sit ecclesiæ rector & pastor, decreta conciliorum & sua & sedis apostolicæ dici non immerito possunt. Nos enim, ut dixi, unum ecclesiæ corpus sumus, & ipse hujus corporis caput sub capite Christo. Quicquid igitur fit ab hoc corpore ecclesiastico, etiamsi omnia membra in idem concurrant, sicut in corpore naturali accidit, magis tamen & præcipue operatio quævis capiti appropriatur & adscribitur, ab ipsoque magis quam ab alio corporis membro procedere censetur. Itaque non secus synodalia decreta pro suo debito & honore & exsequi debet, ac per alios servari facere, quam si ab ore proprio dictata & promulgata essent. Dum enim ipse præsens est, ipse concludit, ipse statuit, & sub nomine suo & persona ejus omnia decernuntur: dum abest, sui præsidentes, qui vice ejus funguntur locumque apostolicum tenent, ac personam pontificis repræsentant, per sacrum concilium deliberata concludunt. Per concilii autem statuta in nullo suæ derogatur potestati, quin pro tempore, loco, causisque & personis, utilitate vel necessitate suadente, moderari, dispensari possit, atque uti summi principis epicheia, quæ ab eo auferri nequit. Hæc ergo sancta synodus non opes, non quid aliud ab eo postulat, sed hoc duntaxat, ut quemadmodum sui egerunt antecessores circa decretorum synodalium observantiam; ita & ipse facere dignetur. Quod si fecerit, prout putamus, & ex toto corde obsecramus, tunc præeunte justitia, mox læta fronte soror ejus jocundissima succedet pax, quæ sine justitia germana sua antiquiore intercedere non consuevit. Quod si forsitan & ipse summus pontifex dicat, quemadmodum & vos in cordibus vestris nunc dicere suspicor, etiam ex parte hujus sacri concilii, præcedere oportere justitiam, sibique jus suum per nos tribui debere. Nemo nostrum ita irrationabilis est aut esse debet, quod alio jure in se, alio in aliis uti contendat, & ab alio sibi fieri justitiam petat, ipse alteri deneget. Videamus & inter nos discutiamus, si quid est in quo concilium jus sedis apostolicæ gravet, lædat & offendat, minuat; & ecce nulla erit, ut spero, difficultas, quin omnia ad justitiæ rectitudinem & ecclesiæ normam rediganter. Sic igitur utrimque faciendo, tunc rei evidentia animum utriusque ad unitatem paratum demonstrabit, & tunc veri pacifici erimus, ac filii Dei vocabimur.

Hinc ad secundam vestræ orationis partem sé mihi competens responsum offert. Sic enim, ut prædictum est, faciendo, tunc evidenter cognoscemus, & ubique palam fatebimur sanctitatem suam ad hæc sancta opera, propter quæ convenimus, veram perfectamque voluntatem gerere; tunc nos super omnes præcipui laudatores ac præcones erimus. *Tertio loco*, dicitis oportere sedem apostolicam abundare ac potentem esse, exemplo illorum Romanorum pontificum, qui B. Anastasio, * B. Johanni *Chrysostomo*, ac B. Thomæ Cantuariensi de sedibus pulsis, opem, subsidiaque necessaria contulerunt; B. quoque Gregorii, qui usque Jerusalem indigentibus vitæ necessaria ministrabat. Nos nec re, nec verbo contradicimus in hoc: immo non est illa sedes, nec esse posset tam potens ac locuplex, quin eam pro utilitate ecclesiæ locupletiorem, potentioremque esse vellemus, quamquam affirmemus, & in illa, & in aliis episcopalibus sedibus desiderari magis copiam abundantiamque virtutum & meritorum, quam opum & divitiarum. nec certe fecimus, aut quicquam facere intendimus, per quod illa sancta sedes jacturam seu diminutionem aliquam auctoritatis vel facultatis pati possit. Quod si recte cuncta animadvertantur, atque omni passione sopita, judicentur omnia, nemo asserere cum ratione poterit, quicquam per hoc nostrum decretum in diminutionem, derogationem, seu præjudicium illius sedis fore attentatum. Et quamquam multæ ad id rationes suppetant, tres nunc satis esse judico. Primo, cum nemo inficietur multos in exactione harum annatarum solitos fieri abusus, cum etiam hinc multi scandalum paterentur, & scrupulum in conscientiis, ac modus ipse exigendi onerosus esset ecclesiis, & apud multos speciem mali continere videretur; nos his omnibus hoc decreto providimus, sequentes doctrinam Christi mandantis, nemini incutiendum esse scandalum, & apostoli Pauli præcipientis ab omni specie mali abstinendum. Regulas quoque canonicas ac

* L. Adr. nafio.

legales, quæ nonnulla prohibent, licet in ſe non mala, ob hoc tantum quod vel ſpeciem mali continent, vel occaſionem delinquendi. nonne & gratis offerre, & eleemoſynam dare pium eſt & caritatis opus? Sed quoniam tempore baptiſmi nummos projicere in concham, ſpeciem protendebat mali, emendari, & aboleri talem conſuetudinem juſſit eccleſia. Nihil quidem novitatis per hoc decretum in eccleſia introductum eſt, ſed præcepta & exempla Chriſti exſecuti ſumus, ac ſanctorum patrum renovavimus inſtituta. Quid fecimus? audite & conſiderate, quæſo, diligenter. Statuimus quod beneficia & ordines eccleſiaſtici gratis conferantur; numquid eſt ſcelus aliquod aut ſacrilegium? nonne Salvator noſter hanc ipſam nobis neceſſitatem imponit, dicens, *gratis accepiſtis, gratis date?* Quid fecimus? Statuimus quod ſpiritualia pacto, conventione, ſeu contractu, aut opera nummulariorum non diſtribuantur.. Sed & Chriſtus Deus noſter in domo Domini hoc fieri videns, flagello de funiculis facto, zelo juſtitiæ ſuccenſus, expulit, inde omnes vendentes & ementes, & menſas nummulariorum evertit. Et cum ipſe cetera crimina verbo tantum deteſtatus ſit, hoc unum manu propria terribili punitione correxit. Quid fecimus? decrevimus quod res ſpirituales ſine pecuniæ interventu, miniſtrentur. At B. Petrus primus Chriſti vicarius, dum mentem quotidiana converſatione optime intelligens, cum Simon Magus pro gratia ſpirituali pecuniam offerret, eum abhorruit, maledixit, & repulit, dicens: *Pecunia tua tecum ſit in perditione.* Nonne ſacrorum conciliorum, ſanctorum Romanorum pontificum, probatorumque doctorum codices his prohibitionibus pleni ſunt, ut videlicet pro rebus ſpiritualibus & eccleſiaſticis nihil ante vel poſt ab invito exigatur? Hæc fecimus, hæc ſtatuimus. Conqueratur ergo qui vult, ſi tamen juſte id poſſit, de illis qui talem nobis legem dederunt, quorum decreta renovavimus, non noſtra fecimus. Quis ergo jam dicere audebit ſedem apoſtolicam aut alias per hoc tam ſalubre & neceſſarium ſtatutum depauperatas aut læſas fore? immo rectius dicet, qui ratione utitur, honeſtatas, expolitaſque, & ad decorem priſtinæ formæ reductas. Secunda vero ab omni calumnia noſtrum decretum evidenter defendit. Per ipſum non interdicitur, quin pro vitæ ſuſtentatione aliiſque eccleſiæ neceſſitatibus ſummus pontifex aliarumque eccleſiarum epiſcopi caritativum ſubſidium indicere, decimam ſeu aliam quotam imponere, fructuſque aliquorum beneficiorum ad tempus reſervare, vel alias ſubventionum ſpecies petere poſſit. Satis iſta eſſet, niſi & tertiam reddere promiſiſſem, quamquam autem ſic decretum ſit & bene decretum, non tamen adhuc auditum eſt, quod hæc ſancta ſynodus nolit ſedi apoſtolicæ dignam ac competentem proviſionem facere, immo hoc per ſuos oratores jam pridem nunciavit & pollicita eſt, ſi tamen obſervantiæ decretorum ſynodalium, ut dignum eſt, rationem habuerit. Et veluti in corpore naturali reliqua membra ſuo capiti neceſſaria provident, ut vitæ & ſuſtentationis influxus ab illo in ipſa deſcendat; ſic quidem æquum eſt & rationi conſonum, ut eccleſiæ per orbem diffuſæ, ſummo pontifici, ſuiſque paſtoribus indigentibus, ut ab his ſalubriter regantur, & gubernentur, neceſſariam ſubventionem porrigant. Nihil autem ad bene regendam conſervandamque eccleſiam æque utile ac neceſſarium eſt, quam ut ſynodales canones, quos a Spiritu-ſancto dictatos credimus, non negligantur aut contemnantur. Illud autem ſilentio prætereundum non eſt, quod nec B. Athanaſio, nec S. Johanni Chryſoſtomo, nec B. Thomæ Cantuarienſi per Romanos pontifices, nec pauperibus Jeroſolymitanis per B. Gregorium de his ſubventum eſt. Neque enim adhuc hæc vocabula in eccleſia Dei audiebantur, neque etiam alii epiſcopi præclara caritatis & pietatis opera de emolumentis ſigillorum explere conſueverant.

Ex his facile reſponſum patet ad ea quæ primo loco vos, domine Antonine explicaſtis: quoniam etſi pro vitæ ſuſtentatione & aliis juſtis neceſſitatibus paſtoribus eccleſiæ jus naturale, divinum atque humanum proviſionem facere jubeant, modum tamen iſtum vel illum ſaltem pro ſemper non præcipiunt. Illud autem conſtat, quod quanto exactio aliqua plus habet abuſus, ſeu oneris, aut ſcandali, vel majorem ſpeciem mali; tanto amplius a jure naturali & divino diſcrepat, quæ his diebus noſtris uſitato modo exigendi annatas admixta eſſe, nec vos, nec quiſquam veritatis amicus inficiari poterit. Quamquam autem modus aliquis exigendi uſitatus ſit in eccleſia, ſi tamen oneroſus aut abuſivus eſſe incipiat, nulli negare fas eſt, quin modum illum eccleſia poſſit in alium leviorem vel honeſtiorem convertere. Ea autem quæ pertinent ad vitæ ſuſtentationem ſeu utilitatem aut neceſſitatem eccleſiæ, quæ quidem de jure naturali & divino eſſe fatemur, neque abſtulimus, neque auferre licitum videtur: immo, ut plus dicam, etiam præter multos ſuſtentandi modos, qui in jure ſtatuti ſunt, hæc ſancta ſynodus, ut prædictum eſt, ſummo pontifici proviſionem facere obtulit, ſi & ipſe circa ſynodalium decretorum obſervantiam animum, ut decet, inclinaverit. Quod vero de ſuſpenſione decreti poſtulaſtis, nulla ratione decere videtur, ut tam ſalubre decretum conformeque per omnia legi evangelicæ & ſanctorum patrum inſtitutis, ſuſpendi aut irritari debeat. Poſtremo uterque veſtrum proviſionem ſufficientem ſedi apoſtolicæ facien-

dam poposcit, ad quod sancta synodus respondet, se circa hoc id deliberaturam quod secundum Deum & rationem viderit expedire, taliterque facturam, quod nemo de ipsa synodo poterit cum ratione conqueri.

LITTERA PATENS DOMINI imperatoris Romanorum in facto Bohemorum.

Sigismundus, &c. *Extat apud Bzovium ad annum* 1436. *n.* 35. *pag.* 401.

LITTERA REGIS ARRAGONUM ad concilium.

Sacratissima synode, in Spiritu sancto legitime congregata, longum nos desiderium tenuit. *Extat apud Bzovium ad* 1436. *n.* 22. *p.* 395.

COPIA LITTERÆ MISSÆ regi Angliæ pro parte domini cardinalis de Cypro & oratorum concilii in Attrebato existentium.

Anno 1435. 26. Sept. *Ex mſ. Aquicinct.*

SEreniſſime princeps & excellentiſſime domine, cum ſuperioribus diebus regia majeſtas veſtra ad villam Attrebatenſem ſuos deſtinaverit oratores, ad conventionem habendam pro pace componenda inter hæc potiſſime regna Franciæ & Angliæ, ibi eis cum oratoribus ſereniſſimi regis KAROLI & nobiſcum, una cum reverendiſſimo domino S. Crucis, domini noſtri papæ, ac aliis reverendis ejuſdem ſacri concilii oratoribus, ad eam conventionem ſpecialiter deſtinatis, convenientibus, & de dicta pace tractantibus, tandem poſt plura colloquia diverſis diebus habita ſuper dicta pace, & multis ac variis hinc inde factis oblationibus, ad unum terminum certarum oblationum præfati oratores Gallici immutabiliter ſe firmaverunt, quæ oblationes nobis viſæ ſunt magnæ, rationabiles, & merito acceptandæ per veſtram regiam majeſtatem. Tandem præfati oratores *ejuſdem majeſtatis, nullatenus ſe eas acceptare velle* expreſſe teſtati ſunt, nec ad reſpondendum ſuper eis ullum voluerunt terminum acceptare, etiam poſtquam de eis veſtram certioraſſent majeſtatem. Quamobrem, ut *illis prædiximus*, ſequentes qui nos miſerant præcepta mandantium, illuſtriſſimum principem ducem Burgundiæ induximus omni ſtudio & diligentia ad pacem habendam cum præfato rege KAROLO, ut Chriſtianiſſimum regnum Franciæ aliquando a tantis calamitatibus & preſſuris redderetur immune. Acquievit ſua humanitate & innata bonitate conſiliis & mandatis ſanctæ matris eccleſiæ, *pacemque, quantum in ſe fuit*, præfato regno dedit. Inſuper & aviditſſimus, ſicut fuit ſemper, pacis generalis dictorum regnorum, quam & nos omnes ſummo deſiderio proſequimur & optamus, operatus eſt ſumma diligentia cum præfatis oratoribus præfati regis KAROLI, ut oblationes antedictas in publica forma & authentica ſub forma *Vidimus* ad majeſtatem veſtram mitterent, offerentes, quæ per nuncium præſentium latorem eidem majeſtati præſentabuntur. Supplicamus itaque veſtræ celſitudini & in Chriſti viſceribus obſecramus, ut ſuper *illis dignetur* advertere diligenter, & pia mentis devotione revolvere, ſecumque reputare harum oblationum uberrimum, piiſſimum, atque ſuaviſſimum fructum, ſi eas veſtra majeſtas duxerit acceptandas. Dabuntur etiam ex hoc Deo laudes maximæ; habebit populus Chriſtianus omnis ſummam lætitiam; habebit eccleſia univerſalis plenam exultationem & gaudium; habebunt etiam duo regna præcipua tranquillam pacem, dulce refrigerium. veſtræ quoque excellentiſſimæ majeſtati honor maximus dabitur & æternus. Nos poſtremo univerſalis eccleſiæ legatus & oratores *clariſſimi nominis* veſtri & incredibili gloriæ, illud ſumma cum laude extollemus & prædicabimus. Verum ut de ſua intentione ſuper his quæ ſcripſimus, veſtra majeſtas nos certiores faciat, dignetur eadem majeſtas affectuoſiſſime, ſupplicamus, nobis & illuſtriſſimo duci Burgundiæ ſuis litteris intimare, quid ſuper his decreverit faciendum. Datum Attrebati die XXVI. Septembris MCCCCXXXV.

Hugo cardinalis de Cypro legatus & alii ambaſſiatores ſacri Baſileenſis concilii.

COPIA LITTERÆ MISSÆ cardinali Angliæ, ut ſupra.

Anno 1435. 26. Septemb. *Ex mſ. Aquicinct.*

REverendiſſimo in Chriſto patri domino cardinali Angliæ, ac aliis ambaſſiatoribus de Anglia ad diætam Attrebatenſem.

Reverendiſſime in Chriſto pater & domine, voſque ceteri præſtantiſſimi patres & domini, noverunt *dominationes* veſtræ quomodo ſuperioribus diebus in villa Attrebatenſi veſtræ dominationes dum convenirent cum dominis oratoribus Franciæ ſuper pace componenda inter regna Franciæ & Angliæ, *nulla* potuerit *haberi concordia* pacis inter præfatos oratores & dominationes veſtras, ſicut pleniſſime eſtis informati. Quamobrem nos aviditſſimi generalis pacis ſemper habendæ inter hæc præfata regna exoramus affectuoſiſſime *dominationes veſtras*, ut regiæ majeſtati ſuggerere velitis & conſulere, quod oblationes, quas per præſentium exhibito-

rem mittimus eidem majestati, & illustrissimus dux Burgundiæ, horum regnorum pacis generalis indefessus prosecutor, dignetur acceptare; quia enim omnium nostrum judicio & existimatione rationabiles sunt & merito acceptandæ; ad has enim faciendas summa diligentia & instantia præfati domini ducis inducti sunt, immo pene coacti. Tandemque assenserunt & grato animo obtulerunt. Igitur obsecramus iterum easdem vestras dominationes, & in Domino deprecamur, ut tam salubri tamque necessario bono manum extremam dignentur apponere, & tanti boni fieri velle participes. Ex Attrebato, die XXVI. Septembris MCCCCXXXV.

Hugo cardinalis de Cypro legatus & ceteri oratores sacri concilii Basileensis.

COPIA LITTERÆ DOMINI DUCIS Burgundiæ, missæ regi Angliæ.

Anno 1435 26. Sept. Ex ms. Aquicinctensi.

ILlustrissimo ac potentissimo principi & consanguineo nostro HENRICO regi Angliæ.

Illustrissime potentissimeque princeps, & carissime consanguinee, recommendatione præmissa. Scire dignemini, quod post vestrorum ambassiatorum ad diætam Attrebatensem parte vestra missorum recessum, quamvis absque eo quod acceptare voluerint oblationes eis factas in finem pacis generalis in regno Franciæ prosequendæ, recesserint; quæ oblationes reverendissimis in Christo patribus cardinalibus & legatis de Cypro & S. Crucis, & aliis ambassiatoribus sacri Basileensis concilii visæ sunt justæ & rationabiles, etiam absque concordando in diætam certam pro acceptatione aut refutatione dictarum oblationum: nihilominus dicti domini cardinales legati ambassiatores, & ego cum ipsis desiderio pacis in hoc regno, quod semper habui, obtinendæ, integro animo apud dictos domini mei regis ambassiatores laboravimus, quod in dictas oblationes, & sub ampliori forma concordarent, & in illas consenserunt sub hac conditione, quod infra primam diem Januarii proximo venturi per vos acceptentur, quemadmodum vobis constare poterit ex *Vidimus* facto cum vero originali, quod vobis portat Vellus-aureum heraldus meus & rex armorum præsentium lator, hac sola de causa vobis parte mea missus. Propterea, illustrissime & potentissime princeps & consanguinee, rogo vos quantum affectuosius efficere valeo, quatenus circa oblationes in dicto *Vidimus* contentas habere dignemini avisamentum & & consilium, & corde tangere hanc rem, & dictas oblationes, quæ, ut dictum est, visæ sunt & videntur dictis dominis reverendissimis cardinalibus legatis ac ambassiatoribus sacri concilii justæ & rationabiles, acceptare; in qua re, ut puto, rem Deo placentem, Christianitati perutilem, vestrisque subjectis desideratam facietis, eritisque causa totalis habendæ pacis in dicto regno, & relevationis perpetuæ populi, qui usque ad finale exitium violentias guerræ pertulit. Qua de re vos iterum, ut hanc rem facere velitis, ex intimis precor, & mihi per dictum Vellus-aureum heraldum meum significare quid super his agere duxeritis. Illustrissime ac potentissime princeps & consanguinee, dominus noster JESUS CHRISTUS vos conservare dignetur. Scriptum in Attrebato XXVI. Septembris MCCCCXXXV.

PHILIPPUS Burgundiæ, Brabantiæ, &c. dux; Flandriæ, Attheſii, Burgundiæ, &c. comes.

OBLATIONES FACTÆ pro parte regis Franciæ, & missæ in Angliam per legatos & ambassiatores sacri concilii & SS. domini nostri papæ & illustrissimi domini ducis Burgundiæ, lectæ in congregatione generali, &c.

KAROLUS Borbonii & Alverniæ dux, Claremontis & Foresii comes, par & camerarius Franciæ; ARTHURUS filius ducis Britanniæ, Richemundiæ comes, dominus de Partheneyo & conneſtabulus Franciæ; LUDOVICUS de Borbonio comes Vicedonensis; * REGINALDUS archiepiscopus dux Remensis cancellarius Franciæ, CHRISTOPHORUS de Haricuria, GILBERTUS dominus de Faieta mareſcallus Franciæ; ADAM de Cameraco consiliarius domini nostri regis præsidens in suo parlamento; Johannes *Tuder* decanus Parisiensis, consiliarius & magister requestarum hospitii regis, Guillelmus *Chartier* & Stephanus Morelli consiliarii, Johannes *Chastenier*, & Robertus *Mailleves* dicti domini regis secretarii, omnes sui ambassiatores, habentes ab eo sufficiens mandatum in hac parte, sicut patere potest per litteras suas patentes, quarum tenor sequitur, &c. Ex ms. Aquicinctensi.

* f. Vladocinensis.

Scire facimus omnibus præsentes litteras inspecturis, quod cum per ordinationem dicti domini nostri regis venerimus ad civitatem Attrebatensem, ad conventionem ordinatam pro facto generalis pacis hujus regni, & ibi comparuerimus, pro & nomine dicti regis, coram reverendissimis & reverendis in Christo patribus ac venerabilibus personis, cardinali S. Crucis SS. domini nostri papæ legato, cardinali de Cypro legato, episcopo Albiganensi, præposito Cracoviensi, archidiacono Metensi, ambassiatoribus sacri concilii Basileensis pro pacificatione regni, coram quibus etiam comparuerunt ambassiatores pro parte Angliæ.

Comparuit insuper in persona, quotiescumque expediens fuit, illustrissimus ac potens princeps dominus dux Burgundiæ; & in tantum processum est, quod plures oblationes & aperturæ factæ sunt in præsentia dictorum legatorum & ambassiatorum, tam per nos de parte dicti regis, quam per ambassiatores pro parte Angliæ, ad finem deveniendi ad generalem & finalem pacem dicti regni. In speciali per nos de parte regis finaliter pro bono pacis certas oblationes & aperturas sub certis protestationibus, conditionibus, & modificationibus, justas & rationabiles fecimus ad finem dictæ pacis, quas illi de parte Angliæ refutarunt, nec acceptaverunt, quamvis per dictos legatos & ambassiatores SS. domini nostri papæ & sacri concilii fuerint de eadem acceptando instantissime requisiti & exhortati: quin immo dicti ambassiatores Angliæ de dicta conventione & villa Attrebatensi recesserunt absque ulteriori intentione intendendi ad dictam pacem, & absque præfixione dilationis & termini rationabilis & certi revertendi ad acceptandum aut refutandum dictas aperturas & oblationes, postquam tempore pendente habuissent consilium cum illis de Anglia, & solum se onerare voluerunt de referendo ad Angliam prædictas oblationes & aperturas eis in scriptis tradendas, ad finem faciendi responsum per regem tale & quando sibi placeret, se in hac parte puros solum relatores & nuncios constituendo: quæ omnia satis irrationabilia & voluntaria pro parte sua visa sunt. Et nihilominus post dictum eorum recessum per dictos legatos & ambassiatores & dictum dominum Burgundiæ ducem instantissime fuimus requisiti, quod non obstantibus prædictis, & recessu dictorum ambassiatorum Angliæ, vellemus nomine domini nostri regis rursus consentire & concordare dictas oblationes & aperturas per nos alias factas & ampliandas quantum possemus, cum facultate competenti acceptandi dictas oblationes & aperturas per illos de parte Angliæ usque ad tempus competens. Inde est quod nos desiderantes bonum effectum pacis generalis, ad requestam & preces supradictorum & singulariter dicti illustrissimi domini ducis Burgundiæ, & in favorem ipsius, ipsis dominis legatis & ambassiatoribus domini papæ & sacri concilii & domino duci Burgundiæ accordavimus & consensimus pro & nomine regis in vim mandati nobis præstiti, & consentimus per præsentes in his quæ sequuntur, & sub protestationibus, conditionibus, & modificationibus quæ sequuntur.

Quarum prima est quod de parte Angliæ sufficienter & pro semper renuntietur juri & titulo prætensis ad coronam Franciæ.

Secundo, quod relinquent regi omnes civitates, villas, castra, terras & dominia, in quibus prætendunt jus & occupant in regno Franciæ, exceptis illis de quibus in sequentibus agetur.

Tertio, quod terras illas de quibus agetur posterius, sumus contenti nomine regis dimittere eis sub homagio & fidelitate, ressortu & superioritate coronæ Franciæ, sicut alii antiqui pares Franciæ.

Quarto, quod omnes viri ecclesiastici & sæculares revertantur & recipiantur ad sua beneficia, castra, villas, civitates, terras, dominia, possessiones immobiles quascumque; ita quod in terris quas dimissuri sumus, illi de Anglia illis gaudeant.

Quinto, quod dominus dux Aurelianensis captivus dictorum de Anglia, ponatur ad financiam & redemtionem competentem & rationabilem, & sic maneat quittus de fide sua & captivitate. Et mediantibus dictis conditionibus, nomine regis in vim mandati concessi, consentimus, quod dictis de Anglia maneat in hereditate perpetua omne illud quod tenent & occupant in Aquitania. Item, ducatus Normanniæ cum omnibus suis attinentiis, appenditiis, honoribus, prærogativis & emolumentis quibuscumque, secundum modum & formam quibus felicis memoriæ JOHANNES & KAROLUS V. filius ejus tamquam duces tenuerunt. Item, jus tale quale regi spectat in villis, castris & locis, quas dicti de Anglia in partibus Picardiæ ante novissimas guerras, servato regi homagio & ressortu & superioritate, tenuerunt, sine præjudicio tamen juris alterius.

Item, sumus contenti nomine quo supra intendere cum dictis de Anglia matrimonio per eos requisito pro rege cum altera filiarum domini nostri regis, absque tamen alia dote.

Item, sumus contenti nomine quo supra, mediantibus tribus conditionibus supradictis, ita quod primo reddant realiter & de facto omnia castra, villas, &c. quæ jam occupant in regno ultra prædicta concessa dominia. Secundo, quod omnes ecclesiastici & sæculares, cujuscumque status existant, revertantur ad sua beneficia, civitates, villas, castra, & cetera; & tertio, quod dictus dominus Aurelianensis ponatur redemtioni rationabili; quod aliæ conditiones, scilicet renuntiatio & jus prætensum ad coronam Franciæ, recognitio superioritatis ressortuum, fidelitas, homagium regi Franciæ & coronæ, & matrimonium præscriptum maneant & sint in statu usque ad septennium sequens pendente, quo pro parte dictorum de Anglia rex, qui tum erit in ætate, poterit ad plenum deliberare super dictis renuntiatione, recognitione & matrimonio. Quod si tunc aut citius fuerit deliberatus & contentus facere & complere dictam renuntiationem, recognitionem, & matrimonium, rex intendet cum effectu.

Item, de homagio rex erit contentus quod fiat ſibi & ſuis ſucceſſoribus regibus Franciæ per unum de legitimis filiis regis, in quem tunc transferet dicta dominia, aut per alium ducem, in quem tranſtulerit dicta dominia, & his mediantibus, erit inter eos & regna pax finalis & certa; aliter autem quælibet pars manebit in talibus juribus & querelis, quibus de præſenti; & nihilominus dicto ſeptennio pendente erit inter dictas partes bona pax & firma, & erit quælibet pars contenta poſſidere & tenere, ſcilicet de parte Angliæ illud quod tenent in Aquitania & Normannia, & tenuerunt in Picardia ſub conditionibus ſupradictis, & totum reſiduum regi: ita tamen quod omnia ſupradicta modis quibus infra primam diem Januarii proximo venturi pro parte illorum de Anglia ſint acceptata & concordata, & quod de conſenſu ſuo certificent debite & ſufficienter dictos dominos cardinales & dominum ducem Burgundiæ, ſi tunc fuerint in partibus propinquis, aut ſaltem dictum dominum ducem ubicumque fuerit: quibus dominis cardinalibus & domino duci Burgundiæ, & cuilibet ipſorum damus poteſtatem & auctoritatem pro & nomine regis, recipiendi dicta concordata & certificata, & ſuper iſtis capiendi & indicendi diætam cum dictis de Anglia infra paſcha proxime ſequens in dicto loco Attrebatenſi, Cameracenſi, aut Valencianis, ad concludendum finaliter in rebus ſupradictis, & venire in effectum & executionem rerum ſupradictarum, & quod dicta diæta ſignificetur regi, ut pro parte ſua mittat & ſatisfaciat ſine defectu, conſentiat & tradat omnes ſecuritates rationabiles aviſandas in dicta diæta pro ſolida executione omnium ſupradictorum, proteſtando per nos de parte regis, quod ſi infra prædictam primam diem Januarii proxime venturi dictæ oblationes & aperturæ non fuerint acceptatæ per illos de Anglia, aut ſua voluntas ſuper his intimata dominis noſtris cardinalibus & duci Burgundiæ, aut alteri ipſorum, ut præmiſſum eſt, quod illæ præſcriptæ oblationes & aperturæ ſint nullæ & nullius effectus, & reputatæ quaſi non dictæ per nos pro parte regis. Omnia igitur ſupradicta & declarata nos & quilibet noſtrûm, quantum nos tangere poteſt, in vim mandati & poteſtatis nobis datæ, promiſimus & promittimus bona fide facere teneri & adimpleri de parte regis & noſtra, ſine fraude, deceptione & dolo quibuſcumque, obligamus regem, nos & omnia bona ſua & noſtra, & nullo modo convenire promittimus quocumque; & ex abundanti promittimus, & quilibet noſtrûm promittit omnia contenta in præſentibus litteris facere ratificari, approbari, conſentiri per regem, & dari litteras ſuas patentes in forma debita dictis dominis cardinalibus & duci Burgundiæ aut alteri ipſorum, renuntiando omnibus tam juris quam facti, quæ poſſent dici & allegari contra prædicta, & ſingulariter illi clauſulæ, quod generalis renuntiatio non valet, niſi ſpecialis præceſſerit. In quorum teſtimonium præſentes litteras noſtris ſignis manualibus ſignavimus, ac ſigillis noſtris fecimus communiri. Datum Attrebati VII. die Septembris, anno Domini MCCCCXXXV.

BULLA

per quam ſacrum concilium mandat domino archiepiſcopo Lugdunenſi primati Galliarum pallium domino archiepiſcopo Rothomagenſi impendi.

SAcroſancta, &c. venerabili AMEDÆO archiepiſcopo Lugdunenſi, Galliarum primati, Baſileæ commoranti, ſalutem, &c. Anno 1435. 14. Octobr. *Ex mſ. Aquicinct.*

Expoſuit nobis venerabilis HUGO archiepiſcopus Rothomagenſis, quod olim poſtquam ipſe tunc epiſcopus Cabilonenſis, a vinculo, quo eccleſiæ Cabilonenſi aſtringebatur, abſolutus, ad eccleſiam Rothomagenſem tunc vacantem, a Romana curia abiens, per ſedem apoſtolicam & ejus auctoritate tranſlatus fuerit, & ratione tranſlationis hujuſmodi & proviſionis de perſona ſua eccleſiæ Rothomagenſi factæ, magnæ partis annatæ in camera apoſtolica recipi ſolitæ ſolutionem fecerat, pallium ab eadem ſede ſibi tradi cum debita inſtantia poſtulavit; ſed pro eo quod integra annata hujuſmodi non ſoluta, & ratione pallii aliæ ſummæ petitæ fuerint, quas dari deinceps per decretum noſtrum diſtrictius prohibuimus; ipſe archiepiſcopus, pro quo etiam ut ſibi pallium traderetur, per noſtros nuncios SS. EUGENIO papæ IV. per nos ex certis cauſis miſſos, eidem duximus deprecandum, illud ab eodem obtinere nequivit, nobiſque humiliter ſupplicavit, ut ſibi, qui propterea aſſeritur illaqueatus cenſuris, & nobiſcum in vinea Domini per aliquot annos aſſidue gravibus expenſis laboravit, prout laborat in dies, & eccleſiæ Rothomagenſi, quæ propter guerrarum turbines & alias varias calamitates, quibus diutius eſt prægravata, in ſuis proventibus plurimum deſtituta exiſtit, in præmiſſis ſuccurrere, & pallium hujuſmodi ſibi aſſignare, & eum de ſolutione reſidui annatæ prædictæ ac cenſuris præfatis, ſi illis laqueatus exiſtit, abſolvere dignaremur. Nos igitur decreto noſtro hujuſmodi inhærere, necnon archiepiſcopo & ſponſæ ſuæ eccleſiæ Rothomagenſi providere volentes, de præmiſſis minus ſufficienter informati, & hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ubi qui palliatus exiſtis, & Galliarum primas, cum patriarchis eamdem formam tenens, nomine differens, ut ſicut illis palliatis ex Lateranenſis concilii permiſſione ſuos licet metro-

politanos palliare, hac vice ad te ex cauſis A
prædictis extendentes, committimus & mandamus, quatenus conſtito tibi ſummarie de præmiſſis, ac venerabilibus JOHANNI archiepiſcopo *Tarentino* & PETRO *epiſcopo* Paduano pro eodem EUGENIO papa IV. in congregatione noſtra præſidentibus, ac ANDREÆ epiſcopo Auxitano Baſileæ *commorantibus* ipſa intimatis, præfatum archiepiſcopum in quantum cenſuris eccleſiaſticis occaſione non ſolutionis hujuſmodi quomodolibet involutus fuerit, ab illis auctoritate noſtra abſolvas, & ſi opus fuerit rehabilites, ac ſecum B
ſuper irregularitate *diſpenſes*, necnon ad ſolutionem reſidui cameræ apoſtolicæ faciendam, quod auctoritate univerſalis eccleſiæ *penitus remittimus*, decernas eum penitus non teneri ſeu fore obligatum; necnon pallium inſigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, *de corpore B. Petri ſumtum*, ad honorem omnipotentis Dei & B. MARIÆ Virginis, ac B. Petri & Pauli apoſtolorum, *univerſalis necnon Rothomagenſis* ſibi commiſſæ eccleſiarum, ei tradas, ut eo utatur infra eccleſiam ſuam, certis diebus qui exprimuntur *in privilegiis* a ſede prædicta illi C
conceſſis, & alia in his & circa ea facias, quæ noveris facienda. Datum Baſileæ 11. idus *Octobris, anno a Nativitate Domini* MCCCC. XXXV.

JO. GAUFRIDI.

COPIA LITTERÆ REGIS ANGLIÆ miſſæ domino cardinali de Cypro, lecta in congregatione generali.

Anno 1435. 26. Octob. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

HENRICUS Dei gratia rex Angliæ & Franciæ, & dominus Hiberniæ, reverendiſſimo in Chriſto patri N. cardinali Cypri, ſalutem. D

Litteras quas per fratrem Nicolaum Jacqueti ordinis fratrum Prædicatorum præſentium portitorem nobis tranſmittere curaviſtis, legimus, continentes nonnulla quæ reputamus admiratione digna, eiſdem veſtris litteris nos variis ſuaſionibus & motivis adhortantes, quatenus oblationes, quas dicitis magnas & rationabiles pet ambaſſiatores partis in regno Franciæ nobis adverſæ nuper in Attrebato pro conſequenda pace factas admittere curemus & acceptare. Habentes igitur jam convocatos tres regni ſtatus, aviſabimus eis ſuper his cum ea dili- E
genria qua valebimus, ſubſequenter tranſmiſſuri reſponſa, quæ receptis eorum ſanis deliberationibus & conſiliis, divinæ pietati complacitum erit nobis ſuper his aſpirare. Datum ſub privato ſigillo noſtro apud palatium noſtrum Weſtmonaſterii, XXVI. die Octobris, anno regni noſtri XIV.

HENRICUS, &c.

BULLA CONTRA APPELLANTES a concilio.

Anno 1435. 3. Novemb. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

SAcroſancta, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Ut pax, quam ſumma proſequimur diligentia poſt lites motas & controverſias juris diffinitione mature ſopitas, & quies ſuccedat fidelibus, convenit frivolis interjectis pro tempore appellationibus, & adverſus per nos ſeu ex commiſſione noſtra latas ſententias alienis reſtitutionibus, congruis obviare remediis; & ſic appellantes, & reſtitutiones obtinentes graviter punire, quod alii metu pœnarum eorum exemplo perterriti, ad ſimilia proſilire merito pertimeſcant. Sane cum nonnulli perverſæ præſumtionis audacia a diffinitivis, maturis, præviis deliberationibus, ac datis partibus pro defenſionibus ſuorum jurium ſufficientibus dilationibus, in congregatione noſtra generali per nos a quibus appellare illicitum eſt, vel commiſſarios & judices pro cauſis decidendis Baſileæ deputatos, pro tempore latis ſententiis, ſeu alias quibuſvis quæſitis coloribus & conflictis gravaminibus a nobis ſeu judicibus præfatis, ut partes fatigent laboribus & expenſis, liteſque faciant immortales, ad ſedem apoſtolicam appellare præſumſerunt, aut ſe adverſus ſententias hujuſmodi auditi vel ad appellandum reſtitui ab eadem ſede procuraverint, in dictarum ſententiarum ludibrium, litium fomentum, & execrabile ſcandalum plurimorum. nos finem litibus imponi & calumniæ materiam amputare cupientes, omnes & ſingulas appellationes ad ſedem apoſtolicam quomodolibet interjectas hujuſmodi, & ſi quæ ſimiles interponantur in futurum, necnon repoſitiones adverſus dictas ſententias ac commiſſiones & proceſſus ſuper illis & illarum occaſione per quoſcumque judices ſive commiſſarios habitos pro tempore, ac illorum prætextu latas & ferendas ſententias, & ſuper illarum *exſecutione* decretos & decernendos proceſſus, quaſvis etiam in ſe pœnas & cenſuras continentes, & quæcumque inde *ſecuta auctoritate* univerſalis eccleſiæ tenore præſentium ex certa ſcientia tamquam frivola caſſamus, irritamus, annullamus, & pro *infectis* habere volumus, illaque decernimus nullius fore roboris vel momenti; & nihilominus venerabilibus LUDOVICO patriarchæ Aquilegienſi, & MARTINO epiſcopo Lectorenſi, ac dilectis filiis JOHANNI epiſcopi Friſingenſis vicario generali, ac Predeſwegiæ præpoſito eccleſiæ Sanctznenſis, Baſileæ commorantibus, per hæc ſcripta committimus & mandamus, quatinus ipſi omnes & ſingulos, qui ab hujuſmodi ſententiis appellarunt & appellabunt, ac reſtitutionem hujuſmodi obtinuerint & obtinebunt

obtinebunt, ut præfertur, ipsasque appellationes formantes & concipientes, deferentes & insinuantes, ac notarios publicos super his instrumenta publica conficientes, necnon judices & commissarios causas appellationum seu repositionum aut restitutionum hujusmodi audientes, seu in illis procedentes, litteras & instrumenta contra incorporatos congregationi nostræ præmissorum occasione, seu alias quomodolibet confecta exsequentes aut prosequentes, auctoritate nostra sub inobedientiæ necnon excommunicationis latæ sententiæ, aliisque pœnis, quas possent merito formidare, moneant & requirant, ac personaliter citari faciant, etiam per edictum publicum, majori ecclesiæ Basileensi & aliis locis publicis affigendum, ita quod verisimiliter ad eorum notitiam citatio & monitio pervenire valeat, ac a præmissis desistant, sed ipsis sententiis adquiescant cum effectu: alioquin ad diriores pœnas procedentes, summarie, simpliciter, & de plano illos beneficiis, dignitatibus & officiis ecclesiasticis quæ obtinent eadem auctoritate privent, & ad obtinenda ecclesiastica beneficia & dignitates ac officia in futurum inhabilitent, & inhabiles declarent; aliaque in his & circa ea faciant & prosequantur, quæ in his & circa ea pro firmitate sententiarum prædictarum noverint opportuna. Præterea ne quis per sententias judicum & commissariorum nostrorum hujusmodi se gravari prætendat, & ad sedem appellandi prædictam, seu ab ea restitutionem adversus ipsas sententias obtinendi occasionem habeat, volumus & etiam pollicemur unicuique post latas ipsorum judicum & commissariorum nostrorum sententias, etiamsi in rem transiverint quomodolibet judicatam, de gravamine quærulanti gratiam vel justitiam promptissime ministrare, quodque unus ex patriarcha, episcopo, vicario, seu præposito prædictas causas in præmissis occurrentes usque ad diffinitivas sententias exclusive audire & in illis procedere possit, prout videbitur expedire. Datum Basileæ III. nonas Novembris, anno a nativitate Domini MCCCCXXXV.

Sic signata N. Bovis.

COPIA LITTERÆ DOMINI DUCIS Burgundiæ missæ domino cardinali de Cypro & lecta in congregatione generali.

Anno 1435. 4. Novemb. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

REverendiſſimo in Chriſto patri conſanguineo noſtro præclariſſimo cardinali Cypri.

Reverendiſſime in Chriſto pater conſanguinee mi præclariſſime, a paucis diebus applicuerunt apud me in hoc caſtro meo Hiſdini, venerabilis religioſus dominus Nicolaus pro parte veſtra & meus rex heraldus armorum Vellus aureum nuncupatus, pro parte mea ad cariſſimum conſanguineum meum Angliæ regem deſtinati; quorum audita relatione, litteras quæ ex parte ejuſdem Angliæ regis veſtræ paternitati diriguntur, mihi præſentavit idem religioſus, id habere ſe dicens in mandatis a paternitate veſtra, ut *ipſis* a me *apertis*, de reſponſo ejuſdem regis & earumdem veſtrarum litterarum tenore fierem certioratus, ſicut & feci, ipſas eaſdem litteras veſtræ paternitati per eumdem religioſum remittens eidem veſtræ *paternitati, de bona confidentia & hujuſmodi* veſtro aviſamento regratians. Quia vero ſicut ab eodem meo heraldo armorum concepi, proponit idem rex Angliæ per multas orbis partes, & quam plurimos principes epiſtolas ſuas dirigere, factorum & tractatorum paternitatis veſtræ bono medio in villa Attrebatenſi conqueſtivas, & veſtri detractorias honoris & mei; rogo paternitatem veſtram, & ſerioſe deprecor, quatenus ſi ad veſtræ paternitatis manus aliquæ tales devenerint epiſtolæ, earumdem mihi copiam quantocius veſtra paternitas tranſmittere dignetur, & manum veſtram adjutricem ſemper adhibere, & ſic laudabiliter acta cum honore veſtro & meo ſemper immaculata perſeverent. Mihi equidem ſua gratia rogo intimare velit confidenter paternitas veſtra, quæ *libenter adimplebo, & bono corde*, ſcit Altiſſimus, qui reverendiſſimam paternitatem veſtram ad optata conſervare dignetur, ut opto, feliciter in longævum. Scriptum in dicto caſtro meo Hiſdini die XII. Novembris.

Conſanguineus veſter dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. comes Flandriæ, &c.

TRONSON.

COPIA SENTENTIÆ LATÆ in cauſa eccleſiæ Trevirenſis in congregatione generali.

SAcroſancta, &c. JESU CHRISTI nomine invocato, ſolum Deum, de cujus vultu judicium prodiit, & cujus oculi æquitatem vident, præ oculis habens, per hanc ſententiam diffinitivam, quam profert in his ſcriptis, diffinit, pronunciat, & declarat, venerabilem RABANUM olim epiſcopum Spirenſem, habuiſſe & habere plenum & canonicum jus in & ad eccleſiam Treverenſem, ipſumque Rabanum verum & indubitatum ipſius eccleſiæ Trevirenſis fuiſſe & eſſe archiepiſcopum & paſtorem, ac inſuper ULRICO DE MANDERSCHEIT in dicta eccleſia Trevirenſi, ſeu ad eamdem nullum jus competiſſe, neque competere, eumdemque ab occupatione & intruſione in dicta eccleſia,

Ex mſ. Aquicinctenſi.

ac terrarum, caſtrorum, oppidorum, juriumque ac pertinentium omnium eorumdem amovendum eſſe & amovet, præfatumque RABANUM in & ad corporalem & realem poſſeſſionem dictæ eccleſiæ caſtrorum, oppidorum juriumque omnium prædictorum inducendum eſſe & inducit. regalia alioſque honores archiepiſcopis Treverenſibus pro tempore exiſtentibus, per cariſſimos eccleſiæ filios Romanorum imperatores ſive reges impendi conſueta ſeu conſuetos, per cariſſimum ipſius eccleſiæ filium SIGISMUNDUM Romanorum imperatorem illuſtriſſimum, eidem RABANO impendenda eſſe & debere, de quibus & auxilio brachii ſui imperialis, quantum opus erit impendendo, ſancta ſynodus eumdem exhortatur, requirit, admonet, & eidem mandat, litteras & proceſſus cum ceteris ad præmiſſorum exſecutionem conſuetis, neceſſariis & opportunis plenarie decernens.

SENTENTIA LATA

pro electo Albienſi in generali congregatione contra epiſcopum Carnotenum, promotum ad dictam eccleſiam per ſedem apoſtolicam XIX. *Novembris* MCCCCXXV.

Anno 1435. 19. Novemb. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

PRæſidente rectæ rationis imperio in animo judicantis, ſedet in examine veritatis pro tribunali juſtitia, & quaſi rex in ſolio judicii rectitudo, de *cujus ore procedit* gladius biſacutus, cujus aſpectu terribili propriæ voluntatis diſſipatur arbitrium, reproborumque appetitus noxius virga rectæ correctionis refrenatur. Hæc enim fuit æterni providentia judicis, de cujus vultu recte procedunt judicia, ut judices recti eligerentur in orbe, qui terram judicent, & juſtitiam diligant, & ejus metas non declinantes in partem, æquo *libramine* cuſtodiant, *illas* a quacumque perſonarum affectione præſervantes. Hæc igitur ſacroſancta generalis ſynodus Baſileenſis in Spiritu-ſancto juſtiſſimo judice, cujus oculi vident æquitatem, de cujus etiam vultu judicia prodeunt incorrupta, legitime congregata, ſanctam Dei eccleſiam catholicam repræſentans, de meritis cauſæ quæ vertitur coram eadem inter dilectum eccleſiæ filium BERNARDUM, electum confirmatum ad eccleſiam Albienſem ex una, & ROBERTUM epiſcopum Carnotenſem, de & ſuper dicta eccleſia Albienſi & illius occaſione, partibus ex altera, ad plenum informata, ejus directoris Spiritus-ſancti inhærens veſtigiis, volens perſonarum affectione non habita, ſed juſtitia directrice unicuique reddere quod ſuum eſt, per hanc ſuam ſententiam ſive ordinationem, quam, eo, in cujus nomine congregata exiſtit, invocato, profert in ſcriptis, pronuntiat, decernit & declarat, ſpoliationes, ejectiones, intruſiones, occupationes & detentiones, & quæcumque attentata & innovata per ipſum ROBERTUM epiſcopum Carnotenſem a tempore motæ litis citra, fuiſſe & eſſe temeraria, illicita, indebita & injuſta, temeriaque, illicita, *indebita* & injuſta, ac de facto præſumtas & præſumta; ipſique ROBERTO epiſcopo prædicto prædicta facere minime licuiſſe, neque licere, ſpoliationeſque, ejectiones, intruſiones, occupationes, detentiones tamquam lite pendente in dictæ ſacræ ſynodi & mandatorum, ac inhibitionum ejuſdem contemtum per vim attentatorum & innovatorum, caſſandas, revocandas & annullandas, caſſandaque, revocanda & annullanda, ac caſſat, revocat, irritat & annullat, pariqueſua necnon diffinitiva ſententia pronuntiat, decernit & declarat, per reverendos patres ac venerabiles & dilectos JOHANNEM epiſcopum Lubicenſem, ALEXANDRUM abbatem Virziliacenſem, Nicolaum præpoſitum Cracovienſem, & Rudolfum *de Rudeſſhem* canonicum Wormacienſem judices & commiſſarios ipſius ſacræ ſynodi auctoritate, & per illam in hac cauſa Albienſis eccleſiæ alias datos ſeu deputatos; & in cauſa quæ tunc coram eis inter præfatum BERNARDUM electum ex una, & dictum ROBERTUM Carnotenſem epiſcopum de & ſuper dicta Albienſi eccleſia & illius occaſione, partibus ex altera, in prima vertebatur *inſtantia*, *bene fuiſſe* & eſſe proceſſum, ſententiatum & diffinitum, ipſorumque epiſcopi, abbatis & præpoſiti & canonici diffinitione ſententiam hujuſmodi confirmandam fore & confirmat, atque pro parte dicti ROBERTI epiſcopi Carnotenſis, ab eiſdem dominis judicibus, eorumque diffinitiva ſententia prædicta male fuiſſe & eſſe provocatum & appellatum, necnon eumdem ROBERTUM *epiſcopum* Carnotenſem a poſſeſſione, ſeu verius occupatione & detentione dictæ Albienſis eccleſiæ, necnon civitatis, palatii epiſcopalis, villarum, caſtrorum, decimarum, & aliorum bonorum tam ſpiritualium quam temporalium ad ipſam ſpectantium, juriumque ac pertinentiarum omnium ejuſdem tollendum & amovendum; præfatumque BERNARDUM in & ad corporalem, realem & actualem poſſeſſionem eccleſiæ, civitatis, palatii, villarum, caſtrorum, decimarum, jurium & pertinentiarum omnium eorumdem ponendum & inducendum; atque eidem Roberto in, de, & ſuper intruſionibus, occupationibus & detentionibus, & impedimentis prædictis ſilentium perpetuum imponendum; ac eumdem Robertum tam in fructibus a tempore motæ litis citra ex dictis eccleſia, civitate, villis, caſtris, decimis, ceteriſque poſſeſſionibus ejuſdem, ſeu alias quomodolibet perceptis, quam etiam in expenſis cauſæ hujuſmodi legitime factis condemnandum fore, ac tollit, amovet, inducit, imponit, ac condemnat ea-

rumdem expensarum taxationem sibi in posterum reservando, &c.

SENTENTIA LATA in causa ecclesiæ Lausanensis.

Anno 1434. Ex mss. Aquicinct.

CHristi nomine invocato, de cujus ore gladius bisacutus prodit, & in cujus nomine hæc sacrosancta synodus Basileensis est legitime congregata. Post digestam in sacris deputationibus longam deliberationem, diffinit, pronuntiat, decernit & declarat eadem, per hanc diffinitivam sententiam, præfatum dominum LUDOVICUM episcopum habuisse & habere plenum & canonicum jus ad dictam ecclesiam Lausanensem, ipsumque dominum Ludovicum ejusdem ecclesiæ Lausanensis fuisse & esse verum episcopum, præsulem & pastorem, ipsamque ecclesiam Lausanensem ad præfatum dominum Ludovicum spectasse & pertinuisse, ac spectare & pertinere de jure, illamque sibi cum illius in spiritualibus & temporalibus totali administratione & regimine, omnibusque juribus & pertinentiis suis adjudicandam fore, & adjudicat; ac domino JOHANNI DE PRANGINO nullum in eadem ecclesia Lausanensi seu ad ad eam jus competisse, neque competere, eumque ab occupatione & detentione ecclesiæ Lausanensis, ac ejus terrarum, castrorum, & oppidorum, juriumque & pertinentium eorumdem amovendum fore, & amovet; præfatumque dominum LUDOVICUM episcopum in & ad corporalem, realem & actualem possessionem ecclesiæ Lausanensis terrarum, castrorum, & oppidorum, juriumque & pertinentium prædictorum ponendum & inducendum fore, ac ponit & inducit; occupationesque, intrusiones, molestationes, & impedimenta per dictum dominum JOH. præfato domino LUDOVICO de & super dicta ecclesia Lausanensi, & ejus occasione præstita & facta, fuisse & esse temeraria, illicita, iniqua & injusta, & de facto præsumpta; dictoque domino Johanni super illis atque ecclesia prædicta perpetuum silentium imponendum fore, & imponit, ipsumque dominum Johannem in fructibus, introitibus, proventibus ex dicta ecclesia a tempore intrusionis hujusmodi ac citra perceptis, & in expensis in hujusmodi causa legitime factis, condemnandum fore, & condemnat, quarum expensarum taxationem sibi in posterum reservat.

PROMISSIO ORATORUM SACRI concilii Basileensis super correctione prohemii decreti facti pro reductione Græcorum, &c.

Anno 1435. 21 Novemb. Ex mss. Aquicinctensi.

NOs frater Johannes de Ragusio ordinis fratrum Prædicatorum, professor in sacra theologia bacchalaureus, canonicus Aurelianensis, sacrosanctæ synodi Basileensis in Spiritu-sancto legitime congregatæ, universalem ecclesiam repræsentantis, ad serenissimum imperatorem Romeorum & reverendissimum patriarcham Constantinopolitanum ambassiatores & nuncii, ad ea quæ in dicta synodo pro unione ecclesiarum Christi perficienda concluſa sunt, exequendum specialiter destinati, ejusdem sanctæ synodi ad ea quæ pacis sunt & unitatis firmum & sanctum propositum cognoscentes, vice & nomine ejusdem, tenore præsentium litterarum promittimus dare & cum effectu exhibere quantocius fieri poterit, vel saltem per galeas quæ venturæ sunt ad suscipiendum ad concilium venientes, serenissimo imperatori & reverendissimo patriarchæ præfatis, capitula quæ in eadem Basileensi sancta synodo pro universali & œcumenica synodo celebranda hinc & inde concluſa sunt & confirmata sub consueta bulla plumbea dictæ sanctæ synodi, & sub tenore de verbo ad verbum qui sequitur.

Sacrosancta, &c. Quia ambassiatores nostri ad Constantinopolim transmissi vice & nomine hujus sanctæ synodi serenissimo imperatori Romeorum & reverendissimo patriarchæ Constantinopolitano, propter nonnullas causas promiserunt capitula alias in hac sancta synodo super modo universalis & ycumenici utriusque ecclesiæ concilii celebrandi, hinc inde concluſa & firmata dare, & cum effectu exhibere sub consueta hujus sanctæ synodi bulla plumbea, data præsenti & sub tenore de verbo ad verbum subsequentis nolens hæc sancta synodus omittere aliquid eorum quæ pro unione ecclesiarum Christi fieri possunt, dictam suorum ambassiatorum promissionem præsenti decreto acceptat, approbat, ratificat & confirmat, & præfata capitula de verbo ad verbum, prout per præfatos ambassiatores promissum est, præsentibus inserit sub tenore qui sequitur.

« Extant in sessione 25. concilii Basileensis, p. 567.

Sacrosancta, &c. ad perpetuam rei memoriam. Cum inter cetera toti populo Christiano necessaria opera propter quæ hoc præsens sanctum concilium extitit congregatum, unio occidentalis & orientalis ecclesiarum Christi præcipuum & maximum sit, merito pro hac perficienda ab initio suæ congregationis omni conatu laboravit. Etenim quamprimum potuit ad serenissimum imperatorem Græcorum & reverendissimum patriarcham Constantinopolitanum cum litteris suos transmisit ambassiatores, ad ipsos eum omni caritate & instantia exhortandum, quatenus & ipsi cum plena potestate mitterent aliquos, qui nobiscum tractarent de modo dictam sanctam unionem consequendi.

» Qui mox ut requiſiti fuerunt, tres inſignes
» viros de his qui apud eos magnæ videntur
» auctoritatis, quorum primus ipſum impera-
» torem conſanguinitate attinet, ad hanc ſan-
» ctam ſynodum deſtinarunt, ſufficienti ipſius
» imperatoris mandato cum bulla aurea &
» ejus manu propria ſubſcripto ac patriarchæ
» litteris munitos; qui tam in generali con-
» gregatione, quam coram commiſſariis no-
» ſtris ſerventiſſimum ipſius imperatoris ac pa-
» triarchæ totiuſque eccleſiæ orientalis ad hanc
» unionem deſiderium exponentes, nos mi-
» rum in modum ad tam ſancti operis proſe-
» cutionem pulſant, ac quotidie excitant, duo
» inter alia firmiter conſtanterque aſſerentes,
» unionem ipſam niſi in ſynodo univerſali, in
» qua tam eccleſia occidentalis quam orien-
» talis conveniat, fieri nullatenus poſſe, & in ea
» ſynodo, ſi fiat, ut infra conventum eſt, ip-
» ſam unionem ſequuturam ſperari.

» His auditis ſumma nobis lætitia & jocundi-
» tas nimirum acceſſit. Quamobrem omnem
» cogitatum noſtrum jactantes in Deum, qui
» facit mirabilia magna ſolus, venerabiles S.
» R. E. cardinales præſidentes ſedis apoſtolicæ,
» patriarcham Antiochenum, archiepiſcopos,
» epiſcopos, abbates, magiſtroſque & docto-
» res in numero competenti deputavimus, ut
» una cum ipſis Græcorum ambaſſiatoribus
» rem iſtam tractare, & quo ordine ad exe-
» cutionem deducenda eſſet proſpicere debe-
» rent; qui tam inter ſe quam cum ipſis ora-
» toribus ſæpenumero convenientes, habito
» inter ſe maturo & digeſto conſilio ad infra-
» ſcripta cum ipſis devenerunt capitula, quæ
» poſtea ſecundum morem hujus ſacri conci-
» lii per ſacras deputationes mature deliberata,
» ac deinde per generalem congregationem
» concluſa firmataque ſolemniter extiterunt;
» quorum tenor una cum mandato ipſius do-
» mini imperatoris ſub bulla aurea ſequitur,
» & eſt talis:

» Ambaſſiatores ſereniſſimi domini impe-
» ratoris Græcorum, &c. *ut in decreto concilii*
» *latius continetur*. Et quia tempus ſuperius ex-
» preſſum, infra quod prædicta debebant adim-
» pleri, effluxit; non propter defectum alicu-
» jus partium, ſed quia ita contigit variis in-
» tervenientibus tractatibus, hæc ſacroſancta
» ſynodus tempus per præfatos ſereniſſimum
» imperatorem Græcorum & reverendiſſimum
» patriarcham Conſtantinopolitanum parte
» una, & ambaſſiatores hujus ſanctæ ſynodi
» parte ex altera, ſtatutum & firmatum quod
» eſt a menſe Maio immediate ſequenti ad an-
» num, ita quod per totum menſem Maii ad
» annum ſequentem utraque partium ſit pa-
» rata ad exequendum ſupradicta, quantum
» ad quamlibet partium attinet, acceptat, &
» promittit ſe impleturam, quantum ad ipſam
» pertinet, infra dictum tempus quicquid in
» ſupradictis capitulis continetur. Datum Ba-
» ſileæ, &c. In quorum omnium teſtimonium
A & robur præſentes litteras fieri juſſimus, ma-
nibuſque ſubſcripſimus propriis, necnon ſi-
gillorum noſtrorum quibus pro nunc uti-
mur appenſione roboravimus. Datum Con-
ſtantinopoli, *in monaſterio S. Georgii* pro
tunc habitationis noſtræ, XXV. Novembris,
anno a Nativitate Domini MCCCCXXXV.

Ego Fr. Jo. de Raguſio propria manu ſub-
ſcripſi.

Ego Henricus *Menger* propria manu ſub-
ſcripſi.

B Ego Simõn *Freron* propria manu ſub-
ſcripſi.

FORMA SALVI CONDUCTUS.

NOs frater Jo. de Raguſio ordinis fratrum Anno 1435. 25. Nov.
Prædicatorum, profeſſor in ſacra pagina,
magiſter Henricus *Menger* decretorum do-
ctor, canonicus Conſtantienſis, & Simon
Freron in ſacra pagina baccalaureus cano-
nicus Aurelianenſis, ſacroſanctæ generalis
ſynodi Baſileenſis in Spiritu-ſancto legitime
congregatæ, univerſalem eccleſiam repræ-
ſentantis, ad ſereniſſimum imperatorem
C Romeorum & reverendiſſimum patriarcham
Conſtantinopolitanum ambaſſiatores & nun-
cii, ad ea quæ in dicta ſynodo pro unione
eccleſiarum Chriſti perficienda concluſa ſunt
exequendum ſpecialiter deſtinati, ejuſdem
ſanctæ ſynodi ad ea quæ pacis ſunt & uni-
tatis firmum & ſanctum propoſitum cognoſ-
centes, vice & nomine ejuſdem tenore præ-
ſentium litterarum promittimus dare & cum
effectu exhibere, quamcitius fieri poterit,
vel ſaltem per galeas quæ venturæ ſunt ad
ſuſcipiendum venientes ad concilium, præ-
D fatis ſereniſſimo imperatori & reverendiſſi-
mo patriarchæ ſalvum conductum ſub con-
ſueta bulla plumbea dictæ S. ſynodi & ſub
tenore de verbo ad verbum qui ſequitur:

Sacroſancta, &c. Quia auctore Domino,
&c. *ut in concilio Baſileenſi, Seſſione* 24. *pag.*
568.

Item, promittimus quod dicta ſancta ſy-
nodus Baſileenſis habebit & accipiet ſalvos
conductus ſimiliter per galeas deſtinandos
præfatis ſereniſſimo imperatori, reverendiſſi-
mo patriarchæ & ceteris a dominio civitatis
& etiam patriæ, in quibus futura univerſa-
E lis & ycumenica ſynodus, Deo auctore, ce-
lebrabitur, & ſimiliter ab omnibus dominiis,
civitatibus & territoriis obedientiæ eccleſiæ
noſtræ occidentalis, per quæ ſive eundo ſive
redeundo tranſituri ſunt, munitos & robo-
ratos more conſueto provinciarum & domi-
niorum firmiori modo quo fieri poterit. In
quorum omnium teſtimonium & robur præ-
ſentes litteras fieri juſſimus, manibuſque ſub-
ſcripſimus propriis, necnon ſigillorum no-
ſtrorum, quibus pro nunc utimur, appen-
ſione roboravimus. Datum Conſtantinopoli

in monaſterio S. Georgii pro tunc habitationis noſtræ, xxv. Novembris, anno a Nativitate Domini MCCCCXXXV.

Ego frater Johannes de Raguſio propria manu ſubſcripſi.

Ego Henricus *Menger* propria manu ſubſcripſi.

Ego Simon *Freron* propria manu ſubſcripſi.

SEQUITUR QUÆDAM COMMISSIO facta per imperatorem Græcorum magiſtro H. Menger, *alteri ambaſſiatorum concilii, revertenti ad dictum ſacrum concilium, &c. ſuper electione loci, &c.*

Cum venerabilis vir Henricus *Menger*, &c, *Extat conciliorum tom.* 12. *pag.* 1011.

COMMISSIO DOMINI PATRIARCHÆ ejuſdem effectus cum commiſſione imperatoris, &c.

Quoniam, &c. *Extat ibid. pag.* 1012.

LITTERA CREDENTIALIS oratorum ſacri concilii tranſmiſſorum ad imperatorem Conſtantinopolim & patriarcham, &c. pro reductione & unione, &c.

Anno 1435. 29 Novemb. Ex mſ. Aquitaniæ.

SAcroſanctæ generali ſynodo Baſileenſi in Spiritu-ſancto legitime congregatæ, univerſalem eccleſiam repræſentanti.

Reverendiſſimi, &c. poſt humiles & devotas recommendationes, de conſenſu & voluntate omnium noſtrum trium revertitur venerabilis magiſter Henricus *Menger* conſocius noſter, ad præſentiam dominationum veſtrarum, relaturus ea quæ per nos in materia Græcorum geſta ſunt. Rogamus igitur, V. R. dominationes, ut relationi & dictis ſuis, tamquam ſi eſſemus omnes tres præſentes, dignemini fidem plenam & indubiam adhibere. Eaſdem paternitates veſtras Altiſſimus in fidei catholicæ & Chriſtianæ religionis augmentum conſervare dignetur feliciter & per tempora longiora. Ex Conſtantinopoli die XXIX. Novembris.

Veſtri humiles ſervuli & oratores devoti Fr. Jo. de Raguſio & Symon *Freron.*

SEQUITUR PROPOSITIO tripertita ambaſſiatorum concilii facta in præſentia imperatoris & patriarchæ Græcorum.

Majeſtas veſtra, ſereniſſime imperator, &c. *Extat conc. tom.* 12. *pag.* 852.

Hic incipit ſecunda pars propoſitionis facta per Henricum Menger alterum oratorum, &c.

Audiſtis, ſereniſſime imperator, &c. *Extat ibid. pag.* 854.

Tertia pars propoſitionis facta per magiſtrum Simonem Freron, *&c.*

Meminiſtis, ut opinor, *Extat ibid pag.* 856.

SEQUUNTUR PETITIONES ambaſſiatorum ſacri concilii datæ deputatis imperatoris Græcorum, &c.

Primus punctus eſt de ratificatione, &c. *Extat ibid. pag.* 858.

SEQUUNTUR PETITIONES deputatorum ex parte imperatoris Græcorum, &c.

Primo dicimus & volumus, &c. *ibid. pag.* 858.

SEQUUNTUR RESPONSIONES ambaſſiatorum ſacri concilii ad prædictas petitiones Græcorum, &c.

Ad primum dicimus quod numquam fuit, &c. *ibid. pag.* 859.

SEQUUNTUR CERTÆ PROMISSIONES facta per ambaſſiatores ſacri concilii, &c.

Nos tales, &c. ſacroſanctæ generalis ſynodi Baſileenſis, &c. *ibid. pag.* 851.

COPIA LITTERÆ IMPERATORIS Græcorum ſacroſancto generali concilio Baſileenſi.

Johannes in Chriſto Deo fidelis imperator & moderator. *Extat. ibidem. pag.* 991.

COPIA LITTERÆ domini patriarchæ Conſtantinopolitani.

Joſeph miſeratione divina, &c. *Extat ibid. pag.* 992.

LITTERA FRATRIS domini imperatoris Græcorum.

Sacroſanctæ generali ſynodo Baſileenſi, &c. Litteras V. R. P. per venerabiles, &c. Datum Conſtantinopoli MCCCCXXXV. die XXVI. Novembris. *Ibid. pag.* 992.

REGRATIATIO DOMINI LEGATI super (a) pace Franciæ.

Anno 1435. *Ex mſ. Aquicinctenſi*

QUædam in rebus humanis, reverendiſſimi patres, accidere nonnumquam ſolent tam grandia, & ſupra ſpem, ut de his loqui aliquid volens, ſtupore quodam mentis alligatus, unde exordiatur, quidve dicendum ſit fere ipſe neſciat. Cujus rei exemplum & in me & in his deſideratiſſimis novis, quæ cum ſumma alacritate nos omnes per hos oratores noſtros enarrari audivimus circa ſacratiſſimam hanc pacem, nuper inter Chriſtianiſſimum regem Franciæ & illuſtriſſimum ducem Burgundiæ initam, palam videre eſt. cum enim mecum ipſe conſidero, hoc non tam humanum, quam divinum pacis opus in Chriſtianiſſima Francorum domo integre, & in præclariſſimo regno Franciæ maxima ex parte opera noſtri reverendiſſimi domini legati & noſtrorum oratorum, una cum reverendiſſimo apoſtolico legato, Deo aſſiſtente, confectum eſſe, ſive lætitiæ immenſitate, ſive rei ipſius magnitudine, ſive ob ſacri concilii gloriam, quaſi attonitus ſtupere magis quam loqui poſſum. Quomodo enim enarrare umquam poſſem ingentia illa pericula, & imminentia belli mala, calamitateſque guerrarum intolerabiles, quas ſancta iſta pax extinxit jam, & futuris temporibus, Deo propitio & protegente, extinguet? cædes videlicet nobilium, ſtrages populorum, depopulationes urbium, vaſtationes agrorum, incendia ſacratum ac privatarum ædium, cultus divini deſtitutionem, raptus virginum, ſacrilegia, rapinas, exſilia, carceres, & extremam uſque ad mendicitatem inopiam, & cetera plurima, quæ a lacrymis neſcio quis referens temperare ſe poſſet. Quomodo item ſatis explicabo dulciſſima & amæniſſima bona illa omnia, contraria his quæ ex bellis naſci jam commemoravi? Neque in Franciam ſolum oritura ſunt hæc ipſa pacis bona, ſed inde in reliquas tranſitura longinquas etiam Chriſtianitatis regiones. Nam ſicuti omnes affirmant, execrabilis guerra quæ tamdiu in Galliis viguit, non ſolum Franciæ regnum nimis, proh dolor! attrivit, ac pene deſtruxit, ſed & ceteris fere regnis plurima intulit incommoda ac detrimenta. Qualiter etiam ſine ſummo mentis exceſſu referare potero gloriam, decus, honorem, exaltationem, quæ huic ſacro redundant concilio ex hac feliciſſima pace, quam hujus concilii miniſterio manibuſque noſtrorum oratorum conſummatam eſſe videmus? Et quidem plurimum a nobis gratulandum eſt, quod tam Chriſtianiſſima gens tamque devotus populus & religioſus paci & tranquillitati reſtituti ſunt. Bona enim proximorum A noſtrorum noſtra eſſe juxta Chriſtianam profeſſionem exiſtimanda ſunt. Sed certe propter hujus ſacri concilii decus mirum in modum & gaudere & gratias Deo agere debemus, non propter nos ipſos atque humanam gloriam, ſed quia in dominum noſtrum Jesum Christum hæc omnia referenda ſunt, hujus ſponſam ſanctam eccleſiam hodie uſque adeo exaltatam & honoratam conſpicimus.

Latrent jam ut libet hujus ſacri concilii detractores, & non tam famam noſtram quam ſeipſos lacerent, & dicant jam ſi poſſint, quid fecit concilium Baſileenſe? Ut B quid jam quadriennio congregatum manet? Numquam, o impudentiſſimi homines, ſi vos matris veſtræ eccleſiæ reverentia non cohibet, ſaltem hæc glorioſa opera, quæ niſi oculos aureſque claudatis, per ſacrum concilium fieri videtis & auditis, vos jam continere debebunt. Num. fruſtra tempus hoc & inutiliter expoſitum eſſe jam judicabitis? Quid egit, dicitis, Baſileenſe concilium? Pacem fecit in Francia. Numquid hoc modicum eſt, etiam ſi per viginti annos ſtetiſſet? Stetit quadriennio, dicitis: ſed per viginti annos & amplius, quibus hoc peſtiferum duravit bellum, quid reliquum fecit C Chriſtianitatis? Si ergo hoc quadriennio plus divina propitiatione hoc egit concilium, quam reſiduum Chriſtiani orbis per viginti; cur veritatem recognoſcentes, ſaltem detractionibus modum non imponitis? Quamquam & per hoc modicum temporis puſillus iſte dominicus grex, quem hic in nomine domini congregatum videtis, circa exſtirpationem hæreſis Bohemicæ longe amplius fecerit, quam reliqui omnes reges & principes, populi & ſex aut octo maximi exercitus, qui in Bohemiam manu potentiſſima profecti ſunt, quorum qui minor erat, quadraginta millium excedebat numerum. D Sed & hos prætereamus detractores, ut ſeipſos propriaſque mordeant rodantque conſcientias: quippe digni non ſunt, de quibus in tanto eccleſiæ cœtu & in tanta jocunditate mentio habeatur. Ad vos autem me convertens, o reverendiſſime legate, ac reliqui noſtri oratores, quo dicendi genere veſtra merita extollam? quibus verbis veſtras ornabo laudes? quantam illam oporter eſſe facundiam quæ digne virtutes veſtras, diligentiam, prudentiam, circumſpectionem, labores, quibus in hoc ſancto pacis opere glorioſe deſudaſtis, recenſere umquam poſſet? E Sed quid vobis aliud attribuam majoris gloriæ ac præmii non habeo, nec ſcio, nec certe ſpecioſius aliquid dici poteſt, niſi quod vos felices ac beatos nomino, vos filios Dei appello: quæ tam ſuprema vocabula non auderem cuiquam mortalium adſcribere, niſi Salvator noſter ore ſuo benedicto id ipſum dixiſſet, ac ſpopondiſſet his qui pacem inter diſſidentes quærunt, dicens *Beati pacifi-*

(a) Hujuſce pacis tractatus Attrebati in S. Vedaſti monaſterio ordinis S. Benedicti tandem perfectus eſt die 5. menſis Novembris 1435.

ci, quoniam filii Dei vocabuntur? Quod ſi talia expectant hi qui qualeſcumque etiam duos puſillos homines, (non enim inter magnos ac parvos, multos paucoſve diſtinxit Deus) ad concordiam revocant, quanto excellentius ac ſingularius hæc laus, hoc præmium vobis debebitur, qui in tanto regno, interque tam potentiſſimos principes pacem ſuaviſſimam ſeminaſtis, *ex qua ſalus pendet* & quies multarum gentium ac populorum?

Quas autem gratias & quanta humilitate ac devotione Deo omnipotenti referemus, qui *pro ſua ineffabili* clementia ultra quidem merita noſtra tanto gaudio univerſam replevit eccleſiam & omnem populum Chriſtianum hac jocundiſſima pace *diebus noſtris* conſolari dignatus eſt? Tibi igitur, o ſancta & benedicta Trinitas, Pater & Fili & Spiritus-ſancte, une Deus, nos ſervi tui & filii ancillæ *tuæ, pro hoc precioſiſſimo pacis munere*, tales tantaſque gratias agimus, quales quantaſque humanus capere intellectus & mortalis lingua exprimere umquam poteſt. magnificamus nomen ſanctum tuum & benedicimus te in æternum & in ſæculum ſæculi, ſuppliciter tuam exorantes cœleſtem majeſtatem, *ut ſicut pacem iſtam facere* dignatus es, ita eam perpetua firmitate ſtabilire & ..... ut plenum ſit gaudium noſtrum conſummare digneris. Et ſicut duos fratres patrueles, Chriſtianiſſimum videlicet Francorum regem & illuſtriſſimum Burgundiæ ducem pacis fœdere copulaſti, ita etiam, *clementiſſime Domine, avunculum & nepotem*, præfatum ſcilicet Chriſtianiſſimum Franciæ regem, & ſereniſſimum & excellentiſſimum regem Angliæ concordes unanimeſque facere digneris, qui facis concordiam in ſublimibus. Sanctiſſimum tandem dominum noſtrum ſummum pontificem, qui ut *primum rogatus extitit, mox* ad *hanc* componendam pacem reverendiſſimum dominum cardinalem S. Crucis, virum magnæ ſanctitatis ac ſapientiæ deſtinavit, ipſumque apoſtolicum legatum, qui vigilantiſſime ac totis viribus huic paci perficiendæ operam feliciter dedit, dignis laudum attollamus *præconiis, utrique prout æquum eſt* maximas gratias referentes. Vobis autem reverendiſſime pater domine cardinalis de Cypro legate noſter, vobis quoque o *oratores noſtri* digniſſimi, qui tantum & tam deſideratum nobis attuliſtis triumphum, ſic amplas magnaſque gratias referimus, ut poſt Deum *nulli hominum majores* ampliores-que referre poſſemus, rogantes omnipotentem Deum, ut pro veſtris glorioſis operibus in hoc & alio ſæculo vobis digne retribuat.

BULLA CONVOCATIONIS prælatorum.

SAcroſancta, &c. ad *futuram rei memoriam.*

Emergentibus in dies univerſalis eccleſiæ negotiis proſequendis, conſtantia nos tenet *in mora*, præſertim ut, Bohemorum jam fere ſepultis erroribus, evacuetur quod ſupereſt, & ſub ſpe miſericordiæ JESU CHRISTI cum tempus reductionis Græcorum *advenerit*, ſintque unum ovile Domini, & unus paſtor Latinorum & Græcorum in unitate fidei orthodoxæ, quam ex reductione Græcorum *provenire ſperamus indubie*, & quæ annoſa diſſuetudo firmavit in abuſibus, ac ſucceſſivis temporibus, cum generalia non ſint frequentata concilia, in ſingulos ſtatus auctor malitiæ propagavit, parva mora non evellit, nec ab omnibus qui ante tempus judicant & moræ ac continuationi noſtris detrahunt, *illius cauſa poteſt comprehendi.* Ut tamen exſtirpatio hæreſum, unio Græcorum, reformatio cleri, pax & tranquillitas arrideant univerſis, noſtros labores opportuna diligentia fideliter convertimus & conſtanter, prout in regno Franciæ ac pleriſque Alamanniæ & Italiæ partibus, ut pax ſequeretur optata, per *noſtros legatos*, ambaſſiatores & nuncios vices noſtras adhibere curavimus diligenter: quamvis plures ex prælatis, qui per annos aſſidue nobiſcum in vinea domini laboraverunt, vacuatis errariis, de noſtra licentia ad eccleſias, monaſteria ac beneficia propria remearint; & diverſos in ipſius eccleſiæ negotiis expediendis ad Græciam, Bohemiam, ac regna & loca varia deſtinaverimus; quorum vices in proſecutione præmiſſorum agendorum incumbentium, gravitate penſata, alii eccleſiaſtici prælati, & viri litterarum ſtudio eruditi, qui interim vacaverunt, quorum nonnulli venientes ſeu aliquos mittentes, a ſuis *ſubditis* horum occaſione ſubſidia receperunt, obnoxius aſtringuntur. Quocirca venerabiles S.R.E. cardinales, patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, abbates & ceteros eccleſiarum prælatos, & capitula ac univerſitates, qui nondum ad nos venerunt, aut ſuos nobiſcum continuo frequentes & laborantes *non* deſtinarunt, per hæc ſcripta hortamur, requirimus & monemus, ac in virtute præſtiti juramenti & ſanctæ obedientiæ mandamus eiſdem, quatenus perſonaliter, & ſi legitime præpediti, cauſa præpeditionis nobis legitime intimata, perſonaliter non poſſint, per ſolemnes ac doctos viros, infra menſem poſt inſinuationem præſentium, a noſtris ad hoc deputatis nunciis eis faciendam, verſus nos iter arripiant, & tractandis eccleſiæ neceſſi-

Anno 1435. 21. Decemb. *Ex mſ. Aquilejenſi.*

tatibus interſint, ut ſic congregata prælatorum & doctorum virorum multitudine copioſa, auctore domino, ſingula & ſalubrius ordinentur. Alioquin contra ipſos abſque alia vocatione facienda, per noſtros ad hoc deputatos commiſſarios procedi volumus ad pœnas graviores. nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ exhortationis, requiſitionis, monitionis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & univerſalis eccleſiæ ſe noverit incurſurum. Datum Baſileæ XII. calendas Januarii, anno a nativitate Domini MCCCCXXXV.

Jo. GOFFRIDI S.

SENTENTIA LATA PRO DOMINO patriarcha Aquilegienſi contra Venetos in congregatione generali XXIII. *Decembris* M CCCC XXXV.

Anno 1435. 23. Dec. *Ex mſ. d. quirini.*

CHriſti nomine invocato, de cujus vultu omne procedit judicium, per hanc noſtram ſententiam, quam pro tribunali ſedentes ferimus in his ſcriptis, pronunciamus, decernimus & declaramus dictos ducem, conſiliarios, procuratores, advocatos, nobiles culpabiles, locum tenentes, & quoſcumque alios quomodolibet obnoxios, anathematis & excommunicationis, communitatemque interdicti contentas pœnas & ſententias incidiſſe, pro & ex eo quod civitatem, caſtra, terras, villas, loca, jura, juriſdictiones & dominia, ac alia ſpoliata, occupata ſeu detenta ad eccleſiam Aquilegienſem, ut præfertur, ſpectantia, juxta monitorii tenorem, dicto LODOVICO patriarchæ non reſtituerunt, nec cauſam ſeu cauſas rationabiles, cur monitorio noſtro parere non deberent, allegantes docuerunt; & pro talibus habendos, denunciandos, reputandos, vitandos & tractandos fore tamdiu, & quouſque dux, communitas, conſiliarii, procuratores, advocati, nobiles, locum tenentes, & alii obnoxii prædicti, civitatem, caſtra, terras, villas, loca, jura, juriſdictiones, dominia & alia ſpoliata occupata ſeu detenta ad ipſam eccleſiam Aquilegienſem, ut prædicitur, ſpectantia, præfato LUDOVICO patriarchæ abſque dolo & fraude ſeu alicujus excuſationis interventione omnino, una cum fructibus perceptis, & qui percipi potuerunt, reſtituerint libere cum effectu, ipſumque LUDOVICUM patriarcham integre reſtitutum eccleſiæ Aquilegienſi in ſpiritualibus & temporalibus pacifice ſinant poſſeſſione gaudere, & ad *gremium ſanctæ matris eccleſiæ* revertentes abſolutionis meruerint beneficium obtinere; necnon ipſius ducem, communitatem, conſiliarios, procuratores, advocatos, nobiles, loca tenentes & alios obnoxios prædictos in expenſis, in ipſa cauſa factis, condemnatos fore & condemnamus, ipſarum expenſarum taxationem nobis in poſterum reſervantes, ſupplentes omnes defectus, ſcilicet qui in hujuſmodi interveniſſent proceſſu.

AMBROSII CAMALDULENSIS oratio coram Sigiſmundo Cæſare Albæ eodem anno habita, cum ad eum quoque veniſſet orator V. Kal. Jan.

Anno 1433. *Ex mſ. regiæ Sueciæ urb. Mobilitan.*

SI quem forte movet ex hoc celeberrimo ſummorum virorum & ſublimium principum ornatiſſimoque conventu, imperator eximie, quod Romanus pontifex EUGENIUS beatiſſimus inpræſentiarum ad tuam majeſtatem non magnum aliquem virum & ſapientia, atque facundia ſingulariter præditum, oris præterea gratia & ſplendore apparatus illuſtrem, cujuſmodi plures ſuo ſcilicet inhærent lateri: ſed exiguum potius & inferioris meriti atque ordinis hominem miſerit; is paucis videtur admonendus. ſolent conjunctiſſimos atque amiciſſimos principes, quando ſerium intereſt aliquod atque arduum tractare, non ſemper ſummos viros adhibere medios, verum interdum, immo etiam ſæpius famulorum quoque fidelium uti miniſterio. Eam modo regulam ſecutus pontifex noſter, me humilem ſuæ ſanctitatis ſervulum, tanto huic muneri deſtinare voluit; non quidem electum ex omnibus, qui commodius & melius quod injunctum eſt exequi, ſed fortaſſe qui levius & expeditius exercere poſſem. Nam de amoris veſtri gratia, & obſervatione mutua quid attinet dicere? Sunt enim adeo illuſtria indicia, tam præclara documenta, ut res probatione non egeat. Namque ut omittam interim quanta fuerit de illo ſemper, & quam excellens tuæ ſerenitatis opinio, quam conſtans judicium, quam intemerata ſententia, quis item viciſſim illius in te animus, quam ſingularis effectus: *hic enim omnia, verum ipſa conſequentia*, atque exitus docet. Vobis id certe conſtatum eſt, quod multis retro ſæculis ante vos paucis. Nam cum tranſlato ex Italia ante ſeptingentos ferme annos ad Gallos primum, deinde diuturniore ſorte etiam ad Germanos imperio: raro iſtiuſmodi paria Romanorum pontificum atque imperatorum in Urbe convenerint, tibi auguſte piiſſime quando ante paucos annos placuit Italiam peragrare tuam, illud quoque ſimul obvenit, Urbem ipſam orbis dominam, atque ipſam ſedem adire, ibique ſummo pontifici noſtro EUGENIO congredi, deque ſanctiſſimis illius manibus ſacrum imperii diadema ſuſcipere. Quo in tempore cum aliquandiu ſimul & memorabili cum benevolentiæ ſuavitate vixeritis, quis explicare queat quam multa, quam digne

gne quam utiliter, quam neceſſaria tam de ecclesiaſticæ rei, quam de totius orbis diſpoſitione contuliſtis? Actum profecto credimus divinæ providentiæ nutu, ut vos gemina orbis atque clariſſima lumina in unum tum convenieritis. Nam quam multos, quam lætos, quam uberes fructus tulerit veſtra iſta conjunctio, nullus adeo rationis expers, ac judicii ignarus eſt, quin intelligat quantos in te paritura ſit, nemo ita obtuſus atque hebes quin perſpiciat. Dilexit in te ſemper, princeps glorioſiſſime, ſummeque veneratus eſt pontifex noſter, non exteriora iſta tua, ſive fortunæ, ut quidam appellant, ſive naturæ dona: quæ tamen & ipſa ad auctorem ſuum, atque ad primam referunt originem: non altiſſimum ſanguinem, celſumque genus, & longa regum atque imperatorum ſerie ductum; non præſtantiam formæ, qua ipſa oris ac totius corporis lineamenta non modo gratiam & venuſtatem atque dignitatem; verum majeſtatem quoque ita præferunt, ut quod vel de *Octavio* Auguſto, a quo primo auguſtorum nomen accepiſtis; vel de *Salomone noſtro ſcribitur, in te impleatur*, ad quorum contuendam ſpeciem *pleroſque reges, & principes certatim concurrere* ſolitos legimus; non magnitudinem *animi* qua *ita excellis*, ut neque *Julium illum* Cæſarem domitorem orbis, plura aut *majora juvenem concepiſſe exiſtimemus*, quam tua hac ætate mente & cogitatione *complecteris*. Non variarum linguarum peritiam, qua ferme nobis Mithridatem illum *referis Aſiæ regem, quem legatis omnium* gentium numquam per interpretem, ſed per *ſe ipſum ſemper reſpondere ſolitum* accepimus: non laborum tollerantiam mirabilem illam quidem & pene incredibilem, qua iſta etiam ætate, quæ fractior annis videtur, ita emines, ut hanc neque robuſtiſſimi juvenes, neque laborioſiſſimi adoleſcentes conſequi poſſint; non munificentiam illam principalem plane tuam, quanta ſemper uſus es, ut profuſioni, quam liberali largitati propinquior ſit. Non iſtiuſmodi plurima, quæ vel enumerare, vel explicare, vel laudare pro meritis vix oratoris ingenia ſumma ſufficerent.

Hæc, inquam, omnia præclara licet & multum illuſtria negligens pontifex noſter, ſolam in te ſuſpicit, amplectiturque totis ulnis pietatem. Pietatem vero, non vulgari conſuetudine affectam ad clementiam intelligi volumus, cujuſmodi etiam in te magna cum laude ſemper eluxit, ſed rem quamdam ſingularem prorſuſque divinam, cui ut ſtudium omne accommodaret, diſcipulum cariſſimum hortatur apoſtolus Paulus *O Timothee* inquiens, *exerce te ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt: pietas autem ad omnia valet*: hanc Græci ſignanter, & decentiſſimo vocabulo theoſebiam vocant, nos vel Dei cultum, vel Dei veneration[em] dicere poſſumus; denique ſive timorem Dei, ſive ſingularem divini amoris affectum, ſive feryorem fidei, ſive religionis zelum, ſive aliud quodlibet divinæ rei appellare voluerimus, hoc unico ſanctiſſimo, & graviſſimo pietatis vocabulo veluti theſauro habetur incluſum. Hæc auguſtorum coronas etiam purpuras clarius gemmis cunctis *irradiat*, ineffabilique & imarceſſibili atque proprio decore colluſtrat. Nihil denique vel Conſtantinum magnum, vel cæteros ſubinde reges ita facit illuſtres, ut timoris *divini*, & Chriſtiani nominis titulus. Et neſcio quo pacto ſuavius ac gratius afficimur, cum de ſeniore Theodoſio legimus, qui a ſancto ſacerdote Chriſti Ambroſio reprehenſus, patientiſſime tulerit, illius ſacris obtemperans monitis; quam quod vel barbarorum ſtrages innumerabiles dederit, vel quod de crudeliſſimo tyranno Eugenio victoriam reportarit. Hæc ipſa pietas id in te, & de te effecit, auguſtiſſime princeps, ut nihil unquam utilitatis propriæ communibus anteferre volueris: immo in ea re ſumma emolumenta repoſueris, ſi incommoda ipſe, jacturas, atque pericula pro Chriſtiani orbis quiete & tranquillitate perferres. Hac prævia & duce, ut ab ipſis tui regni prioris auſpiciis *ordientes ſummatim perſtringamus* omnia, cum feri illi atque immaniſſimi barbari, *ſive eos gentiles, ſive verius* fortaſſis *hæreticos* appellare velimus, Turcos vulgo vocant, *multarum gentium victoria feroces*, regni tui fines, & clauſtra obſtinatiſſime irrumpere *pergerent*, ut *inde ſibi* ad anteriora aditum panderent, & ſi fieri poſſet, *univerſo Chriſtiano orbi ſeſe penitus inſinuarent*, ferro & igni ex inſtituto ſuo cuncta vaſtantes; *tu, imperator inclyte*, nequaquam contentus vallo, foſſa, aggere, munimentis, caſtellis atque præſidiis, & parva militum manu, quod quidem factu facillimum fuit, *illorum arcere diſcurſus, & cohibere impetus*, atque ipſos conatus eludere; tanta eos conſtantia inſecutus es, tanta virtute propulſiſti, domuiſti, fregiſti, tam multas, tam magnas, tam varias ſtrages, ut hiſtoriæ latiori campum perlate aperueris & materiam vel uberrimam dederis. Pulſavit ſæpe animum acriter ea cogitatio, immo ad id nervos omnes intendiſti, ut eos non modo propinquioribus locis arcere, verum in ſuis invaderes ſedibus, & illorum arce expugnata Gallipoli; non ſolum ea Europæ, quam occupaverant partem, verum ſi fieri poſſet, illos omnes omni quoque Aſia deturbares. Id quod quandoque affuturum per tuam maxime induſtriam, Deo auſpice ac duce, ſperamus, auguſte piiſſime. Compoſitis externis rebus, & barbaris varia ac multiplici victoria domitis, arque intra limites ſuos manere compulſis, inteſtinum eccleſiæ bellum, & exitiabile malum, ac perniciioſiſſimum

virus ejuſdem pietatis intuitu ferre non valens, clementiſſimi principis animum ad expurgandum atque debellandum tetercimum inveterati ſchiſmatis monſtrum, quod ambitio invexerat ſola, ſolum contentionis ſtudium animaverat, accenderat, foverat, omnes ingenii vires exacuit, univerſaque arma corripuit, neque prius deſtitit, omnia gerens, omnia tentans, quam pacem rebus & eccleſiæ unitatem redditam gauderemus.

Quantos ille labores ſubiit, quam glorioſa certamina pertulit, quam multos, quam varios diſcurſus obiit, ut inſtar volucris totum fere Chriſtianum orbem peragraverit, quam ingentes theſauros effuderit, non eſt noſtræ facultatis evoluere. Tibi, auguſte, debemus, tuo nomini, tuis laboribus, tuæ vigilantiæ, tuæ induſtriæ, tuo *infatigabili* ſtudio acceptum referimus, quod pace, quod tranquillitate; quod unitate eccleſiæ fruimur, quod pace, quod pulſis *denſiſſimis tenebris*, & atra erroris nebula profligata, omnique diſcuſſa ac disjecta caligine, lumen hauſimus, & ſuaviſſimum æterni ſolis jubar aſpeximus. Tuum iſtud factum adeo præclarum, tuum hoc opus tam illuſtre, tam ſingulare, tam divinum & præſens ætas *admiratur, ſuſpicit*, fovet, amplectitur, & poſteritas omnis prædicabit, digniſque attollet laudibus ac perpetuis preconiis celebrabit, numquamque Sigismundi piiſſimi imperatoris, & religioſiſſimi principis nomen non erit in deliciis, non erit *in admiratione, non erit in honore*, non erit in laude. Sed enim non eſt, neque propoſiti noſtri, neque hujus temporis, neque otii, neque *virium, laudes explicare tuas*, imperator inclyte, facient hoc excellentiora ingenia, ut tanti principis memoriam ullam umquam *interrumpere*, aut abolere poſſit oblivio.

Non ſtetit hactenus religioſiſſimi principis ſtudium: immo qui *antiquum* ſchiſma viribus omnibus ut tolleretur effecerat, novum itidem ne oriretur, immo ne vetuſtum *reſurgeret, emortuumque reviviſceret* malum, ſimili ſtudio, & pari pietate contendit. Ac niſi ipſius prudentia, vigilantia ſtudiumque *obſtitiſſet*, actum eſſet denuo de eccleſiæ pace ac unitate, jamque innovatum ſchiſma haberemus, & quidem priore deterius. Sed paucis res exponenda & explicanda eſt.

Cum deſiderio componendi cleri, & in *antiquam*, ſi fieri poſſet, & ſperari liceat, faciem reſtituendi, pontifex noſter Baſileæ ſynodum conflari juſſiſſet, concurrerentque admodum pauci: ipſe morarum impatiens, ſimul & à ſacro collegio inductus atque impulſus, Bononiam concilium ipſum tranſferre inſtituit: locum ſcilicet idoneum, & ad quem facilius omni ex parte convenire poſſent. Verum ubi promulgatis ipſius tranſlationis edictis, confluere certatim plurimos didicit, re tacitus admirans exitum operiebatur. Non defuere tum de primoribus quidam qui *antiqua innovare vulnera* ſchiſmaque denuo inferre tentarunt: hoc comperto, exhorruit religioſiſſimi principis animum, & *antiquos labores* ſuos irritos fieri, ut parerat, egerrime tolerans, quod reliquum erat itineris, nam redibat ex Italia, tanta pernicitate *egit*, ut non veniſſe, ſed putaſſes volare, atque intra præſcriptum diem ſemet concilio inſinuans, improbos quorumdam *conatus* digna inſectatione coarguit, eoſque religioſæ gravitatis admonens, ut eis potius rebus quarum gratia convenerant peragendis *inſiſterent*, monuit, neque ſcandala ultra ſuſcitare vellent. Quo in tempore pontifex noſter, clementiſſime Cæſar, concilii ſacri ſuæque ſerenitatis votis obtemperans, retractatis prioris tranſlationis edictis, concilium iterate approbavit: atque ita approbavit, ut ab ſe poſtulari nihil ultra potuerit. Maluit enim mitiſſimus pontifex, de ſuo aliquod, immo vero multum jure deponere, quam ſcandalo patefieri aditum. Decreta concilii admiſit omnia, eaque ſe, vel quæ facta catenus, vel quæ facienda eſſent, pro *ratis* habiturum, ſervaturumque promiſit. Sed & ſacra ſynodus viciſſim illi eſt pollicita, ſe illum ut vicarium Chriſti Petrique ſucceſſorem habituram, juſſaque ſanctæ ſedis & apoſtolicæ in nullo violaturam. Extant literæ tunc ad pontificem a tua ſerenitate *directæ* id atteſtantes, ſed & inſtrumenta publica inde confecta hoc ipſum pollicentur.

Quieſcente pontifice, neque tale quicquam tunc forte opinante, repentinus tumor increbuit, annatas fuiſſe ſublatas, & reliqua minuta ſervitia, quibus tam pontifex ipſe quam ſacrum collegium, & omnia curiæ officia ſolerent ſubſtentari. Admiratus eſt pontifex, obſtupuitque ſacrum omne collegium, eo potiſſimum tempore ſublata fuiſſe ſibi ſtipendia victus, quo pontifex Roma clam fugiens, vix impias ſe inſequentium manus effugerat, nuduſque ac profugus Florentiam venerat, quo eccleſia bonis omnibus omnique ſubſtantia nudata per quorumdam intemperantiam fuerat. Omnibus vero curiæ ordinibus aperte proteſtantibus ſe decretum illud numquam admiſſuros, atque pontificem orantibus, ut opem ferret, & ne curiam deſerere neceſſitate cogerentur, opportuna adhiberet remedia. Compulſus eſt oratores ad concilium mittere, qui decreti illius ſuſpenſionem poſtularent, quoad maturior fieret deliberatio, ſeu aliter apoſtolicæ ſedi commode provideretur. Miſſi ſummus tam a pontifice, quam a ſacro collegio, venerabilis atque integerrimus vir Antoninus auditor cauſarum ſacri palatii, & ego, cum inſtructionibus debitis, quibus id cavebatur, ut modeſtia in omnibus ſumma uteremur, & in nullo irritaremur concilii patres. Egi-

mus id, *Deo duce, pro viribus.* Namque alter ex nobis communes tantum ferme attigit locos, quæ ad pacem & tranquillitatem, atque unitatem in Christi corpore, ſancta videlicet eccleſia, ſervandam pertinere viderentur, leniter ac rationabiliter ſuggerens: & optimam tum pontificis, tum ſacri collegii voluntatem ac diſpoſitionem ad ſuſcipiendam omnem reformationem honeſtam atque congruam pandens. Orabat *item ne* ſedem illam mendicare vellent, quæ abundare neceſſario variis ex cauſis ſemper conſueviſſet, & a qua egenis opem ſibi poſtulare moris eſſet. Alter coram deputatis magno numero viris apertius quod pontifex poſtularet expoſuit leniſſima oratione, & nihil irritante, aut ſcilicet ſuſpendi decretum aut provideri. Auditi quidem attente ſumus: ſed *nihil tamen ex iis impetrare potuimus quæ* petebamus. Namque id tandem nobis pro reſponſo datum eſt: ſacrum concilium decretum nolle ſuſpendere, proviſionem vero ante concilii terminationem faciendam, adjectis conditionibus certis. Tuum itaque præſidium occupare inſtituit neceſſario, princeps Chriſtianiſſime, tuamque implorare opem pontifex noſter, nempe enim ſi cui *ex Romanis pontificibus licitum fuit*, auguſtorum in rebus dubiis implorare opem; licuit autem ſemper omnibus: *hic ille jure* ſuo ſpeciali quodam privilegio vindicat.

[a] Secundo.

Neque vero ſi Innocentio tertio[a] honeſtum fuit, Lotharii piiſſimi imperatoris auxilium quærere, ut in Urbem, unde Petri Leonis inſidiis fuerat ejectus, remeare poſſet; inhoneſtum eſt pontifici noſtro, ſi poſtulet poſſeſſioni ſuæ, qua deturbatus videtur, tua ope reſtitui? Orat itaque primo, ut antiquum pietatis inſtitutum conſtantiſſime teneas, quamvis opus non eſt ſponte currenti admovere calcaria: pacemque & unitatem eccleſiæ, quam tanto labore ac ſtudio prius reddidiſti, partaque ne denuo laberetur effeciſti: immo jamjam labentem tenuiſti, commendatam tecum habeas, neque patiaris ulla ratione rurſus eccleſiam ſcindi. Deinde ne ſanctam Romanam eccleſiam ſedemque apoſtolicam, *ita fœde nudam relinqui velis: verum* tuas interponas partes. Nempe enim Christum Jesum Dominum noſtrum, neque gentilis qui expoliaverat miles nudum reliquit. & de alio Jeſu ſacerdote magno legimus: qui noſtri figura fuit, quod exutum prioribus indumentis, veſtiri novis juſſerat Dominus.

Jam vero quoniam non avaritiæ conſulens, aut propriis indulgens commodis, decreti *illius ſuſpenſionem* poſtulet *pontifex* noſter, nemo qui illum novit ignorat: Quippe ab ipſo adoleſcentiæ flore, ampliſſimo diſtracto patrimonio, & pauperibus atque aliis pietatis operibus impenſo, Chriſtum Dominum levis atque expeditus ſequi delegit. Et cum ſucreſcentibus meritis per gradus aſcendens *divinæ providentiæ nutu* ad ſummum quoque apoſtolatus apicem pervectus eſſet, numquam pietatis, & miſerationis ingenitæ exuit viſcera: immo qui auctus eſt meritis, benignitate quoque in dies auctior fit: ita ut nunc quoque quando ita nudatus eſt, nihil antiqui inſtituti relaxarit: ſed egenis quotidie larga ſubveniat manu. Non ergo, ut diximus, avaritiæ ſtudens, vel privatis *commodis conſulens*, ſanctiſſimus pontifex, vel decretum ſuſpendi poſtulat: ſed *honoris*, & *gravitatis* atque dignitatis eccleſiæ, cujus ſponſus eſt divinitus datus, rationem habens, non auferri decretum, ſed ſuſpendi iterum poſtulat, donec an expediat, matutius omnium deliberetur aſſenſu: ne quid eccleſia, cujus ille caput eſt, inconſiderate, ſeu precipitanter egiſſe poſſit umquam ulla ratione *deprehendi, cum* debeant eccleſiæ *judicia* conſiderata eſſe ſemper atque graviſſima & *irreprehenſibilia*. Novit enim profecto, & memoria tenet iſtiuſmodi rem in duobus ante conciliis, Viennenſi ſcilicet & Conſtantienſi fuiſſe diſcuſſam diligentiſſime, & diutius ventilatam: ſemperque annatas tolerabiliores judicatas, abuſiones tollendas, uſuſque reſervandos neceſſarios ſaniora ferme *omnium judicia cenſent*: ne per novitates ſcandalis aditus pateat, quam vel non oriantur caute proſpicere eccleſia debet, vel ſi orta fuerint, ut mature tollantur, ſtudioſiſſime providere. Intelligit profecto pietas tua, imperator clementiſſime & Chriſtianiſſime princeps, quam juſta, quam rationabilia poſtulet pontifex noſter, & quid facto ſit opus non ignoras. Jus jam ſapientiæ, tuæ providentiæ, tuæ benignitati, totum ille relinquit. Deus autem noſter omnipotens, in *cujus manu juxta ſcripturæ ſacræ teſtimonium*, cor regis eſt, tuæ ſerenitatis greſſus dirigere dignetur in laudem & gloriam ſuam, ut eccleſiæ unitate per te tuiſque laboribus parta, & tua pietate ſervata, & quiete ipſe regnare in hoc ſæculo, univerſis ſubactis hoſtibus, poſſis, & cum ſanctis fideliſſimisque principibus æternis atque cœleſtibus regnis, poſt felicem vitæ præſentis exceſſum, mereaſ *inſcribi*, gratia & miſericordia Domini noſtri Jesu Christi, cui eſt cum Patre & Spiritu ſancto honor, decus, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit feliciter.

Anno 1435. 30. Decemb. *Ex mſ. Aquicinctenſi*

LITTERA DOMINI DUCIS BRITANNIÆ miſſa concilio, in favorem electi Maclovienſis.

SAcroſanctæ ſynodo Baſileenſi in Spiritu ſancto congregatæ, orthodoxam & catholicam eccleſiam repræſentanti.

Reverendiſſimi patres & domini, ac ami-

ci confidentiſſimi, ſincero tam humilis quam devotæ recommendationis affatu. Cum pridem tranſlationis R. P. epiſcopi Trecorenſis litteræ ad eccleſiam Maclovienſem, tunc paſtoris gaudio alienam, per SS. dominum noſtrum, dominum EUGENIUM papam modernum, ad perperam informationem intentionis meæ ejus auribus allatam, factæ in alterius juris quæſiti ſubſannationem, mihi extitere præſentatæ; & tunc temporis per illos qui litteras tranſlationis hujuſmodi præſentarunt, relatum extitiſſet, veſtrum ſacrum concilium diſſolutum ſeu in diſſolutione eſſe, quodque concilium nullum vellet dediſſe ſuffragium electo ejuſdem eccleſiæ, nec mihi mendaciter, ut inde accepi, me circumveniendo fraudibus ſimilibus, reſilire: tamen quamplurimum mirabar & miratus extiti, quod exterminata perfectione tam ſaluberrimi operis, ad quod dictum ſacroſanctum concilium adunatum extiterat, de quo eccleſia ſancta Dei variis reſpectibus non mediocriter indiget, tamquam Leviatam filii ſimilia proferre non ſunt veriti, ita extemplo diſſolvi deberet. Hoc enim percepi machinatum, ut perverterer contra reverendum patrem dominum GUILLELMUM abbatem B. MARIÆ de Belloloco, pro quo & juſtitia ſæpius ſcripſeram, & ab interreſſe meum allegando quieſcerem, & in amnem ſubmergerer, licet ad eandem eccleſiam de perſona dicti abbatis electione facta, non viſa, nec expectata, ut per varias litteras V. R. P. e quibus patule innoteſcere potuit intentio mea conſentanea rationi, quam nuſquam aliter mutare nec variare intendo, fiſus in veſtra ſacroſancta ſynodo, in SS. Pneumate legitime Baſileæ congregata, quod per decretum in eadem editum & canonizatum, ac in variis climatis orbis diffuſum, per Romanum pontificem de cetero metropolitanarum, cathedralium, collegiatorum, monaſteriorum, & dignitatum electivarum reſervationem fieri, vel facta uti non debere, in ſuo nervi perducet robore, hujuſmodi electionis cauſa foret levius in eadem ſacroſancta ſynodo & citius commiſſa; ſed eximiis importunitatibus prælatorum optata præmiſſa de concilio promentium, & tranſlationem hujuſmodi contra totam veritatem mihi gratam extitiſſe, non poſſe reciſius committi, per dilatatos incurſus auſtrales ventos flavere, adeo ut accepi, judices antequam præfatorum tranſlationis præſentationem litterarum, ſine tamen mandato ſaltim tunc dato obſcuravere extitiſſent, litteras citatorias & inhibitorias procraſtinaverunt concedere, ut ipſa pars præfati tranſlati me valeret interim precibus ſubvertere, obrepanterque diſtrahere, & poſſeſſionem feſtinatam adire. quidam falſi ingenio concepto furtim machinavit mei parte litteras decano & capitulo Maclovienſi pro ipſius tranſlati receptione, quæ numquam de meo proceſſerant ſenſu, quem dirigente Domino, tamquam falſarium punire conabor: ita quod ſinguli ſimilia deinceps in terra mea in ævum fabricare pavebunt. Illius tamen qui mari & ventis imperat gratia, curſim per fidos noſtros certiorati de præmiſſa machinatione, per fidelia mandata ei merito obviare, mandare, & prout antea temporalitas in meis ſiſtebat metata pugillis, bajulare modo diſpoſui, cum mea interſit patriam hujuſcemodi, quæ mihi a Deo per generis lineam donata, ab æmulis invadere ambientibus, in ſuis protegere libertatibus, & veſtræ ſacroſanctæ ſynodi decretum effectualiter ſupportare, quod quamplurimum dignum, ſanctum, æquum & juſtum exiſtimo. Et ut aliqua, quæ non modicum animum meum exaſperant, referam, emerito referanda, & & exaſperent cujuſlibet principis ſpiritum habentis Dominum, a paucis citra fatalibus de epiſcoporum tranſlationibus in fodro vacationum mei ducatus, demptis aliis vacationibus de tranſlatis hujuſmodi non contentis primo conjugio, exilitate fructuum ad ſupportandum matrimonium forſan concepta, uti philomena ſaltat de branca ad alterum inhiantes corporum amœnitate, quorum nonnulli qui fuere tranſlati, cum tranſlati fuerant ad exiguiſſimam eccleſiam mei ducatus, ut ipſorum didici relatione, felices ſe exiſtimabant, qui forſan in ſcholis vix de milio ſaturari poterant, & cum infelicibus illis pollebant temporibus ſucceſſivis, ambitione non ſaturati, ad empireum cœlum, ut ita fatear, cum vanitate convolare efficientes, de ducatu meo exhauſta fuere ſexaginta millia ſcuta auri; & quod de iſta diſtractione pecuniarum per tales tranſlationes conqueri non debeam, judicet ſacroſancta ſynodus. nam certus exiſto, quod nonnulli principes non ſinunt ſic ſuam patriam pecuniis nudari. Et numquam pars tranſlati ante dicti contra ſacroſancti concilii decretum ad veſtras reverendas paternitates exhortatorias, neque recommendatorias valuit obtinere litteras, cum in appellatione exiſtam, & dicta civitas Maclovienſis ſit clavis totius mei ducatus, in maris angulo ſituata, a qua appellatione minime reſiliam. Precor itaque ſacroſancta ſynodus advertat, populus clamat, & propter clamorem & gemitum pauperum exſurgit Dominus. ita archiepiſcopi læduntur, qui nullam confirmationem habere poſſunt, prætextu talium tranſlationum, & quod dici poſſit deinceps,

Quod tibi vis fieri, mihi fac: quod non tibi, noli.

Sic potes in terris vivere juri poli.

Et ſic tot lites & diſſidia non impedirent eccleſiam Dei. ea propter electionem hujuſmodi & intereſſe meum ſuppliciter recommitto, ac perſonam electi præfati, qui non ex modica populi concordia & mei aſſenſu

Locus corruptus.

bina vice (a) ſucceſſive electus, & eidem ecclesiæ & patriæ quamplurimum profuturus eſt, eumdem in eadem in epiſcopum & paſtorem præficiendo eccleſia, prout geminatis vicibus ſupplicare litteris curavi, quas & eorum tenores per præſentes approbo, nullaque parti tranſlati deinceps adhibeatur fides. Et ſi quæ, reverendiſſimi patres, grata & poſſibilia exiſtant, tam in univerſali, quam in ſpirituali, mihi curetis ſignificare, & ea poſſe tenus effectui mancipabo, favente ſacro Pneumate, qui eaſdem reverendas paternitates conſervet & dirigat. Scriptum in villa mea Veneti die penultima Decembris.

Humilis & devotus eccleſiæ ſanctæ filius, dux Britanniæ, & comes Richemondiæ

JOHAN.

AVISAMENTA PRO FACTO GRÆCORUM.

Anno 1436. Ex teſt. illuſtriſſimi domini Chancellarii.

PRimo, ea quæ ſunt promiſſa Græcis per ſacrum concilium. 2. Quot pecuniæ erunt neceſſariæ in toto iſto negotio. 3. Unde invenientur, & quia indulgentiæ non ſufficiunt, per quem alium modum reperientur. 4. De galeis quatuor, duæ pro eundo, & duæ pro manendo ibidem, quamdiu imperator & patriarcha erunt abeuntes a Conſtantinopoli, unde reperientur. 5. Quod magna copia epiſcoporum & aliorum prælatorum interſit per annum in concilio. ad minus oportebit eſſe C L. epiſcopi, ſaltem centum. 6. De diſcuſſione interim materiarum & articulorum tractandorum cum Græcis, videntur aſcendere ad XL. articulos, vel circa. . De magiſtris in ſacra pagina. Item de jurisperitis, item de libris. 8. De loco eligendo & nominando imperatori per galeas juxta capitula, & de ſecuritate ipſius loci, & de conventionibus tam in victualibus & domibus, quam de exercenda juriſdictione per concilium. Item de mutuo pecuniarum nobis faciendo ab hujuſmodi loco, tam in iſto principio, quam ſi aliquando per annum contingeret aliqua neceſſitas; quia quolibet menſe pro victu ſeptingentarum perſonarum, & penſione domorum oportebit habere bene quinque millia ducatorum, vel circa. 9. De ſalvis conductibus terrarum & dominiorum per quæ Græci tranſituri ſunt, ſimiliter mittendis per dictas galeas.

QUOAD PRIMUM.

Primo, promiſſum eſt quod mittatur unus vel plures oratores Conſtantinopolim ex parte ſacri concilii, cum octo millibus ducatorum, pro facienda conventione prælatorum in Conſtantinopoli, ut poſtea inde veniant huc. Hoc per Dei gratiam factum eſt. *Secundo*, promiſſum eſt quod ſacrum concilium debet facere expenſas quatuor galearum groſſarum, quarum duæ mittantur per nos, duæ aliæ ſunt de Conſtantinopoli. Tertio, promiſſum eſt, quod cum prædictis debent mitti XV. millia ducatorum pro expenſis imperatoris & patriarchæ, & aliorum a Conſtantinopoli uſque ad portum. *Quarto*, promiſſum eſt provideri expenſis ſeptingentis perſonis a portu ultimo uſque ad locum concilii. Item, expenſis pro toto tempore quo manebunt in concilio. Item, pro redeundo Conſtantinopolim. Quinto, concilium debet mittere duas galeas ſubtiles Conſtantinopolim cum CCC. baliſtariis, & pro ipſis facere expenſas uſque ad reditum domini imperatoris in Conſtantinopolim. *Sexto*, cum dictis galeis debent mitti decem millia ducatorum, quæ ſtabunt in depoſito in Conſtantinopoli, ſi aliqua neceſſitas imminneret civitati abſente imperatore. Septimo, gentes iſtarum galearum & CCC. baliſtarii jurabunt in manibus domini imperatoris fideliter ſe habere, & patroni galearum erunt quos imperator inſtituerit. Octavo. ambaſſiatores noſtri ituri cum galeis, nominabunt imperatori portum ad quem ultimo debet applicare, & unum locum de quatuor nominatis in decreto, in quo debet celebrari univerſalis ſynodus, videlicet Italiam, Viennam in Auſtria, Budam in Hungaria, & Sabaudiam. Laborabunt tamen quod Baſilea eligatur; concilium ſtabit hic uſque adventum domini imperatoris ad portum ultimum, & in caſu quo dominus imperator nolit huc venire, debet concilium infra menſem ſe transferre ad unum de prædictis locis.

Prædicta fuerunt promiſſa in prædictis capitulis factis Baſileæ, ratificatis poſtea Conſtantinopoli, & iterum hic in ſeſſione.

Nono vero oratores noſtri in Conſtantinopoli promiſerunt per litteras eorum ſigillatas, quod concilium mittet Imperatori & patriarchæ per dictas galeas, ſalvum conductum civitatis & patriæ in quibus celebrandum eſt tale concilium; & ſimiliter ſalvum conductum dominiorum, comitatuum, & terrarum obedientiæ eccleſiæ Romanæ, per quæ Græci veniendo & redeundo ſunt tranſituri cum ſigillis & in plena forma. Decimo per totum menſem Maii futurum noſtræ quatuor galeæ & CCC. baliſtarii cum noſtris ambaſſiatoribus ferentibus ſecum prædictos denarios, videlicet XXV. millia ducatorum, debent eſſe in civitate Conſtantinopolitana, & dominus imperator cum patriarcha & aliis ſeptingentis debent in principio menſis Junii aſcendere galeas cauſa veniendi ad locum concilii. Undecimo noſtri oratores promiſerunt dictis imperatori & patriarchæ, quod conci-

(a) Quippe electus fuit Guillelmus abbas Belli-loci poſt mortem Guillelmi *de Monfort* anno 1432. defuncti, & iterum poſt mortem Amalrici, qui biennio poſt diem ſuum clauſit extremum. quæ quidem electiones, per ſummi pontificis in gratiam aliorum nominationes, effectu carnerunt.

lium faciet prædictis Græcis salvum conductum in plena forma pro omnibus de obedientia ecclesiæ legitimæ, & hoc facto in sessione, debemus hunc salvum conductum una cum aliis eis mittere. Item, aliquibus notabilibus ambassiatoribus, quorum aliquem oportebit pro honestate esse episcopum, ad conducendum imperatorem & patriarcham, & portandum prædictas pecunias, & ad disponendum necessario facienda duo millia pro dictis galeis & balistariis ibidem manentibus, etiam oportebit, pro equis & expensis abhinc usque ad portum ad minus erunt xx. dies. Item, de portu usque ad Constantinopolim, & antequam recedat de Constantinopoli, stabunt ibi per aliquot dies ad ordinandum, &c. Item, de Constantinopoli usque ad ultimum portum, & de portu usque ad locum concilii erunt forte per sex menses vel circa, erunt circiter duo millia ducatorum.

Quoad secundum principale, videlicet quot pecuniæ sunt necessariæ in isto negotio. Primo pro principio sunt necessaria xv. millia ducatorum pro expensis domini imperatoris usque ad ultimum portum, ut supradictum est. Item, decem millia ducatorum pro tuitione civitatis, absente imperatore. Item, pro expensis duarum galearum in eundo Constantinopolim, per duos menses, quælibet vult quolibet mense mille ducatos, faciunt quatuor millia. Item, prædictæ duæ in veniendo de Constantinopoli cum imperatore, & duæ aliæ galeæ accipiendæ de Constantinopoli pro veniendo ad ultimum portum sunt quatuor galeæ, pro duobus mensibus faciunt VIII. millia ducatorum. Item, pro custodia civitatis duæ aliæ galeæ subtiles, per duos menses in eundo Constantinopolim sunt quatuor millia. Item, trecenti balistarii ituri cum prædictis duabus galeis, mansuri ad custodiam civitatis per duos menses, in eundo pro naulo & expensis ad minus duo millia ducatorum. Item, postquam istæ duæ galeæ subtiles, prædicti ccc. balistarii applicuerint Constantinopolim, ad minus oportebit eis solvere stipendium pro sex mensibus, expensæ galearum duarum pro sex mensibus ascendunt ad XII. millia, & ccc. balistariorum ad sex millia ducatorum. Item, infra xv. dies oportet mittere ad minus mille ducatos magistro JOHANNI DE RAGUSIO & magistro SIMONI stantibus Constantinopolim. Item, quia oportebit eos stare ibidem per annum, & postea venire de Constantinopoli usque ad concilium, & pro nuncio vel nunciis mittendis ad eos, uno per aquam, alio per terram ad significandam ratificationem hic factam. Item, postquam imperator erit in portu, oportebit quod remittat prædictas galeas suas Constantinopolim; alioquin si oporteret illas in portu nostro stare, quamdiu imperator est in concilio, oportebit stare expensis nostris, & esset nobis valde grave; unde pro reditu ipsius pro duobus mensibus quatuor millia ducatorum. Item, pro ambassiatoribus mittendis pro conducendis galeis. Item, pro loco concilii. Item, pro procurandis salvis conductibus. Item, ad reges & principes pro favoribus. Item, pro convocandis prælatis. Item, pro executionibus indulgentiarum. Item, pro Græcis qui stabunt hic. Item, pro multis extraordinariis duo millia ducatorum. Item, pro expensis domini imperatoris de portu ad locum ubi erit celebrandum concilium. Et quia adhuc incertus est locus, non possunt taxari adhuc hujusmodi expensæ; sed eo erunt majores vel minores, prout locus concilii distabit longe vel prope. Et si oporteat ad locum concilii venire per terram, oportebit habere septingentos equos, & poterit talis expensa ascendere ad magnam summam. In summa sunt LXXI. millia

SEQUUNTUR EXPENSÆ PRO TEMPORE QUO MANEBUNT GRÆCI IN CONCILIO.

Considerata multiplicitate materiarum & articulorum tractandorum inter nos & Græcos in concilio, & attenta diuturnitate schismatis; attento etiam, quod, ut dicitur, sunt prolixi in negotiis suis, & quod talia negotia oportet transire per interpretes, verisimiliter existimari potest, quod minus quam per annum in loco concilii non possunt manere: oportebit imperatori, patriarchæ & aliquibus principibus facere lautiores expensas, dare eis magnificas domos; etiam quod imperatori & suis nobilibus demus equos, & expensas pro ipsis, dum sunt in concilio, in totum sunt septem personæ. Item, oportebit eis aliqua donaria facere. Item, expensæ interpretum, unde pro victu eorum & pensionibus domorum erunt quolibet mense circiter v. millia ducatorum. Item, oportebit aliquos Græcos pauperes sustentare.

SEQUUNTUR EXPENSÆ PRO REDITU IMPERATORIS.

Finito concilio, primo de loco concilii ad portum, & istæ sunt incertæ nunc, quia nescitur locus concilii: unde poterunt esse majores vel minores juxta distantiam, ut supra. Item, de portu ad Constantinopolim verisimiliter pro expensis septingentarum personarum erunt quindecim millia ducatorum, prout fuerunt in veniendo. Item, pro quatuor galeis grossis, duobus mensibus in conducendo usque ad Constantinopolim erunt octo millia. Item, pro reditu ipsarum quatuor galearum credo quod totidem. Item, illæ duæ galeæ subtiles & ccc. balistarii, de quibus dictum est supra, pro aliis sex mensibus usque ad annum pro custodia civitatis deberet habere XVIII. millia, prout

habuerunt pro aliis sex mensibus. Item, pro *duobus aliis mensibus* ad minus quibus stabunt ultra annum, ex quo imperator recedet de loco concilii usque Constantinopolim sunt sex millia. Summa in totum de certis CLXXXVI. millia ducatorum. Item, circa XII. millia vel XIV. millia, quæ mutuata sunt per patres concilii & per mercatores usque nunc, summa summarum de certis ducatis cc. millia.

Restant expensæ illæ quas facient septingentæ personæ veniendo de portu usque ad locum concilii, & redeundo de concilio usque ad portum finito concilio. Si oportet ire per terram, & longe usque ad locum concilii venire, pro eundo & redeundo cum septingentis equis, esset valde magna expensa. Quoad tertium unde invenientur; hic est diligenter cogitandum & laborandum & prætermittenda sunt omnia alia. Hic enim agitur de re, qua nulla forte est in ecclesia major. Si enim hoc concilium perfici potest, resultat infinita utilitas Christianitati. Unde laborandum est, ne per nos permaneat; alioquin, si per nos deficeret, primo maximum peccatum incurreremus omnes; deinde confunderemus ecclesiam nostram, necnon in perpetuum essemus fabula & opprobrium apud omnes gentes.

Timendum est quod ex indulgentiis non colligatur medietas istarum pecuniarum, immo nec forte minor quota. Item, non colligetur in tempore. Cogitandum est de aliis modis. Aliqui dicunt de decima universali; sed alii timent quod unum impediat aliud. Item, timendum est quod non omnes obedient rebus sic stantibus inter nos & papam, attenta etiam paupertate beneficiorum; attento etiam quod clerus ubique est gravatus; & experientia nos docet, quanta difficultas extitit pro colligenda semidecima nuper imposita, quæ tam in paucis partibus collecta est, nec in illis integre: bonum & necessarium foret convenire simul, & per aliquot dies non cogitare nisi super hoc.

Item, circa indulgentiarum executionem, oportet adhibere majorem diligentiam, quod infra paucos dies, omnes qui sunt deputati ad sollicitandum recedent, & quod mittatur ad reges & principes, quia sine favore illorum modicus fiet fructus.

Quoad quartum de galeis duabus grossis, videlicet pro eundo, & duabus *subtilibus* pro manendo in Constantinopoli, & ecc. balistariis, quamdiu imperator erit extra Constantinopolim. Istas galeas de propinquo non video posse alibi reperire, quam apud Venetias, vel Januam, vel Florentiam. Possent etiam requiri istæ galeæ a domino rege Aragonum, & a domino duce Sabaudiæ, in Nicia, vel in Provincia. Essent aliqui infra *x. dies ad plus mittendi* ad *ista loca*, ut quærerent has galeas, & similiter ccc. balistarios, ne sit aliquis defectus in tempore. Infra autem mensem Martii oportet prædictas galeas recedere versus Constantinopolim. Hic videtur difficultas, quia nullus volet se obligare ad dandum dictas galeas, & fulcire eas, & facere præparatoria, & stare obligatus ad hoc, nisi habeat aliquam præstantiam vel fidejussorem, &c. unde oportebit quod ille qui mittetur ad conducendum galeas, non vadat manibus vacuis.

Ad quintum, de magna copia episcoporum, oportet procul dubio adesse ad minus de nostris episcopis CL. vel saltem C. Si enim Græci numero episcoporum superarent nos, esset dedecus ecclesiæ legitimæ, præsertim cum in obedientia nostra celebretur synodus. Item, quanto pauciores videbunt in concilio de nostris, tanto minorem estimationem facient de ecclesia Latina, & eo minus curabunt reduci ad nos. Isti Græci in conciliis universalibus non solent facere æstimationem nisi de episcopis. Oportebit nostros episcopos, qui ad concilium venerint, permanere continue per annum. Oportebit etiam quod a principio inceptionis sint ibidem; quia mox ut Græci ad concilium applicabunt, incipient velle materiam istam tractare, nec esset honor noster, quod nos in domo nostra non essemus parati, & illi venientes de longinquis parati. Cogitandum est igitur an debeant vocari nominatim prædicti nostri episcopi & valentiores. Sed timendum est, quod dicant nominatim vocati: Quare nos debemus ire & stare extra domum tanto tempore expensis *nostris*? cur non vocantur & alii? vel cur non confluunt? Item, forsitan nonnulli de vocatis vel impediti, vel alias se excusabunt, & non venient. Unde forsitan tutius foret scribere archiepiscopis, quod convocarent concilia provincialia, & ibi ordinarent quod saltem tertia pars episcoporum singularum provinciarum valentiorum & aptiorum eligerentur ad hoc expensis *totius provinciæ*, & *in dictis conciliis* posset etiam provideri de aliquibus abbatibus, & etiam de magistris & doctoribus in societate prædictorum episcoporum, expensis provinciæ, ut supra. In dictis enim provinciis melius cognoscentur magistri & doctores apti ad hoc, quam hic in concilio. Item, timendum est, quod in multis regionibus forsitan non obedirent archiepiscopi & episcopi *litteris concilii, mandantis eos congregari* & venire, nisi etiam requirantur per papam. Et in hoc adhibenda est non parva diligentia, & cum gravibus pœnis. Esset enim magna confusio ecclesiæ nostræ, si pauci episcopi ibidem adessent.

Quoad sextum & septimum de discussione articulorum, & etiam animadvertendum est, quod dicuntur esse circiter XL. articuli, in *quibus est discrepantia inter nos & Græcos*. Sciendum est quod cum circiter quingentos annos hoc schisma duraverit; ipsi Græci ha-

bent multos tractatus circa has materias. Sunt etiam sagaces & astuti viri, & in hac re deberent verisimiliter esse multum certi. Debemus etiam reminisci, quod cum Bohemis nonnisi quatuor articuli fuerunt disputati, & nihilominus vero per annum ante articuli illi quatuor fuerunt hic quatuor magistris seu doctoribus distributi, & habitæ sunt per annum hic publicæ disputationes inter nos, & collationes continuæ, ita quod materia fuit valde bene discussa; adeo quod advenientibus Bohemis, nostri per Dei grátiam reperti sunt bene instructi & provisi. Sic & multo amplius agendum est nunc. Inde jam sine ulteriori dilatione eligendi essent xx. magistri, quibus cuilibet distribuerentur duo articuli, injungendo eis, quod omissis omnibus aliis, studerent in illis, & visa per quemlibet materia sua infra duos menses ad plus, quilibet haberet unam hebdomadam, in qua publice vel saltem in præsentia majorum de concilio disputarent materiam, tenendo videlicet partem illam quam ecclesia tenet. Item, bonum foret mandare ex parte sacri concilii, quod quicumque hic in concilio haberet aliquos tractatus in hac materia Græcorum, produceret infra x. dies, & quod magistri convenirent, & examinarentur omnes, & illos qui viderentur utiles facerent scribi. Item, quia oportebit illos conducere, seu persuadere eis ex doctoribus eorum, expediret habere originalia, tam Græcorum quam Latinorum doctorum, qui per concilia ultima approbati sunt. Expediet etiam scribere oratoribus nostris, qui sunt Constantinopoli, ut facerent diligentiam in habendo originalia dictorum Græcorum, tractantium super his articulis, & ut possint illos emere, mittentur eis pecuniæ; & si necesse esset, unus eorum iret ad Montem sanctum, ubi est magna copia librorum. Necesse est etiam habere non paucos interpretes de fide nostra, qui sint in litteris græcis bene perici. Quapropter providendum foret, ut tam in Italia, ubi sunt aliqui, quam de aliis partibus, advocarentur huc, promissa eis competenti mercede. Et quia nemo bene interpretatur materiam, si terminos ignorat; quanto citius possent huc accedere, utilius foret, ut cum magistris quibus materiæ istæ distribuendæ sunt, sæpe convenirent, & discerent & erudirentur super materiis illis, quas interpretati sunt. Expediet etiam scribere prædictis oratoribus nostris, ut quotcumque in Græcia possent tales in utraque lingua peritos reperire, conducerent ipsos, ut adessent in futuro concilio; & inter alios scriberetur domino archiepiscopo Colonensi. Scribemus etiam universitatibus nostris, intimando eis quæ concilium egit cum Græcis, & exhortabimur eos, ut eligant aliquos magistros de peritioribus, quos ad concilium mittant pro discussione hujus materiæ, aut saltem quod non deficerent in adventu Græcorum, sed longe utilius quod ante venirent. Si hi domini qui sunt hic, habent notitiam aliquorum insignium magistrorum in partibus, bonum foret nominare illos, & eis scribere nominatim, quod venirent huc. Tempore Bohemorum sic factum extitit, immo pauperibus & in magistris, qui venirent ad concilium, promissæ fuerunt expensæ trium mensium spatio. Mandandum foret domino Cisterciensi, & abbati Cluniacensi, & aliis capitibus ordinum, ut ordinarent quatenus de ordinibus eorum in numero qui dominis deputatis videbitur competens, mitterent tunc temporis vel ante aliquos, tam abbates quam priores & insignes viros huic operi idoneos. Similiter mandandum foret generalibus quatuor ordinum Mendicantium. Efficacius fierent, si cum mandato concilii, concurreret mandatum summi pontificis. Mandarent etiam eisdem generalibus, quod ipsi personaliter usque ad concilium venirent.

Circa octavum, de loco eligendo & nominando domino imperatori per oratores nostros ituros cum galeis juxta capitula & securitatem, & conventionem in victualibus, & de exercenda jurisdictione, supra dictum est. Græci non obligantur venire, nisi ad unum de his quatuor locis, per nos eligendis, videlicet Italiam, Viennam in Austria, Budam in Hungaria, & Sabaudiam. Nos autem obligati sumus unum de prædictis locis eligere, & in tempore ad illum locum transferre concilium. Quapropter providendum est, ne deficiamus in præmissis. Si autem vel concilium vel alius quacumque de causa optat concilium fieri hic, vel in alio loco a nominatis, non prohibetur quominus hoc procuret, sed taliter ut non committatur negligentia in eo; ad quod concilium tam solemniter se obligavit. Et quamquam sacrum concilium diligenter laboraverit per oratores suos, ut traheret Græcos ad hanc civitatem vel ad loca vicina, & hic verisimiliter non sit quod trahi possunt. Nihilominus si vult ulterius instare, instet in nomine Domini, sed non propterea negligat, quominus interim perquiri faciant, vel examinari unum de prædictis quatuor locis, ut si dominus imperator nolit huc, vel ad proximiora loca venire, habeamus unum de prædictis locis paratum, quem possumus per galeas nominare, juxta compunctata. Et sciendum, ut supradictum est, quod per totum mensem Martii oportet esse paratas galeas, & trecentos balistarios, & ambassiatores nostros, & habere in promtu circa LXXI. millia ducatorum, quia oportet per totum mensem Maii esse ibidem. Unde non computato isto mense, qui verisimiliter transibit antequam incipiamus exsequi, non habemus

mus niſi decem menſes, in quibus prædicta oportet eſſe parata. Item, computando tempus quo ſe parabunt de equis & aliis neceſſariis; & tempus quo ibunt uſque ad portum, & antequam intrent galeas, forte erunt duo menſes, vel ad minus faciendo exactam diligentiam, erit menſis cum dimidio, & ſic reſtant octo menſes vel octo cum dimidio. Item, ad minus oportet per duos menſes ante habere certitudinem tam de loco quam de pecuniis, quam de galeis, & aliis, ut ſi forte una via nobis deſit, poſſimus aliam quærere, & ſic remanent ſex menſes, infra quos debemus certi [eſſe] de his omnibus.

Sciendum autem quod ſecundum dictamen providentiæ, quæ conſiderat quidquid poteſt contingere, ad minus deberet poni unus menſis vel plus inter impedimenta & caſus fortuitos, & etiam negligentiam, quæ utinam non ſit major quam expediat. Et ſic vix habemus ſex menſes infra quos oportet habere certitudinem de his. Conſiderandum etiam eſt tempus antequam eligantur perſonæ ad accedendum ad prædicta quatuor loca. Item, poſtquam electæ fuerint, antequam parent ſe; item, antequam applicent ad dicta loca. Item, tempus infra quod cum civitate vel domino civitatis conveniant de ſecuritate, de conventionibus domorum & victualium, de mutuo pecuniarum, & aliis requiſitis. Item, tempus infra quod huc revertentur omnes qui iverint ad videndum dicta quatuor loca; & ſi aliqui volunt quod etiam alia loca perquirantur, fiat, ut dictum eſt.

Primo ergo concipiatur forma ſecundum quam nos volumus habere ſecuritatem in loco concilii pro nobis & pro Græcis, & oportet quod ſit bene ampla propter multas cauſas, & quod de negotiis & perſonis concilii nullus poſſit ſe intromittere, niſi concilium, & quod dicta civitas in omnibus pertinentibus ad negotia & perſonas concilii parebunt ordinationibus & mandatis concilii. Similiter de perſonis laicalibus ſequentibus concilium. Item, convenient de penſionibus domorum & pretiis victualium, prout duo aut tres de civitate & totidem de concilio arbitrati fuerint. Item, de mutuo alicujus notabilis ſummæ pecuniarum pro iſto principio, videlicet L. millia ducatorum vel plus, & hoc eſt nobis ſuper omnia neceſſarium: ideo opus eſt cito mittere ad dicta loca, & videre quis magis nobis offeret. Item, erit opus habere ſpem, quod ſi tempore quo Græci erunt in concilio, indigebimus aliquando de quinque millibus vel de decem millibus, ſi poterunt nobis mutuare. Sed in hoc ſtabit difficultas, quia ſi quis offerret mutuum, volet habere cautionem certam de reſtitutione facienda: neſcio an volet ſtare promiſſioni totius concilii, vel volet habere certas idoneas perſonas quæ fidejubeant. Erit difficile reperire tales fidejuſſores. Eligatur autem aliquis ſine mora qui vadat ad Sabaudiam alius vel alii, ad duo vel tria loca Italiæ; alius ad Viennam, alius ad Budam vel ad alia loca, ac a dominio civitatum inſtet conditionaliter, videlicet in caſu, quo ſacrum concilium uſque annum vel XIV. menſes vellet ſe transferre illuc, quid vellet facere ſuper prædictis, & præſertim de mutuo faciendo certitudinaliter infra VII. vel VIII. menſes. Ne autem vagemur ſub incerto, illi qui mittentur ad talia procuranda, reportent voluntatem dominorum vel civitatum prædictarum, ſcriptam in forma authentica & ſub ſigillis eorum. Imminet enim nobis magnum diſcrimen ne deficiamus in præmiſſis. Item, etiam nos ad ſtatum * ſciamus a conſulatu Baſileenſi, & etiam Conſtantienſi & Argentinenſi, & habeamus certitudinem per ſigilla ipſorum, quid volunt facere nobiſcum ſuper prædicto mutuo, tam pro iſto principio, quam poſt adventum Græcorum, & ſi volunt aliquas domos dare nobis gratis pro gratis.

* *f.* ſtatim.

Quoad nonum & ſalvos conductus dominorum, per quorum territoria ſunt venturi & redituri Græci, videtur quod ad cautelam incontinenti debeant procurari dicti ſalvi conductus ab omnibus, videlicet in Alemannia ab imperatore, a ducibus Auſtriæ, a dominis & civitatibus per quas venitur Conſtantiam, Argentinam, & Baſileam. Item, pro Sabaudia a domino duce Sabaudiæ & marchione Montiſferrati. Item, a domino rege Renato, ſi forte tranſirent per provinciam Provinciæ. Item, pro Italia a papa, a domino duce Mediolanenſi. Oportet etiam habere ſalvum conductum a rege Aragonum, & a Januenſibus, ac dominio Venetorum, & ſimiliter mittere per galeas infra decem menſes; mittere etiam cum illis ſalvis conductibus oportebit etiam ſalvum conductum civitatis ubi celebrandum eſt concilium. Item, ſalvum conductum concilii.

Sequuntur ea quæ facere poſſunt ad plenam concordiam inter ſacrum concilium & papam. Et primo ea quæ facienda erunt ex parte papæ.

In primis ſanctitas domini noſtri papæ dabit bullas ſuas in forma adviſanda, de obſervatione decretorum de electionibus & annatis, & aliorum ſine fraude & dolo. Item, dabit bullas ſuas de conceſſione indulgentiarum in forma debita pro materia Græcorum, & cum illis ſcribet regibus & principibus & communitatibus ad effectum promovendi factum reductionis Græcorum. Item, in poſterum idem dominus noſter poſt ſententias datas ſive in materia fidei, ſive in aliis conciliariter, terminum in curia ſua non admittat. Item, quantum ad attentata contra aliqua ſuppoſita concilii, dabit bullam ſuam

reverendiſſimis patribus & dominis, legato cardinali S. Angeli & cardinali S. Petri, cum poteſtate practicandi plenam concordiam per *tranſlationes* ſeu *penſiones* & aliis modis quibuſcumque. Item, idem ſanctiſſimus dominus noſter vocabit prælatos & doctores, ut conveniant ad concilium pro dicta materia Græcorum. Item, quod in eventum quod ſacrum concilium ad ſubſidium ponendum in eccleſia pro dicta reductione Græcorum, ut reſervationem quotæ fructuum omnium beneficiorum, vel beneficiorum vacaturorum, vel decimam & ſimilia, quod ſanctitas ſua auctoritate ſedis apoſtolicæ idem ſubſidium imponet per bullas ſuas. Item, quod de conſenſu & beneplacito papæ concilium perſiſtat in iſto loco Baſileenſi uſque ad terminum aſſignatum in decreto, nec aliquo modo transferetur ad locum eligendum ante dictum tempus, niſi ex cauſa legitima & beneplacito ſacri concilii. Item, *in caſu quod* ſacrum concilium conſentiret in aliquem, in quem concorderet cum ſanctiſſimo domino noſtro, quod papa dabit bullas ſuas de ſecuritate perſonarum & ſuppoſitorum concilii. Item, de non immutatione aut variatione quacumque decretorum in ſacro concilio Baſileenſi, & pro ſecuritate amplius conſentiet per literas ſuas concilium futurum eſſe ſolum ad materiam reductionis Græcorum & pertinentium ad illam, & non ad aliud niſi de beneplacito patrum concilii. Item, caſu quod eligeretur locus in terris papæ, ipſe papa dabit civitatem & oppida in ea, vel proxima in manibus concilii & deputandorum per eum. Item, de cautione omnium prædictorum dabit prædictas bullas ſuas ſacro concilio; & nihilominus ultra illas dabit imperatori, regibus Franciæ & Caſtellæ eaſdem bullas. Item, in eventum quod eligeretur locus in concordia cum papa, papa dabit ſeu præſtabit infra ſex menſes ſummam LX. millium ducatorum. Item, provideat papa de quatuor galeis, & mandet pro interpretibus.

A

B

C

D

Ea quæ adimplenda forent pro parte concilii.

Primo, ſacrum concilium infra feſtum S. Johannis, vel alium terminum ſic adviſabiliter concludetur, & decretabit, & approbari faciet per ſingulas deputationes & nationes in concilio Baſileenſi exiſtentes, proviſionem rationabilem & effectualem juxta aviſamentum domini legati vel aliud opportunum. Item, in caſu quod papa complebit ſupradicta capitula, ſacrum concilium intendet efficaciter his propter quæ eſt congregatum, ſeque exonerabit, neque ſe intromittet de his quæ adminiſtrari ſolent per papam, tam in pœnitentiaria, quam alias. Item, in caſu prædicto quod concilium ſit contentum, tam pecuniæ levandæ per indulgentias, quam alias, ante omnia obligationes dicti concilii adimpletæ veniant in manus papæ. Item, ob contemplationem dicti ſanctiſſimi domini noſtri, & in caſu adimpletionis omnium prædictorum capitulorum, & quod Græci non erunt contenti venire ad locum Baſileæ, *concilium ſit contentum* recipere locum, quem nominabit ſua ſanctitas in Italia vel extra Italiam contentum. Item, per alium modum erit concilium contentum recipere locum quem nominabunt reverendiſſimus legatus, & dominus Arelatenſis, & in caſu quo prædicti non eſſent concordes, quem *nominabit* rex Franciæ. Item, quod ſacrum concilium faciet omnem aſſiſtentiam ſummo pontifici, pro recuperatione libertatum eccleſiæ Romanæ & aliorum, tam in temporalibus quam in ſpiritualibus, & communiter intendent ad regimen populi Chriſtiani, & bonum religionis Chriſtianæ. Item, in eventum concordiæ, quod duo domini cardinales ſanctæ Crucis & S. Petri ad Vincula transferent ſe ad papam, aut alter ipſorum, ad practicandum ſupradicta, duobus tamen dominis præſidentibus *remanentibus* in concilio & frequentantibus actus concilii ſicut prius. Item, ſi expediret, mittatur una ambaſſiata concilii ad papam, ad iſtum ſolum actum concordiæ procurandæ.

Petitiones ambaſſiatorum ſacri concilii in Conſtantinopolim.

Primus punctus eſt de ratificatione, &c. *ut apud Labb. tom.* 12. *p.* 858.

Sequuntur petitiones deputatorum pro parte imperatoris & patriarchæ CP.

Primo dicimus & volumus, &c. *ut apud Labbeum, ibid.*

Sequuntur reſponſiones ambaſſiatorum ſacri concilii ad prædictas petitiones.

Ad primum dicimus quod numquam, &c. *ut apud Labb. p.* 859.

MONITIO AD REGES & principes, &c.

*Exmſſimi Imperatoris Imperatoris Chriſtianiſſimi Imperatoris Chriſtianiſſimi Imperatoris Chriſtianiſſimi

totius immo Germaniæ vires, non ſumma apoſtolicæ ſedis diligentia illam extinguere potuerint; adeo profecimus orationibus & lucubrationibus noſtris, ut mox ad eccleſiaſticam unitatem Bohemos redituros eſſe teneamus. Jam enim pridem Pragæ cum oratoribus ſynodi hujus firmata noviſſime in eorum generali congregatione ſe impleturos, & leges ac ritus eccleſiaſticos juxta concordiæ metas ſuſcepturos, condixerunt. Legimus per ſacratiſſimas generales ſynodos ſæpe hæreſes condemnatas, ſed ad uſque eradicarentur, tanto maximo tempore expectaſſe non novimus. nempe bellicoſa gens illa & plena victoriis, adeo nos compeſcuerat & oppreſſerat, & jam per Hungariam aliaſque partes remotas alas iniquitatis extenderat, ut ſi infectis omnibus, hæc ſancta congregatio abiiſſet, omnem Germaniam & pleraſque alias partes armis ſubduci oportuiſſet, creviſſentque errores in fide & novi ritus omnem religionis ordinem ſubvertiſſent.

Gaudeat ergo Chriſtianus populus, cui miſertus eſt Deus, dum efferata corda placavit, & aſpera conſilia mitia facta ſunt, dumque conculcavit impios, & reſtrinxit ſuperbiam malignantium. contemplemur itaque mirabilia Dei, & veneremur opera ejus. Nonne ſtupendum eſt dum ſolum orationibus atque monitis, nobis illorum obtuſas antea aures vindicavimus, dumque pridem abhorrentes eccleſiaſticas doctrinas, catholicorumque commercia fugientes, a nobis magna cum modeſtia ſcripturarum teſtimonia aſcultarunt, poſteaque eorum confutatis erroribus, veritatis ſunt lumen complexi. Denique & memorare juvat, quid ad pacem Chriſtianorum principum procurandam egerit ſacratiſſimus iſte cœtus. Spiritus-ſancti dona omnes intelligant. Non enim divina beneficia tacenda, ſed litteris conſecranda, & ſemper in omni memoria retinenda ſunt. Vigilavit ſiquidem hæc ſancta ſynodus modis omnibus, immo curis & ſtudiis inſudavit, ut opulentiſſimæ Galliæ tam diuturno bello vexatæ pace optima lætarentur. proinde Chriſtianiſſimum CAROLUM Franciæ & ſereniſſimum Angliæ reges, illuſtriſſimumque Burgundiæ ducem nunc ſolemnibus legatis, nunc litteris ſæpe pulſavit, ut pacem, quam Chriſtus Salvator noſter in ſignum perfectiſſimæ caritatis reliquit apoſtolis, quo exemplo & principes terræ ſuis ſubditis relinquere obligavit, eorumdem principum pietas concedere non differret, dum a modo afflictis attritiſque populis non modo utilis, ſed perneceſſaria videretur; jamque eo res perducta eſſet, ut non de regnis contentio foret, ſi illa ruinæ penitus ſubducere oporteret. Valuerunt itaque hujuſmodi concilia, & noſtra, immo Spiritus-ſancti monita impleta ſunt. Jam enim Deo gratias agimus immortali.

Attrebati per hujus beatiſſimi cœtus interceſſionem inter Gallorum principes firmatam pacem videmus, qua Gallias ornatiſſimas ad frugem & vires priſtinas redituras eſſe ſperamus. Germania etiam, quæ pridem undique bellis agitabatur, & diſcordiis plena erat, nunc aſſiduis noſtris vacavit ſtudiis, dummodo nonnumquam hæc ſancta ſynodus nunciis litterarum & aliis remediis vacavit, quo ad odiorum flamina ceſſarent, optima quiete potitur. Teſtes ſiquidem tunc potentiſſimi duces Bavariæ, inter ſe ſimultatibus collidentes, Auſtriæ etiam principes, necnon Treverenſes contendentes eccleſiæ, & Maguntini, Magdeburgenſis, Bambergenſis, Herbipolenſis, cum quibus ad quorum diſcordias ſedandas omnimodam diligentiam poſuimus. Neque ſic minus Italia teſtis, dum pridem armis tota nutabat. Nam partium exercitibus, ad belli flammam properantibus, mediis reverendiſſimorum S. Crucis & S. Petri ad Vincula S. R. E. cardinalium, per hanc ſynodum pro componenda pace deſtinatorum, concordia facta extitit. Unde & terræ Romanæ eccleſiæ alias undique vexatæ quieſcunt, & Bononia aliæque plures civitates & oppida in ditionem ejuſdem Romanæ eccleſiæ reverſa ſunt. Denique & Poloni Prutenive teſtimonium conferant, ad quorum partes ad antiquas diſcordias terminandas bis legatos direximus. Unde, Deo propitio, ceſſant bellicoſi conatus, & injuriarum aculeis non paventur. Hæc autem recenſere voluimus, dilecti fili, ut noſcas nobiſcum eſſe Spiritum-ſanctum, & nos ejus nomine cuncta facere, proinde victoriam expectare poſſe noſtrorum operum. Utque detractorum ora claudantur, qui pollutis ſermonibus coinquinare ſatagunt veritatem; auſcultet, obſecramus, & amplius tua pietas, an præter hæc ſegnes & ſocordes fuerimus in reformationem eccleſiæ ſanctæ Dei, & quod noſtris imminet conciliis, quidve opus eſt, ut non corruat templum Dei, intelliges. Vidit hæc ſancta ſynodus nihil melius atque præſtantius ad ſolidandum populi Chriſtiani ſalutem, & reprimendos Romanorum pontificum aliorumque abuſus, qui diuturno tempore ſacerdotium denigrarunt, quam ut generales ſynodi frequententur. Per eas enim ſunt jactata fidei catholicæ fundamenta, ſubmotæ hæreſes, innumeraque flagitia expiata, rituſve eccleſiaſtici inventi ſunt. Quamobrem Conſtantienſe concilium ſaluberrime providit deinceps de decennio in decennium concilia generalia, ſtatutis etiam temporibus provincialia tenenda eſſe, multis opportune adjectis, quæ accommoda judicantur, ut per illa ab omni ſorde atque preſſura liberari poſſit eccleſia, tantiſque futuris hæc ſanctio occurrit periculis, ut hoc ſolo non fruſtra pro reformatione conveniſſe cœtum hunc valeat extimari. Poſtea vero alia duo edidimus ſanctiſſima decreta, de ele-

ctionibus ſcilicet & annatis, quorum unum ad relevandas eccleſias in moribus ac diſciplinis, alterum in opulentiis neceſſariis ſuppeditare videtur. Experti ſumus diuturnis temporibus in tantum Romanos pontifices eorum voluptatibus inhæſiſſe, ut non imbecillitatem ætatis, non imperitiæ periculum, non talium ſordem, non laſciviam quampiam veriti ſunt: ſed pro eorum arbitrio perſonas erexerunt, & agrum dominicum palmitibus infructuoſis propagarunt; & quod gravius exiſtit, inde ſymoniaea labes adeo avaritiæ ſubminiſtraſſe cernitur, ut non facile eradicare poſſimus. Neque minus *intelligere* fas eſt, quam eccleſiis jacturam, immo ruinam congeſſerint apoſtolica ærarii tributa, annatæ appellata. Ex illis profecto venundata eccleſiaſtica prædia & pretioſa mobilia, contracta etiam voraciſſima fœnora; propter illa ædificia collapſa, divinaque miniſteria diminuta undique videri poteſt. Vidimus eccleſiam ſanctam, quam Deus liberam eſſe voluit tributariam effectam. Sed *ô utinam* his piis erogationibus ea onera deſtruxiſſent: quin immo hoſpitalitatibus pauperumve eleemoſynis, eccleſiarum fundationibus, reparationibus, & ad populorum quietem procurandam dicata, in bellorum voragine, affectuum, largitionum arciumque inutili fabrica expoſita vidimus. An hæc talia ſunt, ut ea *conniventibus oculis* tranſire debeamus. At qui pro his funditus *evertendis, leges...inſurgunt*, voces hominum conclamant, mores diſciplinæque vigent. Pro hiis inſuper, etſi alia non inſtarent incommoda reipublicæ, congregati ſynodus decuiſſet. Non abs re igitur ſacratiſſimus iſte cœtus, ſacerdotio immo toti Chriſtianæ religioni compatiens, tales abuſus diluere exſtirpareque voluit. Sed *ecce dominus* EUGENIUS papa IV. modernus, ejus quamquam ſtudium eſſe deberet, ut tam opportune ordinata effectui mandarentur, illa impedit irritaque facere ſtudet. Nam & ab ipſorum exordio in præſentem uſque diem, ſpretis electionibus, immo ne fieri poſſent, reſervationibus utendo conſuetis, eccleſiis cathedralibus monaſteriiſque providit, & *aliorum electivorum beneficiorum collationes* pro ſuo arbitrio fecit. res penitus inaudita. non legimus enim ex Romanis pontificibus quemquam ſacræ ſynodi leges eo pacto irritas feciſſe, contemtuique habuiſſe: quin immo omnes maxima illas veneratione coluiſſe patet. Neque aliquis eſt ſacrorum conciliorum canon, quem hodiernis temporibus eccleſia non recipiat, præter eos quos aut ipſa *eccleſia, temporum ſpectata conditione*, vel ſedes apoſtolica juſtis innixa cauſis temperaverit. Profecto gravius nihil eſſe in republica poteſt, quam proprio ſenſui inhærere legeſque evertere, quarum uſus tranquillitatem parit, juſtitiam ſuſtinet, & religionis maximum robur exiſtit. Unde & B. Gregorius inquit: nimis eſt aſperum & præcipue bonis ſacerdotum moribus & juri inimicum, *quempiam quacumque* rationis executione, quæ bene ſunt ordinata reſcindere, & exemplo docere ſua quandoque poſſe decreta diſſolvi. Nihil aliud autem domini EUGENII papæ conatus efficiunt, niſi ut ſupremum tribunal immobileque eccleſiæ univerſalis refugium in dubium ponat, & cunctos fideles erroribus execrabilibus involvat. Pridem hanc ſanctam ſynodum, immo totam eccleſiam, *ſua prætenſa* diſſolutione ejuſdem duobus annis fatigavit. Nunc violatis ſanctionibus noſtris pro univerſali ſalute editis, iterum duobus annis inextricabiles alias difficultates ingeſſit, quaſi pontificatus ſui præcipua cura fuerit, ut vel hoc concilium non exiſteret, vel vires aliquas non haberet. Jam quarta decima laborat legatio per nos ad eum deſtinata, quo ſuum animum modeſtiæ *limitibus temperare velit*, & quod ſui prædeceſſores pie egerunt, ante oculos habere deberet. Intendimus autem non amplius tantam injuriam noxamque univerſali illatam eccleſiæ tolerare, & poſt multam ac multam & iterum multam adhibitam manſuetudinem, juxta ſanctorum inſtituta patrum & ſacrorum conciliorum imitationem, ſeveritatem exercere; ne ſi hujuſmodi ſuſtineremus errores, approbare videremur, atque futurorum conciliorum læderetur enormiter auctoritas. Memores enim ſumus ſententiæ Auguſtini inquientis: Si ea de quibus Deus vehementer offenditur, inſequi vel ulciſci differimus, ad itaſcendum utique divinitatis paſſionem provocamus. Non enim Chriſtus ut eccleſiam contemneret, ſed *ut ædificaret*, in ea Petrum ſuum ſucceſſorem conſtituit. Qui ergo non ædificat, ſed pro voluntatis libito adminiſtrat, ſeſe extra eccleſiam ponit, & paſtoris officium dimittit, juxta Gregorii ſententiam in homeliis ſuis inquientis: Ipſe ligandi atque ſolvendi poteſtate ſe privat, qui hanc pro ſuis voluntatibus & non ſubditorum moribus exercet. Nunc ergo ad tuam *celſitudinem ſermonem noſtrum* convertimus. Dum enim tuam pietatem horum reddere volumus certiorem, ut illam in tempore exerceas opportuno cunctis obſecramus affectibus. Memento ſiquidem quoniam omnis poteſtas a Deo eſt, & quæ a Deo beneficia conceduntur, ad ipſum utique referenda ſunt. Memineris, quæſumus, *nullum* eſſe majus bonum quam quod univerſo cœtui *impenditur*, *&illud* eſſe præſtantius ac beatius ſacrificium quo plebs cuncta depaſcitur. Adſit potentia tua in tempore opportuno, ut benedictionem recipias ab operum tuorum [meritis]. Adhibe tecum conſilia Deum timentium, ut ſegreges ab auribus tuis qui ſeminant zizanias. Non quærit hæc ſancta ſynodus theſauros terræ, non ſcabella

inhiantium poteſtates; ſed leges ſanctiſſimas & ſanctos mores efflagitat obſervari. Sint igitur oculi tui inter lumina terræ, neque irritentur tormentis malitiæ, ut ſic ſancta Dei eccleſia tuis & aliorum principum ſuffragiis ab inſtantibus procellis valeat liberari.

PROPOSITIO DOMINI JO. abbatis de Buzaio oratoris domini ducis Brizannia.

MAjores mei potioreſque legationis hujus qua nunc fungimur, ad clariora futuris diebus ſeſe reſervantes, hunc mihi quoque immerito dedere ſermonem. Sed quis ſum ego, latitans ſub modio, ingenio nullus, algidoque pectore ſtrigens, ut tenebras meas etiam occiduas hic ante jubar mundi, cardines orbis, lucernaſque militantis eccleſiæ ſupra candelabra poſitas, indigne coner oſtendere? Melius tibi fuiſſet, indoctiſſime clauſtralis, intra domeſticos parietes noxas fleviſſe proprias, quam tuam hic tantis coram digniſſimis conſpectibus ingerere barbariem. Obedientia tamen tractus & illectus, confiſuſque in eo qui mutorum fauces reſerat, balbutientium quoque linguas facit diſertas, ſperans inſuper quod vos, clariſſimi patres, dabitis veniam, aggrediar propoſitum. Quod ſi ſtilus veſtris delicatis auribus aliquid ſonare durius ſolito videatur, parcite, quæſo, clauſtrali, numquam Tulliano fonte delibuto. Inter enim cotidianas delicias cibi groſſiores nonnumquam ſapiuntur, ut dum inter edendum velut pro faſtidio deguſtantur, ad ſubtiliores epulas redeatur avidius. Veniſti, creator Spiritus, menteſque repleſti firmitate tuorum, ut in hac urbe clariſſima tuas oves gregemque tuum ſanctiſſimum, deſolationes ſanctæ matris eccleſiæ conſolando, ſtabilires. Non animalis homo, non qui terrena ſapiunt hanc dedere conſtantiam; ſed Altiſſimus qui renes ſcrutatur & corda, hoc inſpiravit, hoc inchoavit, & concluſit feliciter. Non rerum prolixitas gerendarum, non ſocordia mentium, non denique dilationes temporum potuerunt vos ab inceptis divellere. Hoc Spiritus almus, hoc ſacra fides, hoc ſanctum reformationis eccleſiæ propoſitum condonarunt. Quamobrem quod ſtipiti rami, quod radii ſoli, quod fonti rivuli, hoc tibi, ſacratiſſima ſynode, debent omnes principes & prælati, quos ubique terrarum religio Chriſtiana ſolidavit. Qua in re dominus JOHANNES illuſtriſſimus dux Britonum, clarus fide, religionis cultor, ſectator æqui, converſatione cœleſtis, quamquam peregrinetur, ingenio fulgens, fervens affectu, mulcebris eloquio, cujus innocentiam fraternus zelus non infecit, cujus modeſtiam blanda proſperitas non illexit, cujus conſtantiam fortunæ ferocitas non confregit. Hæc, inquam, conſiderans ſuos hic cum eccleſia ſua Britannica nunc mittit ambaſſiatores ad aſſiſtendum huic ſacratiſſimo cœtui, ejuſque cenſuras audiendum. Secundo ad ſe fortunas quoque ſuas eidem liberaliter offerendum, demum ad ejus decreta pacifica ordinationeſque ſanctiſſimas ſuſcipiendum devotiſſime & opere complendum. Qui citius præfatos inibi miſiſſet ambaſſiatores, niſi cariſſimæ necnon clariſſimæ ſuæ ſponſæ lugubris ſuperveniſſet interitus, & niſi varia maris telluriſque obſtetiſſent incommoda. Qui quidem princeps cunctis aſpirabat votis, ſi Deus & fortuna dediſſent, hic præſentialiter aſſiſtere.

Exactis igitur taliter qualiter his ambagibus, morem ſervando canonicum, a ſanctis ſeu ſacris litteris exordia ſumendo, illud Matth. 24. pro fundamento præmittam, videlicet *Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Corpus Chriſti myſticum adinſtar naturalis aut humani conflatum dignoſcitur. Conſtat quidem quod corpus humanum variis ex membris diverſa ad officia pertinentibus eſt conſtitutum, ſic quod ſi uno careret membro, jam non completum aut perfectum, ſed potius defectuoſum aut orbatum vacaret; contra vero ſi cuncta ſua membra complexa locis ſuis & ordinibus poſſideat, completum illico videbitur & perfectum. Et ubicumque fuerit corpus, ibi erunt & ejus membra, connexu naturali complexa, quæ illud componant pariter & compleant. Sic ſic myſticum corpus eccleſiæ diverſis ex membris fidelibus eſt a Chriſto ſuo capite conſtitutum. Quidam enim ſunt oculi, quidam pedes, quidam manus & brachia, & univerſi ad ædificationem inſtituti. Et ubicumque fuerit corpus eccleſiæ, ibi erunt & ejus membra, cum nexibus Spiritus ſancti ſint conjuncta. Cum vero per aquilas propter limpitudinem viſus ſumantur hujus myſtici corporis oculi recti ſcilicet: ubicumque igitur fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. In hac glorioſiſſima ſynodo ejus palam oſtenditur integritas, quamquam non ſingula ſuppoſita, ſed ibi potiora convenerint. *Ubi enim duo vel tres convenerint vel congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum*, dicit Dominus. Vos, patres præſtantiſſimi, hujus myſtici corporis inſtar aquilarum fulgentium eſtis oculi, principes manus & brachia, plebs quoque ſolotenus calcata pedum vices obtinet. Igitur quod debent oculi corpori, præſtent, præbeant & brachia, pedeſque ad idem ſuo ſuſtentent ſolatio. Si enim oculi cuncta ſuo luſtrarent officio, nihilque manus efficerent & brachia, non tuta certe maneret, nec diu corporis compago; quod ſi denique dirigerent oculi, manuſque protegerent, & pedum planta non tangeretur pavimento, manus directio vana-

que protectio videretur. Igitur in unum offerendo conveniant hæc præcipua corporis membra, ut corpus ſanent, ſanatum dirigant, directum protegant, protectum quoque in proſperitate ſuſtentent. Languet mater eccleſia, languet corpus, languent membra, & ſi verbis utar Virgilianis, *Ubique luctus, ubique timor, & plurima mortis imago.* Ad vos jugiter clamando, ſuas vobis exponit anguſtias, & in remedium ſui doloris poſtulat filiales affectus. Quia igitur filii eſtis & oculi, dolores maternos excipite, & juxta Iſaiam *triſtemini cum Jeruſalem & dolete cum ea omnes qui diligitis eam.* Ubi enim publica jactura eſt & commune diſpendium, ſicut dolor in univerſitatem ſe porrigit, ita omnium conſilium captandum eſt & auxilium. Ad tanta languoris juvamina vos totus inſtituit orbis. Igitur, clariſſimi patres, componatis emplaſtra, pharmantias detis, ſi opus eſt. Scindite membra, diætas imponite, & quæque relevamina hujus myſtici corporis ope complete. Si ad mentem naſcentis eccleſiæ reducantur exordia, ſicut inter credentes erat unitas in fide, ſpiritu & baptiſmo; ſic facultatibus contributis unum erat omnibus votum pauperum ſublevare miſerias, cunctorum quoque neceſſitates tamquam proprias reputare. Una ſiquidem & indiviſa eſt tunica, nec unquam paſſa eſt divortium ſponſa Chriſti, nec pellicis alienæ quandoque ſuſtinuit compagine injurias. Quamquam enim plures ſint eccleſiæ hinc inde per orbem diffuſæ, ſic tamen unâ corpori junguntur, ut ſicut unius membri læſione membra corporis omnia quodam compaſſionis participio moleſtantur; ſic unius fidelis deſolatio in communem corporis myſtici gemitum deduci neceſſe eſt. Igitur, clariſſimi patres, quia ejus rectores eſtis & oculi, diſcratias condolendo pellite, quidquid ad intermiſſionem ductuum eſt, & toxica nocumenta poſſetenus pellite. Sic uti membra vitalia ſacro corpori jungimini. Sic aquilino more cuncta clare videbitis, tractabitis, ſanabitiſque commoroſa, & ſic ubicumque fuerit corpus ibi congregabuntur & aquilæ. Sane ut materiales oculi ad defectus corporis morboſque pellendos ſumant efficaciam, prius a luxis terreniſque debent expiari pulveribus, ſic aquilæ myſticæ & oculi militantis eccleſiæ, ut clarius videant, ſatiuſque ferant opem, prius a vitiorum maculis ſummopere ſunt purgandi. Sicut enim ceteros præcellunt ſtatus dignitate, ſic quoque morum ſanctitate præminere debent. Nam, ut beatus ait Gregorius, moribus & vita debet eſſe conſpicuus, qui ceteris præponitur imitandus. Audi canticum minus, ſed ſalubre, inquit devotiſſimus Bernardus ad Eugenium, monſtruoſa res eſt, gradus ſummus & animus infimus, ſedes prima & vita ima, lingua magniloqua & manus otioſa, ſermo multus & fructus nullus. Ob hæc Conſtantinus Helenæ filiæ regis Britonum matri ſuæ, nonnulla ſibi demandanti, ſic legitur ſcripſiſſe: Quanto, inquit, altiorem gradum inter homines tenemus, tanto omnium patemus aſpectibus; omnium itaque mortalium oculi, omnia judicia, omnium quoque vota noſtros actus conſiderant. Scopulus enim de monte corruens, multos ſibi ſubjectos trahit lapides in ruinam. Sic cum ſpeculatores oculi, myſtici corporis labuntur in delicta, exemplo ſuo multos trahunt ad interitum. Paſtor, inquit Gregorius, cum per abrupta vitiorum graditur, neceſſe eſt ut ad præcipitium grex inde trahatur; quia enim in alto ſunt poſiti, debent pro ſe ceteriſque non immerito vereri ruinam. Conſidero gradum, inquit devotiſſimus Bernardus, & timeo caſum: faſtigia dignitatis attendo, & e vicino periculum formido. Penſandum enim eſt, quod quanto gradus altior, tanto caſus gravior. Jam non ad culmen rerum, inquit Martialis Capella, injuſtos creviſſe queror, tolluntur in altum ut lapſu graviore ruant. Sic Occoſias per cancellos oraculi quos fecerat in Samaria cecidit & mortuus eſt, 4. Reg. 1. A vitiorum igitur maculis myſtici mundentur oculi, lumineque divino perfundantur. Et ſic corpori debitum præſtabunt, eidemque jungentur ſanctiſſime. Igitur *ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.*

Amplius, humano corpore ſeneſcente, oculos videmus illico pati caliginem. Sic certe vergente mundi veſpere, oculos Chriſti myſticos a priſtini ſtatus perfectione plus quam laïcos cecidiſſe comperimus. Ob hoc ſtatus militantis eccleſiæ per ſtatuam, quam legimus Nabuchodonoſor ſomniaſſe congrue figurari poſſet, ejus nempe caput ex auro, pectus & brachia ex argento, ex ære venter & femora, pedum vero pars ferrea, quædam altera quoque fictilis videbatur. Olim enim corpus Chriſti myſticum in primis rectoribus fuit per ſapientiam aureum, argenteum per vitæ meritum & munditiam, ſonorum quoque & æneum per claram eloquentiam. Hæc enim tria fulgor ſapientiæ, munditia vitæ, eloquentiæque clara ſonoritas rectoribus eccleſiæ neceſſaria dinoſcuntur. Sed pedum hoc eſt ultimorum rectorum, modernorum loquor pars quædam ferrea eſt per cordis duritiam, altera quoque fictilis per carnis laſciviam. Cum enim quidam bonæ memoriæ Senonenſium antiſtes quondam cœnobium adiiſſet Clarevallenſium, ut quemdam *hujus loci viſitaret converſum*, qui raptus divinas nonnumquam patiebatur extaſes, cum ſecum loqueretur, poſtulo, *inquit, ut mihi viſionem aliquam enarres.* Vidi, inquit converſus, nuper dominam quamdam vultu ſpecioſiſſimam, auro gemmiſque decoratam, dixitque mihi

ſtupenti & ejus ornatum ac vultus pulchritudinem admiranti, Quænam ſum ego? Cui reſpondi: Mihi videris B. Dei genitrix virgo. At illa: *Terga mea reſpicias.* Cumque dorſum ejus reſpicerem, putridam eam comperi, vermibuſque ſcaturientem. Nunc, inquit, perpendere potes, non eſſe me Virginem glorioſam. Non enim ſum Virgo MARIA, ſed mater eccleſia, quæ in anteriori mei parte in apoſtolis, martyribus ſcilicet & confeſſoribus fui pulcherrima, decentiſſimeque ornata: ſed in dorſo, hoc eſt ultimo tempore, ut in modernis rectoribus, ſum putrida, variiſque reſperſa fœtoribus, & ſic argentum meum verſum eſt in ſcoriam. Iſaiæ 1.

Apud Valerium lib. 8. cum omnes optarent mortem Dionyſii, tamquam tyranni crudeliſſimi, quædam mulier ætatis provectiſſimæ degebat Syracuſis, quæ ſola quotidie matutino tempore, ut Dionyſius viveret, devotiſſime exorabat. quod ut Dionyſius *tantam mulieris erga ſe benevolentiam* agnovit, ad ſe protinus advocavit, & quare hoc, vel quo ſuo merito hoc faceret inquiſivit. Cum eſſem, inquit, puella, tyrannum crudelem habebamus, eoque carere multum optabamus, quo defuncto crudelior ei ſucceſſit: cujus etiam mors nobis amplius quam prioris in deſiderio fuit; poſtremo tertium ſuperioribus importuniorem cœpimus habere rectorem. Sic igitur ſi tu nobis fueris per mortem ſublatus, ſuccedet alius *omnium nequiſſimus. Idcirco conſuevi deos* quotidie pro tua longitudine & longanimitate rogare. Hoc peracto, ſi quis priora tempora modernaque conſideret, proh dolor! incedit eccleſia, olim enim faciem ſuam velabat Moyſes, cum propter vultus ejus gloriam in eum filii Iſraël intendere non poterant; nunc vero noſter Moyſes, ſacerdotes loquor moderni temporis, ob confuſionem faciem ſuam velare poſſunt. Jam enim in eos filii Iſraël intendere non dignantur, ſed triſtes noxas eorum potius gemunt & erubeſcunt. Hanc differentiam rectorum militantis eccleſiæ B. Gregorius conſiderans ait: In judicio quid unuſquiſque lucratus erit palam oſtendetur. Ibi Petrus cum Juda, Paulus cum gentibus converſis ad fidem, ibi Andreas poſt ſe Achaïam ducens, Johannes Aſiam, Thomas Indiam. Cum autem tot paſtores cum gregibus ante judicem venerint, quid nos miſeri dicturi ſumus, qui ad Dominum poſt negotium vacui redimus, qui paſtoris nomen habemus & oves quas ex nutrimento debemus oſtendere non habemus? Qui nomen igitur rectoris accipit, virtutibus polleat, juſteque gregem ſuum poſſideat, regat & paſcat, ut ſibi rectoris magnalia vindicet ac merita juſtiſſime, & ſic *ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.*

Tandem clariſſimi patres & domini plurimum recolendi, qui tamquam cives & domeſtici Dei, clero dare formam vitæ populoque pacem a diverſis orbis climatibus feliciter his diebus adveniſtis. multa eſt meſſis, quæ vobis commiſſa eſt, ſuoſque palmites latius extendit vinea Domini ſabaoth, cujus vos diſpenſatores conſtituit circumſpectius providere. Agite igitur, agite, ne degenerent vineæ propagines in lambruſcam, frumentum in lolium, aurum in ſcoriam, oleum in lamurcam. ager ſanctæ matris eccleſiæ nunc colendus vobis committitur, ſolvite faſciculos ſcandalorum, deprimentes, necnon opprimentes ſponſam Chriſti ſpecioſam, ab ea, quæſo, tollite, quem paſſim *ſuis patitur in rectoribus contemtum.* Cribrate lolium a tritico, ſemen ſcilicet hæreſis peſſimum. Veſtris enim his diebus falſorum ſurrexere cultores dogmatum, doctores mendacii, hoſtes veritatis, fideique ſubverſores, blandi & ſimplices ut agni, ſed vulpes aſtutia ſunt & rapaces ut lupi. Hi ſunt qui in veſtimentis ovium veniunt. Iſti ſunt vulpes, de quibus ſponſa in canticis dixit: *Capite mihi vulpeculas quæ demoliuntur.* Quia igitur ſucceſſores eſtis apoſtolorum, aquilæque eccleſiæ militantis, qui oves domini cuſtodiendas ſuſceperunt & paſcendas, plurimum intereſt prævidere illorum verſutias, qui legem domini prævaricantur occulte, qui laqueos jugiter tendunt & pedicas in capturam ſimplicium. Zelus itaque domus Domini accendatur in vobis. Aſcendite ex adverſo *opponentes vos murum contra inimicos* fidei. Reddite teſtimonium veſtræ

Hoc lex proximi, hoc cenſura canonum, hoc ipſa hominum conditio, hoc lex denique naturalis dictavit; vos iſta complete. Sperant omnes populi in eo qui ſpes omnium cognoſcitur, quod non deficiet in hac eccleſiæ diſcratia, exuberans gratiæ plenitudo veſtra, quæ ſe impertitur afflictis, lapſos erigit, læſos raparat, & ut paucis plura concludam, quæ ſeſe communicat univerſis.

Sane cum in diſcretione veſtra eccleſiæ pendeat diſpoſitio, cum in manu veſtra corda ſint regum & ducum, ad veſtræque ordinationis arbitrium inclinentur populi, vobis incumbit quæ ad pacem ſunt quærere. Facite igitur animabus ſalutem, quietem populis, eccleſiæque libertatem, atque ab erroribus *malos ad viam veritatis reducite.* Non barbaras impugnabitis acies, ſed familiares & domeſticas, non exteras nationes, non hoſtiles munitiones invadetis, ſed proprie corpus inteſtinum, populum non rebellem, non hoſtem, ſed vicinum. Igitur clariſſimi patres, quæ ad pacem poſſetenus quærite. Cum enim pax ſit concordantium animorum ordinata tranquillitas, quid eſt quod pacis dulciſſima monumenta non alliciant vehementer? in rebus nempe creatis, nihil gratioſius ſolet audiri, *nihil delectabilius concupiſci*, nihil quoque utilius poſſideri. Pax ſimul-

tates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, diligit humiles, discordias sedat, omnibus est placita, nescit extolli, inflari contemnit. Pax universis est utilis & fructuosa, cunctis quoque delectabilis & generosa. Quamdiu enim elementa invicem conciliata residentin mixto, ipsum solent continuare. Pace vero primarum procul pulsa qualitatum, confestim mixti complexio dissipatur. In ligno nempe putrido, in quo vix *elementorum conjunctio deficit*, hæc liquido comprobamus. Sic certe sine pace nec regna, nec civitates, nec collegia, nec communitates bene possunt aut diu consistere: in syderibus cælique perpetuæ pacis fœdere junctis, nihil dissonum penitus reperitur aut adversum. Nam sydera pace vigent, inquit Prudentius, & cum nihil placidum sit sine pace Deo, ipse cum angelis & sanctis suis pace fruitur perpetua, æternaque concordia jocundatur. Sic clariſſimi patres, & domini plurimum recolendi, pacem habete, cunctisque Christi fidelibus pro modulo procurare debetis. Sicut enim discipuli mandata doctorum, pupilli tutorum, liberi genitorum, hæredesque testatorum illæsa servare tenentur, sic cuncti Christicolæ & oculi militantis ecclesiæ sui mandata legislatoris, *doctrinam & imperium salvatoris complere* necesse est. Pacem enim tenuit, pacem docuit, pacem præbuit. Pacem ergo turbatorum sæculorum, Salvatoris sectando vestigia solerter componite. Ad hanc omnino procurandam manus quidem justitiæ vires dabunt adjutrices, pedesque ibidem suo prosequentur munimine. Hoc jugiter deprecatur præfatus dominus JOHANNES illustrissimus dux Britonum, devotisque in orationibus toto corde suspirat. Sic opere complendo corpus mystici veri Christi *corporis* ambulabit per semitas, tandemque cum aquilis suis conjungetur felicissime: quia *ubicumque fuerit corpus ibi congregabuntur & aquilæ*, quod præstare dignetur ille qui est benedictus in sæcula. Amen.

PROTESTATIO FACTA PER inclytam nationem Gallicanam in sacro concilio Basileensi.

Exmſ. Aquicinctensi.

QUamquam in proxima sancta synodo Constantiensi, a qua hoc præsens sacrum Basileense concilium per continuationem dependet, fuerit Spiritu sancto afflante solemniter decretum sub hac forma verborum videlicet: Sacrosancta Constantiensis synodus, &c. *statuit & decernit, quod futurus* Romanus pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro concilio vel deputandis per singulas nationes debeat reformare ecclesiam in capite, & curiam Romanam secundum equitatem & bonum regimen ecclesiæ; antequam hoc sacrum concilium dissolvatur super materiis articulorum alias per nationes in reformatorio oblatorum, *qui sequitur:*

Primo de numero, qualitate, & natione dominorum cardinalium.

Item, de reformationibus sedis apostolicæ.

Item, de annatis & communibus servitiis & minutis.

Item, de collationibus beneficiorum & gratiis *expectativis.*

Item, de confirmationibus electionum.

Item, de causis in curia Romana tractandis vel non.

Item, de appellationibus ad curiam Romanam.

Item, de officiis cancellatiæ & pœnitentiariæ.

Item, de exemtionibus & incorporationibus tempore schismatis factis.

Item, de commendis.

Item, de *fructibus medii temporis.*

Item, de non alienandis bonis Romanæ ecclesiæ.

Item, propter quæ & quomodo papa possit corrigi & deponi.

Item, de extirpatione simoniæ.

Item, de dispensationibus.

Item, de provisione papæ & cardinalium.

Item, de indulgentiis.

Item, de decimis.

Hoc adjecto quod facta per nationes deputatione, liceat aliis de licentia papæ libere ad propria remeare. Quamvis etiam circa articulos supradictos de hujusmodi reformatione facienda tam eidem concilio Constantiensi, quam etiam serenissimo principi & domino, domino SIGISMUNDO tunc regi Romanorum, nunc imperatori, expressa promissio *facta fuerit*: electo tamen & assumto felicis recordationis domino MARTINO papa V. hujusmodi reformationis executio, proh dolor! hactenus omissa est, cum dicti etiam solemni non observatione promissi. Dissolutione etenim dicti concilii humanis ingeniis occasione adinventa, fidei causa in Germania circa reductionem Bohemorum neglecta, pace in guerris tunc Galliarum invalescentibus non tentata, ulterius in Constantia de reformatione hujusmodi nihil actum est. quin immo ad *alia loca conciliis* assignatis, dum illa ordinentur, succisa sunt. Quantis autem incommodis hoc sacrum Basileense concilium quadriennio & ultra, cum grandi personarum & rerum jactura, nonnullis etiam illorum quibus tutela credita sperabatur obsistentibus, perduraverit, orbi patet universo. Nihilominus tamen in præfatorum reductione Bohemorum, pacequepopulorum, ac reformatione morum in hoc concilio actum est utiliter, quantum concessum est ab Alto, repugnantibus etiam multis. nonnullorum etenim, quorum status & negotia

negotia reformatio ipſa concernebat, adinventionibus & ſtudiis tot & tantæ adhibitæ ſunt difficultates, quod in ipſa reformatione vix quicquam ſolemniter & perfecte decretari potuit, quod eccleſiæ univerſali aliquem poſſet ſalubrem fructum afferre. Et quod gravius eſt, SS. dominus noſter papa modernus, cum reverentia virtuteque loquendo, ſuam propriam de adhærendo huic ſacro concilio, ejuſque decreta manu tenendo & approbando promiſſionem diu, licet nimis in grave præjudicium eccleſiæ, dilatam, in ſuis litteris apoſtolicis in generali congregatione hic publice lectis, factam & contentam non attendens, nonnullique alii ſibi in hac parte voluntarie plus quam expediſſet adhærentes, quam plurima contra hoc concilium ſacrum ejuſque decreta ea multipliciter tam palam quam ſecrete impugnando fecerunt, prout & dietim facere non ceſſant. Inſuper, quod valde moleſtum eſt, idem dominus noſter papa nedum contra decretum de electionibus aliiſque rite & canonice electis, providendo ſæpiſſime fecit, propter quod ſchiſmata & diviſiones in eccleſiis diverſarum nationum, non ſine maximo ſcandalo perpetuaque quaſi diverſarum eccleſiarum deſolatione orta & ſecuta ſunt: quin etiam decretum de ſublatione annatarum ex eo factum & concluſum, quod annatæ hujuſmodi nullo jure debebantur, per eaſque eccleſiæ eccleſiaſticæque perſonæ damnoſiſſime gravabantur; per ſe reverendiſſimoſque patres dominos cardinales, ac ſuos officiales ſecum Florentiæ exiſtentes, alioſque ex ſuis in hoc ſacro concilio præſidentibus, contradictionibus, proteſtationibus, aliiſque diverſis mediis quotidie impugnare & tranſgredi non veretur; nec, ut aſſeritur, in ſublatione annatarum hujuſmodi, quæ etiam pro eccleſiis Galliæ ad inſtantiam prælatorum & eccleſiaſticorum eccleſiæ Gallicanæ, tam per inclytæ memoriæ dominum KAROLUM regem Francorum noviſſime defunctum ejuſque regium parlamentum, ac ſuam pragmaticam ſanctionem, quæ ex poſt in præfato ſacro Conſtantienſi concilio per ipſam nationem Gallicanam rite dudum facta eſt, conſentire intendit, niſi loco annatarum hujuſmodi, abundans ſibi proviſio fiat. quam idem dominus noſter papa, cardinaleſque, præſidentes, ac officiales antedicti, ſibi pro eorum ſtatu fovendo, nomine eccleſiæ univerſalis per hoc dictum concilium fieri provideant, ſi regna, principatus & dominia, quibus eccleſiam Romanam ampliſſime dotatam pariter & ditatam eſſe conſtat, ad vitæ eorum ſuſtentationem eis non ſufficientes inſtantiſſime & importune procurarunt & procurant; videtur quod pro annatis hujuſmodi, nullo tamen eis jure debitis, ſuper proviſione quam petunt, quodammodo vellent paciſci, tantaque deſuper ſollicitudine inſtant, ut omnia alia hujus concilii peragenda, quantumcumque utilia omnimode videantur, huic faciendæ proviſioni vellent poſtponi, quod animos plurimorum non immerito turbat, & in grandem admirationem adducit: fuitque ob id per hoc dictum concilium venerando patri domino LUDOVICO abbati monaſterii S. Juſtinæ Paduæ dicti domini noſtri papæ familiari, hocque onus ipſe ſuſcipienti, commiſſum & impoſitum, quatenus ex parte dicti concilii cum omni reverentia requirere haberet ipſum dominum noſtrum papam, qui & iterum ex poſt per reverendiſſimos patres & dominos, dominos NICOLAUM tituli S. Crucis in Jeruſalem, & JOHANNEM tituli S. Petri ad Vincula preſbyteros cardinales, legatos ad ipſum ab ipſo ſacro concilio deſtinatos; & noviſſime per honorabiles viros dominos Johannem *de Banchenſten* decretorum doctorem, & Matthæum *Meſnage* bachalaureum formatum in theologia, ipſius concilii oratores & nuncios, propterea etiam ad eum miſſos, fuit omni humilitate inter alia requiſitus, quatenus ab impugnatione concilii & decretorum hujuſmodi, novitatibuſque circa ea inantea deſiſtere: quin immo ea manu tenere & defenſare, ſuaque promiſſa, in contrarium attentata reparari ordinando, dignaretur. Sed in his hujus ſacri concilii deſideriis & requiſitionibus nullus exauditionis ſecutus eſt effectus.

Nec eſt ſilentio prætereundum, quod præfati etiam domini legati cardinales pro recuperatione patrimonii & dominiorum apoſtolicæ ſedis, quæ de manibus domini noſtri papæ, non culpa quidem hujus ſacri concilii, ſed eorum qui gubernacula poſſidere videbantur, evanuerunt & ablata ſunt, diligenter media ad hoc apparentia, ex parte concilii aperiendo inſtiterunt, ſed tandem apud ſedem apoſtolicam eamdem reſponſum acceperunt, quod meliora & aptiora media ad hujuſmodi recuperationem patrimonii facientia haberentur. Præterea moleſtius cenſetur, quod idem dominus noſter papa hujus ſacri concilii auctoritatem piamque & devotam intentionem non mediocriter parvipendiſſe videtur, in eo quod litteris ſuis in generali congregatione publice lectis, reſponſum ſuper indulgentiis pro facto reductionis Græcorum concedendis, & aliis quibuſdam arduis per præfatos etiam dominos Jo. *de Banchenſten*, & Matthæum *Meſnage* a ſua ſanctitate in Florentia petitis & poſtulatis, ſe de proximo per nuncios & oratores daturum promiſerit, modoque de poſt tranſacto tempore ad hoc dictum concilium venerandos patres fratrem AMBROSIUM ordinis Camalduleníis generalem & Antoninum de S. Vito ſacri palatii cauſarum auditorem, ſuos nuncios & oratores tranſmiſit: qui tamen poſt eorum adventum, audientiaſque quas habere voluerunt, eis plenarie datas,

sæpius per concilium ipsum requisiti diutius A
steterunt, asserendo se a domino nostro papa
hujusmodi responsum non recepisse, nec ha-
bere. Tandem iterato requisiti responsum
ex parte dicti domini nostri papæ dederunt
insufficiens & inefficax. Demum quibus ac
qualibus ac quantis mediis compactata de
consensu etiam domini nostri papæ inter sa-
crum concilium & oratores sereniſſimi do-
mini imperatoris Græcorum, ac R. P. do-
minum patriarcham Constantinopolitanum
causa illius felicissimæ unionis & reductionis
eorum, qua re major in orbe terrarum vix
esse potest, habita & concluſa impugnari seu B
reprobari, aut quod verius est impediri visa
sunt, non ignoratur, nec, ut effectus docuit,
curavit ipsa Romana curia attendere, quod
majores, mediocres, & minores hujus con-
cilii, hujusmodi compactorum occasione, ob
spem dictæ unionis fervensque desiderium,
summam ferme xv. millium ducatorum auri
de suo proprio exposuerunt absque dictæ cu-
riæ contributione aut subventione tantilla.
Ille etiam Christophorus Garatonus secre-
tarius apostolicus, qui ad Græciam alias insa-
cio concilio missus fuerat, & de particulari
synodo in Constantinopoli celebranda, non C
sine grandi fidei periculo, gravique totius ec-
clesiæ latinæ nota, cum Græcis ipsis se etiam
illud de hujus dicti concilii consensu & auc-
toritate facere asserere non verendo; iterum
ad Græciam, etiam inscio concilio, novissime
est reversus, ad quos fines Deus ipse novit,
& per litteras a reverendo domino Cervien si
episcopo ex Florentia missas, in plena con-
gregatione generali per reverendum domi-
num Tarentinum, unum ex dicti domini no-
stri papæ præsidentibus, lectas, concilio appa-
ruit, ad hoc concilium ad aliena loca trans-
ferendum. Quanta insuper quamque exor- D
bitantia ipsa curia Romana circa ecclesiasti-
corum distributionem beneficiorum, ac con-
cessionem gratiarum, aliaque spiritualia per
nonnullos etiam quasi impudenter quotidie
fieri fama etiam publica asseratur, non po-
test nude sine cordis amaritudine recenseri,
nec modicam circa hæc præter cetera attu-
lit hic causam scandali, quod pallium pro
quodam hic præsente prælato, ipso pallio
jam fere quinquennio, multas licet de ha-
bendo supplicationes & instantias fecerit,
destituto, reverenter & instanter ex parte hu- E
jus concilii postulatum sine pecuniarum so-
lutione vel obligatione haberi non potuit.
Sicque, proh dolor! non adhuc, quicquid
aliqui jactitant, videtur ab eadem curia pro-
pulsa simoniaca labes, decreta licet solem-
nia de ipsa simonia vitanda per hoc conci-
lium edita sint. Laceratur nihilominus & in-
famatur apud reges & principes per specia-
les & sumtuosas ambassiatas hoc sacrum con-
cilium de tam longa duratione sui, nulla,
ut dicitur, reformatione secuta, aliisque

multis pro libito adinventis, quod valde
mirum ac grave est, ut illi ipsi de tarditate
reformationis concilium culpare satagunt,
& conantur, qui ipsam reformationem non-
nullarumque aliarum justissimarum rerum
executionem multipliciter impedierunt, die-
timque impediunt, oculosque suos statuen-
tes declinare in terram, obtenebrare cupiunt
veritatem. Sed quia vaniloquia malorum
bonis detrahere consuevetunt, bonorum ve-
ro est per infamiam & bonam famam veri-
tatem sectari, confictasque oblocutiones des-
picere, omnia pro Christi nomine patienter
tolerantur. O utinam illa veneranda sedes,
quam nonnullis annatis spoliatam & denu-
datam acclamant, de suorum ministrorum
actibus inquireret, talibus sordibus infectos
denudare & spoliare, deformatosque refor-
mare solita esset! nullus quippe sanæ men-
tis, statibus sic de reformatione infamatis
ac vehementer notatis, provisionem facien-
dam judicaret, nisi prius eorumdem debita
reformatio præcederet. Aliter enim facere
nihil aliud esset, quam status tales in suis vi-
tiis & deformitatibus consovere, seque in-
super similis periculo deceptionis submitte-
re, dictique salubris decreti Constantiensis
intentionem frustrare, qua patres sacri con-
cilii Constantiensis, præfatus Romanorum
imperator, ad præmissa & omissa reforma-
tione fuerunt & sunt frustrati. quæ omnia
& diu inclyta natio Gallicana debite con-
siderans, irrationabile valdeque præposte-
rum æstimat, ut domino nostro papæ aliis-
que qui sua interesse putant, provideatur,
nisi primitus pro aliquali reformatione de-
creta super articulis infra scriptis antece-
dant. Et deinde de statu numero & qualitate
eorum, quibus providendum est, de eis etiam
quæ agenda incumbent, ac de eis etiam
quæ aliunde habere & reperire possunt, ha-
beatur quantum erit notitia vera, ut quanto
plures extiterint, ampliusque & in utilio-
ribus pro ecclesia Dei se implicaverint, quan-
tumcumque minus aliunde habuerint, eis
amplius & uberius provideatur. Hæc igitur
dicta inclyta natio Gallicana sincerum & de-
votum propositum, quod quidem semper
circa hæc habuit, prout & habet, cunctis sig-
nificare volens & intendens, & præcipue
contra oblocutiones nonnullorum, qui fre-
quenter, non bene consideratis seu ponderа-
tis circumstantiis negotiorum, leviter con-
queri & obloqui auditi sunt, conqueri &
obloqui possent, protestatur primo quod ipsa
per sua supposita parata est, prout & sem-
per fuit, toto suo posse ad dictam reforma-
tionem juxta hujus sacri concilii ordinatio-
nem, cum suppositis aliarum inclytarum na-
tionum intendere, vacare & laborare. Pro-
testatur insuper se etiam paratam esse ad pro-
visionem hujusmodi rationabiliter faciен-
dam, se etiam & in quantum ante omnia

saltem per decreta certa, clara ac solemniter concluſa & decreta vel ad decretandum parata, *debita reformatio & limitatio* eorum ſtatuum quibus provideri petitur antecedant, & ſpecialiter *ſuper principalioribus* materiis & magis neceſſariis, videlicet de forma electionis & *juramenti papæ*.

De numero, qualitate, natione, officio, & juramento *cardinalium*.

De reparatione efficaci decreti de electionibus.

Decreti etiam de cauſis.

Decreti de intruſis.

De qualitatibus beneficiandorum & diſpenſandorum beneficiorum.

De modo & ſecuritate proviſionis univerſitatum & *ſtudiorum*.

De gratiis expectativis & collationibus *beneficiorum*.

De modo & limitatione reſervationum.

Decretis, *inquam*, ſuper iſtis materiis, quæ omnino neceſſariæ ſunt, & ſuper quarum aliquibus *jam* plura decreta, paucis reſtantibus, concepta ſunt, concluſis, factis & ſolemniter decretatis, vel ut jam tactum eſt, ad decretandum paratis, habitaque ex parte *ipſius* domini noſtri papæ ſufficienti certitudine, quod ipſe dominus noſter papa directe vel *indirecte*, ad diſſolutionem aut tranſlationem, aut impedimentum proceſſus *hujus ſacri concilii*, niſi in quantum, & prout ad hoc ipſius concilii conſenſus expreſſus, *juxta formam* ſuper hoc ſolemniter dictatam, accederet, non nitetur aut laborabit; quodque in conceſſione indulgentiarum pro ipſorum Græcorum reductione, cum hoc ſacro concilio ad ejus intentionem realiter concurret; quod etiam prædicta & alia hujus dicti concilii decreta ſolemniter decretata & decretanda tenebit & manutenebit, defenſabit & inviolabiliter obſervabit, per univerſos quantum omnino poterit, teneri, manuteneri, defenſari & inviolabiliter obſervari faciet. Hæc dicta inclyta natio Gallicana, licet in ſua plenaria libertate quoad hoc realiter exiſtat, ſeque veraciter teneat & reputet, ad dictam tamen proviſionem tam ipſi domino noſtro papæ quam aliis quorum intereſt rationabiliter faciendam, ex ſua gratuita liberalitate diligenter & ſine ulteriori dilatione cum aliis intendere, ac etiam realiter & cum effectu ſecundum ſuam poſſibilitatem, & ratam facere devoto & ſincero animo ſe offert. Si autem ſecus per quemcumque aut quoſcumque attentaretur ſive fieret, ut hujuſmodi ſcilicet reformatio impediretur, pluſve debito differretur, ac eidem proviſioni, quod abſit, poſtponeretur, ſæpedicta natio Gallicana pro ſe & ſuis, rege, principibus, prælatis & membris, aliiſque quibuſcumque ſibi quoad hæc coadhærentibus & adhærere volentibus, in quantum poteſt & eam concernit, ſe opponit & contradicit, proteſtaturque quod per eam non ſtetit, nec ſtat, neque ſtabit, quominus bona & effectualis reformatio in eccleſia Dei exindeque juſta & rationabilis proviſio ipſi domino noſtro papæ & aliis quorum intereſt, fiant, omniaque & ſingula præmiſſa ad laudem Dei & eccleſiæ ſuæ profectum ſalubriter & caritative ordinentur & perficiantur. Poſtremo contra impedientes ac impedire conantes fidei, unionis, & pacis cauſas, reformationemque hujuſmodi, necnon etiam præſentem proteſtationem, univerſis Chriſti fidelibus pro ſua dumtaxat juſtificatione & innocentia tuenda, juriſque ſui conſervatione, non animo ſeu intentione aliquem injuriandi, intimando & inſinuando hæc ſæpefata Gallicana natio ſolemniter etiam ac publice proteſtatur.

EPISTOLA PRÆLATORUM & aliorum nationis Germanicæ ad archiepiſcopum Moguntinum.

Hortantur eum ut perſonaliter accedat ad concilium.

REverendiſſimo in Chriſto patri & domino domino archiepiſcopo Moguntino, domino noſtro gratioſiſſimo, veſtræ reverendiſſimæ paternitatis intimi præſules & prælati, doctores & magiſtri, in ſacro concilio Baſileenſi inclytam nationem Germanicam repræſentantes. Anno 1438. 10. Januarii. *Ex inſ. Cruciferorum Leodienſium.*

Humili & ſincera ſalutatione præmiſſa, reverendiſſime pater, notum ſit dominationi veſtræ, quod ad noſtrum & aliorum zelum Dei habentium preces, patres de concilio ſanctis operibus, propter quæ ipſum concilium hic eſt congregatum, & præſertim pro reformatione univerſalis eccleſiæ perficienda, plus ſolito nunc inſiſtunt, & amplius inſiſtere certiſſime volunt. Et quiá nos præcipue ad eamdem dominationem veſtram, tamquam unum ex principalioribus noſtræ inclytæ nationis Germanicæ dominum & prælatum, dirigimus oculos noſtræ conſiderationis, quo plene cernimus perſonalem dictæ veſtræ dominationis præſentiam, hic nobis cum multis reſpectibus ſumme neceſſariam & pertilem pro hujuſmodi reformatione, & horum quæ epiſtola præſentibus intercluſa recitat, & aliorum multorum ſacrum Romanum imperium & ſalutem dictæ nationis reſpicientium expeditione ſalutari. Quapropter humiliter & inſtantiſſime rogamus magna cum fiducia, quatenus eadem D. V. dignetur, omni ſepoſita mora, feſtinare, & ad nos venire perſonaliter, & ſolum ad aliquod modicum tempus manere nobiſcum pro rebus tam ſanctis & utilibus expediendis, ad laudem Dei & gloriam nominis veſtri. Demum ultra præmiſſa nonnulla alia diſcreto viro Jo. Turrificis præſentium oſtenſori, com-

misimus referenda eidem dominationi vestræ. Velit igitur eadem D. V. præfato Jo. in hujusmodi referendis credentiæ plenariam fidem adhibere, & nos clementer exaudire: pro quo eidem dominationi vestræ ultra divinæ remunerationis præmium exinde sibi assuturum, libenter & semper reddamus servitialis gratitudinis vicem. Datum Basileæ, anno Domini MCCCCXXXVI. decima die mensis Januarii, sub reverendi patris & domini domini CONRADI episcopi Metensis, dictæ nationis nostræ præsidentis, sigillo.

PROTESTATIO FACTA per præsidentem domini nostri papæ in generali congregatione XIII. *Januarii* MCCCC. XXXVI. *ne papa moneretur.*

Anno 1436. 13 Januar. *Ex mſ. Aquisextiensi*

INtelleximus, reverendissimi in Christo patres & domini, quod in sacris deputationibus, quædam supplicatio ex parte consilii serenissimi regis RENATI, Aquis residen*tis, nuper correcta est*) *in qua narratis primo* nonnullis gravaminibus, quæ quidam exsecutor apostolicus in causa Grassensis ecclesiæ inferre conabatur, ipsi domini de dicto consilio se gravatos prætendentes, ad hoc sacrum concilium appellabant, causamque appellationis ipsorum in partibus committi supplicabant. Unde hinc sumta occasione, quod SS. dominus noster papa de hujusmodi causa *contra hujus sacri concilii decreta* se intromisisset, deliberaverunt quod sanctitas sua solemniter moneatur, ut infra certum terminum ei præfigendum, revocet omnia & singula per ipsam & suæ sanctitatis nomine attentata, contra generalem reformationem ecclesiæ in capite & in membris, & maxime in causa ecclesiæ Grassensis; alioquin sacrum concilium contra ipsum procedet, juxta contenta in decreto concilii Constantiensis.

Et cum etiam ad nostram notitiam pervenerit, quod in hac sacra congregatione debeat hodie super hoc avisamento & deliberatione concludi; propterea nos JOHANNES archiepiscopus Tarentinus, & PETRUS episcopus Paduanus, ejusdem SS. domini nostri papæ in hoc sacro concilio, licet immeriti, præsidentes, tenentes a certo quod sacræ deputationes in tam dura & insperata deliberatione fuerint circumventæ, pro interesse publico & pro honore tam hujus sacri concilii, quam sanctissimi domini nostri, opponimus, & dicimus, quod super tali deliberatione *concludi* non debet. Nam primo recte intuenti, per omnia & singula munimenta per nuncios dictorum de consilio dicti regis portata, numquam apparere poterit, quod SS. dominus noster aliquid mandaverit per quod videretur velle contravenire decretis & ordinationibus hujus sacri concilii. Quod si ipse exsecutor modum forsitasse excesserit in exsequendo, hoc nequaquam imputari debet SS. domino nostro, sed ipsi potius exsecutori. Et si dicta munimenta in sacris deputationibus producta & lecta fuissent, numquam, ut credendum est, ad talem deliberationem processissent. Præterea non est verisimile, quod sacræ deputationes, nisi circumventæ, talem deliberationem acceptassent, ex qua verisimiliter scandala multa in ecclesia Dei provenire possent, potissime occasione sumta ex uno particulari negotio, nondum plene discusso aut deducto.

Item, etiam numquam, ut a certo tenemus, constare poterit quod SS. dominus noster aut ex *contemtu* venerit contra decreta hujus sacri concilii, vel eo saltem animo & intentione, ut sacrum concilium negligeret aut scandalizaret, propter quod sua sanctitas ita requiri aut moneri deberet. Quod si aliquando forte, ratione suadente, & pro temporis & rei qualitate, super aliquo ex decretis hujus sacri concilii sua sanctitas dispensaverit, aut aliquod illorum *relaxaverit, non propterea contravenisse dici* debet decretis prædictis, cum id fecerit subsistente causa, & per illud arbitrium, quod nullum umquam jus divinum aut humanum summis pontificibus & Christi vicariis denegavit. Si tamen ex suggestione vel importunitate quædam a sua sanctitate extorta fuerint, quæ gravia aut dura patribus hujus sacri concilii prima facie videantur, illis *primo & antea specificatis & plene discussis*, debuit sua sanctitas reddi attenta, & non sic statim ad tam inauditas & insolitas monitiones contra Christi vicarium & caput ecclesiæ procedere. Et si dicatur dominum nostrum alias avisatum, ut servaret decreta, semper tamen per suam sanctitatem est responsum, quod decreta servavit, nisi forte necessitas ipsa suam sanctitatem & sacrum collegium dominorum cardinalium compulerit decretum de annatis non recipere, expectando provisionem totiens repromissam. Sed sua sanctitas magis forte causari posset, quod in hoc sacro concilio aliquando facta sunt aliqua, quæ a consuetudine & observantia aliorum sacrorum conciliorum videntur aliena, & quæ non modicum ejus jurisdictionem aut potestatem lædere censentur; quæ tamen sanctissimus dominus noster, tamquam pius pater, & ut unitatem & pacem servaret, & majora vitet scandala, omnia tolerat & sustinet patienter.

Dicimus etiam quod hac deliberatione concludi non debet, quia ex illa conclusione multa scandala oriri possunt in ecclesia & populo Christiano. Nam per talem conclusionem ex illo avisamento tam celeriter concluso, contra solitum morem & ordinationem concilii, non tamen aliquo præcedente tractatu cum patribus & majoribus hujus sacri cœtus, nostro judicio læditur non pa-

rum honor & exiſtimatio hujus ſacri concilii, ad cujus honorem plurimum pertinet facta & quæ ardua præcipue ſunt, cujuſmodi iſta eſt, matura deliberatione terminare; ut ſic populus Chriſtianus, qui a nobis expectat aliquem fructum laborum noſtrorum, in vinea Domini videat & intelligat nos nihil agere, quod ſanctorum patrum canonibus obviet, & quod poſtea feciſſe nullo umquam tempore nos pœnitere poſſit.

Quid enim, patres reverendiſſimi, dicent Græci, de quorum nunc reductione ſolliciti ſumus, ſi ſentiant nos, qui ad ſchiſma illud antiquatum exſtirpandum jam manum apoſuimus, nunc cum ſummo pontifice & capite totius eccleſiæ diffidere & contendere, & modo novum proceſſum, novam rupturam, ut multi dicent, ſapienter inchoare? Quid etiam Bohemi facient, hoc diſſidium intelligentes? Nonne vel ex hoc ſolum fortaſſe ab eorum reductione ſe retrahent, & occaſionem quærent? Quomodo etiam de reformatione totiens mundo repromiſſa ſperare fas erit, ſi certamen hoc cum patre & capite noſtro ingrediemur, qui cum forte ſe gravatum putabit, defenſionis viam inveniet, & juſtitiam toti mundo palam facere curabit: & ita cum modico fructu, immo cum maximo forte eccleſiæ diſpendio, omiſſa reformatione, certabimus?

Veremur etiam, domini & patres honoratiſſimi, ne rem inchoemus primo quidem aſpectu facilem multis, ſed exitu noſtro judicio valde difficilem & periculoſam. Recogitent veſtræ dominationes quot annis Dei eccleſiam inveteratum ſchiſma afflixerit, quot incommodis & cladibus innumeris Chriſtianum populum vexaverit, quot laboribus & quanto ſudore principum Chriſtianorum, potiſſime invictiſſimi domini SIGISMUNDI imperatoris, in ſacro Conſtantienſi concilio ſublatum fuerit. Noſtri enim officii eſt, qui reformationem morum profitemur, qui pacem aliis repromittimus, qui errores e medio tollere velle prædicamus, ut omnia noſtra tali modeſtia, tali patientia peragamus, ut nihil in nobis inveniri poſſit, quod profeſſioni noſtræ univerſo orbi totiens promiſſæ, obviare videatur.

Ex his ergo & multis aliis, quæ in medium adduci poſſent, dicimus noſtro judicio nihil debere concludi in tali materia. Si quid autem eſt, quod veſtrarum dominationum animos ſollicitet, quia forte veſtris dominationibus ſuggeritur, quod SS. dominus noſter hujus ſacri concilii decreta non ſervet, humiliter petimus, requirimus & ſupplicamus, ut nobis tamquam ſocum tenentibus ſuæ ſanctitatis in hoc ſacro concilio, illa ſerioſe intimentur & monſtrentur; quoniam offerimus nos, & ita ſpondemus ubi opus ſit, non ſolum ſuam ſanctitatem de omnibus attentam reddere per nuncium & per litteras, & ſupplicare, ut ſi quid eſt dignum reparatione reparetur, ſed etiam in propriâ perſona, ubi expediet, pro hac eadem re ad pedes ſuæ ſanctitatis nos conferre, eritque hæc via pacis, & quæ cunctos Chriſtiani nominis principes ædificabit, hujuſque ſacri concilii nomen reddet immortale.

Quod ſi tandem hoc impetrare nequimus a veſtris dominationibus, ne officium nobis creditum a SS. domino noſtro in vacuum recepiſſe videamur, utque honorem hujus ſacri concilii non negligamus, & ut nullo umquam tempore, ſi quid ſcandali ex hac forte concluſione facienda ſequeretur, nobis poſſit imputari, proteſtamur quod talis concluſio non fiat, & in dictam forte concluſionem faciendam non ſolum non conſentimus, ſed expreſſe contradicimus, petimuſque a vobis domino prothonotario apoſtolico, & a vobis notariis hujus ſacri concilii, & aliis notariis hic exiſtentibus, ut de hujuſmodi per nos dictis, lectis, oblatis, petitis, conficiatis nobis unum vel plura documenta ad perpetuam rei memoriam.

SEQUUNTUR AVISAMENTA concernentia monitorium domini noſtri papæ, cum conditionibus & etiam concluſa in generali congregatione die Veneris XX. *Januarii* MCCCCXXXVI.

DEputabuntur duo aut tres notabiles ambaſſiatores ituri ad SS. dominum noſtrum pro infraſcriptis, & ad hoc fuerunt deputati dominus Arelatenſis, dominus archiepiſcopus Lugdunenſis, & epiſcopus Lubicenſis, ut provideant de perſonis & expenſis. Anno 1436. 20. Januar. *Ex mſ. Aquicinctenſi.*

2. Recedent hinc prædicti ambaſſiatores infra decem vel duodecim dies, & jurent in congregatione generali facere & dicere quidquid per ſacrum concilium fuerit eis injunctum, & non ſtare Florentiæ ultra menſem, nec acceptare beneficium, dignitatem, aut quicquid aliud, etiamſi motu proprio conferatur.

3. Poſtquam fuerint Florentiæ, infra tres aut quatuor dies procurent habere audientiam publicam in conſiſtorio generali in præſentia domini noſtri & totius curiæ. Quod ſi forte papa eſſet infirmus, procurent habere audientiam coram ipſo & in præſentia cardinalium, & nihilominus in caſu infirmitatis, procurent teneri conſiſtorium publicum in præſentia omnium cardinalium & totius curiæ, ubi oratores noſtri pacifice exponent ambaſſiatam ſuam, rogantes & requirentes dominos cardinales & alios ut inducant dominum noſtrum ad ea quæ ſacrum concilium petit.

4. Ducant dicti oratores ad hujuſmodi

unum notarium, qui erit rogatus de omnibus, & quod incontinenti facta propoſitione coram domino noſtro & conſiſtorio, tradant *propoſitionem ſuam in ſcriptis.*

5. Quod ſi forte non poterunt habere audientiam coram domino noſtro, nec conſiſtorium publicum coram dominis cardinalibus & tota curia, tunc cuilibet cardinali intiment prædictam ambaſſiatam, requirendo quemlibet, quod velint iſta intimare domino noſtro, & proteſtentur quod non potuerunt habere audientiam, &c. Et nihilominus ante *portam ferream palatii* apoſtolici in præſentia eorum quos habere poterunt, ac notarii prædicti alta voce legent, propoſitionem eorum proteſtando, quod non potuerunt habere audientiam, &c.

6. Accedent etiam ad rectores ſuperiores civitatis Florentiæ cum litteris credentialibus ſacri concilii, & exponent illis effectum ambaſſiatæ ſuæ, rogando ipſos quod velint iſta intimare domino noſtro. Et poſtea ſi factis iſtis diligentiis, infra tres alios dies non potuerint habere prædictum conſiſtorium, vel audientiam domini noſtri in caſu infirmitatis, revertantur ad concilium.

EFFECTUS PROPOSITIONIS erit iſte.

PRimo, exponent quanta patientia & modeſtia ſacrum concilium uſum eſt poſt diſſolutionem prætenſam, factam per dominum *noſtrum, requirendo ipſum per tres* notabiles ambaſſiatas & multas citationes & *monitiones* ac prorogationes, & demum expectando per duos integros annos, ex quo toto orbi conſtare poteſt, quod mens ſacri concilii ſemper fuit ad unitatem & pacem eccleſiæ, & quod nihil magis abhorruit ac abhorret, quam ſciſſuram eccleſiæ, & quod ſi voluiſſet rigide procedere, non erant neceſſariæ ſecundum doctrinam *evangelicam* tot requiſitiones & citationes, & tanta *temporis expectatio.*

2. Narrabunt poſtea de adhæſione & tenore ipſius, de his quæ poſt dictam adhæſionem attentata ſunt per ſanctitatem ſuam, contra honorem & decreta & ſuppoſita ipſius ſacri concilii, contraque tenorem ipſius adhæſionis.

3. Item, quomodo per dominum epiſcopum Cervienſem primo, deinde per dominum abbatem *S. Juſtinæ, tertio per* dominos cardinales S. Crucis & S. Petri, legatos, *fuit rogatus* & requiſitus ad obſervantiam decretorum ſacri concilii, &c. & demum per dominum Jo. de Hungaria & magiſtrum Matthæum *Meſnage*, & præſertim ſuper obſervantia decreti de electionibus & de annatis, &c. & nihilominus nonobſtantibus tot & tantis ambaſſiatis & exhortationibus, adhuc quotidie multa attentantur contra decreta & *ſuppoſita ſacri concilii; quod nihil* aliud eſſe videtur, quam inducere mundum in tranſgreſſionem vel errorem, ut ipſe qui caput eſt tranſgrediatur ita, & alii ſuo exemplo vel tranſgrediantur, vel exiſtiment concilia nullam habere poteſtatem.

4. Narrabunt quanta ſcandala intolerabilia ex hoc in Chriſtianitate naſci poterunt, & præſertim ſi iſta duo decreta de electionibus & de annatis *non ſortiantur effectum*, addendo quod patres hic exiſtentes parati ſunt *potius mori, quam pati* auctoritatem eccleſiæ ſic conculcari.

5. Et iſta poterunt extendi per inſtructiones latius dandas.

6. Poſtremo concludent, quod ſacrum concilium non valens amplius iſta tolerare, mittit dictos oratores, per quos ſacrum concilium rogat ipſum *dominum noſtrum*, deprecatur & obſecrat, ac ſolemniter & *peremtorie requirit*, & monet, ut ob reverentiam Jesu Christi ſponſi & capitis eccleſiæ ſanctæ ſuæ, ac pacem & unitatem populi Chriſtiani, honoremque ſuæ ſanctitatis, velit a talibus penitus abſtinere, ac efficaciter ſervare decreta iſtius ſacri concilii, & tenorem adhæſionis ſuæ; & quod in teſtimonium hujus, infra xxv. dies a die hujuſcemodi monitionis publicæ ac ſolemniter in conſiſtorio *publico debeat facere legi litteras* more curiæ Romanæ bullatas infraſcripti tenoris, mittendas infra xxv. dies ad ſacrum concilium, in generali congregatione ſeu ſeſſione legendas. quod ſi infra prædictos xxv. dies prædicta non fecerit, & alios xxv. ſacro concilio non deſtinaverit, ipſum ſacrum concilium proteſtatur coram Deo & hominibus, quod ſine alia dilatione & citatione, immediate poſt ultimos *xxv. dies*, *quem terminum* pro canonica & peremtoria monitione *ſtatuit*, procedet contra ipſum, *juxta* decretum concilii Conſtantienſis.

SEQUITUR TENOR LITTERARUM apoſtolicarum, de quibus immediate ſupra fit mentio.

EUgenius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Omnes appellationes interpoſitas vel interponendas ad *nos a ſententiis latis per* ſacrum concilium, vel commiſſarios aut judices ejuſdem, ipſo durante, annullamus & irritamus, mandantes ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, omnibus judicibus & commiſſariis auctoritate noſtra deputatis, ne ſuper illis procedere audeant. Revocamus etiam omnia gravamina, & quicquid factum eſt dicta auctoritate noſtra, contra tenorem noſtræ adhæſionis, ac contra decreta ipſius ſacri concilii Baſileenſis: ratificamus & ap-

probamus omnia decreta ipſius ſacri concilii Baſileenſis, & præſertim de electionibus & de annatis. Pollicemur, quod ſine dolo & fraude illa manu tenere & ſervare, &c.

---

[4] *MONITORIUM (a) CONTRA dominum Eugenium.*

Exeo 14 vol. Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chancellarii.

SAcroſancta, &c. In throno militantis eccleſiæ ſedent juſti, judicaturi magnos ſicut parvos juxta merita ſua, cum apud Deum non ſit acceptatio perſonarum. Tales autem intelligimus eſſe qui generalem ſynodum conſtituunt, quibus dictum eſt: *Si duo aut tres convenerint in nomine meo, in medio illorum ſum ego.* Unuſquiſque igitur generali ſynodo, etiamſi papali præfulgeat dignitate, juxta decretum ſacri Conſtantienſis concilii renovatum in iſto, obedire tenetur, quoad exſtirpationem hæreſum & ſchiſmatis ſubmotionem, ac generalem reformationem in *capite & in membris* pertinentibuſque ad ea.

Sane hæc amentiſſime credidimus quod D. Eugen. pap. IV. cum pridem poſt factam per eum diſſolutionem illam ſcandaloſam hujus ſacri concilii, duorum generalium *conciliorum Conſtantienſis ſcilicet & Senenſis*, necnon duorum Romanorum pontificum felicis recordationis domini MARTINI papæ V. ac ſua auctoritate convocati, quæ mentes hominum irritavit, perſuaſus a multis regum & *principum oratoribus* revocavit eamdem, huic ſynodo verbaliter adhærendo, decernendoque & declarando ipſam ſanctam ſynodum a rem, ore ſuæ inchoationis legitime continuatam fuiſſe & eſſe; proſequutionemque habere debere ad prædicta, pertinentiaque ad ipſa, perinde ac ſi nulla diſſolutio facta extitiſſet: quin immo præfatam diſſolutionem irritam & inanem declarans, ipſam ſanctam ſynodum pure, ſimpliciter & cum effectu, ut dicebatur in litteris ſuis, omni devotione & favore proſequebatur, & proſequi intendebat; & quicquid per ipſum, aut *nomine ipſius in præjudicium* aut derogationem dictæ ſanctæ ſynodi, ſeu contra ejus auctoritatem, necnon contra ſuppoſita ipſius factum & attentum erat, revocaverit & caſſaverit, ac deinceps ab omnibus novitatibus *in præjudicium ſynodi ejuſdem* & ſuorum ſuppoſitorum abſtinere promiſerit.

Sed quis hoc non credidiſſet, dum tot tantiſque præſentibus pro pace totius populi Chriſtiani ipſe dominus EUGENIUS talia ſpopondiſſet, & inviolabiliter ſervaturum ſe dixiſſet? Sed ecce quod mentes noſtras preſſius angit, nihil ſervatum eſt. Duo namque ſaluberrima decreta ab hac ſancta ſynodo inter cetera ſunt promulgata, quæ ſi debite ſervarentur, maximum robur eccleſiæ præſtare-

A tur, in quibus maximam reformationis partem redundare non eſſet ambiguum: unum ſcilicet de electionibus certo modo faciendis, aliud ſuper tollendis annatis. Ex primo eccleſiarum pax & caritas oriri dinoſcitur.

Nam ad illa pariendum atque firmandum potiſſimum videtur, ut eccleſiæ gratus ſit qui præficitur ad eamdem. Cum & apoſtoli Petrum jam a Chriſto poteſtatem habentem, in *ceterorum exemplum de novo eorum* principem eſſe voluerunt in ſignum perfectiſſimæ unitatis. Nemo etiam eſtigi poteſt, qui juxta canonicas ſanctiones dignus judicari non
B debeat, dum maxime Chriſtus per crucis paſſionem *copulavit* eccleſiam: *ita ut vices ejus* gerens in terris, inconcuſſa ſtabilique prorſus mente, illam per qualemcumque vitæ aſperitatem in firmamento pacis proſequi teneatur, quæ cum ita ſint, quod modo ad tollendos abuſus, præcipue Romanorum pontificum, tam opportune tunc ſancitum extitit, circa electiones canonicas conſervandas & *certo modo faciendas, ex quo* maximæ quietis eccleſiæ munimentum oriri neceſſe eſt, dominus EUGENIUS pro voluntatis libito violavit. Non enim ut de bono in
C melius procederetur, in qua ſpecie liberior *Romani pontificis eſt poteſtas*, hæc acta ſunt; ſed ut prohibeatur malum imminens, quod notorie eccleſiam affligebat, illud decretum extitit promulgatum. Qui ergo illi reſiſtit, ſalutem abnegat, malumque defendit in perniciem *manifeſtam populi Chriſtiani*. advertere debuiſſet & deberet idem dominus EUGENIUS ne illorum in littera *Deus novit* intitulata comprehenſorum ſe auctorem fuiſſe fateatur. quamquam enim in ſua, licet verbali, adhæſione, *illâm* revocaverit, & quod de ſua mente non proceſſit fuerit atteſtatus;
D cum opere contrarium aſſeveret, dum pro voluntatis libito, *ſpretis* ſacræ ſynodi inſtitutis & monitis, cuncta facit. pariter namque annatas ſolitas recipit, & eiſdem ærarii apoſtolici ordinibus utitur, ut antea faciebat; adeo ut poſt tot tantaſque requiſitiones, quod a prædictis abſtineret abuſibus, ſibi factas, nunc pertinax & incorrigibilis videri poſſit, eccleſiæ perturbator, ac de eccleſiæ & ſacrorum conciliorum auctoritate male ſentire dinoſcatur. Non enim qui profitetur publice,
E abjurat hæreſes, aut male ſonantes & *piarum* aurium offenſivas ſententias, ſatisfacit eccleſiæ, & vulnera illata medetur; ſed qui operibus catholicis ſanitatem mentis manifeſtat. Si ergo opera [non] ſint contra dicta priorum errorum, malitiam continuaſſe *videtur*. Quamobrem idem dominus EUGENIUS contenta in littera illa *Deus novit*, quam per ſuos oratores & nuncios, videlicet dominum Antonium de Roſellis advocatum conſiſtorialem, & dominum Petrum de Monte, cubi-

(a) Præter hoc monitorium extat in actis concilii Baſileenſis editis ſeſſione XXVI. citatio ejuſdem Eugenii papæ, quæ vulgo monitorium appellatur, cum tamen diſtincta duo ſint acta, monitorium & citatio.

cularium ejuſdem in diverſis mundi partibus, necnon ſuo mandato in Romana curia in valvis certarum eccleſiarum publicatam fuiſſe, certiſſima fama, quod approbaverit aut dogmatizaverit & tenuerit, liquido manifeſtat. Et cum, prout hæc ſancta ſynodus per multos ſolemnes magiſtros in ſacra pagina ac doctores examinari fecit, nonnulli *ſunt in ea errores in fide*, aliqua ſunt etiam piarum aurium offenſiva, aliqua ſcandaloſa, ſuper quibus dictus dominus Eugenius merito eſt ſuſpectiſſimus judicandus. Et maxime dictam exaggerat ſuſpicionem, quoniam de auctoritate ſacri concilii generalis, declarata per ſacrum Conſtantienſe concilium, male ſentire videtur, eadem decreta circa generalem reformationem eccleſiæ edita, notorie & *incorrigibiliter violando*. Super quibus hæc ſancta ſynodus neceſſario procedere compellitur & artatur. qua enim ratione decreta hujuſmodi per Romanum pontificem revocantur in dubium, poſſent & per alios & per ipſum alia revocari, cum eadem ſit ſacrorum omnium conciliorum auctoritas, per conſequens omnia militantis eccleſiæ fundamenta venire penitus in ruinam.

Et ecce nunc *in iſtorum comprobatione*; ad nos gravis querela venerabilis antiſtis Graſſenſis epiſcopi delata eſt, quotidie etiam noſtræ a diverſis perſonis ac pro variis cauſis autes pulſantur, propter importabilia gravamina eis illata, in derogationem per nos noſtraque auctoritate geſtorum; potiſſime quod adverſum ſententias hic latas, quæ in rem tranſiverint judicatam, adverſum ipſam *etiam cauſarum pendentiam in hoc ſacro* concilio, referipta conceſſerit quotidieve concedat. appellationes etiam a ſententiis per hanc ſynodum ſeu ejuſdem commiſſarios latis in curia, extra commiſerit & committat, lites propter hoc faciendo immortales, & diviſiones quam plurimas ſeminando, necnon varia ſuppoſita ab hoc ſacro concilio avocando, qui in agendo pro univerſali eccleſia *plurimum conferebant*. Et ſuper his hæc ſancta ſynodus eſt a pluribus fide dignis perſonis edocta. Nam inter alia, fama publica eſt, quod idem dominus Eugenius quamdam appellationem interpoſitam per magiſtrum Auguſtinum de Roma, generalem olim ordinis Eremitarum, adverſum ſententiam hic per ſacrum concilium latam ſuper certo libello in fide erroneo, & male in fide, ſonante, per eum edito, admiſerit, & ſuper ea judices dederit, contra ſacros canones & ſanctorum patrum inſtituta, ſecundum quæ in materia fidei debet papa ſentire, & generalis ſynodi ſententiæ inhærere. Admiſiſſe etiam dicitur publice appellationem interpoſitam a domino Johanne de Prangino adverſum ſententiam per hanc ſynodum contra eum latam, pro reverendo patre domino Ludovico de Palude Lauſanenſi epiſcopo, ſuper eccleſia Lauſanenſi. necnon abſolviſſe aſſeveratur certos laicos Januenſes condemnatos per certos judices, ab eadem ſynodo damnatos, ad reſtitutionem certi caſtri de Antipoli eccleſiæ Graſſenſis, a cenſuris, in quas incurrerant, non parendo ſententiæ, quæ in rem tranſiverat judicatam, exſecutionem illius impediendo. Similiter etiam in pluribus aliis attentando in grave ſcandalum & jacturam ſuppoſitorum concilii antedicti. quodque in juramentis quæ miſit ipſis promotis conſecrandis inſeri facit, ut jurent expreſſe favere reſervationibus apoſtolicis jam ſublatis. Ac pridem repulit nec voluit confirmare quamdam electionem factam de perſona, &c. ad decanatum Rothomagenſem, *juxta decretum de electionibus hujus* ſacri concilii, dicens illam fuiſſe de facto attentatam, obſtante ſua prætenſa reſervatione. Præterea annatæ non ſolum juxta morem ſolitum exiguntur, ſed ut accepimus a promotis, de illis ſolvendis & manu tenendis juramenta illicita extorquentur.

Nec advertit dominus Eugenius, quod illos in prælaturis intitulat, qui titulis prorſus *carent. quo hæreſes venire continger, & inextricabiles* diviſiones, aliis concilii auctoritatem, aliis papæ anteponentibus, ſemper autem talium promotorum geſta necne valeant remanere in dubium periculoſum eſt valde, & jam in pleriſque mundi partibus ob præmiſſa, gravia ſcandala ſunt ſuborta, & hujus ſacri concilii & aliorum omnium offenditur auctoritas. Intellexit autem a fide dignis plu*rimis ſancta ſynodus eumdem dominum Eu*genum ad diverſos reges & principes ſuos nuncios deſtinaſſe, ut in earumdem annatarum perſeverantia ſibi adſiſterent, utque hoc ſanctum decretum violarent: quæ res veluti diſcordiæ & damnatæ cupiditatis nuncia, noſtris auribus gravius eſt, dum abſurdiſſimum putamus, eo pacto ſacras hujuſmodi ordinationes per illum, qui ad ipſarum tuitionem *propenſius obligatur, infringi procu*rari, ut etiam ſæcularium poteſtates in everſionem vocentur earumdem. Deberent ſiquidem domini temporales a præſulibus eccleſiaſticis de unitate ac mutua dilectione, deque juſtarum legum ac morum obſervantia edoceri. Neque putet quiſque hanc ſanctam ſynodum negleſturam, quominus apoſtolicæ cameræ conveniens & honeſta proviſio fiat, ad onera univerſalis eccleſiæ ſupportanda. Immo illud quotidie imminet in *cogitationibus noſtris*: ſed dum multa inſtant pro reformatione ejuſdem eccleſiæ, pro quibus continuo laboramus, & circa eamdem proviſionem ſtatuendam poterit opportunius ſaniuſque decerni; ideo differendum delegimus; abſonum etiam putantes, quaſi obnoxia ad hoc videretur univerſalis eccleſia,

sia, ut non aliter hanc annatarum molem importabilem submoveremus, nisi prius recompensatio facta esset. Non enim a malo solum, sed ab omni est mali specie juxta dictum apostoli abstinendum. Et si hæc & similia conniventibus oculis pertransirent, procul dubio universalis ecclesia læderetur. Non valens igitur hæc sancta synodus tam graves offensas amplius tolerare. Ex quo igitur idem dominus EUGENIUS animo pertinaci, Spiritui sancto & nobis, cujus ministri sumus, temerarie restitit; etiam Spiritus idem sanctus per organa nostra statuit & decrevit, justitia mediante, vestigiis aliorum sacrorum conciliorum inhærendo, qui Romanorum pontificum excessus in scandalum universalis ecclesiæ perpetratos debite puniebant, cum potentiæ militantis ecclesiæ animadvertere in eumdem, nisi celeriter, ut res exigit, resipiscat. Ea propter præfata sancta synodus indefesse & intrepide agens pro omnium salute, & ut murum *se objiciens pro impugnantibus illam*, habita perprius super præmissis omnibus & singulis pluribusque aliis per fide dignos plures testes omni exceptione majores, & per acta hujus sacri concilii & alia jura, informatione sufficienti constitutaque sibi per hujusmodi summariam informationem, receptam auctoritate dictæ synodi, per deputatos specialiter ad informationes hujusmodi recipiendas, ac de notorietate violatorum dictorum decretorum, ac de aliis supra narratis & quampluribus aliis, per viscera misericordiæ domini nostri JESU CHRISTI, dictum dominum EUGENIUM instantissime rogat, obsecrat, & hortatur, monet ac solemniter requirit, & ex parte omnipotentis Dei sibi mandat & præcipit, quatenus infra XXV. dies a die præsentis publicationis immediate numerandos & finiendos, quicquid contra decreta dictæ sanctæ synodi, præsertim illa duo de electionibus & de annatis, fecit & attentavit, casset, revocet, annullet, quin immo irrita ac nulla, & *pro infectis haberi decernat*, promittatque in futurum eadem fideliter observare & manutenere. Et propterea omnes & singulas provisiones cathedralium ecclesiarum & monasteriorum, necnon collationes quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum electivorum, pretextu quarumcumque reservationum factas, per quos electionibus ad illam vel ad illa præjudicari seu impedimentum præstari posset, nunciet & declaret irritas & inanes; necnon omnes annatas seu vacantias & alia contra decretum annatarum recepta, illis restituet, a quibus indebite sunt receptæ, ac per camerarium apostolicæ sedis restitui mandet realiter & cum effectu, partesque omnes prædictas læsas in pristinum statum reponat. Omnes insuper appellationes ad ipsum & sanctam sedem apostolicam a sententiis per sacrum concilium vel sua auctoritate latis interpositas, cum processibus in curia vel extra factis, revocet & annullet, & dictas causas pro quibus est *appellatus*, ad sacrum istud *concilium* decidendas remittat, cum intendat sacrum concilium cum omni humanitate ad ipsum recurrentibus justitiam ministrare. Et insuper judicibus omnibus etiam S. R. E. cardinalibus sub excommunicationis, & appellantibus prædictis sub perditionis juris pœnis, quas contra faciendo incurrant, ipso facto, mandet, ne super dictis causis appellationum quoquomodo procedant. Mandet etiam per suas litteras apostolicas omnibus ordinariis locorum & auditoribus, seu aliis commissariis in Romana curia aut extra impetratis, quatenus *in causis agirandis quibuscumque* decreta hujus sacri concilii solemniter edita debeant observare, omnesque sententias in eodem concilio ejus auctoritate latas, quæ in rem transierunt judicatam, exsequantur, *ac si auctoritate dicti domini* EUGENII *latæ* essent, etiamsi cameram concernerent apostolicam, omniaque rescripta & concessiones in contrarium per ipsum factas & facta revocet & annullet. & insuper cum ad dictam sanctam synodum frequentes querelæ deferantur a multis, quos dicunt eumdem dom. EUGENIUM vel suos officiales sua auctoritate, causa non cognita, & eis non citatis ac defensis, sed penitus de facto suis bonis spoliasse, seu alias eorumdem bona quibus spoliati fuerunt retinuisse, ipsumque vel ea in ærarium dictæ cameræ non reposuisse, & nonnullos incarcerasse, & variis injuriis affecisse; requirit etiam & monet eadem S. synodus, quatenus omnibus & singulis sic oppressis, infra duos menses a die notificatæ liquidationis dictorum bonorum seu damnorum; *præfato camerario*, etiam per edictum publicum in loco vicino curiæ Romanæ, si non pateret tutus accessus, per sententiam definitivam, quæ transierit in rem dijudicatam, in hoc sacro concilio latam vel ferendam *intimandam*, ablata restituat, ac de *his* omnibus, necnon de observatione omnium aliorum decretorum factorum & faciendorum pro generali reformatione ecclesiæ in capite & in membris, infra dictum terminum hanc sanctam synodum per suas litteras more Romanæ curiæ plumbatas, in suo consistorio publico perprius lectas, certificet. Insuper pari modo veritatem per ecclesiam in decreto Constantiensis concilii determinatam, certa auctoritate sacrorum conciliorum se fideliter credere profiteatur expresse, ad tollendam omnem ambiguitatem, & multorum animos servandos, qui propter præmissa dictum dominum EUGENIUM, ne non recte opinetur, habent valde suspectum, de hujusmodique facta professione infra eumdem terminum pari modo reddat hanc synodum

certiorem. Cujus quidem decreti tenor talis eſt *Frequens*, &c. necnon infra alios xxv. dies poſt dictos xxv. immediate ſequentes, hanc ſanctam ſynodum per dictas ſuas literas more Romanæ curiæ plumbatas, in generali congregatione vel ſeſſione ſolemni legendas, de præmiſſorum obſervatione certificet. Quod ſi infra eumdem terminum præmiſſa omnia & ſingula realiter & cum effectu minime adimpleverit, ipſis diebus elapſis, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, dicta ſancta ſynodus decreto ſacri concilii Conſtantienſis inhærendo, ad pœnas canonicas procedet, prout ei ſecundum juris diſpoſitionem & canonicas traditiones pro ſalute Chriſtiani populi, alia citatione non facta, videbitur faciendum, & ideo eumdem dominum EUGENIUM monet & requirit, quatenus dicat & alleget coram dicta ſynodo infra eumdem terminum, quare notorius & incorrigibilis, turbator reformationis generalis eccleſiæ univerſalis, & pacis ac quietis ejuſdem, ob non obſervationem decretorum hujuſmodi, dici & declarari non debeat; necnon dicat & objiciat quicquid vellt, quare ad pœnas prædictas devenire non debeat, coram dicta ſynodo juſtitiam recepturus. Datum, &c.

CONCILII BASILEENSIS EPISTOLA ad capitulum Trecenſis eccleſiæ, exhibita capitulo XI. Julii MCCCCXXXVI. per Johannem *Blanche* ſuccentorem.

Ut Stephanus Calleau *canonicus Trecenſis exiſtens in concilio, ſua præbenda canonicali gaudeat.*

Anno 1436. idib. Junii. *Ex commentariis eccleſiæ Trecenſis eruit dominus* Brayer *canonicus Trecenſis.*

SAcroſancta generalis ſynodus Baſileenſis in Spiritu-ſancto legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentans, dilectis filiis decano & capitulo eccleſiæ Trecenſis, ac omnibus aliis & ſingulis quorum intereſt, & quos infraſcriptum tangit negotium, ſeu tangere poterit quomodolibet in futurum, ſalutem & Dei omnipotentis benedictionem.

Quia pium æſtimamus & rationi conſonum fore veritati teſtimonium perhibere; hinc eſt, quod dilectus eccleſiæ filius Stephanus *Calleau* preſbyter, magiſter in artibus Pariſienſis, & baccalaureus in ſacra pagina, canonicus veſter, ad hoc ſacrum concilium Baſileenſe pro exſtirpandis hæreſibus, moribuſque reformandis, & pace inter Chriſticolas congregatum, dudum acceſſit, & eidem incorporatus extitit; quodque ne propter hujuſmodi acceſſum ad dictum concilium quis detrimentum ſuorum beneficiorum patiatur, hæc ſacroſancta ſynodus ſtatuit & decrevit; ut qui in eadem ſynodo cauſa concilii præſentes fuerint & incorporati, ſicut ipſe Stephanus actu præſens exiſtit, fructus & proventus ſuorum beneficiorum percipiant & eiſdem gaudeant, prout & quemadmodum in decreto ſuper hoc in prima hujus ſacræ ſynodi publica ſeſſione edito, hæc & alia continentur; cujus decreti tenor ſequitur & eſt talis: *Cum hi qui interſunt, &c.* Quapropter decanum & capitulum & alios & ſingulos ſupradictos hortamur, requirimus, & monemus, & nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ipſum Stephanum concanonicum veſtrum, fructibus & proventibus ſuorum canonicatus & præbendæ dictæ eccleſiæ Trecenſis, ſine difficultate & contradictione quibuſlibet, juxta præinſerti decreti tenorem atque formam, uti & gaudere permittatis ſibique vel ſuo procuratori in hac parte deputato, de eiſdem reſpondeatis, & faciatis ab aliis quorum intereſt reſponderi. Datum Baſileæ, idus Junii, anno a nativitate Domini MCCCCXXXVI.

EPISTOLA PHILIPPI-MARIÆ ANGELI ducis Mediolanenſis, ad archiepiſcopum Mediolanenſem & epiſcopum Albiganenſem.

Improbat concilii tranſlationem ad civitatem Florentinam, quinaturque impediturum ſe ipſius celebrationem quantum in ſe erit.

REverendiſſimis in Chriſto patribus dilectiſſimis noſtris domino archiepiſcopo Mediolanenſi & epiſcopo Albiganenſi fratribus noſtris dilectis. Anno 1435. 8. Junii. *Ex mſ. Ongerorum Leodienſium.*

Reverendi in Chriſto patres dilectiſſimi noſtri, ſentimus tam ex his quæ vos nobis ſcripſiſtis, quam aliorum relationibus, quod quæritur & tractatur, ut illud ſacrum concilium ad civitatem Florentiæ transferatur, de quo profecto non poſſumus non mirari & habere moleſtiam. Nam ſicut ſcitis, concilia principaliter fiunt pro reformatione divinæ eccleſiæ, bonorumque morum, & pro danda toti Chriſtianitati pace & quiete; & propterea expedit quod locus in quo iſta concilia celebrari debeant, omnibus ſit communis & pacificus, & pacis & tranquillitatis cupidus, & in quo ſint perſonæ quæ pacem & quietem affectent & procurent, ſeditiones vero & guerras ac diviſiones abhorreant & effugiant; & demum qui talis ſit, ut unuſquiſque poſſit & velit ad eum libere & ſine aliqua dubietate ſe conferre. Quare cum civitas iſta Florentiæ ab hujuſmodi conditionibus longe differat, & omnibus conſideratis, nullatenus ad hæc idonea videatur; non poſſumus non mirari & dolere, quod eligi debeat pro ipſo concilio. Multæ & prope infinitæ rationes adduci poſſunt ad hoc. Primo, cum dicta civitas guerram facit & habet, & intra ſeipſam diviſa eſt, & tam intra quam extra habet bellum nedum civile, ſed plus quam civile, ultra guerram quam habet cum finitimis, & raliter ut multo plu-

res ſint externi, quam *in patria reſidentes*, A & ita ut deterior ſit hujuſmodi diviſio & bellum civile, quam ipſa exterior guerra. Habet etiam cives valde *ſeditioſos*, & *novitatum* cupidos. Et inſuper dicta civitas adeo ſterilis eſt, ut non colligantur & percipiantur ibi victualia ad uſum *dictæ urbis* ejuſque civium & reſidentium ibidem ſufficientia & optima. Quantum vero nobis & illuſtribus prædeceſſoribus noſtris æmula & ſuſpecta ſemper fuerit, vos ſiquidem non ignoratis, & omnibus notum eſt.

His igitur attentis, oneramus vos quo magis poſſumus, ut apud reverendiſſimos do- B minos legatos & quoſcumque cardinales & prælatos, & denique *omnes nationes, in ipſo* ſacro concilio exiſtentes, operam adhibeatis quamcumque poſſibilem, ut dictum concilium *nullatenus Florentiam transferatur*. Sed eligatur alius locus pacificus, qui conveniat omnibus eſſe communis: aviſantes vos, quod ſi & quando ipſum concilium Florentiam transferri omnino deberet, nos non permitteremus aliquem ex noſtris ad ipſum accedere: immo omnem operam faceremus, quod adhærentes, colligati, amici & C benevoli noſtri, neminem ex ſuis ad idem *concilium* transferri permitterent, rogaremuſque quoſcumque principes & dominos, ut & ipſi facerent illud idem; & ulterius prohiberemus toto poſſe, ne aliqui tam per territorium eorum, quam noſtrum, tranſitum haberent ad ipſum concilium accedendi; & ſicut hucuſque *dicto concilio dedimus* quoſcumque favores nobis poſſibiles, totum oppoſitum faceremus; daremuſque inſuper *operam apud ſereniſſimum dominum regem* Aragonum, quod nec ipſe ex regnis & territoriis ſuis ad dictum concilium aliquos ire *permitteret*, & *tam per terram quam per* mare prohiberet, ne ad ipſum ulla victualia D ducerentur, non quidem reſpectu concilii, *ſed dicti loci, propter ejus conditiones*, quas ſuperius memoravimus. Sunt enim tales quod non poteſt ipſum concilium ibi bene ſtare, *ſed cauſa eſſet illud periclitari faciendi*. Et ita omnibus in ipſo concilio exiſtentibus, aperte & late dicatis, noſtroque nomine proteſtemini, & *affirmetis*, quod *prædicta* omnia effectualiter faciemus, caſu quo dictum concilium Florentiam transferatur, & ex *nunc nos de prædictis apud univerſum mun*dum facimus excuſatos. Hæc namque ſcri- E bimus & volumus aperte per vos dici, ne umquam poſſit dici, quod *ipſis dominis* de concilio de hac mente noſtra non aviſaſſemus, quia ſi ſciviſſent, forte aliter elegiſſent. Datum *Mediolani, octava Junii*, anno MCCCC. XXXVII.

PHILIPPUS-MARIA-ANGELUS dux Mediolani, &c. Papiæ, Angleriæque comes.

EPISTOLA SIGISMUNDI *imperatoris*, ad Paulum epiſcopum Argentinum, ſuum ad concilium Baſileenſe oratorem.

De falſa bulla ſuper tranſlatione concilii ad civitatem Florentinam.

Anno 1437. 1. Julii. *Ex mſ. Graeſg. rum Leodienſium.*

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum imperator ſemper auguſtus, Hungariæ, ac Bohemiæ & Dalmatiæ &c. rex.

Venerabilis, devote, dilecte, receptis die- B bus præteritis nonnullis litteris & ſcripturis de manu iſtius tui curſoris, & tandem aliis a *Petro Saez magiſtro monetæ Baſileenſis*, ex eiſdem multa & magna percepimus in ſacro concilio emergentia, præſertim de *bullatione illius bullæ, uti ſcribis, tam fraudulenter factæ*, ſuper nominatione civitatis Florentiæ. Intelleximus etiam ea quæ perſuadere videris ad ſcribendum *imperatori* Græcorum & aliis, ſubjungendo qualiter nominationi Florentiæ repugnaſti, adhærentibus *tibi oratoribus fere omnium regum* & principum. Habuimus etiam copias ipſius C bullæ & litterarum receptarum tam Italica*rum quam Latinarum*: quæ omnia *legimus*, & in præſentia noſtrorum & ſacri imperii electorum, nobilium & communitatum, *cum quibus hic in Dei nomine congregati* ſumus, referre & iterare mandavimus: qui una nobiſcum de hujuſmodi ſiniſtris & *periculoſis novitatibus maxime perturbati fuerunt*, cum merito locus eſſe debeat triſtitiæ, ubi tam periculoſe agitur de rebus nedum tam *magni & celebris concilii, verum* etiam totius eccleſiæ. Sed utique ſic laudamus reclamationem tuam ſuper loco Florentiæ *propter rationes per te aſſignatas*, atque D alias nobis notas; nec curæ habendum eſt, quod archiepiſcopus Tarentinus ad talia *verba tecum devenit*. Nam adhuc *dicimus*, quod voluntas noſtra & electorum eſt in illo, ut futurum concilium non celebretur Italiæ; ſed *in locis* ubi *principes* orbis convenire, & rebus Græcorum, in quibus eis tota virtus conſiſteret, eorum liberationi a gentili ſervitute poſſint operoſe conſulere. Et quamvis jam ſacro concilio ſcribimus, ut uſque ad ceſſum oratorum noſtrorum & ſacri imperii electorum, ab *omni* novitate ſuperſe- E dere velint, prout in copia & littera præſentibus incluſa clarius intueberis: tamen *propter defectum Avenionenſium*, qui ſolvere non audebunt, nec forſan poterunt, deveniendum erit ad novam electionem. Et quia patres adventum hujuſmodi noſtrorum oratorum expectare non valeant, volumus ut omni diligentia inſtes pro Buda, quam obtinere ſperamus, conſideratis conditionibus rerum omnium quæ emerſerunt, & videntur præ oculis. Quamvis ſanctiſſi-

mus dominus noſter papa nobis tranſmiſit bullam ſuper approbatione Florentiæ, Utini, vel alterius loci decretati prius cum neceſſariis parari, proprias & dominorum cardinalium manibus ſubſcriptam, cujus copiam e veſtigio tibi tranſmittemus. Sed unum tibi injungimus, quod noſtri parte quantum tibi convenit, perſuadere cures, ut tantum facinus in eccleſiam Dei commiſſum non tranſeat impunitum, ſive ſint eccleſiaſtici, ſive laïcales perſonæ, quatenus in futurum via hujuſmodi ſcandali præcludatur. Et quia noſtri culminis littera ſacro tranſmiſſa concilio, cujus copiam, uti præmiſimus, habes *hic inſertam*, *tenet credentiam in tuam* & Gregorii egregii militis oratoris noſtri perſonas, volumus ut illa præſentata ſuper credentia referatis, aut unus veſtrum referat, ut intentionem noſtram moderetur, ſecundum quod vobis juxta occurrentium rerum qualitatem, pro bono rei videbitur utilius faciendum, nobis omnia quæ ibidem emerſerint continuo reſcribentes. *Datum* Egræ, die quinta menſis Julii, regnorum noſtrorum Hungariæ LI. Romanorum XXVII. Bohemiæ XVII. imperii vero V.

Ad mandatum domini imperatoris,

GASPAR SLIGK cancellarius.

[a] Venerabili (a) PAULO epiſcopo Argentinenſi oratori noſtro in ſacro Baſileenſi concilio, *devote* & *ſincere* dilecto.

Præterea ſcribimus civitati Baſileenſi, ut obediant ſacro concilio in proceſſu contra tales, qui falſitatem in bulla concilii commiſerunt: quam litteram eis præſentare debeas, quia revera magna machinatio in eccleſia Dei tentata eſt.

EPISTOLA JULIANI CARDINALIS & legati, ad decanum & capitulum eccleſiæ Herbipolenſis.

Ut oppignoratas decimas ad præpoſituram eccleſiæ ſuæ ſpectantes redimant.

Anno 1437. 1. Septemb. *Ex mſ. Ortelgerorum Leodienſium.*

JULIANUS miſeratione divina preſbyter cardinalis tituli S. Sabinæ, in Germania apoſtolicæ ſedis legatus, venerabilibus in Chriſto dilectis decano & capitulo eccleſiæ Herbipolenſis & amicis noſtris cariſſimis.

Venerabiles in Chriſto dilecti, memoramus nos dudum, dum apud vos conſtituti eſſemus ad Bohemiam profecturi, vobis, rationabilibus id tunc ſuadentibus cauſis, indulſiſſe, ut certas decimas tunc expreſſas, ad præpoſituram veſtræ eccleſiæ ſpectantes, uſque ad ſummam duorum millium florenorum Rhenenſium pignori obligare, & quod pro redimendis ſucceſſive eiſdem decimis ſubſidium a clero veſtro exigere poſſetis. Cum autem venerabilis dominus Jacobus de (b) *Sirck* apoſtolicæ ſedis prothonotarius [b] & præpoſitus eccleſiæ veſtræ, quereletur, quod licet *ſubſidium hujuſmodi* ab ipſo clero exegeritis & levaveritis, tamen decimas per vos impignoratas hujuſmodi minime curaſtis redimere; ſed ſubſidium ipſum in alios veſtros uſus convertiſtis, in ejus & dictæ præpoſituræ præjudicium & gravamen: vos rogamus & in Domino exhortamur attente, quatenus cum hujuſmodi ſubſidium receperitis, decimas ipſas indilate redimatis, ne ipſe dominus Jacobus ulterioribus nos pulſare habeat querelis; alioquin convincimur adverſum vos ſuper his procedere, prout juſtitia dictaverit & ordo rationis. Ex Baſilea, anno &c. MCCCCXXXVII. die 1. menſis Septembris.

BULLA CONCILII BASILEENSIS.

Litteris Martini papæ V. pro exſtirpatione hæreſis Huſſitarum fidem haberi præcipit.

SAcroſancta generalis ſynodus Baſileenſis, in Spiritu-ſancto legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentans, ad futuram rei memoriam. Anno 1431. 1. cal. Feb. *Ex mſ. Chartulario.*

Inter ſollicitudines innumeras noſtris humeris dietim incumbentes, aſſidua cura revolvimus & in votis gerimus deſideranter, ut fides catholica, quæ Chriſtianæ religionis firmiſſimum eſt fundamentum, noſtris proſperetur temporibus, & a contagioſis hæreticorum dogmatibus, quibus illam, quaſi tenebroſi fumi caligine: obfuſcare ſatagunt, conſervetur, hæreticaque pravitas de fidelium exſtirpetur finibus, ne innoxii & religione hujuſmodi inſigniti, hujuſmodi dogmatibus, inſtigante etiam ſatore malorum operum, inſici valeant & involvi.

Sane dudum felicis recordationis MARTINUS papa V. pro exſtirpatione pravorum dogmatum damnatæ memoriæ Johannis *Wicleff* de Anglia, Johannis *Hus* de Bohemia, & Jeronymi de Praga ac ipſis adhærentium & faventium, nonnulla ſalubria, pro ejuſdem fidei catholicæ conſervatione, ſuis litteris fieri mandavit, quarum tenor ſequitur in hæc verba:

MARTINUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiſcopis & epiſcopis, ac inquiſitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet conſtitutis, ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Inter cunctas paſtoralis curæ ſollicitudines, quibus premimur inceſſanter, illa potiſſime fortius nos angit, ut hæreticis de finibus Chriſticolarum expulſis, ſuiſque fallis

(a) Hic epiſcopus deſideratur in ſyllabo epiſcoporum Argentinenſium apud Sammartanos.

(b) Poſt Rabanum electus fuit Trevirenſis archiepiſcopus anno 1439.

doctrinis & erroribus perversis penitus, quantum nobis ex alto conceditur, exstirpatis, orthodoxa & catholica fides integra & illibata permaneat, ac populus Christianus in ejusdem fidei sinceritate, quolibet obscurationis semoto velamine, immobilis & inviolatus persistat.

Sane dudum a quampluribus retroactis temporibus in nonnullis orbis regionibus & dominiis, præsertim in regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ, &c. . . . . habenda sit mentio specialis. Datum Constantiæ VIII. cal. Martii, pontificatus nostri anno primo.

Nos igitur volumus & auctoritate universalis ecclesiæ mandamus, quatenus eidem tenori plena & indubitata fides adhibeatur, ubicumque & quandocumque in judicio & extra exhibitus fuerit vel ostensus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac universalis ecclesiæ se noverit incursurum.

Datum Basileæ decimo calendas Februarii, anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo tricesimo octavo.

Concordant literæ suprascriptæ cum aliis litteris bulla ipsius sacri concilii plumbea bullatis, facta collatione per me Michaëlem Galteri ipsius sacri concilii notarium.

Mich. Galteri.

Item per me T. Chesneloti.

EPISTOLA
ad prælatos nationis Germanicæ.

De adventu Græcorum Venetias & promto eorum animo ad unionem.

ann 1438. xxix Febr. Exemf. Cusigero. ven Lodien-sem.

REverendis in Christo patribus & venerabilibus viris dominis inclytæ *nationis* Germanicæ.

Reverendi patres & venerabiles viri, ut ea P. V. significem quæ hic de Græcis inveni & oculis vidi, has litteras eisdem scribere constitui. Applicui enim Venetias XIX. præsentis mensis, & inveni imperatorem & patriarcham Constantinopolitanum, qui octava (a) prædicti mensis cum maxima comitiva ecclesiasticorum & sæcularium nobilium, ultra numerum sexcentorum & quinquaginta personarum applicuerant, inter quos est frater germanus præfati domini imperatoris. Inter istos autem sunt ultra XXV. archiepiscopi & episcopi ac nonnulli abbates, multique calogeri & clerici sæculares. Sunt & nonnulli, qui dicuntur cardinales ecclesiæ Constantinopolitanæ, & etiam inter eos sunt oratores trium aliorum patriarcharum, &, ut dicitur, de proximo expectatur quidam archiepiscopus magnus de Russia, venturus per terram cum magna comitiva. Numquam profecto credidissem talem & tantam prælatorum & ecclesiasticorum ac nobilium comitivam invenire: quæ ut ex ipso aspectu facile apparet, valde est venerabilis, & ad hanc sanctam unionem de qua agitur, satis prona apparet, & bene inclinata esse videtur: immo eam, quantum ex verbis conjecturari potest, ardentissime desiderant; quod etiam *ex facto id ipsum facile comprehenditur*, cum dominus imperator valde infirmus, & dominus patriarcha antiquissimus, ex tam longinquis partibus venerint, & tot periculis & variis casibus se submiserint, ex qua re non potest non comprehendi, immo manibus, ut sic dixerim, palpari ferunt ipsorum animus ad hanc unionem. Et certe nemo est, qui hæc omnia prospiciat, quem ipsi in tanto fervore & tali dispositione ad compassionem non inducant, & de hac unione bene sperare faciant. Ipse dominus imperator a medietate corporis infra videtur *non posse se juvare, & impossibile sibi esse* transire montes. Similiter & domino patriarchæ qui antiquissimus est. Ipse dominus imperator cras hinc recedet versus Ferrariam, (a) ad quem locum dominus patriarcha *sequenti die iter arripiet. quam sanctum opus* sit intendere huic sanctæ unioni, optime videtur. Nec opus fore existimo exhortari vos ad prosequendum & promovendum tam sanctam rem, cum omnis catholicus Christianus naturaliter ad illam inclinatus esse debeat. Hoc audeo dicere, si quis illam promoverit, majus apud Deum meritum acquiret, quam si toto vitæ suæ tempore jejunaret atque oraret, &'alia pietatis opera faceret. Si quis impedierit, tamquam infinitarum animarum homicida, in inferno cum Juda portionem habebit. Valete memores *semper mei in vestris orationibus, ubicumque* fuero existimetis me non esse solum. . . .

[a]

(a) Andreas a sancta cruce tradit Græcos Venetiis receptos fuisse *cum magno campanarum pulsu* die nono Februarii 1438.

(a) *Quarto Martii Græcorum imperator Ferrariam magno cum equitum apparatu ingressus est, &c.* inquit Andreas a sancta Cruce.

CONCILIUM BITURICENSE anni MCCCCXXXVIII.

S'enſuit ce qui a été fait à Bourges par les prelats de l'egliſe de France, mandez par le roy noſtre ſire, aveuc les univerſitez, maiſtres, docteurs, chapitres, &c. à éviter la diviſion ou ſciſme entre le ſaint concile de Baſle & noſtre ſaint pere le pape, &c.

Anno 1438. Ex mſ. Vedaſtino.

Ledit conſeil mandé au premier jour de May cccc. & xxxviii. *fut continué & entretenu juſqu'au Jeudi* v. *jour de Juing, auquel jour le roy preſida audit conſeil, & furent premierement oy les ambaſſadeurs de noſtre ſaint pere, premierement l'archeveſque de Crete, qui parla en latin & apres en franchois, l'eveſque de Dine maiſtre en Theologie à Paris*, ordinis ſancti Benedicti, *& a ſurnom* Verſailles. *Et eſtoient en ladite ambaſſade* 11. *eveſques.* 1. *docteur.*

Item, lendemain furent oy les ambaſſadeurs du concile; c'eſt à ſçavoir l'eveſque de Sipons, l'abbé de Veſelay, maiſtre Thomas de Courcelles, l'arcediacre de Mets, & un autre licentié neveu de l'arceveſque de * *Lam.*

* f. Lyon.

Maiſtre Thomas propoſa en franchois ſa matiere en l'autorité de ſaint concile, monſtrant les inconveniens de la diſſolution que le pape voloit faire, & ſes ſequelles, &c. & fut tres notable coſe à oir, & en apres l'arcediacre de Mets, ad idem ſecundum jura canonica. *Et reſpondit à aucunes raiſons des autres, & ſpecialement en ce qu'il ſe voloit fonder ſur une fauſſe bulle, qui avoit eſté bullée raptim, & avoit eſté rompu le plon à Baſle, & par icelle fauſſe bulle, dont ils firent pluſieurs copies en la faveur du pape & monſtrées aux Gres, les Gres ont eſté deſchus. car il apparoit par icelles*, quod concordes erant de loco pro reductione Græcorum, &c. *De laquelle choſe ils ne ſont pas contens*, pro præſenti, *&c.*

Les ambaſſadeurs du pape requerroient au roy noſtre ſire v. *choſes & les laiſſerent depuis par eſcript.*

1. *Que le roy voulſit tenir & approuver le concile de Ferrare*, tamquam concilium univerſale ſive ycumenicum.

2. *Qu'il voulſit envoyer ſes ambaſſadeurs audit concile de Ferrare & à noſtre ſaint pere, en approuvant ledit concile, comme fils d'obediance.*

3. *Qu'il voulſit que ung chacun veullant aler audit concile de Ferrare, y poent aler liberalment à ſa volenté.*

4. *Qu'il voulſit revoquer & rappeller ſes ambaſſadeurs eſtant à Baſle, & commander à ſes ſubges qu'ils ſe departiſſent dudit lieu de Baſle.*

5. *Qu'il voulſit faire rapeller, revoquer & mettre au neant le decret de ſuſpenſion fait par yceulx de Baſle contre noſtre ſaint pere.*

Les requeſtes que firent ceulx du ſaint concile.

1. *Requerrent au roy qu'il luy pluſt auctoriſer & faire garder en ſon royalme comme roy tres Chreſtien les ſaints decrets par eulx faits pour la reformation de ſainte egliſe* in capite & in membris, *&c. que eſtoit choſe ſainte, &c.*

2. *Qui feiſt defenſe à ſes ſubgés pour le bien univerſal de l'egliſe de non aler au concile de Ferrare, pour eviter toute matiere de diviſion, attendu que le ſaint concile de Baſle eſtoit vray concile, & ayant auctorité a* Sancto Spiritu, *&c.*

3. *Qu'il luy pleuſt envoyer ſes ambaſſadeurs de nouvel audit ſaint concile de Baſle, pour faire & traitier ce qui eſtoit à parfaire pour le bien de l'egliſe univerſelle & la reformation d'icelle, tant* in capite, *comme* in membris.

4. *Qui lui pleuſt à faire garder en ſon royalme & ſeigneuries, & mettre en execution le decret de ſuſpenſion fait par ledit concile contre le pape, &c.*

Item, les deſſuſdits oys, comme dit eſt, iceluy jour apreſta propoſition maiſtre Thomas, les parties retraites, c'eſt à ſçavoir leſdits ambaſſadeurs tant d'un coſté comme d'autre, monſieur le Chanſellier en la preſence du roy, monſieur le Dauphin, monſieur de Bourbon, monſieur Charles Danjo, pierre, monſieur de Bretaigne, le comte de Vendoſme & pluſieurs autres, dit & recita les cauſes pourquoy le roy avoit aſſemblé les deſſuſdits. Et en effet dit que c'eſtoit afin d'avoir conſeil & advis deſſus le diſcord & contrarieté des deſſuſdits, le pape & le concile, & pour eviter toute matiere de ſciſme; & ſur ce parla bien & notablement en recitant cumment les predeceſſeurs roys de France avoient touſiours labourré au fait de l'egliſe, procuré union, oſté diviſion & eſclandre, &c.

Item, après ſa propoſition pour ouvrir la matiere tant d'un coſté comme d'autre, furent eſleus deux notables prelats à venir le lendemain afin que chacun peuſt eſtre mieulx adverti de deliberer en ſi haute matiere.

Item, monſieur l'eveſque de Caſtres confeſſeur du roy, maiſtre en theologie à Paris fut ordonné ad ce faire, & monſieur l'eveſque de Tours qui eſt ſolemnel juriſte.

Item, & le lendemain parla premier ledit eveſque de Caſtres moult ſolemnellement, & prouva clairement que l'egliſe & le concile eſt deſſus le pape en trois cas, c'eſt aſſavoir en cas de hereſie, deſchiſme & de reformation generale, ſans de rien deſprimer l'autorité du pape qui eſt chief de l'egliſe, &c. Mais quia eſt peccabilis, auferibilis, *&c.* oportet ponere unam ſecundam, quæ habeat ipſum regulare ſi deviet, quæ eſt eccleſia.

Item, monſieur de Tours tantoſt apres confirma le dit de l'autre, argua pro & contra, *en recitant pluſieurs abus de court, le grant convoitiſe, le grant travail du roiaume* in pe-

cuniis & aliis, *en concluant neceſſairement la reformation, & notablement propoſa en verité chacun en ſon endroit.*

Item, apres leſdites propoſitions, monſieur le Chanſellier demanda par opiguions, & à chacun demanda, aſſavoir ſe le roy devoit contendre ad media pacis in iſta materia. 2. *Se en ceſte matiere il ſe pooit conſtituer mediateur. Et brief apres que chacun ot eſté oy tout du long en ceſte matiere, il fut conclu affirmativement* quod ſic, *que le roy avoit grant part en l'egliſe, & que en enſuivant ſes progeniteurs, il devoit labourer* ad concordiam, *&c.*

Item, apres pro mediis pacis, *il fut conclu que le roy envoyroit lettres au ſaint concile & au pape, afin qu'on ne procedaſt plus avant, ne d'un coſté ne d'autre, mais tout fuſt en ſuſpens.*

Item, ſecundo *fu conclu d'envoyer certaine ambaſſade de par le roy, tant au pape que au concile, pour trouver moyens de pais avecques certaines informations.*

Item, le ſecond point principal dudit conſeil de Bourges fut de veir diligammant tous les decres de Baſle, afin que la reformation faite par iceulx decrets, fuſt gardée, ſalvis tamen aliquibus moderationibus de quibus infra.

Item, leſdits decrets tous plombés en un livre furent exhibés, & pour iceulx veir furent deputés aulcuns prelats & docteurs juſques à x. perſonnes, qui chacun jour y labouroient diligamment, & y avoit ſouvent mainte controverſe, ainſi qu'on a accouſtumé en telles matieres diverſes.

C'eſt ce qui fut ordonné au regard d'aulcuns decres de Baſle.

Et 1. *pour ce que la controverſe* inter papam & concilium *ſembloit eſtre cauſée pour ce que les vacans avoient eſté oſté au pape par ledit concile, dont le pape eſtoit mal content, il fu apointié, que on regarderoit à lui faire aucune proviſion, comme il luy avoit eſté promis à faire ledit decret, & que pour ce le pape ſe pourroit plus legierement apaiſier* proviſione ſibi facta.

Item, & fu deſclairié & determiné par leſdits deputés, & depuis auſſi par toute la congregation, quod vacantiæ nullo jure debentur papæ nec alteri cuicumque, *& le cauſe pourquoy ils furent accordez, premierement fu pour mettre ſus un voyage à recouvrer la terre ſainte: mais depuis le pape les a touſiours prins & levé bien rigoureuſement,* licet indebite, quia cauſa ceſſat, *&c.*

Item, combien qu'il fu dit, que le pape a ſuffiſamment pour ſon eſtat en la terre de l'egliſe; neantmoins pour ladite promeſſe, il fu dit qu'il aroit proviſion ſon temps durant ſeulement & ſans preiudice en temps à venir, en la maniere qui ſouſit; c'eſt aſſavoir que de tous les benefices vacans electis ou aultres, de queconque taxe qu'ils ſoient, on paiera au pape pour tous droits de chambre, menus ſervices, ſacre, &c. la quinte partie du taxe, à laquelle ledit benefice eſtoit taxé devant la reduxion faite à Conſtance par un decret qui ſe commence attendentes, *par lequel les vacances furent reduis à la moitié*: verbi gratia, *ung eveſché eſtoit taxé à quatre milles à Conſtances fu reduit à deux milles. Et pour la proviſion deſſuſaittes on payera la quinte partie des quatre milles que on payoit devant ladite reduction, & ainſi de tous autres benefices le quint, & brevement ladite ſomme que on payera pour ladite proviſion, monte juſtement la valeur de deux diſmées.*

Item, la moitié de laditte ſomme ſe payera in fine anni a tempore pacificæ poſſeſſionis, *& l'autre* in fine ſecundi anni.

Item, les benefices au deſſous de dix livres ne payeront point pour ladite proviſion.

Du decret de la collation des benefices.

Il a eſté dit & determiné que la collation des benefices omni jure *appartient aux collateurs & ordinaires, & que deſormais la collation leur demourra, & que toutes expectatives ceſſeront, comme choſe condamnée* omni jure & ſpecialiter in capitulo *Ullam.* de conſec. præ. *&c. & pour la raiſon dudit chapitre n'aront plus lieu en ce royaume.*

Item, & les elections & confirmations ſe feront ſecundum jus commune, *les exems en court de Rome ſans vacance, & moyenant la proviſion deſſus dite.*

Les exemtions faites depuis le concile de Conſtance n'aront point de lieu.

Item, le prelats pourront donner les benefices, eſt aſſavoir les deux parties d'iceux à qui leur plaira, mais que ce ſoient gens idoines, &c. ut in c. commune *de præ.* alias ſuperior providebit.

La tierce partie ſe donrra aux graduez & non à aultres en ceſte maniere, que ceulx qui ſeront graduez & reſidens es eſtudes, aront les deux pars de ceſte tierce partie; & l'autre partie de ceſte tierce partie, le prelat le porra donner à ung gradué eſtant abſent.

Item, au regard de ce, il y a pluſieurs qualifications qui ſeroient trop longues à eſcripre icy, leſquelles vous ſeront envoyez auxsefois.

Item, ce nonobſtant eſt reſervé au pape la collation de ſes familliers & officiers de cours de Rome, moyennant ce qu'on moderera le nombre d'iceulx, &c. combien que le decret de Baſle accorde au pape la prevenſion des benefices, neantmoins audit concile de Bourges il oſtent la prevenſion deſſus dite.

Item, le pape en ſa vie pourra conferer en chaſcune egliſe cathedrale aucuns benefices, & me ſemble que de chacun nombre de xx. *prebendes, il porra conferer l'une & pour une fois, ainſy de quarante prebendes il conferroit deux en ſa vie. Aucuns y veloient mettre de* x. *livres.*

Item, au regard des cauſes introduites en court & à Baſle, elles ſe finiront où elles ſont commenchiés, & de cetero *ſeront toutes revoquées* ad partes, *& ne porront eſtre traitiés les*

parties ultra unam dietam &c. juxta c. ſtatutum.

Et ſi il avenoit que la court fuſt citra montes, *nuls ne porra eſtre trait en court* ultra duas dietas in dicta curia, ſed fiet remiſſio, *mais les officiers du pape porront traire leurs parties* in curia propter auctoritatem curiæ Romanæ.

Item, pro recipiendis ſacris ordinibus nihil erit recipiendum, niſi duo ſolidi cum dimidio pro carta. & ſunt aliqua ſpecificata ibidem, quæ in brevi explicari non poſſent, tam pro confinalibus, quam collatione beneficiorum, quoad pecuniarum receptionem &c. quæ etiam videbuntur latius.

De gratiis expectativis ordinatum eſt quod locum habeant uſque ad paſcha, quoad illas quarum proceſſus ſunt jam actu intimati.

Item, les ordenances deſſus dittes ont été faittes par leſdits deputés & depuis en general confermées & pluſieurs fois corrigées & reformées; & finalement quant nous partiſmes de Bourges, elles n'eſtoient point encorres miſes au net, ne en forme ordinaire, & pour ce ne les peuſmes rapporter: mais pour ce que je fus du nombre deſdits deputés, licet indignus, *& que j'en ooie ſouvent parler, je les ai retenu en ſubſtance quant aux principaux decres.*

Item, tous les aultres decrés de Baſle furent aprouvez, & fu conclu de demander de par le roy au concile, que leſdits decrés volſiſſent moderer ſelon l'ordonnance deſſuſdite, non pas qu'ils euſſent autorité ſur ledit concile, mais par maniere de requeſte.

Item, fu conclu au regard de la diviſion, quod reformatione eccleſiæ facta, rex Franciæ erat concors & prælati de loco eligendo pro reductione Græcorum, *& de ce ſeroient chargiez ſes ambaſadeurs, à laquelle choſe s'accordoit le ſaint concile, leſquels eſtoient d'accord de queconques lieus; mais qu'il fuſt decidé que leurs decrés avoient lieu, par leſquels ja piecha il fu decreté & à Conſtance & à Baſle*, quod papa non poterat diſſolvere concilium legitime congregatum, &c.

Item, en la concluſion fu conclu de faire une propoſition devant le roy, par laquelle il lui ſeroit dit ce qui avoit été fait pro bono eccleſiæ, pro unione, &c. *& après le requerre qu'il voulſiſt tout accorder, approuver, &c.* & decretum apponere, immo & quod omnia iſta locum haberent in regno.

Secundo fuit requiſitus rex ſuper libertatibus eccleſiæ, virorum eccleſiaſticorum, conſervandis juribus eccleſiæ, &c.

Tertio, ſuper proviſione regni ſui deſolati & celeriter. Et ſuper hoc quidam collega noſter, magiſter in theologia, nomine magiſter Robertus *Erboule*, requiſitus de ſero in craſtinum, ſolemniter propoſuit, ita quod mirabile fuit ipſum audire, attento parvo ſpatio quod habuit, & ſuper dictis tribus articulis hujuſmodi reſponſum.

Primo, rex humiliter & dulciſſime regratiatur omnibus prælatis &c. honorem eccleſiæ & ipſos commendavit de bona obedientia. ad primum articulum rex comprobavit & laudavit omnia facta per ipſos & ex nunc voluit & vult, quod dicta decreta haberent locum in regno ſuo ſecundum modificationem, &c.

Quoad libertates eccleſiæ, rex voluit & accordavit prælatis & aliis eccleſiaſticis, quod haberent omnino ſuas libertates & privilegia talia qualia habebant & habuerunt tempore B. Ludovici & Philippi Pulcri, nec volebat aliqua infringere, nec infringi facere; & ſuper his duobus volebat litteras fieri, & illas in toto regno publicari, & illas facere obſervari.

Quoad tertium excuſavit de anno præterito, quod non fecit armatam: pro iſto anno dicit quod uſque nunc etiam eadem cauſa fieri non potuiſſet, propter cariſtiam & famem, quæ auxiſſet cum ſua comitiva; ſed dixit quod congregaret conſilium ſuum & illos de ſanguinë ſuo, & quod per Dei gratiam intendebat breviter providere. quibus habitis, receſſerunt omnes, nos illa die, alii in craſtinum, & rex, &c.

Prælati fuerunt in magno numero, archiepiſcopi Remenſis, Turonenſis, Bituricenſis, Toloſanus & Cretenſis, qui fuit ex parte papæ. Epiſcopi uſque ad xxv. Abbates, priores, capitula & de ſtudiis multi notabiles viri in magno numero. de noſtro ſtudio Pariſienſi fuerunt tres magiſtri in theologia ſolemniſſimi viri, duo decretiſtæ & unus artiſta.

LITTERÆ CONCILII BASILEENSIS.

Quibus mandat eos excommunicari qui Johannem abbatem Ciſtercienſem doloſe coperant.

Anno 1434 menſe Aug. Ex Autographo.

SAcroſancta generalis ſynodus Baſileenſis in Spiritu-ſancto legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentans, venerabilibus Bituricenſi & Auxitanenſi archiepiſcopis, ac epiſcopo Eduenſi, ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Quos noxiæ voluntatis adeo captivat perverſa intentio, ut auctoritatem ſanctionis canonicæ contemnentes, in aliorum graves prolabentur injurias; nimirum ſi hos ſeverius eccleſiaſtica cenſura percellat, & pro demerito rigorem adjiciat judiciariæ poteſtatis. Ad audientiam ſiquidem noſtram, dilecto eccleſiæ filio Johanne abbate monaſterii Ciſtercienſis Cabilonenſis diœceſis, referente, pervenit, quod cum olim ipſe Johannes abbas ad locum de Divione Lingonenſis diœceſis, pro certis ſuis peragendis negotiis equitando tenderet, quidam iniquitatis filii & perditionis alumni, videlicet Johannes *de la Roque*, aliàs *Archambaut Ponchon de la*

de la Riviere, & Ludovicus *de Blanchefort*, aliàs *Le petit Blanchefort* armigeri, nec ordini nec dignitati deferentes, timore Domini relegato, cum nonnullis ſuis in hac parte complicibus, eumdem Johannem abbatem habitu religionis indutum, ejuſque familiam hoſtiliter invadentes, captivarunt & captum abduxerunt, & per ſex hebdomadas vel circa detinuerunt captivatum, ipſum equis, mulis, libris, veſtibus, ſigillo & aliis clenodiis, rebus & bonis nequiter ſpoliando, necnon multiplicia ſibi damna, injurias & offenſas irrogando in divinæ majeſtatis offenſam, eccleſiaſticæ libertatis vilipendium, ipſius abbatis maximum præjudicium & jacturam, ac perniciosiſſimum exemplum plurimorum.

Nos igitur attendentes, quod non decet, nec expedit præfatos ſacrilegos, ipſiſque ſuper hujuſmodi horrendis & deteſtandis exceſſibus præſtantes auxilium, conſilium vel favorem, abſque animadverſione debita relinquere incorrectos, circumſpectioni veſtræ per hæc noſtra ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus veſtrûm, omnes & ſingulos hujuſmodi ſacrilegii patratores, clericos & laicos; ac eos qui ipſis in præmiſſis dederunt auxilium, conſilium vel favorem, excommunicatos & anathematizatos publice nuntietis, & faciatis ab aliis nuntiari; voſque nihilominus de prædictis omnibus & ſingulis & ea contingentibus auctoritate noſtra ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſolerti & fideli adhibita diligentia, informetis; necnon armigeros prædictos, omneſque alios & ſingulos clericos & laicos, cujuſcumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, ſtatus vel conditionis exiſtant, quos per informationem hujuſmodi repereritis commiſiſſe aut committi feciſſe vel mandaſſe prædictos exceſſus, aut in eis committendis præſtitiſſe auxilium, conſilium vel favorem, nominatim & in ſpecie tamdiu excommunicatos, diebus Dominicis & feſtivis, pulſatis campanis, candelis accenſis, in eiſdem eccleſiis atque locis, cum in eis fuerit major cleri & populi multitudo, publice nuntietis, & per alios nuntiari faciatis, ac ab omnibus arctius evitari, donec prædicto abbati ablata reſtituerint, & de injuriis eidem irrogatis ſatisfecerint competenter, ac cum veſtris litteris rei veritatem continentibus ad nos ſeu ſedem apoſtolicam venerint abſolvendi. Et inſuper vos ipſi, ſeu etiam duo, vel unus veſtrûm eoſdem armigeros, & alios dicti ſacrilegii principales patratores, ſub privationis omnium feudorum, quæ ipſi ab eccleſia quomodolibet tenent, ac perpetuæ infamiæ pœnis, eadem auctoritate diſtrictius moneatis & requiratis, quatenus infra certum per vos ſeu aliquem veſtrûm eis præfigendum terminum præfato abbati ablata hujuſmodi reſtituiſſe; necnon de injuriis, damnis & intereſſe plenariam & condignam ſatisfactionem impendiſſe debeant, alioquin infra certum alium terminum, quem eis ad hoc ſimiliter duxeritis præfigendum, ipſos declaretis pœnas prædictas damnabiliter incurriſſe, invocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Ceterum ſi ipſorum armigerorum & aliorum prædictorum præſentia pro monitionibus eis & citationibus de ipſis faciendis tute haberi nequeat, nos vobis monitiones & citationes quaſlibet per edictum publicum locis affigendum publicis, de quibus ſit veriſimilis conjectura, quod ad notitiam monitorum & citatorum hujuſmodi pervenire valeant, faciendi plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem: Volentes quod monitiones & citationes perinde arctent monitos & citatos, ac ſi eis factæ præſentialiter & perſonaliter extitiſſent. Non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. illis præſertim quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, & ne judices extra civitatem vel diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, ſeu alii vel aliis vices ſuas committere, aut alios ultra unam dietam a fine diœceſis eorumdem trahere præſumant, ac de perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, quam aliis conſtitutionibus apoſtolicis contrariis quibuſcumque: ac ſi aliquibus communiter vel diviſim à ſede apoſtolica indultum exiſtat quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per litteras non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Baſileæ, IV. non. Auguſti, anno a nativitate Domini MCCCCXXXVIII.

EPISTOLA JOHANNIS

cardinalis S. Petri, ad Rabanum archiepiſcopum Trevirenſem.

Commendat ei Nicolaum de Cuſa, quem de eccleſia parochiali de Brincaſtel *providerat.*

Ex mſ. Cr. cigerorum Leodienſium.

REverendiſſimo in Chriſto patri & domino R. Dei gratia archiepiſcopo Trevirenſi, ſacri imperii electori, amico noſtro ſingulariſſimo.

Reverendiſſime in Chriſto pater & domine, amice noſter ſingulariſſime, felices ad votiva ſucceſſus. Exigit dilectionis affectio, quam ad venerabilem decretorum doctorem NICOLAUM DE CUSA (*a*) præpoſitum monaſterii *Meymfelt*, ob ejus laudabilia merita &

(*a*) Is poſtea fuit epiſcopus Brixienſis, atque S. R. E. cardinalis, & legatus ſedis apoſtolicæ in Germaniam.

utilia ſervitia huic ſacro concilio per ipſum ſæpenumero impenſa habemus, ut has noſtras *litteras in ipſius favorem* V. R. P. mittamus. Rogamus igitur eo quo enixius poſſumus [modo] eamdem paternitatem veſtram reverendam, quatenus eum paterna benevolentia ſuſcipere digneminí, non patientes eidem aliquam injuriam aut quovis modo moleſtiam *in perſona aut rebus* per quempiam inferri, ſed noſtri amoris intuitu ſibi in ſuis opportunitatibus veſtri favoris auxilia impertiri, præſertim in aſſecutionem pacificam eccleſiæ parochialis oppidi in *Brinaſtel*, de qua ex commiſſione per ſacrum concilium nobis facta providimus. Iterum eodem affectu eamdem R. P. V. rogamus, quatenus quantocius poteritis, veſtrum benignum reſponſum ſuper his nobis reſcribere dignemini, ut eumdem Nicolaum de hoc aſſecurare valeamus, & eidem perſuadere, quatenus ſe ad *filialem & debitam* ſubjectionem & fidelitatem R. P. V. complacentiam abſque ulla hæſitatione donet; in quo nobis gratiſſimam faciet eadem R. P. V. complacentiam, quam votivis ſucceſſibus conſervet Altiſſimus. Ex Baſilea XII. *Auguſti*.

Jo. cardinalis S. Petri, apoſtolicæ ſedis legatus.

APPELLATIO PRINCIPUM electorum.

Anno 1439. 13. Aug. *Ex inſ. Crucigerorum Leodienſium.*

NOs &c. ſacri Romani imperii principes electores, coram venerabilibus viris notariis & teſtibus hic præſentibus proponimus & dicimus, quod licet fidos & indefeſſos labores impendimus graviſſimis expenſis, ut catholici principes, ſollicita conventione, ſedula oratorum miſſione, ut deteſtabile inter S. D. N. & ſacrum Baſileenſe concilium ceſſaret diſſidium, reformarentur diſſidia, fieret pax in populo catholico, in omni honore & reverentia eccleſiæ ſtatus refloreret; hactenus tamen, quod dolenter referimus, tam gratum nihil aut acceptum partibus hinc inde noſtræ ſollicitudines offerre potuerunt, per quod ad pacem nonnumquam digeſta oblata medicina condeſcenderint. Sed noſtris undique multorum regum & principum ſecluſis precibus, pendentibus laboribus & expenſis, proteſtationibus, quæ veluti ſchiſmatis fomenta extinguere quæſivimus, in execrabilem & duriorem ſe diviſionem præcipitarunt. SS. D. N. dominum EUGENIUM papam IV. quadam ſua ſententia patres ſacri Baſileenſis concilii, ut aſſerunt & palam prædicant, ab omni pontificali & papali adminiſtratione emittentes, ea agunt & nituntur impedire, quæ dictus dominus EUGENIUS papa & alii Romani pontifices facere conſueverunt: dicto nihilominus S. D. N. Eugenio ſe opponente, & in contrarium omni ſua, ut ante, auctoritate utente, id evenit, ut contrariis tam in hujuſmodi diffidii & diviſionis materia, quam etiam in aliis caſibus, dietim proceſſibus, ſententiis, mandatis & edictis nos & noſtri moleſtamur, & quotidie inquietamur; quæ etſi hactenus ſpe futuræ pacis, licet maximo incommodo, & in grave eccleſiaſtici gradus periculum patienter ſuſtinuimus: conſpicimus tamen non ſolum ad pacem non conferre, quin immo hujuſmodi diviſionem multipliciter confoveri. Nos itaque attendentes dum in radice palam contraria prædicatur auctoritas & contradicit, quidquid tandem ejuſdem auctoritatis prætextu quomodolibet editur, decernitur, ſive mandatur, & dum uni obedire ſtudemus, in aliud veremur incidere; ſicque timoratæ undique fluctuant conſcientiæ, neſciunt in quam partem declinare. Succedunt dietim irreparabilia ſcandala, vertitur in vulgi diſceptatione ſuperiorum auctoritas, a ſummo uſque ad ima ſinguli fidelium conventus, proh dolor! ut videmus, hoc ſchiſmate ob ſingulares affectiones graviter inclinantur. Res hæc tenebroſa in nubibus aëris ingeniorum noſtrorum vires excedit, & abſque periculo non valemus apud nos ipſos rem litteratiſſimis tam difficilem determinare.

Quibus attentis, hac hactenus confidentia ducti probabili, noſtra penſata dubitatione ſperabamus, quod neutra nos partium hac diverſitate minime definita aut determinata in alio concilio, ut cum aliis regibus & principibus ſæpe expetivimus, requiſivi ſſetiſed his non obſtantibus, nunc per legatos, nunc per oratores, nunc vero bullarum affixione prætendunt hinc inde nos requirere, ut tam arduiſſima re, quæ de auctoritate eccleſiæ & fidei catholicæ fundamentis multipliciter variat, partem ſtatim aſſumamus, uni obedientes, reliquum repellendo, quemadmodum in dictis aſſeritur contineri bullis, litteris & proceſſibus, quas hic non repetimus & pro expreſſis haberi volumus, quantum pro nobis faciunt, & non aliter ſeu alio modo, de quo expreſſe proteſtamur, plenius continetur.

Ex illis igitur cauſis & aliis ſuis loco & tempore dicendis, proponendis & allegandis, de quo ſimiliter proteſtamur, ab omnibus & ſingulis mandatis, proceſſibus, ſententiis, ſive edictis obtentu præſentis diſſidii, directe vel indirecte, quomodolibet fulminatis ſeu fulminandis, requiſitionibus jam factis aut in futurum faciendis, pro nobis, noſtris & quibuſlibet noſtrûm ſubditis adhærentibus & adhærere volentibus, ad ſacroſanctum generale Baſileenſe, futurum generale & œcumenicum concilium, SS. dominum noſtrum Eugenium papam IV. ſanctam ſedem apoſtolicam, alium vel alios, ad quem vel ad quos de jure fuerit appellandum, om-

nibus melioribus modis, via, causa, & formis, *quibus hoc efficacius fieri potest & debet*, tam conjunctim quam divisim provocamus & appellamus, submittentes nihilominus nos & omnia bona nostra, ac adhærentium & adhærere volentium præfatorum sacri concilii SS. D. N. Eugenii, sanctæ sedis apostolicæ, seu alterius ad quem appellandum fuerit protectioni & defensioni, ex tunc petentes instanter, instantius, instantissime *apostolos seu litteras dimissoriales nobis* tradi & assignari: protestantes quod per nos non stat, quominus eas recipiamus, si quis sit qui nobis dare vellet, tradere & assignare, cum protestatione insinuando, prosequendo hujusmodi appellationem suis loco & tempore opportunis: super quibus a vobis dominis notariis *publicis petimus* instrumentum confici seu instrumenta tot quot fuerint necessaria & opportuna, cum aliis protestationibus & clausulis apponi solitis, necessariis & consuetis, salvo jure addendi, mutandi, minuendi, & aliis, prout fuit & est moris, &c.

Exhibita est præsens schedula nobis notariis infrascriptis per reverendissimos patres dominos THEODERICUM archiepiscopum Moguntinum, ac JACOBUM electum & confirmatum Trevirensem, pro se & nominibus propriis; necnon præfatum dominum THEODERICUM archiepiscopum, illustris principis FREDERICI marchionis Brandeburgensis, reverendum patrem FREDERICUM episcopum Wormatiensem, illustris principis domini LUDOVICI comitis palatini Rheni, & *venerabilem dominum* HENRICUM *de Erpell.* reverendissimi patris domini THEODERICI Colonienſis archiepiscopi principum electorum oratores & ambassiatores, prout &c. die Jovis XIII. Augusti, horis vesperarum vel quasi, in stuffa capitulari ecclesiæ Moguntinæ, præsentibus dominis Jo. abbate S. Matthiæ extra muros Trevirenses, Philippo de *Sirck* decano ecclesiæ Trevirensis, anno &c. MCCCCXXXIX.

Z. HENRICUS DOL.

EPISTOLA JANUENSIUM ad concilium Basileense.

Gratias agunt de liberatione Baptistæ de Flisco & Amfrionis Spinulæ.

Anno 1439. Ex schedis Vaticanis.

SAcrosancto concilio Basileensi consilium ancianorum civitatis Januæ.

Scimus, reverendissimi patres & domini, præstantiam vestram non expectare, ut pro his quæ recte gerit, laus humana aut alia merces ab hominibus rependatur, cum præsertim a sapientibus traditum sit, esse recte factorum *præmium* recte fecisse. Sed & paternitates vestræ, quæ solum Deum intuentur, & ab eo sibi rependi cupiunt accumulationem mensuræ, multo minus desiderant a *nobis pro beneficiis suis gratiam sibi referri.* Nos tamen dum cogitantes quanta non solum benignitate, sed quo labore ac studio pene incredibili dominationes vestræ contenderunt, pro liberatione civium nostrorum Baptistæ de Flisco & Amfrionis Spinulæ, nefas putamus, pro tanto beneficio non agere *illis* gratias ingentes & infinitas. Magnum profecto fuit beneficium vestrum, sed & *auxit gratiam illius, quod magno labore* summaque difficultate res confecta est, quam quam nullis accedentibus nostris precibus dominationes vestræ hujus liberationis negotium susceperunt. Habemus igitur illis gratias immortales, protestantes enixius, ut si quid est, aut erit in quo possimus votis eorum *inservire, id nobis* indicetur; namque in omnia vota sua nos semper habebimus ex animis paratos. Data Januæ, *anno* MCCCC. XXXIX. die IX. Septembris.

Consilium ancianorum Januæ.

PROTESTATIO ULTIMA MAGUNTIÆ concepta & facta.

Ex mſ. Crucigerorum Leodiense.

NOs, &c. *attendentes quod* si sacrorum generalium conciliorum sedisque apostolicæ honor & auctoritas ... ut principibus catholicis sanctæ matris ecclesiæ filiis, in cunctis agendis nostris semper insideat animis, totum in hoc jactavimus cogitatum, ut inter fluctuantes mortalium sententias, quas, *proh dolor!* præsens ad nos ecclesiæ scissura quotidie defert contrarias, sic recti tramitis incedamus protecti clypeo, sic sedem honoremus apostolicam, ut sacrorum conciliorum non lædatur auctoritas, & sacras sic generales colemus synodos, ut apostolica sedes, quam inter cunctas primam credimus, non in juris sui præeminentia deprimatur. Sed quod dolentes referimus, adeo sacrum Basileense *concilium* & S. D. *noster* se mutuo inque se invicem contrariis proceſſibus insæviunt, mandata atque decreta tam adversa conficiunt, ut non solum quid ea in re verius, justius & sanctiusque tenendum sit, nos ipsi probabiliter ignoramus: quin immo confusio status multiplicatur ecclesiæ, succrescunt scandala, fidelium hominum perplexantur animi, dietim gravior serpit divisio, ut *nisi celeri succuratur antidoto, dato libello* repudii, ecclesiæ unitas tam in superioribus potestatibus, quam singulis fidelium conventibus, extra mundi terminos exsulabit. Sacrum namque concilium non solum S. D. N. Eugenio papæ nullam papalis dignitatis administrationem attribuit, quin immo privatum prædicat & depositum reputari, sibique non obediendum cunctis principibus & fidelibus Christianis palam maximarum pœna-

rum formidine conatur præcipere. Vice versa S. D. N. nullam Basileensi generali concilio auctoritatem deferre, quin immo conciliabulum, & in alia prætendit loca translatum, inhibens nihilominus pœnis non mediocribus, ne quisquam cujuscumque status, &c. concilium audeat Basileense profiteri, prout in bullis litteris & processibus partium, quas, quantum pro nobis faciunt, hic [non] repetimus, & pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Evenit, proh dolor! ut quicquid altera partium sua etiam auctoritate agitat, altera non solum hæreticum dicit & schismaticum, quin immo in maximam fidei catholicæ utriusque auctoritatis læsionem, scandalum, & confusionem totius orbis palam & publice promulgare non veretur. Nos itaque ut catholici principes & fideles sanctæ matris & sedis apostolicæ devoti filii, hujusmodi nostræ matris condolentes angustiis, fidos nostros indefesse multiplices, nunc soli, nunc aliorum regum & principum assistentia, precibus & protestationibus hactenus labores impendimus, quantumcumque absque gravi perplexitate animorum potuimus spe futuræ pacis, neutri partium quidquam obedientiæ impendere distulimus. quod dum tandem, ut desideramus, minus profuisse conspicimus, & quod tanta sinceritate extinguere conati sumus, ex utriusque partis adhærentia amplius, quod dolenter referimus, conspicimus dilatari. animadvertentes quod quodcumque in antea sacri Basileensis concilii mandatum obediendo recepimus, contra S. D. N. Eugenii nos potestatem erigimus, illi contradicimus, suæque restitimus auctoritati. Et si quo sanctitatis suæ præcepto paremus, sacrum nos Basileense concilium fautores schismatis & hæreticæ pravitatis reputabit. Hæc nostrorum diversitas vires sucedit ingeniorum. hinc os in cœlum tollere veremur. Has duas ecclesiæ præeminentias, nostræ nolentes inniti prudentiæ, nequaquam possumus, volumus, seu intendimus tam tenebrosam in nubibus aëris quæstionem quomodolibet diffinire. In tanta profecto contrarietate processuum, edictorum, mandatorum, requisitionum merito perplexi, velut inter retia provoluti pisces, latera undique pertimescentes, nescimus in quam partem declinare, timoratis undique quærentes gravatis consulere conscientiis, ne dum unum amplectimur, in alterius laqueum graviter incidamus, confusioni totius fidei catholicæ & ecclesiastici status & innumerabilibus in populo scandalis, quæ ex utrisque partibus propter adhæsionem præmissorum provenire quotidie conspicimus, & quæ dietim, proh dolor! nisi occurreretur, graviora expectaremus, possibilibus remediis occurrere cupientes, sacri Constantiensis concilii attenta constitutione super provisione schismatis edita, quæ incipit *Frequens*, certis inter nos aliosque reges & principes intelligentiis, consilii supradictis causis aliisque suis loco & tempore clarius explicandis, alias per nos factas protestationes renovantes in his scriptis, convenimus, dicimus, & protestamur, & in antea nullum edictum, sententiam, processum seu alias *mandatum quodcumque partium contra* aut in se invicem alios quoscumque seu quemcumque cujuscumque statum, dignitatem, beneficium, officium, bona, res, jus, vel actionem, præjudicium seu gravamen quomodolibet, directe vel indirecte respiciens cujuscumque dignitatis conditionis & status, etiamsi papalis fuerit, occasione præsentis diffidii fulminatos, si qui fierent aut fulminarentur in futurum, sive contra decreta alias per nos acceptata, sive alias quæcumque seu quascumque contrariorum affectuum in terris & dominiis nobis & ditionibus nostris subjectis nequaquam recipiemus, publicari seu affigi permittemus; quin immo impetrantes, promoventes, etiamsi motu proprio concederentur, recipientes, utentes, publicantes seu affigentes, in judicio quomodolibet dantes vel allegantes, eo ipso ex omnibus dominiis & terris nobis subjectis censeantur relegati, & bona eorum ipso jure confiscata, ultra hoc si extranei fuerint, pœnis condignis arbitrio ordinariorum moderandis acrius puniendi. Verum cum non solum ex supradictis mandatis, processibus, sententiis sive edictis; quin immo etiam ex singularibus aliis concessionibus, sententiis, processibus sive mandatis, qualiacumque sint, aut quibuscumque nominibus censeantur, sic, ut *præmissimus, in fonte & origine contrarietas* & perplexitas generetur; quin immo nos experientia diuturna edocuit, statum non solum universalis, sed & aliarum ecclesiarum confundere graviter, scandala irreparabilia generari, & partes hinc inde contendentes per multorum assistentiam multipliciter in suis extremitatibus confoveri. Edicimus quod similiter in antea nullus potest processus, mandata, sententias, decreta, &c. quæ per se aut alia sua auctoritate in quibuscumque causis vel negotiis etiam *actu pendentibus*, post tempus hujusmodi fieri contingeret, in terris & dominiis nostris nullatenus recipiemus; quin immo publicantes, affigentes, seu alias quovis modo utentes pœnas supradictas eo ipso incurrant, pœnitentiariæ litteris & aliis omnibus in foro conscientiæ suo & quemquam judicio reliquentes. Nolumus tamen per præmissa ea quæ per utramque partem prius rite facta, data aut concessa fuerint, in aliquo lædere, sed illa in omni suo robore cum effectu durare & firmiter observare, & sic quod nostra tam spiritualia quam sæcularia ordinabimus consistoria, ut unicuique petenti, expedite, quomodolibet cessante impedimento, justitia ministretur.

Ut autem pia & ſincera omnium noſtrum clareat intentio, nec quiſquam nos aut ſine capite vivere, aut ſine ſuperioris auctoritate ſtare velle ſiniſtre forſan ſuſpicetur; dicimus & expreſſe proteſtamur, quod per dictas conventiones, ordinationes, ſeu ad invicem conſenſus, non intendimus neque volumus ab obedientia ſacrorum conciliorum aut ſanctæ ſedis apoſtolicæ quolibet modo recedere; ſed in tantis contrarietatibus, anguſtiis, ſcandalis, & perplexitatibus, ut ad pacem & unionem deveniatur, citius animos noſtros ſuſpenſos tenere, donec per aliud ſacrum generale aut œcumenicum concilium, aut alias de conſilio litteratorum, doctorum, noſtrorum ſacrique Romani imperii optimatum, quid agendum, cui potius obediendum ſit, concluſum fuerit ſeu determinatum. ad quod efficiendum labores noſtros, quantum ex injunctis nobis incumbit officiis, ſolum Dei, ſanctæ matris eccleſiæ & ſedis apoſtolicæ reſpectu, Deo nobis auxiliante, operam dabimus, laboreſque noſtros fidos & ſollicitos impendemus.

RESPONSIO SACRI CONCILII generalis Baſileenſis, univerſalem eccleſiam repræſentantis, oratoribus ſereniſſimi principis domini Friderici regis Romanorum, &c. necnon illuſtriſſimorum principum dominorum electorum ſacri Romani imperii ad petionem per eos porrectam, cujus tenor ſequitur & eſt talis.

Exhortatio illuſtrium electorum.

Dignentur veſtræ reverendæ paternitates ad exhortationem & devotam poſtulationem ſereniſſimi domini noſtri Romanorum regis, &c. necnon ſuorum principum electorum, ſua vota conferre, quatenus modis congruis, ad generalis concilii ab omnibus indubitati congregationem infra unius anni ſpatium perveniatur, loco ſuæ majeſtati & ſuis electoribus grato, rebus gerendis accommodo.

Primo quidem ſancta ſynodus commendat devotionem & ſinceram intentionem, quam præfati ſereniſſimus Romanorum rex & illuſtres principes, ad unionem & pacificationem eccleſiæ ſanctæ Dei habent, & per prædictos ſolemnes nuncios ac oratores cum eorum litteris ad hoc ſacrum concilium deſtinatos, in congregatione generali facunde & prudenter explicarunt.

Secundo, præfatis oratoribus commemoretur, quomodo in hac civitate Baſileenſi hactenus fuerit, & hoc ſit generale concilium univerſalem eccleſiam repræſentans, quod merito apud omnes Chriſticolas multiplici ratione debet dici & reputari indubitatum & unicum. Et conſequenter ſubjungatur, quod ſine maximis periculis, incommoditatibus, ſumtibus, & difficultatibus, ab hinc ad alium locum mutatio concilii fieri non poterit, prout res hæc ſe ipſam ceteris diligenter intuentibus indicat, & ipſa ſancta ſynodus ſæpius per oratores ſuos in diverſis ambaſſiatis ac in iſto loco verbis & ſcriptis oratoribus regum & principum ſæculi multifarie luculenter oſtendit.

Unde his præmiſſis aliiſque plurimis attente conſideratis, videtur patribus hujus ſacri concilii, quod hæc inſignis civitas Baſileenſis, cujus idoneitas multiplici experientia diuturne comprobata extitit, eſſet locus aptus, & rebus gerendis accommodus, ad quem cooperantibus præfatis dominis, ſereniſſimo Romanorum rege & electoribus, non ſolum ex inclyta natione Germanica, ſed ex omni fidelium natione, quæ ſub cœlo eſt, convenirent omnes, qui generalibus conciliis intereſſe debent, & convenerunt una cum patribus qui in eodem concilio hactenus conſtanter perſeverant; pax & unio eccleſiæ deſiderata dari poſſet, præcipue cum hoc ſacrum concilium inter alia ſancta opera ſpecialiter extitit congregatum ad pacem omnium Chriſtianorum.

Nihilominus, iſtis nonobſtantibus, ut prædicti ſereniſſimus rex & principes electores, ceterique reges & principes, ac cuncti fideles clare percipiant meram & puram intentionem, quam habet hoc ſacrum concilium ad unitatem & pacem eccleſiæ, & hactenus ſemper habuit, quodque patres in eo perſeverantes parati ſunt reddere omni poſcenti de ea quæ in ipſis eſt fide rationem; utque præfati ſereniſſimus rex & principes electores evidenter cognoſcant, quod ſacrum concilium multum cupit voti eorum complacere, pro pacificatione univerſalis eccleſiæ, divina favente clementia, conſequenda, ipſa ſancta ſynodus in hac Baſileenſi civitate inclytæ nationis Germanicæ in Spiritu-ſancto congregata, & uſque in præſentem diem legitime continuata, univerſalem eccleſiam repræſentans, offert ſe paratam, in tempore de quo fit mentio, ad locum ejuſdem nationis rebus gerendis accommodum, & regiæ celſitudini gratum, ſua propria auctoritate, modis congruis ſeipſam transferre, ſecuritatibus tamen ante hujuſmodi tranſlationem decretandam & fiendam, in talibus præſtari ſolitis & aliis neceſſariis datis & præſtitis.

Obſecrat autem præfata ſynodus eamdem regiam celſitudinem, quatenus dignetur rem hanc aliis regibus & principibus intimare, eos toto ingenio & niſu inducendo, ut & illam ipſi amplectantur, veniantque perſonaliter, aut ſuos ſolemnes oratores mittant, ac prælatos alios, qui in generalibus conciliis de jure vel conſuetudine debent intereſſe, ditionis eorum etiam ad veniendum inducant, ut pax & unio eccleſiæ ſanctæ Dei dari poſſit. Securitates vero & alia quæ neceſſaria reputat & intendit hæc ſancta ſynodus, ſunt ea quæ ſequuntur.

Primo quod *sereniſſimus* ipſe *rex* dominus præſtet ſuum & ſacri imperii ſalvum-conductum ipſi ſacro concilio ad alium locum transferendo, pro omnibus accedentibus ad ipſum, ſtantibus, recedentibus, in plena forma; detque operam, ut locus eligendus etiam det plenam ſecuritatem & ſalvum-conductum, in libertatibus circa juriſdictionem, ac inhabitatoribus in victualibus, & in aliis requiſitis, prout ſolitum eſt præſtari ſacris generalibus conciliis, & præſertim prout per civitatem Baſileenſem factum extitit.

Similiter dabit operam, quod principes eccleſiaſtici & ſæculares, ac loca ipſi concilio vicina, dent ſuos ſalvos-conductus, quodque prædicti ſalvi-conductus sereniſſimi domini regis, loci concilii, aliorum dominorum & locorum ſint irrevocabiles, durentque *continue per quatuor menſes* poſt finitum concilium. Deprecatur autem ſancta ſynodus regiam celſitudinem, ſi quæ guerræ aut graves diſcordiæ nunc inter illos aut illa eſſent, dignetur ſe interponere pro treuga aut pace inter illos componenda.

Item, petit ſancta ſynodus quod sereniſſimus ipſe dominus Romanorum rex ipſi concilio interſit perſonaliter, legitimo ceſſante impedimento, quo adveniente, aliquem Poteſtatem & magnæ auctoritatis principem, ſacro concilio gratum, *in ejus procuratorem* juſtitiæ habeat, polliceaturque ſub verbo regio, per ſuas litteras patentes, quod non faciet, neque fieri permittet, Deo auctore, quantum in eo fuerit, quod ſit vel eſſe poſſit directe vel indirecte contra ipſius concilii auctoritatem & libertatem.

Item, ne inanis & fruſtratoria rideatur hujuſmodi ſacri concilii tranſlatio, quæ ſine magnis periculis & difficultatibus fieri non poteſt, videtur permaxime neceſſarium, cum juxta declarationem ſententiæ magnæ ſynodi Conſtantienſis, quicumque fidelis teneatur obedire mandatis, ſtatutis, ordinationibus, aut præceptis cujuſcumque generalis concilii, quod dominus rex & electores præfati per ſuas litteras patentes hoc ſacrum Baſileenſe concilium ante ipſius tranſlationem decretandam *certificent*, quod *concilium*, dum *in* illo loco fuerit, recognoſcent pro vero & indubitato concilio, eique adhærebunt cum effectu inconcuſſe, quamdiu durabit & continuatum fuerit, ſtatutiſque, ordinationibus, decretis, & mandatis per illud inibi fiendis acquieſcent & obtemperabunt, & quantum cum eis erit, inviolabiliter facient obſervari, etiamſi adverſarii ad illud non venerint.

Loca vero quæ prædictæ tranſlationi & rebus gerendis videntur accommoda, & regiæ *celſitudini grata*, *nominabit* ſacrum concilium, quando ipſius ſerenitati videbitur expedire, quorum alterum pro majori certitudine contentatur ſacrum concilium, quod ipſe rex auctoritate hujus ſacri concilii fecerit præſtitutum cum effectu, & per regiam ſerenitatem unus ex locis eidem ſpecificandis pro tranſlatione concilii nominatus, & de his aliiſque præmiſſis ſacrum concilium per ſuas litteras regias patentes fuerit certificatum, hæc ſancta ſynodus ſuam tranſlationem in illum locum publice & in ſolemni ſeſſione decretabit fiendam ad tempus, quod eidem ſynodo ac dictæ regiæ majeſtati, conſideratis temporis circumſtantiis & neceſſitate eccleſiæ, videbitur expedire.

MONITIO ET CITATIO FACTA

Felici V. antipapæ, in concilio Florentino.

Anno 1440. *Ex mſ. illuſtr. dom. Chevreuſe.*

EUGENIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Multa ſanctorum patrum veteris ac novi teſtamenti exempla nos admonent, ut crimina præſertim gravia, & quæ in ſcandalum ac diviſionem publicam tendunt populi nobis commiſſi, neque prætereamus ſilentio, neque ullatenus impunita relinquamus. Si ea enim quibus vehementer Deus offenditur inſequi vel ulciſci differimus, ad iraſcendum itaque divinitatis patientiam provocamus. Nam & culpæ nonnullæ ſunt, in quibus culpa eſt relaxare vindictam. Juſtum quidem eſt ac rationi conſonum, juxta ſanctorum patrum ſententiam, ut qui divina contemnunt mandata, & inobedientes paternis exiſtunt ſanctionibus, ſevioribus corrigantur vindictis, quatenus & ceteri talia committere vereantur, & omnis gaudeat fraterna concordia, antiquæ ſumat ſeveritatis & *honeſtatis exemplum*. *Nam ſi*, quod abſit, eccleſiaſticam ſollicitudinem vigoremque negligimus, perdit deſidia diſciplinam, & animabus fidelium permaxime nocebitur. Reſecandæ ſunt ergo putridæ carnes, & ſcabioſa ovis a grege repellenda eſt, ne tota domus maſſa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur & pereant. Nam & Arrius, teſte B. Hieronymo, in Alexandria una ſcintilla fuit: ſed quia non eſt ſtatim oppreſſus, totum orbem ejus flamma depopulata eſt. *Præterea in perſona B. Petri Romano pontifici* a Salvatore noſtro ligandi atque ſolvendi datæ ſunt claves, ut in via veritatis & juſtitiæ tramite delirantes debitis ligentur ac coërceantur pœnis, apoſtolicæ quippe . . . . . exemplo didicimus, errantes & alios in errorem mittentes, per cenſuras eccleſiaſticas ſatanæ eſſe tradendos, ut ſpiritus eorum ſalvus fiat, ut & tam ipſi quam reliqui blaſphemare dediſcant, &, ut beatus inquit papa Sixtus, memores ſimus ſub illius nomine præſidere eccleſiæ, cujus confeſſio a Domino JESU glorificata eſt, & cujus fides nullam hæreſim umquam fovet, ſed omnes quidem hæreſes deſtruit. Intelligimus autem nobis aliter non licere, quam ut omnes co-

natus noſtros ei cauſæ impendamus, in qua univerſalis eccleſiæ ſalus infeſtatur.

Sane proximis diebus in generali hujus ſacri concilii congregatione, in ea nobis præſidentibus, dilectus filius magiſter Juſtinus de Planta, legum doctor & fiſci noſtri advocatus, nomine dilectorum filiorum magiſtri Johannis de Prato legum doctoris, ipſius ſacri concilii promotoris, & magiſtri Veitini de Caſtello, fiſci cameræ apoſtolicæ procuratoris, in legibus licentiati, publice lamentabilem quamdam ſub his verbis querelam expoſuit:

» Quamquam, beatiſſime pater, voſque alii reverendiſſimi reverendique patres, in hoc ſacro generali & ycumenico concilio in Spiritu-ſancto legitime congregato, unam ſanctam catholicam & apoſtolicam Romanam eccleſiam Spiritus-ſanctus ex perſona Domini noſtri Jesu Christi in cantico canticorum deſignet dicens: *Una eſt columba mea, perfecta mea, & una eſt matris ſuæ electa genitricis*; & vas electionis apoſtolus Paulus hanc eccleſiæ unitatem ipſiuſque unitatis ſacramentum oſtendat, inquiens: *Unum corpus & unus ſpiritus, una ſpes vocationis, unus Dominus, & una fides, unum baptiſma, & unus Deus*, &, ut B. Cyprianus ait, unum caput eſt, & una origo, & una noſtræ fœcunditatis cauſa adulterari non poteſt, Chriſti ſponſa incorrupta & pudica eſt, unam domum novit, cujus cubilis ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Et alio loco idem Cyprianus: Non habet eccleſiaſticam ordinationem qui eccleſiæ non tenet unitatem. Et ut Pelagius papa ex verbis præclariſſimi doctoris eccleſiæ B. Auguſtini aſſerit, quoniam eccleſia nulla eſſe non poteſt, creſcat, ut ea ſimul quæ eſt in apoſtolicæ ſedis per ſucceſſorem epiſcoporum radice conſtituta; nihilominus ab ipſis, ut ita dixerim, eccleſiæ incunabulis quorumdam peſtiferorum hominum effrenata libido hanc ſanctam unitatem eccleſiæ ſcindere & lacerare tentat, adverſus quos divina ultio & ſanctorum patrum poſtea auctoritas inſurrexit.

» Quiſquis ergo hanc ſanctam & immaculatam eccleſiæ unitatem auſu ſacrilego & diabolica perſuaſione temerare præſumſerit, hic, ut ſacri canones edocent, alienus eſt, prophanus eſt, hoſtis eſt. Habere non poteſt Deum patrem, qui univerſalis eccleſiæ non tenet unitatem; non poteſt cum aliquo convenire, qui cum corpore ipſius eccleſiæ & cum univerſa fraternitate non convenit. Si autem, cum propter eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & eccleſia ſit corpus Chriſti, non eſt dubium, quod qui eccleſiam dividit, Chriſti corpus lacerare convincitur. Hinc in ſchiſmaticos illa vindicta Domini voluntate profecta, ut Chore, Dathan & Abiron contra virum Dei Moyſen ſchiſma facientes, hiatu terræ una abſorpti ſunt, ceteris A celeſti igne conſumtis; idololatria vero gladio punita eſt, & exuſtio libri bellica cæde & peregrina captivitate vindicata.

Denique quam ſit inſeparabile unitatis ſacramentum, & quam ſine ſpe ſint, perditionemque ſibi maximam de indignatione Dei acquirant qui ſchiſma faciunt, & relicto vero eccleſiæ ſponſo, ſibi pſeudoepiſcopum conſtituunt, in libris regum ſcriptura divina declarat, ubi cum a tribu Juda & Benjamin decem tribus ſciſſæ fuiſſent, & relicto ſuo rege, alterum ſibi foras conſtituiſſent, *indignatus eſt*, inquit, *Dominus omni ſemini* B *Iſraël, & dedit eos in direptionem, donec abjiceret eos a facie ſua.* Indignatum Dominum eſſe dixit, & eos in perditionem dediſſe, qui ab unitate diſſipati, alterum ſibi regem conſtituiſſent, & tanta indignatio Domini extitit adverſus illos qui ſchiſma fecerant, ut etiam cum homo Dei ad Jeroboam miſſus eſſet, qui ei peccata ſua exprobraret, atque ultionem futuram prædiceret, panem apud illos edere & aquam bibere vetaretur: quod cum non cuſtodiſſet, & contra præceptum Domini prandiſſet, ſtatim divina cenſura percuſſus eſt, & inde regrediens, imperu ac morſu C leonis in itinere necaretur. Ex quibus, ut B. Hieronymus aſſerit, nullus jam dubitaverit, facinus ſchiſmatis ſceleratius eſſe commiſſum, cum ſit gravius vindicatum.

Sane cum olim in ſacro generali concilio Conſtantienſi veteranum illud ac perniciſſimum ſchiſma, quod eccleſiam Dei & Chriſtianam religionem magno cum animarum interitu, & non ſolum hominum, ſed multarum quoque urbium & provinciarum ſtrage crudeli & diuturno morbo afflixerat atque vexaverat, fuiſſet per omnipotentis Dei ineffabilem miſericordiam, multorumque regum & principum tam eccleſiaſticorum quam ſæcularium, multarum inſuper univerſitatum, aliorumque Chriſti fidelium infinitis laboribus & anguſtiis, expenſarumque profluviis tandem aliquando ſedatum; & univerſalis eccleſia, tam per electionem felicis recordationis domini Martini, quam poſt ejus obitum per indubitatam, ſinceram, unanimem atque canonicam ſanctitatis veſtræ ad apoſtolatus apicem aſſumtionem, credereturque optata cunctis pace gaudere. Ecce rurſus cum Jeremia propheta multis cum lacrymis dicere compellimur: *Expectavimus* E *pacem, & ecce turbatio.* Et iterum cum Iſaia: *Expectavimus lucem, & ecce tenebræ.* Nonnulli ſiquidem perditionis filii, & iniquitatis alumni, pauci numero, & auctoritate leves, Baſileæ etiam poſt tranſlationem concilii, quod ibidem aliquandiu viguerat, per ſanctitatem veſtram juſtis & evidentibus, urgentibus & neceſſariis ex cauſis, canonice & legitime factam, primo ſanctiſſimam & univerſo populo Chriſtiano deſideratiſſimam Græcorum & totius orientalis eccleſiæ unio-

» nem totis viribus ac omni dolo, æstu & fal-
» lacia impedire conati sunt. cum
» prædicti scandalorum patratores, qui Basileæ
» remanserant, ipsis Græcis in promissione de-
» fecissent, & ab ipsorum Græcorum & orien-
» talis ecclesiæ oratoribus percepissent, sere-
» nissimum principem dominum JOHANNEM
» PALÆOLOGUM Romeorum imperatorem, ac
» bonæ memoriæ JOSEPH Constantinopolita-
» num patriarcham, cum aliis plurimis præ-
» latis ceterisque orientalis ecclesiæ viris, ad
» locum pro celebrando œcumenico concilio
» esse venturos, ac sanctitatem vestram plures
» prælatos & oratores cum nonnullis galeis
» multisque cum sumtibus & expensis desti-
» nasse, ad disturbandum præfatorum impe-
» ratoris & Græcorum adventum; quoddam
» detestabile monitorium contra sanctitatem
» vestram, & reverendissimos dominos meos
» dominos S. R. E. cardinales decernere ausi
» sunt; & ex post cum prædictos imperatorem
» & patriarcham aliosque orientales venire
» percepissent, quamdam sacrilegam suspen-
» sionis ab administratione papatus contra ve-
» stram sanctitatem de facto sententiam pro-
» tulerunt. Quibus aliisque eorum nefariis co-
» natibus, ausibusque sacrilegis non obstanti-
» bus, cum vestra hujusque sacri concilii per-
» vigili cura, multisque laboribus assumtis, va-
» riisque disputationibus adhibitis, tandem di-
» vina miseratio concessisset, ut prædictum Græ-
» corum & orientalis ecclesiæ schisma, quod
» per quingentos ferme annos maxima cum
» totius populi jactura Christiani duraverat,
» de medio ecclesiæ tolleretur, & optatissima
» unio, quæ fieri vix posse credebatur, occi-
» dentalis & orientalis ecclesiæ, summa cum
» concordia sequeretur ex tam sanctis vestris
» & hujus sacri concilii operibus, qui potius
» vehementissime admirari & summis cum lau-
» dibus & exultationis jubilo, prout tota reli-
» qua Christiana religio fecerat, venerari de-
» beant, & gratias Altissimo de tam admira-
» bili dono referre, crudeliores & obstinatio-
» res effecti, volentes potius prædictæ nequis-
» simæ belluæ eorum jam conceptum incen-
» dium, cum totius reipublicæ Christianæ rui-
» na, ad executionem deducere, in reprobum
» sensum dati, famæ suæ prodigi, & proprii
» persecutores honoris præfecti temeritate pe-
» stifera unitatem S. R. & universalis ecclesiæ,
» ac inconsutilem Domini tunicam, quantum
» in eis est, scindere moliti sunt, & ipsius piæ
» & sanctæ matris uterum viperinis morsibus
» laniare.

» Horum dux & princeps ac totius tam
» nefarii operis architectus extitit primogeni-
» tus ille satanæ, infelicissimus AMEDEUS, olim
» Sabaudiæ dux & princeps, qui jam diu ista
» animo suo præmeditans, & ut a plerisque
» asseritur, præstigiis, fortilegiis, ac phantas-
» matibus nonnullorum infelicium hominum
» ac mulierculorum, qui, suo Salvatore reli-

cto, retro post satanam conversi, dæmonum illusionibus seducuntur, qui vulgari nomine Stregnes vel Stregones seu Waldenses nuncupantur, & quorum in patria sua permagna copia esse narratur, seductus dudum ante aliquos annos, ut monstruosum se caput in Dei ecclesia erigi aliquando faceret, eremitæ habitum, vel potius falsissimi hypocritæ assumsit, ut sub ovina pelle, agni specie, lupi feritatem indueret, ac demum procedente tempore ipsis Basileæ existentibus confœderatus, vi, fraude, pretio, pollicitationibus & minis, magnam ipsorum Basileensium partem, quæ suæ ditioni seu tyrannidi subdita erat, ut se in idolum & Beelzebut, ipsorum novorum dæmoniorum principem adversus sanctitatem vestram verissimum Christi vicarium & Petri successorem indubitatum in Dei ecclesia indixit. Itaque eumdem infelicissimum AMEDEUM insatiabilis & inauditæ cupiditatis hominem, & quem semper avaritia, quæ secundum Apostolum est *idolorum servitus*, excæcavit, illa sceleratissima synagoga, perditissimorum hominum colluvies, & totius Christianitatis erubescenda sentina, certis ad hoc nefandissimis hominibus, vel potius dæmonibus sub hominum specie & figura latentibus, pro electoribus seu verius prophanatoribus deputatis, tandem in idolum & veluti quamdam Nabuchodonosor statuam in Dei ecclesia erexit; ipseque etiam suorum facinorum furiis agitatus, in profundum malorum omnium descendens, more Luciferi, *Ponam*, inquit, *sedem meam in Aquilone, & ero similis Altissimo.* Et sic prædictam electionem, immo verius prophanationem de se factam, quæ perprius tanto mentis æstu & animi anxietate quæsiverat, summa & detestabili aviditate amplectens, papalia indumenta, ornamenta & insignia assumere & induere, ac pro Romano & summo pontifice se gerere, tenere, & exercere, & a quibusdam pro tali venerati se facere non exhorruit; & insuper litteras suas bulla plumbea Romanorum pontificum more bullatas, in quibus se FELICEM, cum sit omnium mortalium infelicissimus, appellat, & cum quibus in plebem Christi diversa suarum partium venena conatur effundere, ad quam plura & diversa mundi loca scribere & destinare similiter non expavit.

Quid hic primum querar, beatissime pater, & sacratissima synode, aut quid primum accusem, aut qua vi vocis, qua gravitate verborum, quo dolore animi, quo nimbo, aut qua orationis procella tantum facinus deplorem? Quæ oratio tanta affluentiæ ubertate decurrens scelus hoc teterrimum, nedum satis digne defleverit, seu expresserit? Non potest profecto hæc res pro magnitudine facinoris enarrari. Vincit namque officium linguæ tanti sceleris magnitudo.

» do. Sed, ut video, beatiſſime pater & reve-
» rendiſſimi reverendique patres, *jam tempus*
» eſt magis remedii quam querelæ. Ecce enim,
» ſancta mater eccleſia, quæ in perſona ſancti-
» tatis tuæ, ſui indubitati ſponſi, ſincera per-
» prius unitate & pace gaudebat, referatis la-
» crymarum fontibus, multis cum ſuſpiriis ac
» ſingultibus, ad te ſponſum ſuum, ad vos re-
» verendiſſimos & reverendos patres, qui eſtis
» in parte ſollicitudinis, & ad hoc ſacrum &
» œcumenicum concilium evocati, clamare
» & vociferare compellitur: *Miſeremini mei,*
» *miſeremini mei, ſaltem vos amici mei*: Viſ-
» cera namque mea amaritudine ſunt repleta.
» Nam vineam Dei Sabaoth vulpes exterми-
» nant, & Chriſti inconſutilem tunicam impii
» lacerant. *Exſurgat ergo Deus, & diſſipentur*
» *omnes inimici ejus*; & tu, beatiſſime pater,
» cum omnia adeo manifeſta ſint prædicta,
» publica & notoria, quod nulla poſſint tergi-
» verſatione celari, nec excuſatione defendi,
» in virtute Altiſſimi, una cum hoc ſacro con-
» cilio, exſurge, & judica cauſam ſponſæ tuæ,
» & memor eſto filiorum tuorum. *Accingere*
» *gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. In-*
» *tende, proſpere procede, & regna*; & dic una
» cum Pſalmiſta: *Perſequar inimicos meos, &*
» *conteram, & non revertar donec conſumam*
» *eos. Conſumam & confringam, & non conſur-*
» *gent, cadent ſub pedibus meis.* Nec enim decet
» tam nefarium facinus abominandumque
» portentum ſub diſſimulatione tranſire, ne
» forte impunita temeritas atque malitia in-
» veniat ſucceſſorem; ſed potius punitæ tranſ-
» greſſionis exemplar retrahat alios ab offenſa.
» Exemplo itaque ipſius Moïſi viri Dei per
» ſanctitatem veſtram & hanc ſanctam ſyno-
» dum univerſæ plebi Chriſtianæ dicendum
» eſt: *Recedite a tabernaculis hominum impio-*
» *rum.* Exemplo etiam beatiſſimi Leonis papæ
» prædeceſſoris tui, qui ſecundam Epheſinam
» ſynodum ſubnovit, & Dioſcorum ſuoſque
» fautores & ſequaces in Calchedonenſi, quam
» poſtea inſtituit, ſynodo condemnavit, alio-
» rumque ſummorum pontificum prædeceſſo-
» rum tuorum, qui ſemper inſurgentes in Dei
» eccleſia hæreſes & ſchiſmata cum ipſorum
» auctoribus, fautoribus, ſequacibus, a Dei
» eccleſia & communione fidelium ſacratiſſi-
» mo Chriſti corpore eliminarunt, & aliis
» multiplicibus & condignis pœnis, exigente
» juſtitia, affixerunt. Hanc novam rabiem in
» tuam & ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſponſæ
» tuæ injuriam, & totius Chriſtiani populi
» apertiſſimum ſcandalum conflatam, hoc ſa-
» cro œcumenico approbante & auxiliante
» concilio, condigna pœnarum exaggeratione
» ulciſcere, & prædictos impios tam prodi-
» gioſi ſceleris patratores, una cum eorum
» hæreſiarcha infeliciſſimo, & vero in Dei ec-
» cleſia antichriſto, cumque omnibus eorum
» fautoribus, adhærentibus & ſequacibus, &
» præſertim nefandiſſimis ejus electoribus ſeu

A verius prophanatoribus, omnipotentis Dei « & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus « & tua auctoritate, perpetuo anathemate a « liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ remove & ſe- « grega. Abjiciatur ipſe omneſque prædicti « ſicut antichriſtus & invaſor, & deſtructor to- « tius Chriſtianitatis; nec aliqua ei omnibuſ- « que prædictis ſuper hoc aliquando audien- « tia reſervetur, ſintque ab omni eccleſiaſtico « & mundano gradu & dignitate quacumque « B ipſi eorumque poſteri & ſucceſſores ſine re- « clamatione privati, omneſque perpetuo « anathemate & excommunicatione damnati « exiſtant, & cum impiis, qui in judicio non « reſurgent, computentur, omnipotentis Dei « contra ſe iram ſentiant, & ſanctorum apo- « ſtolorum Petri & Pauli, quorum præſumunt « eccleſiam confundere, in hac vita & in fu- « tura furorem ſentiant. Fiat habitatio eorum « deſerta, & in eorum habitaculis ſeu taber- « naculis nullus inhabitet. Fiant filii eorum « orphani, & uxores eorum viduæ. Orbis ter- « C rarum pugnet contra eos, & omnia ſint eis « elementa contraria, adeo quod abjiciantur, « exterminentur, & abominentur ab omnibus, « ut eis perpetua egeſtate ſordentibus, ſit « merito mors ſolatium, & vita ſupplicium, « & omnium ſanctorum merita illos confun- « dant, & in hac vita ſuper eos apertam vin- « dictam oſtendant, & cum Chore, Dathan, « & Abiron debitam portionem ſuſcipiant, « & tandem, niſi ad cor reverſi, dignos pœ- « nitentiæ fructus egerint, & ſanctitati tuæ & « univerſali eccleſiæ pro tantorum reatuum « immanitate digne ſatisfecerint, cum impiis « D in infernas tenebras recondantur, ad æterna « ſupplicia digno Dei judicio deſtinati. Nos « autem omnes & univerſos Chriſti fideles, qui « prædictos hæreſiarchas eorumque nefandiſ- « ſimum idolum & antichriſtum meritis blaſ- « phemiis exſecramur, & te, Chriſti vicarium « & digniſſimæ eccleſiæ ſponſum confitemur, « & devota reverentia & conſtanti fide & obe- « dientia veneramur, omnipotentis Dei gra- « tia protegat, & auctoritas beatorum Petri « & Pauli & tua ab omnibus peccatorum vin- « culis abſolvat, & in hac peregrinatione om- « nibus benedictionibus repleat, & ſua tan- « E dem ineffabili miſeratione ad æterna gau- « dia perducat. Amen. «

Nos vero, ut primum fide dignorum re-
latione tantam percepimus impietatem ſoris
commiſſam, magno quidem, prout decebat,
dolore & mœrore afflicti ſumus, tum pro
tanto eccleſiæ ſcandalo nuper exorto, tum
pro animarum eorum, qui talia perpetra-
runt, interitu, & præſertim ipſius AMEDEI
antichriſti, quem in viſceribus complecte-
bamur caritatis, cujuſque preces & deſide-
ria, quantum cum Deo potuimus, exaudire
ſemper curavimus, & cum jam dudum ad-
verſus hujuſmodi abominationem, juxta no-
ſtri paſtoralis officii debitum, in animo ge-

ramus ſalutaribus providere remediis; nunc tamen publice in facie eccleſiæ ad occurrendum his malis requiſiti, celerius atque inſtantius pro defenſione eccleſiæ inſurgere, & tanto ſceleri obviare diſponimus. Quamobrem ut res iſta tam enormis & exſecrabilis in ipſo ortu, adjuvante Domino, cujus res agitur, radicitus exſtirpetur, una cum hoc ſacro concilio, ſine cunctatione qua poſſumus, juxta canonicas ſanctiones adhibemus remedium.

Attendentes igitur memoratam promotoris & procuratoris petitionem eſſe juſtam, ac divino & humano juri conſonam, licet prædicta ſcelera & exceſſus ſint uſque adeo publica & notoria, quod nulla poſſint tergiverſatione celari; nec alia foret informatio neceſſaria; ad majorem tamen cautelam, certitudinemque præmiſſorum, ſacro approbante concilio, nonnullis inſignibus viris ex omni ipſius concilii ſtatu commiſimus, ut ſe de præmiſſis diligenter informarent, & quæ per hujuſmodi reperirent informationem, nobis & ipſi ſacro concilio referrent. Iidem vero commiſſarii ſuper præmiſſis, quantum pertinet ad hujuſmodi ſchiſmaticæ pravitatis indagationem, diligenti habita inquiſitione, nobis & ipſi ſacro concilio in ſynodali congregatione ea quæ per fide dignarum perſonarum examinationem reperierant, fideliter retulerunt. Et tamen quamvis ſuper his tam publicis, manifeſtis & notoriis, ſine alia expectatione, per pœnarum ſeveritatem, juxta ſanctiones canonicas, in prædictos flagitioſos & ſcandaloſos homines animadverti potuiſſet; nihilominus nos & hæc ſancta ſynodus omnipotentis Dei imitantes clementiam, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat, omni qua poſſumus pietate uti decrevimus, & quantum in nobis eſt agere, ut propoſita manſuetudinis via ad cor revertatur, & a prædictis reſipiſcatur exceſſibus, ut ipſos tandem ſicut filium illum prodigum ad gremium eccleſiæ revertentes, benigne ſuſcipiamus, & paterna caritate amplectamur.

Ipſum igitur AMEDEUM antichriſtum, & præfatos electores, ſeu verius profanatores, & quoſcumque eidem Amedeo credentes, adhærentes, receptatores, & quoquomodo faventes, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & per aſperſionem pretioſi ſanguinis domini noſtri JESU CHRISTI, in quo & per quem humani generis redemtio & ſanctæ matris eccleſiæ ædificatio facta eſt, ex toto corde hortamur, precamur & obſecramus, ut ipſius eccleſiæ unitatem, pro qua ipſe Salvator tam inſtanter oravit ad Patrem, violare amodo deſiſtant, fraternam quoque dilectionem ac pacem quam totiens & tam accurate idem redemtor tranſiturus ex hoc mundo diſcipulis commendavit, & ſine qua nec orationes, nec jejunia, nec eleemoſynæ Deo acceptæ ſunt, ſcindere & lacerare expaveſcant, & a prædictis quantocius tam perniciosis & ſcandaloſis prorſus deſiſtant exceſſibus, inventuri profecto apud nos & hoc ſacrum concilium, ſi effectualiter paruerint, prout tenentur, paternæ in omnibus caritatis affectum, & ut ipſos, ſi forte juſtitiæ & virtutis amor a peccato non retrahat, pœnarum terror & rigor coërcent diſciplinæ, præfatos AMEDEUM antichriſtum, electores, immo prophanatores, credentes, adhærentes, receptatores & quomodolibet faventes, eodem ſacro approbante concilio, requirimus & monemus, & in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub anathematizationis & criminum hæreſis ac ſchiſmatis & læſæ majeſtatis, in quibuſcumque contra tales ab homine vel a jure inflictis pœnis diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus infra quinquaginta dies ab affixione præſentium immediate ſequentes, ipſe AMEDEUS antichriſtus pro Romano pontifice ulterius ſe gerere ac nominare deſiſtat, nec per alios, quantum in ipſo eſt, haberi ac nominari pro tali ſe patiatur, inſigniiſque papalibus ac aliis ad Romanum pontificem quoquo modo ſpectantibus, nullatenus uti de cetero præſumat: memoratos vero electores, immo prophanatores, adhærentes, receptatores ac faventes, ulterius ipſi AMEDEO in hoc ſchiſmatis crimine non aſſiſtant, nec credant, adhæreant, vel faveant, quoquo modo per ſe vel per alios, directe vel indirecte, in quovis quæſito colore. Sed tam ipſe AMEDEUS, quam prædicti electores, credentes, adhærentes, receptatores, & fautores, nos in verum Romanum pontificem, ac Chriſti vicarium, & Petri legitime ſucceſſorem habeant, recognoſcant, & venerentur; nobiſque tamquam patri & paſtori animarum ſuarum reverenter pareant & intendant, ac de iis infra prædictum terminum nos & hoc ſacrum concilium legitime certificare ſtudeant: ita ut de eorum vera obedientia nullus dubitationis ſcrupulus valeat remanere.

Si AMEDEUS, eligentes, credentes, adhærentes, receptatores, ac faventes prædicti ſecus, quod abſit, egerint, ſeu præmiſſa omnia & ſingula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleverint, ex tunc prout ex nunc, hujuſmodi, pœnas incurrere ipſo facto volumus ac decernimus. Et nihilominus faventes prædicti conjunctim ſeu diviſim quinta decima die præfatum terminum immediate ſequente, ſi non fuerit feriata, alias proxima ſequente non feriata, compareant perſonaliter coram nobis & præfato concilio, ubi tunc erimus, ad videndum & audiendum ſe, & quemlibet eorum, etiam nominatim: quos & ſic citamus ad diem eumdem, declarari ſchiſmaticos, blaſphemos, & tamquam hæreticos, & reos crimine læſæ majeſtatis, fore puniendos, ac cenſuras

& pœnas prædictas incurriſſe, & alias infligi, prout viſum fuerit & juſtitia ſuadebit: certificantes eoſdem & eorum quemlibet, quod ſive venerint, ſive non, & ſe paruiſſe non oſtenderint; ad declarationem prædictarum pœnarum, juſtitia mediante, procedemus, eorum contumacia vel abſentia non obſtante, proceſſuri ulterius ad aggravationem & reaggravationem, prout juſtitiæ rigor poſtulaverit, & eorum demerita exegerint.

Ut autem hujuſmodi noſtra monitio ac citatio ad eorumdem monitorium ac citatorium, aliorumque quorum intereſt notitiam deducantur, cartas ſive membranas eam continentes eccleſiæ B. Mariæ Novellæ de Florentia & palatii noſtri apud eamdem eccleſiam ſiti, & eccleſiæ cathedralis Florentinæ portis ſive januis affigi faciemus, quo monitionem eamdem ſuo quaſi ſonoro præconio ac paculo indicio publicabunt, ut iidem moniti, quod ad ipſos non pervenerit, & eamdem monitionem ignoraverint, nullam poſſint prætendere excuſationem, vel ignorantiam allegare; cum non ſit verosimile, quod ad eos remaneret incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Volumus etiam, & apoſtolica auctoritate C decernimus, quod hujuſmodi noſtra monitio in eiſdem valvis ſeu portis intimata perinde valeat, & plenum robur obtineat firmitatis, dictoſque monitos perarctet, quacumque *conſtitutione contraria non obſtante*, ac ſi eiſdem monitis & eorum ſingulis intimata ac inſinuata perſonaliter & præſentialiter extitiſſet. ne tandem moniti & citati prædicti ipſum concilium & curiam Romanam, *communem omnibus patriam*, locum ſibi minus tutum, & propter præmiſſa aliaſve inimicitias, vel ex cauſis aliis imminere periculum in veniendo, ſtando & redeundo, ad excuſationis ſuæ velamen forſan allegent, *ipſos* tenore præſentium ſecurantes, univerſos & ſingulos patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos & alios eccleſiarum, monaſteriorum prælatos, & clericos ac perſonas eccleſiaſticas, necnon duces, marchiones, principes, poteſtates, capitaneos, & quoſcumque alios officiales & eorum loca tenentes, necnon communitates, univerſitates *civitatum, caſtrorum, oppidorum*, villarum, & aliorum locorum, tenore præ- E ſentium requirimus & exhortamur, ipſiſque patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis & aliis prælatis, ceteriſque ſubditis noſtris diſtricte *mandamus, quatenus præfatis monitis* & bonis aut rebus eorum nullam inferant, nec ab aliis, quantum in eis fuerit, permittant inferri injuriam vel offenſam.

Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis, &c. Datum *Florentiæ in ſeſſione publica* ſynodali, in eccleſia B. Mariæ Novellæ ſolemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo, XIX. *calendas Aprilis*, pontificatus noſtri anno X.

Vet. Script. & Mon. ampl. Collect Tom. VIII.

EUGENII PAPÆ IV. BULLA de concordia per ſuos nuncios facta in Britannia minori, tollendo cenſuras quas incurrerant illi, qui Baſilicæ poſt concilii tranſlationem remanſerant.

EUGENIUS epiſcopus, &c. ad perpetuam rei memoriam. Anno 1443.

B Illius a quo pax oritur divina diſponente clementia vices in terris licet immeriti gerentes, continua meditatione quærimus, ut a ſupradictis eccleſiarum prælatis, aliiſque perſonis eccleſiaſticis omnem inquietudinis materiam, per quam ab eo quod ſuæ incumbit vocationi periculoſe retrahuntur, poſſimus excutere, ac ea quæ propterea juſtis ſuadentibus cauſis proceſſerunt, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a nobis petitur apoſtolicæ confirmationis munimine roboramus. Nuper ſiquidem poſtquam nos ex legitimis tunc expreſſis cauſis, generale quod tunc in civitate Baſileenſe celebrabatur, concilium, de C *ipſa civitate* ad *noſtram* civitatem Ferrarienſem, per alias noſtras litteras tranſtuleramus; & inter cetera ne quis cujuſcumque ſtatus gradus atque conditionis exiſteret, ad eamdem civitatem Baſileenſem, tamquam ad locum *generalis concilii, ſub excommunicationis*, ſuſpenſionis & interdicti, necnon univerſorum & officiorum quorumcumque privationis & inhabilitationis ad alia quæcumque, aliiſque tunc expreſſis pœnis, quas contra facientes, ipſo facto, *incurrere voluimus*, D remanere præſumeret, inhibueramus: per nos accepto quod quamplures tam clerici quam laici, incolæ & habitatores ducatus Britanniæ in præfata Baſileenſi civitate remanere, & ad illam contra tenorem dictarum noſtrarum litterarum accedere, nonnulliſque ſchiſmaticis inibi ſub generalis concilii titulo degentibus ibi, nor. abſque cenſurarum & pœnarum prædictorum incurſu, damnabiliter adhærere præſumſerant; propter quod in ducatu prædicto inter nonnullas perſonas eccleſiaſticas ejuſdem ducatus & principes *graves* ſuſcitabantur diſcordiæ, & ne majores ſuccederent, erat veriſimiliter præſumendum. Nos tunc prout noſtræ incumbit ſollicitudini, tantis malorum initiis occurrere, præfataſque diſcordias prorſus eliminari cupientes, venerabilem fratrem noſtrum ROBERTUM epiſcopum Volteranum, & dilectum filium magiſtrum Guilleſmum *Bont* decanum eccleſiæ Lovanienſis Leodienſis diœceſis, utriuſque juris doctorem, capellanum noſtrum, & cauſarum palatii apoſtolici auditorem, noſtros & apoſtolicæ ſedis nuncios ad præfatum ducem deſtinamus,

eiſque plenariam omnia & ſingula faciendi, gerendi & exequendi, quæ pro pacificatione earumdem diſcordiarum, & tantorum malorum remedio neceſſaria forent, & alia quomodolibet opportuna, per alias noſtras litteras conceſſimus facultatem. Cum autem ex fideli eorumdem nunciorum noſtrorum relatione cognoverimus, quod ipſi impoſitis eis a nobis oneribus, juxta conceſſam ſibi a Domino providentiam debite ſatisfacere cupientes, præfataſque diſcordias prorſus quietare, ac alia, quæ ex ipſis ſuccreſcere videbantur mala, quodlibet fomentum ſubmovere, necnon cum illis ex eiſdem incolis & habitatoribus tam vivis quam mortuis, qui, ut præmittitur, exceſſerunt, ex co nimirum quod non in noſtrum & ſedis apoſtolicæ contemtum, ſed ut potius a nonnullis nequam decepti pernicioſiſſimum commiſerunt exceſſum, clementer agere volentes, humilibus ſuper hoc ejuſdem ducis precibus intervenientibus, omnes & ſingulos habitatores & incolas antedictos, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis eſſent, etſi pontificali, ducali, vel aliquavis eccleſiaſtica ſeu mundana præfulgerent dignitate, mortuos videlicet, ut eorum corpora in eccleſiis aut cimiteriis in quibus ſepulti erant remanerent; vivos autem à quibuſvis excommunicationis ſententiis, cenſuris & pœnis, quas occaſione præmiſſorum incurriſſe noſcebantur, apoſtolica, quæ fungebantur authoritate abſolverunt, & abſolutos nunciaverunt: ita tamen quod ipſi vivi coſdem ſchiſmaticos abjurare, ac nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis pontificibus canonice intrantibus obedire, necnon ſalutarem eis per ſuos confeſſores tunc imponendam pœnitentiam adimplere tenerentur. Et inſuper ad omnem inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam per eos dicta occaſione contractam abolendam, eos in priſtinum ſtatum reſtituerunt & reintegraverunt. Ita quod eis deinceps exceſſus præfati objici, atque eorum occaſione capi, arreſtari, nec accuſari, atque per quoſcumque conveniri, turbari, moleſtari, atque inquietari non poſſent quoquomodo, & nihilominus cum eis perſonis eccleſiaſticis ſuper irregularitate, ſi quando eadem occaſione miſſas atque alia divina officia, non tamen in contemtum clavium celebrando, vel immiſcendo ſe aliis quomodolibet contraxiſſent, cum illis videlicet qui eccleſiis atque monaſteriis præerant, & illis ſicuti prius præeſſe, ac illa regere & adminiſtrare; cum aliis vero ut illa quæ tunc obtinebant retinere, necnon quæcumque, quotcumque & qualiacumque beneficia eccleſiaſtica cum cura vel ſine cura, alias ſibi collata ſive conferenda recipere & retinere valeant, diſpenſarunt.

Interdictum quoque in quibuſvis eccleſiis, locis & tertis ejuſdem ducatus a tempore dictæ tranſlationis, tam apoſtolica quam alia auctoritate, occaſione prædicta poſitum relaxarunt, & loca ipſa reconciliarunt, & pro reconciliatis habuerunt, & conſequenter omnibus & ſingulis habitatoribus & incolis antedictis, quorum eccleſiarum, monaſteriorum, & beneficiorum aliorum eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura, ſæcularium vel regularium ordinum quorumcumque in præfato ducatu conſiſtentium, etiamſi canonicatus, preſbyterii, dignitates, præpoſituræ, prioratus, perſonatus, archipreſbyteratus, adminiſtrationes vel officia hujuſmodi in cathedralibus vel collegiatis eccleſiis, & dignitates ipſæ in cathedralibus poſt pontificales majores, atque in eccleſiis hujuſmodi collegiatis principales, ipſique prioratus & præpoſituræ conventuales exiſterent, & ad illos illas ac prioratus, præpoſituras, perſonatus, adminiſtrationes, & officia hujuſmodi conſueviſſent per electionem aſſumi, eiſque cura immineret animarum, quocumque titulo vel auctoritate, ſub data xvi. cal. Septembris pontificatus noſtri anno xi. realibus & actualibus poſſeſſionibus etiam eccleſiarum monaſteriorum proviſiones & ordinationes ad beneficia hujuſmodi, dum illis ſeu de illis eiſdem poſſeſſoribus proviſum fuit, quia apud ſedem apoſtolicam forſan vacaverant, atque alias ex quavis cauſa generaliter vel ſpecialiter diſpoſitioni apoſtolicæ reſervata noſcebantur, & propterea aut alias quomodocumque in illis dicti poſſeſſores jus non haberent, dummodo ipſi ſuos titulos a præfatis ſchiſmaticis tantum non recepiſſent, atque ipſi in antea ſuper illis per quemcumque conveniri, moleſtari, aut inquietari non poſſent, eadem auctoritate conceſſerunt, necnon cauſas omnes & ſingulas, ſi quæ etiam in ſecunda vel tertia inſtantia ſuper eccleſiis monaſteriis & beneficiis hujuſmodi in dicta curia vel extra eam, ex commiſſionibus apoſtolicis, aut alias in peritorio vel poſſeſſorio pendebant ſeu remanſerant indeciſæ, earum ſtatus pro ſufficienter expreſſis habentes, & lites ipſas extinguentes quaſcumque, tam definitorias quam interlocutorias, ſuper dictis eccleſiis, monaſteriis, & beneficiis, contra eoſdem poſſeſſores, aut illos ad quorum titulum ſucceſſerunt, promulgatas ſententias & decretas ſuper illis etiam cum invocatione brachii ſæcularis executoriales litteras. Proceſſus quoque etiam quoſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententias ſeu & pœnas alias continentes, etiamſi ad illarum aggravatum & reaggravatum proceſſum foret, necnon quaſcumque collatas proviſiones de eccleſiis, monaſteriis, & beneficiis hujuſmodi quibuſvis aliis perſonis apoſtolica vel alia quavis auctoritate factas, & quacumque inde ſecuta caſſatione & annullatione, ac pro nullis & infectis decernentes, eccleſiis & monaſteriis de perſonis illorum locorum habitatoribus. eadem noſtra

auctoritate providerunt, eisque personas ipsas præfecerunt, necnon beneficia ipsa hujusmodi illa possidenda, ut præfertur, quæcumque quotcumque & qualiacumque, quorumcumque illorum, necnon & ecclesiarum & monasteriorum hujusmodi fructus, redditus, & proventus votorum annuorum forent, etiamsi dispositioni apostolicæ generaliter & specialiter reservata existerent, & super illis inter quoscumque in quibusvis statu vel instantia lites penderent seu revertissent, incidisse, ut præfertur, cum omnibus juribus & pertinentiis suis eisdem possessoribus, etiam quæcumque beneficia ecclesiastica obtinentibus & expectantibus de novo quatenus opus esset contulerunt & providerunt, etiam de eisdem perpetuum super illis quibusve aliis in ipsis seu ad ea jus habere prætendentibus silentium imponendo. Et deinde ut . . . justitiæ per præmissa detrahebant, opportuna daretur provisio, eorum gravatorum singulæ expectativas nominationes, & gratias alias, quarum obtentu jus sibi in eisdem beneficiis seu ad illa vindicabant, necnon litteras & processus desuper confectas ab eorum... dant in pristinos vim & robur restituerunt. Ita quod ipsi gravati expectativarum nominationum, & gratiarum, ac litterarum, & processuum hujusmodi rigore, beneficia acceptare, ac ipsis alias concessi executores, & ab eis pro tempore deputati subexecutores, de acceptatis per eos beneficiis, perinde ac cetera quæ certa sunt opportune facere valerent, in omnibus & per omnia, perinde ac si ipsi beneficia prædicta nullatenus acceptassent, aut sibi de ipsis provisum non fuisset: pro ceteris autem quibus de ipsis possessis beneficiis alias apostolica vel ordinaria auctoritatibus provisum fuerat, super debita eis facienda recompensa, instantiam apud nos facere promiserunt, volentes inter cetera quod per præmissa nullum monasterii *de Doulas* regimini, præsidenti ad prioratum *de Combours*, eleemosynariam S. Mevenni ordinis S. Benedicti Corisopitensis diœcesis & Macloviensis, & alios quos Johannes *Brehant* diœcesis Leonensis, necnon quos venerabilis frater noster Johannes episcopus Briocensis, ac nonnullos quos quondam Guillelmus Caprarii, necnon ceteros quos Hilaretus *Gillart* Maclovensis, & alios quos Johannes *Brehant* obtinent, seu obtinere solebant B. Matiæ Nannetensis ecclesiarum canonicatus & præbendas, necnon de *Pemerit*, de *Cessón*, de *Querven*, de *Plozini*, de *Polæder* S. Elerii, de *Quedillac*, de Resteriis, & SS. Rogatiani & Donatiani, in quibus magister Johannes *Bassón* scriptor & familiaris noster se jus habere asserit, dummodo ipse omni juri, si quod in Redonensi, cum illius archipresbyteratu Briocensi ecclesiarum canonicatibus & præbendis seu ad illos habet sponte & libere cedat, Trecorensis, Corisopitensis, Briocensis, Redonensis, Maclovensis, & Nannetensis diœcesis parrochiales ecclesias possidendi jus acquirerent, nec motum seu pendens super illis causis præjudicium pararent, sed quod inter illos & quæ tunc erant vel essent pro tempore ipsorum super illis competitores debitæ fieret justitiæ complementum. Causam autem super parrochiali ecclesia de Castro Theobaldi dictæ Nannetensis diœcesis in favorem dilecti filii Jo. de *Penhædic* officialis Nannetensis, ac utriusque juris doctoris, pacificandam receperunt, petentes prout in præfatis eorumdem nostrorum nunciorum litteris ac omnibus & singulis in eis contentis ut pro ipsorum subsistentia firmiori apostolicæ confirmationis robur adjicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui a creditis nobis populis omnem diffitendi materiam exsulare, ac illis fomenta pacis inferere studiis procuramus indefessis, ne super concessis, factis & ordinatis aliisque per eosdem nuncios, in ducatu prædicto auctoritate nostra gestis, quævis oriatur contentionis occasio; proinde volentes ipsius ducis in hac parte supplicationibus inclinati, omnia & singula prædicta per eosdem nuncios, ut præmittitur, concessa, facta, ordinata, & gesta, rata & grata habentes, illa auctoritate apostolica, & ex illa certa scientia ac de plenitudine potestatis confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Et insuper omnes & singulos, si qui juris aut alias in eis intervenerunt, defectus, eisdem auctoritate, scientia & plenitudine supplentes, quoscumque etiam processus contra excommunicationis, suspensionis & interdicti sententias, censuras, pœnas alias in se continentes, quas forsitan contra tenorem præsentis, per quoscumque & quacumque auctoritate fieri seu fulminari contigerit, & quæcumque tunc secuta, nulla & invalida esse volumus, easque auctoritate, scientia & plenitudine prædictis nullius existere firmitatis decrevimus per præsentes. Porro quia indignum est, ut quis suo dolo & fraude consequatur beneficium, volumus quod si qui ex eisdem possessoribus, sub specie quod sic per factam, ut præmittitur, concordiam hujusmodi quæ tractari cœpit, spoliaverunt, quod præmissæ concordiæ ac illius & præsentium favoris prorsus sint exsortes, nec ipsi per illam ullomodo quocumque teneantur. Nulli ergo, &c. nostræ ratihabitionis, confirmationis, communitionis, suppletionis, constitutionis, & voluntatis infringere vel ei, &c. Dat. Florentiæ anno incarnationis Domini MCCCCXLI, III. nonas Martii anno XI.

EPISTOLA FREDERICI III. imperatoris ad Carolum Francorum regem.

De dieta apud Nurembergam indicta, ad concilii generalis locum & tempus assignandum. Nota quod anno Domini MCCCCXLIII. *prima mensis Junii, Fredericus III. Romanorum rex, ad tollendum schisma exortum, deputavit dietam esse in Nuremberga, ubi vult assignare locum pro futuro concilio celebrando aptum. Unde misit omnibus regibus & principibus mundi unam epistolam optime dictatam, & in cancellaria imperatoris registratam, sub hac verborum forma.*

Anno 1443. *Ex mss. illustrissimi domini Chanvelin.*

FREDERICUS Dei gratia Romanorum rex & semper Augustus dilecto fratri nostro regi Franciæ, &c.

1. Accidit non sine gravi nostri cordis amaritudine, ut ad Romanum regiæ dignitatis culmen assumti, jam scissam ecclesiam, jamque monstruosam atque bicipitem (a) invenerimus : quæ res tanto nobis molestior fuit, quanto majora illuc pericula prospexerimus emersura. Scimus etenim quod, turbata ecclesiastica pace, nec populi nec principes conquieverunt. Sed insurgentibus bellis, rapinis, tumultibus, incendiis, cædibus, vastantur agri, urbes diripiuntur, provinciæ lacerantur, & innumeris regna miseriis conterunur : quodque molestius esse deberet, Christiani nominis inimici propagantur, & catholicæ fidei limites deprimuntur. Quibus malis ut obviare pro nostris viribus valeremus, complures diætas indiximus, prælatos & principes nationis nostræ sæpius convocavimus, ambassiatas diversas nunc ad istam, nunc ad illam partem transmisimus, non laboribus, non expensis pepercimus, ut per nostram, si fieri posset, sollicitudinem, recens adhuc divisio sopiretur : Scientes quod nisi pestis hujusmodi pullulans incidatur, difficile postmodum eradicatur adulta, semperque fit vetustate robustior. Tandem vero post regium diadema susceptum, cum Francofordiam rediissemus, sciffionemque ipsam majora dietim fomenta susçipere cerneremus; habita cum venerabilibus & illustribus tam electoribus, quam aliis sacri imperii principibus, prælatis, baronibus, proceribus, ac communitatum ac universitatum generalium studiorum ambassiatoribus, matura deliberatione, nobis visum est in hac divisione ecclesiæ, quæ non solum ignaros & vulgares perturbat, sed peritos etiam & doctissimos homines in diversas proripit sententias, antecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, qui ut oriri schismata inter Christianos videbant, generalia congregari concilia mox procurarunt, sicut de Constantino magno, de Marciano, Valentiniano, Theodosio, Justino, & aliis pluribus Cæsaribus legitur, & de divæ memoriæ prædecessore nostro SIGISMUNDO præsens ætas recordatur : cujus opera, industria, sollicitudine, studio pestiferum schisma, quod annis pene XL. universalem vexaverat ecclesiam, in magna Constantiensi synodo finem accepit.

2. Pari igitur modo ad restarciendam præsentis divisionis ruinam necessarium existimavimus generale concilium ab omnibus indubitatum teneri : ubi convenientibus totius orbis prælatis & aliis fidelibus Deum timentibus, ac publicam salutem amantibus, tam de summo pontificatu, quam de aliis rebus catholicam fidem, ac universalis ecclesiæ, necnon sacrorum generalium conciliorum & sanctæ sedis apostolicæ auctoritatem & statum concernentibus, contentione semota, veritas ipsa manifestetur, & sicut una est fides, unusque Deus, sic unum fiat ovile & unus pastor, & ambulemus omnes in domo domini communi consensu, agnum in unis ædibus comedentes. Quod ut facilius fieret, solemnes oratores nostros simul cum præfatis electoribus versus Basileam atque Florentiam ad utramque partem transmisimus, magna cum instantia postulantes, ut ambæ partes vota sua conferrent, quatenus modis congruis ad generalis concilii ab omnibus indubitati congregationem infra unius anni spatium perveniretur *in loco nobis & dictis* electoribus grato, & rebus gerendis accommodo.

3. Sed redeuntibus oratoribus nostris, nequaquam perspeximus, ex his quæ nobis responsa sunt, pacis viam patere : de qua re magno dolore compungimur. Non tamen propositum procurandæ concordiæ deposuimus; sed quanto difficilior res esse videtur, tanto majori conatu duximus enitendum, velle persistere usque ad finem sæculi. Repetentes igitur animo nostri officii debitum, quo protectionem ecclesiæ matris nostræ, quamquam insufficientibus humeris, & advocationem gerimus. Volentes, ut tenemur, præsentibus Christianæ religionis calamitatibus obviare, rursus ad festum S. Martini proxime instans in oppido nostro Nurembergensi aliam diætam cum prædictis electoribus, ceterisque prælatis, principibus, necnon communitatum & universitatum studiorum generalium oratoribus, duximus celebrandam, ut ibidem cum eisdem & aliis regum & principum oratoribus, qui affuerint, juxta ea quæ in proxima Nuremburgensi diæta deliberata fuerunt, personaliter convenientes, de modis congruis, per quos dictum concilium pro pace & unione ecclesiæ celebrandum, quantocius fieri queat, post dissolutionem diætæ dictæ feliciter inchoari, & votive postmodum *terminari possit absque* ulteriori mora, disponamus, ne propter illam vel istam per-

(a) Aliis Eugenium IV. quibusdam Felicem V. a concilio Basileensi electum, pro summo pontifice agnoscentibus.

sonam scandalum patiatur ecclesia, & Christiana religio amplius pessumdetur.

4. Quia tamen hujusmodi negotium arduum est, & totam Christianitatem concernit, opus nobis est, ad hujusmodi rei complementum, ut etiam ceteri fratres nostri reges & alii principes nobis assistant, quos sane pronis animis & singulari affectu, & lætissimo corde propositum nostrum credimus suscepturos: cum non commodum nostrum aut *honorem, sed communem & publicam* prosequamur utilitatem, pacem quam semper dileximus promoventes. Cumque nihil nos aliud moveat, quam fidei zelus & ecclesiæ, cujus advocati sumus, commiseratio, qui nimis inviti cernimus inconsutilem Christi tunicam & desuper contextam, quam perfidi quondam Judæorum satellites scindere non auserunt, ab impiis Christianorum manibus lacerari.

5. Inter alios autem, quorum nobis ad reintegrandam ecclesiam confidimus adesse præsidium, spem magnam in vestra serenitate posuimus, quæ, semper ad pacem & commune bonum extitit inclinatior, progenitores suos imitans, quorum clarissima gesta pro Christianæ fidei exaltatione, & ecclesiæ catholicæ tranquillitate, totus orbis admiratur & laudat. Quibus ex rebus indubie credimus ad exstirpationem præsentis schismatis fraternitatem vestram totis affectibus animatam existere, magnopereque optare, ut quam celerrime pax in ecclesia reformetur. Qua spe veluti certitudine quadam permoti, confidentius vestram serenitatem duximus exhortandam, ut ad prædictum concilium, postquam indictum fuerit, prælatos dominiorum vestrorum, ac oratores vestros, ad providendum ecclesiæ, tollendumque *schisma*, destinare *nullatenus omittatis, ut* unitas atque tranquillitas in Christiano populo reparetur. Sed omnino ad hanc rem tam salubrem, tam optatam, tamque necessariam, atque sanctam nobiscum sentire, & par voto velitis concurrere, atque patentibus brachiis nostram intentionem suscipientes ita cooperemini, quod dominicus grex salvetur, & non amplius sit ruina. Confidimus enim quod nihil apud vestram serenitatem plus valeat, quam veritas, quam unio, quam animarum *salus*, & *orthodoxæ fidei* propagatio: quæ omnia, sicut cernitis, propter divisionem hujusmodi nimium sustinent detrimentum.

6. Agite igitur, rex inclyte & amantissime frater, sicut de vestra sincera mente sanctaque voluntate fiduciam obtinemus, & inhærentes progenitorum vestrorum vestigiis, quemadmodum religiosissimus princeps, pacis & veritatis amator semper fuistis, sic & vos nunc in hoc exhibito negotio, nobis per latorem præsentium ante prædictam diætam in festo Martini celebrandam, de vestra intentione celeriter respondentes, ut per vestram & aliorum regum & principum operam, pax pulcherrima inter christianos populos reflorescat, ut tam vestra fraternitate, quam aliis cooperantibus, ab eo qui cuncta videt, & nullum irremuneratum præterit bonum, cælestis retributio præmii rependatur. Datum Viennæ prima die mensis Junii anno Domini MCCCCXLIII. regni vero nostri anno IV.

ORATIO QUAM HABUIT DOMINUS Æneas Sylvius episcopus Tergestinus, pro fideli Alamannorum obedientia, reconciliationeque schismatis, ac celebrando concilio coram Eugenio papa IV.

Circa annum 1446.

1. NOn habet me dubium, pater sanctissime, quin apud te sit illa domus quam Dominus in evangelio supra firmam petram laudat ædificatam, ad quam recurrendum est regnante diluvio. nam extra eam non est salus, & ejus decorem diligere se propheta testatur. persuasumque mihi jam dudum fuerat in amplissimo loco neminem loqui decere, nisi vel summa doctrina, vel auctoritate, vel vitæ sanctimonia præstantem. Rursus quoque nihil huc afferri rebar oportere, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, rebusque ipsis illustratum esset. nec immerito, nisi fallor. Quis enim aliter vel coram te summo pontifice, æterni regni clavigero, ac JESU CHRISTI vicario, vel coram his gravissimis ac sapientissimis patribus verba faciens commendatur?

2. Hæc ego tum alias ad te missus, mecum tacitus expendissem, in tuæ sanctitatis conspectu tacere, priusquam loqui, voluissem. Sed *quoniam solus eram, qui legationis* regiæ munus obibam, quod voluntas repulit, necessitas impulit. Nunc vero secundo ad te remissus, sperabam nobilis equitis ac clarissimi collegæ mei beneficio & eloquentia hoc fascе levari, qui & prudentius, & gravius, & ornatius multo quam ego, desiderium regium electorumque principum complevisset. Sed nescio quid factum sit, ut mihi potissime nihil apto & multum repugnanti sit onus dicendi mandatum: forsitan quia tecum alias, vel quia sum Italus, habere non nihil energiæ vel notitia, vel communis patria creditur. In me aliud nihil est quod mihi præ ceteris facit dicendi necessitatem. at ego etsi magnum est jubentis imperium, etsi parere majoribus cupio, neutiquam tamen in præsentiarum tuam alloqui sanctitatem fuissem ausus, nisi me res ipsæ, de quibus est agendum, maxime reipublicæ christianæ, plurimum necessariæ commovissent: nisi & animum illi darent, quorum nomine verba fient, sublimes altique principes, quos intueberis dum me audies; & quod tuæ mihi negassent

aures, præſtabunt illis. Nec enim vel pauca ſunt, vel ab ingratis miſſa principibus quæ mihi oranda incumbunt. Ceterum, quia moris eſt coram te loquentibus breviuſculam ſibi aliquam unde exordiantur ex ſacris litteris ſententiam aſſumere, non adverſabor ipſe conſuetudini, quam docere oporteret. Inter auctoritates autem quas ſacroſanctis poſſum ex codicibus mutuari, nulla mihi aptior, nullaque noſtro convenientior propoſito viſa eſt illa, quam nobis Paralipomenon affert: *Morabatur in præſidiis inclytus David, acceſſerunt ad eum viri Benjamin & Juda, quibus obviam David egreſſus: Si pacifici venitis, inquit, ad me, ut auxiliemini mihi; cor meum jungatur vobis. Si autem inſidiamini mihi pro adverſariis meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum noſtrorum, & judicet.* Ad quem illi: *tui ſumus, o David, & tecum filii Iſai manebimus. Pax, pax tibi, pax adjutoribus tuis, te enim adjuvat Deus tuus.*

9. Aptiſſima, ſicut mihi videtur, ad propoſitum noſtrum verba ſunt. Quæris enim forſitan ex nobis, pater ſanctiſſime, an amici venimus? quid quærimus? quid afferimus? dum nos nomino, non nos ipſos, qui adſumus, ſed dominum Cæſarem Fredericum, tuæ ſanctitatis devotiſſimum filium, ac præclariſſimos principes, & reverendiſſimos patres ſacri imperii electores, tum proceres & prælatos tibi deditiſſimos, quorum hic oratores vides, intelligi volo. Sumus igitur non ſolum amici, ſed etiam adjutores: pacem aferimus, pacem quærimus; atque idcirco cum filiis Benjamin & Judæ dicimus: *Pax, pax tibi, pax adjutoribus tuis; te enim adjuvat Deus tuus.* Plena pacis petitio eſt, plena pacis oblatio. Pacis nomen, ut inquit orator, dulce eſt, & res ipſa tum jucunda, tum ſalutaris. *Qui ineunt pacis conſilia, ceſte ſapiente, ſequitur eos gaudium.* Dominus vero in evangelio beatos eſſe pacificos tradit: ideoque jubet in epiſtolis doctor gentium, ut quæ ſunt pacis ſectemur, mercedem repromittens. *Pacem*, inquit, *habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.* Hujus igitur tam ſanctæ rei, tam utilis, tam neceſſariæ, tam commendatæ, & nuncii, & petitores ſumus. ac propterea repetimus: *Pax, pax tibi, pax adjutoribus tuis, te enim adjuvat Deus tuus.*

Super his verbis tria jacimus noſtræ orationis fundamenta, & quæ ultima ſunt verba thematis prius recipimus. Oſtendendum eſt enim quomodo te Deus tuus adjuvat, dum Germaniæ principes in tuum dirigit auxilium. Monſtrandum eſt quam ferimus pacem. dicendum eſt quam petimus. ſic enim pacificum noſtrum adventum intelliges, & cor tuum ſicut ſperamus noſtris jungetur principibus, eruntque illi tui, & manebunt tecum in principium. Adjuvat igitur te Deus tuus, ſanctiſſime pater, adjutores namque tui Germanos principes dedit. altius ſunt aliqua repetenda, ſi quo pacto noſtri te adjuvent principes referimus. eſt quod breviſſime faciam.

4. Exorto pridem apud Baſileam diſſidio, quod omnibus notum eſt, doluerunt imperii ſacri principes, dum vulnerari eccleſiam, & inconſutilem Chriſti tunicam ſcindi videbant, moxque ad componendam in eccleſia pacem navare operas ſtatuerunt. Quod ut commodius facerent, utque nationis ſeditiones facilius evitarent, & ne proceſſibus contrariis involverentur, quibuſdam proteſtationibus uſi ſunt, devotionem tamen ſuam, quam erga te ſanctamque ſedem apoſtolicam gerebant, nihil propterea imminuentes. Sic animorum ſuſpenſio orta eſt. Hanc Albertus indelebilis memoriæ Romanorum rex amplexus eſt. Huic & invictiſſimus noſter Fredericus Ceſar aſſenſum præbuit, tum ne a ſuis electoribus id exigentibus diſſentiret, tum ne plus ſapere velle videretur, quam ſuus ſapuerat anteceſſor; ſperavitque regia ſerenitas vel pacem extemplo reperire, vel melius rem cognoſcere. Elaboratum eſt ſæpe & multum pro concordia: ſed quamvis tua ſanctitas ſemper bonum conſuluerit, nonnullorum tamen culpa factum eſt, ut omnes incaſſum hactenus conatus abierint, ut fruſtra ſæpe principes convenerint, fruſtraque nunc huc, nunc illuc tranſmiſſæ fuerint legationes. Ea de re ſtatuit regia majeſtas, ſtatuerunt & ſui principes modum ſuſpenſionis animorum ponere: convenienteſque nuper Fanchfordiæ partim perſonaliter, partim per legatos, ac ſcientes te illi ſuccedere, cui dictum eſt: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & dabo tibi claves regni cælorum; & paſce oves meas*; & plurima his ſororia, recta, vulgataque via obedientiam tibi præbere decreverunt. Sed quia non nulli aderant tam ex Baſilea quam ex aliis locis, qui longe aliter ſentiebant, aliterque ſuadebant, magna contentio fuit & anceps prælium, nunc huc, nunc illuc acie inclinata. Cum levaſti manus, hoc eſt cum oratores tui benigne reſponderunt, ex parte tui noſtrorumque principum, validius pugnabatur. Cum vero brachia remiſiſti, hoc eſt cum oratores tui duriores fuerunt, languidior erat cuneus tuorum, vincebantque adverſarii. Similis pugnæ faciem habemus in Exodo: Fervente namque inter populum Dei & Amalech prælio, aſcenderunt Moyſes & Aaron in verticem collis: Joſue vero cum electis viris pugnabat. Cumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech; & ut ſim brevis, non coaptabo ſingula ut poſſem ſingulis. ſed vera eſt Chryſoſtomi ſententia. Non ceſſat impugnari eccleſia, non ceſſat inſidias pati: ſed in Chriſti nomine ſemper ſuperat, ſemper vincit. & quamvis alii inſidientur, quamvis alii repercutiant eam fluctus, fundamentum

damentum tamen quod ſupra petram eſt non quaſſatur. Exploratum eſt quod inquit Hilarius: Proprium eſſe eccleſiæ ſolet, ut tunc vincat cum læditur, tunc intelligat cum arguitur, tunc obtineat cum ſuperata videtur. nam etſi multoties deſperatæ res viderentur, ad extremum tamen cum ante oculos hominum tuæ ſanctimonia vitæ, tua clementia, tua liberalitas, tua benignitas poſita eſt; implerum eſt quod inquit ſapiens: *Cum placuerint Domino viæ hominis, & inimicos ejus vertet ad pacem.* namque non ſolum regia majeſtas, quæ tibi ſemper deditiſſima fuit, & quaſi alter Joſue pro te pugnavit, non ſolum principes ſui electores atque alii viri electi tuum ſtatum, tuumque decus tuebantur, ſed plures alii qui malignandi cauſa confluxerant permoti ſunt, & in tuum verſi favorem. Quibus ex rebus manifeſtum eſt, quia te adjuvat Deus tuus, Germanoſque principes tibi efficit adjutores, quod fuit orationis noſtræ membrum primum, propter quod dicimus: *Pax, pax tibi, pax adjutoribus tuis; te enim adjuvat Deus tuus.*

5. Sed non monſtravimus adhuc beatitudini tuæ qualis & quanta pax eſt, quam ſanctitati tuæ afferimus. membri namque ſecundi deſtinata materia fuit, quam nunc breviter abſolvimus. *Nihil erraverim*, clementiſſime pater, ſi maximum eſſe atque ampliſſimum dixerim munus, quod apoſtolicæ ſedi jam ſumus exhibituri. non enim unius urbis, uniuſve provinciæ, ſive regni, ſed maximi & inclyti nominis Theotonici, nobiliſſimæ atque latiſſimæ nationis Germanicæ declarationem & obedientiam ſumus exhibituri. Quod ſi gloriabundus de populo ſuo dicebat Moyſes, non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Dominus Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quæ eſt enim alia gens tam inclyta? & cetera hujuſmodi. Quanto magis de natione Germanica licet noſtris principibus gloriari, quæ ab Alpibus Italiæ uſque in Oceanum, & a Rheni fluente uſque in Tartarorum barbariem protenſa, *tot ſplendidas urbes in ſe continet, tot latiſſimas provincias, tot* ampliſſima regna, tot venerandas eccleſias, tot potentes principes, tot populos, tot linguas diverſas. nempe ſi, teſte ſapiente, *in multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis*, ingens gloria eſt noſtris principibus, ingens dignitas. Sed major tuæ ſanctitati modum in mirum, quæ declarationem & obedientiam receptura eſt hujus nationis, in qua non ſolum principes ac reges potentiſſimi ſunt, ſed ipſum regnorum omnium caput, Romanum imperium eſt conſtitutum. Vetus dictum eſt, ſanctiſſime pater, per duo luminaria magna, quæ Deus in firmamento poſuit, ſanctam apoſtolicam ſedem & ſacrum imperium ſignificari. Duo ſunt, inquit unus ex tuis anteceſſoribus, qui-

A bus principaliter hic mundus regitur, regalis poteſtas, & auctoritas ſacra pontificum.

6. Prætereo nunc apoſtolicam ſedem, quæ *nihil aliud* eſt quam *refugium ac patrocinium* orbis terræ. Taceo de ſacro reverendiſſimorum collegio cœtuque cardinalium, qui recte mundi conſilium totiuſque militantis eccleſiæ Senatus appellari poteſt. Quis ſatis imperii ſacri privilegia poſſit exprimere? Quis ſatis auguſtalis culminis perorare valeat dignitatem? ſub Auguſto naſci Salvator, & cenſum ferre dignatus eſt, didragma pro ſe Petroque ſolvi, & reddi quæ Cæſaris eſſent Cæſari divinum juſſit oraculum. Tantum
B quoque ex Alto ſuſcepiſſe privilegium Cæſaream ſublimitatem quidam aſſerunt, ut imperio ſtante, nihil ſit cur antichriſti formidemus adventum. Sic enim apoſtoli Pauli verba commentantur: *Qui tenet, teneat, donec de medio fiat.* at hujus ampliſſimæ dignitatis poteſtas in divinum Cæſarem FREDERICUM modernum rite tranſlata eſt. *Hujus* igitur maximi principis, mundi Domini, inter omnes qui regnant altioris, ſuorumque principum, ac nationis Germanicæ debitam ex nobis recipies obedientiam. Sed quoniam de natio- Nationis Germaniæ encomium.
C ne loquimur, hæc eſt illa natio, Pater ſanctiſſime, quæ viros habet induſtrios, litterarum capaces, *rei militaris* peritos, pacis cupidos, fidei zelatores, & ad omnia gnaros. Hæc eſt illa natio, quæ non modo hoc módo illud, ſed ſemper idem vult, quando rectum eſt quod ſemel voluit. Hæc eſt illa natio, quæ non leviter recipit aliquid, nec facile deſerit. Quod ſi poſt diſſidium ortum animorum ſuſpenſionem tardius videtur relinquere, confidit quia utilius tecum manebit, nec divelli
D umquam a tua devotione poterit. atque iſta pax eſt quam tuæ ſanctitati afferimus, propter quam dicimus: *Pax, pax tibi, pax adjutoribus tuis; te enim adjuvat Deus tuus.*

7. At ſi pacem cupis hujuſmodi, Pater ſanctiſſime, quemadmodum cupere te confidimus, opus eſt ut nationem Germanicam beneficio pacis quoque impartiaris, ut ſit quoque pax adjutoribus tuis. Quis enim ſic pacem *aliis largiatur, quod pacis ipſe remaneat expers?* Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non mànducet? Quis os triturantis alliget bovis? afferunt pacem Germani princi-
E pes, ſed pacem etiam expetunt. Cupiunt enim aliqua; quæ niſi obtineant, nec curari vulnera poſſunt, nec pax nationis haberi. Ea quatuor principalia ſunt. Primum eſt ut generale concilium in tempore locoque deſignando convocetur. alterum eſt ut profeſſio poteſtatis, auctoritatis, & præeminentiæ generalium conciliorum catholicam militantem eccleſiam repræſentantium, per tuos oratores Franchfordiæ facta, tuis litteris approbetur. Tertium eſt ut nationi Germanicæ ſuper gravaminibus oportune provideatur. Quarto & ultimo loco, ut quæ in præjudicium

duorum principum electorum vel suarum ecclesiarum acta sunt, ex tuæ sanctitatis clementia revocentur, & in pristinum singula statum redigantur. Quibus per tuam sanctitatem concessis, pax firma tibi erit, pax apostolicæ sedi, pax nationi Germanicæ, pax toti ecclesiæ. Deorsum ista breviter & succincte libabimus.

Concilium universale petitur.

8. Concilium sane propterea petitur, quia plurima necessario sunt reformanda, nedum in populo, sed etiam in clero, & providendum est ut omnis diffidii fomes in ecclesia sopiatur. Et habet hæc petitio plurimum honestatis, nec quisquam est qui non putet honestum generale concilium convocari. Venerabile est, & in omnium populorum, gentium, nationumque reverentia, generalis concilii nomen. Tanta quoque conciliorum dignitas est, ut ex his non solum Romani pontifices, sed etiam episcopi, Cæsares, ingentem gloriam sint assecuti. Præterea quæ multis in locis synodaliter & utiliter gesta sunt. In Constantiensi concilio schisma, quod circiter annis quadraginta vexarat ecclesiam, abolitum est. Ex quo fit ut honesta sit & sancta concilii postulatio. Super qua re plurima diceremus, nisi quia te numquam invenimus convocationi concilii repugnantem, si quæ vel olim Alberto regi oblata fuerunt, vel quæ nuper Franchfordiæ tui politi sunt oratores memoriæ repetamus.

9. Sed migramus jam ad petitionem secundam, cujus tenorem superius recensuimus. Scimus, pater beatissime, in ea te sede sedere, quæ cardo & caput ecclesiæ, ut factum est, a Domino, & non ab alio constituta est. Et sicut cardine ostium regitur, sic hujus sanctæ sedis auctoritate omnes ecclesiæ, Domino disponente, reguntur. Nihil est quod aut regia majestas, aut principes tui de tua vel fide, vel sinceritate, vel doctrina mussent: sed innuerunt apud Franchfordiam conceptum quemdam mentis sinistrum de auctoritate conciliorum oratores tui, qui plebi gravior videbatur. Is nunc penitus tuis litteris extinguendus est. Consueverunt antecessores tui, quos tu non solum sequeris, sed æquas ac præcedis benefaciendo, obmutescere facere malorum hominum audaciam, dum rationem omnibus de sua fide reddebant. nec novum est, nec inusitatum Romanis pontificibus, Romanis regibus suæ fidei puritatem rescribere. B. Gregorius, cujus vita sanctior, an auctoritas major fuerit incertum putes, sicut quatuor evangelii libros, sic quatuor concilia se suscipere ac venerari fatetur. non tam lata, nec tam magnifica de te verba petuntur, sed solum quoddam, ut supra diximus, quod ab hac sanctissima sede non hæsitamus assequi, cujus sublimitas in humilitate fundatur, cujus auctoritas in honestate stabilitur, cujus est omnia facere quibus salus quæritur animarum, & omnia fugere quibus scandalizari fratres queant. duas jam petitiones absolvimus modo quo supra.

Conciliorum auctoritas.

10. De gravaminibus dicendum est: Audiat benigne sanctitas tua, modestiamque nationis attendat. Gravamina de quibus agitur, bifariam dividuntur. alia per decreta tolluntur concilii Basileensis, alia tuæ sanctitatis indigent auxilio. Quæ decretis abolentur, sunt reservationes nimiæ, annatæ graves, causarum ad Romanam curiam frequentes advocationes, & cetera istius modi quibus ordinaria jurisdictio erat penitus evacuata. quæ licet dudum ante tuam ad summi apostolatus apicem vocationem nationi gravia viderentur, non tamen ut decem illæ tribus apud Roboam filium Salomonis, auctoritate propria jugum excussit, sed Basileensis concilii provisionem expectavit, cujus decreta cum nonnullis modificationibus acceptavit, iisque est usa. Ergo, ut posthac sine gravamine natio sit, quod iis decretis in futurum uti possit, per te liceat petitur. Habes hujus partis modestiam.

Gravamina de quibus queruntur Germani.

Nunc honestatem sequentem cognosce. Dum locus neutralitati fuit, quamplures viri præstantes ecclesiarum metropolitanarum, cathedralium, monasteriorum, diversarumque dignitatum & beneficiorum, vel integram, vel majorem partem bonorum possessionem sunt assecuti; quidam tua, quidam aliorum auctoritatibus; horum pax securitasque deposcitur. quod si in magna multitudine possessores nonnulli comperiuntur, injustis ditati titulis; tolerabilius est tamen paucos injuste possidere cum pace, quam multos juste possidentes pace turbari. sunt enim quædam sui natura injusta, quæ communis boni causa & publicæ pacis intuitu sororia justis fiunt. Laudatur apud veteres, magnusque habetur Scionius ille, qui restitutis in urbe sua sexcentis exsulibus, non quæ prius habuerant, bona reddidit, sed acepta mutuo pecunia, quanti res eorum fuerant, accipere jussit. Indignum namque vir bonus putavit longi temporis præscriptionem possessione movere. Similiter & in omni unione vel nostra, vel majorum nostrorum rempestate celebrata, possessorum conditio semper melior fuit. nec ab re, nam si secus fiat, pax omnis abrumpitur. Cetera quæ petemus in scriptis leviora sunt. annatas enim remitti vel jus decretorum vel tuæ liberalitatis est munus, relaxari censuras quæ contra fœdus neutralitatis actæ sunt, pium æquumque. Si tamen inter hæc aliquid est quod apostolicæ sedi grave videatur, supplicant principes, ut tua sanctitas, quæ patienter jam annis quindecim omnia quæ acta sunt toleravit, nunc etiam pro parvo tempore patientiam habeat, & obedientiam nationis, ut offertur, recipiat. Quo facto, omnia in melius redigentur. est enim intentio regiæ majestatis, & suorum

principum, hanc ſanctiſſimam ſedem, quæ per *Dei* ordinationem ex munificentia Cæſaris mirifice ſublimata fuit, omnem dignitatem ſuam retinere, omne jus, omnem ſplendorem, omnem poteſtatem, ad quas res ſuis temporibus enixe laborare intendunt. In Francofordienſi diæta *non fuit otium*, ut erat voluntas, de proviſione tuæ ſanctitati tuæque ſedi facienda tranſigere.

Orat pro Colonienſi & Treverenſi eccleſia.

11. Quarta nunc & ultima petitio ſupereſt, Colonienſem & Treverenſem eccleſias, earumque prælatos res iſta concernit: cujus honeſtas eo major eſt, quo tuæ naturæ, humanitati, dignitati, ſedique apoſtolicæ convenientior eſt. Nihil ad nos attinet, beatiſſime pater, de tuarum ſententiarum viribus diſputare, cum primæ ſedis facta ſolius Dei judicio reſerventur. Sed formidamus ſcandalum, niſi tua clementia in hac ultima petitione *preces noſtras exaudiat*. Namque prælati magno conatu, magnoque potentatu, amicis & clientelis ſulti, in opibus amiciſque fidentes, ſine ſpoliis, ſine incendiis, ſine magno eccleſiarum damno amoveri facile nequiverunt. In vetteri teſtamento cautum eſt, ne quis hedum in ventre matris ſuæ coquat, quod minime abſurdum fuerit interpretatum, ſi quis prælatum in eccleſiæ ſanguine multandum eſſe negaverit. Scis, beatiſſime pater, quam ſancta eſt Colonienſis eccleſia, quam vetus Treverenſis, quam venerabiles ambæ, quam toto memorabiles orbe. Scis quantum cleri, quantum populi ſub ſe habeant. Nolit tua beatitudo duas illas eccleſias, quæ duo magna nationis Germanicæ luminaria ſunt, noſtris periclitati temporibus. Multis rationibus hunc locum conſolari *poſſemus*, ſed *ſcimus tuam conſuetudinem*, clementiam, pietatem. Scimus cardinales, epiſcopos, alioſque prælatos, quos ad te redeuntes, non extulifti ſolum jacentes, ſed amplificaſti etiam eorum priſtinas dignitates. Scimus quia nulla res magis Deo proxima eſt, quam ſalutem hominibus dare. Ideo parcimus verbis, teque ſolum oratum facimus, ut tua beatitudo, quæ in alios ſæpe multos benigniſſima reperta eſt, nunc etiam erga prælatos & principes de quibus agimus, & ipſorum eccleſias, ſui ſit memor ipſius, innataque ſibi clementia & humanitate utatur. *Quod ſi feceris*, ut ſperamus, & nationem integram habebis obedientem, & nulla umquam ætas de tuis laudibus conticeſcet.

12. Hæc ſunt, ſanctiſſime pater, quæ noſtri principes ex te petunt, magna ſane, ſed rationi & honeſtati conſona. *In prima petitione* communis verſatur utilitas, in ſecunda humilitas, in tertia æquitas, in quarta benignitas & tua deſideratur humanitas. Tuum eſt quod juſte petitur libenter annuere. In tua manu nunc eſt radicem omnem ſchiſmatis evellere, pacem orbi concedere, conſolari nationem, & ejus obedientiam ſuſcipere. Cumque, ut vides, noſtri principes in amicitia ad te miſerint, ut *auxilientur tibi*, tempus eſt ut cor tuum jungatur eis, ſintque illi tui, & maneant tecum in perpetuum, & tempeſtive & convenienter a nobis dictum repetatur quod ab initio ex ſacris accepimus litteris, *Pax, pax tibi, pax adjutoribus tuis.* Te enim adjuvat Deus tuus, qui tuam beatitudinem proſperioribus dietim ſucceſſibus augeat.

Vet. ſcript. & mon. ampl. Collect. Tom. VIII.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ V. ad Carolum VII. regem Francorum.

Hortatur ut progenitorum ſuorum more procurandæ eccleſiæ paci incumbat.

NICOLAUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio KAROLO regi Francorum illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Anno 1447. *Ex febdit Mabillonii.*

Addubitare nos paulum facit tua *virtus*, cariſſime fili, utrum laudare primum tuam ſingularem devotionem & affectionem, quam *tuorum prædeceſſorum* more oſtendis erga unitatem eccleſiæ ſanctæ Dei & bonum ſtatum ipſius, prout antea a venerabili fratre noſtro ROBERTO archiepiſcopo Aquenſium intelleximus, an hortari te debeamus ad *proſequendum* ea, quæ jam antea tua ſponte facere cœpiſti pro illius reintegratione atque utilitate. Commendandus quippe es eam te curam & laborem ſuſcepiſſe, ... qui præ ceteris eo majori laude cumulandus eſt, quo majorem afferre noſcitur in Dei *eccleſia* utilitatem. Quid enim Deo acceptius, quid ſanctius, quid honorificentius agi aut excogitari poteſt, quam ſuo ſtudio & diligentia eccleſiæ unitatem & animarum ſalutem quærere aberrantium, ut reducantur ad ovile Chriſti? Hoc opus regium eſt. In hoc tui illi viri ſingulariſſimi & omni laude digniſſimi prædeceſſores omnibus viribus elaborarunt, ex hoc ingentem gloriam & ſummam laudem apud ſummos pontifices & omnes nationes ac populos ſunt adepti. Nulla eſt res quæ magis homines commendat Deo, quam *venerari, colere & exaltare* eam ſedem, in qua Dominus noſter JESUS CHRISTUS ſedere voluit vicarios ſuos; quam tueri eam eccleſiam, quæ omnium aliarum eſt caput; quam honore & auctoritate velle excellere eam, in qua a Deo eſt ligandi & ſolvendi poteſtas data; quam quærere illius unitatem, pacem & exaltationem, ex cujus ſciſſura & depreſſione ſequitur animarum interitus, pro quibus redimendis Salvator noſter mortis patibulum ſubire voluit. Vides quantum ſcandalum excitaverint in Dei eccleſia odia & cupiditates eorum qui in Baſilea ſedem *ſuam ab Aquilone poſuerunt*. Vides quantam labem tulerint nomini Chriſtiano, quantam peſtem excitaverint inter fideles, quantam

divisionem fabricaverint in plebe Christi, quantam dubitationem mentibus hominum injecerint, ut vere omnium malorum quæ dici aut cogitari possint, seminarium videantur in Dei populo extitisse. Fuit semper proprium præclaræ stirpis Franciæ regum tollere schismata, & pacem Dei ecclesiæ elargiri. Hoc certe singulare regum Franciæ munus fuit, ut sisterent Romanis pontificibus, eorumque dignitatem & auctoritatem tutati sunt & ampliarunt. In hoc semper elaborarunt, ut divisiones ad unitatem reducerent & Romanæ universalis ecclesiæ antistites, rejectis dejectisque sedis apostolicæ occupatoribus, unicum Dei in terris vicarium recognoscerent.

Itaque cum tot ante oculos exempla habeas tuorum prædecessorum, qui nullos labores, nulla pericula recusarunt pro tollendis schismatum auctoribus, pro Romani pontificis exaltatione; imitare, quæsumus, illorum vestigia, & sanctum opus quod jam summa cum laude cœpisti coneris perficere, remque ad optatum finem perducere. Velis hanc ignominiosam labem & quasi pestem Christi fidelium abolere. Neque vero defatigeris in ea re, in qua vitam æternam consequaris, & tibi tuisque posteris sempiternam laudem & gloriam sit allatura. Magnum opus est quod cœpisti, sed quo major labor, eo majori præmio & laude dignus eris. Hæc & quædam alia ad hanc rem spectantia idem archiepiscopus latius referet tuæ serenitati ex parte nostra. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1447. 6. cal. Maii, pontificatus nostri anno primo. *Sic signatum* Joannes de Cellis, *& subscripta*, Catissimo in Christo filio Carolo Francorum regi illustri.

EPISTOLA FELICIS V. ad Carolum regem Francorum.

Hortatur ut regni sui præsules ad concilium Basileense iterum mittat, utque dandæ ecclesiæ paci operam impendat suam.

Anno 1447. *Ex mss. bibliothecæ regiæ.*

Felix episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Carolo regi Francorum illustri Christianissimo S. & A. B.

Novum non est in auribus tuæ regiæ majestatis, quam frequentibus oratoribus, quam succedentibus litteris, quam denique variis commonitionibus elaboraverimus, ut sacrorum generalium conciliorum conservaretur auctoritas, justitiaque nostra, ut spero, clarior universo patefieret orbi. Postquam etiam ad tabernacula hujus naviculæ Petri, vocante Domino, fuimus instituti, unicus labor fuit nobis pro veritate certare: nullum sacrificium Deo immortali acceptius offerre posse arbitrantes, quam auctoritatem universalis ecclesiæ nimium, proh dolor! conculcatam relevando, eamque indefessis viribus adversus quoscumque impetus sustinendo, non parcentes laboribus, non a mille rerum periculis abhorrentes; sed omnia facile amplectentes quæcumque ad incrementum dignitatemque ecclesiæ visa sunt profutura. Quin potius quanto fluctus intumuerunt vastiores, tanto sollicitius rebus gerendis indulsimus ad tranquillum portum felicemque exitum capescendum: non nescientes quod etsi altissimo secretissimoque consilio Deus permittat ecclesiam suam ad tempus conturbari, pro ejus tamen pace serenitateque contendere primum esse pietatis opus, non modo nobis, qui sanguinetenus auctoritatem sacrorum generalium conciliorum defensare devovimus, expresso ac solemni juramento promisimus; sed universis sæculi principibus, a quibus sub manu omnipotentis Dei populi gubernantur conveniens. Quorum quidem præclaram fidem dum oculis contemplamur, prælucet certe tua regia celsitudo nomine Christianissimo, pro tuorum serenissimorum progenitorum meritis & titulis ampliissimis, pro tuo in ecclesiam cultu singulari illustrata: ita ut primus venias exhortandus ad harum tenebrarum propulsationem, quæ faciem terræ contexerunt: quatenus amore vel abjectæ vel non satis intellectæ consurgat veritatis, cujus solida fundamenta progressumque legitimum extensiore non recitamus eloquio, quoniam tuæ celsitudini fuere sæpenumero conscripta ac nuntiata vivarum vocum oraculis, totumque volitant vulgata per orbem.

2. Quis enim ignorat magnum Constantiense concilium, a quo in papatu præeminentiam potestatemque Martinus V. prædecessor noster [accepit] vires & initium sacrosanctæ synodo Basileensi tribuisse? Ad cujus aures non pervenit olim Eugenium, causante multiplici pertinacia, ab administratione papali suspensum, justo tandem Dei judicio depositum, tamquam notorie scandalizantem ecclesiam Dei, dum caput supra id omne quod in ea potestatis est, contra statuta definitionesque sacrorum generalium conciliorum, præsertim traditionis evangelicæ decretum exaltavit? Quem fugit nos, vocante ecclesia, in Petri sedem assumtos pro elucidatione catholicæ veritatis, a finibus ad fines exclamasse universos & singulos evocantes, ut ordo ratioque gestorum in ipso Basileensi concilio, si quipiam aliqua dubietate nutarent, audirentur, viderentur, palparentur? Numquid non ab assumtione nostra septimus volvitur annus? Nec dum cum ipso concilio ad omnium catholicorum aures cessavimus clamorem emittere, opprimi veritatem, auctoritatem ecclesiasticam lædi, irreparabilem scandalorum in religione Christiana occasionem suboriri commonstrantes, si plus ponderis mortali homini

quam universali ecclesiæ sacrisque generalibus conciliis eam repræsentantibus, concedatur. Non de sede apostolica nata est quæstio, quam sacrum Basileense concilium digna reverentia profitetur. Ejusdem namque ad universalem ecclesiam & ipsius ecclesiæ ad eam individua usque ad consummationem sæculi perdurabit sub nostro capite Christo potestatis conformitas, ut nec illa dejiciatur dignitate, nec ista potestate minuatur. Sed aliquem unum mortalem super auctoritatem ecclesiæ excellere, in cujus forsitan labentis in hæresim faciem, cur ita facis dicere non liceat, prorsus intolerabile visum extitit, Spiritu sancto salubrius providente. Hinc, carissime fili, emotum armaque sumere compulsum fuit sacrum Basileense concilium, atque tot temporibus aciem in atrio dominico expandit, nullis adversitatibus deterritum, prospiciens quantum ecclesiasticus confunderetur ordo, morum optimorum aboleretur disciplina, integritas fidei jaceret inculta, si de tota sancta Dei ecclesia quivis in Petri sede constitutus pro libito voluntatis disponeret. Hunc conatum fideliter tentaverunt reprimere sacri concilii patres, nosque cum ipsis, non ambitione papatus illecti, sed solius veritatis amore pulsati, omnes sollicitudinis commiscuimus partes, firma spe freti, quod tua regia majestas tandem ecclesiæ assistere, & quod ambiguitatis vel differentiæ succrevit in ea, eliminaretur tuæ virtutis adjumento. Sed ecce sacro concilio nobisque sperantibus planiorem viam ad pacem ecclesiæ apertam decessione illius, qui eam tot artibus impedivit, turbinem turbo sequutus est.

3. Audivimus namque quondam Thomam de Serzana sub appellatione Nicolai V. nonnullorum voluntariæ non canonicæ electioni innitentem, sedem apostolicam occupasse, non modo non formidantem succedere in vitium, sed pernicioſum schisma damnabiliter continuare, fovere, augere. Quid namque aliud hi, qui vota in erectionem suæ personæ contulere, conflaverunt, quam extincto uno adversario novum hostem suscitare? Satis profecto superque satis auctoritas universalis ecclesiæ fuerat lacessita, veteribus vulneribus superaddi non debebat dolor recens, sed observata sacrorum conciliorum dignitate, paritoque decreto *Frequens*, quod Spiritu-sancto dictante, in plenario Constantiensi concilio adversus futura schismata conditum extitit, communi animorum contentione erat ad unitatem veniendum. Cum non ignorent illi divisionum auctores, nos cum sacro Basileensi concilio semper unitatem quæsiviſſe: non appendentes in stateris dolosis quod volumus pro arbitrio, sed constanti immobilique veritati inhærentes: cujus utinam fulgor præclarus præcognitus foret; multi qui gesta sacri Basileensis concilii secus quam deceat interpretantur vel invertunt, ab infirmis opinionibus discederent. Nec dubitamus, carissime fili, si universa ex ordine fuissent tuæ majestati patefacta, quin prius dexteram tui auxilii prostratæ ecclesiæ porrexisses; sed multa quæ sunt facti potuisti verisimiliter ignorare: super quibus uberrimam & latissimam informationem linguis & litteris, cum voluerit, habebit tua celsitudo.

4. Quo pacto enim præfatus olim Eugenius, auctoritatem ecclesiæ quam fuerat solemniter reveritus & professus, ut constat suis patentibus litteris, impugnavit & negavit, paucis recitari nequit. Neque identidem decreti *Quoniam frequens* in undecima sessione Basileensis concilii editi dispositio, quod clarissime omnem utcumque factam dissolutionem ejusdem confundit & damnat, ac persistentiam ipsius usque ad id temporis manifeste convincit, succinctus potest esse contextus. Qua fraude etiam insciis patribus concilii quoddam decretum *propter invaletudinem* nominatum parvum, bullatum exiterit, vigore cujus ipse quondam Eugenius præfatum Basileense concilium dissolvisse prætenditur. Præterea de ipsius legitimæ dispositionis & nostræ canonicæ electionis serie ac quampluribus aliis auctoritatem ecclesiæ justitiamque nostram concernentibus protractior narratio facienda foret. Historiam omnium rerum gestarum prætermittimus, alias tuis auribus clementissimis propalandam. Ad id unum quod instat agendum nos invitat hujusce temporis prædolenda conditio.

5. Circumspicis, rex illustris, circumspicis abominabilis schismatis quaquaversum flammare incendium. Circumspicis novis & crudelibus inimiciiis exagitari ecclesiam; poteris ne æquo animo ulterius continere & differre in tempus contra tam pestiferum morbum adhibere salutarem medicinam? Non sumus quos ad pacem cohorteris. Superioribus temporibus nonnulli de papatu diffidentes ad unionem vel inviti tracti sunt, tua primum & aliorum orthodoxorum regum & principum ope, spontanei vero obviam paci futuræ occurrentes, tuam majestatem imploramus, tamquam eam, quæ cum ecclesia amoris integerrimi vinculo connexa est immortali, possemus vim notræ justitiæ auctoritate concilii Basileensis defendere, & adversæ partis jacula scuto pronuntiatæ synodaliterque decretæ veritatis retundere. Quod enim per sanctam synodum, in qua præsidet incircumscriptus Dominus, a quo omnium quæ in cœlo & in terra nominantur derivatur potestas, semel definitum est, amplius retractare nefas est. Vim namque habet perpetuæ durationis quidquid in ea quoad fidei substantiam concluditur.

6. Nihilominus ne videamur horrendo schismati dare fomentum, universisque Christi fidelibus luce clarius appareat nostræ mentis sinceritas, non alicujus passionis motu seductæ, sed solius veritatis catholicæ fideique Christianæ observantia instructæ, tuam regiam majestatem exhortamur, rogamus, & obsecramus per viscera misericordiæ Domini nostri JESU CHRISTI, ut ad sacrum Basileense concilium prælatos tui regni & alios qui de jure & consuetudine ad sacra generalia concilia venire tenentur, remittere velis, atque alios reges & principes ut id agant commoneas; quatenus omnibus differentiis sublatis de medio, tandem beatæ pacis & unionis in ecclesia Dei emergat suavitas. Factu siquidem facile est, cum omnes juxta determinationem concilii Constantiensis legitime vocati sunt, & nova vocatione non sit opus, quo etiam pacto omnis quæ de convocandi potestate posset controversia suboriri, sopiretur. Et si forsitan locus Basileensis non placet, acceptiorque videretur alia in parte concilii celebratio generalis, profecto veritas quam prædicamus, & justitia quam elucidari quærimus, muris Basileensibus non clauduntur, quocumque in loco rebus gerendis accommodo eas promulgare perplacebit. Non enim nostram gloriam, sed quæ sunt JESU CHRISTI venamur, exemplo cujus, cum exinanivit semetipsum usque ad mortem pro ecclesia sua sancta, cervicem nostram ordinationi & judicio universalis ecclesiæ nunc & semper submittimus. Illius namque determinationem subterfugere non possumus, pro cujus dignitate certamus. Nec solum non grave erit in concilio universali plenario & indubitato Basileensis concilii nostræque justitiæ statum semel & pluries ostendere; quin etiam postquam de ea legitime constiterit, quidquid per nos, volente, decernente, & judicante ecclesia, faciendum videbitur, indilate libenterque amplectemur, quo hujuscemodi intestini belli valeat restringi incendium, ut abundantia pacis in Jerusalem, qua nihil gratius audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo fructuosius inveniri potest, oriatur. Existimantes Dominum pacis auctorem & amatorem caritatis optime agere nobiscum, si nostro medio tantis a languoribus conquiescat ecclesia.

7. Eia ergo, Christianissime rex, consurgas ad opus, dum prægrandis tuæ virtuti oblata est materia, incassum non suscipias hanc faciendi opportunitatem. Multi reges quia placatam ecclesiam adornarunt, inclytis laudibus efferuntur in cœlum: tu tuis titulis clarissimis novum gloriæ genus superpones, si auctoritatem ecclesiæ, de qua discep..tur, & apud plurimos, proh dolor! dubitatur, priscæ libertati procures restitui. Variis ex causis multa generalia concilia habita facta- A que fuere. Nulla umquam urgentior occasio eminuit, propter quam synodus œcumenica debeat celebrari, quoniam non tantum de moribus componendis, aut aliqua commutanda, amputanda & exterminanda hæresi, sed de tota potestate ecclesiæ, quamquam in aliis generalibus conciliis definita, & in Constantiensi renovata, agitatur atque revocatur in dubium, quod universa plebs Christiana corde suscepit ad justitiam, & ore confessa est ad salutem. Unde, proh nefas! errori campus latus apertus est, quo disseminari possit non plus unius concilii, quam B alterius sanctioni standum fore, sicque pedetentim usque ad radices serpit error, quibus ut evangelio credidit B. Gregorius; primo propter quorum assertionem firmissimam evangelium confessus est. O lethale virus cordibus fidelium antiqui serpentis versutia inspiratum! O prophanæ doctrinæ protinus suffocandum semen! O execrabile damnandumque schisma, cui non velociter obviare tam periculosum est, quam religionem Christianam offendere! Age igitur, carissime fili, hac tempestate operæ pretium est, ut ostendas ecclesiæ, quid & quantum possis. Plurima quidem potes si velis, nec hæsitamus C quin voles, ubi nostri animi ad omnia factu possibilia inclinatissimi dispositionem intelliges. Heu me, malum r..scens facile opprimitur, inveteratum autem fortius invalescit. Accurata diligentia circa celebrationem concilii generalis intendere, deterioribus a malis erit relevare ecclesiam, cui ut in sua necessitate regium largiaris auxilium tertio tuam majestatem exhortamur: protestantes in oculis illius qui corda perscrutatur Dei, cui de hac nobis credita dispensatione in tremendo judicio reddituri sumus rationem, per nos minime stetisse & stare, quin hoc abominabile schisma radicitus amputetur & D tranquillitas in ecclesia universali ad salutem & consolationem fidelium habeatur. Datum apud S. Dominicum extra muros Gebennenses VI. idus Junii, anno a nativitate Domini MCCCCXLVII. pontificatus nostri anno septimo.

EPISTOLA NICOLAI PAPÆ V. ad Carolum VII. regem Francorum.

Facultatem ei donat tractandi nomine suo pro ecclesia, & agendi, concedendi & promittendi quidquid judicaverit necessarium.

E

NICOLAUS episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio CAROLO regi Franciæ illustri, salutem & apostolicam benedictionem. Commendavimus per alias litteras nostras tuam serenitatem, de eo quod quærit & agit pro tollendo præsenti schismate, & te hortati sumus ad tam salutiferi operis perfectionem. Verum quoniam

Anno 1447. *Ex schedis Mabillonii.*

Dei miſericordia præſtare poſſet, ut per tuam ſerenitatem tantum malum tolleretur de medio, nos conſiderantes quod ſicut jam per tuam ſapientiam eſt tractatum, eſſet neceſſe pro votiva rerum concluſione concedere & promittere nonnulla, quæ debita obſervatione indigerent, ac volentes ut quæ per te promitterentur debitum conſequantur effectum, ſerenitati tuæ circa reductionem ad viam veritatis ab erroribus ſuis, & ad eccleſiæ unitatem eorum qui a Romanæ eccleſiæ & a ſedis apoſtolicæ & vicarii JESU CHRISTI, obedientia & fide deviantes ſchiſma in eccleſia Dei excitarunt, cujuſcumque ſtatus, gradus & conditionis ſe eſſe dixerint, etiamſi ſuprema in Dei eccleſia ſe aſſerant eſſe dignitate, omnia & ſingula auctoritate noſtra cum eis tractandi, praticandi, annullandi, ſeu pro multis haberi debere declarandi, concludendi, efficiendi & promittendi quæ circa reductionem hujuſmodi neceſſaria ſeu opportuna cognoveris, & quæ noſtro ac ſedis apoſtolicæ ſtatui, honori ac dignitati convenire ſerenitati tuæ videbuntur, plenam & liberam facultatem & poteſtatem concedimus per præſentes. Volentes ut hæc noſtra facultas in omnibus per te promittendis valeat perinde ac ſi ad ea ſingula ſpecialiter ſe extenderent, & ad ipſa mandatum haberes ſpeciale: ratum & gratum habituri quicquid per te actum, geſtum, promiſſum aut factum fuerit in præmiſſis, quæ omnia nos obſervaturos promittimus bona fide. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Domini 1447. pridie Idus Decembris, pontificatus noſtri anno primo. *Sic ſignatum* P. de Noxeto. †

Collatio facta eſt cum originali per me
Dyſome.

DECRETUM PRIMUM SACRI concilii Lauſanenſis.

Anno 1448. Ex mſ. Chartoſſi. Rom.

SAcroſancta generalis ſynodus Lauſanenſis in Spiritu-ſancto legitime congregata, univerſalem eccleſiam repræſentans, præſidente in ea ſanctiſſimo domino Felice papa quinto, ad futuram rei memoriam.

Divinus atteſtatur ſermo, quod ubi Spiritus Domini ibi libertas; libertas utique agendi quæ fieri ſuadet Spiritus Domini, cujuſmodi illa ſunt quæ a generali ſynodo peraguntur, viſa ita fieri debere, & a Spiritu-ſancto qui præſidet, & a Patribus ibidem congregatis. Dicit enim: Viſum eſt Spiritui-ſancto & nobis. Actionibus igitur ſynodalibus per maxima debita eſt libertas: propter quod ſi deliberato univerſitatis propoſito impedimento aſſit publica ſæcularis poteſtas, ne liberæ ſint ejuſmodi actiones Spiritus, locus ille a patribus relinquendus eſt, ſuos inſtruente diſcipulos Salvatore, in quamcumque intraſſent civitatem, ſi non reciperent eos, nec audirent eorum ſermones, quod exirent foras de civitate illa, ut a quibus recedebant intelligerent, non diſcipulorum temporali lucro, ſed eorum fuiſſe gratiæ & utilitati in eam civitatem conveniſſe. Synodo vero generali id profecto agere convenit. Experientia namque ab initio Chriſtianæ religionis aperte nos docet Patrum conventus ad concilia celebranda fuiſſe honori atque gratiæ illis civitatibus, apud quas generales ſynodi celebrationis earum finem acceperunt. Etenim ipſarum nomen celebre reddunt per ſæcula quæ in eis fiunt declarationes fidei: quoniam veritas Domini manet in æternum. Decreta quoque ibidem condita ad perpetuam rei memoriam, quemadmodum nominis gloriam acceperunt apud Græcos Nicæna, Epheſina, Calchedonenſis & Conſtantinopolitana civitates: apud Latinos vero Romana, Lugdunenſis, Viennenſis & Conſtantienſis, aliæque plures.

Sed & præter æternam earum nominis laudem, copioſa atque multiplex utilitas temporanea illis accreſcit. Unde noſtris ſumus experti diebus, quamplures civitates deſiderare apud ſe celebrari generale concilium, offerentes ſalvos-conductus ſuos aliaque multa accommoda, ut in plena libertate apud eas celebratio fiat concilii generalis.

Rem notiſſimam eloquiiſſur, tranſlationis ſanctæ ſynodi Baſileenſis juſtas & manifeſtas exponentes cauſas. Sancta hæc ſynodus Lauſanenſis, in Baſileenſi civitate dudum conſtituta, multis perſeveravit annis pro felici conſummatione ſanctorum operum, ad quæ ab initio fuerat legitime congregata, & pro tali, tamquam vere univerſalem eccleſiam repræſentans, ab univerſis Chriſti fidelibus recognita atque venerata. Permanſerat vero his ultimis diebus ea præſertim ratione, ut inibi unio fieret & pax vera atque integra eccleſiæ daretur pro qua aſſequenda certa aviſamenta in dicta Gebennenſi de menſe Decembris proxime lapſi celebrata, concepta fuere in præſentia ſolemnium oratorum cariſſimorum eccleſiæ filiorum CAROLI Francorum, HENRICI Angliæ, & RENATI Siciliæ regum illuſtrium, atque nobilis viri Ludovici dalphini Viennenſis primogeniti præfati Caroli Francorum regis illuſtris, inter cetera continentia, ut in ſacro ipſo Baſilienſi concilio unio & pax darentur eccleſiæ.

Quocirca magis ac magis noſtrum fuit deſiderium in dicta permanere civitate, quanto ad pacem ipſam dono Dei ſecuturam propinquiorem inſpiciebamus diſpoſitionem. Sed neceſſitas cogit perhibere teſtimonium veritati. Die ſiquidem XIV. menſis Junii proxime præteriti, venerabilis FREDERICUS epiſcopus Baſilienſis, præpoſitus aliique plures

de capitulo & clero; item antiquus magiſter civium aliique plures de conſulatu Baſilienſi, coram notariis & ſcribis ad finem, ut dicebant, ut nos ſciremus id quod ipſi ſciebant, & ſemper eo melius ſecundum hoc ſciremus, & poſſemus nos regere atque providere; nobis intimarunt, ſignificatum eis fuiſſe per ſuorum litteras oratorum, quemadmodum feria ſexta poſt feſtum Corporis Chriſti, in judicio cameræ Romanorum regis, ſuper articulo ſalvum-conductum concernente, quod per eos revocari deberet, contra eos lata fuiſſet ſententia; quodque magna cum difficultate obtinuiſſent a rege ſpatium duorum menſium: ſed quod interim in ea civitate non fierent actus conciliares: verum quod de his non haberent adhuc teſtimonium authenticum litterarum ipſius domini regis, intimabant nobis illa relative.

His intellectis, quoniam infra pauciſſimos dies oratores ipſos regreſſuros ſperabatur, poſt quorum adventum, ſicut poſtea intimarunt, a rege ordinatum erat actus non fieri conciliares; attendentes nos jam fuiſſe aviſatos, nec concilii indemnitati poſſe, ſi poſt regreſſum dictorum oratorum non erant faciendi conciliares actus; Spiritus-ſancti dono, cui immenſas referimus gratias, ſingulariter aſſiſtente, juxta decretorum formam, prævia matura deliberatione & ſcrutatis votis ſingulorum ſuppoſitorum in ſacris deputationibus & generali congretione, unanimi omnium conſenſu accedente, publicatum eſt decretum ſeſſionis quadrageſimæ quintæ dicti concilii, incipientis: *Deſideravit Ezechias rex*, de aſſignatione loci pro futuro concilio, & de tranſlatione ipſius ſacri Baſilienſis concilii in hanc civitatem, pro ejus continuatione.

Deinde poſt reditum dictorum oratorum, qui ſequenti applicuerunt hebdomada, non-obſtantibus requiſitionibus, exhortationibus, noſtro ex mandato, quomodo alias pluries factum erat, per dilectiſſimos eccleſiæ filios JOHANNEM tituli ſancti Cali[illegible]ti, & GUILLERMUM tituli S. Marcelli ſanctæ Romanæ eccleſiæ preſbyteros cardinales, alioſque prælatos & doctores, in conſulatu dictæ civitatis factis, quatinus perſiſtere vellent in ſalvo conductu per eos nobis conceſſo: poſt relationem ſuorum oratorum, ut dixerunt, maturis deliberationibus habitis in novo, antiquo & magno conſulatibus, per eoſdem revocatio dicti ſalvi-conductus facta eſt.

Et *die viceſima octava dicti menſis Junii* ad ſpecialem eorum requiſitionem de mandato præſidentis ipſius ſacri Baſilienſis concilii, vocatis & in loco ſacræ deputationis fidei, ubi ſimiles fieri conventiones conſueverunt, congregatis ſuppoſitis ejus, præſentibus dicto epiſcopo ac multis de capitulo & clero, novus magiſter civium, antiquus magiſter Zunſtarum, aliique plures de conſulatu dictæ civitatis Baſilienſis, præſentibus ſcribis & teſtimonium perhibentibus, quod ad infra ſcripta ſpecialem a conſulatu haberent commiſſionem, legi fecerunt in vulgari Theutonico, quo ſcripta erant, & demum Latino interpretantes ſermone, litteras præfati Romanorum regis, de revocatione facienda dicti ſalvi-conductus; alias etiam ejuſdem litteras gravia continentes mandata contra *libertatem & auctoritatem ipſius ſacri concilii*, aſſerentes expreſſe, voluiſſe dictum Romanorum regem, ut poſt reditum ipſorum oratorum in dicta civitate non fierent actus conciliares; quodque ex parte & de mandato ipſius hæc nobis intimabant. Et ex abundanti quod revocabant, & actu revocarunt dictum ſalvum-conductum, publice aſſerentes, quod dicta civitas Baſilienſis non vellet apud *ipſum dominum regem de inobedientia* ſive rebellione quacumque notari; ſed vellet, prout neceſſe haberet, voluntati & mandatis regiis hujuſmodi plenarie obedire, prout de his aliiſque multis, eamdem concernentibus materiam, publicis conſtat inſtrumentis, quæ inter alia geſta hujus ſacri concilii redigi mandavimus.

Sancta igitur hæc ſynodus Lauſanenſis de præmiſſis veram atque plenam habens notitiam, præſenti decreto ſuo decernit atque declarat conditiones, in dicto decreto contentas, fuiſſe & eſſe purificatas, ipſamque ſanctam Baſilienſem ſynodum pro *ejus* continuatione fuiſſe & eſſe legitime tranſlatam in hanc civitatem Lauſanenſem, quam habilem, tutam & idoneam fore ad ipſius ſacri Baſilienſis concilii continuationem judicat atque cenſet; decernens etiam & declarans ſacrum generale concilium, quod in dicta civitate Baſilienſi, uſque ad ejus tranſlationem congregatum manſit, in hac civitate Lauſanenſi, *in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti*, cum eiſdem modis & formis, qualitatibus & ordinationibus, cum quibus in dicta civitate Baſileenſi fuit, eratque a ſuæ tranſlationis tempore, continuandum fore & proſecutionem habere. Omneſque & ſingulos, qui generalibus conciliis intereſſe tenentur, in ipſo coveniri debere ad ea ſancta opera propter quæ Baſileæ congregatum fuit, & *præſertim* ad *proſecutionem* dandæ in eccleſia unionis & pacis.

Quapropter præſenti ſuo ſolemni decreto ſancta hæc ſynodus Lauſanenſis, ſpecialiter & *expreſſe aſſentiente in hoc ſanctiſſimo* FELICE papa quinto, publice aſſerit & declarat, quod parata eſt atque intendit in hoc loco omnia & ſingula facere pro unione & pace in eccleſia dandis, & ſpecialiter quæ per ſuas litteras, prædicta aviſamenta concernentes, præfatis principibus, necnon cariſſimo eccleſiæ filio JOHANNI Caſtellæ & *Legionis* regi illuſtri directas, facturam ſe obtulit, quemadmodum

admodum ſi Baſileæ, prout ſperavit & deſiderabat, permanſiſſet.

Datum Lauſannæ in ſeſſione noſtra publica ipſius ſanctæ ſynodi, in eccleſia majori Lauſannenſi ſolemniter celebrata IX. cal. Auguſti anno à nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octavo. (a)

BULLA NICOLAI PAPÆ V.

ſuper reſtitutione occaſione diſſenſionis eccleſiæ dudum ſpoliatorum, conceſſarum, &c.

Anno 1449. Ex mſ. regii ubrgii Nauarra.

1. NICOLAUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. A pacis auctore & omnium bonorum largitore Deo munus excellentiſſimum accepimus, quo univerſalis eccleſia, quæ propter diviſiones ſubortas inter felicis recordationis EUGENIUM papam IV. prædeceſſorem noſtrum & tunc Baſileenſe concilium, multis, pro dolor! ab annis variis extitit agitata procellis, graviſſimis adverſitatibus laceſſita, vehementibus obducta turbinibus, in tranquillitatem, pacem, caritatemque conſurgeret. Siquidem tractatu & interventu oratorum cariſſimorum in Chriſto filiorum Francorum, Angliæ, RENATI Siciliæ regum, necnon Dalphini Viennenſis primogeniti Francorum regis illuſtris, pacem eccleſiæ redditam videmus, dum percepimus venerabilem ac cariſſimum fratrem noſtrum AMEDEUM primum cardinalem epiſcopum Sabinenſem, in nonnullis provinciis apoſtolicæ ſedis legatum, vicariumque perpetuum, FELICEM papam V. tunc in ſua obedientia nominatum, juri quod in papatu aſſerebat ſe habere, ad hujuſmodi pacem eccleſiæ obtinendam ceſſiſſe. Eos vero qui Baſileæ poſtmodumque Lauſannæ, ſub nomine generalis concilii hactenus permanſerunt, ordinaſſe & publicaſſe, nobis tamquam unico & indubitato ſummo pontifici obediendum eſſe a cunctis fidelibus, & præfatam Lauſannenſem diſſolviſſe congregationem.

2. Quapropter noſtri officii debitum eſſe arbitramur, mentis aciem poteſtatiſque noſtræ plenitudinem extendere in omnia & ſingula, per quæ ſuſcitatarum diſſenſionum & diviſionum fomenta penitus exſtirpentur, ut ad reſtitutionem & conſervationem ſtatus & honorum cujuſlibet apriſſime pullulet & perſeveret integritas, reddatque pacis clariſſima virtus, quod abſtulit caliginoſa diviſio.

3. Omnes igitur & ſingulos, quocumque nomine computentur, qui tam in Baſileenſi quam Lauſannenſi civitatibus ſub nomine generalis concilii, & ratione obedientiæ, adhæſionis, ſeu favoris tam præfato venerabili ac cariſſimo fratri noſtro AMEDEO cardinali, A epiſcopo, legato & vicario ſupradicto, in ſua obedientia tunc FELICI V. nominato, quam ipſis tunc ibidem congregatis, quomodolibet præſtitorum & factorum, eccleſiis metropolitanis, cathedralibus, monaſteriis, dignitatibus *etiam majoribus poſt pontificales* in cathedralibus, aut principibus in collegiatis eccleſiis, necnon monaſteriis, prioratibus, præpoſituris, perſonatibus, adminiſtrationibus, officiis, necnon canonicatibus & præbendis, ceteriſque quibuſvis beneficiis eccleſiaſticis cum cura & ſine cura, ſæcularibus ſive regularibus quibuſcumque, juribus B quoque & juriſdictionibus, penſionibus & commendis, caſtris, dominiis, terris, feodis, poſſeſſionibus, hereditatibus ac rebus & bonis ſuis quibuſcumque per litteras præfati EUGENII papæ prædeceſſoris noſtri ac noſtras, vel ipſius aut noſtra ſeu eccleſiaſtica alia quacumque auctoritate, privati aut deſtituti exiſtunt, ad eccleſias, monaſteria, dignitates, prioratus, officia, necnon canonicatus & præbendas, ceteraque beneficia eccleſiaſtica cum cura vel ſine cura, ſæcularia vel regularia, jura quoque & juriſdictiones, necnon penſiones, commendas, caſtra, C dominia, terras, feoda, poſſeſſiones, hereditates, ac res & bona hujuſmodi in illum ſtatum priſtinum in quo ante tempus & tempore privationis & deſtitutionis hujuſmodi erant, ac ſi factæ non fuiſſent, pro bono pacis & unionis eccleſiæ realiter & cum effectu reſtituendos, reponendos, & reintegrandos fore decernimus, & declaramus, ac motu proprio ex certa ſcientia, plenitudineque poteſtatis apoſtolicæ, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium conſilio & aſſenſu, tenore præſentium reſtituimus, reintegramus; etiamſi ab aliis perſonis ſeu eorum aliquo, in re vel ad rem jus quæſitum foret D ex collatione, proviſione, ſeu diſpoſitione ſedis apoſtolicæ ſive alia quacumque. quas quidem collationes, proviſiones, diſpoſitiones cum omnibus inde ſecutis, ſimilibus motu, ſcientia ac plenitudine poteſtatis pro infectis haberi volumus, nulliuſque roboris vel momenti, etiamſi in vim eorum habita fuerit poſſeſſio eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, prioratuum, præpoſiturarum, perſonatuum, adminſtrationum, officiorum, necnon canonicatuum, præbendarum & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum, jurium E quoque & juriſdictionum, necnon penſionum, commendarum, caſtrorum, dominiorum, terrarum, feudorum, poſſeſſionum, hereditatum, rerum & bonorum prædictorum: omnes, unam & ſingulas ſupplicationes ac ſignaturas, etiamſi proprio motu emanaſſent, ac litteras deſuper expeditas in regiſtris ſupplicationum & bullarum caſſantes & expreſſe ceſſari mandantes.

4. Et ut privatis & deſtitutis antedictis opportune provideatur, ipſique certiores per

(a) Ejuſdem concilii ſeſſionem ſecundam edidit Acherius noſter, tertiam & quartam Rainaldus ad annum 1449. n. 5. & ſeq.

nos reddantur, omnibus & ſingulis quarumcumque metropolitanarum & cathedralium, ac aliarum eccleſiarum, ac monaſteriorum capitulis, conventibus ac ſingularibus perſonis earumdem, ceteriſque ad quem vel ad quos eccleſiarum monaſteriorum, dignitatum & beneficiorum ſuperius, ut præmittitur, ſpecificatorum electio, inſtitutio, præſentatio, proviſio ſeu quævis alia diſpoſitio ſpectare dignoſcitur, communiter & diviſim, & alias quomodolibet, omnibuſque aliis & ſingulis perſonis, tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus quibuſcumque nominibus cenſeantur, aut cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis vel præeminentiæ, etiamſi patriarchalis, archiepiſcopalis, aut epiſcopalis exiſtant, & ſpecialiter poſſeſſoribus aut detentoribus, earumdem eccleſiarum, dignitatum & beneficiorum ſuperius deſignatorum, etiamſi ſucceſſores fuerint in dictis eccleſiis, monaſteriis, dignitatibus, beneficiis illis, qui per privationem alicujus ex permanentibus, adhærentibus, obedientibus prædictis poſſeſſionem habuerunt ex collatione facta tamquam de vacante per obitum, aut per viam reſignationis, permutationis, ſeu alias quoquomodo, videlicet patriarchis, archiepiſcopis & epiſcopis ſub ſuſpenſionis ab ingreſſu eccleſiæ; minoribus vero perſonis ſingularibus ſub excommunicationis, detentoribus quoque & eis auxilium dantibus ſub ſimili excommunicationis pœna ac privatione omnium & ſingulorum beneficiorum & officiorum ſuorum quæ obtinent, inhabilitatione ad illa & alia in poſterum obtinenda perpetuæque infamiæ; collegiis vero capitulis ac conventibus ſub ſuſpenſionis ad minus pœnis, ſententiis, cenſuris, quas contra facientes & rebelles, prout quemlibet eorum concernit, incurrere ipſo facto, diſtricte præcipimus atque mandamus; quatinus infra novem dierum ſpatium, poſtquam ſive perſonaliter ſeu in loco beneficii, aut loco illi viciniori, ad quem pro præſentium executione ſeu publicatione tutus patebit acceſſus, deſuper fuerint requiſiti, ſeu alter eorum fuerit requiſitus, immediate ſequentium impetrantes, ſeu detemtores eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, prioratuum, præpoſiturarum, perſonatuum, adminiſtrationum & officiorum, necnon canonicatuum & præbendarum & aliorum beneficiorum, jurium quoque & juriſdictionum, necnon penſionum, commendarum, caſtrorum, dominiorum, terrarum, feudorum, poſſeſſionum, hereditatum, & rerum ac bonorum hujuſmodi ab ipſorum .... eorumdem poſſeſſione ſeu detemtione, quantum in eis eſt amoveant & abjiciant, ac amoveri faciant & procurent, quos nos etiam per præſentes amovemus & abjicimus, ac pro abjectis & amotis haberi volumus. Privatos quoque & deſtitutos in & ad corporalem & actualem poſſeſſionem eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, beneficiorum, officiorum & aliorum prædictorum pure & libere reponant, reſtituant, & reintegrent, dictique impetrantes & detentores, poſt requiſitionem ſeu examinationem & publicationem hujuſmodi ſic, ut præmittitur, factas, eccleſias, monaſteria, dignitates, præpoſituras, perſonatus, adminiſtrationes & officia, necnon canonicatus & præbendas & alia beneficia, jura quoque & juriſdictiones, necnon penſiones, commendas, caſtra, dominia, terras, feoda, poſſeſſiones, hereditates, res ac bona antedicta dictis privatis & deſtitutis realiter & cum effectu reſtituant, illarumque poſſeſſionem vacuam, liberam, & expeditam dimittant, ac eiſdem pacifice uti & gaudere ſinant & permittant, nec ſe de illis in antea quomodolibet impediant per ſe vel alium ſeu alios publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæſito colore, vel ingenio: alioquin ſtatim lapſo dicto termino, contravenientes hujuſmodi, ſi patriarchæ, archiepiſcopi, aut epiſcopi fuerint, ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpenſos; minores vero perſonas ſingulares excommunicatos, necnon poſſeſſores ſeu detentores ipſos, & eis auxilium dantes, ultra excommunicationis pœnam, beneficiis & officiis ſuis privatos, inhabiles & infames: capitula vero collegia & conventus a divinis ſuſpenſos per quemlibet ordinarium loci, ſeu in dignitate conſtitutum, ſive canonicum alicujus eccleſiæ cathedralis per ipſum privatum aut deſtitutum eligendi aut executorem dandi ſuper hujuſmodi noſtra voluntate, ſive in curia Romana, ſive extra eam declarari & denunciari volumus & mandamus. Super quibus omnibus & ſingulis eiſdem & eorum cuilibet plenariam auctoritate apoſtolica damus & concedimus facultatem: mandantes omnibus & ſingulis vaſſallis, arrendatoribus, agricultoribus, colonis, cenſuariis, redituariis & aliis quibuſcumque, quatenus poſt publicationem præſentium, de univerſis & ſingulis fructibus, reditibus, cenſibus, juribus, obventionibus eccleſiarum, monaſteriorum, dignitatum, prioraturum, præpoſiturarum, perſonatuum, adminiſtrationum, officiorum, necnon canonicatuum, præbendarum, & aliorum beneficiorum, jurium quoque, juriſdictionum, necnon penſionum, commendarum, caſtrorum, dominiorum, terrarum, feudorum, poſſeſſionum, hereditatum, & rerum ac bonorum prædictorum privatis & deſtitutis hujuſmodi, prout quemlibet eorum concernit, aut eorum legitimis procuratoribus & nulli alteri plenarie & integre reſpondeant, ac debitam ſolutionem faciant, & quilibet eorum impendat realiter & cum effectu, rejectis in præmiſſis, omnibus & ſingulis exceptionibus, cautelis, necnon appellationibus quibuſcumque in præ-

judicium hujuſmodi reſtitutorum interpoſitis & interponendis, quas tamquam frivolas & inanes cum inde ſecutis & ſecuturis, pro bono pacis & unionis eccleſiæ caſſamus & irritamus & annullamus, & pro infectis haberi volumus, detinentes per illarum interpoſitionem, reſtitutionem, & reintegrationem antedictas nullomodo impediri debere quomolibet vel differri, quibuſcumque etiam ſuper illis & aliis præmiſſis, & eorum quolibet perpetuum ſilentium imponentes.

5. Et ne privatis & deſtitutis antedictis ulteriores præmiſſorum occaſione dentur vexationes, vicecancellario & quibuſcumque aliis officialibus noſtris mandamus, expreſſe inhibentes, ne ad inſtantiam poſſeſſorum ſeu detentorum prædictorum, aut cujuſcumque alterius ſuper cauſis prætenſarum appellationum hujuſmodi, aut alias via ſimplicis querelæ ſeu reſtitutionis in integrum aliquam commiſſionem ſignare ſeu reſcriptum etiam extra curiam concedere. Neque auditores cauſarum palatii noſtri commiſſiones, ſive ordinarii locorum, aut alii quicumque reſcripta hujuſmodi recipere præſumant ſeu attentent. Ut autem præmiſſa, quæ pro pace, unione & quiete in eccleſia dandis ſunt ordinata, firmius obſerventur, dicto venerabili ac cariſſimo fratri noſtro AMEDEO, primo cardinali, legato, vicario perpetuo, ut præmiſſum eſt, Felici papæ V. tunc in ſua obedientia nominato, necnon illis qui, ut præmittitur, Baſileæ & Lauſannæ ſub nomine generalis concilii fuerunt, ac illis qui eis aut alteri eorum adhæſerunt, de omnibus & ſingulis quos præſens tangit negotium, & eorum cuilibet, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis pontificibus, de conſilio & aſſenſu quibus ſupra, pollicemur atque promittimus omnia & ſingula in his noſtris litteris contenta inviolabiliter obſervare, atque obſervari facere, contra ea ſeu eorum quodlibet in toto vel in parte, nullo umquam tempore quicquam innovare ſeu facere, & quod nobis licere non patimur eiſdem ſucceſſoribus noſtris indicamus: decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Conſtitutionibus, ordinationibus apoſtolicis, necnon quarumcumque eccleſiarum, monaſteriorum & ordinum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque non obſtantibus: quin immo ſi adverſus præmiſſa ſeu eorum aliquod aliquæ litteræ apoſtolicæ quaſcumque declarationes, ſeu conceſſiones, clauſulas etiam derogatorias generales vel ſpeciales ſub quacumque verborum expreſſione in ſe continentes, etiamſi in eis dicatur: *Non obſtantibus quibuſcumque clauſulis dicentibus, quod illis non derogetur, niſi ſpecialis de eiſdem fiat mentio*, aut mandata etiam pœnalia ad cujuſcumque inſtantiam, etiamſi motu proprio, aut ex certa ſcientia ab ipſo noſtro prædeceſſore, vel a nobis, ſeu ejus vel noſtra auctoritate, ſive quovis alio emanaſſent, ſeu in futurum emanarent, aut aliquo umquam tempore apparerent, per quas hujuſmodi reintegratio ſeu reſtitutio impediri vel retardari, aut huic noſtræ voluntati & pollicitationi, ſeu litteris præſentibus quomodolibet derogari, vel præjudicium aliquod in aliqua ſui parte quovis modo haberi poſſet, cum omnibus & ſingulis inde ſecutis executionibus & proceſſibus pro infectis haberi volumus, nulliuſque exiſtere roboris vel momenti pro bono pacis & unionis prædictarum decernimus & declaramus, niſi hujuſmodi litteræ confectæ ſint & expeditæ de expreſſo conſenſu illius, aut illorum quibus hanc noſtram pollicitationem facimus: de quo alias quam per tenorem litterarum apoſtolicarum legitime conſtet, omnium & ſingulorum præmiſſorum tenores & effectus ſpecifice & integraliter pro expreſſis habentes. Et quoniam difficile foret præſentes litteras ad ſingula, in quibus eis fides forſan facienda fuerit, loca deferri, decernimus quod ipſarum tranſumto manu publica & ſigillo alicujus epiſcopalis vel ſuperioris eccleſiaſticæ curiæ munito, tamquam præfatis, ſi originales exhiberentur, litteris plena fides adhibeatur, & ſtetur perinde ac ſi dictæ originales litteræ forent exhibitæ vel oſtenſæ: Mandantes nihilominus litteras in ſimili forma pro ſupradictis & aliis quibuſcumque ſingularibus perſonis eas petentes aut habere volentes, illorum nominibus & executionibus ſpecifice & expreſſe, cum deſignatione quorumdam beneficiorum quibus privati & deſtituti exiſtunt gratis in cancellaria noſtra & alibi moderato ſalario expediri, cum deſignatione, conſervatoriæ & exemtorum in forma meliori & fortiori conformiter ad præmiſſa, & in auxilium & robur eorumdem, & ut præmiſſa omnia & ſingula ad opus & utilitatem privatorum & deſtitutorum celerem & plenariam noſtræ voluntatis executionem ſortiantur, omnibus regibus & principibus ac dominis temporalibus, in quorum dominiis & terris beneficia reſtituenda conſiſtunt, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ut privatis & deſtitutis ipſis pro reſtitutione beneficiorum ſuorum, auxilium ſui brachii præbeant ſæcularis, favoremque opportunum exhibeant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum conſtitutionis, abjectionis, præcepti, mandati, dationis, conceſſionis, caſſationis, irritationis, annullationis, impoſitionis, inhibitionis, pollicitationis, promiſſionis, decreti & voluntatis infringere, vel auſu temerario contra-

ire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, *indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Spoleti, anno* Incarnationis Dominicæ MCCCCXLIX. XIV. *calendas Julii, pontificatus noſtri anno tertio.*

CONCILIUM MOGUNTINUM

anno MCCCCLI. celebratum.

Ex manuſcripto codice Bodekenſis monaſterii.

STATUTA SANCTÆ SYNODI PROVINCIALIS MAGUNTINÆ, DIFFINITA SUB ANNO DOMINI MCCCCLI.

REverendiſſimus in Chriſto pater & Dominus Dominus THEODERICUS archiepiſcopus Maguntinus &c. ſuper propoſitis pridem & aviſatis in ſacra provinciali ſynodo, ad diem dominicam poſt feſtum ſancti Martini de anno MCCCCLI. cum continuatione dierum ſequentium, ſuam paternitatem reverendiſſimam in diæta una cum provincialibus ſive ſuffraganeis & eorum procuratoribus deliberavit, & in modum infra ſcriptum concluſit.

Concilia provincialia celebranda.

I. Primo, ſynodus ipſa acceptat ordinationem, ſive decretum ſacri Baſileenſis generalis concilii de provincialibus & dioceſanis conciliis celebrandis editum, ac dudum per nationem noſtram acceptatum, inantea practicari & obſervari præcepit, voluitque quo ad miſſas, litanias, & orationes cum cerimoniis per reverendiſſimum in Chriſto patrem dominum NICOLAUM tituli S. Petri ad vincula cardinalem, apoſtolicæ ſedis per Alemanniam legatum, jam obſervatum, de cetero ipſa provincialia concilia celebrentur & obſerventur, prout & antiquitus fieri ſolitum & conſuetum fuit, quæ & in ſtatutorum libris provincialium conſcribi vult & regiſtrari.

S. Thomæ liber de Sacramentis.

II. Ordinavit etiam libellum utilem & inſtructivum per ſanctum Thomam, de articulis fidei & ſacramentis editum legi, & ſingulis rectoribus parrochialium eccleſiarum communicari.

Statuta provincialia promulganda.

III. Innovavit præterea omnia ſtatuta provincialia per quondam bonæ memoriæ PETRUM, GERHARDUM, alioſque, & nunc modernum THEODORICUM archiepiſcopos ſedis Maguntinæ in unum volumen redacta, & illa publicari atque ſervari mandat, prout in ipſis continetur ſtatutis.

Judæi ſignum in veſte deferant.

IV. Et quia in dictis ſtatutis inter cetera quoddam ſtatutum de Judæis & crucis Chriſti inimicis continetur, quod incipit: *Licet olim*, in quo mandatur ſub ceſſationis divinorum, & ſubtractionis communionis pœnis, quod Judæi ſignum deferre debeant, declarando adjecit, ſignum illud eſſe debere *circulum de filis croceis in veſte extrinſeca* ante pectus, quoad maſculos; & duæ rugæ *blavei coloris in peplis mulierum conformiter*, ut in urbe Romana. addidit etiam ſacra ſynodus capitulum *poſt miſerabilem* de uſuris, illi ſtatuto eſſe annectendum & inſerendum, *& cum eo publicandum.*

Contra con. cubinarios clericos.

V. Ceterum, ſancta ſynodus conſtituit, quod *ante omnia locorum ordinarii* deteſtabile concubinatus vitium a clero extirpent, *contra notorios concubinarios per pœnas juris* & in decretis ſacri concilii Baſileenſis & *ſtatutis provincialibus contentas* procedendo. quodque nihilominus hujuſmodi concubinarii *publici a perceptione fructuum* ſuorum beneficiorum, ipſo facto, ſint ſuſpenſi: *quin immo ſpecialiter voluit, ne* prælati, capitula ſive collegia, ſub pœna interdicti *eiſdem taliter in concubinatu* perſeverantibus aliquos fructus adminiſtrent. Concubinæ *vero ipſorum, ſi infra triduum* requiſitæ, ſe non elongaverint & abſceſſerint, excommunicationis *ſententiam incurrant*, ipſo facto: ac nihilominus ſi in tali peccato perſeveranter deceſſerint, eccleſiaſtica careant ſepultura.

Mercatoris dominica prohibiti.

VI. Circa *abuſum præceptis divinis* contrarium, quorumdam laïcorum, qui chriſtiana *religione neglecta, diebus dominicis* & feſtivis publice mercatum exercent, & lucris *ac cupiditatibus non verentur inſiſtere*, providens ſancta ſynodus, mandat omnibus *locorum ordinariis*, ut ſub pœna ſuſpenſionis a perceptione ſacramentorum, etiam privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ, per eccleſias parochiales ſuarum diœceſum publice prohibeant, *ne de cetero prædictis diebus dominicis* & feſtivis quodcumque publicum mercatum rerum vendibilium, quæ ad uſum quotidiani victus neceſſariæ ſunt, quovis modo fiat.

Contraquæſtuarios.

VII. Abuſum quæſtionariorum qui quotidie excreſcit, volentes reprimere, mandat ſanctus ſynodus, ne admittantur quæſtionarii ipſi, aliter quam ſecundum formam, *juxta* diſpoſitionem juris, cum litteris dioceſanorum. & ut via maliciæ eiſdem præcludatur, *curent* locorum ordinarii in ſuis litteris non ſolum formam *juris, ſed etiam indulgentias quas* publicare valeant, exprimere, nec quicquam aliud quam *in eiſdem litteris exprimitur*, liceat dictis quæſtionariis proponere.

Fraternitates novæ prohibentur.

VIII. Item, ſancta ſynodus *prohibet* ne de cetero admittantur quæcumque novæ fraternitates, ex quibus viſibiliter detrahi poſſit honori, ſeu juribus eccleſiarum parochialium: quin immo vult, ut jam factis nullus adhibeatur favor, nec indulgentiæ eis concedantur.

Conſtitutio Bonifacii VIII. & concilii Baſileenſis.

IX. Sancta ſynodus etiam acceptat conſtitutionem Bonifacii papæ VIII. incipientem: *Provide*, quæ ſtatutis provincialibus reperi-

tur adjuncta, una cum ordinatione in sacro *Basileensi concilio super modo ponendi* interdicta: quas quidem constitutiones & ordinationes vult & mandat publicari, ac circa ponenda & tenenda interdicta omnino observari.

Bulla Nicolai papæ, de deliberationibus in capitulo.

X. Sancta etiam synodus recipit, laudat, & commendat bullam super deliberationibus in capitulo Maguntino, in his præsertim quæ prætenduntur gratiose facienda a sanctissimo domino nostro domino NICOLAO papa emanatam. vultque hæc sancta synodus, quod in omnibus aliis tam cathedralium, quam collegiatarum ecclesiarum provinciæ Maguntinæ *capitulis*, & *sub pœnis in ea* contentis observetur, fiatque executio contra non observantes per ordinarium loci, vel ejus in spiritualibus vicarium, aut alium cui id duxerint committendum. mandatque hæc sancta synodus, *ut singuli ex* observantibus, aut observare volentibus, oppositores & non observantes sub pœnis suspensionis a divinis latæ sententiæ diocesano denuncient, & nihilominus a majore parte concludantur.

Bulla Nicolai papæ, pro executione Carolinæ.

XI. Sancta synodus recipit & laudat, & commendat bullam per sanctum dominum nostrum NICOLAUM papam V. pro executione Carolinæ & contra dissidationes concessam, & per reverendissimum cardinalem Augustensem impetratam, sub cujus transumpto quibus in hac provincia transinissa non est, *transmittetur. vultque etiam & præcipit*, atque mandat hæc synodus, ut statutis provincialibus inseratur, & executio ejusdem juxta ipsius tenorem omnino fiat.

De monasteriorum reformatione.

XII. Super reformatione vero monasteriorum & personarum religiosarum, vult omnino sancta synodus, quod ordinarii ipsi diligenter invigilent, ac eosdem religiosos & eorum monasteria tam virorum quam mulierum ad observantiam vitæ regularis ... & debita tonsura; & præcipue ne quis ad monasteria monialium extra casus a jure permissos ingrediatur; ipsæque moniales non egrediantur, *sub pœnis, censuris, & remediis* juris scripti; & constitutionem generalium & provincialium conciliorum, ac auctoritate apostolica specialiter desuper editorum effectualiter constringant & compellant, *etiam per depositionem, privationem* privilegiorum, incorporationum & unionum, inhabilitationum ad dignitates & officia.

De mendicantibus.

XIII. Sacra synodus attendens apostolicam sedem fratribus mendicantibus privilegia in ædificationem ecclesiæ concessisse, & ob hoc in Clementina *dudum* fratres præsentandos episcopo, & per eum ad audientiam confessionis admittendos, vult esse idoneos, & probatæ vitæ; & quia illi qui vota solemnia non observant, non possunt dici probatæ vitæ; unde cum episcopos ad quos spectat curam gregis sui habere, admonitos esse convenit, ne alios admittant quam ut Clementina illa habet qualificatos: ita quod eis constet per facti evidentiam, ut testimonio bonorum hominum eos dignos esse, quibus sibi creditas animas absolvendo committant. Hinc ad finem ut fratres ipsi religionis suæ observantiam citius adaugeant, aut acceptent, mandat synodus quod quisque episcopus fratres ordinis mendicantium cum omni caritate regularem observantiam persuadeat, offerendo ad hoc omnem gratiam & benevolentiam, cum comminatione quod nisi infra competens tempus eis per quemlibet episcopum præfigendum, per facti evidentiam *regularem vitam, scilicet professionem* suam servare incœperint & continuaverint, quod tunc post lapsum illius, eos tales idoneos minus probatæ vitæ ad audientiam confessionum, prædicationis & petitionis, & alios actus legitimos non admittant. Episcopi etiam non patiantur fratres in terminis longiores moras habere, sed operam dent ut, petitione peracta, ad suos conventus redeant, nisi eos in audiendis confessionibus & prædicationibus verbi Dei diutius morari in aliquo loco judicaverint expedire.

Eucharistiæ sacramentum ratius exponendum.

XIV. Propter reverentiam divinissimæ eucharistiæ sacramento exhibendam, & ne populi fidelis devotio ex frequenti ejus visione tepescat, ordinat hæc sancta synodus, quod deinceps ipsum sacramentum visibiliter in monstrantiis, præterquam in festo *Corporis Christi & per ejus octavas, non deferri* & nisi sub divino officio octavæ ejusdem ostendi non debeat, etiam occasione cujuscumque fraternitatis, aut institutionis desuper factæ. Mandando ordinariis locorum, ut contra presbyteros, qui in ipsis excederent, per inflictionem gravium pœnarum procedant.

Cultus superstitiosus prohibendus.

XV. Similiter mandat iisdem ordinariis, si in visitatione suarum diœcesium aut alias reperiant concursum populi ad certas imagines, & cognoscant populum hujusmodi magis ad dispositionem figuræ habere respectum, quod *hoc omnino prohibeant*, ne idolatria committatur.

De hostiis transformatis.

XVI. Si quæ etiam sint in suis diœcesibus hostiæ transformatæ aut pallæ rubricatæ, si quidem hostiæ tales sumi possint, eas sumi faciant, alioquin illas totaliter occultent, aut recondi disponant, ut sic omnis occasio concursuum auferatur.

De pravis consuetudinibus tollendis.

XVII. Sancta etiam synodus, quia informata est in nonnullis ecclesiis provinciæ Moguntinæ, tam cathedralibus quam collegiatis, pessimas & juri divino & positivo & rationi contrariis vigere, & ex corruptela introductas esse consuetudines, præsertim in nominando personas ante vacationem beneficii, & sæpe pueros sine discretione, ante decimum quartum annum, habendo minime respectum ad ecclesiam & Dei cultum;

ſed potius ad exactionem vel aliud commodum, aut ſpem ex pacto aliquid etiam in beneficiis pro ſe vel ſuis conſequendi, & in exactione pecuniæ antequam quis ad poſſeſſionem præbendæ admittatur, quod utique ſpeciem venditionis ac ſimoniacæ pravitatis habere dinoſcitur; quæ quidem pecunia, quod pejus eſt, apud quaſdam eccleſias non in eccleſiæ, ſed in proprios canonicorum uſus convertitur, quod utique a vitio ſimoniacæ pravitatis nuſquam excuſari poteſt. In receptione vini flaſconum vel aliarum rerum, in exceſſivis annis expectando, in quibus quod horrendum eſt, neque diſtributiones quotidianæ expectanti tribuuntur. In emancipatione quam ita appellare ſolent, doctorum & notabilium perſonarum, cum receptione multarum pecuniarum, in admiſſione ad capitula eorum qui congrue fari neſciunt, nec intelligunt. In eo quod canonici ſuis decanis in licitis & honeſtis obedire, & ad divina miniſtrare contemnunt. Si pro vagabunditate in eccleſia vel ante, aut cavillationibus in choro vel ſimilibus arguantur, non attendant & curent. Quod ad intereſſendum divinis officiis aſtringi ſub ſuſpenſione abſentium comprehendi nolunt; ac quod in certo parvo tempore ſub una lectione, pſalmo, epiſtola, evangelio, vel alio ſe præſentias deſeruiſſe contendant, & ſtatim ad ſæcularia negotia vel laſcivias revertantur aut eant. Quodque etiam tempore divinorum, veſperorum præcipue, choreas publicas, ſtubas & alias convenientias laïcorum viſitent & frequentent, illiſque ac ludis diverſis, potationique vicinorum apud eoſdem interſint, & ſe immiſceant, habitum & tonſuram ſtatui ſuo condecentem non deferant; & ſi quandoque vel parvam coronam deferant, per revolutionem crinium, de qua potius gloriari deberent, abſcondunt, longos crines ſeu comam, adeo ut aures videri nequeant, nutriant. Demum, quod auditu dictuque mirabile eſt, quod per certa anni tempora, circa autumnum præcipue, cum magis gratiarum actioni, dum torcularia vino redundant, inſiſtere deberent, a divinis ceſſent & vacantias faciant, liberique & ab obedientia pro tali tempore abſoluti eſſe volunt, quaſi contra Deum & obedientiam præſcribere poſſint. Pluraque alia contra ſacros canones & provincialia ſynodaliaque ſtatuta in Dei offenſam, eccleſiarum ſuarum periculum & ſcandalum plurimorum agant, ſeque prætextu conſuetudinum & obſervantiarum excuſare nitantur, cum non attendant corruptelas potius eſſe & veruſtares errorum; multa denique juramenta illicita a diverſis tam tempore electionis ſive collationis beneficiorum teſtantur, ex quibus hi qui talia recipiunt, commoda privata conſequi ſperant, ac etiam via correctionis debitæ præcluditur, & impediuntur ſæpe prælati ne eccleſiarum ſuarum utilitatem poſſint procurare. Similiter & a rectoribus eccleſiarum, ſive vicariis earumdem perpetuis, ſuper ſolvendis annuis penſionibus hujuſmodi juramenta illicita extorquentur, quibus obſtantibus propter carentiam neceſſarii victus eccleſiæ ipſæ divino defraudantur obſequio. Hæc itaque ſancta ſynodus præmiſſa omnia damnat, mandans omnibus & ſingulis locorum ordinariis ac etiam prælatis inferioribus, quibus correctio per ſtatuta provincialia conceditur & injungitur, ut non obſtantibus præmiſſis damnatis conſuetudinibus & obſervantiis, ad quarum vel quorum continuationem neminem quocumque juramento, cum vinculum iniquitatis non ſit, aſtringi declarat, quatenus ſub excommunicationis aliiſque in dictis ſtatutis expreſſis & comprehenſis pœnis, juxta juris & dictorum ſtatutorum formam, circa præmiſſa invigilent, caſſent, corrigant, ſtatuant, ordinent, & emendent quantocius, realiter & cum effectu; volens hæc ſancta ſynodus, quod ubi infra ſpatium v. menſium immediate ſequentium diœceſani ac inferiores prælati in & circa præmiſſa negligentes & remiſſi fuerint, ſuperior immediatus aut futura provincialis ſynodus corrigat, ordinet, & emendet, ac etiam ad declarationem pœnarum contra & adverſus ordinarios locorum & inferiores prælatos procedat.

Statutorum confirmatio petitur a legato.

XVIII. Petit etiam RR. præfatus in Chriſto pater dominus THEODERICUS archiepiſcopus totaque provincialis ſynodus Moguntina, quatinus vos, reverendiſſime pater & domine domine NICOLAE, tituli ſancti Petri ad Vincula ſacroſanctæ eccleſiæ cardinalis & apoſtolicæ ſedis per Allemanniam legate, ſuprafcriptis deliberatis & concluſis robur confirmationis & approbationis auctoritate legationis veſtræ in forma meliori adjicere dignemini, dantes & concedentes etiam ſpeciales facultates pro eorum executione in defectu poteſtatis ordinariorum, cum pœnarum adjectionibus ubi opportunum judicaveritis, ut ſperatus reformationis fructus laudabiliter inde proveniat.

Tenor vero bullæ de gratioſis de quibus ſupra fit mentio, ſequitur & eſt talis.

NICOLAUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Injunctum nobis deſuper, quo univerſi orbis aſtringimur eccleſiis, apoſtolicæ ſervitutis officium ſedula nos perurget inſtantia, illarum jugiter intendere profectibus, & ut eliſis ab eis cujuſvis notæ diſpendiis, votivæ diſcretionis ope fruantur, prout expedire conſpicimus, ſalubriter providere. Cum itaque, ſicut dilectus filius noſter JOHANNES S. Angeli diaconus cardinalis nobis nuper expoſuit, in eccleſia Moguntina quædam deteſtabilis & abuſiva, ſi ſic dici meretur, con-

ſuetudo irrepſit & invaleſcit, quod in occurrentibus pro tempore eccleſiæ ipſius tractatibus & negotiis, ea quæ pluribus etiam majori parte agenda & amplectenda videntur, paucorum etiam duorum vel unius contradictione plerumque, non ex rationis aut juris tramite, ſed pro nudo levique voluntatis libito prodeunte, concluſionem & executionem habere non poſſunt; ſicque negotia ipſa quæ tam propter dona temporalia, quibus eccleſia ipſa Moguntina notabiliter dotata eſt, quam etiam propter ſiniſtras temporum conditiones plus ſolito quotidie multiplicantur & ingruunt graviora, pro eo quod omnium conſenſus haberi non poteſt ſæpius, vel plus debito periculoſius retardantur, aut penitus remanent impedita. Unde eccleſia ipſa in ſpiritualibus & temporalibus varia paſſa eſt, & majora non ſine ſcandalorum & diſſentionum fomento pati poſſet diſpendia & etiam detrimenta. Sunt etiam in dicta eccleſia nonnulli, ut ſuam præſumtionem palliare videantur, & in agendis negotiis aliorum concluſionem impedire valeant, negotia ipſa gratioſa fore, cum tamen non ſint, pro nutu contendunt. Sicque iterum paucorum aut unius contradictione aliorum vota ſuſpenduntur. Nos igitur attendentes quod præmiſſa canonicis ſanctionibus obviant, & licet in his ſufficienter proviſum exiſtat; nos tamen etiam, prout ex paſtorali nobis incumbit officio, animadverſione debita providere volentes, ut quos in orbe canonica inſtituta a talibus præſumtionibus retrahere non poſſunt, ſaltem eccleſiaſtica diſciplina coërceat & compeſcat. Ex præmiſſis & aliis rationabilibus cauſis nos non immerito moventibus, *conſuetudinem* prædictam tamquam ſacris canonibus contrariam & inimicam, auctoritate apoſtolica penitus reprobamus, viribus deſtituimus & abolemus; diſtrictius inhibentes univerſis & ſingulis ipſius eccleſiæ perſonis ſub excommunicationis pœna, quam alias ipſo facto incurrant, ne quiſquam ex ipſis, prætextu conſuetudinis hujuſmodi, de cetero in capitulo & *conventionibus ſuis, majori parti* quominus juxta juris communis diſpoſitionem in agendis & tractandis concludere, & ea exequi valeant, reſiſtere ſeu opponere vel impedire ſeu impedientibus aſſiſtere & favere quoquomodo audeat ſeu præſumat. Volentes inſuper & ſtatuentes auctoritate præfata, quod ſi aliquando ſuper negotiis de quibus agitur, quod ſi gratioſa exiſtant vel non, *in capitulo prædictæ eccleſiæ* altercatio oriatur, diſcuſſioni & determinationi majoris partis in capitulo ſtetur. Quodque ea quæ ſic per eaſdem duas partes diffinita fuerint, determinata & concluſa, partis minoris oppoſitione ſeu impedimento non obſtante, exequantur pœna ſub prædicta. Præterea cupientes ut inhibitio, voluntas, ordinatio & alia præmiſſa firmiter & inviolabiliter obſerventur, venerabili fratri noſtro archiepiſcopo Moguntino, ac ejus in ſpiritualibus vicario, & officiali generali per hæc ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel eorum alter, per ſe vel per alium ſeu alios, præmiſſa omnia & ſingula, ubi & quando expedire viderint, auctoritate apoſtolica ſolemniter publicare, & omnes & ſingulos quos excommunicationis hujuſmodi ſententiam propter præmiſſa incurriſſe conſtiterit, tamdiu in dicta eccleſia & aliis locis de quibus eis videbitur, excommunicatos publice nuntiare ſtudeant & procurent, faciantque ab aliis nuntiari, & ut tales ab omnibus arctius evitari, donec ipſi excommunicati, ſinguli videlicet eorum, quod contra prohibitionem noſtram hujuſmodi & alia præmiſſa deinceps quomodolibet venire vel attentare non debeant, ſingula corporaliter præſtiterint juramenta, & abſolutionis beneficium a ſententia hujuſmodi meruerint obtinere: contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur ne quis extra ſuam civitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a *fine ſuæ diœceſis ad judicium* evocetur, ſeu ne judices a ſede apoſtolica deputati extra civitatem & diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, ſive alii vel aliis vices ſuas committere præſumant: ac de duabus dietis in concilio generali & aliis apoſtolicis conſtitutionibus, necnon prædicta & aliis eccleſiæ prædictæ ſtatutis & conſuetudinibus, juramento, *confirmatione apoſtolica*, vel quacumque alia firmitate roboratis contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim a dicta ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc *paginam noſtræ reprobationis*, deſtitutionis, abolitionis, inhibitionis, voluntatis & ſtatuti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, IV. cal. Decembris, pontificatus noſtri anno quarto.

Confirmatio RR. domini legati.

Quoniam conceptas concluſiones per vos RR. in Chriſto patrem dominum Th. archiepiſcopum Moguntinum, conſentientibus comprovincialibus veſtris, legi audivi-

mus, & eas reformationi quam quærimus, judicavimus plurimum profuturas, ipſas, uti petitur, rates & gratas habentes, auctoritate apoſtolica nobis tradita, in Dei nomine confirmamus, & per obedientiam, & ſub pœnis per nos ad ſingula ſtatuta ubi viſum fuerit adjungendis, præcipimus illa obſervari: ordinationibus ubilibet per nos factis ac poteſtate nobis ad viſitandum corrigendum & ſtatuendum & aliis in bulla legationis noſtræ contentis ſemper ſalvis, quibus per hanc noſtram confirmationem nequaquam intendimus derogare, ſuper his & earum executione litteras decernentes opportunas. reſervantes ſanctiſſimo domino noſtro papæ ac nobis, legatione durante, poteſtatem, addendi, corrigendi, interpretandi, declarandi, & alia quæcumque faciendi, per quæ ſancta reformatio, quæ ſolum quæritur, poterit adaugeri, jure metropolitico reverendiſſimi domini Maguntini & ordinariorum provinciæ ſuæ ſemper ſalvo. Inſuper ſub ſpe quod in dictis v. menſibus, de quibus in fine dictorum concluſorum continetur, effectualis executio eorum per RR. dominum Moguntinum & ſuffraganeos ſuos fieri debeat, ſuſpendimus & relaxamus omnes & ſingulas cenſuras & pœnas in ordinationibus & ſtatutis noſtris ubicumque locorum provinciæ Maguntinæ emanatas, poſitas & comprehenſas, quantum ad eos qui illos vel illa ſimpliciter non aſſumpſerint, aut uti nolunt in & per totam provinciam Maguntinam per dictos quinque menſes: ita tamen quod executio dictorum ſtatutorum provincialium interim fiat juxta eorumdem formam & tenorem, & ſi illa fieri & obſervari contingat, volumus dictas cenſuras & pœnas noſtras etiam & poſt, quandiu ſervaverint, locum habere non debere. Si vero executio non fiat dictorum ſtatutorum provincialium in his in quibus executio eorumdem facta non eſt, volumus cenſuras & pœnas mandatorum noſtrorum in locis in quibus prædicata ſunt locum ſibi vendicare. Similiter in defectum executionis hujuſmodi, contra alios quibus hujuſmodi mandata noſtra inſinuata non fuerint, ratione prævia proceſſuri.

DIÆTA RATISPONENSIS anno MCCCCLIV.

Ex mſ. S. Martini Tornacenſis.

INFRA SCRIPTI FUERUNT IN DIÆTA RATISPONENSI.

IN conventione celebrata Ratiſponæ in diæta per invictiſſimum principem & dominum, dominum FREDERICUM III. divina favente clementia Romanorum imperatorem ſemper auguſtum de anno Domini MCCCCLIV. de menſe Maii, pro apparatu ordinando contra & adverſus orthodoxæ fidei ac Chriſtianæ religionis inſidiatores Turcos, & alios infideles Chriſtianorum invaſores; per omnes & ſingulos principes ac communitates Germanicæ nationis atque aliarum ſingularum nationum Chriſtianorum.

Imprimis fuit ibi directus legatus papæ epiſcopus *Papienſis*.

Pro parte imperatoris ac imperialis majeſtatis oratores fuerunt infra ſcripti videlicet RR. patres & D.D. dominus NICOLAUS miſeratione divina *S. Petri ad Vincula* præſbyter cardinalis, ac præſul eccleſiæ Brixienſis, dominus ÆNEAS epiſcopus Senenſis, dominus FREDERICUS epiſcopus Ratiſponenſis: item dominus ULRICUS epiſcopus Burgienſis. Seculares vero magnifici domini & milites dominus Johannes *Ungenad*, dominus Gregorius *Folken*.

Item, perſonaliter interfuerunt illuſtriſſimi & potentiſſimi principes & domini, dominus dux Burgundiæ, dominus LUDOVICUS Bavariæ dux, dominus ALBERTUS marchio Brandeburgenſis, & hi cum ingenti & inclyta comitiva nobilium & militum, procerumque plurimorum, necnon virorum litteratorum, ubi ſteterunt aliquibus diebus.

Item, oratores ſereniſſimi regis Poloniæ, ducisque Lithuaniæ.

Item, oratores illuſtriſſimi principis & domini, domini ALBERTI ducis Auſtriæ fuerunt notabiliſſimi *milites*, *comites* & *milites*.

Item, oratores illuſtriſſimi & potentiſſimi principis ac domini, domini LUDOVICI ducis Sabaudiæ fuerunt IV. nobiliſſimi ac ſtrenui *milites*, & quidam venerabilis *prior*.

Item, oratores reverendiſſimorum patrum & dominorum, *dominorum ſpiritualium* electorum imperii, ſacri videlicet domini archiepiſcopi *Maguntienſis fuerunt* unus comes & unus doctor. Et domini archiepiſcopi *Treverenſis fuit unus doctor*. Et *oratores* archiepiſcopi Coloniæ.

Item, *oratores* illuſtriſſimorum principum electorum ſæcularium, videlicet domini comitis Palatini Rheni, domini ducis Bavariæ, marchionis FREDERICI Brandeburgenſis.

Oratores illuſtriſſimorum ducum Saxoniæ, fuerunt quidam *milites* & doctores.

Oratores reverendiſſimi archiepiſcopi Dalenburgenſis, fuerunt unus miles & unus licentiatus.

Item, oratores reverendiſſimi archiepiſcopi *Magdeburgenſis*.

Item, oratores reverendiſſimi domini, domini Auguſtenſis S.R.E. præſbyteri.

Item, magiſter ordinis fratrum Theutonicorum S. Mariæ fuit perſonaliter.

Item, oratores civitatum imperialium Alemanniæ, videlicet Colonienſis, Aquiſgrani, Noremburgenſis, Francfordiæ, & aliarum communitatum.

Item, ſupervenit quidam nobilis Græcus orator principis & domini GERMANI imperatoris

ratoris olim Græcorum qui Deſpotus Amoreus appellatur.

Item, multorum aliorum dominorum oratores, qui hic cauſa brevitatis omittuntur.

CAPITULA SEU CONCLUSIONES PRODUCTÆ PER IMPERIALES ORATORES IN DIÆTA RATISPONENSI, QUÆ AB OMNIBUS LAUDATÆ FUERUNT.

Ex hiis quæ nuper nos omnes audivimus, plane intelleximus, ſi rempublicam Chriſtianæ fidei contra Turcos & alios inimicos ſalutiferæ crucis defendere volumus, neceſſarium eſſe, quod ad longius, ut habeatur exercitus in Aprili proxime futuro, magnus, potens & bene inſtructus, in loco Turchis viciniori. Hinc viſum eſt ſereniſſimo domino noſtro imperatori, quod ſicut ſua majeſtas obtulit, ſe juxta poſſe ad omnia quæ ſunt pro tuitione Chriſtianitatis, ita & merito in hoc eum ſequi debent omnes fideles principes, maxime qui ſub imperio ſunt. In particulari autem pro executione oblationis, aviſat ſua ſerenitas, ſalvo ſemper judicio meliori eorum qui in hoc tanto negotio concurrere volunt, hæc quæ ſequuntur.

Primo quòd exercitus congregandus ſit magnus, & talis quod non ſolum reſiſtere Turchis, ſed etiam eos invadere poſſit, & fugare extra Europam; & quod exercitus militet ſub uno capitaneo ſub vexillo crucis & imperii.

II. Item, quod exercitus hujuſmodi ita ordinatus & proviſus ſit, quod durare poſſit ad minus per triennium, ſi fuerit opportunum, & quod in præſenti anno provideatur de neceſſariis pro futuro proximo anno exercitus, in alio anno provideatur de ſecundo, & in ſequenti pro tertio.

III. Item, extimat ſerenitas exercitum iſtum per hunc modum congregandum eſſe; videlicet quod per totam Alemanniam ac vicinos principatus imperio ſacro ſubjectos ubi ſunt homines, deputent unum equeſtrem, & alios triginta duos pedeſtres bene armatos & idoneos ad bellum. Videtur autem quod talis per Alemanniam & principatus & prædictos, ad minus ducenta millia pugnatorum importare debeat. Quod ſi forte ratione facta ex tali impoſitione non reſultat exercitus ſufficiens, placet imperiali majeſtati, quod ex alio numero inferiori unus eligatur, ut ad complementum exercitus deveniatur, & quod in hoc intelligatur Hungarorum & Bohemorum intentio.

IV. Item, quod principes & civitates imperiales provideant de bombardis, curribus, pulveribus bombardarum, lapidibus, & aliis neceſſariis machinis bellicis, ſecundum conditiones & potentias ſuas, & in quantum velint ſuccurrere & tradant in ſcriptis.

V. Item, quod tres experti in armis deputentur in tribus locis per Alemanniam opportunis, quibus præſentari debeant homines eligendi ad exercitum modo præmiſſo, & ut eos admittant, ſi judicaverint, idoneos, vel refutent, ſi minus idoneos viderint. Et hii tres alios ſub ſe deputare valebunt, prout judicaverint expedire.

VI. Item, quod ſimiliter deputentur ſex magni proviſores, videlicet tres eccleſiaſtici & tres ſæculares, in tribus locis opportunis, per Alemanniam; ita quod duo ſint in una parte, duo in ſecunda, & duo in tertia; & quod hii ſub ſe alios deputare poſſint, quorum officium erit providere de neceſſariis pro exercitu, tam in nutrimentis quam in pecuniis neceſſariis & oportunis.

VII. Item, quod hi ſex proviſores per ſe vel ſuos deputatos habeant providere quod talis impoſitio ita per homines provinciarum dividatur & moderetur inter divites & pauperes, quod ſecundum facultates eorum fiat, ne aliqui plus debito graventur reſpectu aliorum.

VIII. Item, quod ſtatim ſanctiſſimo domino noſtro papæ ſupplicetur, ut exercitum navalem diſponi procuret cum ſereniſſimo rege Aragonum, cum magnificis comitatibus Venetorum & Genuenſium, ac aliis ex Italia: ita quod in eodem tempore, ſcilicet in Aprili proxime futuro, navalis exercitus ex Italia reperiatur in ſtructu Gallipolis, & ex Motellino invadat Turchiam.

IX. Item, quod ſanctiſſimus dominus noſter ordinet per medium Venetorum, quod Caramannus Sarracenus, qui ſe offert velle concurrere contra Turchum, habeat exercitum paratum pro eodem tempore.

X. Item, ſimiliter ſanctitas ſua diſponat cum rege Hyberorum Chriſtiano Geobicorum, ut ex Illyria paret exercitum contra Turchum, & ſimiliter cum imperatore Trapeſundarum Chriſtiano, commonendo ad idem Siracuſanos, Bulgaros, Albanos, Dalmathas, Croceos, & Sclavos.

XI. Item, videtur quod imperialis exercitus concurrere debeat cum exercitu Hungarorum & Bohemorum, & ponere caſtra ſua contra Turchos ubi propinquiores ſunt Danubio; & ut gentes deſcendere & victualia miniſtrari per Danubium commodius poſſint.

XII. Item, ſereniſſimus imperator pro hoc tam ſancto negotio adimplendo neceſſarium eſſe judicat, quod omnes lites & guerræ ſub imperio ceſſent, ut ſit unitas & caritas in hoc ſanctiſſimo opere. Et propterea intendit treugas quinquenniales indicere, eaſque maximis pœnis vallare: ita quod medio tempore omnis via facti ceſſet, & juſtitia locum habeat; quodque hujuſmodi treugæ a feſto nativitatis Dominicæ proximæ futuro initium ſumant.

XIII. Item, ordinare proponit, quod

quicumque attentaverit viam facti, incidat in pœnam criminis læsæ majestatis & imperialis damni, & quod in omni loco imperii occupetur & capiatur, & justitia de eo fiat, ut de tali, dantesque conductum eamdem pœnam incidant.

XIV. Item, serenitas sua privilegiabit ituros ad exercitum, quod dominia, familia, & bona cujuslibet erunt toto quinquennio sub protectione imperiali libera: ita etiam quod judicialiter super debitis jam contractis tempore profectionis super mobilibus sive immobilibus rebus conveniri non possit, dummodo ante tempus de exercitu non fugerit aut reversus fuerit. Verum si contingeret exercitum dissolvi quandocumque ante quinquennium prædictum, nihilominus privilegium istud ab ipsa dissolutione per totum annum sequentem durabit, nec per prædictum tempus adversus aliquos, qui, ut prædictum est, fuerint in exercitu, current usuræ.

XV. Item, ad finem quod ista omnia & alia ad hanc rem facienda, similiter & alia multa pro feliciore statu imperii bona justitia & pace publica melius ordinentur, judicat serenitas imperatoria, quod in Francofordia fiat alia conventio dominorum electorum & aliorum principum, comitum, ac baronum & communitatum sacri imperii sive eorumdem oratorum plenas vices in his agentium, pro festo S. Michaëlis archangeli proxime futuro: ita quod medio tempore unusquisque principum & communitatum & ceterorum ad hoc negotium vocatorum, super his plene se aviset ac deliberet, & omnino veniat instructus tam de numero personarum dominii sui, quam de aliis præscriptis. Exhortatur illustrissimum dominum ducem Burgundiæ, ut in tali diæta per se vel suos, prout sibi placuerit, nolit deficere. Requirit etiam oratores illustrissimi domini ducis Sabaudiæ, ut quæ acta sunt hic referant, eumque adhortentur, quatenus simili modo per se vel suos in dicta diæta velit interesse, ac se veluti Christianum principem exhibere.

XVI. Pridie autem prædicta habebit majestas imperatoria in Francofordia suos legatos plena facultate suffultos, tam ad ea quæ ad exercitum pertinent, quam ad alia quæ honorem & utilitatem imperii concernunt; & si negotia medio tempore sint, *se disponeret* quod possit personaliter interesse, prout valde desiderat. Intimabit congruo tempore si vel Francofordiam vel Nurembergam venire proposuerit. Quod si nihil intimaverit, firma manebit conventio Francofordiensis statuto die, ut præfertur.

XVII. Venerabilem autem oratorem seteniſſimi domini regis Poloniæ adhortatur majestas imperialis, ut hanc conclusionem domino suo referre velit, eumque adhortari, ut ad prædictam diætam consiliarios & oratores suos transmittat, aut si in prædictis fuerit, imperatoriæ majestati medio tempore suam intentionem significare velit quomodo poterit, & qualiter cum aliis concurrere deliberaverit.

XVIII. Ultimo expediens videtur quod scilicet serenissimis regibus Franciæ, Castellæ, Hungariæ, Bohemiæ, Angliæ, Aragonum, Portugalliæ, Navariæ, Scotiæ, Daciæ, Sueviæ, ac Norvegiæ præmissa intimentur, ut ad adjuvandum Christianitatem pro suis viribus ad idem tempus se præparent ac disponant. Sicque tanto citius hostes fidei ex Christianorum limitibus repellantur, quanto majoribus ac magis unitis fidelium viribus adversus eos processum fuerit.

CONCILIUM PROVINCIALE,

Parisiis celebratum ab archiepiscopo Senonensi & suffraganeis mense Martio MDXXI.

Ex archivis S. Germani a Pratis.

I. SAne cum honestas non patiatur a prælatis ecclesiarum cathedralium, & collegiatarum capitulis, abbatibus, abbatissis, eorumdem monasteriis, & aliis quibuscumque personis ecclesiarum, maxime quibus res familiaris redditibus annuis abunde ex patrimonio Christi cumulata suppetit, quicquam temporale loco mercedis pro collatione spiritualium accipi, ne plebeis scandali occasio, memoratis ex causis oboriri solita, suggeratur; utque omnia munde in hujusmodi spiritualibus fiant, & sine labe, labis suspicione, aut specie mali, sacro approbante concilio, statuimus & ordinamus conformiter ad sacrorum conciliorum & sanctorum patrum decreta, ut pro electionum confirmatione, postulationum admissione, præsentationum provisione, collatione, dispositione, electione, postulatione, præsentatione, &c. a laicis facienda, institutione, installatione, investitura de ecclesiis etiam cathedralibus, monasteriis, de dignitatibus, beneficiis, officiisque ecclesiasticis quibuscumque, necnon ordinibus sacris, benedictione, nihil ante vel post exigatur, sub quocumque titulo, colore, vel nomine, aut alia quavis causa seu occasione, directe vel in directe. idem pro tonsura & minoribus ordinibus, litteris commendatitiis seu dimissoriis ad ordines, pro beneficiorum repræsentatione, inthronizatione, & eorumdem in possessionem missione, in canonicum receptione, religionis ingressu observandum decrevimus: nonobstantibus quibuscumque juramentis, statutis, & consuetudinibus introductis, & in futurum introducendis: irrationabiliorem illam judicantes consuetudinem, qua ad unam præbendam receptus, suorum in dicta præbenda præ-

Pro ſpiritualibus nihil exigendo.

decessorum non receptorum, a quibus jus non habeat, sed a conferente seu instituente, plures receptiones solvere compellitur.

Quid secretarii pro litteris sic tribuendum.

Ne tamen merces labori debita auferatur, tum ut registra celebriter atque authentice in membranis non cartis papyraceis conscribantur, & conscripta fideliter asserventur; permittimus quod secretarii seu notarii prælatorum, collatorum, præsentatorum & ceterorum hujusmodi pro litteris sigillatis expeditis & registratis tonsuræ clericalis, trés solidos Turonenses, pro litteris minorum ordinum tres solidos Turonenses, pro litteris alterius cujuslibet sacri ordinis & litteris commendatitiis, seu dimissoriis, etiam omnium ordinum tres solidos Turonenses; pro litteris præsentationis decem solidos Turonenses, pro litteris collationis seu institutionis cujuslibet beneficii viginti solidos Turonenses pro litteris præsentationis decem solidos Turonenses, pro litteris repræsentationis decem solidos Turonenses, pro litteris missionis in possessionem decem solidos Turonenses recipere a promoto, præsentato, repræsentato, proviso, inthronizato, investito, seu in possessionem misso possint & valeant, eisdem ad pœnas restitutionis dupli & alias graviores a diœcesanis pro modo culpæ imponendas, inhibendo, ne quicquam præter supra taxatum recipere præsumant aut audeant. Provideant autem diœcesani ne ecclesiarum parochialium rectores, matricularii, aut alii quicumque indebitas exactiones in sacramentorum, sacramentalium & divinorum administratione faciant.

De quotidianis distributionibus, & cura divini officii.

II. Ad nos, quod amarius condolendum est, pervenit, quod multis ecclesiis, cathedralibus & collegiatis hujus nostræ provinciæ nullæ sunt, aut usque adeo tenues, quotidianæ distributiones, ut vix tertiam partem grossorum fructuum ascendant, in quibus hactenus invaluit consuetudo, quod ecclesiarum illarum canonici absentes pro interessentia unius diei grossos fructus totius anni percipiant: ex quibus vagandi materia oritur, cultus divinus, quem augeri omnino optamus, diminuitur, officium quoque propter quod beneficium ecclesiasticum datur, omittitur, quibusdam clericis admodum ignaris tenui pretio conductis, cura divini officii committitur, quod unico contextu, non servatis interstitiis temporum ab ecclesia præfixis per hujusmodi mercenarios transcurrendo & syncopando celebratur, ut aliunde ex quæstu missarum vitam sibi mendicent. Nos igitur cupientes præmissis occurrere, & quantum possumus adversus futura cavere, sacro approbante concilio, hujusmodi consuetudines tamquam ecclesiæ nocivas, & cultui divino derrahentes, cassamus & revocamus: hisque nonobstantibus, statuimus, quod diœcesani in suis diœcesibus, dictarum ecclesiarum canonicos per juris remedia, etiam suarum præbendarum privatione ad suas ecclesias revocent, dictosque grossos fructus pro majori parte in quotidianas distributiones convertant, ut residentes & divino officio actualiter interessentes, secundum mensuram laborum plus minusve quisque capiat emolumenti, sub obtestatione divini judicii omnibus præcipientes, ut respectu perceptionis hujusmodi quotidianarum distributionum, jura antiqua sacrorum conciliorum & patrum decreta integre observent, & observari faciant.

De reformandis monasteriis.

III. Fide dignorum relatio ad nostrum auditum perduxit, quantum in multis monasteriis a primæ institutionis puritate recessum: si quidem illorum cœnobitæ sic vitam regularem & monachalem receperunt*, ut & moribus, & nomine, & habitu religiosi & haberi & nominari vereantur. Quod si in præmissis gubernaculum disciplinæ contemnatur, hoc solum restare videmus, ut religio naufragetur. Rebus itaque in deteriora prolabentibus obviam ire volentes, statuimus ut abbates & abbatissæ, priores & prioriſſæ, & alii religiosorum superiores, quocumque nomine censeantur, sic sua monasteria in cultu divino, vita & moribus, vestimentis monachalibus, cibis & poribus reforment, & suos religiosos & moniales ad vitam regularem & monasticam secundum institutiones suorum ordinum, & alias regulares reducant; quod in eis nihil reperiatur quod divinam majestatem & simplicium animos offendere possit. In præmissis autem per diœcesanos in suis visitationibus diligens inquisitio fiat, & quæ reperierint deformata reforment, & omnino corrigant. Et quæ super prædictis facta fuerint, sequenti concilio referant.

* l. rejecerunt.

Canonici regulares habitum sibi competentem deferant.

IV. Et ne notorium illum abusum, quo nonnulli regulares apostasiam incurrendo, sine habitu regulari etiam in publicum incedere non erubescunt, sub dissimulatione pertransire videamur; statuimus quod canonici regulares de cetero super veste exteriori togam lineam tam extra quam infra monasterium ferre omnino teneantur: nisi forte super hujusmodi toga non deferenda privilegium habuerint; quod suis diœcesanis exhibere infra mensem a die paschæ computandum habeant. qui viso privilegio, super alio habitu patenter distincto, a vestimentis clericorum sæcularium ordinabunt, ut expedire & juris esse videbitur.

Confraternitates sine episcoporum consensu non erigendæ.

V. Cum ex multiplicatione confratriarum sæpe monopolia oriri contingat; & quæ in usus pios consumenda sunt in crapulam converti videantur, si quidem dies festos confratriarum non aliter se confratres digne celebrare putant, nisi comessationibus & ebrietatibus deserviant; sacro approbante concilio, sub pœna excommunicationis inhibemus, ne aliqui cujuscumque status fuerint, confratrias erigere & de novo instituere, sine

episcoporum expresso consensu & approbatione audeant. Antiquas autem quas per episcopos institutas aut aliter approbatas fuisse constiterit, toleramus. Omnem baculorum delationem confratribus, & aliis quibuscumque tam intra quam extra ecclesiam, necnon conventiculares comessationes diebus festis illarum confratriarum, & ex denariis earumdem fiendas seu solvendas sub prædictis pœnis prohibemus.

Excommunicatio non fiat pro levi causa.

VI. Insuper ne quis per excommunicationem, quam pro præcipuo mucrone ecclesia habet, a fidelium communione ex levi causa ejiciatur, sacro approbante concilio, prohibemus quatenus de cetero nullæ excommunicationes concedantur, nisi pro gravi causa, & ea quidem cognita, secundum formam juris; generalesque monitiones in forma malefactorum non decernantur pro injuriis verbalibus, nisi forte atrocioribus, quarum distinctio arbitrio officialium relinquitur, quos nihilominus & districte monemus, ut omnino caveant illarum multiplicationem, ne in vilipendio & contemptu deducantur.

Vestes fericeæ clericis inhibitæ.

VIII. Cum elationis habeat calumniam quicquid propter venustatem, non propter necessitatem accipitur; & ne bona ecclesiæ quæ pauperum sunt, in fastum & corporis ornatum, qui a sacro ordine alienus esse debet, convertantur, inhibemus omnibus & singulis ecclesiasticis nostræ provinciæ, ne vestimentis exterioribus, & targis oblongis fericeis in publicum aut domestice utantur, sub pœnis arbitrio diœcesanorum imponendis: non tamen intendimus ecclesiasticis ex sanguine regio aut ducali ortis, hujusmodi vestimentorum fericeorum delationem prohibere: quos nihilominus hortamur, ut in suis vestimentis decentiam ecclesiasticam observent.

Multa corrigenda committuntur diœcesanis.

IX. Multa nuper fuisse in medium deducta non ignoramus, quibus tam expresse, tamque exacte consultum est, per statuta conciliorum, constitutiones Romanorum pontificum, inhibitiones, adjornationes pœnarum, minas carcerum, & censuras, ut non solum nihil commode possit adjici; verum etiam si quidquam addatur, supervacuum intuentibus reperietur, & sola in illis superabundaret repetitio. Hæc autem hoc nomine ad diœcesanos remittuntur. De clericis non residentibus in beneficiis sine causa; de curatis deservientibus aliis beneficiis, ut ad propria redire compellantur; de festis vulgo dictis brachiorum, de nundinis dominicis diebus fieri solitis in alios dies transferendis, de titulis monialibus, de titulis provincialibus, de multitudine sacerdotum, de picturis & imaginibus, ut omnis indecentia & superstitio in illis cesset, de examine prædicatorum, antequam ad prædicandum recipiantur, de prioratibus qui sunt multum pingues, in quibus nullum fit servitium divinum, ut circa præmissa provideatur, ac sollicite curent divinum cultum in dies magis ac magis excrescere, saluti suorum subditorum consulant, qui de manibus suis aliquando exquiretur.

De lectione statutorum.

Ad postremum nos antiquum morem sectantes, quo provinciales sanctiones relegi solitæ sunt, easdem in hoc sacro concilio legi jussimus, lectæque fuerunt; nec prætermittimus eas quæ de quæstoribus & visitationibus latæ sunt; quando quidem, ut ex multiplici querimonia & frequenti relatione cognovimus, in illis plurimum & graviter delinquitur. Hæc autem omnia & singula cum simus curiose observaturi, volumus & mandamus ut ab omnibus inviolabiliter & ad unguem custodiantur vel observentur.

ACTA CONCILII TRIDENTINI.

Scripta ab Angelo Massarello concilii secretario, & Johanne *Curtenbrosche* Anglo, qui concilio interfuit.

Ex duobus mss. uno bibliothecæ regiæ, altero illustrissimi domini Jolii de Fleury *summi regis procuratoris.*

OBSERVATIO PRÆVIA.

Acta concilii Tridentini separatim scripsere Angelus Massarellus sacri concilii secretarius, cujus lucubratione in condendis annalibus ecclesiasticis usus est Odoricus Raynaldus; & Johannes de Curtenbroche *Flander, non vulgaris vir eruditionis. Massarelli opus Tridenti & Bononiæ viderat doctissimus Antoniius* Filholi, *Aquensis in Provincia archiepiscopus, qui jussu Christianissimi regis Francisci primi, Tridentum profectus fuerat, præcipuum sacri concilii futurus ornamentum. Hic concilii non solum decreta & canones secum revertens in Gallias, sed acta etiam, qualia ab ipso Massarello conscripta fuerant, asserre cupiens, eleganter ea describi curavit ex autographo, cui hoc præfigitur de auctore testimonium:*

Nos Olaus Magnus archiepiscopus Upsalensis, & Johannes Petrus

FERRETUS de Ravenna epiſcopus Milenſis, univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, viſuris, lecturis, ac etiam audituris, notum facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, dominum Angelum Maſſarellum J. V. doctorem & protonotarium apoſtolicum, qui extracta omnia a ſuis propriis originalibus vel legitimis exemplis ex actis concilii Tridentini, & cum eis debite collationata, in hoc volumine contenta, præſentibus litteris alligata, concilium œcumenicum & generale Tridentinum & demum Bononienſe concernentia, manu propria ſcripſit & ſubſcripſit, fuiſſe & eſſe bonæ & laudabilis vitæ & honeſtatis ac celebris famæ virum, dictorumque conciliorum Tridenti ſuo tempore, & nunc Bononienſis ſecretarium. In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum fidem & teſtimonium, has præſentes litteras exinde fieri per notarios infraſcriptos mandavimus, in earumque pede nos ſubſcripſimus, ſigilliſque noſtris juſſimus & fecimus debite communiri. Datum Bononiæ, ſub anno a nativitate Domini JESU CHRISTI MDXLVIII. indictione VI. die vero XV. menſis Februarii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri PAULI divina providentia papæ III. anno XV.

OLAUS MAGNUS Gothus archiepiſcopus Upſalenſis præfatus.

JOHANNES PETRUS FERRETUS Ravennas epiſcopus Milenſis qui ſupra, manu propria.

CÆSAR olim HERCULES de Belliofis, alias Ghiſilenus, civis & notarius publicus Bononienſis ac curiæ & cameræ epiſcopalis Bononienſis graffarius, mandato ut ſupra.

PHILIPPUS-MARIA de Monte-Calvis, civis & notarius publicus Bononienſis, mandato ut ſupra.

Obiiſſe dicitur Antonius Filholi *anno* 1550. *poſt cujus mortem codex acta concilii quæ conſcribi curaverat continens, in manus Puteanorum fratrum incidit, a quibus tandem tranſiit in bibliothecam illuſtriſſimi domini Jolii* de Fleuri *ſummi regii procuratoris, cujus benignitate illa acta mihi tranſcribere licuit.*

Johannis Curtenbroche *opus exhibuit codex mſ. bibliothecæ regiæ, hanc in calce continens inſcriptionem:* Hunc librum ſcripſit dominus Johannes de *Curtenbroche*, qui concilio Tridentino interfuit omnibus actibus. Homo erat doctiſſimus, hebraïcarum & græcarum litterarum peritiſſimus & ſacrarum: immo omnem diſciplinam ita calluit, ac totam ætatem in ea tranſiit. Ingenio erat feliciſſimo; Gallias, Hiſpanias, & Italiam perluſtravit. Natus erat Gandavi, gente *Curtenbroſche*. Tandem obiit Romæ, & ſepultus fuit in eccleſia Germanorum.

Levinus *Vander Pret* hunc librum dedit domino Levino Torrentio Gandavenſi, archidiacono partium Brabantiæ, Romæ die 18. Novembris 1560.

Ubi juvat obſervare Johannem qui in calce codicis natus dicitur Gandavi, in capite ſeu titulo libri appellari Anglum.

Hæſimus aliquandiu dubii an ſeorſim conſcripta hæc acta, ſeorſim etiam prælo committeremus. Verum re maturius conſiderata, cum aliquando inter ſe conveniant, aliquando diſcrepent, uno plura afferente quæ in altero deſiderantur, & viciſſim; viſum eſt operæ pretium ex duobus unum corpus efficere, annotando ad marginem ubi conveniant, & ubi diſcrepent.

SAnctiſſimus in Chriſto pater & dominus noſter dominus PAULUS divina providentia papa III. cum primum ſupra gregem dominicum ſuperna diſpoſitione conſtitutus fuit, ad ea omnem ſuæ vigilantiæ curam direxit, per quæ ſcandalis & diſſidiis quæ inter ipſius gregis oves, præſertim in religione Chriſtiana ſuborta fuerunt, obviaretur. Cum itaque ſanctitas ſua multis jam annis Chriſtianam rempublicam hinc inteſtinis fidelium odiis & bellis, diſſidentibus maxime principibus iis, quibus ſumma pene MASSARELLUS.

rerum omnis a Deo permissa est, valde attritam: illinc infidelium continuis persecutionibus, hæreditario nostræ fidei hoste Turca Hungariam vexante, contraque Italiam, Austriam, ceteraque Christiani nominis ditiones, terra marique bellum aggredi meditante, graviter afflictam, innumeris denique, proh dolor! hæresum errorumque vepribus in misera, ne dicam aliis orbis provinciis, Germania laceratam, & jam pene divulsam cerneret; aliqua opportuna remedia tantis malis, pro suo pastorali officio adhibere cupiens, plurimis variisque viis per suam sanctitatem examinatis, nullam aliam aptiorem judicavit aut meliorem ea quam majores sui sanctissimi pontifices, atque ipsa quidem universalis ecclesia in hujusmodi casibus experta est saluberrimam, generalis videlicet concilii celebrationem. Quapropter sanctitas sua in tanta hæresum, dissentionum, bellorumque tempestate, tantisque excitatis fluctibus, hac sola concilii generalis celebratione ecclesiam Dei ad pristinum nitorem reduci, Christianique populi mores corrigi, universalique inter fideles pace facta, contra impiissimum Turcarum tyrannum generalem expeditionem aliquando fieri posse sperabat. Itaque œcumenicum concilium Mantuæ ad x. calendas Junii MDXXXVII. inchoandum indixit.

Bulla indictionis sacri concilii in civitate Mantuæ.

PAULUS episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ad dominici gregis curam & regimen divina disponente providentia assumti, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* MDXXXVI. *n.* 34.

Fides publicationis supradictæ bullæ.

Anno a nativitate Domini MDXXXVI. indictione IX. die vero Dominica sacratissimæ Pentecostes IV. mensis Junii, pontificatus SS. in Christo patris & Domini nostri Pauli divina providentia papæ III. anno ejus II. ego Johannes Doliatoris ipsius SS. domini nostri papæ cursor retro scriptus, litteras apostolicas nunciationis, convocationis, statuti, indictionis, ordinationis, mandati, invitationis, exhortationis, rogationis, voluntatis & decreti concilii generalis Mantuæ, juxta formam ipsarum litterarum, celebrandi in ecclesia S. Johannis Lateranensis & Basilica S. Petri de Urbe, dum ibidem missæ & alia divina officia celebrarentur, & populi multitudo copiosa assisteret, alta & intelligibili voce coram omni populo ibi stante, debite de verbo ad verbum legi. Et tam ego Johannes, quam Petrus Serrano, & Petrus *Gomez* similiter SS. domini nostri papæ cursores, easdem litteras lectas & publicatas ad valvas ecclesiæ & basilicæ prædictorum affiximus, & sic affixas per spatium unius horæ & ultra in qualibet ecclesia dimisimus, relictis in ipsis valvis præfatarum, litterarum copiis cum originalibus per nos auscultatis, ut moris est. Eadem die ego idem Johannes Doliatoris cursor & Petrus Serano & Petrus *Gomez* præfati, dictas retro scriptas litteras apostolicas legimus, publicavimus & affiximus in valvis seu portis cancellariæ apostolicæ in acie campi Floræ hora vesperorum, & similiter per spatium unius horæ & ultra in quolibet ex ipsis locis affixas dimisimus. dimissis similiter in valvis dictæ cancellariæ apostolicæ, & acie campi Floræ copiis cum originalibus collationatis similiter, ut moris est,

Ita est Johannes Doliatoris cursor.
Ita est Petrus *Serano* cursor.
Ita est Petrus *Gomez* cursor.
Ita est Thomas *Roger* magister cursorum.

Cum autem jam indictum concilii inchoandi tempus appropinquaret, & sanctitas sua FREDERICUM ducem Mantuæ, quem promptissimum in id futurum sperabat, ut civitatem suam in hospitiis & victuariis aliisque rebus ad concilii celebrationem necessariis pararet, paterne admoneret: dux ipse respondens non parvam huic negotio intulit difficultatem, asserens militare præsidium & pro eo nutriendo stipendium, pro suæ sanctitatis & aliorum illic convenientium civitatisque securitate sibi necessarium esse, quam quidem difficultatem etsi eo tempore, quo præter alias apostolicæ sedis longe solito graviores impensas, perfidissimo fidei hoste universum Christianum imperium occupare molienti, etiam littora & urbis Romanæ ecclesiæ ab utroque Italiæ mari in suam tyrannidem referre conanti resistendum erat, superare sanctitas sua conata fuisset; rem tamen incongruam & mali in omne ævum exempli, armatum scilicet concilium celebrare, efficere noluit. quare prædicto duci respondendum duxit, nec suæ sanctitati, nec aliis illuc conventuris aliquid esse timendum, neque sibi æquum videri, ibi arma conspici, ubi libera omnium debent esse suffragia. id vero cum multis rationibus non semel tantum, sed pluries repetitis, duci frustra suadere conaretur, pontifex de loci mutatione, & concilii in aliud commodius tempus proroganda celebratione cogitare coactus omnino fuit. Die igitur XX. Aprilis anno Domini MDXXXVII. accersitis in sacro senatu quamplurimis episcopis, principumque & rerum publicarum oratoribus, eis injustas a duce Mantuæ propositas conditiones referens, concilii hujusmodi celebrationem usque ad calendas Novembris ejusdem anni prorogandam esse declaravit, publicataque fuit bulla tenoris infra scripti videlicet.

Prima prorogatio concilii ad calendas Novembris anni MDXXXVII.

PAULUS episcopus servus servorum Dei ad

futuram rei memoriam. Decet Romanum pontificem, pro paſtorali ſuo officio non ſolum jam orta in grege ovium ſibi commiſſarum ſcandala auferre, & ne oriantur procurare: verum etiam, quantum cum Deo poteſt, earumdem commodis providere. Superiore itaque anno deſiderantes, &c. *ut apud Rainald. ad annum* 1537. *n.* 25.

Fides publicationis ſupraſcriptæ bullæ.

Quibus quidem litteris apoſtolicis diligenter inſpectis per notarium publicum infra ſcriptum, ipſas exemplari mandavimus & tranſumi, ac in publicam formam redigi: decernentes & volentes huic tranſumto publico ſive exemplo plena fides deinceps adhibeatur ubilibet, in locis omnibus & ſingulis quibus fuerit opportunum, ipſumque tranſumtum fidem faciat, & illi ſtetur, ac ſi originales ipſæ litteræ apparerent. Quibus omnibus & ſingulis auctoritatem noſtram ordinariam interpoſuimus, & decretum; & ad ampliorem evidentiam præmiſſorum, ſigillum præfati reverendi auditoris, quo utimur, duximus apponendum. Actum & datum Romæ in domo præfati domini auditoris, in qua jura reddi ſolent, hora veſperorum & audientia cauſarum conſueta, ibidem ad jura reddendum in loco noſtro ſolito pro tribunali ſedentes, ſub anno a nativitate Domini MDXXXVII. indictione X. die vero Mercurii, XVI. menſis Maii, pontificatus præfati SS. Domini noſtri anno III. præſentibus ibi diſcretis viris magiſtris Philippo de Quintiliis & Jacobo Apocello dictæ curiæ cauſarum cameræ apoſtolicæ notariis, teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis.

Et quia ego Johannes Jacobus Bucca curiæ cauſarum cameræ apoſtolicæ notarius exhibitioni, auſcultationi, & tranſumtationi ſupraſcriptarum litterarum, & omnibus & ſingulis præmiſſis præſens fui, eaque fieri vidi & audivi, ſupraſcriptum tranſſumpti inſtrumentum alterius manu ſcriptum exinde publicavi, in fidem præmiſſorum omnium.

Appropinquante vero calend. Novembris tempore, ad quas concilium prorogatum fuerat, Mantuaque, ut dictum eſt, denegata, de alio loco ad ipſius concilii celebrationem opportuno dum aſſidue cogitaret pontifex, communis noſtræ religionis hoſtis Turca ingentiſſimis, ſi umquam antea, copiis, terra marique comparatis, tum alias Chriſtianæ ditionis provincias, tum Italiæ partem jam igne ferroque devaſtare cœperat. At miſericors Deus, populi ſui miſertus, prædictum Chriſtiani nominis hoſtem non humanis auxiliis, ſed admirabilis dexteræ ſuæ potentia a finibus Chriſtianorum ita avertit, ut non diſcedere, ſed fugere potius, nemine perſequente videretur. Pontifex in magnam ſpem devenit, poſſe aliquando concilium celebrari, & pacem inter Chriſtianos principes procurari, atque in primis de loco præfato concilii celebrationi accommodo, principum opinionem intelligere voluit. Cumque ab iis nihil certi acciperet ſanctitas ſua, tempuſque non ſine gravi univerſalis eccleſiæ detrimento in longius protraheretur, cum illuſtriſſimis dominis Venetis maxime egit, ut aliquam civitatem in eorum dominio pro tam ſancto opere peragendo concederent. Qui quidem Veneti Vicentiam conceſſerunt. Verum cum propter impedimenta ſupraſcripta, poſt ejus civitatis conceſſionem ſuæ ſanctitati ſignificatam, vix tantum temporis jam prorogati concilii ſupereſſet, ut nedum prælati illuc convenire, verum etiam de ejuſmodi conceſſione eoſdem præfatos non potuiſſet ſanctitas ſua reddere certiores, coactus eſt ſummus pontifex concilii celebrationem in aliud commodius tempus differre. Itaque concilii hujuſmodi celebrationem ad calendas Maii anno Domini MDXXXVIII. prorogavit Romæ in ſacro patrum ſenatu, VIII. idus Octobris, anno Domini MDXXXVII. pontificatus ſui anno III. publicataque fuit bulla tenoris infra ſcripti videlicet.

Secundæ prorogationis concilii ad calendas Maii MDXXXVIII. *bulla & indicto Vicentiæ.*

PAULUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad futuram rei memoriam. Benedictus Deus & pater Domini noſtri JESU CHRISTI, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1537. *n.* 56.

Appropinquante vero concilii jam prorogati tempore, ne aliquid ad tam ſanctum opus peragendum a ſua ſanctitate deſiderari poſſet, cum prius præmiſiſſet ad ipſam civitatem Vicentiam reverendos dominos epiſcopos Veronenſem & Regienſem, qui ea quæ ad concilii hujuſmodi celebrationem neceſſaria forent, præparaſſent. Denique XIII. calendas Aprilis ejuſdem anni MDXXXVII. tres de latere legatos reverendiſſimos videlicet LAURENTIUM epiſcopum Sabini Campegium, JACOBUM tituli S. Apollinaris Simonettam, & HIERONYMUM ALEXANDRUM tituli S. Chriſogoni Brunduſinum, S. R. E. cardinales Vicentiam concilii præſidentes deſtinavit, conceſſa eis facultate ea omnia faciendi, quæ in hujuſmodi negotio quomodolibet neceſſaria & opportuna forent; datis ſuper his litteris Romæ die XX. menſis Martii anno Domini ſupra ſcripto. Ceterum cum legati prædicti, qui jam Vicentiam pro concilii celebratione hujuſmodi applicuerant, per nonnullos menſes in ea civitate expectaſſent, neminemque præter unum aut duos comparentem vidiſſent, idque ſuæ ſanctitati per ſpeciales eorum litteras notum feciſſent. Ex alia vero parte ſereniſſimus imperator, & Chriſtianiſſimus rex, necnon & FERDINANDUS rex Romanorum, prælatos regnorum ſuorum ad ipſum concilium venien-

dos per aliquod aliud tempus expectari, & ut aliam habendi concilii rursus temporis prorogationem decerneret, a sanctitate sua petierint, ne tantorum principum voluntati & petitioni deesset sua sanctitas, concilii celebrationem hujusmodi usque ad festum paschalis resurrectionis Domini nostri JESU CHRISTI, anno Domini MDXXXIX. differendam esse declaravit, ipsisque legatis ac omnibus aliis, qui jam in dicta civitate Vicentiæ convenerant, ne interim circa dictam concilii celebrationem se aliquo modo intromitterent, neque aliquid in hujusmodi negotio innovarent arcte mandavit, publicataque fuit bulla tenoris infrascripti, videlicet:

Bulla tertia prorogationis sacri concilii ad Paschа resurrectionis Domini anno MDXXXIX.

PAULUS episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Universi populi Christiani curam nobis licet immeritis divinitus commissam, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1538. *n.* 35.

Et quoniam pontifex in suprascriptis litteris inhibuerat concilium in dictis calendis Maii, ad quas prius prorogatum fuerat, inchoari, dubitas quædam orta fuit, num post dictum calendarum diem concilium aperiri posset, cum prohibitio ipsa de calendis Maii tantum loqueretur, sanctitas sua ad delendam omnem dubitandi occasionem, etiam post diem cal. Maii sine suæ sanctitatis mandato concilium a nemine inchoandum esse declaravit, aliis publicatis litteris tenoris infrascripti videlicet.

Bulla declarationis non inchoandi concilii post calendas Maii MDXXXVIII.

PAULUS episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Romanus pontifex supra gregem dominicum pastor, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1538. *n.* 34.

Post hæc cum Ferdinandus Romanorum rex suæ sanctitati significasset, non adeo difficilem inter catholicos & protestantes sibi videri concordiæ tractationem futuram, si sanctitas sua in Germaniam aliquem probatæ existimationis & vitæ, sacrarumque litterarum peritia præstantem virum transmitteret. Sanctitas sua, ut nullam viam intactam relinqueret, qua paci & unitati diffidentium in religione consuleretur, reverendissimum dominum HIERONYMUM ALEXANDRUM tituli S. Chrisogoni presbyterum cardinalem Brundusinum de latere legatum, tum ad ipsam Germaniæ provinciam, tum ad regem ipsius Romanorum, ut si qua media forent, quibus aliquis amicabilis concordiæ tractatus haberi posset, exquirerentur, destinavit. Qui reverendissimus cardinalis ex Vicentia, ubi legatus & præsidens concilii agebat, die tertia decima mensis Augusti ejusdem anni MDXXXVIII. recedens, Germaniam versus iter arripuit. Qua in provincia per annum & ultra immoratus, cum nihil certi aut reipublicæ Christianæ condecens fieri potuisset, Romam, quam die XV. mensis Decembris anno Domini MDXXXIX. intravit, a sua sanctitate accersitus est. Quo tempore sanctitas sua reiteratis litteris nunciisque apud supradictos principes instare non destitit, ut pace inter eos conciliata, omni eorum conatu concilii celebrationi vacarent: verum cum serenissimus imperator, & Francorum rex Christianissimus una cum FERDINANDO Romanorum rege a sua sanctitate per litteras suosque oratores contenderent, ut alias rursus temporis prorogationes faceret; præcipue autem instaret Cæsar, demonstrans se promisisse protestationibus* operam suam apud pontificem interpositurum, ut aliqua inter ipsos & catholicos concordiæ ratio iniretur. Quod tamen ante suam in Germaniam profectionem commode fieri non posse affirmabat. Sua sanctitas tantorum principum voluntate adducta, cum præsertim cerneret nullos alios prælatos ad resurrectionis Domini nostri JESU CHRISTI festum Vicentiam convenisse, prorogationis nomen tam sæpe frustra repetitum fugiens, celebrationem concilii hujusmodi ad suæ sanctitatis & sedis apostolicæ beneplacitum suspendit, die videlicet XXI. mensis Maii anno Domini MDXXXIX. publicataque fuit dicta suspensio per litteras ad singulos supradictorum principum, X. mensis Julii ejusdem anni datas, pontificatus sui anno V. nec propterea prætermisit sanctitas sua omnem operam & laborem, ut interim pax reipublicæ Christianæ redderetur. Itaque cum Cæsar Belgis ad defectionem ab eo incitatis, defectionis hujusmodi comprimendæ causa per Galliam amicissime, & cum ipso Gallorum rege magno benevolentiæ concordiæque indicio transiens, in Belgas profectus fuisset, sanctitas sua ut dictarum majestatum animos majori affectionis vinculo paterno affectu conciliaret, atque propterea concilium commodius celebrari posset, reverendissimum dominum ALEXANDRUM S. Laurentii in Damaso diaconum cardinalem Farnesium vicecancellarium suum, secundum carnem nepotem, ad præfatos Cæsarem & Christianissimum regem de latere legatum destinavit, VIII. videlicet calendas Decembris, anno Domini MDXXXIX. Redeunteque in Urbem reverendissimo ipso cardinali Farnesio, ut indeficienter tam sanctum opus a dictis principibus sanctitas sua expostularet, reverendissimum dominum MARCELLUM CERVINUM tituli S. Crucis presbyterum S. R. E. cardinalem, tunc Neocastrensem nuncupatum, legatum de latere apud dictas majestates, item de pace in concilio tractaturum creavit, quarto videlicet idus

* *f.* protestationibus.

Maii anno Domini MDXL. Cæſar autem Belgis pacatis, in Germaniam profectus eſt, ubi imperialem conventum cauſa tractandi ejus, quem pontifici promiſerat, concordiæ modum indixerat. Cumque tam ipſo imperiali conventu, quam Vormatienſi colloquio, & alias multipliciter varios concordiæ tractatus, ut diſſidium religionis noſtræ ad æquum intellectum reduceretur, *cum iis qui poteſtantes* appellantur, habuiſſet, & nihil pium vel quod reipublicæ Chriſtianæ expediret, aſſequi potuiſſet; iterum ad concilii celebrationem animum ſuum vertit ſanctitas ſua. Itaque Vicentia a Venetis denegata, locumque concilii Germanicæ nationi, cujus res potiſſime agitur, commodum ſanctitas ſuas eligere cupiens, Tridentum civitatem ab ipſis Germanis valde cupitam, pro œcumenico concilio celebrando deputavit, ad diem calendas Novembris anni Domini MDXLII. inchoandum ſtatuit, edita bulla tenoris infra ſcripti.

Bulla indictionis ſacri concilii in civitate Tridentina ad calendas Novembris celebrandi MDXLII.

PAULUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad *futuram rei memoriam. Initio hujus noſtri* pontificatus, quem non ob merita noſtra, &c. *ut apud Labbeum concil. tom.* 14. *pag.* 725.

Concilio itaque Tridenti indicto, ne ſanctitas ſua ſolitum paternum atque pietatis officium, etiam tunc cum maximo opus erat, deſereret; neve ſumtibus aut laboribus, licet ſæpius fruſtra ſuſceptis, parceret; iterum ad conciliandos Cæſareæ & Chriſtianiſſimæ majeſtatum animos ſe convertit, atque iterum de latere legatos reverendiſſimos videlicet GASPAREM CONTARENUM ad Cæſarem, qui jam ex Africa in Hiſpaniam redierat; & JACOBUM SODALETUM S. Romanæ eccleſiæ cardinales ad Francorum regem de pace & concilio tractaturos, die ſeptima Auguſti ejuſdem anni ituros creavit. Verum cum idem cardinalis Contarenus die vigeſima quarta ejuſdem menſis Bononiæ, ubi legatus civitatis agebat, obiiſſet, ſanctitas ſua in ejus locum reverendiſſimum dominum MICHAELEM de Silva tituli Baſilicæ XII. apoſtolorum preſbyterum cardinalem Viſenſem XXVI. dicti menſis Auguſti, legatum ſuffecit. Appetente vero concilii indicti die, calendis videlicet Novembris, ne aliqua in parte reipublicæ Chriſtianæ deeſſet ſanctitas ſua; R. D. JOHANNEM THOMASIUM Cavenſem & JOHANNEM MATTHÆUM Veronenſem epiſcopos Tridentum, ut quæ neceſſaria pro concilii celebratione, eſſent, pararent, die XVIII. Septembris MDXLII. nuncios deſtinavit. nec multo poſt tres a latere legatos ipſius concilii præſidentes creavit, reverendiſſimos ſcilicet PETRUM PAULUM tituli S. Balbinæ Parilæum, & JOHANNEM tituli S. Vitalis Moronum preſbyteros, ac REGINALDUM S. Mariæ in Coſmedim diaconum Polum S. R. E. cardinales, die XVI. Octobris ejuſdem anni. quam legatorum deputationem ſtatim ſanctitas ſua reverendiſſimo domino CHRISTOPHORO tituli S. Cæſarei in palatio S. R. E. preſbytero cardinali Tridentino, tunc tantum dictæ civitatis epiſcopo, necnon nuncio apoſtolico Cavenſi præfato, per litteras *in forma brevis ſub data Tuſculi XXV. ejuſdem* menſis Octobris ſignificavit, ut diligentius ea quæ in loco concilii per eos paranda erant, perficerentur. Nec multo poſt ipſi reverendiſſimi domini legati ſupra ſcripti ex Urbe recedentes, Tridentinam civitatem petierunt. Ceterum cum legati præfati per ſex menſes & ultra prælatos expectando non ſine aliqua ſedis apoſtolicæ indignitate permaniſſent, & ſeptem circiter prælati tantum comparuiſſent, necnon illuſtris dominus de Granvella, ac epiſcopus Atrebatenſis, & dominus DIDACUS DE MENDOCIA Cæſarei oratores, qui tamen parum Tridenti immorantes, ad alia ſe divertiſſent, ſanctitaſque ſua tot labores ab ea ſuſceptos pro hujuſmodi celebratione concilii aſſequenda, tot legatos & nuncios ad eoſdem imperatorem & Chriſtianiſſimum regem, *ceteroſque reges & principes* Chriſtianos deſtinatos, tot ad illos datas litteras, totiens indictum ſuſpenſumque concilium, & ad illud de latere miſſos legatos, tot denique prælatis & aliis, qui concilio intereſſe debent, ut omnino ad illud accederent, tranſmiſſa mandata, & hortationes incaſſum proceſſiſſe ſanctitas ſua intueretur, cum præſertim odia & ſimultates inter eoſdem principes augeri, & jam arma tractari, & bellum moveri cœptum eſſet, ipſeque Cæſar & Chriſtianiſſimus rex ſuorum regnorum tuitioni intenti, concilii celebrationi *ob ingentia inter illos bella vacare non* poſſe aſſererent, ac poſtremo tum reverendiſſimorum PETRI PAULI Pariſii & REGINALDI POLI legatorum prædictorum relatione, qui duo a pontifice ex Tridento accerſiti fuerant, ut ab eis quo in ſtatu res concilii eſſent, & quid ſuper celebratione ipſius concilii ſperari poſſet intelligeret. Tum reverendiſſimi domini JOHANNIS cardinalis Moroni, qui adhuc Tridenti morabatur, necnon ceterorum prælatorum in dicta civitate Tridentina exiſtentium, litteris, quorum fere ſingulorum ſuper ea re ſententias exquiſivit, intelligeret, *tunc temporis celebrationem* concilii impleri non poſſe, vigentibus tot in locis inter dictos principes bellis, ac immaniſſimo Turcarum tyranno cum potentiſſimo exercitu regnum Hungariæ invadere, & ejus munitiſſima atque copioſa claſſe jam mare inferum ingreſſa, maritimaſque Italicas regiones non longe ab urbe Roma depopulantes, concilium ſanctitas ſua differendum conſtituit, illudque ad beneplacitum ſedis apoſtolicæ uſque ad aliud opportunius &

commodius tempus per ſuam ſanctitatem declarandum ſuſpendit, necnon eóſdem legatos apoſtolicos ab eodem concilii loco ad ſedem apoſtolicam revocavit, prælatiſque, qui jam Tridenti convenerant, illinc recedendi uſque ad dictum tempus licentiam conceſſit, edita bulla tenoris infra ſcripti videlicet.

Bulla ſuſpenſionis concilii uſque ad tempus per ſuam ſanctitatem declarandum, & revocationis legatorum ex Tridento anno Domini MDXLIII. *pridie nonas Julii.*

MASSARELLUS. CURTENBROCHIUS

PAULUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Etſi cunctis quidem in rebus conficiendis, ſi illæ ſtatuto tempore terminari nequeunt, temporis opportunitatem attendere expedit; id tamen in gravioribus reipublicæ Chriſtianæ cauſis & negotiis, & per Romanum pontificem, cum ad eum ipſorum negotiorum explicatio pertinet, maxime convenit obſervari, ut per opportunitatem ipſam eadem negotia proſperum valeant habere ſucceſſum. Quam enixe nos ſemper œcumenici & generalis concilii celebrationem concupiverimus, & quo propterea ſtudio & animi ſollicitudine huic rei, ac inter Chriſtianos principes paci & concordiæ incubuerimus, tot labores per nos, præſertim cum ea de cauſa Niceam nos contulimus, ſuſcepti, tot nuncii & legati ad eoſdem principes propterea a nobis miſſi, tot ſuper ea re a nobis ad illos datæ litteræ, toties per nos denique indictum concilium hujuſmodi, totque prælatis & aliis qui ad illud venire tenentur, ut omnino accederent tranſmiſſa mandata & exhortationes, reddunt teſtimonium veritatis. Concilium enim ipſum Mantuæ primo, deinde Vicentiæ, ad quam propterea tres a latere noſtro ex venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium numero legatos miſimus, & noviſſime Tridenti per noſtras litteras ſub data *Romæ apud S. Petrum* XI. *cal. Junii anno Incarnationis Dominicæ* MDXLII. In quibus, ne idem repetamus, cur in Mantuana & Vicentina civitatibus prædictis concilium hujuſmodi celebrari nulla ratione valuerit, explicavimus, & ad calendas Novembris quæ proxime præterierunt inciendum & proſequendum, & Domino adjuvante, ad ipſius gloriam & laudem, & Chriſtiani totius populi ſalutem abſolvendum, indiximus, annuntiavimus, & convocavimus omnes ex omnibus locis, tam venerabiles fratres noſtros patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, quam dilectos filios abbates, & alios quoſcumque, quibus jure aut privilegio in conciliis generalibus reſidendi & ſententias dicendi in eis permiſſa poteſtas eſt: requirentes, hortantes, & admonentes, ac eis in vim juramenti nobis & apoſtolicæ ſedi præſtiti, & virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub certis tunc expreſſis pœnis mandantes, ut ipſimet, niſi forte juſto detinerentur impedimento, aut per ſuos procuratores & nuncios huic ſacro concilio omnino adeſſe & intereſſe deberent. Necnon cariſſimos in Chriſto filios noſtros CAROLUM imperatorem ſemper auguſtum, & FRANCISCUM Francorum regem Chriſtianiſſimum, ceteroſque reges, duces, & principes Chriſtianos, ne Dei cauſam & negotium deſererent, ſed ipſimet ad ſacri hujuſmodi concilii celebrationem venirent; & ſi venire non poſſent, ſaltem graves viros legatos, cum auctoritate, qui perſonam principis ſui & prudentia & dignitate poſſent in concilio referre, mitterent; curarentque, ut ex ſuis cujuſque regnis & provinciis epiſcopi & prælati ſine tergiverſatione & mora ad concilium proficiſcerentur, rogavimus & obſecravimus: ſperantes œcumenici concilii celebrationem hujuſmodi, ad quam pro agri dominici purgatione ſæpe antea devenire, ut præfertur, fruſtra conati eramus, eo ſaltem tempore Dei benignitate ac clementia omnino ſucceſſuram eſſe; litteriſque noſtris prædictis publicatis, cum poſtquam nuncios noſtros ſpeciales pro pace inter dictos principes tractanda deſtinaveramus, odia & ſimultates inter eoſdem principes augeri, etiam cum ab unoquoque eorum per alterum ab induciis noſtro interventu Niceæ inter eos factis, diſceſſum eſſe prætenderetur, arma tractari & bellum moveri cerneremus, duos ſummæ auctoritatis viros inter cetera animi ornamenta pacis ſtudioſiſſimos S. R. E. cardinales a latere legatos ad eoſdem CAROLUM imperatorem, & FRANCISCUM regem miſimus, qui ipſis noſtro nomine in quæ pericula ex eorum diſcordiis univerſa reſpublica Chriſtiana brevi eſſet ventura exponerent, eoſque per viſcera Domini noſtri JESU CHRISTI ad pacem inter ſe mutuo amplectendam & rempublicam Chriſtianam a tot tantiſque imminentibus periculis liberandam, quam maxime poſſent hortarentur; ac appetente jam die pro qua, ut præfertur, concilium indixeramus, cum in eodem propoſito & deſiderio illud omnino celebrandi perſiſteremus, dilectos filios noſtros PETRUM PAULUM S. Balbinæ Pariſium, & JOHANNEM S. Vitalis Moronum titulorum preſbyteros, ac REGINALDUM S. Mariæ in Coſmedim, tunc SS. Nerei & Achillei diaconum Polum nuncupatos, S. R. E. cardinales, noſtros & dictæ ſedis legatos de latere, ſummæ virtutis, doctrinæ & auctoritatis viros ad ipſam civitatem Tridentinam, ut epiſcopos, prælatos & alios ad concilium venientes exciperent, ac ea quæ ad concilii celebrationem hujuſmodi neceſſaria eſſent ſeu opportuna facerent, deſtinavimus; necnon quamplures ex eiſdem prælatis, ſingulis ad illos noſtris datis litteris,

admonuimus, ut frequentes concilio hujuſmodi intereſſe vellent.

Demum cum ſpe pacis per dictos legatos noſtros inter eos componendæ, ex eis quæ ab eiſdem legatis acceperamus, fere deſtitueremur, ne quod reliquum erat in facultate noſtra omitteremus, præfatum CAROLUM imperatorem & FRANCISCUM regem, diverſis noſtris ad eos datis litteris hortati ſumus, ut pro concilianda inter eos aliqua concordia, nobiſcum in aliquo commodo loco, ad quem ætati noſtræ non parcentes, nos profecturos eſſe pollicebamur, convenirent, utque deſiderium noſtrum pacis & [a] colloquii, & concilii celebrationis hujuſmodi reipſa comprobaremus, e noſtra propria ſede Bononiam venimus, ut motis, quod ſperabamus, per appropinquationem noſtram ipſorum principum animis, concordiæ, ſtatui, celebrationique ipſius concilii ſecurius & frequentius inſtari, & fluctuanti reipublicæ Chriſtianæ aliquod ſalutare remedium afferri poſſet. Iterumque poſt adventum noſtrum hujuſmodi prælatos prædictos per diverſas alias noſtras litteras admonuimus, ut exemplo quamplurium prælatorum, qui ex Urbe noſtra ad locum concilii de mandato noſtro ſe contulerant, ad illud accedere amplius non tardarent.

[a] al. pacis colloquii.

Cum autem dicti CAROLUS imperator & FRANCISCUS rex ſuorum regnorum & dominiorum tuitioni intenti, cui ſe propter ingentia inter ipſos bella vacare oportere aſſerebant, nobiſcum convenire recuſaverint; ac licet poſtmodum Petrus Paulus & Johannes, ac Reginaldus cardinales & legati prædicti, pro prædicto concilio ad ipſam civitatem acceſſerint, ac inibi ſex menſes & ultra, non ſine aliqua dictæ ſedis indignatione expectando permanſerint; nihilominus præter eos, qui ex alma Urbe, ut præfertur, venerant, adhuc dum pauci prælati inibi convenerint, [b] immo, ſicut provinciarum diverſitas affert, diverſimode ſe excuſaverint; & alii bellorum motus, alii itinera non tuta, ac viarum pericula, alii diverſa alia impedimenta attulerint; nos propterea prædictos Petrum Paulum & Reginaldum cardinales & legatos, ut ab eis quo in ſtatu res eſſent, & quid ſuper celebratione concilii ſperari poſſet, intelligeremus, accerſivimus. Cumque eumdem CAROLUM imperatorem Germaniam petere, & per Italiam iter facturum eſſe intelligeremus, nos apud eumdem Carolum imperatorem, cum quo in oppido Buſſeti convenimus, tam per nos ipſos, quam per venerabiles fratres noſtros S. R. E. cardinales, qui tunc nobiſcum aderant, pro pace hujuſmodi omni cura & diligentia, quod etiam cum præfato FRANCISCO rege non minori ſtudio antea, plurimis litteris egeramus, inſtitimus. Cum vero nihil hactenus proficere potuerimus, & a Petro Paulo & Reginaldo cardinalibus & legatis prædictis, ac ex præfati *Johannis cardinalis* legati, necnon ceterorum prælatorum in dicta civitate Tridentina exiſtentium litteris, quorum fere ſingulorum ſuper ea re ſententiam exquiſivimus, cognoverimus, & nos ipſi clare perſpiciamus, vigentibus tot in locis inter eoſdem principes bellis, ac immaniſſimo Turcarum tyranno cum validiſſimo exercitu Hungariæ regnum invadente, ejuſque *copioſa & munitiſſima claſſe jam mare* inferum ingreſſa, cujus conatibus, quantum vires noſtræ, licet impares, ſuppetent, reſiſtere, ut tenemur, intendimus, non poſſe ad præſens, Domino forſan ob peccata noſtra ſic permittente, noſtram ſuper hujuſmodi concilio intentionem implere: quinimmo eamdem actionem concilii in aliud opportunius & commodius tempus, quo *dignitas & frequentia concilio & reipublicæ* Chriſtianæ præſentior ſalus adferri poſſit differendam eſſe: ſperantes ex Dei bonitate & miſericordia poſt tenebras lucem, & aliquando tandem, quod brevi futurum ſperamus & optamus, concilium ipſum celebrari poſſe: Volentes interim generalem Chriſtianorum defenſionem a periculis, propter infidelium mare & terras infeſtantium impetus, imminentibus, *quantum in nobis erit*, procurare, & almæ Urbi ſedi noſtræ ac orbis capiti, omniumque perfugio, quæ nobis ab ea diutius abſentibus, ob ipſorum infidelium incurſiones, non leve periculum ſubire poſſet, noſtra præſentia, quod neceſſe eſt, ceteriſque præſidiis ſuccurrere, ac conſcientiis, & commoditatibus prælatorum, qui ad ipſum concilium venire tenentur, ne propter ipſius concilii celebrationis incertitudinem, moleſtia aut incommodo afficiantur, paterna caritate conſulere. Habita ſuper his cum eiſdem fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum conſilio & aſſenſu, celebrationem concilii hujuſmodi uſque ad aliud opportunius & commodius tempus per nos declarandum, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſuſpendimus, & ſuſpenſum eſſe nuntiamus, ac pœnas contra patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, abbates, & alios in poſterioribus litteris indictionis concilii hujuſmodi comprehenſos inflictas uſque ad tempus prædictum, quo concilium ipſum omnino proſequi intendimus, relaxamus: necnon eoſdem Petrum Paulum & Reginaldum cardinales & legatos, ac Johannem cardinalem & legatum præfatum ab eodem concilio ad nos & ſedem prædictam revocamus: ac prælatis in eadem civitate exiſtentibus, inde uſque ad tempus per nos declarandum prædictum, quo eoſdem patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos & abbates, ac *alios in litteris poſterioris* indictionis concilii comprehenſos, ſub perjurii ac aliis in eiſdem litteris conten-

[b] *immo* ſupra lineam.

tis pœnis concilio prædicto, juxta formam ipſarum litterarum adeſſe & intereſſe voluimus, recedendi licentiam concedimus: decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quocumque, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari: non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nos etiam ut hæ noſtræ litteræ, & in eis contenta quæcumque ad notitiam omnium quorum intereſt perveniant, ſciantque cuncti ſe ad tempus declarandum prædictum, quo concilium hujuſmodi proſequi & continuare, ac, dante Domino, perficere intendimus, præſto eſſe debere, & ad id ſub pœnis prædictis teneri, ne aliquis illorum ignoranter * excuſationem prætendere poſſit: volumus & mandamus, ut in Baſilica S. Petri de Urbe, cum inibi populi multitudo ad divina audienda convenerit, palam clara voce per curiæ noſtræ curſores aut notarios aliquos publicos legantur, lectæque in dictæ baſilicæ necnon cancellariæ apoſtolicæ valvis affigantur, ubi ad lectionem & notitiam cunctorum aliquandiu expoſitæ pendeant, cumque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eiſdem locis remaneant affixa. Tranſumtis quoque earum quæ manu publici notarii ſcripta aut ſubſcripta, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munita fuerint, ut fides certa & indubitata habeatur, pariter mandamus atque decernimus.

* al. ignorantiæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſuſpenſionis, nunciationis, relaxationis, revocationis, conceſſionis, decreti, voluntatis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Bononiæ, anno Incarnationis Domini MDXLIII. pridie nonas Julii, pontificatus noſtri anno IX.

Jo. B. de Bernardis.

Fides publicationis ſupraſcriptæ bullæ.

CURTENBROCHIUS. ANno a Nativitate Domini MDXLIII. indictione I. die vero Mercurii, XIX. menſis Septembris, pontificatus in Chriſto patris & domini noſtri, domini PAULI divina providentia papæ III. anno IX. retroſcriptæ litteræ apoſtolicæ lectæ, publicatæ & affixæ fuerunt in baſilica principis apoſtolorum de Urbe, cum divina celebrarentur, & populi multitudo ad divina audienda conveniret, & valvis ſeu portis cancellariæ apoſtolicæ, dimiſſiſque eiſdem retroſcriptis litteris in eiſdem locis per multum temporis ſpatium affixis, dimiſſiſque copiis earumdem reſcriptarum litterarum in eiſdem valvis ſimiliter affixis, per nos Johannem Doliatoris & Martinum Menandi, prælibati SS. domini noſtri papæ curſores.

Dominicus Vacquer magiſter curſorum.

Suſpenſione concilii facta, non ceſſavit pontifex tum hortando, tum monendo itetum principum animos ad unionem revocare. Quapropter reverendiſſimum dominum ALEXANDRUM cardinalem Farneſium, ſuum ſecundum carnem nepotem, apoſtolicæ ſedis legatum, ad *ipſos imperatorem* & Gallorum regem pro tractando inter eos de pace, die XXI. menſis Novembris dicti anni, in ſacro patrum ſenatu creavit: qui XXIV. ejuſdem menſis ex Urbe recedens, Germaniam verſus profectus eſt. Cum autem Cæſar imperialem diætam Spiræ indixiſſet celebrandam: in qua inter cetera de religionis controverſia tractandum erat; ſanctitas ſua, ne *officio officio ſuo in hoc quoque* deeſſet, reverendiſſimum dominum Jo. FRANCISCUM cardinalem Sfondratum, tunc in minoribus agentem, epiſcopum ſcilicet Amelphitanum, ad dictum Spirenſem conventum nuncium die I. Decembris dicti anni deſtinavit. Verum cum in tanta hæreſum, diſſentionum, bellorumque tempeſtate, tantiſque excitatis fluctibus, votis ſuis non ſatisfieret, pontifex *cogitatus ſuos in Domino conjecit*, publicaſque proceſſiones & preces die XI. Decembris præfati, per univerſum Chriſtianum orbem indixit, totque indulgentias pro hac principum unione & pace conceſſit, quot XXV. quoque anno jubilæi tempore apoſtolorum principis limina viſitantibus tribui conſuevere. At *nihilominus dictorum* principum animi in dies magis paci ipſi adverſari videbantur, cum acre bellum inter eos vigeret in omnibus fere ſuorum regnorum dictionibus. Non deſperavit tamen pontifex poſſe aliquando Dei beneficio pacem inter ſæpefatos principes fieri, aquisque totiens fruſtra tentatum, iterum aggredi eſt. Quare XXX. Julii prædicti anni duos a latere legatos, reverendiſſimos, videlicet MARINUM epiſcopum Portuenſem Grimanum ad Chriſtianiſſimum regem, & JOHANNEM tituli S. Vitales preſbyterum Moronum ad Cæſarem, S. R. E. cardinales, pro unione inter eos concilianda ituros deſignavit. Gravius nihilominus in dies magis atque magis bellum inter ipſas majeſtates excitabatur.

MASSARELLUS.

Ceterum dum magis omnia per totum *Chriſtianum orbem bellis, ſimultatibus*, odiis, diſſenſionibus ardent, ecce lætiſſimus Dei omnipotentis bonitate dies advenit, in quo tandem pax & unio inter præfatos Cæſarem & Chriſtianiſſimas majeſtates conciliata eſt, die videlicet XVII. menſis Septembris, anno Domini MDXLIV. Cujus pacis nuncius cum primum ad pontificem, cum Peruſii commoraretur, allatus eſt, in magnam ſpem ſanctitas ſua devenit, poſſe etiam tandem

œcumenicum concilium, annuente Domino, celebrari. Deoque *in primis pro tanto* in Christianitatem collato beneficio gratias agendas esse constituit. Igitur die XI. Decembris dicti anni per Urbem & Christianum orbem preces publicas ad Deum offerri, ipsique gratias referri, ac processiones per tres continuos dies fieri nunciavit atque mandavit.

Præterea quoniam dicta pax eo majorem *lætitiam suæ sanctitati attulit*, quo magis in ea assequenda & procuranda per tot annos laboravit, & tam sollicitam curam adhibuerit; de hujusmodi sua exhilaratione ipsos principes certiores reddidit, missis ad eos ad hoc nunciis specialibus. Cum itaque impedimenta quæ concilii celebrationem antea retardare solebant, sublata essent, hac scilicet pace facta, consilium prophetæ sanctitas *sua sequens*, qui *cum nos* ad inquirendam pacem hortaretur, addidit, *& prosequere eam*, quam melius prosequi, quam per portam concilii cum non potuerit, sua sanctitas suspensionem concilii, quam anno antecedente Bononiæ decreverat, removit & tollit, summotamque atque remotam esse declaravit, necnon dominicam quartam in quadragesima tunc proxime futuram, diem videlicet quintam decimam mensis Martii anno Domini MDXLV. ad prosequendum concilium deputavit, publicata infra scripta bulla videlicet.

Bulla revocatoria suspensionis, & indictionis concilii in civitate Tridentina ad Dominicam Lætare MDXLV.

MASSARELLUS. PAULUS episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

CURTEMBROCHIUS. Lætare Jerusalem, & conventum facite omnes qui diligitis eam, gaudete cum lætitia, qui in tristitia fuistis, ut sugatis & satiemini ab uberibus consolationis ejus. Licet prophetæ verbis in hac nostra ingenti cumulataque lætitia, quam de conciliata nuper inter carissimos in Christo filios nostros CAROLUM imperatorem semper augustum, & FRANCISCUM Gallorum regem Christianissimum pace concordiaque concepimus, omnes qui diligunt eam frequentes ad concilium convocare, ut secundum prophetæ promissionem satiemur ab uberibus consolationis ejus. *Etsi enim non dubitamus hunc* sanctissimæ pacis nuncium omnium animos, qui rempublicam Christianam salvam cupiunt, ingenti gaudio exhilarasse, ea tamen res hoc nobis majorem lætitiam attulit, quo magis per tot annos, in hoc negotio componendarum controversiarum inter hos principes laboravimus, & in eo præcipuam curam adhibuimus. Nam cum iam inde ab initio nostri pontificatus, *magno cum animi* dolore prospiceremus, quæ mala ex intestinis Christianorum bellis evenirent, & quantus religionis contemtus in dies crescceret, nec contemtus *solum*, sed *tot* præterea *in* ea dissentiones, tot variæ opiniones & sectæ per omnes pene provincias Christiani orbis, cum incredibili animarum jactura spargerentur, quamque communis Christiani nominis hostis Turcarum tyrannus, hac potissimum occasione arrepta, viribus quotidie augeretur, ita ut propagatis finibus suis, magnam jam imperii Christiani partem occuparet, in id semper omni in primis conatu incubuimus atque intenti fuimus, ut pacis consilia inter hos duos potentissimos principes, qui secum reliquam fere orbis Christiani partem trahebant, agitaremus.

Nec vero hac sola pacis tractatione contenti fuimus, sed simul cum videremus discordias in religione subortas, non alio facilius remedio, quam œcumenico concilio posse sedari, & ad sanam concordiam posse perduci, semper quidem concilii celebrationem cum pacis negotio conjunximus, neque umquam sane destitimus, cum hortando, tum monendo, principum animos ad hæc conjunctim excitare: quorum in altero ita fuimus assidui & vehementes, ut neque litteris, neque nunciis quos frequenter hac de causa ad utrumque misimus, neque legatis e latere nostro profectis, neque demum nobis ipsis pepercimus. In altero vero sic omnes difficultates superare conati sumus, ut cum concilium semel atque iterum Mantuæ primum, ac deinde Vicentiæ indictum haberi, his de causis quas per alias nostras litteras tunc deinceps datas significavimus, non posset; tamen nullo impedimento, nulla ratione abduci nos a proposito nostro in tam sancto opere prosequendo passi sumus: sed semper magna spe insistentes, alio loco invento, ad unum concilii celebrandi finem, per multas difficultates licet contenderimus, donec, sicut Altissimo placuit, hic lætissimus dies illuxit, quo divino consilio ac beneficio, pace facta, erigi in magnam spem omnes decet, ut reipublicæ Christianæ res, quæ per bella attritæ, divulsæ, ac omnibus prope modis afflictæ erant, per concordiam jam curentur & instaurentur. Quare huc statim, hoc nuncio accepto, omnia nostra consilia direximus, partim instituturn nostrum in eo sequentes, qui ob hanc præcipue causam pacem *semper* optavimus, & quoad potuimus procuravimus; partim consilium prophetæ, qui cum nos ad inquirendam pacem hortaretur, statim adjunxit, *Et prosequere eam*. Nec vero nos posse melius vias pacis prosequi, quam per portam concilii nobis certo persuademus.

Itaque cum superiore anno œcumenicum & universale concilium per nostras litteras, *datas Romæ* XI. *cal. Junii anno* Incarnationis Dominicæ MDXLII. Tridenti ultimo loco convocassemus, & ad civitatem sta-

tuto tempore tres noſtros & apoſtolicæ ſedis legatos etiam deſtinaſſemus, qui epiſcopos & ceteros prælatos ad concilium venientes exciperent, ac reliqua quæ ad ipſius concilii celebrationem neceſſaria ſeu opportuna forent, curarent. Cumque hi in ea civitate ſeptem prope menſes expectando fere ſoli permaniſſent, paucis admodum comparentibus, propterea quod alii bellorum, alii itinerum pericula, alii alia impedimenta pro eorum excuſatione afferrent, inviti tunc nos quidem, ſed paterno tamen animo prælatorum conſcientiis conſulentes, & difficultatibus temporum cedentes, neceſſario inchoationem ipſam concilii diſtulimus, & in aliud opportunius tempus & commodius per nos declarandum ſuſpendimus. Datis demum ea de re litteris Bononiæ pridie nonas Julii, anno Incarnationis Dominicæ MDXLIII. non ceſſantes interim neque precibus ad Deum porrectis, neque iterata miſſione legatorum noſtrorum, paci ipſi, ut ſemper fecimus, ſtudere.

Poſtquam autem miſericors Deus ſua ineffabili pietate & clementia noſtras & eccleſiæ ſuæ preces exaudire, & pacis donum nobis gratiſſimum atque optatiſſimum largiri dignatus eſt, quo dono præter cetera ſublata incommoda, concilii quoque impedimenta remota ſunt, ut divinæ ejus majeſtati pro tali ac tanto beneficio ingentes gratias habuimus & habemus, ita etiam cunctandum non ſumus rati, quin ad tollendam concilii ſuſpenſionem properaremus: ſperantes cum Dei gratia omnes jam qui concilio ipſi intereſſe debent, promte ad locum deſtinatum acceſſuros, & operam pro ſe quiſque daturos, primum ut diſcordiæ in rebus religionis, quibus eccleſiæ unitas miſere in partes ſcinditur, penitus tollantur. Deinde ut ea quæ in populo Chriſtiano reformatione indigent, reformentur, & in meliorem formam reſtituantur. Poſtremo vero ut communi omnium conſilio atque auxilio aliqua expeditio decernatur, qua & ea a fidelibus recuperentur, quæ ab infidelibus occupata ſunt, & tot millia animarum, quæ quotidie ſub eorum jugo miſerabiliter pereunt, liberentur & ſalventur. Quorum trium capitum cauſa concilium maxime eſſe neceſſarium ſemper duximus.

Igitur cum impedimenta, quæ concilii celebrationem antea retardare ſolebant, ſublata ſint, & bonam ſpem habeamus, quod tam ipſe ſereniſſimus imperator & Chriſtianiſſimus rex, quam ceteri Chriſtiani reges & principes vel per ſeſe huic ſanctæ celebrationi ſint affuturi, vel ſaltem graves viros eorum legatos miſſuri. Habita ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum conſilio & aſſenſu, ſuſpenſionem prædictam per nos, ut præfertur, factam, apoſtolica auctoritate, tenore præſentium tollimus & removemus, ſublatamque ac remotam eſſe declaramus. Omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres noſtros patriarchas, archiepiſcopos & epiſcopos, quam dilectos filios abbates, & alios quoſcumque, quibus jure ac privilegio in conciliis generalibus reſidendi & ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt: requirentes & hortantes & admonentes, ut ad Dominicam IV. in quadrageſima proxime futura, quam tamquam diem lætitiæ ad proſequendum ipſum concilium deputavimus, ſub perjurii & aliis tunc in litteris indictionis expreſſis pœnis perſonaliter, niſi forte juſto detineantur impedimento, de quo fidem facere teneantur, aut eo caſu per ſuos legitimos nuncios & procuratores proſecutioni ipſius celebrationis concilii jam nunc faciendæ omnino adeſſe & intereſſe velint.

Inſuper dictum Carolum imperatorem & Franciſcum regem, necnon ceteros reges, duces & principes, quorum præſentiam hoc pacis tempore orthodoxæ fidei & Chriſtianorum ſaluti utilem fore ſperandum eſt, rogamus & in Domino obſecramus, quatenus ipſi perſonaliter, quod valde cupimus, alioquin per oratores ſuos idoneos huic ſacro concilio adeſſe, & uſque ad optatum ipſius finem aſſiſtere & favere velint, quo tutius & liberius, quæ ad tollenda in religione diſſidia, & ad reformandos Chriſtiani populi mores, necnon ad ſuſcipiendam ſub ſanctiſſimo crucis ſigno contra infideles expeditionem pertineant, Deo bene juvante, in dicto concilio conſuli & tractari, ac demum confici & ad optatum exitum perduci poſſint. Et ut præmiſſa omnia ad eorum quorum intereſt notitiam deducantur, nulluſque de eis ignorantiam juſte prætendere poſſit, aut ſe legitime excuſare: volumus & dicta apoſtolica auctoritate decrevimus, quod præſentes litteræ per aliquos curiæ noſtræ curſores vel notarios publicos in baſilica principis apoſtolorum de Urbe & eccleſia Lateranenſi, dum inibi multitudo populi ad audienda divina convenerit, palam & clara voce legantur, & lectæ in earumdem baſilicæ & eccleſiæ valvis, necnon in acie Floræ campi affigantur, ubi ad lectionem & notitiam cunctorum aliquandiu affixa pendeant. Et cum inde amovebuntur, earum exempla in eiſdem locis remaneant affixa; quodque earum tranſſumtis manu notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, certa & indubitata fides adhibeatur, prout præſentibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, requiſitionis, admonitionis, rogationis, obſecrationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu te-

merario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXLIIII. tertio decimo calendas Decembris, pontificatus noſtri anno XI.

Blo. & Fulgin.

B. Motà.

Fides publicationis ſupra ſcriptæ bullæ.

MASSARELLUS. Anno a nativitate Domini MDXLIV. indictione II. die vero trigeſima & ultima Novembris, pontificatus SS. in Chriſto patris & domini PAULI divina providentia papæ III. anno ejus XI. retro ſcriptæ litteræ indictionis, intimationis, annunciationis, convocationis, & obſecrationis concilii generalis, palam publice, alta, clara & intelligibili voce in Baſilica principis, apoſtolorum de Urbe, dum ibi divina officia celebrantur, & magna populi multitudo congregata eſſet, de verbo adverſum per me Johannem *Roillard* præfati SS. domini noſtri papæ curſorem, lectæ, & deinde affixæ, & publicatæ fuerunt & ſucceſſive eadem die in eccleſia S. Johannis Lateranenſis etiam de verbo ad verbum ſimiliter hora veſperorum per me eumdem Johannem lectæ, affixæ & publicatæ fuerunt. Et poſtmodum eadem die affixæ & publicatæ fuerunt in valvis ſeu portis cancellariæ apoſtolicæ, & in acie campi Floræ, dimiſſis in ſupraſcriptis locis per aliquod temporis ſpacium affixis & deinde amotis, copiam earumdem litterarum in quolibet loco ſupradicto affigendo & dimittendo per nos Petrum *Gomez* & Johannem *Roillard* prælibati SS. domini noſtri papæ curſores.

Ita eſt Petrus *Gomez* curſor.

Ita eſt Johannes *Roillard* curſor.

Ita eſt Theobaldus *Tallard* magiſter curſorum.

Delata ſuſpenſione ſupra ſcripta, & appropinquante concilii jam indicti tempore, & ſanctitas ſua quæ, ætate jam ingraveſcente & aliis multis occupationibus impedita, ad dictam civitatem Tridentinam perſonaliter accedere, ac ipſi concilio intereſſe, juxta deſiderium ſuum nequibat, nolens ipſam concilii celebrationem ex ſua abſentia impediri aut retardari, tres de latere legatos die ſexta menſis Februarii, anno Domini MDXLV. in ſacro ſenatu creavit reverendiſſimos ſcilicet JOHANNEM MARIAM epiſcopum Prænestinum de Monte & MARCELLUM tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem preſbyterum, Cervinum ac REGINALDUM S. Mariæ in Coſmedim diaconum Polum, S. R. E. cardinales, cum plena, libera ac omnimoda legatorum de latere poteſtate, ut ſuæ ſanctitatis & ſanctæ ſedis apoſtolicæ nomine concilio ipſi præſiderent, prout latius in litteris apoſtolicis infra ſcriptis videlicet.

Bulla mandati apoſtolici in perſonam reverendiſſimorum præſidentium ſacri concilii Tridentini.

MASSARELLUS. CURTEMBROCHIUS. PAULUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri JOHANNI MARIÆ epiſcopo Prænestino, & dilectis filiis Marcello titulo S. Crucis preſbytero & REGINALDO S. Mariæ in Coſmedim diacono S. R. E. cardinalibus S. & A. B.

Univerſalis gregis dominici curam nobis licet inſufficientibus ſuperna diſpoſitione commiſſam utiliter gerere cupientes, ſingulis Chriſtianæ reipublicæ occurrentibus, quibus debitum apoſtolicæ ſervitutis nos ipſi perſonaliter præſtare non poſſumus, viros proponimus virtute, doctrina & auctoritate pollentes, quorum operatione miniſterium nobis commiſſum divina aſſiſtente gratia utiliter exequi valeamus. Cum itaque nos alias ſperantes, quod in rebus religionis diſcordiæ, quibus eccleſiæ unitas ſcindebatur, penitus tollerentur, & oves errantes ad ovile dominicum reducerentur, ac ea quæ in populo Chriſtiano reformatione indigebant, reformarentur in melius, & in meliorem formam reſtituerentur. Necnon communi omnium conſilio & auxilio aliqua expeditio decerneretur, qua & ea fidelibus recuperarentur, quæ ab infidelibus occupata erant, & tot millia animarum quæ quotidie ſub eorum jugo miſerabiliter peribant, liberarentur & ſervarentur, ſuſpenſionem celebrationis ſacri œcumenici & univerſalis concilii dudum antea per nos in civitate Tridentina ex cauſis tunc expreſſis, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium conſilio & aſſenſu indicti, ex certis aliis etiam tunc expreſſis cauſis, uſque ad aliud opportunius & commodius tempus per nos declarandum, ſimili conſilio & aſſenſu factam, accepto nuncio pacis inter cariſſimos in Chriſto filios noſtros CAROLUM Romanorum imperatorem ſemper auguſtum & FRANCISCUM Francorum regem Chriſtianiſſimum conciliatæ, pari conſilio & aſſenſu ſuſtulerimus & amoverimus, prout in aliis noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Noſque ætate noſtra jam valde ingraveſcente, & aliis multipliciter impediti, ad dictam civitatem ad præſens perſonaliter accedere, & ipſi concilio juxta deſiderium cordis noſtri intereſſe nequimus. Nolentes tam ſanctum celebrationis concilii hujuſmodi initium ex noſtra abſentia impediri, vos fide ferventes, doctrina & probitate conſpicuos, ac prudentia & rerum experientia inſignes, cum plena & libera ad omnimoda legatorum de latere poteſtate ad ſpeciali & expreſſo mandato, necnon ratihabitionis & aliis clauſulis in ſimilibus apponi ſolitis, de ſimili eorumdem fratrum noſtro-

rum consilio, nostros & apostolicæ sedis legatos de latere apostolica auctoritate tenore præsentium constituimus & deputamus, vosque ad dictam civitatem Tridentinam pro concilio hujusmodi celebrando tamquam pacis angelos destinamus. ac vobis, aut uno ex vobis legitimo impedimento detento, vel absente, duobus ex vobis, nomine & auctoritate nostris, ipsi concilio præsidendi, ac in illo pro vestra pietate & sapientia, ea omnia quæ in præmissis & circa ea necessaria, & alias quomodolibet opportuna esse, ac alias ad laudem & honorem Dei pertinere noveritis, etiamsi magis speciale mandatum exigant, juxta formam litterarum indictionis nostræ, faciendi & exercendi plenam, liberam auctoritate prædicta tenore præsentium concedimus potestatem & auctoritatem. Quocirca circumspectioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus injunctum vobis munus hujusmodi ita implere studeatis, ut sperati fructus inde proveniant, vosque a nobis commendationem, & a Deo bonorum operum retributore felicitatis æternæ gloriam consequi valeatis. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ MDXLIV. octavo calendas Martii pontificatus nostri anno XI.

Blosius & Fulgin.

Comparitio D. Didaci a Mendocia oratoris Cæsarei in concilio Tridentino.

CURTEMBROCHIUS.

In Christi nomine. Amen. Anno nativitatis ejusdem MDXLV. indictione III. die Jovis VI. mensis Martii, existentibus reverendissimis dominis JOHANNE MARIA episcopo Prænestino de Monte, & MARCELLO titulo S. Crucis in Jerusalem presbytero, cardinalibus & apostolicis legatis ad præsidendum concilio in civitate Tridenti celebrando, a SS. D. N. PAULO divina providentia papa III. missis, in domo nunc residentiæ, præfati reverendissimi cardinalis de Monte in ipsa civitate Tridenti, ubi reverendissimi domini cardinales prædicti convenichant, in aula ipsius domus, publice januis patentibus, in quo loco aderant multi prælati, proceres & nobiles, comparuit illustris dominus Jacobus Hurtadus de Mendocia, consiliarius & orator Cæsareus, dirigens sua verba ad ipsos reverendissimos cardinales, loquutus est in hunc sensum.

Superiore anno illustrissimi & amplissimi patres, cum esset, &c. *ut apud Labbeum tom. 14. concil. pag.* 1012.

Quibus dictis, petiit præfatus D. orator lectionem fieri mandati sui Cæsarei, vigore cujus dixit se comparere. quod quidem mandatum fuit lectum, cujus tenor sequitur & est talis.

CAROLUS V. divina favente clementia Romanorum imperator augustus ac rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Jerusalem, Dalmatiæ, Croatiæ, Insularum Balearium, Sardiniæ, Fortunatarum & Indiarum, ac terræ fermæ maris oceani, &c. *ut apud Rainaldum ad annum* 1546. *n.* 52.

Reverendissimi domini cardinales auditis & sane intellectis propositione præfati illustrissimi domini oratoris, & mandato cæsareo in ejusdem persona facto, dixerunt, habito mandati & propositionis exemplo, se deliberaturos, & die crastina condignum dare responsum.

Præmissis omnibus fuerunt præsentes reverendi, & venerabiles, generosi, nobiles, ac magnifici, dominus, episcopus Ampuriensis, dominus dom-Johannes de *Varraiz* prior de *Arquedas*, dominus Simon de Tono canonicus Tridentinus, dominus Franciscus de Castro-alto eques auratus, ac Tridenti capitaneus, dominus Lucas de Tono, dominus Hiliprandus Madrucius, dominus Petrus Foschirus, doctor & prætor Tridentinus, dominus Antonius Queta doctor & comes, dominus Gaspar Brugnolus, & dominus Franciscus Alexandrinus doctor, reverendissimi & illustrissimi domini cardinalis Tridentini consiliarius, & alii quamplurimi.

Die Veneris XXVII. mensis Martii anno antedicto, & in loco de quo ante, convenerunt reverendissimi prænominati domini cardinales, responsumque ad ea quæ hesterna die per illustrissimum oratorem cæsareum proposita fuere, dederunt in hunc sensum & verba, per reverendissimum dominum cardinalem de Monte, ex scriptura in ejus manibus existente, lecta & recitata, in præsentia etiam antedictorum prælatorum, procerum, & nobilium.

Quæ nobis hæsterna die, illustrissime domine de invectissimi imper. &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1545. *n.* 5.

Illustris cæsareæ majestatis orator responsionem auditam ratione admissionis mandati & aliorum concernentium favorem jurium omnium suæ majestatis acceptavit, reliqua vero, si qua forent, quæ juribus & auctoritatibus augustalibus contraveniant, se reiicere dixit; reservavitque sibi jus latius replicandi, & si oportunum fuerit iterum comparendi, & in ecclesia Tridentina vel alio quotcumque loco & tempore magis idoneis hunc eumdem actum rursus repetendi, & quæcumque jura quomodolibet competentia deducendi & providendi dicto Cæsareæ majestatis nomine.

Deinde quoniam de præmisso actu hesterna die ad præfatorum dominorum cardinalium præsentiam per eumdem observato non aderant, neque fuerunt rogati omnes infrascripti notarii, sed unus eorum tantum, videlicet Dominicus *de Gaztelu*, illustrissimus orator dixit se paratum esse comparitionis hesternæ rursus actum repetere; obtulitque exemplum

exemplum comparitionis, & mandatum legendum, ſi placeret eiſdem reverendiſſimis dominis; ſin minus, ut pro repetito haberi velint eumdem actum. reverendiſſimi vero cardinales accepto in manibus mandato ſimul cum exemplo comparitionis heſternæ, tam mandatum quam comparitionem agnoverunt pro iiſdem quæ heſterno die coram ipſis lecta fuerunt, pro repetitis habuerunt, ac ſi nunc rurſus omnia acta eſſent.

Quo reſponſo per dominum oratorem audito, dominatio ſua petiit & rogavit de omnibus, tam quæ de heſterna, quam quæ hodie acta fuerunt, ſimul per nos notarios infraſcriptos authenticum inſtrumentum fieri, reproducendo dictum mandatum ac comparitionem, & alia per ſuam dominationem obſervata, rogando etiam ſupra nominatos, ut teſtes eſſe velint.

Reverendiſſimus dominus cardinalis de Monte una cum reverendiſſimo domino ſuo collega ſimiliter jus reſpondendi, & alia quæcumque jura proponendi, deducendi, &c. dicto nomine reſervarunt, nullum per præmiſſa omnia & ſingula juribus & auctoritati ſedis apoſtolicæ & ſanctiſſimi domini papæ præjudicium inferri proteſtantes.

Mandatum regis Romanorum.

FERDINANDUS divina clementia Romanorum rex ſemper auguſtus ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. rex, infans Hiſpaniarum, archidux Auſtriæ, dux Burgundiæ, &c. marchio Moraviæ, &c. comes Tyrolis, &c. recognoſcimus, & notum facimus tenore præſentium univerſis, quoniam beatiſſimus in Chriſto pater & dominus PAULUS ejus nominis tertius, divina providentia ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ pontifex maximus, animadvertens indictionem concilii œcumenici & univerſalis in civitate Tridentina celebrandi ſuperiori tempore factam, propter quaſdam cauſas optatum effectum, progreſſum & exſequutionem habere non potuiſſe, ubi aliquandiu illius celebrationem ob id ſuſpenſam tenuiſſet: tandem ea ſuſpenſione ejecta & ſublata, eamdem celebrationem & concilii œcumenici & univerſalis proſequutionem in dicto loco Tridentini denuo inſtituerit, induxerit, & publicaverit, miſſis ad nos jam pridem ea de re & nunciis & litteris, quibus nos hortatus eſt & rogavit, ut nos quoque ad hujuſmodi denuo inſtitutum concilii œcumenici & univerſalis celebrationem & proſecutionem perſonaliter vel per oratores noſtros idoneos comparere, eidemque adeſſe & adſiſtere vellemus; nobiſque nihil magis in votis ſemper fuerit, & nunc quoque ſit, quam ut per hujuſmodi œcumenici & univerſalis concilii celebrationem univerſus Chriſtianus orbis ad ſalutarem, firmam & perpetuam fidei & religionis noſtræ Chriſtianæ unitatem & concordiam reducatur. Inpræſentiarum autem plurimis graviſſimiſque reipublicæ Chriſtianæ negotiis tractandis occupati, ad dictum concilium præter voluntatem & deſiderium noſtrum comparere non poſſumus. Idcirco providere volentes, ut oratores & commiſſarii noſtri ad dictum concilium deputati ejus celebrationi ſufficienti à nobis facultate & mandato ſuffulti, nomine noſtro intereſſe queant, confiſi de ſingulari in fidem & religionem Chriſtianam pietate, atque de eruditione, prudentia, & plurimarum maximarumque rerum experientia venerabilium devotorum WOLPHANGI epiſcopi Patavienſis principis, & FEDERICI epiſcopi Viennenſis concionatoris noſtri, necnon Franciſci de Caſtelalto comitatus noſtri Tyrolenſis generalis capitanei, & honorabilium Johannis Cochlæi ſacræ theologiæ, & Antonii Quelta utriuſque juris doctorum conſiliariorum noſtrorum fidelium, nobis dilectorum, eoſdem conjunctim & ſeparatim, ſolemniter & ex certa animi noſtri ſententia, ac omnibus melioribus modo, via, jure, cauſa, forma & ordine, quibus validius & efficacius poſſumus & debemus, commiſſarios, nuncios, mandatarios & procuratores noſtros, citra tamen aliorum mandatariorum & procuratorum noſtrorum conſtitutorum vel conſtituendorum revocationem & præjudicium, facimus, deputamus, conſtituimus, & ordinamus, dantes & concedentes eiſdem, & eorum cuilibet in ſolidum, plenam & omnimodam facultatem & poteſtatem, ac amplum & liberum mandatum, ut nomine noſtro in dicto concilio comparere, omnibus ſeſſionibus locum noſtrum obtinere, conſultationibus, tractationibus & actibus omnibus adeſſe & intereſſe, conſilium, votum, & decretum nomine noſtro dare, ferre, & interponere, aliaque omnia & ſingula agere, tractare, exercere, concludere & determinare poſſint & debeant, & quilibet ipſorum poſſit & debeat, quæ ad conſtituendam veræ fidei concordiam & unionem, atque reipublicæ Chriſtianæ commune bonum & commodum promovendum, facere, dicere, agere, tractare, exercere, concludere, & determinare poſſimus, ſi præmiſſis omnibus & ſingulis perſonaliter intereſſemus, etiamſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt expreſſum: promittentes in verbo noſtro regio, nos totum id & quidquid per dictos oratores & commiſſarios & mandatarios noſtros modo præmiſſo dictum, actum, geſtum, factum & procuratum fuerit, ratum, gratum, firmum & validum habituros eſſe, dolo & fraude poſtpoſitis penitus & ſemotis, teſtimonio litterarum ſigilli noſtri appenſione munitarum. Datum in noſtra & imperiali civitate Wormatiæ die XXIII. menſis Aprilis,

anno Domini MDXLV. regnorum noſtrorum Romani XV. aliorum vero XI.

FERDINANDUS.

Ad mandatum ſacræ regiæ majeſtatis proprium *Juſtus de Argento.*

MASSARELLUS. Præterea ne tam ſanctum tamque neceſſarium celebrationis concilii hujuſmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impediretur, ſanctitas ſua ſupradictis reverendiſſimis legatis quandocumque ipſi viſum fuerit, concilium prædictum de eadem civitate Tridentina ad quamcumque aliam commodiorem & opportuniorem, ſeu tutiorem civitatem, de qua etiam eis viſum fuiſſet, transferendi & immutandi, ac ipſum concilium in civitate ipſa Tridentina ſupprimendi, eidemque ſic tranſlato concilio præſidendi poteſtatem & auctoritatem conceſſit, editis ſuper his litteris ſub *dat. Romæ, octavo calendas Martii, anni Domini ſubſcripti*: quarum litterarum apoſtolicarum tenor ſequitur, & eſt talis videlicet:

Bulla poteſtatis transferendi concilium ex Tridento ad quamcumque aliam civitatem, ſub dat. Romæ MDXLIV.

PAULUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri JOHANNI MARIÆ Prænestino, & dilectis filiis MARCELLO tituli S. Crucis in Jeruſalem preſbytero, ac REGINALDO S. Mariæ in Coſmedin diacono cardinalibus, noſtris & apoſtolicæ ſedis legatis de latere, S. & A. B.

Reginimi univerſalis eccleſiæ, meritis licet imparibus, diſponente Domino, præſidentes, noſtri officii partes eſſe putamus, ut ſi quid gravis cauſa reipublicæ Chriſtianæ conſtituendum ſit, id non modo tempore opportuno, verum etiam loco commodo & idoneo perficiatur. Cum itaque nos nuper poſtquam ſuſpenſionem celebrationis ſacri œcumenici & univerſalis concilii alias per nos in civitate Tridentina, ex cauſis tunc expreſſis, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium conſilio & aſſenſu indicti, ex certis aliis etiam tunc expreſſis cauſis uſque ad aliud opportunius & commodius tempus per nos declarandum, de ſimili conſilio & aſſenſu factam, audita pace inter catiſſimos in Chriſto filios noſtros CAROLUM Romanorum imperatorem ſemper auguſtum, & FRANCISCUM Francorum regem Chriſtianiſſimum conciliata, pari conſilio & aſſenſu ſuſtuleramus & amoveramus; nequeuntes ipſi tunc legitime impediti ad dictam civitatem perſonaliter accedere, & eidem concilio intereſſe, vos noſtros & apoſtolicæ ſedis legatos de latere in eodem concilio, de ſimili conſilio conſtituerimus & deputaverimus, voſque ad eam civitatem tamquam pacis angelos deſtinaverimus, ut in diverſis noſtris deſuper confectis litteris plenius continetur. Nos ne tam ſanctum celebrationis concilii hujuſmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportune providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, parique conſilio & aſſenſu, vobis inſimul ac duobus ex vobis, reliquo legitimo impedimento detento, ſeu inde forte abſente, quandocumque vobis videbitur, concilium prædictum de eadem civitate Tridentina ad quamcumque aliam commodiorem & opportuniorem, ſeu tutiorem civitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi, & mutandi, ac illud in ipſa civitate Tridentina ſupprimendi & diſſolvendi; necnon prælatis & aliis perſonis concilii hujuſmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta civitate Tridentina procedant, etiam ſub cenſuris & pœnis eccleſiaſticis inhibendi, ac idem concilium in alia civitate hujuſmodi ad quam illud tranſferri & mutari contigerit, continuandi, tenendi & celebrandi, & ad illud prælatos & alias perſonas concilii Tridentini hujuſmodi, etiam ſub perjurii & aliis in litteris indictionis concilii hujuſmodi expreſſis pœnis evocandi: eidemque ſic tranſlato & mutato concilio nomine & auctoritate prædictis præſidendi, ac in illo procedendi, ceteraque in præmiſſis & circa ea neceſſaria & opportuna, alias juxta priorum vobis directarum *litterarum continentiam & tenorem*, faciendi, ſtatuendi, ordinandi, & exequendi plenam & liberam apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus poteſtatem & facultatem, ratum & gratum habituri, quidquid per vos in præmiſſis factum, ſtatutum, ordinatum, exſecutumve fuerit, idque facturi, auctore Domino, inviolabiliter obſervari. Nonobſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis MDXCIV. octavo calendas Martii, pontificatus noſtri anno XI.

Fab. epiſcopus Spoletanus.

B. de Motta.

Qui quidem prædicti reverendiſſimi domini legati, die Dominica, XXII. ſcilicet Februarii, ejuſdem anni MDXLV. a nativitate Domini, peractis in ſacello pontificio de more ſacris, crucem ſecundum morem legatorum a ſua ſanctitate acceperunt, & deinde a ceteris omnibus reverendiſſimis dominis cardinalibus extra portam S. Petri civi-

tatis Leoninæ, comitati fuerunt; cardinalisque ipse sanctæ Crucis die XXIII. cardinalis vero de Monte XXIV. dicti mensis, *ex Urbe* recedentes, Tridentum versus iter arripuerunt; reverendissimus autem cardinalis Polus ob nonnullas rationabiles causas Romæ per aliquot dies immoratus est. At reverendissimi ipsi domini cardinales de Monte & sanctæ Crucis iter suum sequentes Tridentinam civitatem die XIII. mensis Martii præfati anni publice & solemniter legatorum more intrarunt, ubi a reverendissimo domino Christophoro cardinali Tridentinæ civitatis episcopo, maximo cum honore & reverentia excepti fuerunt.

Adveniente autem Dominica IV. quadragesimæ, quæ dicitur *Lætare*, quæ constituta fuerat pro inchoatione & apertione ipsius concilii, cum eo tempore in ea civitate Tridentina non esset, nisi ipsi reverendissimi *domini apostolici legati & præsidentes*, cum uno tantum episcopo, Feltrensi scilicet, comparuissent, & præsentes pro hujusmodi concilii celebratione fuissent, concilii ipsam inchoationem & aperitionem differri & prorogari oportuit. Hoc vero interim cum videret sanctitas sua, paucos admodum prælatos ad dictam Tridentinam civitatem adventare, aliosque alia impedimenta ad se excusandos afferre, plurimosque etiam nullis forsan obstrictos impedimentis, procurationes & mandata & alios episcopos fecisse, ne concilium ipsum ex frequentia prælatorum, vel retardaretur, vel minoris fieret existimationis, cum si umquam antea eo præsertim tempore prælatorum in concilio præsentia maxime necessaria esset, sanctitas sua inhibuit, ne aliquis per procuratorem in dicto *concilio comparere posset*, publicavitque bullam super hoc tenoris infrascripti, videlicet:

Bulla per quam inhibetur prælatis, ne compareant in concilio per procuratorem.

PAULUS episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Decet nos a cœlesti patrefamilias vineæ suæ excolendæ præfectos, more diligentis villici, qui singula quæque in agro suo peragenda, *non solum opportunis* loco & tempore, verum etiam per ministros ad id idoneos expedire curat, diligenter intendere, ut quæ in eadem vinea pro tempore facienda occurrunt, tum congruis loco & tempore, tum etiam per ministros, ad quos ea spectant, sollicite procurentur. Dudum siquidem sperantes ex celebratione œcumenici & generalis concilii fieri posse, ut dissidia in religione Christiana tollerentur, & Christiani populi mores reformarentur, ac sub sanctissimo *crucis vexillo* expeditio contra infideles susciperetur, sacrum œcumenicum & generale concilium in civitate Tridentina indicendum & prosequendum indiximus, & annuntiavimus, ac omnes omnibus ex locis *tam venerabiles fratres nostros patriarchas*, archiepiscopos & episcopos, quam dilectos filios abbates & alios quoscumque, quibus jure aut privilegio in conciliis generalibus residendi, & sententias in eis dicendi potestas permissa est, requisivimus, hortati fuimus, & monuimus, eis nihilominus in vi juramenti quod nobis & huic sanctæ sedi præstiterunt, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis jure aut consuetudine in celebrationibus conciliorum adversus non accedentes ferri & proponi solitis, mandantes arctèque præcipientes, ut ipsimet personaliter, nisi forte justo detineantur impedimento, de quo fidem facere tenerentur, aut eo casu per suos procuratores legitimos & nuncios prosecutioni celebrationis concilii hujusmodi omnino adesse & interesse vellent, prout *in diversis nostris desuper confectis litteris* plenius continetur.

Cum autem, sicut nobis nuper innotuit, licet IV. Dominica quadragesimæ, quam tamquam diem lætitiæ ad prosequendum concilium hujusmodi deputaveramus, jam diu effluxerit, nihilominus præter nostros & dictæ sedis legatos & quosdam prælatos, qui ex curia Romana illuc se contulerant, pauci adhuc prælati ad dictam civitatem accesserint: quin immo fide dignorum relatione accepimus, quamplures ex prælatis & aliis in conciliis generalibus vocem habentibus, non reminiscentes, quod ipsi, ubi aliquo legitimo juris impedimento non detineantur, per seipsos & non per procuratores in concilio comparere, & illius prosecutioni interesse debent, propterea quod mandata ad *inibi pro se comparendum aliis dederint*, ad concilium hujusmodi accedere non curare. Nos attendentes gravitatem negotiorum, quæ in eodem concilio tractanda erunt, prælatorum & aliorum vocem habentium hujusmodi judicium, consilium & præsentiam exigere; & propterea ne sub prætextu alicujus forsitan minus legitimi impedimenti, aut ferè spei eorum admissionis per procuratorem, ipsi ab accedendo ad ipsum concilium retrahantur, & ut absque aliqua corruptela singulorum prælatorum, ac aliorum, ut præfertur, vocem habentium, judicia & consilia hujusmodi in eodem concilio libere exquiri & haberi possint, providere volentes; habita desuper cum venerabilibus fratribus nostris sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio & assensu, eosdem patriarchas, archiepiscopos, episcopos & abbates & alios, quibus in conciliis generalibus residendi, & in eis sententias dicendi, ut præmittitur, permissa est potestas, de novo monemus, & hortamur, ac in Domino requirimus, eisque non solum sub perjurii & aliis pœnis prædictis,

verum etiam ſuſpenſionis a regimine & administratione eccleſiarum quibus præſunt, & aliarum dignitatum ceterorumque beneficiorum eccleſiaſticorum, quorum ratione eis locus in concilio & poteſtas ſententias in eodicendi permittitur, per eos attentorum, necnon interdicti ingreſſus eccleſiæ, ſententiiſque per eos, niſi præſentibus cum effectu paruerint, eo ipſo incurrendis, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus mandatis procurationum per eos hactenus, ut præfertur, factis, vel in poſterum faciendis: quæ omnino revocare, & eorum revocationem procuratoribus per eos conſtitutis, aut in concilio hujuſmodi minime attentis, ipſimet perſonaliter per ſe ipſos, & non per procuratorem aut procuratores, niſi forte juſto detineantur impedimento. quo caſu procuratorem ad ſe in eodem concilio excuſandum, & de eorum impedimento fidem legitimam faciendam: ita tamen, quod eodem impedimento ceſſante, ipſi perſonaliter, & non per procuratorem aut procuratores ad hæc omnino teneantur, conſtituere poſſint, quanto citius poterint, ad eamdem civitatem Tridentinam accedere, & proſecutioni celebrationis concilii hujuſmodi adeſſe & intereſſe velint, nec mandata procurationum pro aliquibus prælatis aut aliis vocem, ut præfertur, habentibus, niſi juſto impedimento detineantur; & tunc ad eorum impedimenta dumtaxat deducendum & probandum, recipere aut acceptare præſumant. Nos enim omnia & ſingula mandata per eoſdem prælatos & alios, ut præfertur, vocem habentes, ad aliud quam eorum juſtum impedimentum in concilio hujuſmodi allegandum & probandum hactenus facta, & in poſterum facienda; nulla, irrita, inania, nulliuſque roboris vel momenti fore, ac ſolum per prælatos & alios vocem, ut præfertur, habentes, in dicto concilio præſentes, & pro ipſis dumtaxat & non aliis, etiamſi ab eis mandata cum quocumque etiam plena & libera facultate & poteſtate habuerint, vocem in dicto concilio habere, ſicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi auctoritate & facultate, judicari & interpretari debere. Et quicquid ſecus ſuper his a quolibet quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decrevimus: nonobſtantibus quibuſvis conceſſionibus, indulgentiis, & litteris apoſtolicis, & quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis irritantibus & aliis decretis quomodolibet, etiam motu proprio conceſſis, & etiam iteratis vicibus, approbatis & innovatis, contrariiſque quibuſcumque, aut ſi patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & aliis ſub præſentibus litteris comprehenſis, communitet vel diviſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdiu ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Ut autem præmiſſa omnia ad eorum quorum intereſt notitiam deducantur, nulluſque de eis ignorantiam juſte prætendere poſſit, volumus & apoſtolica auctoritate decernimus, quod præſentes litteræ per aliquos curiæ noſtræ curſores vel notarios publicos in baſilica principis apoſtolorum de Urbe, & eccleſia Lateranenſi, dum ibi multitudo populi ad divina audienda convenerit, palam & clara voce legantur, & lectæ in eorumdem baſilicæ & eccleſiæ ac cancellariæ apoſtolicæ valvis, necnon in acie campi Floræ affigantur, ubi ad lectionem & notitiam eorum aliquandiu affixæ pendeant, & cum inde amovebuntur, eorum exempla in eiſdem locis remaneant affixa, quodque eorum tranſſumptis manu notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis certa & indubitata fides adhibeatur, prout præſentibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ monitionis, hortationis, requiſitionis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ MDXLV. decimo calendas Maii pontificatus noſtri anno XI.

Fab. epiſcopus Spoletanus.

B. Motta.

Cum autem, ut ſupra dictum eſt, conciſium in dicta dominica quarta quadrageſimæ propter cauſas ſupradictas inchoari & aperiri non potuerit; ejus inchoatio ſive aperitio uſque ad diem tertiam decimam menſis Decembris, quæ fuit dominica III. adventus Domini, in qua per eccleſiam in introitu miſſæ decantatur, *Gaudete*, anno Domini MDXLV. prorogata fuit, quam diem ſanctitas ſua tamquam ſimilem ei, ad quam prius ipſius concilii inchoatio indicta fuerat, nempe dominicam *Lætare*, delegit & deputavitutque tam ſanctum opus felix initium ad Dei omnipotentis gloriam & honorem ſumeret, ſanctitas ſua generales ſupplicationes & preces altiſſimo Deo fundendas per univerſum chriſtianum orbem indixit & annuntiavit, publicata bulla tenoris infra ſcripti videlicet.

Bulla indictionis ſupplicationum ſeu proceſſionum per univerſum orbem Chriſtianum pro celebratione ſacri œcumenici concilii, cum hortatione ad jejunium & communionem, & plenaria indulgentia.

CIRTENBROCHIUS MASSARELLUS. PAULUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad futuram rei memoriam.

Cum prophetæ vox noſtris in auribus jugiter inſonet *Clama ne ceſſes*, idque præcipuum munus ex onere noſtris injuncto humeris, licet his impari, nobis incumbere agnoſcamus, ipſa præſertim temporum calamitate, ac hæreſim undique poſtulantium pernicie, in intimis adeo pulſamur præcordiis, ut nobis ipſis pro ſancta univerſali eccleſia, ac dominici gregis noſtræ curæ crediti ſalute, numquam ſatis operæ, laboris ac ſollicitudinis adhibere poſſe videamur. Tot igitur ac tantis turbinibus aliquando ſedandis nullum æque ſalutiferum, ac præſentiſſimum remedium comperiri ſemper exiſtimavimus, quam ſanctiſſimi œcumenici concilii celebrationem indicere, ad ſananda ſcilicet catholicæ eccleſiæ vulnera, ab impiis infidelibus reprobiſque hæreticis eidem inflicta.

Una igitur hac ratione ſanctiſſimam ſynodum a nobis Tridenti jam dudum indictam, hodierna luce aperiri mandavimus; eam fine optato, Spiritu-ſancto adjuvante, concluſam iri, & optatam orbi chriſtiano ſalutem allaturam, denique ſperantes. Oecumenicum autem cum ſit concilium hoc, decet a cunctis fidelibus humili & contrito corde devotiſque precibus celebrari, ut quos adeſſe coram opus fuerit, ii multorum orationibus adjuti, gratius in rebus catholicæ fidei, dictæque univerſalis eccleſiæ reformationis ibi peragendis omnipotenti Deo exhibere valeant obſequium.

Quamobrem omnes Chriſti fideles hujuſmodi hortamur, ac in Domino requirimus, ut poſteaquam hæ noſtræ litteræ ad eorum manus pervenerint, & per locorum ordinarios publicatæ fuerint, diligenti peccatorum ſuorum perſcrutatione & examine præviis, ſe ad eorum confeſſionem, in hebdomada earumdem litterarum publicationem immediate ſequenti, de more eccleſiæ ſubeundam præparent, & illa confiteantur, quartaque ac ſexta feria ipſius hebdomadæ, necnon die ſabbati jejunent. dominica vero die proxime ſequenti, ſacratiſſimam corporis domini noſtri JESU CHRISTI euchariſtiam ſumant, Deum ex intimis cordis pro Chriſtianorum omnium pace, & pro ſalutifero & tranquillo ac fructuoſo ejuſdem ſacroſancti œcumenici concilii progreſſu & proſecutione orantes. ac ut præfatos Chriſti fideles ad hoc etiam præmiis cœleſtibus invitemus, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ipſis, qui præmiſſa adimpleverint, & proceſſionibus ac ſupplicationibus quarta & ſexta feriis ac ſabbati die prædictis, eo ordine, qui in alma urbe noſtra Romæ obſervatus extitit publice habendis, interfuerint, aut qui adverſa valetudine ſeu alio impedimento detenti ac abbatiſſæ, prioriſſæ & monaſteriorum quorumcumque moniales, etiam ſub clauſura exiſtentes, & eiſdem proceſſionibus intereſſe nequeuntes, ſi eleemoſinam juxta eorum devotionem & facultatem alicui pauperi Chriſti pie fuerint elargiti, aut inopes extiterint, dominicam orationem cum ſalutatione angelica quinquies recitaverint, & præmiſſorum loco pias ad Deum preces devote effuderint, eiſdem omnipotentis Dei benignitate ac miſericordia, beatorumque ejus apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate freti, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum veniam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus & largimur.

Et ut hæc omnia ad plurium notitiam pervenire valeant, ſimulque Deus ipſe miſericors a quamplurimis exoretur, omnibus patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis eccleſiarum prælatis, ut quamprimum eædem præſentes litteræ ad eorum manus pervenerint, eas ſeu earum tranſumtum manu alicujus prælati ſeu perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ ſubſcriptum, ubique per eorum provincias, eccleſias, civitates & diœceſes abſque ullo quæſtu, cum gratiis, conceſſionibus & indulgentiis ibidem contentis gratis publicari faciant, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, & aliis contrariis nonobſtantibus quibuſcumque.

Volumus autem quod hujuſmodi proceſſiones & ſupplicationes unica tantum vice in civitatibus, terris, caſtris & locis, & in eccleſiis, in quibus præcipua animarum cura injuncta reperitur, dumtaxat fiant & habeantur, præſentibus poſtquam in urbe ac provinciis, eccleſiis, civitatibus & diœceſibus prædictis publicatæ fuerint, ac quarta & ſexta feria & dies ſabbati hujuſmodi prærierint minime valituris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis dominicæ MDXLV. idus Decembris pontificatus noſtri anno XII.

L. de Torres.
B. Motta.

ALTARE.
Præ
tiden
tes.
Cantores in sublimi.
Cele-brans.
Capellani eorum.
Cardinales.
Facies Concilii tempore Sessionis.
Archiepiscopi. A.
Episcopi. D.
Episcopi. G.
Episcopi. C.
Episcopi. F.
Episcopi. I.
Archiepiscopi. B.
Episcopi. E.
Episcopi. H.
Doctores. N.
Doctores. P.
Nobiles. K.
Doctores. M.
Doctores. O.
Nobiles. L.
Cursores.
Pergula.
Cursores.
Locus promiscuus vulgi & famulorum.
Custodes ad januam.

APERITIO CONCILII TRIDENTINI

MDXLV. XIIII. Decembris.

Breve aperitionis concilii.

CURTENBROCHIUS. PAULUS papa III. venerabilis frater, & dilecte fili, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Anno ſuperiore ſecuta Dei munere pace inter ſereniſſimum Cæſarem & regem chriſtianiſſimum, nos ſperantes concilium univerſale celebrari poſſe, ejuſdem concilii ſuſpenſionem ſuſtulimus, illudque in dominica *Lætare* proxime præterita inchoandum eſſe decrevimus. Cum autem ob ſubſecutas poſtea juſtiſſimas illas quidem & ipſammet religionem concernentes rationes & cauſas, ipſam celebrationem in hanc uſque diem diſtulerimus, & inſuper ipſis cauſis ceſſantibus, ipſum concilium in dominica *Gaudete*, tertia præſentis adventus, aperiendum, inchoandum, & proſequendum eſſe, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. cardinalium conſilio, decreverimus, id vobis per præſentes noſtras ſignificare voluimus; vobis injungentes, ut ad apertionem, & inchoationem, proſecutionemque dicti concilii in dicta tertia dominica præſentis adventus, juxta formam litterarum noſtrarum indictionis, ac facultates vobis deſuper a nobis conceſſas, in Dei omnipotentis nomine procedatis; præmiſſis decretis ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ceteriſque contrariis nonobſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die IV. Decembris MDXLV.

Bloſius, & *Fulgin.*

a tergo.

Venerabili fratri JOHANNI MARIÆ epiſcopo Prænestino, & dilectis filiis MARCELLO tituli S. Crucis Preſbytero, & REGINALDO S. Mariæ in Coſmedin diacono S. R. E. cardinalibus, noſtris & apoſtolicæ ſedis legatis.

Aperiendi concilii modus & ratio.

Anno a nativitate domini noſtri JESU-CHRISTI MDXLV. indictione tertia die XIV. Decembris, quæ fuit dies dominica tertia adventus Domini, in qua per eccleſiam cantatur in introitu miſſæ, *Gaudete*, ſedente in Petri cathedra ſanctiſſimo in Chriſto patre & Domino noſtro domino PAULO divina providentia papa III. pontificatus ejuſdem anno XII. & præſidentibus ſacroſancto concilio Tridentino ejuſdem ſanctiſſimi domini noſtri nomine reverendiſſimis in Chriſto patribus, & illuſtriſſimis dominis JOHANNE MARIA epiſcopo Prænestino d. Monte, & MARCELLO CERVINO titulo S. Crucis in Jeruſalem preſbytero, & REGINALDO POLO S. Mariæ in Coſmedin diacono S. R. E. cardinalibus & apoſtolicis legatis, convenerunt in æde ſanctiſſimæ Trinitatis in civitate Tridenti inter primam & ſecundam diei horam, prælati & viri eccleſiaſtici inferius deſcribendi; & exinde acceptis mitris & paramentis conſueris, & incœpto a cantoribus hymno *Veni Creator Spiritus*, præcedentibuſque eccleſiæ cathedralis & aliarum eccleſiarum ipſius civitatis canonicis, capellanis, ſacerdotibus & clericis, religioſiſque, & aſſociantibus nobilibus & popularibus, maxima cum devotione acceſſerunt ad dictam eccleſiam cathedralem ſub invocatione S. Vigilii, & in loco in parte ſuperiori ejuſdem eccleſiæ ad concilium celebrandum, & ſeſſiones habendas ordinato, convenientibus inſimul omnibus reverendiſſimis & illuſtriſſimis dominis, cardinalis de Monte, præſidens & legatus cantavit miſſam ſolemnem de Spiritu-Sancto; qua completa, converſus ad populum dixit alta voce: Ex privilegio apoſtolico conceditur omnibus hic intereſſentibus indulgentia plenaria in forma eccleſiæ conſueta: rogate Deum pro pace & unione ſanctæ matris eccleſiæ. Reverendus autem pater dominus CORNELIUS epiſcopus Bitontinus, indutus pluviali & mitra, habuit orationem longam & luculentam, cujus tenor ſequitur & eſt talis.

Fratris Cornelii Placentini Minoritæ epiſcopi Bitontini pro felicibus Tridentini concilii auſpiciis oratio.

Gaudete in Domino patres, &c. *ut apud Labb. tom. 14. conc. p. 99.*

Deinde fuerunt incœptæ a cantoribus litaniæ; & reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus cardinalis de Monte præſidens ſtans in loco eminenti apud altare prope ſedem ibi paratam, benedixit ſynodum, & proſecutus fuit orationes & preces conſuetas, & demum incœpit hymnum *Veni Creator Spiritus*, cantoribus proſequentibus.

Quo finito, reverendus pater dominus THOMAS epiſcopus Feltrenſis indutus ſimiliter pluviali & mitra, conſcendit ambonem, & legit alta voce litteras ſub plumbo ejuſdem ſanctiſſimi Domini noſtri, revocatorias ſuſpenſionis concilii, & litteras mandati in perſonas eorumdem reverendiſſimorum & illuſtriſſimorum dominorum legatorum & præſidentium, tenoris ut ſupra.

Quibus lectis, comparuit egregius doctor dominus Alphonſus Zorilla Hiſpanus, & dixit: Cum dominus Didacus de Mendocia, reverendiſſimi & ſanctiſſimi patres, exiſtens orator & procurator Cæſaris, graviſſimo jam morbo correptus, ac morbi gravitate præpeditus nunc Venetiis detineatur, nec ut æquum erat, & ipſe cupiebat, huic ſacroſancto concilio intereſſe poſſit, litteras has ad vos ſcripſit, quibus ſanctitatis veſtræ ſuæ hinc abſentiæ juſtiſſimam cauſam intelligere va-

leant. Deinde ſuæ procurationis & inſtitutionis cæſareas has litteras una cum ſuis mittit, ut ex his facile cognoſcatis quam pio quamque Chriſtiano animo divus atque invictiſſimus Cæſar erga hujus ſacroſanctæ ſynodi celebrationem ſe gerat. Ego vero, ut utraſque has litteras legere jubeatis, & audire dignemini, humillimis precibus ſanctitates veſtras precor & oro, & a Claudio, publico & præſente notario, peto, ut hujus meæ comparitionis, & harum litterarum præſentationis teſtimonium & fidem publicam mihi faciat. Deinde ipſe dominus Alphonſus exhibuit quaſdam litteras illuſtriſſimi D. Didaci a Mendocia oratoris Cæſarei, quarum exemplar ſubſequitur.

Litterarum ſubſcriptio ſic habebat.

Sacroſanctæ ſynodo generali Tridenti congregatæ, univerſalem eccleſiam repræſentanti hæ dentur.

Litterarum tenor talis erat:

Sanctiſſimi & reverendiſſimi patres, cum a CAROLO V. imperatore invictiſſimo auguſto deſtinatus fuerim procurator, ut ejus nomine iſti ſacroſancto concilio intereſſem atque aſſiſterem, jam pridem in hujus nempe concilii initio publicam comparitionem & mandati exhibitionem, coram reverendiſſimis & illuſtriſſimis patribus JOHANNE MARIA epiſcopo Prænestino de Monte, & MARCELLO titulo S. Crucis in Jeruſalem, qui huic ſancto concilio præſident, feci, diu deinde in graviſſimum morbum incidi, atque impetrata licentia a Tridento diſceſſi, ut valetudini meæ conſulerem. Placuit deinde Deo, ut morbus hic in dies ingraveſceret. Id tamen non me jam ab itinere revocaſſet, niſi in ipſa ad hoc concilium profectione adeo graviter correptus fuerim, ut ſine maximo vitæ meæ periculo itineri me committere non licuerit; & quamvis acceſſiſſem, tamen aptus non eſſem ad debitum officium peragendum. Si vero divinæ placuerit majeſtati, ut mihi paululum e morbi gravitate remittatur, polliceor me brevi iſti ſacroſancto concilio adfuturum. Interim tamen ad imperatorem ſcripſi de collega mihi demandando. Vos interea precor, ſanctiſſimi patres, ut hanc moram boni conſulatis; proteſtorque hanc quam dixi moram ab adeiſa mea valetudine cauſatam, *nulla in re imperatori*, apud hos qui in ſacroſancto concilio ſunt nociturum, aliquidve de ejus jure *ademturam*; ſed omnia majeſtatis ſuæ jura integra atque illæſa permanſura, donec alium procuratorem ſuo nomine mandaverit. Interim vero, ſanctiſſimi patres, mitto ad vos per reverendum doctorem Alphonſum *Zorilla* mandatum ipſius imperatoris mihi datum, ut examinetur, ſi viſum vobis fuerit, totumque ſacroſanctum concilium cognoſcat, *non per invictiſſimum* Cæſarem *imperatorem* auguſtum ſtetiſſe, quin huic ſacroſancto concilio ejus procurator intereſſet; ſed per meam tantummodo adverſam valetudinem. Spiritus ſanctus, ſanctiſſimi & reverendiſſimi patres, qui inter vos eſt, mentes & corda veſtra dirigat, ad ea peragenda, quæ de Chriſtianæ fidei veritate, eximiaque dignitate futura ſunt. Valete. Ex Venetiis XI. Decembris MDXLV.

V. S. ſervus & filius JACOBUS HURTADUS MENDOZA imperatoris procurator.

Quæ lectæ litteræ fuerunt per dominum Claudium *de la Caſa* ſacroſancti concilii notarium. Deinde a præfato reverendiſſimo & illuſtriſſimo D. cardinali de Monte præſidente, fuit reſponſum, conſenſu & approbatione ipſius concilii, impedimentum adverſæ valetudinis illuſtris domini Jacobi eſſe notorium, & propterea excuſationem ejus admittendam: mandatum vero imperatoris recipiendum & examinandum eſſe, prout in litteris prætactis ipſius illuſtris D. Jacobi petebatur, inſiſtendo etiam, quantum ad ipſos *reverendiſſimos* & illuſtriſſimos dominos præſidentes & legatos pertinebat, in reſponſionibus jam factis per eos, quando alias privatim mandatum ipſius coram eis fuit exhibitum.

Poſtmodum reverendiſſimus & illuſtriſſimus cardinalis præſidens alloquutus fuit ſynodum aliquibus verbis, & in fine concludendo dixit hæc verba: Quamobrem reverendiſſimi & reverendi patres, placetne vobis ad laudem & gloriam Dei & individuæ *Trinitatis*, *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus-ſancti*, ad incrementum & exaltationem fidei & religionis Chriſtianæ, ad exſtirpationem hæreſum, ad pacem & unionem eccleſiæ, ad reformationem cleri & populi Chriſtiani, ad depreſſionem & extinctionem hoſtium Chriſtiani nominis, decernere & declarare ſacrum Tridentinum concilium incipere & incœptum eſſe. Et omnes reſponderunt: *Placet*:

Item etiam proſequendo ſermonem ſuum dixit: Et cum proxima ſit *nativitas Domini* noſtri JESU CHRISTI, & ſubſequantur aliæ feſtivitates labentis & incipientis anni, placetne vobis primam ſeſſionem habendam die Jovis poſt epiphaniam, quæ erit ſeptima menſis Januarii MDXLVI. Et omnes reſponderunt: *Placet*.

Tunc magnificus D. Hercules Severolus procurator fiſcalis concilii requiſivit D. Claudium *de la Caſa*, & alios notarios ibidem exiſtentes, ut de præmiſſis conficerent unum vel plura publicum ſeu publica inſtrumentum & inſtrumenta.

Poſtremo reverendiſſimus ac illuſtriſſimus cardinalis de Monte præſidens, manu elevata benedixit ſynodum ſigno crucis, & per cantores fuit incœptus hymnus TE DEUM LAUDAMUS: quo finito, omnes depoſuerunt paramenta

paramenta & discesserunt, magnum gaudium præ se ferentes, & se invicem osculantes, & Deo gratias agentes.

Comparitio reverendi patris fratris Hieronymi ab Oleastro.

Altera autem die post apertionem concilii, congregati sunt patres a prandio; quibus sedentibus ingressus est quidam pater instituti Dominicani, qui vocabatur frater Hieronymus ab Oleastro, destinatus ad concilium a sereniss. Portugalliæ rege cum litteris ejusdem, quas reverendissimis dominis legatis & patribus præsentavit his verbis:

Audierunt quondam, præstantissimi concilii moderatores, sacerque senatus, qui & illius immaculatæ sponsæ Domini, ecclesiam dico, personam geritis, & imaginem ad vivum repræsentatis. Audierunt, inquam, patres nostri in illa captivitate fornacis Ægyptiæ detenti, quod visitasset Dominus filios Israël, & proni, scriptura teste, ceciderunt in terram. Audivit & nuper sereniss. nus Portugalliæ rex JOHANNES III. præsentis concilii non certa & indubitata nuntia, sed rumores. & quis jam digne fari queat quantum gaudii quantumve lætitiæ regium ac Christianum pectus possederit, immensas Deo gratias referens, quod tandem suorum sortem miseratus, plebem suam visitare dignatus est. Nec mirum, si enim Judæi quod illorum corpora temporaria eruenda essent captivitate, tanta lætitia illo jocundissimo Dei nuncio affecti sunt, ut proni adorarent: quare non potius sereniss.mus princeps, spe futuri concilii concepta, quo non corpora, sed mentes decipientium & deceptorum hominum liberandas sperat a potestate tenebrarum? Quamobrem totus lætus, totusque jocundus, non solum palmas suas extendit ad superos; sed quam celerius potuit oratores suos ad vos parare decrevit, qui vobis gaudium ejus de concilii inceptione afferrent, & promtissimi animi erga fidem & ecclesiam insignia perferrent.

Sed ejus ardens animus moras non valens ferre, dum solemniores parat, nos interim tres religiosos Dominicani instituti ad vos præmisit, qui pedibus sanctissimi pontificis osculatis prius, datisque ad eum litteris, ad vos tandem veniremus, quibus & litteras dedit, quæ ejus animum vobis aperirent, & mandata quæ ejus intentionem apud vos explicabunt. Ait namque hoc concilii opus esse tam debitum tamque necessarium tempori quo fit, & rebus eo tractandis, ut non sine Dei numine putet illud esse indictum, ut eo & perversa dogmata, quibus totus flagrat orbis, locis tam periculosis, quibus magna celeritate obviam iri opus est, destruantur, & mores qui pene decidisse videntur, ubique reformentur.

Ipse autem propter injunctum munus regium, quo ejus effectum procurare tenetur, maxima lætitia afficitur, videns tam felicia ejus initia, & quoniam periculum ob oculos vestros est, patres, & vos in loco & via, quibus illis mederi potestis, precatur affectuose, ut ea maturitate, eo consilio, ea denique prudentia, cuncta tractetis, qualibus tam seriæ res, tantique momenti tractandæ sunt atque penetrandæ. Spiritus ille divinus illabetur, qui corda vestra illuminabit, ut quæ sunt vera, quæ justa, quæque pudica decernatis. Sed, proh dolor! aliis sociis itinere præpeditis, ne, qui tam piissimi regis affectum ad vos deferret, deesset, ego solus evasi, qui hæc ipsa vobis læta nuncia nunciarem.

Indicabo itaque vobis, patres, cum sereniss. regis affectum, tum totius regni non excidium, sed firmiss. nam fidem; non reipublicæ disturbium, sed summam tranquillitatem & pacem. Nam etsi nullum fere orbis dominium sit, in quod venenata sua dogmata nebulones isti non effutirent; mirum tamen est, & Dei peculiari erga illud regnum custodiæ adscribendum, necnon Christianissimi regis industriæ, ut ad nos hujus Lutheranæ hæresis, quæ nunc totum occupat orbem, nec scintilla pervenerit. Valete ergo, sanctissimi patres, & pro tam piissimo & de fide & de ecclesia tam bene merito principe inceissanter orate. Dixi.

Post hæc requisivit reverendissimus cardinalis de Monte patres, an placeret legi sereniss. regis litteras: qui omnes responderunt: *Placet.* Tunc secretarius Angelus eas legit, quarum tenor talis est.

Johannes Dei gratia Portugalliæ, &c. Cum earum rerum, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1545. *numero* 45. *ubi datæ sunt litteræ* XXIV. *Julii, in nostro mss.* XX. *ejusdem mensis.*

Invictissimi ac Christianissimi Johannis hujus nominis tertii Lusitaniæ regis & Algarbiorum &c. litteræ ad summum pontificem missæ, & in concilio Tridentino recitatæ.

Sanctissimo in Christo patri & beatissimo domino Paulo III. .... Etsi nemini dubium aut obscurum fuit, &c. *ut apud Labbeum tom.* 14. *conc. pag.* 1015.

PRIMA SESSIO

De moribus in genere, habita Tridenti VII. *Januarii* MDXLVI.

In hac sessione missam celebravit episcopus Castellimaris, orationem habuit episcopus S. Marci; decretum recitavit idem episcopus Castellimaris; admonitionem legit Angelus secretarius; bullam de comparendo personaliter legit idem episcopus Castellimaris. Adfuerunt patres quadraginta septem, doctores trigiſta septem.

Coriolani Martyrani episcopi S. Marci concio habita in prima sessione concilii Tridentini VII. *Januarii* MDXLVI.

Verum est quod aiunt, sanctissimi viri, naviculam Petri agitari & jactari posse tempestatibus, non autem submergi. Id sæpe antea, numquam tamen apertius quam his temporibus factum videmus. Nam cum adeo nostrorum scelerum fluctibus urgeretur, ut nihil ab exitio abesse videretur, deque illius salute actum funditus putaremus, omnia seditionum ventis, omnia bellorum turbinibus resonarent, tenebræ undique, undique mortis facies incubaret, lacera ipsa & divulsa sine antennis, sine clavo, sine remigiis *jactaretur; eo denique recidisset, ut ventorum ludibrium fluctuaret: ecce repente cum nullis amplius humanis consiliis fideremus, desæviit mare, undarum fragores & murmura ceciderunt, claraque & insperata oborta tranquillitas est. Ipse, ipse Christus unicum illud mortalium sidus atque perfugium, periclitantium vocibus excitatus, auxilium tulit, vento & mari imperavit, procellas sedavit, e montibus Tridentinis facem concilii protendit, fluctuantem naufragamque inclamavit: quæ statim ad vocem divinam, ad auram cœlestis luminis respiciens, huc proram convertit, ad hoc divinum concilium tamquam ad tutissimum portum naufragiorum suorum fidissimumque confugit; sed ita conquassata & soluta confugit, sic omnis fatiscit, ut nisi quamprimum remedia afferantur, nisi vos fabri ad eam reparandam divinitus accersiti hoc agatis, nequicquam sævas illas effugerit tempestates, in ipso portu, quantum in nobis erit, nostra pernicioſa & detestabili negligentia peribit. Quare, ô si quid metu tam imminentis periculi commovemini, ut certe commovemini, sanctissimi viri, eia inclinatæ jam & ruinam minanti, si qua pietas, adeste præsidio.

*al. fuisset.

Ecclesia sancta nostra omnium mater, vestras opes in suis durissimis temporibus numquam turbulentius agitata, & misericordiam implorat. *Afflictus & mœrens populus* Christianus ante vestros pedes cum gemitu jacet, a vobis medicinam suis lethalibus vulneribus petit; quæ vulnera quam sint putria, quam hient; dum vobis veluti digitis patefacio, non quo vos inflammem facibus orationis, quæ nullæ in me sunt, nec vos indigetis; sed dum miseratione & dolore commotus, ejus miserias cladesque recenseo, me *quæso ut facitis audiatis, atque ita audiatis*, ut unum de plebe & expertem rerum, qui si licuisset, si auctoritate aliqua subterfugere potuissem, in tam celsum locum non ascendissem, tantam provinciam robustioribus reliquissem. At tu qui miseris tuum auxilium rite implorantibus deesse non soles, me quoque isthinc unde cuncta gubernas, A e cœli verticibus aspice, ut ea dicam aura tui Spiritus *inflammatus, quæ tuo numini* sint placitura, huic sacrosancto consessui non obstatura. sed procedamus.

Duo sunt in quibus res Christiana vulnerata est & vehementer laborat, patres amplissimi, religio & mores: de utrisque brevi spatio actum videbitis, nisi subveneritis; etiam exiguum quid lucis adhuc, adhuc etiam stamus; paulum immoremini, ruinas *videbitis, in chaos omnia & in tenebras* ruent. Nam ut prius de moribus pertractemus, quis non aspicit adeo lapsos esse mores & disciplinam populi Christiani, ut nihil sit ulterius quod invenire aut addere posteritas queat? In iisdem esse minores exerceant opus est, si flagitiosi esse velint. Quod enim facinus adeo nefarium, adeo prodigiosum & novum, complecti cogitationibus potest, *in quo progenies hæc adultera & peccatrix* non voluteretur? Cui avaritiæ, cui crudelitati, cui luxuriæ aut nequitiæ parcitur? non rapinis, non direptionibus, non sacrilegiis referta sunt omnia? non templa, fora, urbes, pagi horrendis in cœlum diris & conviciis tonant? tamquam imbelles sint parumque viri, qui non quotidie quo possunt ore velut gigantes cum Deo bellum gerant, ut *fulminum interdum segnitiem mirer.* Quando umquam major audita venenorum aut gladiorum impunitas fuit? Num sacrum, num prophanum a sicis tutum? Ante aras, inter sacra jugulationes cædesque patrantur, in nostris cubilibus, tanta auri sitis, a nostris fidissimis trucidamur: mutuis inter nos fraudibus, mutuis insidiis, mutuis cædibus perbacchamur; impuri, nefarii, rapaces, natu*ræ ac humanitatis inimici*, quibus pro deliciis crudelitas, latrocinia pro ludis, pro jocis cruor: *quis omnium comprehendere* scelerum formas aut facies queat? Quam magis me in altum capesso, tam vastum magis occurrit ac sine littoribus mare, nulla in nobis ratio rationis, prostratum ejus imperium & eversum jacet, ad fanda, ad. nefanda omnia sine metu veluti pecora, sine pudore pro sua quisque libidine rapimur: eo denique ventum est, ut pudeat probitatis; *quo quisque impurior, eo longe* habeatur insignior; patres filiorum, filii (ô facinus impium & fœdum) filii parentum sanguine cruentantur, tamquam dormias Deus, aut humana non cures, aut vana sint quæ de inferis perhibentur. Unum aut duo apud sæculum prius parricidia memorantur: horum auctores tamquam monstra quædam ab eorum cœtibus excludebant, illos agitari *tædis ardentibus furiarum & infestari* autumabant. Nunc autem quota quæque civitas non hujusmodi prodigiis scatet? non perulantibus, non impuris referta sunt omnia, non impudicis, aleatoribus, ebriis?

Respicite Romam quæ posita in medio

nationum fulgere debet tamquam luminare. Respicite Italiam, Galliam, Hispaniam, nullum gradum, nullum sexum, nullam ætatem, nullum membrum denique reperietis, quod non sit corruptum, non tabefactum, non putre. Quid verbis opus est? Scythæ, Afri, Thraces non impurius, non flagitiosius vivunt. quamquam, o si rem ipsam eloqui non tæderet, si quæ meus animus jam pridem parturit, parere & evomere non intempestivum putarem, causam tantæ labis, fontem & originem tanti incendii aperirem, dicerem... Immo equidem proferam, non reticebo, ut tuba ex hac specula, ut parturiens vociferabor.

O pastores; o supra montem positæ civitates, qui fulgere tole clarius deberemus, nos exemplo, quod flammis obesse sævius solet, exemplo oves domini jugulavimus; in nostros illæ mores vitamque intuentes, atque ab iis quos quanto digniores, tanto plus sapere autumabant, sibi vitæ instituta sumentes, in has nobiscum voragines inciderunt. unde nulla est ratio emergendi, nisi ad scalas unde decidimus recurramus. Numquam hoc ædificium nostro collapsum scelere restituemus, nisi eadem denuo fundamenta injiciamus, quæ Christus jecit, nisi ad eadem principia confugiamus, quibus Christus ecclesiam ab initio fundavit, probitatem, humilitatem, pauperiem, charitatem.

A quibus tam longe aberravimus, ut non sit mirandum, si apostolis aliisque patribus, qui illas virtutes colebant, gubernacula moderantibus, nulla naufragia fiebant; nobis clavum tenentibus, videtis jam per charybdes syrtesque jactamur. Illi, quæ aliis morte accerbior est, paupertate gaudebant, opes pro quibus tot quotidie tragœdiæ fiunt, tamquam quædam vehicula ad mortem fugiebant. nos illos insanos fuisse autumamus, soli auro inhiamus, pro auro maria transimus, montes perfodimus, sub terris versamur, ruimus ad flammas, ad arma, ad venena, non prophano compilando sacrove abstinemus. Humi illorum humilitas repebat, nos in nubibus habitamus, parumque videtur, si ut numen, instructis aris, nos homines colant, & quoniam aditi sic reges dicunt, ita nos abdimus, sic aditus ad nostra latibula obseramus, ut citius in quidvis opertum in quamvis instructam aciem penetraveris. Tum qui affatus, Deus bone, quod euntium supercilium, quæ minæ, ut spiramus, quam spernimus, quam fastidimus, aurei per fora, & purpurei volitantes? mansueti erant illi; nos feri, nos rapidi, nos importuni: nemo nos affatur, nos adit, quin abitum quam aditum malit, tanta est acerbitas morum immanitasque naturæ. Illi plagis disciti non querebantur; nos omnia permiscemus, æthneis flammis vehementius æstuantes, si quis vel tantillum lacessivit. Vitam illi castissime transigebant, nos omnium libidinum facibus inflammamur. Illi tormenta pro vinea propaganda, cruces, uncos, flammasque perferebant; non minaces frontes tyrannorum, non tonitrua verborum, non imminentes jugulo carnificum gladios metuebant. Quid horum ego vel minimum facio, qui apis aculeum non fero, Sardanapalo effeminatior, delicatior molliorque Epicuro? Orbem terrarum per calores per frigora peragrabant horridi, nudis pedibus, amicti pellibus incedebant, non gemmam ad sitim sedandam, non aurum quærebant; humi, non peristromatis conchiliatis ostrove incubabant. Horum omnium o sacerdotes, gens sancta, quantum vestrum est, usque ad oceanum extremum, considerate, quæso, cum animis vestris, si vel unum imitamini, si non ab illis moribus omnino defluximus.

Sentio me in lubrico & scopuloso jamdudum versari, & tamen non de bonis, de malis, de facinorosis, de impuris loquor, quorum quis mollitiem, quis superbiam, quis petulantiam digne explicaverit? quis nostra horum temporum fastidia, quis luxus aut delicias ferat? qui gurgites tanta voracitate reperiri usquam queunt, qui a nostra immensa ingluvie non superentur? De crudelitate, de avaritia quid loquar? quæ tanta est, ut eam illorum sanguis, quos alere debebamus, nequaquam exsaturet. Hinc illa nostrarum ovium flagitia emanarunt: nostra culpa, nostra segnitie eversa sunt omnia, qui errantem gregem & profugum non revocavimus, quod confractum non solidavimus, quod ægrotum non curavimus, quod petierat non quæsivimus.

At nos si hactenus tantæ rei indormivimus, fratres, de me præcipue loquor, per illum sanguinem pro nobis fusum & per plagas precor, surgamus: denique libeat excussis torporibus considerare, quod nostrum sit onus, quod munus. si umquam alias, nunc præcipue somniculose rem exequi non decet. Clava in manibus est, lupos qui tot circum ululant, abigamus. nostras oves, quæ semesæ vix spirantes, vix vivæ per rupes gemunt, ab eorum faucibus eripiamus. Hic dies, hic commodus emendandæ desidiæ ortus est, ne frustra illuxerit, ne re infecta occiderit providere. Aliter væ pastoribus, dicet Omnipotens, & quidem iratus, væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, lac comedebatis, lanis operiebamini, quod pingue erat occidebatis, gregem meum non pascebatis, & dispersæ sunt oves meæ. Ergo ne talia audiamus, ne in iram postmodum supremi judicis incidamus, excubemus, vigilemus, carissimi; nam tempus est, & morum quidem vulnera plagasque videtis, quæ per Deum non horribiles, non crudeles videntur.

Aſpicite nunc vulnera religionis, & ſi eſtis plumbei, non indignemini. Nam proh Dei immortalis atque hominum fidem! nonne videris quam nos inſtructæ, quam paratæ, quam firmæ transfugarum atque impiorum acies circumſtent? ut certatim contendunt, quis in te, eccleſia ſancta, ictus profundius infligat? quis tua præcordia lethalius petat? o facinus miſerandum! quid facient inimici? filii, quos prius cœlum caſurum, quam defecturos putabas, quibus elata præcipue & ſuperba incedebas, quos tuo ſanguine & viſceribus aluiſti, ut tibi murus aheneus contra hoſtes forent, in te cornua obverterunt, ii præcipue veluti veneficiis immurati, te extinctam volunt. Huccine tui labores & vigiliæ recidерunt?

Sed reprimam me, non hoc ulcus attingam, bona motus ratione, ſanctiſſimi viri. Et ſi quid hos incuſare, aut de his conqueri opus eſt, ſunt ipſi quidem, ut ſumus, ut ſunt. quæ ſit horum vita moreſque cognovimus, locus in alios dicendi non erit, ſi ſe reſpicient. ut tamen tam libere obloquantur, ut tam ſevere novi hi Catones in nos invehantur, nos ipſimet fecimus, nos illos armavimus, qui tantam anſam maledicentiæ noſtris profligatis moribus & impuris obtulimus, in noſtris libidinibus iliæ faces inflammatæ ſunt, quibus inceſſimur, agitamur, perimur. Sunt illi, quidni fatear, impudentes, poſtquam omnia conturbarunt, ſacramenta everterunt, fato omnia ſubjecerunt: noſtris inſuper nos telis laceſſunt, ſcripturam ſanctam, quæ noſtra ſunt arma, in noſtrum exitum convertunt, mutilando, lacerando, intorquendo, factum impudens & indignum. Sed quid tum poſtea? Scriptura ſacra in manibus impii tela ſunt plumbea, quæ objecto veritatis clypeo nullo negotio contunduntur. Hæ nobis extinguendæ ſunt faces, illa arma extorquenda, quæ nos fabricavimus, conflavimus, dedimus: virtutis ægida, non vitiorum ſpeculum eorum oculis objiciendum, tibias ocreis continentiæ, pectus thorace prudentiæ, caput fortitudinis galea, dexteram juſtitiæ gladio obarmemus: ſic inſtructi, ſic pleni ſplendoribus irruamus. obcæcati noſtrarum virtutum radiis enimvero concident, defluent illis e manibus arma, obmuteſcent, non hiſcent; ac equidem ſpero, noſtræ probitatis exemplo invitati, forſan miſeri reſipiſcent, ad ſolem quem reliquerunt ſeſe iterum vertent. Non enim tam erunt hoſtes ſui tot populi, tot inſignes viri, tot florentiſſimæ civitates, ut non ſe quandoque reſpiciant, ut non malint maternis vocibus, quam trium illarum aut quatuor ſpurciſſimarum ſirenum cantibus obedire; immo hoc ſpero facient, redibunt in viam, fruſtra illæ obgannient perditæ meretriculæ.

Sed quid hic immoror, aut de iſtis loquor, qui non diſſimulant, at aperte adverſantur? A cum occultis hoſtibus referta ſint omnia, cui credant homines, aut cui habeant fidem? hoſtes ſub perſona Chriſtiana perniciоſiſſimi in noſtris urbibus, in noſtris caſtris verſantur, patres ſanctiſſimi. Tanquam noſtri, eſſe in noſtro numero, in noſtris hærere viſceribus volunt, qui fucis doloſis, verborum ſeveritate accerſita, & vereratoria frontis triſtitia illudentes, tum ſua dogmata & miracula quædam, nunc horum nunc illorum, auribus inſtillantes, tot patribus videlicet doctiores, tot noſtræ religionis luminaribus ſanctiores. quid dico aniculas? robuſtos quidem, immo univerſas interdum civitates in perniciem trahunt; quos inter utinam murus, tota potius terra, totum quantum eſt intercederet mare, non ſic obeſſent, non tot ſtrages darent: hos tamen ſic admonitos velim ut requieſcant, nec hujus ſacri ſenatus patientia abutantur. Ni reſipiſcunt, ni redeunt, ni ſilent; ſentient nobis non arma deeſſe ad membra putria reſecanda, ad vepres e vinea Domini recidendas.

At vos, o per Deum immortalem, his duabus peſtibus rempublicam populantibus non obviam ibitis, ſanctiſſimi viri, antequam omnia evertantur? Ex toto orbe terrarum hic in Europa angulus relictus eſt, atque ex eo quantulus eſt, nova quotidie fragmina abſcinduntur. Semper aliquid Aſiæ tyrannus novis bellorum gurgitibus abripit, numquam hujus Othomannæ gentis illam cruentam ſaturabimus ſitim, numquam mihi furiales illas hæc ſiniſtra peſtis abjiciet faces, quibus urbes noſtras tam ſæpe inflammat, quas ſic intentat, ſic propter quatit, ut nobis pene oculi amburantur; tot calamitates, tot ſtrages intulit, noſtro adhuc inhiat ſanguini, adhuc etiam furit, tota mente in noſtras fortunas & cogitationibus imminet, nihil non abſorbet animo, non haurit cupiditatibus, non oculis figit. Conſiderate vobiſcum, patres, & rem taciti contemplamini, lacrymas non dico Chriſtiani, ſed ſi eſtis homines, non continebitis. Quot clades ducentis abhinc annis ex hac familia & excidia pertulimus? quot urbes noſtræ, quot gentes profligatæ & everſæ ſub hujus jugo teterrimo crudeliſſimoque & imperio jacent? Quærite quid ſit actum Cappadocia, quid Ægypto aut Armenia? qui nobis abſtulerit Græciam, Arabiam, Ciliciam, innumeraſque alias uſque ad terras ultimas nationes? quis, heu pudor nominis Chriſtiani! ſepulcro Chriſti ſanctiſſimo potitur? nempe hic centimanus, monſtrum omnium, quantum terra educat, truculentiſſimum, quod niſi nos inter nos armis civilibus graſſaremur, jam pridem in catenas conjectum oportuit. totam denique perdidimus Aſiam, excidimus Africa, ex tot gentibus, ex tot nationibus in hunc agellum redacti ſumus. ſi dormiemus, ſi hæc reparandorum rerum commoditas effluet,

hunc quoque perdidimus. nec culpam tantæ cladis, in lites regum, quas ſedatas videtis, referre poteritis: noſtra culpa cuncta, noſtra, ut leviſſime dixerim, perfidia, concident. Putate rem ad triarios quod dicitur, rediiſſe, vel hujus almi concilii præſidio reſtituetur, vel aliud agamus nullum uſpiam remedium eſt.

Perierunt omnia ſetius fortaſſe quam res exigebat: attamen tandem convocati ſumus, Dei optimi maximi miſericordia, PAULI domini noſtri ſanctiſſimi providentia, Cæſaris diligentia & pietate, reliquis regibus Chriſtianis humeros ſupponentibus, impedimenta ſunt, & jam concilii machina procedit. Super eſt, ut in rem ipſam tota mente incumbamus. omnia, ſi adſit voluntas, ſunt nobis parata, auctoritas tanta, quanta tanti concilii eſſe debet, cui ſe orbis ſubjicit, cui reges parent, cui Cæſar militat invictiſſimus. Quare ô cuſtodes ovium, pro quibus mortis dominus mori voluit, tantis & humanis & divinis præſidiis armati, cia excitamini, capeſcite rempublicam, fortiſſimi viri, dum licet, dum ſpirat, ſatis ſuperque conſultum, non deſidendum, mature facto opus eſt, in vos omnium oculi conjecti ſunt, a vobis pender, vos obſervat, vos aſpicit orbis terrarum, eccleſia ſancta, ſponſa illa Chriſti, heu non qualis erat, ſed deturpata, ſed cicatricibus deformata, ſe veſtris genibus advolvit, feræ ipſæ, hi montes niſi ſenſu carerent, hi ſcopuli lacrymarent, ſi ita eſtis duri, ut ejus preces & fletus recidere patiamini. ſi veſtram ſupplicem a veſtris aris & genibus repelletis, illa quidem non peribit, nec enim poteſt. Nos tantam ſuperbiam, tantam potius impietatem non impune auferemus. quare, iterum dico, excitemini.

Videre quo loco ſit vinea, immo an ſit vinea, non nidus ferarum. Sæpe antea immanes belluæ emerſerunt, quæ in eam vehementes impetus & atroces fecerunt, in medium perrupta maceria penetrarunt, verſare cuncta & diripere conatæ ſunt, quid tandem ſimile? nunc tota patet, vaſtatur undique, riſus jocuſque illæ turbæ, illa incendia fuerunt. Vos taciti tot ejus miſerias ac ſiccis oculis contuemini? Non juſta indignatio, non virilis tandem in veſtris ſanctis pectoribus ſe incendet dolor? non majorum noſtrorum animos capietis? illam ferarum incurſionibus diripi & ſilveſcere diutius patiemini? Eia qui conſtituti eſtis ſuper gentes, eia accingimini, gregem infelicem, gregem vagum & deplorandum domini conſolamini. Plantate, ædificate, & evellite. Cæci videant, claudi ambulent, leproſi mundentur, ut tandem expiato templo, fugato & diſſipato concurſu impiorum, læti & ovantes ad ſua quiſque ovilia revertamini: quem ſolem, ſi antequam ex hac vita migro, illuceſcere videam, ero omnia conſecutus, emoriar libens. Dixi.

A *Decretum de moribus in genere publicatum in prima ſeſſione concilii Tridentini* VII.

Januarii MDXLVI.

Sacroſancta Tridentina ſynodus in Spiritu-ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus apoſtolicæ ſedis legatis agnoſcens cum B. Jacobo, &c *ut apud Labbeum ſeſſione ſecunda pag.* 741. *uſque ad indictionem futuræ ſeſſionis.*

Admonitio atque hortatio legatorum ſedis apoſtolicæ ad patres in concilio Tridentino lecta in prima ſeſſione.

B Reverendiſſimi patres, &c. Cum ipſa muneris noſtri ratio, &c. *ut apud Labbeum pag.* 973.

Bulla qua præcipitur, ne epiſcopi compareant per procuratorem, lecta in hac ſeſſione prima.

PAULUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad futuram rei memoriam.

Decet nos a cœleſti patre familias vineæ ſuæ excolendæ præfectos, more diligentis villici, &c. *ut ſupra pag.* 1051.

Incœpto itaque ad Dei omnipotentis laudem & gloriam concilio in ipſa civitate Tridentina, ne pontifex ſummus alia in parte deficeret, neve aliquid, quod ad ipſius concilii proſecutionem & felicem exitum pertineret, ex parte ſua deſiderari poſſet, & ut eum quem decet reſpectum in impenſas graves, quas prælatos, qui in ipſo concilio tunc facere oportebat, haberet: dictos prælatos omnes qui in ipſa civitate Tridentina pro concilii hujuſmodi celebratione præſentes reperirentur, à ſolutione quarumcumque decimarum ſeu ſubſidiorum, ipſo concilio durante, & eis in ipſo intereſſentibus exemtos & liberos fecit, prout in bulla tenoris infraſcripti latius continetur videlicet. MASSARELLUS.

D *Bulla per quam prælati qui præſentes ſunt in concilio, eximuntur a ſolutione decimarum & ſubſidiorum, & conceditur eis facultas percipiendi fructus in abſentia.*

PAULUS papa III. ad futuram rei memoriam.

Circumſpecta Romani pontificis providentia ſingulorum merita & obſequia debita meditatione conſiderans, illos, prout æquum eſt, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequitur, quos univerſalis eccleſiæ obſequiis jugiter intentos pro ea laborare, & diverſas impenſas ſubire cognoſcit. Hinc eſt quod nos tam ad labores quam ad impenſas graves, quas venerabiles fratres patriarchæ, archiepiſcopi, ac epiſcopi, necnon dilecti filii abbates, & ceteri, quibus jure vel privilegio in conciliis generalibus reſidendi, & in eis ſententias dicendi permiſſa eſt poteſtas, ſacro œcumenico & generali concilio per nos dudum in civitate Tridentina indicto, & quod ad præſens celebratur, intereſſentes, pro proſecutione ejuſdem concilii, ſuſtinere coguntur, debitum reſpectum habentes & animo revolven-

tes, eos inibi residendo universali ecclesiæ reservire, & cum causa reipublicæ Christianæ absint, in ecclesiis in quibus præsunt, aut in quibus beneficiati existunt, præsentes & residentes merito reputari debere, motu proprio, non ad eorumdem, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum ac abbatum & ceterorum prædictorum vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, omnibus & singulis patriarchis, archiepiscopis ac episcopis, necnon abbatibus & aliis sententias dicendi, ut præfertur, potestatem habentibus, & in posterum habituris, qui in dicto concilio ad præsens residunt, & ad illud in posterum accedent, quod quamdiu concilium prædictum duraverit, & ipsi illi interfuerint, occasione patriarchalium seu archiepiscopalium vel episcopalium ecclesiarum ac monasteriorum, quibus ad præsens præsunt aut in posterum præerunt, aut aliorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura & sine cura sæcularium, & quorumvis ordinum regularium, quæ etiam ex quibusvis concessionibus & dispensationibus apostolicis in titulum & commendam alias quomodolibet obtinent, & in posterum obtinebunt, quæcumque, quotcumque & qualiacumque sint, quæ omnia pro expressis haberi volumus, ad solutionem quorumcumque subsidiorum seu decimarum, per nos & sedem apostolicam ex quavis quantumvis urgenti causa, hactenus impositarum & in posterum imponendarum, minime teneantur, nec ad id ab eorumdem subsidiorum seu decimarum collectoribus seu subcollectoribus, aut aliis exactoribus vel quibusvis aliis personis quavis auctoritate fungentibus cogi possint; quodque in eodem concilio quamdiu duraverit residendo, pro præsentibus & residentibus ac divinis interessentibus in ecclesiis, monasteriis & beneficiis supradictis habeantur, ac etiam a die arrepti per eos ad dictum concilium itineris, quousque ad ecclesias, monasteria & beneficia sua hujusmodi commode redire potuerint, omnes & singulos suos fructus, redditus & proventus ac distributiones quotidianas ecclesiarum & monasteriorum ac aliorum beneficiorum suorum, quæ in quibusvis ecclesiis sive locis obtinent, & in posterum obtinebunt; etiamsi canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus, administrationes, vel officia in cathedralibus, etiam metropolitanis & collegiatis, & dignitates quæ in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales majores, seu in collegiatis ecclesiis hujusmodi principales fuerint, & ad dignitates, personatus, administrationes, & officia hujusmodi consueverint per electionem assumi, eisque cura imminet animarum cum ea integritate, cum qua illos perciperent, si in eisdem ecclesiis, monasteriis seu locis personaliter residerent, & divinis interessent, percipere libere & licite valeant, apostolica auctoritate, tenore præsentium de speciali gratia indulgemus.

Mandantes universis & singulis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon canonicis metropolitanarum & aliarum cathedralium ecclesiarum, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel per alium seu alios faciant, auctoritate nostra, fructus, redditus, & proventus, ac distributiones hujusmodi eisdem patriarchis, archiepiscopis, episcopis, necnon & aliis sententias dicendi potestatem habentibus & habituris, in eodem concilio pro tempore residentibus, quamdiu concilio hujusmodi interfuerint, vel procuratoribus suis eorum nominibus, juxta indulti hujusmodi tenorem integre ministrari. Non permittentes eos per locorum ordinarios & dilectos filios capitula ecclesiarum prædictarum aut quosvis alios quomodolibet molestari, contradictores per censuras ecclesiasticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione postposita compescendo.

Non obstantibus si in eisdem ecclesiis sive locis primam non fecerint residentiam personalem consuetam, ac quibusvis apostolicis necnon in provincialibus & synodalibus conciliis editis generalibus & specialibus constitutionibus & ordinationibus ac prædictarum & aliarum ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi fuerint, necnon eorumdem monasteriorum juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, etiam si de illis servandis, & non impetrandis litteris apostolicis contra ea & litteris ipsis etiam ab alio seu aliis impetratis, aut alias quovis modo concessis, non utendo, patriarchæ, archiepiscopi & episcopi ac abbates, & alii præfati per se vel procuratores suos præstiterint forsan hactenus vel eos in posterum præstare contigerit juramentum. Aut si eisdem locorum ordinariis & capitulis a dicta sit sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod canonicos, rectores & personas ecclesiarum, civitatum & diœceseon eorumdem, etiam in dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis constitutos, per subtractionem proventuum beneficiorum suorum ecclesiasticorum, aut alias compellere valeant ad residendum personaliter, seu quod canonicis, rectoribus & personis ecclesiarum suarum civitatum & diœceseon, etiam in dignitatibus, personatibus, administrationibus vel officiis constitutis, & in illis non residentibus, aut qui in eis primam non fecerint residentiam personalem consuetam, fructus, redditus, proventus & distributiones quotidianas beneficiorum ecclesiasticorum in absentia sua ministrare minime teneantur & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non

possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali, vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua ejusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Proviso quod ecclesiæ & monasteria ac alia beneficia hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis quibus illa imminear nullatenus negligatur, sed per bonos & sufficientes vicarios, quibus de beneficiorum eorumdem proventibus necessaria congrue ministrentur, diligenter exerceatur, deserviatur inibi laudabiliter in divinis. Et quia difficile foret præsentes litteras ad singula in quibus de eis fides forsan facienda fuerit loca deferri, volumus & eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumtis manu alicujus notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus curiæ ecclesiasticæ, vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, munitis ea prorsus fides in judicio & alibi; ubi opus fuerit, adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 1. Januarii MDXLVI. pontificatus nostri anno XI.

Blosius & Fulgin.

SECUNDA SESSIO.

De confessione fidei habita Tridenti IV. *Februarii* MDXLVI.

CURTENMOCHIUS. In hac sessione missam celebravit archiepiscopus Panormitanus; orationem habuit F. Ambrosius Catharinus; decretum legit archiepiscopus Turritanus. Adfuerunt patres quadraginta quinque, doctores triginta quinque.

Oratio habita a reverendo patre fratre Ambrosio Catharino Polito Senensi, ordinis Prædicatorum in secunda sessione synodi Tridentinæ IV. *Februarii* MDXLVI.

Præcelsa loci hujus auctoritas, &c. *ut apud Labbeum tom.* 14. *concil. pag.* 1006.

Decretum secundæ sessionis, in quo præmittitur fidei confessio, publicatum IV. *Februarii* MDXLVI.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, hæc sacrosancta œcumenica, &c. *Ut apud Labbeum tom.* 14. *conc. pag.* 743.

Die lunæ quinta Aprilis MDXLVI. illustrissimus D. Dom. Franciscus a Toleto orator Cæsareus intromissus est primum in sacra congregatione generali sacrosancti œcumenici & generalis concilii Tridentini, qui exhibuit & præsentavit in dicta congregatione suum mandatum Cæsareum, vigore cujus se comparere asserebat; quod mandatum est tenoris infrascripti.

Carolus V. divina favente clementia Romanorum imperator augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rex, archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. comes Absburgi, Flandriæ, Tirolis, &c.

Notum facimus tenore præsentium universis, cum ad institutum nuper concilium œcumenicum in civitate Tridento celebrandum deputaverimus, venerabilem, & devotum nobis dilectum dom JACOBUM A MENDOCIA consiliarium, & ad Venetos oratorem nostrum, cum mandatis, ut nostro nomine & vice in eodem concilio comparere, illique interesse & ea facere deberet & posset, quæ nobis ipsis coram facienda, & ex usu rerum essent, & prout hæc omnia in eodem mandato nostro latius continentur.

Cumque is dom Jacobus a Mendocia impeditus adversa valetudine, provinciam demandatam, quam hactenus sustinuit, impræsentiarum exequi minus valeat, proinde ne quid impedimenti aut moræ ob eam causam rebus concilii interjiciatur, neve per nos stetisse videatur, quominus illud suo ordine procedat, suosque debitos progressus accipiat: His igitur rationibus ducti, & confisi de fide, integritate & multa rerum experientia venerabilis devoti nobis dilecti dom FRANCISCI A TOLETO consiliarii nostri, eumdem dom Franciscum a Toleto ad prædictum concilium œcumenicum constituimus & deputavimus, atque tenore præsentium constituimus & deputamus oratorem, procuratorem, & executorem mandatorum nostrorum: ita quod una cum præfato dom Jacobo a Mendocia, cum illius per valetudinem interesse licebit, cum vero illi ob prædictum aut alia legitima impedimenta interesse non licuerit, in ejus absentia solus ipse dom Franciscus prædicto œcumenico concilio intervenire atque interesse nostro nomine & vice, atque omnia ea facere, agere, tractare, & exequi valeat & possit, quæ præfatus dom Jacobus a Mendocia virtute mandati sibi per nos concessi facere potuisset & posset, non minus quam si uterque eorum in ipso mandato nostro constitutus & nominatus esset, & quod idem mandatum nostrum, quo ad eos ambos plenum robur & effectum habere intendimus, & harum serie declaramus. Promittentes insuper nos ratum & gratum habituros & observaturos, quicquid per præfatos oratores, procuratores, & mandatarios nostros virtute ejusdem mandati nostri in præmissis actum, dictum, gestum, tractatum, & factum fuerit, dolo & fraude penitus semotis, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri appensione munitarum. Datum in civitate

noſtra Trajectenſi die altero menſis Februarii, anno Domini MDXLVI. imperii noſtri XXVI. & regnorum noſtrorum XXXI.

CAROLUS.

Ad mandatum cæſareæ & catholicæ majeſtatis proprium.

J. Beruburger.

Quo mandato per angelum Maſſarellum ſacri concilii ſecretarium lecto, ipſe illuſtris orator exhibuit, & dedit eidem D. ſecretario quoddam ſcriptum ſeu propoſitionem, quam ejus nomine legeret. Ipſe igitur ſecretarius dictum ſcriptum in dicta congregatione alta & intelligibili voce legit, quod eſt *tenoris infraſcripti, videlicet:*

Ampliſſimi patres & reverendiſſimi domini, Cæſarea majeſtas exintio illo amore, &c. *ut apud Labbeum tom. 14. concil. pag.* 1013.

Cui quidem propoſitioni ſeu ſcripto die Mercurii ſeptima ejuſdem menſis ſacroſancta ſynodus in generali congregatione reſponſum dedit, ipſo illuſtri D. dom Franciſco a Toleto præſente: quam reſponſionem reverendiſſimi domini legati mandarunt legi nomine totius ſanctæ ſynodi per eumdem Angelum ſecretarium, quæ eſt infraſcripti tenoris videlicet.

Adventus dominationis veſtræ huic ſacroſanctæ ſynodo, &c. *ut apud Labb. pag.* 1014.

TERTIA SESSIO

de ſacræ ſcripturæ libris habita Tridenti

VII. *Aprilis* MDXLVI.

IN hac ſeſſione miſſam celebravit archiepiſcopus Turritanus, *orationem* habuit Generalis Servorum. Decretum recitavit idem archiepiſcopus. Repetita fuit comparitio ſive adventus dom Franciſci de Toleto cum exhibitione mandati Cæſarei, & oratione quadam, item reſponſo ad dictam orationem.

Ad fuerunt patres ſexaginta duo Doctores triginta quatuor.

Oratio reverendi patris fratris Auguſtini de Arctio Generalis ordinis Servorum ad patres in concilio Tridentino habita in tertia ſeſſione.

Multi ſæpe numero fallaci illa carnis prudentia omnia diverſe & falſo interpretante decepti, de perturbata ac deformata Chriſti eccleſia non ſolum admirantur & ſtupeſcunt, ſed pene etiam a fide deficiunt, nimirum exiſtimantes Chriſtum ſervatorem noſtrum, minus benignum, potentem, ſapientem, vel certe minus fidelem, quod ſuam eccleſiam, quam adverſus dæmonis & vires omnes & actus, invictam, erectam, atque ſine macula rugaque cœleſti patri pie ſecureque obſequentem ſervare pollicitus eſt, tot errorum turbinibus, ſchiſmatum procellis, hæreſum concuſſionibus, tanta morum corruptela contaminatam, ſuperatam, peneque perditam indigne patiatur. Verum qui depreſſa carnis prudentia, certa ſpiritus Dei ratione ducuntur; hi cum in omnibus operibus, tum in his præſertim eccleſiæ perturbationibus & calamitatibus Dei potentiam, ſapientiam, benignitatem, fidemque agnoſcunt, prædicant, venerantur, utpote qui norunt eccleſiam fide, fidem evangelio, evangelium cruce gigni, formari, atque gaudere, ut eatenus illa in Chriſto nitatur in hoc ſæculo, *quatenus iis malis vexata, crucem ſuſtinet.* De qua re ego dicturus hodie JESUM optimum maximum per crucis triumphum, per evangelii claritatem, per eccleſiæ ſuæ ſalutem obſecro & obteſtor, ut quæ ad hujus rei *negotium* ſpectantia ſua potui benignitate concipere, eadem valeam in tam doctiſſimorum patrum conſeſſu, cum omni attentione & fructu oratione proſequi.

Omnes qui de ratione eccleſiæ diſſerunt, fidem eam eſſe affirmant, qua velut ſacroſancto vinculo homines in unum populum, unam ſocietatem vel verius familiam cœleſtis patris, in unum denique *Chriſti corpus* cohærent, in eamque conſentiunt eccleſiæ diffinitionem, quod ſit fidelium omnium cœtus. Verum toto, ut aiunt, aberrant cœlo, qui fidei nomine nihil altius concipiunt, quam *notitiam*, atque cœleſtium ſalutis noſtræ myſteriorum aſſentionem, humanæ intelligentiæ vim & captum ſupetantia, quæ velut methodo quadam in apoſtolorum ſymbolo liquido traduntur. Etenim cum in hac fidei ratione dæmones primas ſine controverſia partes obtineant, nempe multo clarius quam nos ſalutis noſtræ myſteria cognoſcentes, iiſdemque aſſentientes *fateantur*, oportet vel nullum vel parvum eſſe dæmoniorum & Chriſtianæ fidei eſſe diſcrimen, id quod omnes piæ aures in ipſo ſtatim limine refugiunt. Ea propter Chriſtiana perfectaque *fides doctorum judicio*, præter illum evangelicæ ſapientiæ aſſenſum, ſpem certam amplectitur atque fiduciam de bonitate & eccleſia Dei nobis per Chriſtum peccata condonante; in qua quidem fiducia, quam in omnibus fere, quos ſanavit Chriſtus, quæſivit, vera perfectaque Chriſtianæ fidei ratio & proprietas ſita & poſita eſſe videtur. Quam ob rem Cananæa, Magdalena, Centurio, Latro, totque ſancti viri in ſcripturis ſacris fidei excellentia & magnitudine clari, fiducia in Deum potius, quam aſſentiente illa cognitione præſtantes, commendantur. *Et qui juſti judices eſſe volunt*, jam exiſtimant idiotam magna in Deum fiducia erectum, hiſtorico aut evangelii aſſenſu vix mediocriter præditum, fide longe excellere eximios doctores Deo parum fidentes, & de evangelicis myſteriis doctiſſime & eloquentiſſime differentes. Hinc fit ut dæmones hanc ſpem ſive fiduciam concipere non valentes, quo clarius myſteria ſalutis per *Chriſtum* credunt, eo magis contremiſcunt. Hac igitur

tur vera, perfecta, viva atque Christiana fides, habitus est in animo a Deo optimo maximo infusus, numquam otiosus, sed in revelata omnia inclinans, nusquam non splendens pietatis operibus, caritatis speique perpetuus comes, radix & summa sanctæ vitæ: qui peccata non imputat, sed destruit, justitiam confert, pacem conscientiis donat, Deo placere facit, præstat hæreditatem ut sit firma promissio: purificat corda, credentes servat ne pudefiant, invocationem gignit cum fiducia accipiendi petita, omnia possibilia reddit piis; parit confessionem justitiæ, veras gratiarum actiones efficit, promissiones apprehendit, in adoptionem filiorum Dei mortales coaptat, eosque Christo ac Christum vicissim illis conjungit, & in unum ædificat corpus. Porro fides non legis doctrina aut eruditione, sed evangelii oritur salubri verbo. Est quidem legi sermo communis cum evangelio, de misericordia, benignitate & clementia Dei, cum terrena tum cœlestia bona cunctis mortalibus largiter donante. sed lex justos suorumque decretorum magistros & professores, quibus divinæ bonitatis dona communicentur, quanto exactius perquirit, tanto minus assequitur. Quo fit ut animus Pharisaicæ persuasionis nequitia deceptus, suæ prorsus oblitus injustitiæ, vel superbe quidem & arroganter falsam in se admiretur justitiam, atque ob id frustra in Dei benignitate nitatur; vel sibi male conscius fluctuet, æstuet, susque deque feratur, terroribus multis ut furiis agitetur, tandemque in desperationem & odium Dei redigatur. Hinc perversissimi Judæi quo plures Christi amandi & recipiendi nanciscebantur occasiones, eo alieniores & inimicitiores reddebantur. Hi enim cum in evolvendis prophetarum libris semper essent versati & quasi educati, totque reliquorum vatum, & in primis ipsius Mosis frequentes fuissent auditores, cum Christum innumera edentem miracula ob oculos haberent, qui oves Israëlis a suo ovili longius aberrantes revocaturum & salvaturum se venisse palam prædicabat, suæ salutis plane immemores, legis observatione freti, ipsum respuebant & maxime aspernabantur: sicque Israël qui sectabatur legem justitiæ, ad justitiæ legem non pervenit, quia non ex fide, sed tamquam ex operibus legis, immo vero in lapidem offensionis qui eis Christus fuit, allisi, contusi confractique sunt. Unde non immerito Paulus etsi legem hoc titulo, quod iræ & mortis est ministra, ubique non est veritus insignire, nequaquam tamen eam hoc præstanti elogio, quod salutis ministra sit, exornare est ausus; quippe quæ cum deprehendat injustos divinoque furore dignos, justos non comperit clementiæ aptos. At evangelium lætum illud nuntium, vas veri & pleni gaudii, vox sanctæ consolationis, instrumentum amatæ pacis, organum speratæ salutis, non quærit quos reperire non potest, justos & mandatorum observatione fretos, vel qui commissorum condignam expleverint satisfactionem: sed sceleratos, impios, sacrilegos, denique omni scelerum genere facinorosos. atque iis gratis, si tamen eos male actæ vitæ pœnituerit: habet enim immensum illum mortis Christi thesaurum, unde divinæ justitiæ omnium hominum qui solvendo non sunt debita persolvat, his, inquam, gratis divinæ clementiæ favorem, peccatorum remissionem, justitiam, voluntatis renovationem, de prima loquor justitia, patres, sanctitatem atque filiorum gloriam exhibet: crede, ait, confide, remittuntur tibi peccata tua, sanctus eris, & sancta Deo, quæ hactenus non potuisti, post hac præstabis opera.

Hoc evangelii verbo qui primum oppressus ac pene extinctus jacebat animus, erigitur in Deum, nec subducens pro se quanta debitorum mole prematur, quamve longe a justitia per legem exacta distet, in Dei misericordia nixus, per spiritum filii sui clamat, abba pater: item, *si filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Hinc Gentiles quibus omnia a Christo preclarissime gesta, inaudita, & omnino incognita erant, qui fœdissimam & flagitiosissimam degebant vitam, ecce repente ex tenebris ad lucem, ex desperatione ad spem, a morte ad vitam revocati; vel potius tamquam machina quadam ab ipso ad superna impulsi, clarissimi toto orbe apparuerunt, Christum liberatorem suum receperunt, eique firmissime adhæserunt: sicque gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem quæ ex fide est. Ceterum, quoniam crucis triumpho evangelicæ promissiones innituntur, fit ut quemadmodum deleto evangelio fides gigni nequaquam possit, ita etiam rejecta cruce, evangelium ut rejiciatur necesse est. Evangelii igitur, crucis, fideique nexus manet indissolubilis; crucis enim intuitu per evangelium credimus. nam Christus devicto mundo, profligata morte, deletis peccatis, promissiones omnes obsignavit & confirmavit. ac propterea qui auditis evangelii promissionibus credunt & assentiuntur, ii statim Christo conjunguntur crucifixo, atque crucis triumphum obeunt, id est mundo, carni, peccatis, satanæ mortui sunt; vicissimque illa eis crucifixa. Hæc enim est vera crucis subeundæ ratio, quo fit ut ipsi cum Christo in unum corpus & eumdem spiritum singulari quadam comitante conjunctione [uniantur], eisque omnia quæ Christi sunt cum Christo communia fiant, justitia, salus, vita, meritum, satisfactio, regnum denique; & ab eo velut a sole ipso in orbem animorum credentium radii effluant meriti & satisfactionis, ut crucem sustinentes mereantur, & non tam ipsi mereantur, quam

in ipſis Chriſtus. Quamobrem eorum quilibet dicere merito poſſit: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Oro ego, & a cibis me abſtineo, jam non ego, orat vero, & a cibis abſtinet in me Chriſtus. neque amplius divinæ juſtitiæ jus ullum vindictæ eſt in eos, ut de illis æterni ſupplicii pœnas ſumat. O novum gloriæ genus, ô inauditam ſæculis triumphi *rationem per crucem*! ô ſelicem humani generis conditionem, quæ ſolo crucis intuitu in tam altum dignitatis faſtigium eſt evecta, ut divinus & nominetur & fiat homo.

Vere igitur, patres optimi, fidelibus nihil familiarius eſt cruce, nihil pie vivere volentibus *optabilius* quam crucem in foribus figi. nihil Chriſtum ſequentibus dulcius, quam crucem in præcordiis geſtare. at vere cruce non eas tantum afflictiones & mortificationes intelligo, quas ſibi ſponte pii quidam fideles per jejunia, peregrinationes, diſciplinas, per ſæculi *contemtum*, ſolitudinem voto aut alio ſancto conſilio adjungunt; quæ omnia ad crucem ſpectare verum eſt. Sed veriorem crucis rationem arbitror in his afflictionibus, perſecutionibus & malis conſiſtere, quæ Deo arcanis rationibus permittente, ſathanas, mundus, hoſtes Chriſti, in veritatis, juſtitiæ, pietatis, denique Dei veri cultus oppreſſionem excogitant, & in eccleſiam chriſtianam invehunt & urgent. quos motus & perturbationes, & tumultus eccleſia Chriſti munita præſidiis ſuſtinet, excipit & devincit, & quidem ex corde dolens interim de multorum interitu. profecto fatentur illud omnes, primam de ſervatore Chriſto promiſſionem jam inde ab initio primis parentibus factam fuiſſe, cum Dominus ad ſerpentem dixit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ſemen tuum & ſemen mulieris, ipſum conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus.* qua promiſſione fretus ipſe Adam, uxorem ſuam Hevam vocavit nomine viventium matrem, ſatis aperte oſtendens, quod legis maledictionem quam audierat, cum dictum eſt ei: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, certo delendam eſſe crederet.

Idcirco qui minaci legis doctrina prius jacebat extinctus, promiſſionis verbo ſtatim ejus erectus eſt animus. Jam audiſtis patres, primis evangelii verbis adjuncta eſſe crucis verba, quæ item ſit vera crucis ratio, inſidiæ ſcilicet, perſecutiones, molitiones ſatanæ & ſeminis ejus, nempe impiorum & reproborum conatus omnes: & quid convicia fuere, quæſo, fraudes, conſpirationes, contumeliæ, odium ſacerdotum, ſcribarum, phariſæorum, crucis denique in Chriſtum apparatus omnis, quam ſatanæ inimicitiæ & inſidiæ? numquid non ingreſſus eſt ille in cor Judæ, ut magiſtrum venderet & proderet? numquid tot impetus, furores, tormenta, tot adverſus apoſtolos mortes, ſatanæ non fuere conatus, cum evangelium orbi invulgarent? numquid fortaſſe quoniam a ſatana parabantur, ad crucem non ſpectabant? Paſſus eſt ſemel Chriſtus in ſua ipſius perſona, in eaque numquam amplius paſſura revixit. ſed quoties evangelica doctrina ac pietas damnatur, cæditur, conſpuitur, crucifigitur, ſepelitur: quaſi denuo patitur, atque quotidie in membris ſuis torquetur; quoniam par eſt eos qui in cœlo cum Chriſto regnare cupiunt, eum ut per crucis ignominiam hic referant & ſequantur. Errores igitur, ſchiſmata, hæreſes, morum pravitas, hac noſtra tempeſtate oborta, crucis ipſius notæ ac ſtigmata ſunt, unius ſatanæ conſiliis excogitata, & Dei ſapientia permiſſa, quamvis utriuſque non ſit eadem conſilii ratio. Ille tot malis eccleſiam vult ad blaſphemias & impietates dirigere; Deus illis veluti ſtimulis quibuſdam ad aſſiduam ſui provocat invocationem, ille ad deſperationem juſtos impellere ſtudet: Deus eos ad ſpem ſalutis conſequendæ firmiorem erigit. Ille electorum curſum ad cœleſtem gloriam tendentium impedire conatur; Deus vero per hujus vitæ contemtum ad curſum alacriores reddit: ille ad odium & impatientiam irritat, Deus ad patientiam & caritatem ſollicitat: ille denique omnem Dei cultum, omnem Chriſti gloriam opprimere & penitus extinguere tentat: Deus, ut cultus fiat illuſtrior & Chriſti gloria excellentior, operatur & perficit.

Et quamquam eccleſia in militia conſtituta ſancta eſt, quotidie tamen proficit, velut quæ nondum ad ſanctitatem pervenerit numeris omnibus abſolutam, quam in futuro ſæculo expectat. Quotidie afflictatur per crucem, ut in dies magis renovata intimior fiat cum Chriſto ſocietas, & invicta ſemper in his certaminibus manet eccleſia. tuncque fit clarior & glorioſior cum maxime premitur & affligitur. Hæc nempe viſibilis eccleſia quam cognoſcere, obſervare, ejuſque communionem colere noſtra intereſſe conſpicimus, ac penes quam Deus optimus maximus cæleſtes omnes theſauros nobis diſtribuendos depoſuit, & bonos & malos complectitur, veluti Judam primis illis diebus apoſtolico munere fungentem. nunc vero multos hypocritas, ut arca paleam, multos ambitioſos, ut ſagena piſces malos, multos rapaces, ut ager lolium, multos avaros, ut nuptiæ abſque nuptiali veſtimento hominem, multos Dei inimicos, ut cœtus ille virginum quinque fatuas amplexatur & fovet. Verum quæ coram Deo eſt eccleſia, illi ſoli nota qui eam formavit, illi ex corde ſerviens qui eam ſanctificavit, quamve præſenti oculo cernere non valemus, eos amplectitur qui viva in Chriſtum fide aſciti ſunt in gloriam & honorem filiorum Dei, ante ſæcula prædeſtinati, & determinato tempore vocati, juſtificati, magnificati, clamantes: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

Adverſus hos tametſi inſaniat ſatanas, & omnibus conatibus, nimirum per mundi delicias, per tot varios *impetus & furores loco* & tempore ſuo judicio ad fallendum aptos deſæviat, vanus tandem ac victus deſcendit. Quos autem ad damnationem attrahit, hi ad hanc eccleſiam ſupra firmam petram, hoc eſt Chriſtum, ab ipſo Chriſto ædificatam, non pertinent, in ſuoſmet tandem ipſe *prævalet*, qui cum ſimulata religionis ſpecie, ſuper petram eſſe videantur, re tamen ipſa ſuper arenam erecti ſunt. Nimirum quod Dominum JESUM ore tantum & ceremoniis colentes, corde & operibus eumdem nequiter abnegent, videnturque Chriſti, & ſunt ipſius ſatanæ membra. Eia igitur, ſatana, ex ingenio jam & more freme, ſævi, collige vires tuas, novas inſidias & artes inſtrue, crucis apparatus compone, jam enim novum nactus es Judam, jam in novum ingreſſus es apoſtatam, qui ſimulato oſculo, & ficta ſalutatione, Chriſtum prodere non veretur, falſum ſane illum diſcipulum noſtris his temporibus verbum Dei, cujus eſt ſceleratiſſimus corruptor, prætendentem & evangelii titulo docentem, ea quæ recta, ut aiunt, diametro cum evangelio pugnant, numeroſam habet cohortem, fuſtibus & armis inſtructam, nempe auctores ſectarum, propriis furoribus quæ carnis ſunt docentes. Excita, inquam, compelle, miſce, perturba omnes omnium ordinum magiſtratus, prophanos & ſacros, tibi ad omne tempus permittitur, ut videaris poſſe Chriſtum & omnem ejus cultum extinguere, & Chriſtus meus in eccleſia pavet, contriſtatur, conſudat ſanguine, horret paratum calicem: ſed Patris præſidio e cœlo confortatus, glorioſe triumphabit, & cum te victorem eſſe credes, regno depulſus, optatam malorum tyrannidem amittes.

En paratam, patres ampliſſimi, crucem, quam ſi eſtis vere qui vocamini, ultro ſubire debetis. Quod ſi caro infirma eſt (nam homines eſtis) ſit ſpiritus ipſe promtus, quia Chriſtus regnat in cœlis, cujus favore, virtute & Spiritu muniti eſtis; eccleſia cujus vobis delegata eſt cura, irrequietis vicibus, his currentibus & recurrentibus hæreſibus, velut cruci ſubjecta eſt. Et quamvis, ingenue fateor, nullis umquam temporibus neque evangelii corruptores, neque pravi mores defuerunt, ob quam rem patrum conventus coacti ſunt, & ſæpe poſt conciliorum definitiones exacerbato malo contigerit eccleſiam gravioribus fuiſſe oppreſſam calamitatibus, tamen triginta abhinc annis majores quam umquam antea jacturas fecit, parum ſemper proficientibus quæcumque in remedium inſtituta ſunt, ut niſi divinis fuiſſet ſervata præſidiis, eo miſeriarum jam & calamitatis veniſſet, ut fruſtra nunc hunc veſtrum haberetis conventum, quo in meliorem ſtatum redigi poſſet. Nam omnia ad religionem pertinentia, intricata, perplexa, ſophiſtica, inſidioſa & corrupta docentur; quæcumque conciliorum & patrum auctoritate, longo ætatum uſu firmata ſunt, manifeſtiſſimis objiciuntur reprehenſionibus, & *ut ſemper fuit hæreticorum ingenium*, in angulis ipſis & in penetralibus Chriſtum oſtendere, apud ſe ſpiritum Dei & eccleſiæ *auctoritatem eſſe volunt*, atque quo perennem errorum fontem effodiant, & diſcordiarum finem numquam faciant, omnia ex *ſcripturis ad eorum inſaniam vi extortis*, volunt ſtatuere; ſibi vero arrogant ſcripturarum intelligentiam, in quibus illis affatis *apoſtolis quotquot fuerunt ſanctitate*, eruditione, pietate ac poteſtate clariſſimi patres, ad hæc uſque tempora ipſi hallucinatos fuiſſe clamant. *Egregiam illorum ſapientiam* ſcilicet, præ qua tot ſancti viri deſipiunt! mirificam doctrinam, præ qua ipſi litterarum principes *litteras neſciunt*; *inſignem pietatem*, præ qua qui eccleſiæ inſtituta ſervant impii ſunt! Et inſtant etiam nunc ea qua ſolent inſania *& ferocitate in parietem inclinatum*, & in ruinam quam fecerunt incumbentes. plane jocum dicetis fuiſſe ſub Noë diluvium, ſi *has cataractas, nubes, tempeſtates* errorum intueamini. Et quod in primis advertendum eſt, adeo Chriſtianæ vitæ rationem *& ſanctorum morum nervos, oborti & ſuſcitati* errores tangunt ac lædunt, ut fruſtra nunc de reformanda & inſtauranda eccleſia recta *a vobis ratio haberi poſſit, ni prius cunctæ* errorum radices exeidantur & exſtirpentur.

Et quidem nunc magna ſpes piis omnibus affulſit, quippe *qui credant veſtro* hoc conventu ipſam tandem religionis veritatem firmandam, & omnes adverſariorum fraudes deregendas, *jus, æquitas, ſcripturæ* ipſæ apoſtolicæque traditiones vobis in primis favent. Quod ſi bonorum conſenſus plurimum valet, vobiſcum ſunt eccleſiæ *doctores*; ſi conſuetudinis vis, multarum quin etiam a Chriſto ætatum omnium uſu receptum eſt quod defenditis; ſi *majorum judicia*, in his rebus jam olim decertatis, ſemper ex ſententia nobis adjudicatum eſt: ſi epiſcoporum eruditio, eccleſia in hoc Occidentis angulo tot antiſtites & doctos & diſertos numquam habuit. Illud vero maxime cavendum & providendum vos *moneo*, ne qui iis morbis, iis vulneribus remedia profitentur adhibere ungues ſint: re enim ipſa compertum eſt verum eſſe quod aiunt, *ne quid nimis*. non eſt ullo pacto ferendum, ut quæ majorum auctoritate & longo ſæculorum conſenſu tradita ſunt, aboleantur aut labefactentur. Verum nec admittendi ſunt illi qui adeo familiaribus quorumdam docendi formis utuntur, quibus velut alteri Paulo, ne dicam Chriſto, addicti ſunt, eiſque tam mordicus hærent, ut ſi quid audiant ab ea quam ſemel imbiberunt doctrina di-

versum, fidei vero vel sanctis moribus nullatenus contrarium, nescio qua insania quove furore protinus clamant, hæresis, Lutheranum vel Zwinglianum dogma, ad furcas, ad ignem; sint quasi ipsi soli ludorum magistri, & eorum censuris omnia subjicienda. Debetis conciliorum servare majestatem, & ad ea distinienda progredi quæ religionis & fidei & morum nervos & animam, ut dicitur, tangunt. Cetera vero in quibus absque gloriæ Dei injuria, sine animarum jactura poterunt, ut solent, luxuriari ingenia, & suo abundare sensu, ad eorum exercitationem dimittatis, ne omnia constringere volentes, omnia in perpetuæ controversiæ periculum exponatis, nihil dimittentes ad solatium, delicias ac libertatem ingeniorum discutiendum.

Proinde ut extremum aliquid habeat oratio mea, de collapsis moribus nihil est quod dicam: nam sive antistitum, sive principum, sive sacerdotum, sive magistratuum, sive plebis ipsius ordines spectemus, quantum ab officio distent, pius quam volumus experimur. Sed mea sententia pessimum quoddam est exoptatæ reformationis venenum, in aliis reformationem expetere, in seipsis vero nolle: episcopi & sacerdotes fortiter instant suæ functionis honorem & potestatem multis modis in injuriam Christi & animarum jacturam sibi impediri tollique; interim tamen obliviscuntur officii exhibendi, quasi statim querelis omnibus fiat satis per illa Christi verba: *Quæcumque dixerint vobis servate & facite; secundum vero opera eorum nolite facere.* Principes nullam sibi suæ administrationis regulam præscribi patiuntur; sed omnia de eorum arbitrio & voluntate cum prophana tum sacra pendere volunt, expilantes, opprimentes, bellis omnia diris commiscentes, in odium aut gratiam jus omne pervertentes, quos ad hoc vitæ genus sæpe concitant atque nutriunt episcopi quidam & doctores adulantes & aucupantes, nec sine pernicie quidem ecclesiasticæ dignitatis ac libertatis. Neque vero mediocris est populi pervicacia, ita odisse & debacchari in majorum errores, nullo pacto ad eos connivere volentes, ut omnino non cogitent se in suo gradu esse deteriores. Itaque omnes ad aliorum vitia lyncei, in sua vero ipsorum talpis cæciores; Christi legem toris humeris ab aliis sustinendam simulata quadam pietatis specie exquirunt, quam ipsi nolunt vel summis digitis tangere; & in seipsis Christum tenentes extinctum, in aliis viventem delineatumque videre volunt. Quamobrem, patres amplissimi, pastores vigilantissimi, qui clavum tanti imperii tenetis, & totius reipublicæ Christianæ gubernacula tractatis, si umquam summus ille pastor, cujus vices merito in ecclesia geritis, vobis est referendus; si vobis qui in apostolorum sedes successistis, apostolici pectoris exemplum umquam est præstandum, hoc potissimum tempore officio locus est, quando tantum in orbem terrarum errorum & scelerum mare inundavit, ut jam dilecta Christi sponsa, nostra & omnium mater ecclesia, dehonestata vultu, violata corpore, minisque ac terroribus percussa, a suis carioribus oppressa, fere nesciat quem hostem ejiciat, a quo se defendat, quandoquidem omnes videt domesticos, nullos pacificos; omnes amicos, nullos defensores. sese vobis tuendam exhibet, quos etiam per officii vestri dignitatem & auctoritatem petit, rogat, obsecrat, obtestatur, ut eam tot funestis fraudibus circumventam, tot scelerum laqueis irretitam, tot impiorum hostium furoribus agitatam, tot minacibus ruinis periclitantem liberetis, componatis, servetis, custodiatis. Scimus Christum servare ecclesiam suam, neque res ejus eo venire permissurum, ut sint prorsus deplorandæ: sed vobis nunc vel adjicienda est manus, vel alius expectandus est Nabucodonosor, qui durioribus modis doceat nos meliora sapere.

Moveat vos itaque, patres, susceptæ provinciæ ratio. Moveat professionis vestræ religio; moveat, inquam, Christi honor & gloria; moveant piorum preces, vota, clamores, lacrymæ, quæ quotidie effunduntur, ut eluceat veritas, finis fiat diffidiorum, mores collapsi restituantur; principes, pacis legibus firmatis, a diuturnis dissentionibus quiescentes, publico orbis commodo suis fungantur officiis. Atque in vos ipsos descendatis, & profligatorum morum causas magna ex parte vobis acceptas esse, postquam mundus id jure vel injuria prædicat, fatentes, reformationis exordium in vobis statuatis. qui enim alios ad bene vivendi regulam perducere instituit, necesse est, ut prius ipse sanctæ vitæ exemplo, veluti viva lex, efficiat quod docet & præcipit, ne merito in eum dici possit: *Medice cura teipsum*, & *Ejice trabem de oculo tuo.* Quod si faciendum curaveritis, populus antistites ipsos, veluti animatas leges & viva decreta observans, ad Christianæ pietatis normam facile revocabitur. Ipsique mundi principes, qui tanto orbis malo peccant, & *in quorum ambitionem tantum humani sanguinis effundi solet*, præstabunt seipsos, qui esse debent populi pastores, & cognoscent *jam satis superque insanitum esse*, jam satis in mutua debacchatum esse exitia, jam satis actam esse quæ Turcarum oculos pascat tragœdiam. Itaque vestro beneficio sentiat orbis, salutarem sibi regum pacem & concordiam. Nam quæ modo inter eos videtur, satis ægre constat, adeoque incerta exstitit, ut nesciamus an vera pax sit, an sumtum consilium, quo sumtis viribus, majore cum furore & impetu in viscera gladium stringere valeant.

Redemtor mundi, Christe Jesu, cui omnis data est in cœlo & in terra potestas, Spiri-

tum tuum hodie omnibus qui te referunt episcopis & principibus imperti, ut utrique sui gladii jure in honorem & solius nominis tui gloriam feliciter utantur, & inter nos bene constituta evangelica pietas longe lateque propagetur, sua fragrantia plurimos etiam tui nominis hostes ad suæ institutionis professionem attrahens. Quamobrem collapsa ecclesia restituatur, contracta dilatetur, nutans confirmetur. Si nos deseris, ad quem confugiemus? Si non exaudis, quem alium invocabimus? Pro nobis ecce esuristi, sitisti, opprobria, flagra, spinas, acetum, fel, crucem, denique extremum ignominiæ mortis genus sustinuisti. Peccavimus, sed ideo stas a dextris virtutis Dei, ut eorum qui peccaverunt apud Deum causam agas. Si justi essemus, te advocato non egeremus. An forte alius stat, qui apud Patrem magis adversus nos, quam tu pro nobis valeat? An Pater qui unicum & unigenitum Filium, cum jam hostes ageremus, tot vulneribus afflictum, tandem ad crucem tradidit, ut ei reconciliaremur, te nunc non exaudiet pro reconciliatis? Miserere, miserere Domine, quoniam si non essent peccata nostra, nullus esset misericordiæ tuæ locus. Dixi.

Decretum tertiæ sessionis, de sacra scripturæ libris & impressoribus, publicatum VIII. *Aprilis* MDXLVI.

Sacrosancta œcumenica & generalis synodus Tridentina in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus apostolicæ sedis legatis, hoc sibi ante oculos proponens, &c. *ut apud Labbeum sessione* IV. *pag.* 746. *usque ad sessionem* V.

Breve Pauli III. pontificis maximi ad episcopos & abbates Helvetiæ.

PAULUS papa III. venerabilibus fratribus Sedunensi & Curiensi episcopis, ac dilectis filiis S. Galli, & S. Mariæ de Valle, necnon S. Urbani, & aliis abbatibus in Helvetiorum & suorum confœderatorum dominio commorantibus, S. & A. B.

Cum omnes Christianitatis prælatos ad universale concilium Tridenti indictum pro nostro illorumque officio convocamus & cogimus, tum vos præcipue ecclesiam Helveticam referentes, cujus nationis populos tamquam peculiares sedis apostolicæ filios & libertatis ecclesiasticæ defensores, speciali amoris nostri prærogativa complectimur, idcirco a vobis tanto studiosius excipi, & ad effectum deduci debet, quanto ipsum concilium apertum celebrarique cœptum, Gallicis & Hispanis ac Italis prælatis & aliis in dies confluentibus, frequens jam est; ita ut vos suppudere possit tam vicinos tam longinquis in conveniendo fuisse pigriores. Quod autem vestra natio non parva sui parte infecta hæresibus, remedio ipsius concilii magis indiget, nulla in vobis mora quamprimum convenjendi esse debuisset. Quam nunc tarditatem celeri debetis diligentia compensare. Itaque remittentes illuc dilectum filium Hieronymum Francum, nuncium nostrum, has ei ad vos dandas, iterataque missione vos monendos & hortandos duximus, apostolica auctoritate tenore præsentium monemus & hortamur, ac in virtute sanctæ obedientiæ, & sub vinculo juramenti in vestris promotionibus præstiti, ceterisque sanctorum canonum districtionibus vos urgemus, ut quantocius, & omni mora postposita, ad dictum concilium proficiscí, ibique ad pacem universalem, sanationemque & unionem vestrorum populorum, inter cetera omnibus studiis intendere debeatis, impleturi vestrum officium, & nobis post Deum rem gratam & acceptam facturi, sicut idem Hieronymus nuncius hæc latius explicabit, cujus verbis plenam habebitis fidem. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI. Aprilis MDXLVI. pontificatus nostri anno XII.

Blosius. E. Fulgin.

QUARTA SESSIO.

De peccato originali ejusque remedio habita Tridenti XVII. *junii* MDXLVI.

In hac sessione missam celebravit episcopus Plentinus: orationem habuit Marcus Laureus Calaber: decreta legit idem episcopus, item quoddam breve summi pontificis. Adfuerunt patres sexaginta quinque, doctores quadraginta.

Oratio fratris Marci Laurei sacræ theologiæ professoris, habita ad patres in concilio Tridentino in sessione XVII. *Junii* MDXLVI.

ASTITIT REGINA *a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Hæc est ecclesia Domini dominantium & regis regum, JESU CHRISTI unica & dilectissima sponsa, quæ induta est ciclade auro texta, & vernantibus atque coruscantibus gemmis, immensisque monilibus ornata. Ecclesia enim est congregatio fidelium priorum usque ad ultimum electum; unde ita fulget patriarcharum fide, prophetarum spe, apostolorum caritate, purpureo martyrum sanguine, micanti doctorum & confessorum sapientia atque pietate, candida & illibata sanctarum virginum pudicitia, ut omne aurum in comparatione ipsius arena sit exigua, & tamquam lutum in conspectu illius existimetur argentum ac omnis gemmarum varietas. Cum autem vos, summi pastoris vicarii, orbis terrarum cardines eximii, vigilantissimi animarum custodes & cœli clavigeri, prospiciam ad ipsius ecclesiæ decorem & augmentum hic esse in Spiritu sancto legitime congregatos, de eadem verba facturus, vereor ne qua de me omnium vestrum subeat admiratio, meque non solum insolentiæ, verum etiam temeritatis crimine accusetis, cum

ipſe adeo tenui exilique ingenio, qui parum auctoritate, minus dicendi exercitatione valeo, coram tantorum corona verba facere audeam. Verum ſingulari humanitate ac potius eo ſpiritu, in cujus nomine congregati eſtis, fretus ad dicendum accingor; in primiſque ipſius auxilium imploro, qui cum Patre & Filio unus eſt Deus, unus eſt Dominus, ut ipſe qui linguas infantium facit diſertas, linguam meam erudiat, atque in labiis meis gratiam ſuæ unctionis infundat.

Summus rerum omnium opifex, quem ſupremam ſubſtantiam, ſublime bonum, veritatemque præcipuam non ambigimus, tali ordine tantaque harmonia ſingula in propriis conſtituit naturis, & incomprehenſibili ſapientia a fine uſque ad finem eadem fortiter attingit atque ſuaviter diſponit, ut non injuria hujuſcemodi omnia mundi univerſi totiuſque perfecti nomine nuncupari mereantur. Hic enim mundus quem Græci κοσμὸν appellant, ipſi archetypo ſimillimus, incorporeorum & corporeorum varietate connexione neque decoratur, ita ut nihil in eo ſuperfluum vel mancum aut inconcinnum reperiri queat. Similiter quoque cum ſeipſam quoad ea quæ naturales excedunt limites communicatura eſſet, par erat ut mundum quemdam myſticum inſtitueret, qui naturalem rerum omnium ordinem procul dubio præcelleret, in quo ſtupendam altitudinem divini conſilii in mirifico ſupernaturalium ordine contemplaremur. Nam hic ex triumphante & militante conſtat eccleſia, veluti cœlo & terra. Quæ quidem eccleſia militans quamvis ſerpentis aſtutia primorumque parentum peccato, juſtitia originali deperdita, quaſi terra evaſerit inanis & vacua ac tenebroſa, originalis peccati abyſſo regnante; ſemper tamen fovebatur ſpiritu Domini qui ferebatur ſuper aquas, dum lege naturali & ſcripta diſponebat eam in fidem venturi luminis. Erat enim lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cujus ſplendore illuſtrata eccleſia firmamentum evaſit, & columna veritatis & cujuſcumque perfectionis. Si quidem per eam caro a ſpiritu ſecernitur, vera a falſis, catholica ab hæreticis diſcernuntur, & ima ſummis junguntur. Hæc tametſi in aquis ſcriptæ legis velut rota in medio rotæ latitaret, & inde fructibus æternæ vitæ non appareret idonea, in Chriſto tamen per quem conſummata & adimpleta ſunt omnia, tertio quaſi die, qui ſtatus erat legis gratiæ, axi apparuit denudata, dum evangelica gratia uberrimos æternæ vitæ fructus ubique produxit. Nam ibidem luminari majore & minore, id eſt doctrina ſacræ ſcripturæ & ſanctorum patrum univerſa manifeſtantur & diriguntur: duobus gladiis ſpirituali & temporali omnia gubernantur & proteguntur. Nec deſunt hic volucres cœli piſceſque maris cum animantibus terræ: adeſt enim angelorum cuſtodia, revelatio & illuminatio; nec abeſt miniſtrorum eccleſiæ multiplex varietas & diligens ſolertia. Quemadmodum enim Deus trinus & unus omnia ſua opera unitate cum trinitate diſtribuit, unde mundum hunc unicum atque trinum produxit, intellectualem videlicet & cœleſtem atque elementarem: ita quoque in triumphanti eccleſia uni Deo ſubeſt terrenus ſupernorum ordo ſpirituum, quorum infimæ hierarchiæ triplex ordo infimi mundi, elementaris ſiquidem, miniſterio incumbit. Tres vero medii ordines, ulteriores mundi, cœleſtis nimirum, curam gerunt. Suprema autem tripartita hierarchia eſt ſolummodo Angelorum aſſiſtentium divinæ majeſtati.

Similiter etiam in hac noſtra Jeruſalem, quæ nova de cœlo deſcendit, ſupernæ Jeruſalem filia, matris illuſtrata ſplendoribus, ſub uno Chriſti vicario Petri ſucceſſore, & militantis eccleſiæ capite pontifice maximo, tertio miniſtrantium ordine hierarchia conſtituitur eccleſiæ, cujus tres infimi ordines, diſcipulorum Chriſti ſucceſſores, ſacerdotes, diaconi & ſubdiaconi particularibus eccleſiarum curis occupati, quaſi mundi infimi & elementaris miniſterio detinentur. At univerſaliorem eccleſiarum curam gerit, qui apoſtolis ſuccedit triplex angelorum ordo, epiſcoporum quidem, metropolitanorum & primatum: ſed ſuprema eccleſiæ hierarchia, quæ cœleſti ſimillima eſt angelorum aſſiſtentium, tres cardinalium ordines continet, videlicet epiſcopos, preſbyteros & diaconos cardinales, quorum eſt ita rubicundos & accenſos eſſe ſeraphico caritatis ardore, & ad inſtar cherubinorum fulgere plenitudine ſcientiæ, ut dum ſuper eorum throno & conſilio pontifex maximus ſedet atque quieſcit, rite valeat gubernare univerſalem eccleſiam.

Hujuſmodi autem eccleſiaſticæ hierarchiæ ordines, cum a Chriſto ſumma patris ſapientia initium ſumſiſſe non ambigimus, cenſendum videtur, quod ſicut Chriſti diſcipulis ſuccedunt preſbyteri, & apoſtolis epiſcopi, Cephæ vero tamquam capiti apoſtolorum Romanus pontifex; ita quoque cardinalium ordo Johanni & Jacobo Zebedei quos magno myſterio Boanerges, filios tonitrui Chriſtus in evangelio nominare voluit: quorum conſortio ſimul cum Petro, qui caput inſtituendus erat, familiarius utebatur Chriſtus. Hos ſolummodo ſecum ire permiſit, archiſynagogi filiam ſuſcitaturus. Hos ſecum ſumſit, transfigurationis ſuæ gloriam oſtenſurus, necnon dum magna cum agonia circa arduum ſuæ mortis negotium oraturus eſſet ad patrem. Quem ordinem puto Johannem & Jacobum fuiſſe profeſſos, dum eis appetentibus ad dextram & ſiniſtram domini ſedere, Chriſtus dixit: *Neſcitis quid petatis.* quamvis enim eorum verba Spiritus-ſanctus direxerit, cum ipſi ordinandi eſſent cardina-

les, quorum eſt ſedere ad dexteram & ſiniſtram pontificis, tamquam ſecretorum conſcii, & ad ei conſulendum providi: ipſi tamen minus capaces id tunc non intelligebant. Sed Chriſtus qui in eis profitendi cardinalatus ordinem inſtituere volebat eccleſiam ſuam, ſubjunxit: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* qui ex Spiritus-ſancti inſtinctu promtiſſime reſponderunt: *Poſſumus.* Idem videntur cardinales profiteri, qui proprium ſanguinem pro eccleſiæ obſequiis fundere pollicentur: in quorum ſignum pileus rubeus eiſdem geſtandus præbetur. Summa itaque cum harmonia tot tantaque ordinum & miniſtrorum varietate hierarchica conſtituitur eccleſia. Qui quidem miniſtri dum quaſi natant & verſantur in verbi Dei & ſacramentorum aquis, irrigant terram ejuſque animantia, id eſt populos fideleſque univerſos, qui cum virginum continentium & conjugatorum ordine varietateque comprehenduntur, quaſi in varias ſpecies inveniuntur diſtributi. Demum in eccleſia inſufflatur illud vitæ ſpiraculum, quo non vulgariter, ſed coram Deo juſtificati, in novumque hominem transformati, ſupremæ imagini ſimillimi reddimur in Dei filios adoptati, quando quidem ſancta eccleſia ædificata eſt de coſta ſecundi Adæ, dum crucis ſopore ſopitus eſſet: quæ merito virago & Heva nominatur, quia de viro Chriſto ſumpta, omnium ſpiritualiter recreandorum vera mater dicitur & eſt: quippe quia veriſſime paradiſus eſt, qui omne lignum viſu pulchrum ſuaveque ad veſcendum continet, id eſt omnia gratiarum genera cunctarumque virtutum diverſitatem & multitudinem comprehendit. Sunt enim in ea gratiæ gratis datæ, ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, interpretatio ſermonum, quibus apoſtoli, prophetæ, doctores, & paſtores ædificant eccleſiam Chriſti. Nec deſunt quatuor virtutes cardinales & tres theologicæ, prudentia, juſtitia, fortitudo, temperantia. fides, ſpes, caritas. Adſunt & ſeptem Spiritus-ſancti dona: ſapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, timor. reperiuntur & ſeptem beatitudines, paupertas ſpiritus, tranquillitas animi, luctus, eſuries & ſitis juſtitiæ, miſericordia, munditia cordis, pax. His reſpondent ſeptem præmia, videlicet regnum cœlorum, poſſeſſio terræ, conſolatio; ſatietas, conſecutio miſericordiæ, viſio Dei, adoptio in filios Dei. Sunt quoque duodecim fructus Spiritus-ſancti, caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Adeſt denique veluti lignum ſcientiæ boni & mali, atque lignum vitæ ipſe Chriſtus, caput utriuſque eccleſiæ triumphantis & militantis, qui verus Emmanuel eſt, de Virgine Spiritus-ſancti miniſterio in tempore genitus, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum, qui eſt via, veritas & vita, fons ſancti evangelii emanat, cujus quadruplici meatu terra imbre Spiritus-ſancti irrigatur.

Et quamvis ſerpens antiquus ejuſdem eccleſiæ ſemper inſidiaretur calcaneo, ipſa tamen conteret caput ejus, nam ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulat, & leonem atque draconem conculcat: non enim adverſus eam poſſunt prævalere portæ inferi, cum ſit fundata ſuper firmam petram, qui Chriſtus eſt; & ſit civitas ac domus Dei & porta cœli, & mons Domini, ſupra verticem quorumcumque montium elevatus, & inde ſit terribilis locus magis quam caſtrorum acies ordinata. Quocirca tametſi adverſus eam fremuerint gentes & populi, tamen meditati ſunt inania: fremuit in cælo ipſe lucifer, dum voluit exaltari ſuper aſtra cæli, & ſimilis eſſe Altiſſimo, ſed meditatus eſt inania, quia de cælo cecidit cum tertia parte ſtellarum, quas cauda ſua traxit, ac in infernum detruſus eſt, & in profundum laci: fremuit in terra ipſe pater mendacii, ita ut primos parentes cum poſteritate originali juſtitia privaret, & eos filios iræ & temporali ac æternæ morti obnoxios redderet, ſed inania meditatus eſt. nam ſicut Adam carnalis injuſtitiæ pater & peccati, illud in carnales filios transfudit: ita adveniente Chriſto, Deo ſimul & homine, ipſe cum ſpiritualis pater eſſet juſtitiæ, eam transfudit, non in carnales, ſed ſpirituales filios, quibus data eſt poteſtas, ut filii Dei efficiantur, & momentaneas hujus ſæculi calamitates, vitamque præſentem, potius mortem quam vitam merito nuncupandam, commutent in ſempiternam vitam & immenſam gloriam, quam oculus non vidit, nec auris audivit, & in cor hominis non aſcendit.

Fremuit fratricida Caiq, fremuerunt & ceteri ante diluvium, cum commixti ſunt filii Dei cum filiabus hominum, & genuerunt gigantes, viros famoſos & potentes a ſæculo, protervos, ac Deo rebelles, quorum cuncta cogitatio cordis intenta erat in malum; & ita omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram, ut in domo Noë abſcondita remaneret eccleſia: ſed meditati ſunt inania, quoniam Deo immittente aquas diluvii ſuper terram, interfecta eſt omnis caro, in qua ſpiritus vitæ erat ſubter cælum, & univerſa quæ in terra erant, conſumta ſunt, præſervata ſolummodo per arcam Noë familia cum animantibus quæ cum eo erant. fremuit Cham, qui nuditatem patris irriſit, quem in peccatis imitata eſt ſua maledicta progenies, & præſertim Chanaam, Chus & Nembroth, qui cœpit eſſe potens in terra, & robuſtus venator coram Deo, pauperum oppreſſor, & Dei contemtor, a quo deſcenderunt Belus & Ninus, a quibus idolorum manavit cultura, quæ tot temporum curriculis

ita universum invasit terrarum orbem, ut sancta ecclesia in domo Abrahæ, Isaac & Jacob, ac inter filios Israël vix tuta latitaret: sed nec etiam cum Israële mater omnino perseverarit. nam impii Jacob filii insurrexerunt in Joseph justum, Pharao in Dei populum jam multiplicatum; Hebræi in Mosen & Aaron, ac in ipsum Deum, dum vitulum manufactum adoraverunt.

Quis numerare queat quantas strages hic populus intulit ecclesiæ, qui dura cervice semper ad idololatriam & omnis generis malitiam inventus est proclivis; ita ut etiam ipsos Dei prophetas insectaretur & occideret. Sed fremitus cunctarum demum gentium & populorum adversus sanctam ecclesiam vanus fuit & inanis. nam cum multifarie sane multisque modis olim Deus locutus fuisset patribus in prophetis, novissime filium suum misit natum de virgine, factum sub lege, ut eos qui essent sub lege & extra legem in unam coacervaret ecclesiam; hic est os ex ossibus absque macula contagionis Spiritus-sancti ministerio, & caro de carne nostra, semen Abrahæ, in quo benedicendæ erant omnes gentes, quas a dæmonum cultura velut alter Noë ab aquis diluvii ad arcam sanctæ ecclesiæ deduxit, cum in Joseph fuit venditus, & in Jacob Jordanem mundi hujus pertransiit baculo crucis, qui a parricidis & fratricidis Judæis fuit occisus; in Abel & in Isaac immolatus, languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portavit, dum lavat nos a peccatis nostris in sanguine suo, cum sit Agnus Dei qui tollit peccata mundi, in cujus sanguine justificamur, & habemus redemtionem & remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus. Si quidem quemadmodum Moyses filios Israël a mari rubro, hic ita mundum a captivitate diaboli eripuit virga ligni crucis, in lavacro regenerationis quasi in mari rubro submersa virtute Pharaonis, id est diaboli. Hic est manna suavissimum, & panis de cælo præstitus, qui omnem in se continet saporis sui viratem, cum sit panis vivus qui de cælo descendit, quem si quis manducaverit, vivet in æternum. Hic est petra, ex qua educta est aqua, immo fluvius aquæ vivæ, cujus impetus Dei civitatem, id est ecclesiam lætificat: quam quidem aquam si quis gustaverit, non sitiet in æternum; sed fiet in eo fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam. Hic est verus Josue, qui civitatem Jerico destruxit, totque potentissimis regibus debellatis, filiis Israël optatam promissionis terram possidendam dimisit.

Nam cum diabolus fortis armatus tanta tyrannia adversus ecclesiam debaccharetur, ita potiretur in pace hujus sæculi principatu, ut omnia regna mundi promittere auderet, Christus illo fortior supervenit, qui tyrannum publicum expulit, & malignantium destruxit ecclesiam. interfecit enim, velut alter Samson rugientem leonem diabolum, & quasi Gedeon cum tercentum tubarum clangore, & lampadum splendore, terreis confractis lagenis, præpotentes & inimicos fugit exercitus, quippe qui irradiante in mundo ignoto Spiritus-sancti lumine, tuba evangelii & fides Trinitatis per totum orbem insonuit, confractæque hujus lagenæ ceremoniarum legis, in quibus lampades & veritates evangelicæ latitabant, penitus aboliti sunt nefandi idololatrarum ritus. jam enim obmutuit famosissimus Apollo Delphicus, nec Caspia regna responsis horrent divum & Meotica tellus, cunctorumque idolorum responsa cessarunt, & penitus evanuit magorum quondam virtus & experientia. nempe parvulus lapis de monte sine manibus fuit præcisus, videlicet Christus, qui terribilem & horrendam statuam, id est regnum diaboli in favillam redegit, evasitque in montem maximum qui universam replevit terram, cum ecclesia dominaretur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terratum, omnes gentes & reges ei servirent: ita ut nulla pars sub cælo esset, quæ se absconderet a calore virtutis ejus, nec remotissimi reges Arabum & Saba, aut Tharsis, & insularum Indici Oceani, etiam ipsi Æthiopes, & quæcumque efferæ & barbaræ gentes terrarum coram eo lugerent.

Verum, proh dolor! draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus & sathanas, immensa inflammatus ira, & inimicitias implacabiles alta mente repostas gerens adversus eamdem ecclesiam, & omnes de semine ejus conjuravit cum tertia parte stellarum habentium loricas ignitas, hiacinthinas & sulphureas, de quorum ore ignis, fumus, sulphur procedit. Ipse vero tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, necnon quasi ursus triplici dentium ordine, surgit ad comedendum carnes plurimas, & veluti pardus quatuor capitibus atque alis potestate magna progreditur. quin immo cum universa dentibus suis ferreis comminuat, tantæ apparet monstruositatis, ut designari aliquatenus nequeat. non enim desunt in ecclesiam sævire fetitate tyrannorum, versutia hæreticorum, negligentia labentique vita pastorum, & in fine sæculi tremebunda antichristi monstruositate. Præsto sunt reptilia, quorum non est numerus, & infinitæ nocendi artes, quæ numerum stellarum cæli & arenæ maris pene excedunt, & inde scaturiunt ignitæ libidines, hyacinthinæ ambitiones, superbiæ & vanæ gloriæ fumi, & quæ coram Deo pessime olent scelera, ferrea corda in malum penitus prona, nefanda verba, execranda opera, unde tantus ac talis apparet terræ motus in ecclesia, ut sol convertatur in tenebras, & luna in sanguinem, ac stellæ de cælo cadant. Nam sole justitiæ Christo splendorem gratiæ ad tempus occultante, ipsi etiam viri perfecti

fecti quasi stellæ de cœlo a vitæ integritate declinant, & luna quæ ecclesia est, apparet sanguinea, dum draco sanguine membrorum ipsius ubertim saturatur. Quapropter ipsa sancta ecclesia, quæ prius mater fœcunda & civitas plena populo ita fulgebat, ut princeps esset provinciarum, ac mater & domina cunctarum gentium; modo quasi vidua, & civitas sub tributo facta videtur. Fugata est enim a Scythis, ab Indis, citra & ultra Gangem, atque a maximis & innumeris Indici oceani insulis, renovata ibidem nefanda dæmonum & idolorum cultura. Exulavit ab Assyria, Persia, Parthia, Media, Mesopotamia, Armenia, necnon ab omni ora aquilonari maris Caspii, prævalente ubique Sarracenica secta, quæ cunctam Asiam minorem cum Græcia, usque ad Mœotim ac Ægyptum, Arabiam & Syriam, simul cum nostra Pannonia occupavit. Expulsa est demum ecclesia ab universa Africa, in qua tam præclaras propagines mater fœcunda perduxerat; ubi sunt Cyprianus martyr & Augustinus doctor eximius, & tot sanctissimi episcopi, quibus priscis temporibus ecclesiam legimus floruisse Africanam? Ubi sunt Paphnutius, Antonius, Macarius & tam numerosa sanctorum anachoretarum frequentia, quibus in Ægypto, Libia & Thebaide sancta ecclesia triumphare consueverat? Ubi Basilius, Athanasius, Cyrillus, Nazianzenus, Chrysostomus, & tot innumeri animarum custodes vigilantissimi? In Græcia, Ægypto, Palæstina, & reliquis Asiæ regionibus, quorum doctrina, vigilantia, præcipuisque virtutibus per totum mundum relucebat. pro patribus non sunt ibi nati legitimi hæredes & filii, sed potius atrocissimi hostes, apri, tigrides, ursi, lupi, leones, id est idololatræ & Saraceni Christiani nominis infestissimi inimici, qui ecclesias Dei vastare & laniare non desinunt; ita ut in hoc exiguo corruptoque angulo ecclesia coarctata, vix tuta perseveret.

Quin immo tempestate in ipsa Europa talibus tantisque vulneribus in aliquibus membris sauciatam conspicimus ecclesiam, ut eorum tabe & veneno infecta, omnem speciem & decorem amisisse videatur. Amici enim ejus, & qui eam magnipendere videbantur, spreverunt eam, & facti sunt ei inimici, & ita rebelles, ut variis schismatibus scindere audeant inconsutilem Christi tunicam; quod nec ipsius Christi tortores nequissimi exequi præsumserunt. Unde quamvis Christiana denominatione extollantur, non tamen Christianos, sed potius satanæ synagogam recitare poterimus. Ipsi enim pessimi transfugæ & ecclesiæ rebelles, qui sal terræ & lumen mundi esse deberent, ac lucerna super candelabrum posita, ut luceat omnibus qui sunt in domo ecclesiæ, vitæ integritate & sapientiæ fulgore, cum odio habeant disciplinam projecerintque sermones Domini retrorsum. O facinus horrendum & facinorosum scelus! audent ex cathedra pestilentiæ in Domini hæreditatem consurgere, ut polluant templum sanctum ejus, & ponant Jerusalem in pomorum custodiam; jaculisque insidiosis vineam Domini vastare non desinunt; dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Christi & evangelii gratiam exaltare simulant, ut diruta evangelica gratia Christi ecclesiam sponso constituant orbatam. Scripturas extollunt ut scripturarum pervertant veritatem; fidem Christi magnificiunt, ut ad infidelitatem trahant; & inde est quod sub fidei prætextu leges divinas & humanas abolere moliuntur, & voluptuosam Epicureorum vitam statuere.

Cum itaque videamus infideles de fide, inimicos Christi de evangelica gratia sententias proferre, & qui bacchanalia vivunt, censores effectos esse morum: quin vero in tanto discrimine versari prospicimus ecclesiam, ut non satis compertum omnibus sit ubi latiter. Quocirca filii incerta matre, cujus ubera cum gaudio & lætitia sugerent & satiarentur ab uberibus consolationis ejus, in terra deserta, invia & inaquosa, per spinas & tribulos socii ferarum, aspidis virulentia lividi, in erroribus demersi, vagabundi errant. Quia vero mater oblivisci nequit infantem suum, ut filio uteri sui non misereatur, sancta mater ecclesia plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus: per noctem enim tantarum calamitatum quærit quos diligit anima ejus. Cum autem non sit in eis aspectus neque decor, nec candidi aut rubicundi & electi ex millibus, ut tantæ matris filios decet, amplius appareant; quærit eos & non invenit; quod si invenerit, non agnoscit, nam a planta pedis usque ad verticem capitis non est in eis sanitas.

Clamat itaque ecclesia ad vos, patres; sed attendite, quæso, quid dicat. Tot enim tantisque lacrymis querula ejus vox referta conspicitur, ut vix a quoquam possit audiri. Clamat, inquam, & ait: Adjuro vos filiæ Jerusalem, num quos diligit anima mea vidistis? ô pastores, ô cœli terræque clavigeri, quibus novæ Jerusalem de cœlo descendentis habenæ sunt traditæ, filios meos jam deperditos vos animarum speculatores ostendite, eosdem saucios atque mortuos vitæ restitutos & integra donatos sanctitate matri reddite. Quid desidetis, patres? ut quid cogitationes ascendunt in corda vestra? An ignoratis quod pastores qui caro sunt, quod in vos minime quadrat, terrena sapiunt, indulgent genio, & ita lupi in veste ovium gregem Christi truculenter vastant, & tamquam aper de silva, & singularis ferus vineam Domini depascuntur, lanas tondent, & simul cum lacte etiam sanguinem a pecoribus emulgent, sanguinemque Christi cum peccatis omnium populorum absorbent, &

sunt animales spiritum non habentes, comparati jumentis insipientibus, & similes facti illis. Vos autem, patres, quos spirituales esse non ambigo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Matrem ecclesiam corde & auribus percipite dicentem: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei. Hic lupus ab ove, leo ab agno, pardus ab hædo, adulterini ac mentiti filii a veris discernentur. Veri enim & legitimi ecclesiæ filii abnegabunt semetipsos, humeros proprios cruci Christi supponent, nec terrenorum amore detenti, quærent quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi.

Si vultis itaque, patres, legitimi hujus matris filii, prout estis, ita quoque coram Christi ovibus apparere, cur matrem ecclesiam filiorum sceleribus algentem non fovetis, cum ipsa sit, quæ vos Christo ex aqua & Spiritu-sancto regeneravit & confirmavit, lacte & cibo solido pavit, ecclesiarum principes constituit, regni cœlestis participes effecit, ac hæredes Dei, cohæredes autem Christi? Quid ergo moramini matris ecclesiæ mederi languoribus? An vos ipsos non agnoscitis, quod a legitimo & indubitato capite Christi vicario pontifice maximo, ad hoc legitime hic Tridenti in Spiritu-sancto congregatî estis? Accingere igitur, sancta synode, gladio tuo super femur tuum potentissima. Accingimini, summi pastoris vicarii, vosque cœli cardines, & ab impiorum incursibus defendite Petri sedem, cujus erit confirmare fratres, ceteras ecclesias a satana velut triticum, semota ejus cura, cribrandas. Accingimini, mundi moderatores & cœli clavigeri, conversationem vestram reddite cœlestem & polo simillimam, ut in quos omnium oculi conspiciunt, ita reperiamini in fide stabiles, opere efficaces, sapientiaque præfulgidi, ut omnium vestrum observatione universa dirigantur in Christum, & ecclesia quæ nunc parvulus apparet lapis, evadat in montem maximum. Accingimini, animarum curatores, & consueta ac Christiana pietate sanctorum patrum vestigiis inhærendo, intestinos morbos ab ecclesia propellite. Et qui apud antipodas extolli videtis ecclesiam, in ipsa Europa devastari ne patiamini. Accingimini, pastores, & oves errantes requiratis, inventas & a luporum faucibus ereptas eas pascite, & ad pascua ducite herbarum virentium, quæ sunt solidus sacræ scripturæ cibus, ac illibata & catholica sanctæ matris ecclesiæ doctrina, quibus saginatæ oves Jesu Christo Deo vero in veram hostiam & sacrificium valeant offerri. Accingimini, filii potentes, & labenti religioni succurrite, matrem ecclesiam ante vos suppliciter prostratam lætam reddite. Eam ab omni sorde membrorum purgatam priscis indumentis vestite: quæ erunt aureus caritatis amictus, fidei, spei & ceterarum virtutum varietas. Clamemus igitur in cœlum unde veniat auxilium sanctæ synodo ad salubertima hæc perficienda, & toto corde ac sincera fide suppliciter dicamus: Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium: Veni dator munerum, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium. Da tuis fidelibus Tridentinis patribus, in te confidentibus, sacrum septenarium. Amen. Dixi.

Finita oratione & sacro, reverendissimus D. cardinalis de Monte legatus apostolicus & primus præsidens concilii, solitas ceremonias peregit. Quibus absolutis, idem dominus episcopus Plentinus, qui missam celebraverat, ascendit ambonem, & legit alta & intelligibili voce decretum super peccato originali, quod incipit: *Sacrosancta generalis, &c.*

Ut fides nostra catholica, sine qua impossibile est placere Deo, &c. *ut apud Labbeum sessione* v. *pag.* 751. *usque ad decretum de reformatione pag.* 753.

Quo perlecto, interrogavit patres an placeret; & ab omnibus tam reverendissimis & illustrissimis dominis legatis & præsidentibus, quam ceteris patribus responsum est simpliciter per verbum *Placet* quoad omnes canones peccati originalis. Sed de conceptione B. Mariæ Virginis infrascripti responderunt ut sequitur:

Reverendissimus D. cardinalis Giennensis dixit: *Placet eo modo quo approbavi heri in congregatione, in qua congregatione placuit sua dominationi decretum in omnibus, excepto capite de conceptione, ubi vellet addi: Prout magis pie a majori parte ecclesiæ, vel a multis creditur B. Virginem non esse conceptam in peccato originali.*

R. D. archiepiscopus Aquensis dedit schedulam tenoris infrascripti: *Placet decretum, dummodo in capite de immaculata conceptione B. Virginis addatur, quod imponatur silentium, ut deinceps contra illam nullus audeat prædicare.*

R. D. Turritanus: *Placet decretum quoad omnia, præterquam ubi agitur de conceptione. Nam offenditur pars altera, & alteri non satisfit, & est excitare veteres tragœdias, prout tempore publicationis Sixtinæ, de qua in decreto.*

R. D. Senensis: *Placet, si non adfertur præjudicium B. Virgini.*

R. D. Panormitanus: *Placet prout reverendissimo domino Giennensi.*

R. D. Cavensis: *Placet prout placuit in congregatione.*

R. D. Claromontanus: *Placet decretum; sed de conceptione placeret, quod absolute diceretur, B. Virginem conceptam esse sine peccato originali.*

R. D. Cheronensis: *Placet, dupa tamen non præjudicetur conceptioni.*

R. D. Fesulanus: *Placet decretum, salvis*

proteſtationibus, de quibus alias per eum, &c.

R. D. S. Marci: *Placet prout reverendiſſimo D. cardinali Gienuenſi.*

R. D. Pacenſis: *Placent omnia præterquam titulus decreti, quando viſum fuerit concilio.*

R. D. Bellonenſis: *Placet quod majori parti placet.*

R. D. Oſcenſis: *Placet ſententia domini Pacenſis.*

R. D. Calaguritanus dedit ſchedulam infraſcripti tenoris: *Placet decretum, dummodo tamen addatur, quod quia aſſerentibus aliquibus in concionibus, quod Virgo* MARIA *fuit concepta in peccato originali, ſcandala oriuntur in populo, non liceat alicui in hoc de cetero prædicare publice, donec ab eccleſia dubium hoc terminari contingat; quorum tamen opinionem per hoc non intendit ſancta ſynodus reprobare. Cui etiam Calaguritano non placet titulus decreti.*

R. D. Caſtelli-maris: *Placet decretum præterquam de conceptione, ubi placet quod apponerentur verba tollentia ſcandala, & neutri parti præjudicantia.*

R. D. Piſaurienſis: *Placet ſententia reverendiſſimi D. cardinalis Poli, cui placet decretum, & eſt unus ex præſidentibus.*

R. D. Canarienſis: *Placet decretum. Sed de conceptione imponatur ſilentium.*

R. D. generalis Servorum: *Placet ſententia reverendiſſimi domini Gienuenſis.*

Quibus votis collectis, & per D. Angelum Maſſarellum alta & intelligibili voce lectis, & per eos patres approbatis, præfatus R. D. Pientinus legit alta & intelligibili voce aliud decretum ſuper lectione & prædicatione, quod eſt tale.

Decretum ſecundum ejuſdem quartæ ſeſſionis de lectione ſacræ ſcripturæ & prædicatione verbi Dei.

Eadem ſacroſancta ſynodus piis ſummorum pontificum, &c. *ut apud Labbeum ſeſſione V. pag. 753. uſque ad indictionem futuræ ſeſſionis inclusive.*

Quo lecto, interrogavit patres an placeret decretum prout per eum lectum fuerat, & a reverendiſſimis & illuſtriſſimis præſidentibus & legatis & ceteris omnibus patribus reſponſum fuit per verbum *placet*, exceptis infra ſcriptis, quibus placuit decretum cum modificationibus infraſcriptis.

R. D. Turritanus: *Placet decretum, & quo ad regularium prædicationem in ſuis eccleſiis, ſi fiat non invito epiſcopo, prout eſt de mente ſanctæ ſynodi, & ſecundum puritatem regulæ eorum, ne alias contingat, pro benedictione ſuperinduci maledictionem; & quoad privilegiorum derogationem, peto debita cum inſtantia, ut poſtquam placuit benignitati ſanctiſſimi domini noſtri hoc confirmare, ut per breve directum reverendiſſimis & illuſtriſſimis dominis præſidentibus conſtat, placeret illud inſeri in actis hujus ſeſſionis.*

Reverendiſſimus D. Claromontanus: *Placeret ubi agitur de privilegiis ſtudentium, quod adderentur verba illa*, non tamen habentium curam animarum.

Reverendiſſimus D. Feſulanus dedit ſchedulam infraſcripti tenoris: *Non placet decretum de prædicatione, niſi prædicandi & paſcendi proprii gregis cura omnis atque officium propriis paſtoribus, hoc eſt epiſcopis libere atque integre reſtituatur, ac nemo poſſit ullo in loco ſine licentia proprii epiſcopi prædicare; & ideo proteſtor, &c. toties quoties, &c.*

Reverendiſſimus D. Albenſis: *Non placet de lectoribus, quia videntur mihi hæc verba addita de lectoribus clauſtralibus, quæ verba videtur quod heri non eſſent in decreto.*

Reverendiſſimus D. Bellicaſtrenſis: *Placet cum adjectione: ſi neglexerint ſe præſentare epiſcopo, non poſſint prædicare.*

Reverendiſſimus D. Aquinatenſis: *Placet dummodo regulares non prædicent invitis epiſcopis.*

Reverendiſſimus D. Oſcenſis: *Placet decretum, ſed titulus non placet.*

Reverendiſſimus D. Bellonenſis: *Placet ſententia domini Aquinatenſis.*

Reverendiſſimus D. Calaguritanus dedit ſchedulam infraſcripti tenoris: *placet decretum, dum tamen addatur*, Quod ſi tempore quo regulares præſentaverunt ſe epiſcopis benedictionem recepturi, eam denegaverint epiſcopi, non approbando perſonas eorum, non poſſint amplius dicti regulares prædicare in aliqua parte diœceſum ſuarum, invitis epiſcopis.

Reverendiſſimus D. Milonenſis: *Placet ſententia domini Bellicaſtrenſis.*

Reverendiſſimus D. Canarienſis: *Placet, ſed ubi agitur de licentia regularium ab epiſcopis petenda pro prædicatione facienda in parochiis, quod ſemel præſentato & non revocato ſufficiat licentia parochorum.*

Quæ vota fuerunt poſtea alta & intelligibili voce per eumdem D. ſecretarium lecta & ab eiſdem patribus approbata. Succéſſive idem D. ſecretarius habens præ manibus breve ſanctiſſimi domini noſtri de quo ſupra, petiit a patribus an placeret legi, cumque reſponſum eſſet ab omnibus, *placet*, legit breve quod ſequitur.

PAULUS papa III. Venerabilis frater & dilecti filii noſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Significaſtis nobis, quod licet ſacrum concilium illud pro cauſis in litteris noſtris expreſſis a nobis ſit legitime indictum, voſque in eo cum plena poteſtate noſtro nomine præſideatis, pro majori tamen ſubſiſtentia eorum quæ pro uberiori in prædicando & interpretando verbo Dei fructu, & animarum cura ſolertiori, de præbendis vacaturis, magiſtris ſacram ſcripturam docentibus applicandis, necnon de regularibus aliiſque prædicatoribus ac eccleſiarum

parochialium rectoribus & exemtis, necnon quæſtuariis in ipſo concilio ſanciri continget, tum juris communis & aliorum conciliorum diſpoſitioni, tum etiam ſedis apoſtolicæ privilegiis forte in aliqua parte repugnantibus, cupitis deſuper etiam noſtrum particularem aſſenſum & auctoritatem habere. Vos veſtrum in hoc propoſitum in domino commendantes, volumus & decernimus, quod quidquid ſuper iis in ipſo concilio ſtatutum fuerit, plenam obtineat roboris firmitatem, præmiſſis & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die ſeptima Junii MDXLVI. pontificatus noſtri anno XII.

Bloſius & Fulgin.

Quo lecto reverendiſſimus D. Feſulanus dixit: *Fiat ſine præjudicio univerſalis auctoritatis hujus ſanctæ ſynodi.*

Poſtremo D. Hercules Severoſus procurator & promotor concilii, petiit accuſari contumaciam epiſcoporum & aliorum prælatorum abſentium, & decerni proceſſum contra eos per affixionem ad valvas eccleſiæ cathedralis Tridentinæ.

Tunc reverendiſſimus & illuſtriſſimus cardinalis de Monte primus præſidens dicit: *Placet accuſari contumaciam illorum qui non ſunt detenti legitimo impedimento, & decerni proceſſum, &c.*

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. cardinalis S. Crucis ſecundus præſidens dixit: *Placet prout reverendiſſimo D. de Monte.*

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. cardinalis Polus tertius præſidens dixit: *Placet prout reverendiſſimo D. de Monte.*

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. cardinalis Giennenſis: *Placet, exceptis Germanis.*

Reverendiſſimus D. archiepiſcopus Aquenſis dedit ſchedulam infraſcripti tenoris: *Doceat prius D. promotor concilii de legitimis executionibus factis contra prætenſos citatos & monitos, prout de eis in accuſatione contumaciæ fidem facere, & eas producere ſeu exhibere tenetur, ad fines videndi ſi terminus pendeat, an vero ſit circumductus, cum non dicatur quis contumax niſi accuſetur contumacia in termino, & terminus non circumducatur, maxime in hoc caſu, in quo epiſcopus minime tenetur venire, niſi ſpecialiter fuerit citatus & monitus, etiamſi videret alios venire ad concilium: unde ubi de præmiſſis conſtiterit, providebitur prout juris fuerit & rationis.*

R. D. Turritanus: *Placet accuſari contumaciam, exceptis Germanis & illis de quibus illuſtriſſimi domini oratores Cæſarei heri in congregatione petierunt a ſancta ſynodo haberi rationem.*

R. D. Corcirenſis: *Placet accuſari contumaciam, exceptis Germanis, durante tamen diæta.*

R. D. Senenſis: *Placet accuſari contumaciam, exceptis Germanis, durante diæta, & iis qui ſunt legitime impediti.*

R. D. Materanus: *Placet accuſari contumaciam, exceptis Germanis, qui ſunt in diæta, ea durante, & iis qui miſerunt mandata.*

R. D. Naxienſis: *Placet, prout reverendiſſimis dominis legatis.*

R. D. Upſalenſis: *Placet.*

R. D. Panormitanus: *Placet prout reverendiſſimis legatis.*

R. D. Armacanus: *Placet prout reverendiſſimis legatis.*

R. D. Senogallienſis: *Placet accuſari contumaciam non ſolum nominatorum a procuratore, ſed aliorum omnium, cujuſcumque dignitatis ſint, qui quovis modo tenentur convenire, legitima excuſatione ceſſante.*

R. D. Aſculanus: *Placet prout reverendiſſimo domino Giennenſi.*

R. D. Cameracenſis: *Placet, exceptis qui ſunt in diæta.*

R. D. Cavenſis: *Placet.*

R. D. Feltrenſis: *Placet.*

R. D. Accienſis: *Placet, exceptis iis qui ſunt in diæta, ea tamen durante.*

R. D. Militenſis: *Placet prout reverendiſſimis D. legatis.*

R. D. Placentinus: *Placet prout reverendiſſimis D. legatis.*

R. D. Iſernienſis: *Placet.*

R. D. Torcellanus: *Placet prout reverendiſſimis D. legatis.*

R. D. Gaditanus: *Placet exceptis Germanis, & aliis qui ſunt in diæta, & illis de quibus heri in congregatione fuit facta mentio ab illuſtriſſimo D. oratore Cæſareo.*

R. D. Sibinicenſis: *Placet prout reverendiſſimis dominis legatis.*

R. D. Pientinus: *Placet contra legitimos vocatos, exceptis exiſtentibus in diæta, ea durante; ita tamen, ut non procedatur ad aliquam pœnam contra illos qui venient, infra proximam futuram ſeſſionem.*

R. D. Claromontanus: *Placet, dummodo pœna contumaciæ non decernatur nunc.*

R. D. Cheronenſis: *Placet prout reverendiſſimis D. legatis.*

R. D. Reatinus: *Placet prout reverendiſſimis D. legatis.*

R. D. Feſulanus: *Placet, exceptis qui ſunt in diæta.*

R. D. S. Marci: *Placet exceptis Germanis, & legitime impeditis.*

R. D. Caput-aquenſis: *Placet, exceptis Germanis qui ob diætam & alias ſunt legitime impediti, & quod decernatur præſentes in concilio non diſcedere, niſi cognita cauſa ſynodo.*

R. D. Majoricenſis: *Placet prout reverendiſſimis legatis.*

R. D. Albenſis: *Non placet accuſari contumaciam uſque ad aliam ſeſſionem. ſi tamen pla-*

cet majori parti quod accuſetur, non placet quod decernatur proceſſus.

R. D. Soranus: *Placet prout reverendis dominis legatis.*

R. D. Vaſionenſis: *Placet prout reverendiſſimis dominis legatis.*

R. D. Boſſanus: *Placet accuſari contumaciam, exceptis Germanis, & legitime impeditis.*

R. D. Matulanus: *Placet accuſari contumaciam, & ſi qua ratio habenda eſt de Germanis & iis qui ſunt legitime impediti, & in partibus Turcarum, remitto me ad reverendiſſimos D. legatos.*

R. D. Agathenſis: *Placet prout reverendiſſimis legatis.*

R. D. Lancianenſis: *Placet accuſari contumaciam, exceptis Germanis, & quod non fiat proceſſus, quia non fuit tractatum in congregatione.*

R. D. Lucerinus: *Placet accuſari contumaciam, & quoad proceſſum ad valvas non placet, niſi repetita alias contumacia, & re maturius per patres deliberata.*

R. D. Syracuſanus: *Placet ſententia R. D. Caput-aquenſis, & quoad proceſſum ſententia R. D. Lucerini.*

R. D. Caprulanus: *Placet.*

R. D. Vigornienſis: *Placet ſententia R. D. Caput-aquenſis.*

R. D. Bitontinus: *Placet cum ſumma ſeveritate & celeritate.*

R. D. Caſtellimaris. *Placet ſententia D. Caput-aquenſis, addendo quod non decernatur proceſſus.*

R. D. Fanenſis: *Placet accuſari contumaciam eorum qui ſunt Romæ.*

R. D. Piſaurienſis: *non placet.*

R. D. Veronenſis: *Placet ſententia domini Bitontini, præſertim contra eos Romæ exiſtentes, & quod præſentes in concilio non recedant.*

R. D. Termulanus: *Placet prout reverendiſſimis legatis.*

R. D. Nemoſienſis: *Placet prout reverendiſſimis legatis.*

R. D. Milonenſis: *Placet prout reverendiſſimis legatis.*

R. D. Pacenſis: *Placet, exceptis Germanis, quia ſunt legitime impediti, & quod præſentes illicentiati non recedant.*

R. D. Aſtoricenſis: *Placet, exceptis Germanis & legitime impeditis, & quod præſentes ſine legitima cauſa non recedant.*

R. D. Bellonenſis: *Non placet accuſari contumaciam, niſi dieta abſoluta fuerit.*

R. D. Bellicaſtrenſis: *Placet, exceptis Germanis qui ſunt in dieta.*

R. D. Britonorienſis: *Placet ſententia D. Bellicaſtrenſis.*

R. D. Aquinatenſis: *Placet pro vere contumacibus.*

R. D. Oſcenſis: *Placet, exceptis Germanis qui ſunt in dieta, ea durante, & iis qui ſunt in partibus Indiarum, & aliis qui docuerunt de legitimo impedimento.*

R. D. Calaguritanus: *Placet prout R. D. Oſcenſi.*

R. D. Milonenſis: *Placet prout D. Calaguritano.*

R. D. Canarienſis: *Placet, exceptis Germanis, & quod nullus recedat ſine licentia reverendiſſimorum legatorum.*

R. D. abbatibus.
R. D. generali Heremitarum.
R. D. generali Carmelitarum.
R. D. generali Servorum.
} *Placet prout reverendiſſimis legatis.*

Quibus votis lectis & approbatis, promotor concilii rogavit omnes protonotarios & notarios ibidem exiſtentes, ut de omnibus & ſingulis præmiſſis unum vel plura facerent inſtrumentum vel inſtrumenta. Deinde finito hymno *Te Deum laudamus*, cardinalis de Monte præſidens, benedixit ſynodum ſigno crucis, & patres depoſitis paramentis, omnes diſceſſerunt.

Die Jovis VIII. Julii MDXLVI. intromiſſi fuerunt in ſacra congregatione generali ſacroſancti œcumenici & generalis concilii Tridentini, oratores Chriſtianiſſimi regis Galliarum, illuſtres dominus Claudius *Durfé*, dominus Jacobus de Ligneriis, & dominus Petrus Daneſius, qui exhibuerunt mandatum Chriſtianiſſimi regis, vigore cujus ſe comparere aſſerebant; quod mandatum eſt tenoris infraſcripti, videlicet:

FRANCISCUS Dei gratia Francorum rex, univerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem.

Cum nuper a beatiſſimo patre PAULO III. pontifice maximo, generale concilium indictum ſit, ideoque conveniant quotidie ex omnibus Chriſtianorum finibus proceres, legati, ac ſummi undique viri: idcirco tantam commoditatem & tamdiu optatam nunc demum ex Dei optimi maximi ac Chriſti Salvatoris noſtri voluntate, omniumque Chriſtianorum utilitate oblatam amplexandam rati, pro noſtra perpetuaque majorum noſtrorum erga religionem Chriſtianam obſervantia, quoniam graviſſimis bellorum occupationibus diſtricti, huic ſanctiſſimo concilio adeſſe non poſſumus, ac præſentes operam noſtram, ut vellemus, navare; nos certiores facti de probitate, honeſtate, ſcientia, rerum gerendarum experientia & fide clariſſimi equitis & camerarii noſtri Claudii *Durfé* Forenſium præfecti, Jacobi de Ligneriis in curia Pariſienſi tertiæ judicum decuriæ præſidis, & Petri Daneſii Suzenarum præpoſiti; tum etiam pluribus arctiſſimiſque argumentis experti illorum pietatem in Deum & rempublicam Chriſtianam: eos ipſos conſtituimus per has litteras noſtras veros, indubitatos legitimoſque procuratores noſtros, qui in concilio noſtro nomine aſſiſtant, & inibi in rebus ad fidem

Christianam & sinceritatem doctrinæ evangelicæ, pacificationem dissidiorum, quæ nuper invecta sunt, morum cleri emendationem, ecclesiæ catholicæ reformationem & tranquillitatem pertinentibus, aliisque quæ jure & more in sanctissimis patrum conciliis tractari ac definiri consueverunt, ea proponant, agant, ac procurent, quæ nobis ipsis, si præsentes adessemus, proponere, agere, procurare, facere liceret. Promittentes fide regia nos ratum, gratum habituros quidquid in hoc concilio Tridentino super dictis rebus, per legatos nostros & procuratores nostro nomine propositum, actum, factum, procuratum fuerit. In quorum testimonium nostrum duximus sigillum appendendum. Datum apud Fontem-bellæ-aquæ III. calendas Aprilis, anno Domini MDXLV. regni vero nostri XXXII.

FRANCOYS.

Per regem *Bayard.*

Perlecto autem mandato, egregius vir dominus Petrus Danesius præpositus Suzenarum ex oratoribus unus, loquutus est ad sydum in hunc qui sequitur modum.

Oratio D. Petri Danesii oratoris Christianissimi regis Galliarum in concilio Tridentino.

Christianissimo regi, reverendissimi S. R. E. legati, &c. *ut apud Labbeum tom.* 14. *conciliorum pag.* 1017. *& apud Rainaldum ad annum* 1546.

Responsio patrum ad oratores regis Gallorum, quam pro omnibus reverendissimus cardinalis de Monte primus legatus edidit octava Julii MDXLVI.

Sacrosancta synodus, regii legati ornatissimi, magna capit ex adventu dominationum, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* MD. XLVI. *n.* 123.

Epistola Pauli III. pontificis maximi ad Helvetios.

Dilecti filii, S. & A. B. Pro nostra & prædecessorum nostrorum erga devotiones vestras, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1546. *n.* 58. *usque ad illa verba*: Primum ut vobiscum, tamquam cum eis quos carissimos habemus, curas & sollicitudines quæ nos premunt communicaremus. Deinde ut vos etiam hortaremur ac rogaremus, ut animis piisque votis & voluntatibus vestris nobiscum esse, hoc est cum Deo & cum Christiana religione, velletis. Nam cum multa de vobis eximia & præstantia facta possint commemorari, nullum tamen futurum est præstantius, quam hoc, si cum Deo veterem conjunctionem & amicitiam, quam majores vestri sancte coluerunt, aut servaveritis aut reconciliaveritis, & sedi apostolicæ, quæ vos semper illustrare atque ornare conata est, pristinum vestrum amorem & cultum reddideritis, & nobis, qui vos paterna dilectione prosequimur, in hac dicta causa juvanda & promovenda vestra studia vestraque auxilia adjunxeritis. Quæ omnia ut cum vestro summo commodo & utilitate fiant, & Deum omnipotentem & vos ipsos, carissimi filii, omni studio rogamus atque cohortamur. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo piscatoris, die tertia Julii MDXLVI. pontificatus nostri anno XII.

Blosius & Fulgin.

Dum concilium in dicta civitate Tridentina celebraretur, bellum acre motum est in Germania inter Carolum V. imperatorem, & hæreticos Lutheranos, qui se protestantes appellant, ad quod bellum etiam validissimas copias summus pontifex in auxilium Cæsaris misit; & ut Deus omnipotens pro tam sancta expeditione placatus & propitius redderetur, sanctitas sua publicas preces, orationes, jejunia & supplicationes per universum christianum orbem indixit, concedens cuilibet oranti pro unione & pace sanctæ ecclesiæ, omnium peccatorum suorum remissionem & indulgentiam, ut tandem omnipotens ipse Deus populi sui, quem unigeniti filii sui sanguine redemit, misericordia & precibus Christi fidelium commotus, ab instantibus tunc calamitatibus liberare dignaretur, impiisque exstirpatis hæresibus, sublatisque dissidiis, divinæ ejus majestati, omni metu vacui, cultum & pium famulatum exhiberent, publicataque fuit bulla tenoris infrascripti videlicet. MASSARELLUS.

Bulla indulgentiæ pro pace publica & exstirpatione hæresum.

PAULUS episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. MASSARELLUS.

Dei omnipotentis spiritus, cujus nomen & providentia ecclesiæ suæ semper adest, nos pro pastorali officio nostro hortari & admonere non desinit, ut ex ipsa ecclesia pestiferas, quæ in ea increbuerunt hæreses auferre studeamus, ac nos quidem jam inde a nostri pontificatus initio hanc in animo nostro curam insitam & infixam habuimus, ut vineam Domini perpurgaremus, & disseminata ab hæreticis in Germania impiorum dogmatum zizania evelleremus. Ingemuimus enim semper, & ex intimo corde doluimus, cernentes tantum piarum animarum numerum, quas Christus Dominus noster pretiosissimo suo sanguine redemit, propter pestiferas inimicorum doctrinas, ex sanctæ matris ecclesiæ sinu & obedientia abstractum fuisse. Sed non solum errantes filios in viam revocare semper optavimus, verum ipsorum quoque hæreticorum mentes, si qua ratione possemus, sanare tentavimus. CURTEBROCHIUS.

Et primo quidem quod nostræ naturæ humanitas postulabat fecimus, ut lenibus eos medicamentis ad sanitatem reducere conaremur. In quo etiam Deum Dominum nostrum imitari voluimus, qui longanimis & misericors peccatores diu ut convertantur ex-

pectat. Sed cum lenes nihil medicinæ proficerent, omnesque conatus nostri inanes essent atque irriti, ad concilium generale descendimus, cujus auctoritatem illis gravissimam fore sperabamus, ipsumque concilium in urbe Tridentina, quæ in ipsius Germanicæ nationis jure ac ditione est, ad accedendum commoda, ad commorandum libera congregavimus. Sed ita profecto res se habet, ut qui non errore humano, sed diabolica pertinacia a recto salutis curriculo deflexerunt, quæ ad eorum animos flectendos valere deberent, valeant potius ad indurandos. nihil enim prorsus nec concilii generalis movit auctoritas, nec variis ex locis episcoporum conventus, nec christianorum regum & populorum veneratio, quam hujusmodi semper œcumenicis conventibus tribuerunt. Itaque aperto jam multis mensibus concilio, celebratisque aliquot sessionibus, eorum nemo illuc accedere voluit, sanctamque ipsam Tridentinam synodum in Spiritu Sancto legitime congregatam, usque eo contemnunt ac despiciunt, ut non decretis ejus staturos se, non diffinitionibus fidem habituros, non auctoritati cessuros esse palam profitentur atque denuntient; sed in pristina sua pertinacia & impietate permanentes, sicut ipsi subversi sunt: ita alios subvertere, & ut nihil concilii auctoritate movcantur persuadere nituntur.

Hanc eorum tam diuturnam pravitatem si diutius in ecclesia manere, & ad aliorum perniciem impunitate ipsa augeri & corroborari paterentur, non videmus profecto quomodo gravissimam Dei iram & judicium possemus effugere, nec quam rationem tot animarum, quot ab istis ad exitium & interitum ducuntur, in illo die supremoque judicio reposcenti a nobis Domino reddere. Itaque cum de eorum correctione omnino desperavissemus, vidissemusque illos plane sanctæ Dei ecclesiæ hostes esse, bellumque piis omnibus indixisse nefarium, quantisque possunt conatibus eniti & contendere, ut in eamdemin quam ipsi ceciderunt foveam impietatis reliquos omnes detrahant, divini Spiritus inspiratione accidit, ut charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum imperator semper augustus, fortissimus & religiosissimus princeps in eosdem & Dei hostes, & rebelles suos, arma sibi capienda esse statuerit, cujus quidem pios laudabilesque conatus, & excellens in rem christianam studium omnibus nostris & sanctæ Romanæ ecclesiæ facultatibus pro piorum salute, pro religionis defensione, pro Dei honore, denique pro pace & tranquillitate publica fumus adjuturi. sed cum omne donum optimum superne ad nos descendat a patre luminum, paxque sancta & salutaris, quam ecclesiæ catholicæ restituere cupimus & paramus, e Dei manu ad nos ventura sit, sacris etiam litteris moniti, patres nostos jejuniis sæpe & lacrymis, & orationibus fide integra & sincero affectu effusis, iram divini numinis placavisse, extinctisque dissensionibus concordiam, & sedatis bellis victoriam & pacem impetravisse.

Idcirco Christi fideles omnes utriusque sexus hortamur in Domino, & paterne admonemus in quibuscumque provinciis, regnis & oppidis, locisque sint, ut ad eumdem Dominum nostrum humili corde conversi, postea quam præsentium nostrarum litterarum tenor & sententia eorum, qui ordinarii locorum sunt, opera, ut ad eorum aures & notitiam venerit, huic sanctæ expeditioni, suis ad Deum orationibus, piisque erga pauperes eleemosynis suffragentur, quartaque & sexta feria, & sabbato proxime sequentibus jejunent, nisi aliquo justo impedimento id agere prohibeantur. Interim pura cordis contritione & oris confessione conscientias suas diligenter emundent; & ut Deum sibi magis propitium reddant, die dominica quæ sabbatum quo jejunaverunt proxime sequitur, salutari Christi Domini nostri corpore reficiantur, Deum omni animi studio supplicitcr orantes, ut tandem populi sui quem unigeniti filii sui sanguine redemit, misericordia commotus, a præsentibus eum calamitatibus liberare dignetur, pacemque illi & concordiam sublatis dissensionibus donate: quo omnes ejus fideles impiis exstirpatis hæresibus, sublatisque diffidiis, & infidelium christianæ religionis hostium metu vacui ac soluti, divinæ ejus majestati cultum & pium famulatum exhibeant. atque ut tranquilliore animo & majore fiducia cælesti euchatistiæ pane vescantur, neque ullius gravitate peccati, & absolutionis difficultate eum sumere prohibeantur; utque eorum oratio quo puriore a corde manaverit, hoc sit Deo acceptior, & ad misericordiam christiano nomini impetrandam efficaciori nostra, quam a Deo obtinemus, auctoritate, omnibus & singulis Christi fidelibus, qui hæc quæ præcepimus egerint, concedimus, ut presbyteros sæculares & cujuscumque ordinis regulares possint eligere, quibus peccata sua confiteantur. quorum confessionibus diligenter auditis, illi unumquemquemque eorum a quibusvis delictis & peccatis, quamvis gravibus etiam sedi apostolicæ reservatis, præterquam iis quæ in bulla in die cœnæ Domini legi solita continentur, & ab omnibus censuris, in quas propter illa peccata incidissent, salutari pro delictis admissis satisfactione injuncta, possint absolvere, dummodo & admissorum eos peccatorum ex animo pœniteat, & in posterum recte, & ut christianos homines decet, vivere statuant, eaque quæ sacerdotes illis pro peccatorum satisfactione mandaverint, exsequantur. atque etiam eadem auctoritate apostolica jus & faculta-

tem damus & concedimus prædictis sacerdotibus, vota omnia ab ipsis Christi fidelibus susceptа in alia quævis pietatis opera commutandi, exceptis dumtaxat castitatis & religionis votis.

Præterea ut Christi fideles præmiis cælestibus invitemus, omnibus & singulis, qui hæc omnia rite fecerint, processionemque indicendam, animo ad Deum & cogitatione conversa ei pro hæresum exstirpatione & pace publica supplicantes, fuerint prosecuti, aut si qui eorum morbo aut alio quopiam justo impedimento id facere prohibeantur, piam eleemosynam alicui pauperi homini pro Christi amore, quantam ipsis videbitur elargiti fuerint, aut si ipsi egent aut pauperes sint, quinquies orationem dominicam & salutationem angelicam, pacis a Deo & concordiæ impetrandæ, & tollendarum ex ecclesia hæresum causa, pia mente dixerint, nos omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum suorum auctoritate confisi, plenissimam in Domino peccatorum omnium veniam & indulgentiam damus atque largimur. Præcipientes insuper omnibus presbyteris tam cathedralium & collegiatarum ecclesiarum sæcularibus, quam aliarum quarumcumque etiam claustralium regularibus, simulque omnibus cujusvis ordinis monialibus, ut durante hoc adversus impios & pertinaces hæreticos bello, donec fuerit divino auxilio feliciter confectum, secunda, quarta & sexta feria post missarum solemnia litanias pie canant, una cum orationibus ad hanc rem accommodatis.

Atque ut hæc omnia quo pluribus Christi fidelibus nota fuerint, hoc inveniantur plures qui Deo pro publica pace & extinctione hæresum supplicent, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus omnibus & singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, ut cum primum præsentes aut illarum transumtum manu alicujus prælati aut personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ subscriptum, ad eorum manus pervenerit, eas statim omni in loco per suas ipsorum provincias, diœceses, ecclesias, castra & terras sine aliqua fraude aut fuco, cum iis gratiis, concessionibus, facultatibus & indulgentiis gratuitis, publicare faciant, nonobstantibus quibuscumque constitutionibus & ordinationibus apostolicis, & aliis quibuscumque in contrarium, ea declaratione præmissa, quod postquam præsentes in regnis, dominiis, provinciis, civitatibus, castris, diœcesibus, terris, locisque supradictis publicatæ fuerint, aut ad supra dictorum Christi fidelium aures pervenerint, dieque prædicti quartæ & sextæ feriarum ac sabbati, ac dominicæ fuerint elapsi, ulterius non sint valituræ. Datum Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ MDXLVI. idus Julii, pontificatus nostri anno XII.

Visa de curia. Jo. de Fortibus, Franc. Aragonia. B. Motta, Sixtus vice episcopalis.

Coriolani Martirani episcopi S. Marci sententia, cum metu belli patres quidam discedendum deliberarent.

CURTENBROCHIUS

Super decreto nihil nunc habeo quod dicam, visis theologorum annotationibus, scriptam afferam, ut vos velle video, sententiam meam. Sed rogo vos, patres amplissimi & sanctissimi viri, ut me parumper attente atque æquis auribus audiatis. Non enim in tanto religionis periculo tacendum est, quantum illi non quidem inimici, sed nosmetipsi excitabimur, ni respiscimus. Libere & ingenue loquar, sanctissimi viri. Hæc discessio quam video parari, vel potius fuga, concilium solvit, id est, ut ego interpretor, affligit, quantum in nobis est, evertitque sanditus religionem. Non oportet dissimulare; hic vanus, inquam, ac imaginarius pavor, nisi exturbetur, concilium Tridentinum, quod jam portum aspicit, flagitiose in medio cursu ac crudeliter prodit. Ilicet aliud agamus, de Christiano nomine actum est. Atqui velim mihi declararent si qui hanc sibi formidinem fingunt, quid novi accidit, cur tantopere contremiscunt. Num Annibal, precor, ad portam? Non iidem qui fuerunt ante Germani, num iratiores nobis? num propiores? Ergo quos æque iratos æque & vicinos, Cæsare remoto & inermi, non timebamus; eosdem præsente & armato Cæsare metuemus? Dicet aliquis, erant quidem irati antea Lutherani, sed quiescebant, nemo adhuc illa portenta excitarat, nunc irritati sunt, arripuerunt arma, minitantur, furiunt. quasi vero nulla nos arma, nulla præsidia habeamus, quasi unius oppiduli regulus sit noster Cæsar, non is autem, qui si pede terram ferit, armatas eliciet legiones. Num robur Italiæ quod dudum vidistis, num Hispanorum florentissimum peditatum, num Germanum contra Germanos valentissimum militem habeat?

Præterea ubi sunt illæ nonnullorum minæ & magnifica verba? Non recordamini, si, si cœlum rueret, si mare armatorum ingrueret, non abituros? locum nisi re transacta ex sententia non deserturos? En non cœlum ruit, arma a nobis longissime, PAULUS & Cæsar invictissimi pro nobis stant, quibus sospitibus, æquius est nos esse formidini, quam formidare. Cur abitum tam importunum, tam exitiabilem meditamini? Ante tubam sacer hic fortissimusque senatus arripiet fugam? Quorsum hoc autem? ut scilicet omnibus risui & ludibrio simus, immo ut quidem lapidibus incessamur. Fingunt aliqui se vereri divinam de inimicis ultionem, cum inimicis ruinam recentemque Urbis vastationem in exemplum & excidium trahunt. Iis sic respondeo, primum absit hoc, ut Deo simus inimici;

inimici ; fruſtra enim effugia quæreremus. Deinde ut concedam, utri Deo infeſtiores, nos, an Lutherus, non æquius illum nobis, quam nos illi traderet puniendos, nullius hæc ratio ponderis apud ſanos, vana prorſus & futilis eſt. Si umquam licuit eſſe otioſis omnino & ſecuris, hoc tempus, hoc tempus eſt, cum præcipue licet. Nam cur alii non formidant? An vitam vobis ſolis caram eſſe arbitramini, patres, aliis qui in eadem ſunt navi, ſi diis placet, non item? Scilicet tot inſignes ac magni nominis viri, non ſibi proſpicerent, ſi quid metuendum viderent? tam viles animæ ſibi, tamne hoſtes ſui, ultro ut caput diſcrimini objectarent? An ſterilitatem ſoli? an caritatem annonæ, an cœli calamitatem friguſque cauſabimur? ubi vix unus alterve ægrotavit. Hæc omnia, ſi adeſſent, ac longe etiam tetriora perferre pro noſtris gregibus, pro ſalute omnium populorum æquo animo deberemus. Et tamen numquid degimus in cœlo? quid vel lautiſſime vivere volentibus Tridenti deſit? O per Deum immortalem, per ſalutem populi Chriſtiani & fortunas, patres, hoc perniciosum diſcedendi conſilium abjicite, ne auctores ſimus non quidem ſalutis, ut debebamus, ſed ut uno cuncta interitu avertantur.

Videtis PAULUM pontificem maximum. Videtis Cæſarem cum fratre: Videtis regem Chriſtianiſſimum tot abhinc annis nihil aliud moliri, niſi ut res componant nutantis jam caſumque minitantis reipublicæ Chriſtianæ. hoc illi ſaxum jam pridem volvunt. Si ſic temere, ſic immaturo abitu demigrabimus, omnes hi conatus in nihilum recident; omnis noſtri Cæſaris pro religione tam longi temporis labor, omnis huc illuc per calores, per hyemes niveſque concurſatio effundetur, quo quid excogitari poſſet immanius? Eſtote fortes, viri ſanctiſſimi, & timorem veſtro indignum ordine ex animo abigite. Spiritus Domini, quem hic adeſſe credendum eſt, non deſeret. Mihi credite, non deſeret nos, ſi nos commiſſum nobis præſidium non relinquemus. Deſeret autem, ſi turpiſſime, quod abſit, ac crudeliſſime fugiemus. Immo nempe fugiant qui volunt, numquam equidem fugiam; numquam, (ruant omnia) e mea vigilia diſcedam. Malo oſtendant homines, ſi quid tale ſubeundum eſt, locum ubi fuerim jugulatus, quam portam qua aufugerim. Dixi.

QUINTA SESSIO.

De juſtificatione & reſidentia; habita Tridenti XIII. *Januarii* MDXLVII.

In hac ſeſſione miſſam celebravit archiepiſcopus Spalatienſis, orationem habuit epiſcopus Salpenſis, decreta legit idem epiſcopus Salpenſis. Adfuerunt patres ſexaginta octo, doctores quinquaginta ſex.

Oratio R. D. Thomæ Stellæ epiſcopi Salpenſis, habita Tridenti ad patres in ſeſſione, XIII. *Januarii* MDXLVIII.

Quum demandato mihi hoc dicendi munere, reverendiſſimi atque illuſtriſſimi domini, non aliud potius ſe offerat diſſerere, quam præclarum illud cœleſtis gratiæ donum, quo juſti coram Deo nominamur & ſumus, de quo ſatis egiſti tu, ſynode ſacro-ſancta, ut ſalutares illius fructus Chriſti populis declarares. Video quo mihi, de hoc antequam verbum proferam, confugiendum ſit, nempe ad illam, cui extra controverſiam ſcimus plus gratiæ collatum eſſe, quam cunctis aliis creaturis, quæ auctorem & fontem omnium gratiarum concipere & proferre mundo promeruit.

Ave igitur plena gratia, & ſubveni mihi hodie, ut de hoc cœleſti & tam pretioſo cariſmate ea eloquar, quæ ad illius amorem omnium auditorum pectora & corda, ut par eſſet, & admodum opportunum, vehementer incendant atque inflamment.

Quod nobis hodie proponendum eſt, patres, audivit olim anima mea. Etenim intonuit ſumma veritas, dulce illud verbum & verax: *O ſi ſcires donum Dei, & quis eſt qui dixit tibi, da mihi bibere, tu profecto petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam, de qua qui biberit non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* At non omnes capiunt verbum hoc; non eſt enim omnium fides, non cunctis pariter affulget illuminatio evangelii gloriæ Chriſti. Sola mulier Samaritana capax eſt verbi hujus, diſcipulo teſte dilecto in evangelio, quo non ab re docemur cum illa ſola Dominum fuiſſe loquutum verba hæc digna profecto gazophilacio ſancto. Sed quænam, quæſo, eſt mulier hæc Samaritana, niſi anima ſitiens quod vere bonum eſt, illudque parata cuſtodire tenaciter, ſi meruerit? Samaria enim cuſtodiam ſignificat, quod ad eos pertinet, qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.

Audiat ergo Samaritana mulier, hoc eſt anima ſitiens vere bonum, quod nobis natura non adeſt (ſumus enim natura mali & peccatores) quod viribus noſtris comparari non poteſt. Sunt enim ex illo noſtro primi parentis peccato redditæ mutæ vires noſtræ, vulneratæ, imbecilles & infirmæ; defecit ſanctus, diminutæ ſunt veritates a filiis hominum, declinaverunt omnes, omnes inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Infelix ergo homo, quid faciat abſque dono Dei? Verum, patres optimi, eſurire primum oportet ac ſitire; ſi quis enim in tanta miſeria, in magno vivens inſcitiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellat; ſatur eſt, plenus eſt, dives eſt, ſed divitiis falſis, ſed divitiis perituris. Quapropter cum tanta em-

phaſi dictum audimus, *O ſi ſcires donum Dei!* ac ſi apertius dixerit: infelix anima quæ hoc donum ignorat, quam ſit ad expetendum pulcrum, quam ad deguſtandum ſuave, quam efficax, quam perenne, ac ſuper omnia chariſmata, ut Apoſtolus docet, inſtructis evulgandum, hoc eſt caritas Dei, qua ille nos ſui dilectores facit, qua renovamur, qua regeneramur in ſpem vivam, cujus gratia ſumma Spiritus-ſancti dignatio nobis ſic loquitur: *Ego dixi dii eſtis & filii excelſi omnes.* hujus pulchritudinem ſi mentis noſtræ oculis conſpiceremus, miros & incomparabiles ſui ipſius in cordibus noſtris excitaret amores: nam verum eſt illud etiam vulgare verbum, amantem mirabili & incredibili quadam tranſmutatione *in idipſum* mutari quod amat; extaſim facit, & ſui juris eſſe amatorem non ſinit, ſed amati. Et illud ſimiliter verum, animum hominis ſecundum quem ad imaginem Dei conditi ſumus, pretioſiorem ac præſtantiorem eſſe vel ipſis quos ſuſpicimus cœlis & cunctis ſyderibus, quibus illi ornatu pulcherrimo fulgent. Non enim homo propter cœlos, ſed cœli propter hominem conditi ſunt, ut humanæ vitæ deſerviant. Quoties igitur homo ad hæc terrena & fallacem hujus mundi pulchritudinem ſeſe deflectit, illique avida cupiditate plus ſatis hæret, hoc facto non ſecus quam ſi aurum luto, aut pretioſam fece gemmam convolvat, turpiter ſeipſum inquinat. Et facti ſunt, ut ait propheta, ſicut ea quæ dilexerunt. Qui autem hæret Deo, unus ſpiritus eſt, & quantum fas eſt divinæ conſors factus naturæ, mirificam inde pulchritudinem, etiam cum jucundo angelorum ſpectaculo, ſibi contrahit: ſed hanc enarrent qui beatiores habent oculos & magis exercitatos ſenſus ad guſtandum quam ſuavis eſt Dominus. Nos autem pro modulo noſtro de hujus doni admirandis effectibus qui latius patent, pauca pro rei magnitudine & pro temporis anguſtia conabimur enarrare.

Quantæ igitur virtutis ſit hoc inſigne chariſma, inde ſatis certo conjicimus, quod per illud maxime ſummo Deo ſimiles evadimus. Quare & hoc ſolum donum dignum eſt habitum divinis nominibus nuncupari; dicitur enim Spiritus, dicitur & Caritas: at Deus, ſicut ipſa Veritas inquit, Spiritus eſt; & ut ipſius Veritatis diſcipulus teſtatur, *Deus caritas eſt.* Videte ergo, videte, patres, qualem caritatem dedit nobis Deus, ut per illum dii facti, divinos etiam pariamus effectus. Licet autem quicquid eſt cogitabile, quicquid habet, ut ita dixerim, entis veri & boni, in ipſo Deo, modo quodam ineffabili & eminentiſſimo conſiſtat, tria tamen ei præcipue tribuuntur, quæ illum nobis ſuper omnia manifeſtant. hæc ſunt potentia, ſapientia, bonitas. Si igitur potentia quæritur, quid fortius, quid potentius caritate, quæ ſi eſt, magna quidem & mirabilia operatur, terribilia ſuſtinet & extrema? Nam unde, obſecro, vox illa, *Omnia poſſum in eo qui me confortat*, niſi de virtute perfectæ caritatis? de qua rurſus Apoſtolus ait: *Caritas omnia ſuffert, omnia ſuſtinet*: cujus eximiam in ſemetipſo etiam expertus potentiam, confidenter exclamat: *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a caritate Dei quæ eſt in* CHRISTO JESU *Domino noſtro.* Hinc etiam illa vox: *Jugum meum ſuave & onus meum leve.* Et idipſum dilectus Johannes ait: *Mandata ejus gravia non ſunt.* Quid autem facit mandata ejus non eſſe gravia, niſi caritas? nam cum ſint mandata caritatis, quæ fieri poteſt ut ſint gravia & difficilia caritati, cujus eſt hoc proprium leve facere quamvis grave, & leve & dulce quamvis aſperum & amarum? Illa eſt enim & quæ præcipit & quæ facit.

Quod ſi daretur rem exemplis illuſtrare præclaris, multum profecto conferremus ad perſuaſionem; ſed gratias ago Deo quod in ea corona verba facio, ubi ſunt qui ſenſus habent exercitatos ad ſolidum veritatis cibum, & opus non habent iis quibus informantur indoctæ plebes. Concludam igitur hac parte quod fortitudini & glorioſum mortales exiſtimant, nimirum per victoriam potiri rerum, id ipſum caritati merito tribui. vincit enim caritas quæcumque fortia. Quamobrem jure iſti redditur corona victoriæ. eſt enim primum in nobis magna vis illa peccati, quæ *dominatur in membris noſtris*: hoc autem a ſola caritate caſtigatur, contunditur, debellatur. Eſt item mundus & eorum cupiditas quæ in mundo ſunt. Sicut autem clavus clavo tunditur, ſic amor ſæculi hac una & ſola caritate propellitur. Eſt diabolus dæmon de quo divina ſunt teſtimonia, quod non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei; & tamen hanc ſuperat & conficit ſola caritas. Eſt mors quod ultimum terribilium dixere naturæ rerum exploratores: qui vero pietatem coluerunt, æterni damni, hoc eſt gehennæ malum, quod eſt *mors ſecunda*, formidabilius & horrendum magis merito prædicarunt. Sed hæc omnia ſuperat caritas, quæ ſi perfecta ſit, omnem foras mittit timorem pœnam habentem. Eſt denique & quiddam in nobis *internum*, quod iis omnibus fortius eſt, ſcilicet ipſa voluntas, quæ ſi ſuperatur, victoria eſt omnium maxima & glorioſiſſima; ſed hanc etiam una & ſola caritas vincit, quæ nos dicere toto corde compellit, *ſi fieri nequit, ut tranſeat a me calix iſte*, iterum & tertio, *non mea*, Pater, *ſed tua voluntas fiat, ſicut in cœlo & in terra*, hoc eſt proprium ca-

ritatis, quod nulla alia *virtus* poteſt efficere. hæc ſola quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Dei & Jesu Christi, quo certe officio ſummus perficitur victoriæ gradus. Cum jam non creatura, cui eſt ad ſerviendum innata neceſſitas, vincitur. Sed ipſe, ipſe, inquam, Dominus Deus rerum omnium conditor & ſervator ſuperatur. Quare quid obſecro excellentius aut fortius cogitari poſſet? hæſitat forte aliquis hoc in *loco*, & miratur quinam fieri poteſt, ut noſtra caritate vincatur invictiſſimus ipſe Deus: at non magnopere mirandum, quoniam hoc ipſius Dei immenſa & incomparabilis bonitas & caritas efficit, ut tunc demum vinci a nobis voluerit, cum per hoc ſuum caritatis donum vincimus noſmetipſos, diſpicientes quæ noſtra ſunt & ſua. O ergo ſurditatem eorum profundam, qui non audiunt. *Si linguis hominum loquar & angelorum, caritatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens; & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum; & ſi deſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum, ita ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt. finis enim præcepti eſt caritas de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta.* Ad hanc unam, ut ipſa veritas atteſtatur, aſpexerunt lex & prophetæ, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus, quia plenitudo legis eſt caritas, per quam viva fides operatur, quæ Deo placent.

Quærunt multi magno & deſiderio & labore intelligentiam ſcripturarum, verum librum ignorant qui eſt *caritas*. Nam ei qui diligit, & quæ latent & quæ patent in ſcripturis perſpicua ſunt & aperta. Totum enim opus legis non atramento in cartis & membranis mortuis, ſed Spiritu Dei viventis ſcriptum habet & vivum geſtat in corde, quia jam ille vivit Chriſtus in illo. Quid ergo tandem, aut quis fructus orationis meæ? Sit ſane magnam opus & memorabile & multa dignum laude, *veram juſtificationis* doctrinam ſapienter explicaſſe, & cunctis ſuſcipiendam populis tradidiſſe, ut ubi omnes theſaurum ſuum, quæ eſt caritas quam prædicamus, intueantur, agnoſcant, vadant & vendant omnia quæ habent & illum emant. At quid hoc nobis proderit, ſi nos miſeri eo caruerimus, quem aliis indicamus, & ſimus tales quales fixi lapides, qui viatoribus civitatem ubi *morandum* ſit, oſtendunt quidem eam, tamen ipſi immobiles numquam ingrediuntur. Verum non eſt hic fructus quem optare debemus, ſed ille, inquam, quem hodiernus feſtivus ac jocundus dies ſua celebritate nobis apportat, qui epiphania hoc eſt apparitio & manifeſtatio Domini dicitur.

At quomodo fieri poteſt, ut hoc quod non videmus, & quod ipſi ignoramus aliis *legitime manifeſtare poſſimus*? Manifeſtatus eſt autem Dominus Jesus magis per ſtellam ducem, qui euntes, in Bethleem intrarunt & viderunt, & procidentes & adorantes, aurum, thus, & myrrham ipſi Domino obtulerunt. Simus igitur & nos vere magi, hoc eſt vere ſapientes, quos ſtella dux, nempe fides in Bethleem, hoc eſt domum panis illius qui de cœlo deſcendit adducat, ut *nobis manifeſtetur per illum*, & adorantes offeramus aurum, thus & myrrham, quæ tria, ut diximus, in ipſa caritate mirifice conſpiciuntur, nimirum ſapientia, bonitas, & potentia. Manifeſtatus eſt Dominus in baptiſmo, ſicut audiſtis in evangelio: manifeſtavit enim eum Pater delapſa voce de cœlo, *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Manifeſtavit & Spiritus-ſanctus in columbæ ſpecie ſuper illum venientis, & quieſcentis, ut illius ſingularem ac puriſſimam innocentiam indicaret. Manifeſtavit & ipſemet ſemetipſum, cum Baptiſtæ ſuo Johanni dixit, *ſine modo, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam*, ac ſi explicatius diceret, non ſat eſt mihi ſoli eſſe me juſtum, ſed oportet & pro aliis meam exerceri juſtitiam, ut per me alii etiam juſti fiant; hoc enim pacto tota adimpletur juſtitia. Tales igitur & nos eſſe decet patres, hoc & ille requirit a nobis, ut nos per eum juſtificati, alios etiam fructibus juſtitiæ noſtræ imbuamus; non enim dixit ſic decet me, ſed ſic decet nos implere omnem juſtitiam. Dignatus eſt enim, & voluit in hoc præſtantiſſimo caritatis munere ſocios habere eos potiſſimum, quos ſui gregis decrevit eſſe paſtores. Manifeſtatus eſt denique in nuptiis, ubi inſipidas aquas in vinum optimum ſua omnipotentia commutavit. Quid nunc eſt vinum illud optimum, niſi caritas Dei donum, quo filii ſponſi in beatis Agni nuptiis inebriantur? hoc vinum tu hodie, ſynode ſacroſancta, non facis quidem, ſed jam a Domino factum, & miniſtris ejus, prophetis atque apoſtolis abs te acceptum probas: architriclinus enim tu es, cui ſpiritus Dei verarum doctrinarum probator aſſiſtit. Hoc igitur tu jam recte probatum vinum filiis nuptiarum propinandum eſſe imperes, nonne tibi prius erat vel maxime deguſtandum, ut in eo guſtu ipſam prius manifeſtatam potentiam, ſapientiam & bonitatem ſponſi noſtri Jesu Christi haberes? vos enim eſtis illi ad quos eſt illa vox, Comedite, ô amici, bibite & inebriamini cariſſimi. Quæ autem metamorphoſis, & quam turpe ſpectaculum, & quam infelix tragœdia, ſi ex amicis ſponſi cariſſimis evaſetimus in meretricem, quam manet illa crudelis & horrenda damnatio, de qua in Apocalypſi Johannis.

Multa, patres, hoc in *loco* ab aliis dicta ſunt de noſtrorum temporum calamitate. Deplorarunt nonnulli infeſtas & turbulentas in eccleſiam Dei oppugnationes,

quas ab inimicis crucis Christi manifeste cernimus evenire. Posuerunt ante oculos nostros in quam angustos angulos res Christiana cogatur; quantum hac infelici tempestate sinceræ fidei per sæva schismata, per impias hæreses deperierit, cum integras etiam regiones hæc tam lethalis pestis invaserit, obruerit, devastaverit. Quare si nolumus, optimi patres, falso nobis ipsis blandiri, ut mentiatur iniquitas sibi, nunc cogitandum magis objicitur nobis unde ortum habeant hæc tanta mala, & an horum omnium magna causa simus nos, qui dum aliud agimus, dum dormimus, diabolum & ministros ejus permittimus in agro Domini ejusmodi zizania interserere, & bonum triticum conturbare. hoc autem nostrum otium, iste sopor quamobrem obsecro? nisi quia refriguit in nobis caritas illa, quam nobis ipsis & gregi nostro debemus. Unde & merito pene dereliquit nos Deus prius a nobis direlictus; quare & jure optimo ipse dixit in prophetis: Væ cum recessero ab eis, tunc enim malum fere non sentimus. At hæc est ira super omnem iram, cum ipsa Dei ira non agnoscitur, non timetur, & in eam temporum & morum conditionem devenimus, ut dici possit, *numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & justitia tua in terra oblivionis?*

Verum nolim, patres, quemquam vestrum mea oratione dejicere, aut nimium deterrere, sed potius in spem erigere, & omnes vos bonum animum sumere. prope enim adest clementia Dei & verbum ejus, ut faciamus illud, modo parumper vigeat fides, modo admoneat & urgeat nos rei turpitudo, stultitia, indignitas, perversitas & detrimentum. Dico rei turpitudinem, nam quid turpius, quam pati detrimentum, propter nos opus esse sic turbas admoneri: *quæcumque dixerint vobis facite & servate, secundum opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt*? Dico stultitiam, quid enim stultius atque insipientius, quam similes esse scribis illis & principibus sacerdotum, de quibus audistis in evangelio, quod rogati ab Herode ubi Christus nasceretur, a scripturis edocti bene respondentes, in Bethleem Judæ inquiunt; at non illuc eunt & suum regem & salvatorem agnoscunt, adorant, amplectuntur & tenent? hic nullum consilium, cogitatio nulla. Dico denique indignitatem & perversitatem, quid enim indignius aut perversum magis, quam posse objici cuivis nostrum: Ecce tu, præsul & doctor qui nominaris in Israël, Dei gloriaris in evangelio, & instructus per ipsum doces justitiam, quasi lumen eorum qui in tenebris sunt, quasi eruditor insipientium, quasi magister infantium; denique tamquam habens formam, id est plenam notitiam veritatis de justitia Dei, qui ergo alium doces te ipsum non doces? qui gloriaris in evangelio, ipsum auctorem evangelii in honoras? Denique & malo exemplo tuo nomen Dei horribilibus objicere blasphemiis non perhorrescis, nec metuis tibi a divinis illis verbis: *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum, tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum?* Verum absit, quæso, absit a nobis patres sanctissimi tantæ rei turpitudo, stultitia, indignitas atque perversitas, sed remissas manus potius elevemus ad fortia & salutaria, genua erigamus & corroboremus ad prælia, & gressus rectos dirigamus calciati pedes in præparatione evangelii pacis, verbum illud Veritatis semper habentes in auribus cordis: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus est in regno cælorum.* Dixi.

Decretum sessionis V. de justificatione publicatum Idibus Januarii MDXLVII.

Cum hoc tempore non sine animarum jactura, &c. *ut apud Labbeum sessione* VI. *pag.* 757. *usque ad indictionem futuræ sessionis exclusive pag.* 770.

In eadem sessione magnificus dominus Hercules Severolus sacri concilii promotor accusavit contumaciam absentium sub hac forma verborum.

Accuso contumaciam omnium patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, & omnium qui de jure, privilegio, vel de consuetudine, ad concilium venire tenentur, & peto illos declarari contumaces fuisse & esse, prout sunt, & propterea incurrisse pœnas & censuras tam in jure quam in litteris sanctissimi domini papæ expressas, & nihilominus deputari judices per sanctam synodum ad procedendum contra ipsos.

Tunc reverendissimus dominus cardinalis de Monte præsidens respondit, se admittere accusationem contumaciæ, & deputare judices archiepiscopum Aquensem, episcopos Astoricensem & Albiganensem, ad procedendum contra omnes, exceptis tamen legitime impeditis.

Et ita responderunt omnes, quoad judicum deputationem, & quoad accusationem contumaciæ. Et placuit majori parti inter contumaces non reputari Germanos.

Deinde idem promotor petiit per sanctam synodum moneri omnes prælatos præsentes, ne illicentiati discederent ab hac civitate ante celebrationem proximæ sessionis, sub pœnis excommunicationis, & amissionis beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum ipso jure incurrendis.

Tunc reverendissimus dominus de Monte præsidens respondit sibi placere, & ex tunc monuit omnes, & pro monitis trina monitione haberi voluit, sub pœnis suprascriptis, & cum eo senserunt omnes, paucis admodum exceptis.

DECRETUM SEXTÆ SESSIONIS.

De ſacramentis in genere, de baptiſmo & confirmatione tertia Marti MDXLVII.

Miſſam celebravit archiepiſcopus Corcyrenſis, orationem habuiſſet epiſcopus ſancti Marci, niſi fuiſſet raucedine præpeditus. Decreta legit epiſcopus Salpenſis. Adfuerunt patres LX. doctores....

Ad conſummationem ſalutaris de juſtificatione doctrinæ, &c. *ut apud Labbeum ſeptima ſeſſione pag.* 776. *uſque ad pag.* 783. *ad hæc verba.* Et quia ego Angelus Maſſarellus, &c.

SEPTIMA SESSIO

De tranſlatione concilii.

Anno MDXLVII. menſis Martii die XI. concilium Tridentinum Bononiam tranſlatum fuit hoc fere modo. Dictum eſt ſacrum ſolemne cum ceremoniis & orationibus in publicis ſeſſionibus obſervari & dici ſolitis & conſuetis. Deinde reverendiſſimus cardinalis de Monte præſidens propoſuit quædam de de loci & aëris inſalubritate, de contagio morbi lenticularis, quem vulgo *Peteçe* appellant, ex conſilio & depoſitione medicorum, de agri Tridentini ſterilitate, de periculo penuriæ & famis, cum excluſione ab omnibus vicinis, locis & dominiis, ſi forte hæc labes latius ſpargeretur, & alia hujus generis quædam. His acceſſit informatio facta per concilii promotorem ſuper articulis dictis cum teſtium depoſitionibus, qui fuerunt numero novem, aſſerentium articulos veros eſſe, quod conſtabat pleroſque dicto malo correptos paucis ante diebus obiiſſe.

Tunc reverendiſſimus de Monte cenſuit ob prædictas cauſas, merito ſibi videri concilium poſſe & debere transferri, cum nulla lex neque divina, neque humana præcipiat, ut patres cum vitæ periculo debeant compelli ad manendum in aliquo certo loco ad concilium celebrandum. adjecit quoque nullam ſibi occurrere civitatem commodiorem quam Bononiam. Quare rogavit an placeret decernere & declarare prædictas cauſas eſſe ſufficientes & legitimas ad transferendum concilium, & utrum etiam Bononienſis civitas ipſis videretur idonea.

Data ſunt vota varie, ſi quidem ex quinquaginta & ſex patribus placuit omnibus, quatuordecim exceptis, quorum aliquibus præſertim Hiſpanis non placuit, quod aſſererent non conſtare de voluntate ſanctiſſimi Domini noſtri: & propterea tranſlationem fieri non poſſe, affirmando quod ſi conſtaret de voluntate ſanctitatis ſuæ, conſentirent in tranſlationem, & quandocumque conſtaret, erant parati obedire: & aliquis ex iptis quatuordecim dixit ſibi non liquere; aliquis placere tranſlationem & manſionem, aliquis placere tranſlationem ſi cauſæ eſſent veræ.

Quibus auditis reverendiſſimi domini præſidentes & legati, exhibuerunt bullam ſanctitatis ſuæ ſpecialis mandati in perſonas ipſorum reverendiſſimorum, ad transferendum concilium, cujus tenor ſequitur & eſt talis.

Bulla per quam datur poteſtas reverendiſſimis legatis transferendi concilium ex Tridento.

PAULUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri JOHANNI MARIÆ, *&c. ut apud Labbæum, pag.* 783.

Quæ bulla lecta fuit a ſecretario alta & intelligibili voce. Deinde reverendiſſimi legati & præſidentes pronunciaverunt tranſlationem eſſe factam, approbantes ſententias majoris partis prælatorum tamquam epiſcopi & tamquam cardinales, & tamquam præſidentes & legatis & tam virtute ſuæ generalis commiſſionis & auctoritatis, quam ſpecialis mandati, de quo in bulla, mandantes omnibus ſub pœnis, &c. quatenus ſtatuta die, id eſt XXI. Aprilis, omnes adeſſe deberent ad ſeſſionem celebrandam.

FINIS.

Tranſlatio concilii ex Tridento Bononiam.

MASSARELLUS.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. anno a nativitate ejuſdem MDXLVII. indictione V. die vero veneris XI. menſis Martii, pontificatus S. in Chriſto patris & Domini noſtri domini PAULI divina providentia papæ III. anno XIII. convocaverunt in eccleſia cathedrali Tridenti ſub invocatione S. Vigilii in loco ad ſeſſiones habendas & concilium celebrandum deputato, pro ſeſſione habenda ad infraſcripta, reverendiſſimi & illuſtriſſimi JOHANNES MARIA epiſcopus Prænestinus de Monte, & MARCELLUS tituli S. Crucis in Jeruſalem preſbyter S. R. E. cardinales, ipſius ſacri concilii præſidentes, & apoſtolici de latere legati, nec non reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus PETRUS PAULUS cardinalis Giennenſis, ac reverendiſſimi domini archiepiſcopi, epiſcopi, abbates & generales ordinum infraſcriptorum. Ubi reverendus in Chriſto pater & dominus epiſcopus Britonorienſis cantavit miſſam ſolemnem de Spiritu-ſancto; qua finita, tam prædicti reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini præſidentes & legati quam ceteri prælati omnes acceperunt ſolita paramenta & mitras, deinde per reverendiſſimum & illuſtriſſimum dominum cardinalem de Monte præſidentem & legatum decantatæ ſunt orationes & preces in publicis ſeſſionibus cantari conſuetæ, ac ſolitæ cerimoniæ de more peractæ ſunt, invocato etiam auxilio ſancti Spiritus per hymnum, *Veni Creator Spiritus*, & decantatis a cantoribus letaniis, & per diaconum evangelio, *Euntes docete*, Matth. X. &c. quibus omnibus completis, & ipſis reverendiſſimis & illuſtriſſimis præſidentibus & legatis ſedentibus ante altare majus, verſa facie ad patres concilii, præfatus reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus legatus cardinalis de Monte & præſes alta & intelligibili voce ex ſcripto recitavit, legit de verbo ad verbum & pronuntiavit ea

quæ sequuntur videlicet.

Non ignoratis, patres, quæ in duabus proxime præcedentibus congregationibus, ad prohibendum imminentem dissolutionem concilii constitui possent, & patres omnes sine aliqua contradictione seu difficultate ibidem esse recipiendos.

Secundum, quod locus ipse esset huic civitati propinquus quantum fieri posset, non solum pro majori commoditate illuc accedendi, sed etiam pro majori facilitate redeundi ad hanc urbem, si quando, cessantibus per Dei gratiam impedimentis, quæ nunc vigent, videretur sanctissimo Domino nostro pro rebus Germaniæ, concilium esse in hac civitate reducendum & reponendum.

Tertium, quod locus ipse esset capax, haberet salubritatem aëris, copiam rerum quæ sunt humano usui & victui necessaria, & alia requisita; & ut uno nos absolveremus verbo, solam Bononiam a pluribus nominatam, videri nobis his omnibus intentionibus accommodatam, non dubitare nos quin ibi recipiamur cum magna illorum civium gratulatione & veneratione erga singulos patres. De illius civitatis dotibus differre supervacuum esse, cum paucis civitatibus Italiæ post haberi possit, viderique nobis hac via satisfieri illorum opinioni, qui volebant patres non abesse ultra tres dietas, cum non ullo longiori itinere distet Bononia. Itemque sanctissimi domini nostri deliberationem expectari, non dissolvi concilium, non generari scandalum in populo christiano, non omitti celebrationem sessionis jam indictæ, sed reservari deliberationem sanctitati suæ, pro subsequenti tempore, vel in eodem loco, vel in alio, vel etiam in hac ipsa civitate Tridentina. Denique si concilium conservetur & manutenetur, omnia bona sperare nos posse; si dissolvatur, omnia mala; quod recedant qui velint, & eant quocumque velint; & remaneant qui voluerint remanere, nullo modo nos probare posse.

His a nobis expositis, patres omnes dixerunt sententias suas, & pro longe majori parte conformes fuerunt, ut concilium ipsum Bononiam transferatur.

Quibus auditis, diximus pro rei gravitate, & pro majori firmitate eorum quæ decernenda essent, dignum & æquum esse, ut omnis nostra in hac re deliberatio ab invocatione divini numinis initium sumeret, & propterea alta voce monuimus omnes, ut hoc ipso die, & hac hora, ad hanc ecclesiam cum paramentis consuetis convenirent, facturi eam deliberationem, quam Spiritus sanctus mentibus patrum inspiraret.

De his omnibus estis vos patres coram Deo & hominibus locupletissimi testes. audietis etiam nunc ea quæ proferet dominus promotor concilii in hac materia.

Et statim ipse promotor dixit: *Reverendissimi & illustrissimi domini & amplissimi patres, cum audissem in congregationibus proxime factis, aliquos patres desiderare fieri aliquam investigationem super hac infectione & suspicione, examinavi tam ex officio, quam ex commissione & mandato reverendissimorum & illustrissimorum dominorum legatorum nonnullos testes super quibusdam articulis, quos peto recipi & admitti, &c.* Et reverendissimus & illustrissimus cardinalis de Monte præsidens & legatus præfatus dixit: *Placet quod legantur,* & omnes patres responderunt: *Legantur;* & statim articuli ipsi cum depositionibus lecti fuerunt per notarium coram omnibus alta & intelligibili voce, quorum & quarum tenor sequitur, & est talis.

Promotor sive procurator sacri concilii Tridentini salvis &c. ponit & dicit.

1. *Quod a mense citra & supra per multos dies in civitate Tridentina invaluit morbus lenticularum, sive pentecularis appellatus.*

2. *Quod morbus hujusmodi pestilens est, & ex eo plures moriuntur.*

3. *Quod morbus hujusmodi est contagiosus, & ex uno in alium facile transfunditur.*

4. *Quod a mense citra plures & plures mortui sunt in civitate prædicta hujusmodi morbo laborantes, & inter ceteros episcopus Caput-Aquensis, Generalis observantiæ, & canonicus Balduinus, & alii complures.*

5. *Quod laborantes ex hujusmodi morbo, ut plurimum moriuntur; qui autem supervivunt, ut plurimum manci aut debiles remanent, aut stolidi.*

6. *Quod in proximis & vicinis agris & villis plures hoc eodem morbo laborant, & morbo hujusmodi pereunt in dies.*

7. *Quod adveniente calore, solet ut plurimum morbus hujusmodi crescere, & in pestem converti.*

8. *Quod omnia pene ad victum necessaria veniunt extrinsecus, & portantur ab exteris, quoniam in agro Tridentino non nascuntur fruges, quæ sufficiant pro tribus mensibus.*

9. *Quod si aliquis forte peste hic moreretur, statim banniretur civitas Tridentina a dominio Venetorum, & aliis vicinis terris, & propterea non possent amplius conduci necessaria ad victum pro prælatis & concilio.*

10. *Quod stante peste in civitate Tridentina, non admitterentur aliqui venientes ab illa in propinquis civitatibus.*

11. *Quod in hac parva admodum civitate sunt de præsenti quadraginta & ultra hoc morbo laborantes.*

12. *Quod medici Tridentinæ civitatis sæpius requisiti visitare infirmos, hoc facere recusarunt, & recusant de præsenti.*

13. *Quod præmissa omnia & singula fuerunt & sunt vera, publica & notoria, &c. quare &c.*

Die x. Martii 1547. Tridenti.

Frater Andreas de Masseotiis Aretinus, ordinis Servorum, interrogatus, medio juramento, super articulis datis per magnificum J. V. doctorem dominum Herculem Seve-

rolum promotorem ſacri Tridentini concilii depoſuit ut infra.

Super primo interrogatus dixit articulum verum. Interrogatus de cauſa ſcientiæ, dixit hoc ſcire, quia vidit quotidie a dicto tempore & a vigilia Nativitatis Domini noſtri JESU CHRISTI citra ſepeliri mortuos in cimiterio S. MARIÆ majoris ex eodem morbo, ut aſſerebatur, defunctos, cum an[illegible] dictum tempus pauci admodum ſepeliri conſueverint.

Super ſecundo dixit articulum verum. In cauſa ſcientiæ dixit ſcire, quod plures habentes dictum morbum perierunt.

Super tertio dixit articulum verum ex communi fama.

Super quarto dixit articulum verum. In cauſa ſcientiæ dixit, ſe ſcire, quia vidit prædictos tres articulatos mortuos eſſe, & eorum funeri interfuit.

Super quinto, dixit nihil ſcire.

Super ſexto dixit articulum verum ex publica voce & fama. In cauſa ſcientiæ, quod audivit hoc in platea publica ab hominibus ipſarum villarum, & ex voce omnium.

Super ſeptimo dixit articulum verum, & quod audivit ex fide dignis perſonis, & ita eſt publica vox & fama, quod adveniente calore erit maximum periculum peſtis.

Super octavo dixit articulum verum. In cauſa ſcientiæ, quia experientia ipſa didicit omnia omnino, quæ ad victum concilii neceſſaria ſunt, aliunde venire, & ex mercatoribus ferentibus emere oportere.

Super nono dixit articulum verum. In cauſa ſcientiæ, quia experimento didicit, quod dum alias mortui eſſent duo vel tres in terra Rovereti ex peſte, ut aſſerebatur, licet nullus mortuus eſſet ex eodem morbo in civitate Tridenti, interdictus tamen fuit commeatus huic civitati, adeo ut magna omnium rerum ad victum neceſſariorum hic inopia eſſet.

Super decimo dixit articulum verum. In cauſa ſcientiæ, dixit quod cum abeſſet ab hac civitate, & rurſus reverſurus cum reverendo patre domino generali, tempore quo fama volabat dictam terram Rovereti eſſe infectam, neceſſe habuit per ſex horas noctis remanere ſub dio ante portam civitatis Veronenſis, qua itur verſus Mantuam, antequam ipſam civitatem Veronenſem ingredi potuerit.

Super undecimo dixit audiviſſe plures infirmos eſſe, ſed neſcire numerum.

Super duodecimo dixit nihil ſcire.

Super decimo tertio, &c.

Item quod præmiſſa omnia & ſingula fuerunt & ſunt vera.

MAGISTER Laurentius Mazochius de Caſtello-Franco, ordinis Servorum, interrogatus, medio juramento, depoſuit ſuper ipſis articulis ut infra.

Super primo dixit articulum eſſe verum ex publica fama & voce, & quod vidit a menſe citra quotidie poſtquam reverſus eſt ad civitatem Tridenti, in cimiterio S. Mariæ-Majoris ſepeliri cadavera mortuorum, nunc unum, nunc duo, nunc tria, & quandoque quatuor uno & eodem die; & ulterius audivit iiſdem diebus alios defunctos ſepultos apud S. Petrum, & apud S. Vigilium, & omnes iſtos ut plurimum morbo articulato defunctos eſſe.

Super ſecundo dixit articulum verum ex ea cognitione quam habet [de] hujuſmodi morbo, & quod libenter diſceſiſſet ab hac ciuitate, niſi a reverendo domino generali ſuo fuiſſet prohibitus, quia iſte morbus videtur nuncius epidimiæ.

Super tertio dixit articulum verum ex cognitione quam habet.

Super quarto dixit articulum verum, quia vidit prædictos omnes mortuos, & interfuit eorum exſequiis, & audivit eos ex publica voce & fama ex tali morbo defunctos eſſe.

Super quinto dixit articulum verum ex auditu.

Super ſexto dixit articulum eſſe verum ex publica fama, voce & auditu.

Super ſeptimo dixit articulum eſſe verum ex cognitione quam habet de hujuſmodi morbo.

Super octavo dixit articulum eſſe verum ex cognitione quam habet de ipſo agro.

Super nono dixit articulum verum, quia novit mores dominorum Venetorum exactiſſimos in hujuſmodi rebus, cum ſit eorum vaſallus.

Super decimo dixit articulum verum. In cauſa ſcientiæ, refert ſe ad priorem articulum.

Super undecimo dixit articulum verum de publica voce & fama, neſcit tamen numerum.

Super duodecimo dixit ex auditu ſcire, & quod audivit epiſcopum Caput-aquenſem defunctum eſſe ex defectu medicinæ quæ reperta non fuit apud aromatarios Tridenti.

Super decimo tertio generalis eſt.

REVERENDUS dominus Antonius Pighettus commiſſarius apoſtolicus in ſacro concilio, medio juramento, ſuper articulis præfatis depoſuit ut infra.

Super primo, dixit articulum eſſe verum. In cauſa ſcientiæ, audivit a patrono domus ſuæ quam inhabitat, & ab ejus uxore, & vidit multos ſepelire defunctos ex ipſo morbo, & in ſpecie Balduinum canonicum; & audivit a multis uno die ſepultos fuiſſe ſeptem, altero vero octo, & hoc a ſex diebus citra; & dixit quod ipſe noluit ire ad viſitandum infirmos propter timorem quem habet hujuſmodi morbi.

Super ſecundo dixit articulum verum ex auditu.

Super tertio dixit nescire, quia non est medicus.

Super quarto dixit articulum esse verum, quia scit prædictos esse mortuos & sepultos, &, ut audivit, ex ipso morbo.

Super quinto, articulum verum ex hoc scire, quia vidit & alloquutus est famulum reverendi domini episcopi Saluciarum, qui ex morbo paucis ante diebus contracto remansit stolidus & sine intellectu.

Super sexto dixit nescire, nisi ex auditu, quia non peragravit villas hujusmodi.

Super septimo dixit articulum verum ex publica voce & fama, quia adveniente calore, solent hujusmodi morbi longe lateque grassari.

Super octavo dixit articulum verum pro experientia quam habet istius territorii, & ex officio quod gessit in hac civitate jussu SS. domini nostri, quod in hujusmodi territorio non oritur neque frumentum, neque bladum pro tribus mensibus, & quod pro habendo commeatu fuit sepius Mediolani, Mantuæ, Ferrariæ & Venetiis cum brevi suæ sanctitatis.

Super nono dixit articulum esse verum.

Super decimo dixit articulum esse verum.

Super undecimo, scit plures esse infirmos, sed nescit numerum.

Super duodecimo nihil scit.

Super decimo tertio dixit audivisse a patrono domus suæ, quod medici hujus civitatis noluerunt visitare Ursulam neptem ejusdem patroni.

Super decimo quarto generalis est.

Dominicus de Volano Velletarius habitator Tridenti, medio juramento, deposuit ut infra.

Quod scit plures esse infirmos ex morbo lenticularum, etiam ultra quinquaginta, & habere etiam uxorem ægrotantem hujusmodi morbo, & quod requisivit dominum Julium Alexandrinum medicum hujus civitatis, ut visitaret ejus uxorem, & quod recusavit, ex eo quod cognovit eam laborare dicto morbo : & quod nunc moriuntur in majori numero, quam pro præterito : & quod quando est suspicio pestis in hac civitate, Veneti prohibent commeatum, & ideo civitas multum patitur, quia in ejus territorio non colligitur tantum frumenti, neque bladi, quod sufficiat tribus mensibus.

Raphael de Paladio clericus de Balneo, nullius diœcesis, medio juramento, deposuit ut infra :

Super primo dixit articulum verum. In causa scientiæ, quia vidit sepeliri in qualibet ecclesia quotidie aliquos, quos intelligebat mortuos esse ex hoc morbo.

Super secundo dixit articulum verum ex communi voce & fama.

Super tertio refert se ad secundum, & quod audivit communiter ab hominibus dici, & etiam a medicis, quod iste morbus est contagiosus.

Super quarto dixit articulum verum, & audivit esse mortuos ex isto morbo.

Super quinto dixit articulum verum, in causa scientiæ, quia in domo reverendi domini episcopi Salutiarum patroni sui, coquus dominationis suæ infirmatus fuit hac febre pestilentiali, & quod contra opinionem omnium medicorum liberatus fuit, sed evasit stolidus & insanus, prout est de præsenti, & quod audivit a consobrino suo a xv. diebus citra, quod eodem morbo perierunt & pereunt in dies plures milites, & qui supervivunt plerumque privati mente vel aliquibus sensibus, & hoc dicebat quando videbat coquum prædictum hujusmodi esse.

Super sexto dixit articulum verum ex auditu.

Super septimo dixit nescire, sed continet se a visitatione propter timorem contagii.

Super octavo dixit articulum verum ex auditu.

Super nono & decimo dixit nihil scire, sed credere.

Super undecimo dixit nescire numerum, sed plures esse ægrotantes.

Super duodecimo & decimo tertio dixit nihil scire.

Dom. Jacobus de Crescentiis, clericus Burgi S. Sepulcri, capellanus reverendi domini episcopi Saluciarum, medio juramento, deposuit ut infra :

Super primo dixit vidisse quotidie sepeliri plures in qualibet ecclesia, ut ferebatur, ex hoc morbo defunctos.

Super secundo dixit, audivisse a D. Fracastorio, dum comederet cum domino suo, & a magistro Balduino dum curaret coquum suum, & haberet eum pro desperato, & ex aliis, quod iste morbus est pestilens, & de facili homines ex eo moriuntur, & quod est difficilis curatio istius morbi.

Super tertio refert se ad secundum.

Super quarto dixit, articulatos esse mortuos, & ex hoc morbo, generali excepto, quem nescit si ex ipso morbo obierit.

Super quinto dixit articulum verum, & quod ob defectum sensus, dixit se scire ab exemplo domestici coci domus, qui postquam erat desperatus de salute, restitutus sanitati, remansit stolidus.

Super sexto, nisi ex auditu, & super reliquis ita.

Silvester de Guaiano de Forlivio, medio juramento, deposuit ut infra :

Super primo dixit articulum esse verum, publicum, & notorium, & quod scit hoc quod publice tenetur ab omnibus.

Super secundo dixit articulum esse verum ex publica voce & fama.

Super tertio nihil scit, nisi quod audivit ex medicis.

Super

Super quarto dixit articulum esse verum, publicum & notorium, & ultra prædictos scit esse defunctum dominum Marcum Antonium Scalcum secretarium reverendissimi & illustrissimi domini cardinalis S. Crucis domini sui, ex hujusmodi morbo, & quod habebat carbunculum in coxia dextra, & quod mulier quædam nomine Catharina, quæ assistebat ei in infirmitate, paulo post infirmata est, & laboravit pluribus diebus.

Super quinto articulo dixit esse notorium & publicum.

Super sexto dixit articulum verum ex publica voce & fama, & præcipue in terra Rovereti, in qua terra audivit plures infirmos esse hoc morbo.

Super septimo refert se ad sextum.

Super octavo dixit articulum esse verum, notorium & publicum, præterquam de vino, cujus copia habetur.

Super nono habet articulum pro notorio, & quod prælati volentes recedere ab hac civitate non admitterentur in aliqua loca.

Super decimo dixit nihil scire.

Super undecimo dixit scire plures esse infirmos in hac civitate, utpote dominum Pompeium magistrum ceremoniarum, duas mulieres in quadam domo propinqua palatio reverendissimorum legatorum.

Claudius Jacobi Januensis de Ciamberico, medio juramento, deposuit ut infra.

Super primo dixit articulum esse verum & notorium, & quod vidit in uno die sepeliri quinque mortuos, quorum unum ferebatur periisse lenticulis.

Super secundo dixit intellexisse lenticulas esse pestiferas a mense citra.

Super tertio refert se ad secundum.

Super quarto dixit scire illos mortuos esse & sepultos, sed nescire si generalis & canonicus Balduinus perierunt hoc morbo vel alio, sed bene scit, quod quotidie plures moriuntur, & plurimi infirmantur. In causa scientiæ, quod vidit sepeliri multos, quos ferebatur laborasse hoc morbo, & quod est notorium & manifestum.

Super quinto dixit cognoscere coquum reverendissimi domini episcopi Saluciarum, qui ex morbo lenticularum evasit stolidus & mente captus, & quod vidit eum una dierum projicere nummos per domum.

Super sexto dixit articulum verum ex auditu.

Super septimo refert se ad supra relata.

Super octavo dixit articulum esse verum, notorium & publicum, præterquam de vino, cujus copia habetur.

Super nono & reliquis dixit nihil scire.

Catharina Mediolanensis, habitatrix in civitate Tridenti, medio juramento, deposuit ut infra:

Super primo dixit articulum esse notorium, publicum & manifestum, & quod ipsa a principio Februarii citra habuit quinque in manibus hujusmodi morbo laborantes, quibus adstitit gubernatrix, videlicet dominum Marcum Antonium Scalcum secretarium reverendissimi & illustrissimi cardinalis S. Crucis, Antonium de Castrovilla capitaneum, Rodulfum de Pitigliano capitaneum, Alphonsum de Pisis, & Octavianum de Romandiola, quorum tres decesserunt, & dominus ipse Marcus Antonius habebat carbunculum in crure dextro, & quod deinceps ipsa laboravit hoc morbo per xv. dies, & tandem ægre convaluit, & nunc assistit domino Pompeio magistro ceremoniarum, de cujus vita dubitat, quia cognoscit in eo omnia signa, quæ habebat dictus dominus Marcus Antonius.

Super secundo dixit articulum verum esse & notorium & indubitatum, & quod milites portaverunt huc morbum istum.

Super tertio refert se ad secundum.

Super quarto dixit articulum verum & notorium & publicum, & quod canonicus Balduinus contraxit morbum hujusmodi in curia sive exercitu Cæsaris.

Super quinto dixit nescire.

Super sexto & septimo dixit nihil scire præter quam quod supra dixit.

Super reliquis dixit nihil scire.

Quibus articulis & depositionibus per dominum Claudium de la Casa concilii notarium lectis, ipse promotor exhibuit, etiam depositionem medicorum, & petiit admitti. Et reverendissimus & illustrissimus legatus præfatus, dixit alta & intelligibili voce, *Placet quod legatur aut habeatur pro lecta.* Et responderunt omnes simul: *habeatur pro lecta*, cujus tenor talis est.

Requisiti fuimus nos Hieronymus Fracastorius Veronensis, sacri hujus concilii medicus, & Balduinus de Balduinis de Barga. Reverendissimi & illustrissimi cardinalis de Monte medicus, ab illustrissimis & reverendissimis legatis sacrosancti concilii Tridentini, ut super prava hac infectione, quæ nunc in agro Tridentino viget & grassatur, quam lenticulas seu ponticulas vocant, in scriptis fideliter deponeremus sententias nostras videlicet, quæ natura sit ejus infectionis, & unde dependeat, & quæ pericula secum trahat, & quibus magis aut minus periculosa sit, & utrum mutatio hujus aëris præservare homines possit, super quibus habita diligenti & matura consideratione, existimantes, & debiti nostri esse parere atque obsequi illustrissimis & reverendissimis dominis nostris, & pium consulere, ubi de vita & salute multorum agatur, concorditer & fideliter ita respondemus.

Primum quod infectio hæc reducenda est ad genus earum febrium, quæ pestilentes vocari solent, quod manifestum esse potest, si definitionem pestilentium febrium positam ab

auctoribus, Galleno præſertim in epidemiis, & in lib. de differentiis febrium, & ab Avicena cap. proprio, ſi etiam ſigna ab eiſdem tradita reſpiciamus. peſtilentem enim fœtorem vocant, quæ & contagioſa eſt, & plures perdit, contagioſa quidem, ad differentiam aliarum quæ putridæ ſunt, non autem contagioſæ; plures vero perdentem, ad differentiam quorumdam febrium, quæ contagioſæ ſunt, ſed ut plurimum ſalubres, ſicuti variolæ, & morbili vocati. Signa vero peſtilentum febrium, quæ ipſi tradunt, ſunt, quod illæ introrſum quidem perturbant, extra vero quieto apparent. Lenes item videntur & placidæ, maxime a principiis, ſed tamen virtute labefactant, æger totus fractus ſibi videtur, oculi caligant, pulſus parvi ſunt & rari, ſed inæquales, urinæ conturbatæ, aut quale eſt vinum granatorum, aut ſimiles ſanis: ægro nihilominus tendente ad mortem, excrementa corrupta, liquida, fœtentia tum apparent, aut abſceſſus & bubones circa emunctoria & parotides, circa aures, aut maculæ in dorſo & in brachiis, quales lenticulæ ſunt vel puncturæ pulicum. quæ ſi recte conſideremus, videmus febres has, quas lenticulas vocant, prædicta omnia præ ſe ferre. Nam & contagioſæ ſunt, licet non ita ſubito & de facili, ſicut quædam aliæ peſtilentes febres, plures etiam perdunt, ut longe experientia, & hic videmus, & alias vidimus in multis locis, ſicut anno MDXXVIII. Habent item omnia alia prædicta ſigna circa virtutem, circa fractionem, circa pulſum, circa urinas, & excrementa, ſed illud potiſſimum quod apparent fere omnibus maculæ circa dorſum & brachia & pectus, quæ lenticulis aut puncturis pulicum ſimiles ſunt. Quare nemini dubium eſſe debet, quin febres hæ ad genus peſtilentum reduci debeant. verum cum multi gradus inter illas ſint, & differentiæ multæ, iſtæ quidem non exacte peſtilentes & fævæ ſunt, ſed in primis gradibus peſtilentum conſtitutæ, inter quas & ſui etiam gradus ſunt, & aliæ minus, aliæ magis contagioſæ & fævæ cernuntur. Conſiſtit autem malignitas earum in modo quodam putrefactionis malæ, quæ valde larga & profunda eſt ac ſordida, ut plurimum in maſſa ſanguinis facta, in qua ſeminaria quædam gignuntur, quæ ad alium delata, contagionem atque infectionem conſimilem inferunt, quæ animæ & ſpiritibus tamquam venenum quoddam inimica plurimum eſt. Fit autem mala illa & ſordida putrefactio, interdum quidem in nobis primo, interdum extrinſece concipitur, quandoque quidem ab uno in alium recepta, quandoque ab aëre in quo ſeminaria conſimilia putrefactionis gigni ſolent, quoniam & aër ipſe diverſimode corrumpi conſuevit. Quare attractus & per anhelitum, & per venas immittit ſeminaria in nos; unde mala illa & contagioſa accidit putrefactio. Videtur autem quæ nunc viget infectio ex aëre potiſſimum dependere, cujus ſignum eſt, quod ubique jam & in hac civitate, & in vicis & in villis late graſſatur, quod nec in contagione unius ab alio, nec in particularem aliam diſpoſitionem referri poteſt; ſed in aërem ſolum. Pericula autem quæ ſecum trahit hæc infectio ſatis manifeſta ſunt. Nam primum febris ex qualibet levi cauſa & occaſione innaſcitur, ex qua ut plurimum homines pereunt, & qui evadunt ſurdi remanent, alii ſine memoria, alii obtuſi ingenio. Sunt autem in periculo alii magis, alii minus: magis, qui vel natura vel uſu humidiores ſunt & immundi victus, qui latorum pororum, qui negotiorum multorum ſunt, & ſanguinem agitant; ſed quod maxime conſiderandum eſt, magis videntur periclitari nobiles & delicati, quam plebs, quod contra ſit in veris peſtilentibus, in quibus plebs magis periclitatur, quam nobiles. cauſa diverſitatis eſt, quod peſtilentia magis concipitur ab uno in alium, minus autem ab aëre. In hac autem infractione e contra fit. In peſtilentia igitur plebs propter paupertatem & incommoditatem multorum & neceſſitatem converſandi magis patitur, quia magis reſiſtit propter robur & fortitudinem corporis, minus autem nobiles, utpote delicati. Propter quod nobiles periclitantur magis. quapropter promtum eſt unicuique videre quam ſalutaris eſſe poſſit mutatio aëris. Atque hæc ſunt, quæ nobis ſuper quæſitis reſpondenda viſa ſunt. In quorum fidem manu propria ſubſcripſimus.

Ego Hieronymus Fracaſtorius manu propria ſubcripſi.

Ego Balduinus de Balduinis manu propria ſubſcripſi.

Die 10. Martii MDXLVII. Tridenti in ædibus reſidentiæ reverendiſſimorum & illuſtriſſimorum dominorum legatorum ſacroſanctæ concilii in mei notarii præſentia, & honorabilium virorum domini Ambroſii Monticolæ preſbyteri Lunenſis Sarzanenſis diœceſis, & domini Ludovici Mingotii laïci Britonorienſis teſtium ad hoc ſpecialiter vocatorum, magnificus & egregius artium & medicinæ doctor D. Hieronymus Fracaſtorius ſupraſcriptus, ipſius ſacri concilii medicus, conductus & ſtipendiatus recognovit, medio juramento, manu tactis ſcripturis, ſupradictam depoſitionem, & manum ſuam in ea appoſitam, & confirmavit & ratificavit omnia in ea depoſitione contenta eſſe vera, & ſe illam depoſitionem feciſſe pro veritate, & nulla alia cauſa, remoto a ſe omni humano affectu. addendo inſuper hæc verba, videlicet *Jo. quiro ſopra queſte litere che chi mi donaſſe cento ſcudi il Giorno non ſtarei, qui un meſe & chi ciſtara ſe ne pentira.*

Eiſdem die anno, loco & teſtibus magnificus & egregius artium & medicinæ doctor

D. Balduinus de Balduinis medicus familiaris & domeſticus reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini cardinalis de Monte legati ſacroſancti concilii recognovit, depoſitionem ſuprascriptam & manum ſuam, jurans ad ſancta Dei evangelia, contenta in ea vera eſſe, & ſe ea dixiſſe & dicere pro veritate, & quia ſic dictat conſcientia ſua, & pro exoneratione conſcientiæ ſuæ.

Succeſſive ipſe reverendiſſimus & illuſtriſſimus cardinalis de Monte, præſidens & legatus præfatus, verſus ad ipſos patres dixit: reliquum eſt, ut nunc ſuper decreto ex mente majoris partis patrum concepto & formato, ſententias veſtras libere dicatis; & nulla mora interpoſita, legit alta & intelligibili voce decretum ipſum ſubſequentis tenoris:

Placet ne vobis decernere & declarare de hujuſmodi morbo ex præmiſſis & aliis allegatis, ita manifeſte & notorie conſtare, ut prælati in hac civitate ſine vitæ diſcrimine commorari, & in ea idcirco inviti minime retineri poſſint & debeant. Itemque attento receſſu multorum prælatorum, poſt proxime præteritam ſeſſionem, & attentis proteſtationibus aliorum quam plurium prælatorum in congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore morbi abire volentium, qui juſte detineri non poſſunt, & ex quorum diſceſſu concilium vel diſſolveretur, vel ex paucitate prælatorum bonus ejus progreſſus impediretur, & attento etiam imminenti periculo vitæ, & aliis cauſis per aliquos ex patribus in ipſis congregationibus allegatis, utpote notorie veris & legitimis. Placetne vobis ſimiliter decernere & declarare pro conſervatione & proſecutione ipſius concilii, ſecuritate vitæ ipſorum prælatorum, concilium ipſum ad civitatem Bononienſem, veluti ad locum magis paratum, ſalubrem, & idoneum pro tempore transferendum eſſe, & ex nunc transferri, & ibidem ſeſſionem jam indictam ſtatuta die XXI. Aprilis celebrandam eſſe & celebrari, & ſucceſſive ad ulteriora procedendum, donec SS. domino noſtro & ſacro concilio expedire videbitur, & ad hunc ſeu alium locum, communicato etiam conſilio cum invictiſſimo Cæſare, Chriſtianiſſimo rege, & aliis regibus & principibus Chriſtianis ipſum concilium reduci poſſit & debeat.

Quo decreto lecto, unuſquiſque etiam interrogatus ſingulariter a me Angelo Maſſarello ſecretario concilii, una cum domino Claudio de la Caſa ipſius concilii notario, dixit alta & intelligibili voce ſententiam in hunc qui ſequitur modum, videlicet: *Reverendiſſimis & illuſtriſſimis dominis præſidentibus & legatis placet decretum, & omnia alia adjuncta & probata, tamquam vera & legitima approbant.*

Reverendiſſimus cardinalis Giennenſis dixit, non ſufficere allegata per promotorem, quia eorum majorem partem ſcit eſſe falſa, A fit contra jus tranſlatio, cum nulla ſit cauſa legitima eſſe transferendum in eamdem provinciam, ſi eſſet transferendum, juxta formam concilii Conſtantienſis. Quare proteſtatur ſe non aſſentiri tranſlationi. Poſſet tamen ſeſſio prorogari.

R. D. archiepiſcopus Spalatienſis: *Placent decreta.*

R. D. archiepiſcopus Tutritanus dedit cedulam infraſcripti tenoris videlicet: *Quia propoſita tranſlatio concilii ad civitatem Bononiæ ab hoc loco, in quo legitime in Spiritu ſancto congregatum & inchoatum extitit, videtur mihi coram Deo veriſimiliter allatura* B *ſcandalum, & perturbationem reductioni errantium Germanorum & paci & unitati eccleſiæ, hæreſumque illarum exſtirpationi, propter quod conventus in hoc præcipue loco celebratur a ſacri imperii ordinibus acceptato, id quod maxime hoc tempore ſperatur pro eo quod pacata & intacta provincia, jam rerum potitur catholicus imperator & ad religionis præſertim negotia de quibus agimus, dietam indixit, cui vel hoc nomine parum commodos non dubito nos futuros, nedum nobis ipſis importunos, cum hoc præſertim tentari videam ſine ſcientia & vo-* C *luntate SS. Romani pontificis: quo mandante huc convenimus, cujus ſpeciale oraculum res hujuſmodi deſiderabat. Ideo non probatur mihi, nec placet, ſed neque credo de jure licere hoc patribus, inconſulta ſua ſanctitate præfata, & propter rationabilem contradictionem etiam minoris partis, præſertim quia numerus, non in tantum excedit, ut excludat alias juridicas conſiderationes, quas non impedit modicus exceſſus in numero, in quo nequa in multitudine, ſed ratione vincendum, & alias timori ac ſalutis patrum per prorogationem indictæ ſeſſionis ad* D *certum tempus, vel ad beneplacitum ſanctitatis ſuæ, & ſanctæ ſynodi, citra concilii diſſolutionem vel coactionem opportunus poterat eſſe conſultum, etiamſi cauſa contagionis prætenſa legitima foret & juridice ac mature diſcuſſa fuiſſet, nec in controverſiam vel dubium verteretur.*

R. D. archiepiſcopus Antibarenſis: *Placent decreta omnia.*

R. D. archiepiſcopus Materanus: *Placent decreta omnia.*

R. D. archiepiſcopus Naxienſis: *Placent* E *omnia decreta.*

R. D. archiepiſcopus Upſalenſis: *Placent decreta.*

R. D. archiepiſcopus Panormitanus: *Non placent quouſque papæ & imperatoris voluntas habeatur.*

R. D. archiepiſcopus Armacanus: *Placent decreta cum clauſulis adjectis.*

R. D. epiſcopus Senogallienſis dixit: *probo decretum & tranſlationem ad beneplacitum SS. domini noſtri, & hujus ſacri concilii ob urgentem neceſſitatem, adhibito, ſi opus eſt, ſingulari cujuſque noſtrum juramento huc revertendi.*

di, quandocumque ſuæ ſanctitati & ſacro concilio pro rebus religionis videbitur expedire, ſi quomodo poſſimus reverendiſſimos dominos Hiſpanos fratres noſtros inducere ad conveniendum nobiſcum. quod ſi nolunt, & ex hoc timendum ſit de aliquo ſchiſmate, cenſerem quod potius hic moreremur omnes, quam quod hodie occaſionem ſchiſmatis præberemur in eccleſia Dei.

R. D. epiſcopo Aſculano placent decreta.

R. D. epiſcopo Feltrenſi placet decretum quo ad omnes partes, neque concilium Conſtantienſe obſtat, cui derogari poteſt.

R. D. Acienſi de Nobilibus placent decreta, neque derogatur concilio Conſtantienſi, cui jam derogatum eſt.

R. D. epiſcopo Militenſi placet decretum.

R. D. epiſcopo Iſernienſi placet decretum.

R. D. epiſcopo Placentino placet decretum.

R. D. epiſcopo Torcclanenſi placet decretum.

R. D. epiſcopo Gaddicenſi *placuiſſet quod antequam de tranſlatione concilii quicquam deliberatum eſſet, quod humilitate & reverentia, quam ſummo pontifici D. N. debemus, ſanctitatem ſuam conſuluiſſemus: tamen ſi reverendiſſimi domini preſidentes mentem ſuæ ſanctitatis ſciunt, ſum in ſententia patrum, qui volunt concilium Bononiam transferri.*

R. D. epiſcopo Sibinienſi placent decreta.

R. D. epiſcopo Feſulano non placet concilium transferri.

R. D. epiſcopo S. Marci non placet, quia cauſa non eſt juſta, deditque infraſcriptam cedulam videlicet: *Ego perſiſto in heſterna ſententia, & dico me nullo pacto aſſentiri huic tranſlationi, propterea quod cauſa non videtur juſta & idonea, & quia fit inconſulto domino noſtro, inconſulto Cæſare, & Chriſtianiſſimo rege.*

R. D. epiſcopo Albenſi placet decretum, quia cauſa tranſlationis eſt manifeſta, nec obſtat concilium Conſtantienſe.

R. D. epiſcopo Vaſionenſi placent omnia decreta.

R. D. epiſcopo Portuenſi placet manſio hic vel tranſlatio, dummodo patres conveniant.

R. D. epiſcopus Boſſonenſis non probat cauſam tranſlationis, & perſonæ examinatæ ſunt ſuſpectæ, & propterea non placet tranſlatio, quia non conſtat de voluntate papæ, de qua ſi conſtaret, placeret.

R. D. epiſcopo Emonienſi placent omnia decreta.

R. D. epiſcopo Caſtelli-maris non placet, quia reverendiſſimi domini legati, non oſtenderunt habere poteſtatem transferendi, & permanentes ſunt obedientes ſuæ ſanctitati, & placet ſententia reverendiſſimi domini cardinalis Giennenſis, & repetit ea quæ heri dedit in congregatione. Si autem conſtaret de mandato SS. domini noſtri, obediret.

R. D. epiſcopo Tarviſino placet decretum.

R. D. epiſcopo Parentino placent omnia.

R. D. epiſcopo Motonenſi coadjutori Vatonenſi placet decretum.

R. D. epiſcopus Agathenſis non probat, nec reprobat, perſiſtendo in voto heſterno. Hoc tantum optat, ut ſynodus faciat id quod eccleſiæ & reipublicæ Chriſtianæ expediens eſt.

R. D. epiſcopo Saluciarum placet decretum in omnibus dicenti: *Judico ex notorio, quod nulla egeat probatione: ex abundanti tamen probo informationes promotoris, auctoritatem SS. domini noſtri agnoſco & veneror in reverendiſſimis dominis legatis. Nullam aliam neceſſariam de jure puto, prater aſſenſum majoris partis patrum cum ipſis reverendiſſimis dominis legatis, cenſeoque derogandum quibuſcumque in contrarium facientibus ex abundanti.*

R. D. epiſcopo Lancianenſi non placet, cum non ſit cauſa legitima, præſertim ſine conſtitutione SS. domini noſtri, & reverendiſſimi legati non habeant poteſtatem.

R. D. epiſcopo Siracuſano non placent informationes ſumtæ per promotores, quia non ſunt veræ, neque placet decretum, quouſque non videro mandatum ſuæ ſanctitatis, cui eſt paratus obedire, deditque cedulam infra ſcripti tenoris videlicet: *Heri dixi ſententiam meam in generali congregatione, quam etiam ſcriptam tradidi, & in eadem quoque perſiſto, videlicet quod nullo modo placet tranſlatio concilii, cum nulla ſubſit cauſa legitima, ſeu legitime probata. & quæ allegatur eſt leviſſima, cum revera pauci infirmantur in civitate iſta, & ex illis quaſi nullus moritur. Nam rem agimus magnæ importantiæ de ſtatu totius Chriſtianæ religionis. Et ſi concilium hoc eſt per tot annos deſideratum, & tantis laboribus tandem per ſanctitatem domini noſtri congregatum, accedente etiam conſenſu & voluntate Cæſareæ majeſtatis, & Chriſtianiſſimi regis, & aliorum principum Chriſtianorum, nullomodo debuit ita præcipitanter transferri, niſi prius conſulto SS. domino noſtro pontifice Romano, & Cæſarea majeſtate, & reliquis principibus Chriſtianis, quod per breve tempus fieri poterat. Propterea niſi conſulatur ſanctitas domini noſtri, Cæſarea majeſtas, Chriſtianiſſimus rex, & reliqui principes Chriſtiani, ea via qua de jure poſſum & debeo, proteſtor me non conſentire receſſui, nec tranſlationi, nec mutationi concilii.*

R. D. epiſcopo Milovenſi Ferreto placet decretum.

R. D. epiſcopo Corſulano placet decretum.

R. D. epiſcopo Bellicaſtrenſi placet decretum, quia eſt informatus de hoc morbo, qui maxime viget.

R. D. epiſcopo Pacenſi non placent informationes promotoris, neque tranſlatio, præ-

sertim cum non constet de mandato pontificis, & est in sententia reverendissimi cardinalis Giennensis.

R. D. episcopo Astoricensi non placent probationes, quia non sunt factæ auctoritate judiciali. Neque placet translatio cum non appareat de voluntate sanctissimi domini nostri, neque placet locus quo transfertur, quia non est liber. Quod si aliter constaret de voluntate sanctissimi, est paratus obedire.

R. D. episcopo Britonorienſi placent omnia, & placet sententia R. D. Saluciarum, vicarii SS. domini nostri.

R. D. episcopus Aquinas dixit: *Si vera sunt quæ recitata sunt de morbo, placet decretum.*

R. D. episcopo Pisaurienſi placent omnia, quæ juridica esse censeo.

R. D. episcopus Oscensis est in sententia domini cardinalis Giennensis & ceterorum protestantium.

R. D. episcopo Famagustano placent omnia.

R. D. episcopo Captulanensi placet decretum.

R. D. episcopo Vigornienſi placet decretum.

R. D. episcopo Albiganensi, quia causæ sunt notoriæ, placent omnia.

R. D. episcopo Calaguritano non placet decretum, & causa non est sufficiens in re tanti momenti, maturius esset deliberandum, & non ita timide & præcipitanter procedendum.

R. D. episcopus Canarienſis dixit: *Numquam placuit, neque placet, quia causa non est sufficienter probata, & quia neque papa, neque Cæsar fuerunt consulti; quare expectetur, donec ipsi consulantur, ad minus per octo dies.*

R. D. episcopo Narnienſi placent omnia.

R. D. episcopo Aliphanensi placent omnia recitata tamquam juridica.

R. D. episcopo Minorienſi placet decretum & omnia recitata, tum propter multas rationes adductas a multis patribus, quibus translatio placet, tum multo magis propter rationes adductas a contradicentibus.

R. dominis Luciano & Chrysostomo abbatibus congregationis Montis-Cassinensis placet decretum.

R. D. generali Prædicatorum placet decretum.

R. D. generalis S. Augustini dixit: *Causæ allegatæ per promotorem veræ sunt, ideo placet decretum.*

R. D. generali Servorum placet decretum.

Quæ quidem sententiæ fuerunt per me alta & intelligibili voce singulariter numeratæ & recitatæ, ita ut quilibet ex patribus audierit & recognoverit, & iterum approbaverit & ratificaverit sententiam suam, & ex sententiis ipsis sic numeratis repertum fuit, quod decretum ipsum ex quinquaginta & sex patribus placuit omnibus, quatuordecim tantum exceptis, & eorum aliquibus, ex ea maxime ratione, quod asserirent non constare de voluntate SS. domini nostri, & translationem non posse fieri a solo concilio, affirmando, quod, si constaret de voluntate sanctitatis suæ, consentirent. Et quandocumque constabit, erunt parati obedire. Aliqui etiam ex ipsis dixerunt concilium fuisse indictum per sanctitatem suam, communione habita cum Cæsare, & quod Cæsar ipse ægre ferret.

Quibus auditis, reverendissimus & illustrissimus dominus cardinalis de Monte præsidens & legatus prædictus, alta & intelligibili voce dixit hæc verba videlicet: *Quoniam aliqui in congregationibus generalibus asserebant nos legatos & præsidentes non habere mandatum a SS. domino nostro ad hanc translationem; ideo ut nemo de cetero possit quovis quæsito colore prætendere ignorantiam de potestate nostra, & eo prætextu non parere præsenti decreto, producimus & exhibemus hanc bullam, quam ab initio nostræ legationis penes nos habuimus semper, & noluimus eam hactenus propalare, ut omnes cognoscant, & manu tangant, quantum semper voluerimus omnes patres esse liberos in sententiis dicendis, & quanta animi sinceritate ac puritate gesserimus nos semper in directione sacri concilii. Legatur ipsa bulla, & deinde declarabimus mentem nostram.*

Et statim per dominum notarium fuit mihi Angelo secretario consignata bulla, quam legi alta & intelligibili voce, cujus quidem bullæ tenor sequitur & est talis:

PAULUS *episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri* JOHANNI MARIÆ *episcopo Prænestino, & dilectis filiis* MARCELLO *tituli S. Crucis in Jerusalem presbytero, ac* REGINALDO *S. Mariæ in Cosmedim diacono cardinalibus nostris & apostolicæ sedis legatis de latere, S. & A. B. Regimini universalis ecclesiæ, meritis licet imparibus, disponente domino, &c.* ut supra pag. 1049.

Qua bulla sic lecta, statim præfatus reverendissimus & illustrissimus dominus cardinalis de Monte præsidens & legatus dixit: *Nos tam hujus bullæ virtute & vigore ac speciali dispositione, quam nostræ legationis & præsidentiæ auctoritate, ac tam conjunctim quam separatim, & alias etiam si opus sit, tamquam episcopi & cardinales omni meliori modo hujusmodi translationem concilii ad civitatem Bononiæ, juxta sententias majoris partis patrum inhæremus, & eam approbamus, & ratificamus, gesta, facta, & deducta per dominum promotorem admittentes, & omnibus inhibentes sub pœnis in ipsa bulla contentis, ne quid contra translationem hujusmodi attentare præsumant, & mandantes, ut in dicta die* XXI. *Aprilis ad sessionem celebrandam in civitate*

Bononiæ comparere debeant, nec de voluntate SS. domini noſtri, aut indignatione Cæſaris dubitandum videtur, cum non ſit veriſimile ſanctitatem ſuam eſſe tam crudelem, & ſimiliter majeſtatem ſuam, ut velint patres ita in aliquo circumſcriptos permanere, ut etiamſi eis vitæ periculum immineat, ex ipſo loco diſcedere non poſſint, & ſe ad locum ſalubriorem & commodiorem transferre. Nam neque divina, neque humana jura id volunt, & omnibus animantibus eſt a natura tributum, ut ſe vitamque ſuam tueantur, & ideo dicimus & declaramus tranſlationem ipſam concilii ad civitatem Bononiæ eſſe legitime factam & ſubſiſtere, & hic deinceps nullum eſſe concilium.

Tunc idem Dominus promotor rogavit omnes notarios & protonotarios, ut de præmiſſis unum vel plura inſtrumentum vel inſtrumenta conficerent. Quibus expletis, cantatus fuit hymnus, *Te Deum laudamus*, & unuſquiſque depoſitis paramentis ad propria remeavit.

Nomina vero propria eorum qui interfuerunt ſuprafcriptæ tranſlationi, ſunt infraſcripta, videlicet.

Sacri concilii præſidentes & legati.

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. JOHANNES MARIA epiſcopus Prænestinus de Monte.

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. MARCELLUS CERVINUS tituli S. Crucis in Jeruſalem preſbyter, Politianus.

S. R. E. cardinales ſacri concilii præſidentes & legati apoſtolici de latere.

Cardinales.

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. PETRUS PACCEUS S. R. E. preſbyter Giennenſis, Hiſpanus.

Archiepiſcopi.

R. D. ANDREAS CORNELIUS archiepiſcopus Spalatrenſis, Venetus.

R. D. SALVATOR-ALEXIUS SASSARUS archiepiſcopus Turritanus, Hiſpanus.

R. D. LUDOVICUS CHIEREGATUS archiepiſcopus Antibarenſis, Vicentinus.

R. D. JOHANNES-MICHAEL SARRASSENUS archiepiſcopus Materanus & Acherontinus, Neapolitanus.

R. D. SEBASTIANUS LECATULA archiepiſcopus Naxienſis, Græcus.

R. D. OLAUS MAGNUS archiepiſcopus Upſalenſis, Gothus.

R. D. PETRUS TAGLIAVIA archiepiſcopus Panormitanus, Siculus.

R. D. ROBERTUS VAUCHOP archiepiſcopus Armachanus, Scotus.

Epiſcopi.

R. D. MARCUS VIGERIUS epiſcopus Senogallienſis, Savorenſis.

R. D. PHILOS REVERELLA epiſcopus Aſculanus, Ferrarienſis.

R. D. THOMAS CAMPEGIUS epiſcopus Feltrenſis, Bononienſis.

R. D. BENEDICTUS DE NOBILIBUS epiſcopus Accienſis, Lucenſis.

R. D. QUINTUS DE RUSTICIS epiſcopus Militenſis, Romanus.

R. D. ANTONIUS DE TRUMAIS epiſcopus Iſernienſis, Fortivienſis.

R. D. CATHELANUS TRIVULTIUS epiſcopus Placentinus, Mediolanenſis.

R. D. HIERONIMUS FUSCHERUS epiſcopus Torcellanus, Venetus.

R. D. HIERONYMUS DE THEODOLIS epiſcopus Gaddienſis, Forolivienſis.

R. D. JOHANNES-LUCIUS STAPHILEUS epiſcopus Sabinienſis, Dalmatus.

R. D. BRACIUS MARTELLUS epiſcopus Feſulanus, Florentinus.

R. D. CORIOLANUS MARTIRANUS epiſcopus ſancti Marci, Neapolitanus.

R. D. HIERONYMUS VIDA epiſcopus Albenſis, Cremonenſis.

R. D. JACOBUS CORTERIUS a Prato epiſcopus Vaſionenſis, Romanus.

R. D. BALDAZAR LIMPUS epiſcopus de Portu, Portugalenſis.

R. D. BALDASSAR DE HEREDIA epiſcopus Boſſanenſis, Hiſpanus.

R. D. ALEXANDER DE URSIS epiſcopus Emonienſis, Venetus.

R. D. JOHANNES FONCECA epiſcopus Caſtellimaris, Hiſpanus.

R. D. GEORGIUS CORNELIUS epiſcopus Tarviſinus, Venetus.

R. D. JOHANNES CAMPEGIUS epiſcopus Parentinus, Bononienſis.

R. D. LUDOVICUS SIMONETA epiſcopus Piſaurienſis, Mediolanenſis.

R. D. ALOYSIUS LIPPOMANUS epiſcopus Motonenſis, coadjutor Veronenſis, Venetus.

R. D. CLAUDIUS DE LA GUISCHE epiſcopus Agathenſis, Gallus.

R. D. PHILIPPUS ARCHINTUS epiſcopus Saluciarum, vicarius papæ in Urbe, Mediolanenſis.

R. D. JOHANNES SALAZAR epiſcopus Lancianenſis, Hiſpanus.

R. D. HIERONYMUS DE BONONIA epiſcopus Siracuſanus, Siculus.

R. D. EGIDIUS FALSETTA epiſcopus Caprulanus, Cingulanus.

R. D. RICHARDUS PATUS epiſcopus Vigornienſis, Anglicus.

R. D. MARCUS MALIPERUS epiſcopus Corſulanus, Venetus.

R. D. JACOBUS JACOBELLUS epiſcopus Bellicaſtrenſis, Romanus.

R. D. FRANCISCUS NAVARRA epiſcopus Pacenſis, Hiſpanus.

R. D. DIDACUS DE ALGA epiſcopus Aſtoricenſis, Hiſpanus.

R. D. THOMAS CASELLUS epiſcopus Britonorienſis, Roſſanenſis.

R. D. GALEACIUS FLORIMANTIUS epiſcopus

Aquitanenſis, Sueſſanus.

R. D. Petrus de Auguſtinis epiſcopus Oſcenſis, Hiſpanus.

R. D. Philippus Bonus epiſcopus Famauguſtanus, Venetus.

R. D. Johannes-Baptista Cicada epiſcopus Albiganenſis, auditor cameræ apoſtolicæ, Januenſis.

R. D. Bernardus Diaz epiſcopus Calaguritanus, Hiſpanus.

R. D. Geokgius Costagnola epiſcopus Milonenſis, Græcus.

R. D. Petrus Donatus Cesius epiſcopus Narnienſis, de Ceſis.

R. D. Antonius de Cruce epiſcopus Canarienſis, Hiſpanus.

R. D. Sebastianus Pighinus epiſcopus Aliphanus, Regienſis.

R. D. Ambrosius Catherinus epiſcopus Minorienſis, Senenſis.

Abbates.

R. D. Lucianus abbas Pompoſiæ Ferrarienſis, Mantuanus.

R. D. Chrysostomus abbas S. Trinitatis de Cajeta, Calaber.

Generales Ordinum.

R. P. Franciscus Romeus generalis Prædicatorum, Aretinus.

R. P. Hieronymus Seripandus generalis Eremitarum S. Auguſtini, Neapolitanus.

R. P. Augustinus Bonucius generalis S. Mariæ ſervorum, Aretinus.

Ego Angellus Maſſarellus ſacri concilii ſecretarius & pronotarius apoſtolicus, manu propria ſubſcripſi in fidem præmiſſorum, &c.

NOMINA, COGNOMINA & patriæ prælatorum qui interfuerunt præſenti concilio.

Præſidentes & legati.

Curtemachius. Massarellus. Reverendiſſimus & illuſtriſſimus DD. Johannes Maria epiſcopus Prænestinus de Monte, Aretinus, ſemper & ubique præſens.

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. D. Marcellus tituli ſanctæ Crucis in Jeruſalem preſbyter, Cervinus, Politianus, ſemper & ubique præſens.

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. D. Reginaldus S. Mariæ in Coſmedim diaconus, Polus, Anglicus, hinc receſſit ante quintam ſeſſionem, S. R. E. cardinales, ſacri concilii præſidentes & apoſtolici de latere legati.

Cardinales.

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. D. Christophorus Madrucius, tituli S. Cæſarei in palatio preſbyter cardinalis, & epiſcopus Tridentinus, & adminiſtrator Brixienſis. Hic poſt quintam ſeſſionem non comparuit in concilio.

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. D. Petrus Paceccus S. R. E. preſbyter cardinalis, & epiſcopus Giennenſis, Hiſpanus, creatus ante ſecundam ſeſſionem, Tridenti ſemper præſens.

Oratores & procuratores invictiſſimi domini, domini Caroli V. Romanorum imperatoris, ac Hiſpaniarum, &c. regis.

Illuſtris D. Dom. Didacus Hurtadus de Mendocia Hiſpanus, hic fuit in quarta ſeſſione tantum.

Illuſtris D. Dom. Franciscus a Toleto Hiſpanus, qui fuit in tertia & quarta ſeſſione.

Oratores & procuratores regis Chriſtianiſſimi.

Illuſtris D. D. Claudius Durfe' præfectus provinciæ de Foreſta, ac camerarius regis Chriſtianiſſimi.

D. Jacobus de Ligneriis, præſidens Pariſienſis.

D. Petrus Danesius præpoſitus de Surenis.

Oratores & procuratores ſereniſſimi DD. Ferdinandi, Rom. Bohemiæ & Hungariæ regis.

Illuſtris D. Franciscus a Castel-alto Germanus.

Magnificus D. Antonius Queta U. J. doctor Tridentinus. Hi fuerunt præſentes uſque ad tertiam orationem inclusive.

Archiepiſcopi.

R. D. Andreas Cornelius archiepiſcopus Spalatrenſis, Venetus.

R. D. Antonius Filhioli archiepiſcopus Aquenſis, Gallus.

R. D. Salvator Alexius Sassanus archiepiſcopus Turritanus.

R. D. Ludovicus Chieregatus archiepiſcopus Antibarenſis, Vicentinus.

R. D. Jacobus Cauchus archiepiſcopus Corcyrenſis, Venetus.

R. D. Franciscus Baudinus archiepiſcopus Seneſis, Senenſis.

R. D. Michael Sarracenus archiepiſcopus Materanus & Acherontinus, Neapolitanus.

R. D. Sebastianus Lecavela * archiepiſcopus Naxienſis & Parienſis, Græcus. * *al.* Lequatula,

R. D. Olaus Magnus archiepiſcopus Upſalenſis, Gothus.

R. D. Petrus Tagliania archiepiſcopus Panormitanus, Siculus.

R. D. Robertus Vanchop archiepiſcopus Armacanus, Scotus.

R. D. Julius Contarenus * archiepiſcopus S. Severini. * *al.* Julius Sertorius.

Epiſcopi.

R. D. Marcus Vigerius epiſcopus Senogallenſis, Savonenſis.

R. D. Philes Roverella epiſcopus Aſculanus, Ferrarienſis.

R. D. Robertus de Croy epiſcopus Cameracenſis, Flander. * *al.* Germanus.

R. D. Philibertus Ferrerius epiſcopus Hipporegienſis, Hipporegienſis. * * *al.* Pademontanus.

R. D. Thomas de S. Felicio epiſcopus

* al. addit Commissarius apostolicus sacri concilii.

Cavensis, *Neapolitanus.

R. D. Christophorus de Spiritibus episcopus Cesenatensis, Viterbiensis.

R. D. Jacobus Ponzettus episcopus Malfactensis, Neapolitanus.

R. D. Thomas Campegius episcopus Feltrensis, Bononiensis.

* al. addit ord. Prædicat.

R. D. Benedictus de Nobilibus episcopus Aciensis *, Lucensis.

R. D. Quintius de Rusticis episcopus Militensis, Romanus.

R. D. Ferdinandus Pandolphinus episcopus Trojanus, Florentinus.

R. D. Alexander Campegius episcopus Bononiensis, Bononiensis.

R. D. Catalanus Trivultius episcopus Placentinus, Mediolanensis.

R. D. Antonius de Numais episcopus Iferniensis, Forolivienſis.

R. D. Leo Ursinus episcopus Forliviensis, Romanus.

R. D. Hieronymus Fuscherus episcopus Torcellanus, Venetus.

R. D. Marcus Antonius Crucius episcopus Tiburtinus, Tiburtinus.

R. D. Johannes-Lucius Staphileus episcopus Sibinicensis, Illiricus.

R. D. Alexander Picholomineus episcopus Pientinus, Senensis.

R. D. Claudius Dodeus episcopus Rhedonensis, Gallus.

R. D. Guillelmus a Prato episcopus Claromontanus, Gallus.

R. D. Aloysus Pisanus episcopus Patavinus, Venetus.

* al. Dominicus.

R. D. Marcus-*Antonius Campegius episcopus Grossetanus, Bononiensis.

* al. addit ordinis Minorum de observantia.

R. D. Dionysius * Græcus, episcopus Chironensis & Millopotanensis. *

* al. Marius Aldigerius.

R. D. Marcus Aligerius de Columna episcopus Reatinensis, Reatinensis.

R. D. Braccius Martellus episcopus Fesularum, Florentinus.

R. D. Coriolanus Martiranus episcopus S. Marci, Neapolitanus.

R. D. Henricus Soffredus episcopus Caput-aquensis, Neapolitanus.

R. D. Hieronymus Vida episcopus Albensis, Cremonensis.

R. D. Lelius Baruffus de Pis episcopus Sarsinatensis, Britonoriensis.

R. D. Johannes-Baptista Campegius episcopus Majoricensis, Bononiensis.

R. D. Thadeus de Pepulis episcopus Carinensis, Bononiensis.

R. D. Augustinus Zannetus episcopus Sebastensis, Bononiensis.

R. D. Elizeus Theodinus episcopus Soranus, Arpinas.

* al. Romanus.

R. D. Jacobus Cortelius a Prato episcopus Vasionensis, Florentinus. *

R. D. Petrus Franciscus Ferrerius episcopus Vercellensis, Hipporegiensis.

R. D. Georgius Cornelius episcopus Turvisinus, Venetus.

R. D. Balthasar Sympus episcopus Portuensis, Portugallensis. *

* al. edit ord. Carmelitarum.

R. D. Balthasar de Heredia episcopus Bossanensis, Sardus.

R. D. Alexander de Ursis episcopus Emonienſis, Venetus.

R. D. Bernardus Bonjohannes episcopus Camerinensis, Romanus.

R. D. Angelus Paschalis episcopus Motulensis, * Dalmata.

* al. Mortulensis ordinis prædic. Illyricus.

R. D. Johannes Fonseca episcopus Castellimaris, Hispanus.

* al. addit ord. Prædicatorum.

R. D. Petrus Bertanus episcopus Fanensis *, Mutinensis.

Johannes Campegius episcopus Parentinus, Bononiensis.

R. D. Ludovicus Simoneta episcopus Pisaurienſis, Mediolanensis.

R. D. Michael Aldinus episcopus Sidonienſis * & suffraganeus Maguntinus, Germanus.

* al. Procurator reverendissimi & illustrissimi D. Roberti tituli S. Petri ad Vincula presbyteri S. R. E. cardinalis & archiepiscopi Moguntini sacri imperii Romani electoris.

R. D. Augustinus Steneus episcopus Chissamensis, Eugubinus.

R. D. Tiberius de Mutis episcopus Jesacensis, Romanus.

R. D. Georgius Andreaccius episcopus Regiensis, Mantuanus.

R. D. Aloysius Lyppomanus episcopus Motonensis, coadjutor Veronensis, Venetus.

R. D. Philippus Arehintus episcopus Saluciarum, vicarius S. D. N. in Urbe, Mediolanensis.

R. D. Vincentius de Durantibus episcopus Thermularum, Brixiensis.

R. D. Andreas Senttanus episcopus Nemosiensis, Venetus.

R. D. Johannes Petrus Ferettus episcopus Milensis, Ravennas.

R. D. Claudius de la Guiche episcopus Agathensis, post Mirapicensis, Gallus.

R. D. Fabius Mingarellus episcopus Lucerinus * Senensis.

* al. Lucretensis.

R. D. Johannes Salazar de Burgos episcopus Lancianensis, Hispanus.

R. D. Hieronymus de Bononia episcopus Syracusanus, Siculus.

R. D. Egidius Falseta episcopus Caprulanus, Cingulanus.

R. D. Richardus Patus episcopus Vigornienſis, Anglus.

R. D. Petrus Ghinucius episcopus Cavellicensis, Senensis.

R. D. Cornelius Mussus episcopus Bitontinus, Placentinus.

R. D. Marcus Maliperius episcopus Corsulanus, Venetus.

R. D. Jacobus Jacobellus episcopus Bellicastrensis *, Romanus.

* al. addit Commissarius apostolicus sacri concilii.

R. D. Franciscus de Navarra episcopus Pacensis, Hispanus.

R. D.

R. D. Didacus de Alaba episcopus Astoricensis, Hispanus.

R. D. Alvarus della Quadra episcopus Venusinus, Hispanus.

R. D. Thomas Casellus episcopus Britonoriensis, * Rossanensis.

* al. addit ord. Prædic.

R. D. Julius Contarenus episcopus Bellunensis, Venetus.

R. D. Galeatus Florimontius episcopus Aquinatensis, Suessanus.

R. D. Antonius * Augustinus episcopus Oscensis, Hispanus.

* al. Petrus de Augustinis

R. D. Philippus Bonus episcopus Famagustanus, Venetus.

R. D. Johannes-Baptista Cicada episcopus Albiganensis, * Genuensis.

* al. addit: Auditor causarum apostolicæ.

R. D. Thomas Stella episcopus Salpensis, * post Lavellensis, Venetus.

* al. addit: Ordinis Prædic.

R. D. Johannes Bernardus Diaz episcopus Calaguritanus, Hispanus.

R. D. Jacobus Nadantes episcopus Clodiensis, Florentinus.

R. D. Victor Superantius episcopus Bergomensis, Venetus.

R. D. Berengarius Gombau episcopus Calvensis, Hispanus.

R. D. Franciscus Galeanus episcopus Pistoriensis, Florentinus.

R. D. Gregorius Castagnolla episcopus Mylensis, * Græcus.

* al. Milotensis, ord. Prædic.

R. D. Petrus Donatus Cesius episcopus Narniensis, de Cesis.

R. D. Philippus Roccabella episcopus Mauratensis, Recanatensis.

R. D. Johannes Jacobus Barba episcopus Aprutinus, Neapolitanus.

R. D. Camillus Peruscus episcopus Alatrinus, Romanus.

R. D. Antonius de Cruce episcopus Canariensis, Hispanus.

R. D. Camillus Mentuatus episcopus Satrianensis, Placentinus.

R. D. Sebastianus Pighinus episcopus Aliphanensis, Regiensis.

R. D. Ambrosius Catharinus Politus, episcopus Minoriensis, * Senensis.

* al. addit: ordinis Prædic.

R. D. Pompeius de Zambeccariis, episcopus Sulmonensis, Bononiensis.

R. D. Peregrinus Fabius episcopus Vestensis, Bononiensis.

Procuratores absentium.

R. D. Claudius Zayus procurator reverendissimi & illustrissimi D D. Ottonis *Truchses* S. R. E. cardinalis & episcopi Augustensis, Sabaudus.

R. P. Ambrosius Pelargus, ordinis Prædicatorum, procurator reverendissimi D. archiepiscopi Trevirensis, sacri imperii electoris, Germanus.

Abbates.

R. D. Lucianus de Octonibus abbas Pomposiæ in Ferraria, Mantuanus.

R. D. Isidorus Clarius, abbas Pontidæ Bergomensis, Brixiensis.

R. D. Chrysostomus Gimilianensis, abbas S. Trini de Caieta, Calaber.

Generales ordinum.

R. D. Franciscus Romeus, generalis ordinis Prædicatorum, Aretinus.

R. D. Johannes Calvus, generalis ordinis Minorum de observantia, Corsicus.

R. P. Bonaventura Pius, generalis ordinis Minorum conventualium, Costacciarius.

R. P. Hieronymus Seripandus, generalis ordinis S. Augustini, Neapolitanus.

R. P. Nicolaus Audetus, generalis ordinis Carmelitarum, Cyprius.

R. P. Augustinus Bonnucius, generalis ordinis S. Mariæ Servorum, Aretinus.

Doctores legum & canonum.

D. Hugo *Boncompagne* abbreviator, Bononiensis.

D. Hercules Severolus promotor concilii, Faventinus.

D. Angelus Massarellus secretarius concilii.

D. Alphonsus Zorella, Hispanus.

Petrus Naia, Hispanus.

Martinus Terefius de Ayala, miles S. Jacobi de Spata, Hispanus.

D. Franciscus *Vargues*, Hispanus.

D. Johannes Quintana, Hispanus.

D. Johannes Velasco, Hispanus.

Theologi seculares.

D. Franciscus Horrera, * Hispanus.

* al. Nerrera.

D. Johannes Morelli, Hispanus.

D. Andreas Navarra, Hispanus.

D. Gentianus Hervetus, Gallus.

D. Petrus Sarra, Hispanus.

D. Antonius Felicius.

D. Johannes Sarravia, * Hispanus.

* al. Saramiæ

D. Jacobus *Laynes* societatis Jesu, Hispanus.

D. Alphonsus *Salmeron* societatis Jesu, Hispanus.

D. Melchior de Bosmediano, Hispanus.

Theologi regulares ordinis S. Dominici.

F. Dominicus Sotta, Hispanus.

F. Bartholomæus Miranda, Hispanus.

F. Marcus Laureus, Calaber.

F. Hieronymus ab Oleastro, Portugalensis.

F. Gaspar de Regibus, Portugalensis.

F. Georgius de S. Jacobo, Portugalens.

al. addit: Qui tres Portugalenses missi fuerant ad concilium a serenissimo Johanne rege Portugaliæ.

F. Johannes de Utino, Tridentinus prior.

F. Georgius, Senensis.

F. Petrus de Alvarado, Hispanus.

F. Hieronymus, Genuensis.

F. Vincentius, Leonius. *

* al. addit: Dominicus de S. Cruce Hispanus.

Ordinis Minorum de observantia.

F. Vincentius Lunellus, Hispanus.

F. Alphonsus de Castro, Hispanus.

F. Andreas de Vega, * Hispanus.

* al. addit: Lector Salamantinus.

F. Hieronymus Lombardellus, * Brixiensis.

* al. addit: Custos provinciæ Brixiensis.

F. Clemens Januenſis.
F. Johannes Conſilii, * Flander.
F. Richardus Cenomannus, * Gallus.
F. Johannes Malieti, * Flander.
F. Thomas *Haſaert*, * Flander.
F. Ludovicus Carminal, * Hiſpanus.
F. Ludovicus * Veronenſis.
F. Franciſcus *Salazar*, Hiſpanus.
F. Clemens de Monilia, cuſtos provinciæ Bononienſis, Genuenſis. *

* *al. addit*: doctor Pariſienſis, Gallus.
* *al. addit*: doctor Pariſienſis.
* *al.* Jacobus Maillecus Atrebatenſis
* *al.* Narſis. Toracenſis.
* *al.* Carvajalus.
* *al. addit*: Viſrarius.
* *al. addit*: Silveſter de Cremona, Cremonenſis

Conventualium.

F. Franciſcus de Pattis, Siculus, Panormitanus.
F. Sigiſmundus de Ruta. *
F. Johannes-Jacobus de Monte Falconis.
F. Franciſcus *Viſdin*, * de Ferraria.
F. Johannes de Corrigia.
F. Laurentius Fulgineus, * de Rovigo.

æt. Sigiſmundus Phædrius de Diruta.
* *al.* Biſtomi.

F. Aloyſius Pigniſmus, de Columnia. *
F. Petrus Paulus, * de Potentia.
F. Sebaſtianus de Caſtello, Caſtellanus.
F. Johannes Baptiſta Monclavo. *
F. Bonaventura de Caſtro-Franco.
F. Valerius de Vicentia.
F. Ludovicus Atheſinus.
F. Julius de Placentia.

* *al. addit*: Provincialis provinciæ S. Antonii de Padua.
* *al.* Glimonia.
* *al. addit*: Caporelia.

Auguſtinianorum.

F. Gregorius Perfectus, Patavinus.
F. Andreas Patavinus provincialis in Tarviſo.
F. Silveſter Vicentinus.
F. Dionyſius Sigillenſis, regens Paduæ, de Sigillo.
F. Gaſpard Venturius, Siculus.
F. Aurelius Patavinus, de Roca-contrata.
F. Paulus de Senis. *
F. Johannes Franciſcus Tarviſinus.
F. Aurelius de Contrata.
F. Marianus Rocha, Feltrenſis.
F. Ambroſius de Verona.
F. Omnibonus Veronenſis.

* *al. addit*: Antonius Firſus regens Perufii, de Ponarolo.
Johannes Bernerius regens Bononienſis, de Corrigio.
Angelus Vigerius regens Neapoli, de Adrio.
Hieronymus Girellus, Brixienſis.
Bernardinus Coſtacciarius, de Coſtacciario.
Philippus Brachus lector Patavinus, Faventinus.
Dominicus de S. Cruce.
* *al. addit*. Conſtantius de Monte.
Johannes *Lochi* Gallus.
Adrianus Meſſue Rotomagenſis.
Stephanus de Seſtino.
Stephanus Conſerres Brixienſis.

Carmelitarum.

F. Antonius Marinarius, Apulus. Provincialis Apuliæ.
F. Johannes Stephanus Facmus, Cremonenſis.
F. Martinus Vaſtalla, Parmenſis. Provincialis Romandiolæ.
F. Vicentius de Leoniis, Siculus, vicarius Panormitanus.
F. Bartholomeus de Rovereto. *
F. Pontius Politus, Cremonenſis, regens Paduæ.
F. Albertus Vicentinus, regens Venetiarum, Vicentinus.
F. Angelus * Senenſis.
F. Franciſcus Vita, Apulus.
F. Nicolaus Trecenſis, Gallus.
F. Cornelius *de Sanizar*.
F. Guillelmus *Prot*, Gallus.
F. Johannes Maria Tridentinus.
F. Antonius de Rovereto.

* *al.* De Cinadduno.
* *al. addit*, Ambroſianus.

Servorum.

Laurentius * de Caſtro Franco.
Zacharias de Florentia. *
Laurentius Maſcochius.
Ambroſius de Platina.
Marianus de Verona.
Stephanus de Aretio.
Johannes Antonius Faventinus.
Athanaſius de Purſibus. *
Johannes-Baptiſta de Urbe-Veteri.

* *al. addit*, Mazochius.
* *al. addit*. Franciſcus Senenſis.
Hieronymus de Summa Ripa.
Johannes Paulus, Mediolanenſis.
Hieronymus Bononienſis.
Lanfranchinus Mediolanenſis.
Decianus Mediolanenſis.
Lucas Ferretinus.
Julius Ferrarienſis.
Thadæus Florentinus.
Rodulfus Florentinus.
* *al.* de Poticiis Forolivienſis.

His adde ſecretarios, capellanos, cantores curſarios, &c.

Poſt tranſlationem concilii ex Tridento ad civitatem Bononienſem die XI. menſis Martii, anno Domini MDXLVII. in publica ſolemni ſeſſione Tridenti, in eccleſia cathedrali decretam, reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini domini JOHANNES MARIA epiſcopus Prænestinus de Monte, & MARCELLUS tituli S. Crucis in Jeruſalem preſbyter S. R. E. cardinales ipſius ſacri concilii præſidentes & apoſtolici de latere legati, die XII. ejuſdem menſis, quæ fuit dies ſabbati, una cum prælatis quam plurimis receſſerunt ex dicta civitate Tridenti, arripientes iter Bononiam verſus, ut juxta ipſius tranſlationis decretum, concilium in ea civitate proſequerentur. Quam quidem civitatem Bononiæ applicuerunt die XXV. ejuſdem menſis, quæ fuit dies Annunciationis B. Mariæ Virginis. ipſi reverendiſſimi & illuſtriſſimi præſidentes & legati exhibuerunt theologis minoribus exemplum quatuordecim articulorum, exceptorum ex libris modernorum hæreticorum ſuper ſacramento pœnitentiæ, ut ſecundum morem haſtenus in concilio Tridentino obſervatum, antequam articuli aliqui dominis prælatis & patribus ipſius concilii proponerentur, ab ipſis theologis minoribus diſcuterentur & examinarentur.

MASSARELLUS.

Principium ſacri œcumenici & generalis concilii Bononienſis.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Amen. Anno Domini MDXLVII. indictione V. die vero Martis, quæ fuit XXIX. menſis Martii, pontificatus SS. in Chriſto Patris & domini noſtri domini PAULI divina providentia papæ III. anno XIII. datum fuit principium ſacroſancto œcumenico & generali concilio Bononienſi, præſidentibus in eo nomine quidem SS.

domini noſtri papæ reverendiſſimis patribus & illuſtriſſimis dominis, dominis JOHANNE MARIA epiſcopo Prænestino de Monte, & MARCELLO titulo S. Crucis in Jeruſalem preſbytero S. R. E. cardinalibus & apoſtolicis de latere legatis, qua die Bononiæ in domo Compegiorum, ubi ad præſens reſident ipſi reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini præſidentes & legati, in loco ad congregationes habendas deputato, inceptæ fuerunt congregationes theologorum minorum, quibus propoſiti ſunt examinandi & diſcutiendi articuli hæreticorum ſuper ſacramento pœnitentiæ, &c.

PRIMA SESSIO(a)
ſacroſancti œcumenici & generalis concilii Bononienſis.

In nomine JESU CHRISTI. Amen. Anno Chriſtianæ ſalutis MDXLVII. indictione V. die vero Jovis XXI. menſis Aprilis, pontificatus SS. in Chriſto patris & domini noſtri, domini PAULI divina providentia papæ III. anno XIII. celebrata fuit prima publica ſeſſio ſacroſancti œcumenici & generalis concilii Bononienſis, præſidentibus in eo nomine ejuſdem SS. domini noſtri papæ reverendiſſimis in Chriſto patribus & illuſtriſſimis dominis, dominis JOHANNE MARIA epiſcopo Preneſtino de Monte, & MARCELLO tituli S. Crucis in Jeruſalem preſbytero S. R. E. cardinalibus, & apoſtolicis de latere legatis. Mane igitur hora circiter tertia decima, ipſi reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini præſidentes & legati, ac reverendi domini prælati, nobiles, & viri eccleſiaſtici infraſcripti convenerunt in eccleſia S. Petronii Bononienſis, in loco ad concilium celebrandum, & ſeſſiones habendas ab ipſa ſacra ſynodo deputato, ubi reverendus pater dominus SEBASTIANUS LEQUATULA archiepiſcopus Naxienſis cantavit miſſam ſolemnem de Spiritu-ſancto. qua abſoluta, diaconus vertens ſe ad ſanctam ſynodum, dixit alta voce hæc verba: *Auctoritate apoſtolica dantur & conceduntur omnibus hic intereſſentibus ſeptem anni & totidem quadragenæ de vera indulgentia, in forma eccleſiæ conſueta. Orate ergo Deum pro pace & unione ſanctæ matris eccleſiæ.* Deinde reverendus in Chriſto pater AMBROSIUS CATHERINUS epiſcopus Minorienſis, indutus pluviali & mitra, aſcendit ambonem, habuitque orationem ſive concionem ad patres ſatis piam & luculentam.

Reverendi in Chriſto patris F. Ambroſii Catharini Politi, ordinis Prædicatorum, epiſcopi Minorenſis, oratio habita Bononiæ in ſeſſione, ad patres concilii, XXI. Aprilis MDXLVII.

CURTENBROCHIUS Cum in omni actione, tum in hac potiſſimum, mihi homini nec ſatis erudito, nec admodum in hujuſmodi exercitato, de re tam ſeria & gravi, & coram tanto cœtu & conſeſſu dicturo, opem divinam magnopere implorandam eſſe perſuaſum habeo, reverendiſſimi & illuſtriſſimi Domini, patres ampliſſimi, & qui adeſtis omnifariam ornatiſſimi viri. Quapropter ante omnia de more vetuſtiſſimo ac probatiſſimo illam adibo Virginem & invocabo, ad cujus nomen & ſuperi beati ſpiritus exhilarantur, & inferi contremiſcunt. Adeſte vos animis, & favete votis oranti.

O Virgo ſanctiſſima, ac tribus præclariſſimis a ſummo Deo, & quidem præ cunctis creaturis ſublimata & honorificata nominibus, a nobis autem merito ſuper omnes poſt *ipſum Deum*, propterea colenda ac veneranda, nempe ut ſancta Mater, ut unice dilecta Filia, ut electa ſponſa præcipua magni Dei, audi & dignare porrigere aures ſupplicanti. Ego enim te hodie per illa ingentia reſurrectionis gaudia ignota mundo, quibus te jure optimo Filius tuus primam omnium & præ omnibus multo abundantius impartivit. Tu enim, tu, inquam, auſim dicere in ſpiritu meo, es illa mulier, quæ fracto alabaſtro cujus tota domus odore fragravit, ſola & ſingulariter prævenisti ungere corpus Domini in ſepulturam. qui audit intelligat: oro, obſecro, impetra mihi, ut quæ dedit bonum ſpiritus animo meditari, det & nunc in tam ſacra concione gratioſe, nec ſine fructu ſalutari, lingua expromere & proferre. Amen.

Antequam ea eloquar, Patres, quæ ad rem præſentem magis attinere videri poterunt, operæ pretium atque opportunum duxi, tacitæ quorumdam petitioni ſatisfacere. Perſentire enim mihi videor in hoc celeberrimo conſeſſu adeſſe multos, qui de rebus concilii, quo in ſtatu, quove in loco conſiſtant, & cur e Tridento tam repente, tamque inſperato Bononiam tranſmeaverit, reſcire vehementer deſiderent. non enim improba aut vana curioſitas eſt, ea de re ſollicitum eſſe, quam, cum ad religionem pertineat, nemo Chriſtianus a ſe alienam debeat exiſtimare. Verum hæc recte capi non poſſunt, niſi prius & quæ hujus ineundi concilii præcipua cauſa fuerit, & cur Tridenti potiſſimum intelligatur. Et cauſam quidem non aliam cogitare oportet, præter illam quæ fuit omnium nobilium ſynodorum ſemper potiſſima, nempe ut ſuborta hæreſes & irrumpentia ſchiſmata, pravique ſurrepentes abuſus e medio ipſius eccleſiæ tollerentur.

Quantum vero peſtilentis doctrinæ in orbem terrarum invexerunt perverſorum latores dogmatum, qui e Germania prodierunt, utinam res ipſa non indicaverit plus ſatis. Quanta item contumacia & dolo apoſtolicæ ſedis auctoritatem & graviſſimas cenſuras annis pene triginta deluſerint, hoc ipſum inſolentes eorum proteſtationes, quibus ad generale concilium provocabant, abunde te-

(a) Sive octava concilii Tridentini Bononiam tranſlati & ibidem habita.

ſtantur, unde & proteſtantium nomen ſibi ipſis glorioſe nec minus ſubdole arrogarunt, quo veteris infamiam nominis, quod ab hæreſi ſua ſibi merito comparaverant, aboleret, ut jam non hæretici ſicut prius jure, ſed proteſtantes injuria vocentur. Et hæc eſt cauſa cur ſanctiſſimus dominus noſter concilium hoc, quod veſtris oculis cernitis, Deo gratiæ ſint immortales, convocari tandem juſſit & congregari, ſcilicet ut ora loquentium impietatem obſtruerentur, & ipſimet ſuo ſe laqueo captos cunctis populis oſtentarent. Quod vero Tridenti potiſſimum, in eorum gratiam, ejuſdem ſummi pontificis clementia, horratu ſuaſuque Cæſaris, ne ullam de incommoditate loci poſſent excuſationem prætendere, factum eſſe nemo quantumvis peregrinus ignorat. Siquidem quæ præcipue in hoc negotio poterant a loco deſiderari, illa civitas eis abunde ſubminiſtraſſet, ſive illuc adeundi opportunitatem, ſive ibi manendi commoditatem, ſeu denique illic agendi libere pro ſua cauſa cuique illorum tutam ſecuramque facultatem conſideremus.

Nunc igitur quid ibi actum fuerit & quantum profecerimus, & cur loco ceſſimus & huc appulimus eſt enarrandum. Jam biennium ibi nobis elapſum eſt, ubi majorem anni partem nihil penitus agentes otioſe contrivimus, dum fruſtra expectamus modo colloquiorum exitum, modo comitiorum acta Germanicorum, modo ſaltem catholicorum illius provinciæ præſulum, qui vehementer deſiderabantur, adventum. Nam de proteſtantibus etſi ad concilium provocaſſent, nulla tamen omnino ſpes, quippe qui novis proteſtationibus, immo criminoſiſſimis pro more ſuo libellis, declaraverunt, non ſecus ad ſe curam de concilio pertinuiſſe, ac de pauperibus cura ad Judam pertinuit proditorem. Et nos tamen interea loci quaſi ſtatuæ ſalis, facti illorum gratia ſpectaculum ac ludibrium mundo, audiebamus noſtros & in faciem concionantes, ac de parabola Domini illud in nos objectantes: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Alius vero de Iſaia & ad rem quidem opportuniſſime: *manda, remanda, manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi*, ita ut illud modicum jam nullum haberet modum.

Placuit ergo ſanctiſſimo papæ noſtro & ſanctæ ſynodo, ut propoſitæ cauſæ negotium ac gnaviter ac ſerio peragendum ſuſciperetur, & ſic ſuſceptum etiam ſedulo ac mature perageretur; eaque dogmata anathemati ſubderentur, quæ nimium abſurda & pernicioſa, ac propterea minimè ferenda cenſeri poſſent. Quam rem ſancta ſynodus, Spiritu Dei favente, magna ex parte præſtitit quam feliciſſime; idque prævio tanto theologorum ſtudio ac diſceptatione, tantaque differendi libertate, ut nihil eorum quæ adverſarii pro ſuis tuendis partibus valuiſſent, adducere fuerit prætermiſſum. Et nihilominus in ferendis ſententiis tantus & adeo unus fuit omnium patrum conſenſus, ut etiam unus omnium animus videretur, opus profecto non hominum, ſed Spiritus veritatis. Sicut enim maligni ſpiritus proprium eſt conjuncta disjicere & diſperdere ad perniciem; ita boni ſpiritus eſt disjecta colligere & congregare in unum ad ſalutem; unus eſt enim Deus omnium & unus omnium Dominus ſalus noſtra Jesus Christus, unus ſpiritus, unum baptiſma, quo conſignamur in illum. Quare & unam eſſe decet omnium Chriſtianorum & mentem & fidem.

Quod vero qui ex adverſo pugnabant nihil fructus a catholica ſanctæ ſynodi doctrina perceperint, neque novum neque mirum. Ubi enim gentium ulla tradit hiſtoria hujuſcemodi hæreſiarchas, tot animarum impios ſeductores & crudeliſſimos necatores, rediiſſe umquam in viam veritatis, a qua reluctante conſcientia, & depravatæ voluntatis imperio, ſuapte ſponte deſciverint, ac tanto tempore ac tantopere oppugnaverint? Quis autem magiſter tantus qui docere poſſit eos qui nolint diſcere, immo qui ſe ſolummodo ſapere, & alios docere poſſe ſibi ipſis arrogantiſſime perſuaſerint? Sicut autem non eſt medici, quamvis optimi, ſanare ægrotum, ſed curare canonice ad ſanitatem; nec eſt oratoris quamvis præclari perſuadere, ſed apte dicere ad perſuaſionem; ita non erat ſanctæ ſynodi averſa illa & tenebroſa hæreticorum corda ad lucem veritatis convertere, ſed, quod magnifice præſtitit, ipſam in conſpicuo ponere veritatem, ut non corruptæ mentis homines ab ejus pulchritudine allicerentur, atque ipſam toto corde amplexarentur. Si enim Dominus omnium & magiſter omnium dura illa ſcribarum ac Phariſæorum pectora nec ſua ſalutari doctrina, nec potenti prædicatione, nec ingentibus beneficiis, nec innumeris benefactis potuit emollire, quid faceret ſynodus in his, quos nec ulla rationum momenta, nec armorum ulla potentia, hac dumtaxat parte, quantum novimus, valuit expugnare? Audite rem admirandam.

Conſtituti erant rei perduellionis in Deum & Cæſarem, ambobus debitam aſtrictæ fidei obedientiam ſubtrahentes, Cæſari quidem injuſte, Deo autem etiam impie: hujus rei gratia factus eſt concurſus ad arma: maxima pars ſuperati dederunt manus, reddiderunt quæ erant Cæſaris Cæſari; quæ autem Dei erant, hem, quæ inquam Dei erant, cur obſecro ipſi optimo, maximo, ſummo imperatori & omnipotenti Deo non reddiderunt? Cur inquam, niſi quia ſententia Spiritus-ſancti jam ligabantur, nempe illa, conſidera opera Dei, quod nemo poteſt corrigere quem ille deſpexerit. Utinam falſa hæc fieri poſſent etiam cum ſanguinis mei

dispendio, quæ vir doloris simul ac veritatis expressit. Utinam plenam ac perfectam Cæsaris victoriam aliquando oculis nostris intueamur, ut plenum inde ac perfectum gaudium assequeremur, & quod a principio dixi & precatus sum publice mihi eveniret, ut cum Simeone illo sene plenus Spiritu, & velut olor albus concinerem: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Non me latet immensam Dei esse misericordiam, nec ullis cohiberi limitibus. Venit & in mentem Heliæ zelus & querela errore non carens, cum dolenter ac gemens aiebat: *Domine, dereliquerunt pactum tuum, altaria tua destruxerunt, prophetas tuas occiderunt, & ego relictus sum solus.* Scio & divinum oraculum respondens: *Reliqui mihi septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal.* Verum utinam iterum atque iterum dicam, utinam, utinam ego tantæ sim fidei, ut decipiar, ut valeam contra spem in spem credere, cum non audierim miser divinum responsum ullum, & rem ipsam videam a viris piis jam pene deploratam & conclamatam; sed vivat Deus & exaltetur misericordia sua super judicium.

Verum utcumque res se habeat in consilio Dei, illud in dubium venire non potest, quod jam nulla nobis illorum gratia supererat ibi manendi necessitas, cum quæ ad ipsos pertinebant jam acta in synodo invenirentur, quæ si probant, jam concilium finem habet & fructum retulit, quem optabat: sin autem animati sint ut contradicant, scilicet vel ut contentiosi, vel ut censores, sciant omnes qui in hoc versantur errore, sanctam synodum rem adeo insolentem, inauditam ac penitus præposteram non posse salva sua dignitate admittere, immo nec omnino habere hanc potestatem, cui ne unam quidem syllabam de jam probata sententia mutare fas est, quam non homines, sed Spiritum Dei sanctum protulisse, si qua est fides, procul dubio est credendum.

Nec tamen propterea movebamur e loco, sed animo sederat, ut ibi negotium finem acciperet ubi erat inceptum, donec aliud placuisse Deo nobis certo certius compertum est. Cœpit enim per aëris infectionem, sicut peritissimi medici comprobarunt & contestati sunt, morbus quidam sævus & contagiosus non modo illam civitatem, verum etiam omnem circumadjacentem plagam invadere, & multos ex hac luce sufferre, ut fratrem nostrum coëpiscopum immature labe illa interceptum desideremus. Videns ergo sancta synodus & quæ ibi erant agenda pene jam acta, nec esse tutum diutius ibi commorari, quod moram periculum non pateretur, in Spiritu-sancto legitime congregata profectionem inde in hanc inclytam urbem solemniter deliberavit ac statuit, cum nullus alius locus neque certior neque aptior, saltem pro tempore, veniret in mentem. Quare & re decreta, Deo favente, itinere prospero huc appulimus, & hic adsumus hodierna die, reliquis Sancti-spiritus *impulsibus obsequuturi. illi gloria, illi honor*, illi gratiæ sempiternæ. Hæc enim cuncta ipsius peculiari providentia evenisse, qui rei seriem oculis propriis perspexisset, & cuncta quæ acciderunt prudenter expenderet, perfacile judicaret: sed pro eorum pio desiderio, qui rei summam non tenebant satis fuerit quæ superius bona fide recitavimus exposuisse.

Nunc ad te me verto, *sancta synode*, patres amplissimi, nonnulla ad ædificationem nostram, ut res ipsa postulat, eloquuturus. Fecistis vos quidem multa præclare profecto & sapienter, quidquid hostis ecclesiæ & blaterones mendaciorum fabrifactores calumnientur, scripturas sanctas, quas de sacro canone arrogantes vani homines dissecuerant in suum locum & dignitatem repostuistis, *apostolicas traditiones, quibus impie* detrahebant, in auctoritatem vindicastis. De peccato originali, de justificatione impii, & bona parte de sacramentis, in quibus articulis perniciose aberrabant a vero, tradidistis doctrinam sanam, sanctam, lucidam, salutarem. Adjecistis & decreta plura, quæ ad reformationem Christianæ militiæ faciunt, ea præsertim quæ ad nos respiciunt, qui aliis *præsumus, cum justus non* modo sit accusator suiipsius in primis, verum etiam emendator. quid enim accusare prodesset, quod malignus Cain & Judas proditor effecerunt, nisi debita & salutaris emendatio subsequeretur? Quamobrem commemoratio hæc? nolo sit ita prædicatio vestrarum laudum, ut non sit magis exhortatio, immo etiam valida incitatio, ut quod feliciter incepistis, etiam *felicius* expleatis, ne illud evangelicæ parabolæ valeat nostra socordia merito contra nos objectari: Ecce hi homines turrim cœperunt ædificare, nec valuerunt perficere.

Duo autem sunt quæ præcipue geruntur a nobis. Primum, declaratio veritatis eorum quæ sunt fidei: alterum exhibitio operum in ædificatione templi Dei vivi, quæ demandata est nobis. Illud primum perfacile & scripto solo præstatur. ubi enim de quavis objecta quæstione resolveritis & scripto pronuntiaveritis, hoc quidem verum esse & propterea recipiendum, illud vero falsum & idcirco rejiciendum, functi eritis officio vestro, nihil amplius a vobis desiderabitur. At non ita se res habet in altero. Non enim satis est tulisse legem, nisi lex ipsa lata etiam facto, & ab iis præsertim, qui illam tulerunt, comprobetur: veritas enim legis ipsa legis observantia est; unde tunc facere legem & facere veritatem dicimur in scripturis, cum jussa legis obtemperando servamus. Quocirca hæc mea sententia semper fuit & in

ea perſto. Tota reformationis ratio duarum A vocum ſignificatione concluditur. Bonitas paſtorum, bonitas autem, non lege quæ ſcripta ſit in cartis digitis hominum; ſed quæ ſcripta ſit in corde digito Dei, formatur, ut paſtor, ipſe, inquam, paſtor ſuis inclytis factis oſtendat opus legis conſcriptum intus in præcordiis ſuis, & exhibeat ſeipſum formam gregis, exemplum vivum, lucidum, efficax, ut præire poſſit eum Apoſtolo & dicere: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Ne igitur vobis aduler, ne blandiar, ne malæ ſuppreſſæ veritatis reus conſtituar, & dicam aliquando fruſtra: *Væ mihi, quia tacui*, ingenue ac libere hodie prædico vobis: Perſeveret concilium quantum placet, huc illuc transferatur quantumlibet, condantur decreta & canones quantum ſapitis, adjiciantur atroces pœnæ, quantum vultis, ſcribantur, reſcribantur, publicentur mundo quanto poteſtis præconio: vana hæc omnia, niſi Spiritus legem in corde noſtro præſcripſerit. Vultis hoc in ſcripturis ſanctis, tamquam in terſo ſpeculo inſpicere & contemplari? conſiderate Petrum cum a Domino erigitur in paſtorem, perpendite quid ab eo Dominus roget, & quid ille verſa vice reſpondeat. Ait Dominus: *Simon Johannis*, ſeu *Simon Jonæ*, *diligis me plus his.* Novit ſcripturarum peritus & nomina propria & numeros in ſacris litteris non vacare myſteriis. Quod ergo ait Dominus, *Simon*, hebræa vox eſt, & audientem, *aliis obedientem ſignificat*, quod pro ſubjecta materia de auditu & obedientia fidei accipiendum eſt. Oportet enim epiſcopum eſſe doctorem: quomodo autem docebit alios quæ ſunt fidei, qui non audierit neque didicerit? aut qua fronte præcipiat aliis mandata Dei, qui ipſe prius non obtemperaverit? Quod autem ſubjicitur *Johannis* D ſive *Jonæ* (cilicet filius, ſatis innuit ea quæ *ſunt gratiæ & Spiritus-ſancti dona* in eo requirere ac ſupponere, qui ad tantum munus obeundum extollitur. Johannes enim gratiam & Jonas columbam ſignificat, in qua Spiritus-ſanctus manifeſtatus eſt. Quod item rogat: *Diligis me plus his?* clare oſtendit, quod a paſtore non quamlibet & vulgarem, ſed egregiam, qua præſtet ceteris, caritatem repoſcit. Quod vero idem non ſemel aut bis, ſed & tertio rogitat, eo ternario numero in primis perfecto, tacite in- E dicat ſtatum paſtorum ſtatum eſſe perfectionis, non quod in eo ad perfectionem tendatur, qualis eſt monachorum, ſed quod ab eo jam perfecta caritas exigatur. Denique quod ter rogatum Petrum, ter quoque de ſuo amore reſpondentem atque teſtantem inducit ſcriptura, tacite admonet illum in exemplum cunctis proponi, ut in eo diſcant quales primum eſſe eos oporteat, qui velint ovium Chriſti curam non temere neque inſipienter ſuſcipere.

Hoc autem plane cernens ſcrutator elegans ſcripturarum divus ille Bernardus, hunc locum & ſermonem ſuum in nos convertens, in hunc modum ſpiritu concitatus aiebat: Audite, o amici ſponſi, ſi modo, amici. At *parum dixi amici, amiciſſimi ſint oportet*, qui privilegio tantæ familiaritatis donantur, non otioſe toties repetitum eſt, Petre amas me, in commiſſione ovium, ac ſi illi diciſſet Jesus, niſi teſtimonium tibi perhibente conſcientia in Spiritu-ſancto quod me ames, & valde perfecteque me ames pluſquam tua, pluſquam tuos, pluſquam te ipſum, ut hujus repetitionis meæ numerus impleatur, noli ſuſ- B *cipere curam hanc, neque te de ovibus meis* intromittas, pro quibus meus ſanguis effuſus eſt. Terribilis ſermo, & qui poſſit fide ſuſceptus quorumvis impavida tyrannorum corda concutere. Hæc ille vir Dei ſanctus. Nec turbetur quiſquam quod tertio interrogatus Petrus triſtitia affectus eſſe deſcribitur. aliquid enim humanum paſſum fuiſſe haud dubium eſt; non quod de ſuo amore in Jesum *dubitaverit; aut ſi fortaſſe motus* aliquantulum dubitationeque affectus fuerit, illi ceſſerit, ac non confeſtim propulerit: alioquin C quomodo tam vehementer confirmaſſet id quod prius, & hoc ante faciem veritatis jurejurando? Potius ergo ſub intelligens quod illa tertia interrogatione Dominus opus maximæ caritatis exigebat ab eo, nimirum ut animam ſuam poneret pro ovibus ſuis, promtus ille quidem *ſpiritu reſpondit*, Domine tu omnia noſti, tu ſcis quod amo te: infirmus autem adhuc carne non valuit non triſtari, cum & ipſe Dominus pavore mortis etiam triſtis factus eſt uſque in finem vitæ. Sed miſſa hæc faciamus quæ ſpeculationis ſunt; carpamus potius de exemplo fructum ſalutis.

Huc ergo tandem omnia redeunt, patres, totum *reformationis opus in electione* bonorum paſtorum conſiſtere, ætas matura, doctrina ſana, vita proba, odorque vitæ bonus, & horum evidentia atque publicum teſtimonium ſanctam perficiunt electionem. Nunc igitur tentet unuſquiſque veſtrum, & probet ſeipſum coram Deo, & videat num tantum in ſeipſo agnoſcat, ut cum Petro dicere valeat de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta: Domine, tu omnia noſti, tu ſcis quod amo te pluſquam mea, pluſ- E quam meos, pluſquam meipſum, hoc eſt pluſquam animam & vitam meam. O ter felix, o ter beatus, qui ſe talem exhibere potuerit ante Deum. huic Dominus qui reſurrexit a mortuis, qui gloria & honore coronatus ſedet in dextera majeſtatis in excelſis, occurret obviam, comitatus ingenti multorum millium angelorum exercitu & ſanctorum frequentia, & extenſis brachiis placide, blande ac feſtive illum excipiens, & comiter amplexus dicet, *Euge ſerve bone &*

fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam intra in gaudium Domini tui : eum vero qui deprehensus fuerit aliter affectus, hoc est sui ipsius & suorum amator plus quam Christi, eheu quantum putamus objurgationum, quantum exprobationum auditurum, & quam atrox ac terribile judicium subiturum ! Mementote sententiarum Domini, *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Considerate scripturam veterem; *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli : a Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Quis nesciat hunc lapidem esse JESUM CHRISTUM, & lapidem quidem ædificationis, sanctificationis & vitæ; sed his qui obedientia honorificaverunt eum, ceteris vero, petram, scandali in ruinam, in captionem & retributionem æternam.

Verum refugit animus, patres, neque enim decet in diebus lætitiæ adeo tristia & horribilia prosequi, pascha Domini sanctum est : nolo quemquam esse hodie expertem sermonis mei, ut spem bonam ac solatium spirituale quisque concipiat. Gaudeat ergo justus, quia ereptus est a potestate tenebrarum : venit in regnum filii dilectionis suæ, & transiit a morte ad vitam. Verum cum tremore adhuc & timore suam operetur salutem, quia adhuc ei grandis restat via, & perseverantem manet corona. Exultet jam perfectus in justitia, qui multis exantlatis laboribus ac periculis, & jam devictis hostibus, se properare novit ad palmam, quia jure optimo sibi arrogare potest illa apostoli verba & usurpare tamquam sua : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Non desperet peccator, quia jam princeps mundi hujus ejectus est foras, nec quemquam tenere sua vi potest renitentem. Eripiat igitur seipsum cito de ore tanti leonis, nec diu moretur in viam redire justitiæ, ne irritet spiritus bonitatem, dum nimia obdurationè contemnit. Non latet nos habere advocatum apud Deum patrem, Christum justum, habere & eumdem pontificem, pium, misericordem, secundum legem vitæ insolubilis, ut sit sacerdos in æternum. Et tamen illud cavendum, ne pereat nobis illud hodie, hoc est tempus illud acceptabile & dies salutis, ut subtracto sole maneamus in tenebris. Respiscat ergo etiam incredulus & infidelis, quia qui dicto de tenebris ab initio lucem excussit, potens est & extinctam in corde mortali lucem denuo excitare, modo ipse luci non faciat contumeliam, diligendo magis tenebras quam lucem ipsam. Redeat contumax qui ab apostolico seipsum consortio, & a sinu suæ sanctæ matris ecclesiæ segregavit : quoniam Dominus jam incredulum sed redeuntem Thomam in ea die non expulit, sed ostendens illi manus & latus, & ad contrectandum præbens, e duro illo pectore verbum illud confessionis fidelis elicuit, *Dominus meus, & Deus meus.* Neque vero hoc misericordiæ genus in Thoma finitur. quæ enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut hinc viri boni patientiam, inde pravi fiduciam capiant in spem resurrectionis æternæ. Quid ergo nunc supereſt, nisi ut finem dicendi faciam ? Et si quid ego plantavi hodie, aut si quid rigavi, cœlestis pater incrementum apponat in sui gloriam cum Filio & communi amborum Spiritu, & ad nostram sempiternam felicitatem. Amen. Amen. Amen.

Oratione completa, tam reverendissimi & illustrissimi domini præsidentes & legati, quam ceteri prælati omnes acceperunt pluvialia & mitras aliaque paramenta consueta. quo tempore decantatus fuit a cantoribus psalmus LXXXIII. *Quam dilecta tabernacula tua,* pluvialibus & mitris acceptis, quisque consedit in loco suo juxta tempus suæ ordinationis, & reverendissimus & illustrissimus dominus, dominus cardinalis de Monte primus præsidens & legatus recedens e loco ubi sacra audierat, ivit ad altare majus, ante quod resedit in faldistorio versa facie ad sanct. synodum, statimque magister cerimoniarum ipsius concilii dixit alta voce : *Silentium,* cumque paululum omnes quievissent, diaconus sacris indutus paramentis, a dextris ipsius reverendissimi & illustrissimi domini præsidentis, dixit alta voce *Orate,* moxque ipse reverendissimus & illustrissimus dominus præsidens ceterique prælati omnes genuflexi, detectis capitibus, versi ad altare oraverunt, surgensque præfatus reverendissimus & illustrissimus præsidens, aliis omnibus genuflexis permanentibus, legit intelligibili voce, tono competenti, infrascriptam orationem, videlicet.

Adsumus, Domine, Sancte Spiritus, adsumus quidem peccati immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati. Veni ad nos & esto nobiscum, & dignare illabi cordibus nostris. doce nos quid agamus, quo gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi complacere in omnibus valeamus. Esto salus & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre & ejus Filio nomen possides gloriosum. Non patiaris nos perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem. Non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio munerum vel personæ corrumpat : sed junge nos efficaciter tibi solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo aberremus a vero, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic & in nullo a te dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.

Qua oratione finita, cantores respon-

runt *Amen*. Deinde ſubdiaconus a ſiniſtris reverendiſſimi & illuſtriſſimi præſidentis ſurgens, vertens ſe ad ſanctam ſynodum, dixit alta voce *Erigite vos*. Et omnes ſurrexerunt. Poſtea a cantoribus decantata fuit antiphona infraſcripta videlicet. *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos, Domine*. Iterumque diaconus verſus ad patres dixit *Orate*, & ſimiliter omnes procubuerunt, & aliquantulum oraverunt ſecrete, ſurgenſque ſubdiaconus a ſiniſtris, dixit *Erigite vos*. Et omnes ſurrexerunt, omnibuſque ſic ſtantibus, reverendiſſimus & illuſtriſſimus præſidens præfatus, depoſita mitra, legit alta voce ſequentem orationem videlicet: *Mentes noſtras, quæſumus Domine, paracletus qui a te procedit illuminet, & in omnem, ſicut tuus promiſit filius, inducat veritatem, qui tecum vivit in unitate ejuſdem Spiritus ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum*. Et cantores reſponderunt *Amen*. Qua oratione finita, iterum omnes genuflexerunt, & duo ex cantoribus cantaverunt letanias more Romano, & ab aliis cantoribus reſpondebatur alta voce; quolibet tamen ex patribus ſubmiſſa voce. Cumque cantores illi duo perveniſſent ad verſum illud *Ut domnum apoſtolicum, &c.* reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus præſidens præfatus ſurgens, accipienſque mitram, verſus ad patres benedixit ſanctam ſynodum, dicens hæc verba videlicet: *Ut hanc ſanctam ſynodum & omnes gradus eccleſiaſticos benedicere digneris*. Et reſponderunt cantores alta, prælati ſubmiſſa voce: *Te rogamus audi nos*. Deinde reverendiſſimus & illuſtriſſimus præſidens benedixit iterum ſanctam ſynodum dicens: *Ut hanc ſanctam ſynodum & omnes gradus eccleſiaſticos benedicere & regere digneris*. Et ſimiliter reſponſum fuit: *Te rogamus audi nos*. Tertioque ipſe reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. præſidens ſanctam ſynodum benedicens dixit: *Ut hanc ſanctam ſynodum & omnes gradus eccleſiaſticos benedicere, regere & conſervare digneris*. Omneſque item reſponderunt: *Te rogamus audi nos*. Poſtea procumbente iterum reverendiſſimo & illuſtriſſimo domino præſidente, letaniæ a cantoribus perfectæ fuerunt.

Completis letaniis, omnes ſurrexerunt, & reverendiſſimus & illuſtriſſimus præſidens verſus ad altare, detecto capite, dixit *Oremus*. Tunc diaconus a dextris dixit: *Flectamus genua*, & ſubdiaconus a ſiniſtris ait: *Levate*. Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. præſidens dixit alta voce infraſcriptam orationem: *Da, quæſumus, eccleſiæ tuæ, miſericors Deus, ut Spiritu ſancto congregata, hoſtili nullatenus incurſione perturbetur. Per Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM *Filium tuum, &c.*

Poſtea diaconus petiit a reverendiſſimo & illuſtriſſimo præſidente benedictionem pro evangelio, quam ipſe reverendiſſimus & illuſtriſſimus præſidens ei dedit, impoſuitque incenſum more ſolito, cantavitque diaconus tono conſueto evangelium: *Ego ſum vitis vera & vos palmites*. Joh. xv. cum luminaribus & ceremoniis conſuetis. Quo abſoluto, ambo reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini præſidentes & legati librum oſculati ſunt. Deinde reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus cardinalis S. Crucis ſecundus præſidens & legatus præfatus, recedens e loco ubi ſacra audierat, ivit & ipſe ad altare majus, ante quod ambo reverendiſſimi & illuſtriſſimi ipſi præſidentes conſederunt in faldiſtoriis, verſa facie ad S. ſynodum. Cumque paululum omnes quieviſſent, ſurrexerunt, & reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus cardinalis de Monte primus præſidens, capite detecto, incepit hymnum *Veni Creator Spiritus*. Quo incepto, omnes genuflexerunt, & ipſe etiam reverendiſſimus & illuſtriſſimus præſidens, incœpto hymno, genuflexit, omneſque ſic genuflexi permanſerunt, donec primus verſiculus hymni perfectus fuit a cantoribus. deinde omnes ſurrexerunt: permanentes nihilominus capitibus detectis, & cantores totum hymnum perfecerunt. Quo completo, reverendiſſimus & illuſtriſſimus præſidens præfatus dixit: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur*; cantoreſque reſponderunt: *Et renovabis faciem terræ*. Poſtea idem reverendiſſimus & illuſtriſſimus præſidens dixit alta voce infraſcriptam orationem: *Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM, &c. Poſtea duo ex cantoribus dixerunt *Benedicamus Domino*, & ab aliis reſponſum fuit *Deo gratias*.

Quibus omnibus peractis, omnes prælati ſuis in locis reſederunt, reverendiſſimis & illuſtriſſimis dominis præſidentibus & legatis ante altare majus in ſuis faldiſtoriis reſidentibus, vertentibus ſe ad ſanctam ſynodum. Poſtquam vero omnes paululum quieviſſent, reverendiſſimus in Chriſto pater archiepiſcopus Naxienſis indutus pluviali & mitra, ivit ad altare majus, accepitque a manibus reverendiſſimorum & illuſtriſſimorum dominorum præſidentium decretum, quod in hac ſeſſione publicandum erat. Poſtea ipſe reverendiſſimus dominus archiepiſcopus Naxienſis aſcendit ambonem, legitque alta & intelligibili voce decretum infraſcriptum, videlicet:

Decretum publicatum in prima ſeſſione ſacri concilii Bononienſis.

Hæc ſacroſancta œcumenica & generalis ſynodus, quæ dudum in civitate Tridentina &c. *ut apud Labb. concil. tom.* 14. *pag.* 787.

Quo decreto lecto, idem reverendiſſimus dominus archiepiſcopus Naxienſis interrogavit patres an placeret, his verbis videli-

cet;

cet: *Reverendiſſimi ac illuſtriſſimi domini, ac ampliſſimi patres, placentne hæc omnia vobis?* Et ſtatim reverendiſſimi & illuſtriſſimi domini præſidentes & legati reſponderunt: *Placent.* Et ſucceſſive interrogati ſunt a me Angelo Maſſarello ipſius ſacri concilii ſecretario ſigillatim omnes patres an placerent, præſentibus dominis Claudio della Caſa & Nicolao *Briel* concilii notariis, & omnes patres, nemine excepto, reſponderunt ſimpliciter per verbum: *Placent.* Quibus votis collectis, & ipſis reverendiſſimis & illuſtriſſimis dominis præſidentibus relatis, reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus cardinalis de Monte, dixit alta & intelligibili voce hæc verba, videlicet: *Decretum approbatum eſt ab omnibus, nemine penitus diſcrepante, gratias agendæ ſunt Deo.*

Deinde lecta fuerunt per me ſecretarium præfatum alta & intelligibili voce vota duorum patrum, qui cum adverſa valetudine huic præſenti ſeſſioni præſentialiter intereſſe non potuiſſent, miſerunt vota ſua in ſcriptis. Et primo lectum fuit votum reverendi in Chriſto patris epiſcopi Satrianenſis, hujus civitatis Bononienſis gubernatoris, quod votum eſt tenoris infra ſcripti.

Reverendiſſimi & illuſtriſſimi patres, quia ego Camillus *epiſcopus Satrianenſis crucior graviſſimo dolore laterum, rogo reverendiſſimas paternitates, ut dignentur habere me excuſatum, & reputare me vere præſentem. Vidi & perlegi decretum, quod mihi valde placet, & illud approbo. Datum Bononiæ in palatio civitatis, die Jovis, XXI. menſis Aprilis, anno Domini* MDXLVII.

Et ſucceſſive lectum fuit votum reverendi in Chriſto patris epiſcopi Saluciarum, SS. domini noſtri papæ in Urbe vicarii, quod eſt infraſcripti tenoris, videlicet:

Mihi Philippo *epiſcopo Saluciarum ob graviſſimum podagræ dolorem decumbenti placet decretum, de quo ſum plene edoctus. Dignentur autem reverendiſſimi domini patres ampliſſimi, gratia hujus neceſſarii impedimenti vere præſentem me reputare. Ita eſt Ph. Saluciarum.*

His peractis, dominus Hercules Severolus ſacri concilii promotor, petiit a protonotariis & notariis præſentibus, ut de præmiſſis omnibus & ſingulis unum vel plura conficerent inſtrumentum vel inſtrumenta.

Poſtremo reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus cardinalis de Monte præſidens & legatus præfatus, manu elevata, benedixit iterum ſanctam ſynodum ſigno crucis, & patres omnes depoſuerunt paramenta, & diſceſſerunt hora circiter XIII.

Ego Angelus Maſſarellus ſacri concilii ſecretarius & protonotarius apoſtolicus manu propria ſcripſi & ſubſcripſi.

Nomina, cognomina, & patriæ eorum qui interfuerunt ſuprascriptæ ſeſſioni.

Præſidentes & legati.

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. Johannes Maria epiſcopus Prænestinus de Monte.

Reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. Marcellus Cervinus tituli S. Crucis in Jeruſalem preſbyter, Politianus.

S. R. E. cardinales ſacri concilii præſidentes & apoſtolici de latere legati.

Archiepiſcopi.

R. D. Andreas Cornelius archiepiſcopus Spalatrenſis, Venetus.

R. D. Ludovicus Chieregatus archiepiſcopus Antibarenſis, Vicentinus.

R. D. Jacobus Cocus archiepiſcopus Corcirenſis, Venetus.

R. D. Johannes-Michael Sarrassenus archiepiſcopus Materanus & Acherontinus, Neapolitanus.

R. D. Sebastianus Lecatula archiepiſcopus Naxienſis, Græcus.

R. D. Robertus Vauchop archiepiſcopus Armachanus, Scotus.

Epiſcopi.

R. D. Philos Reverella epiſcopus Aſculanus, Ferrarienſis.

R. D. Benedictus de Nobilibus epiſcopus Accienſis, Lucenſis.

R. D. Quintus de Rusticis epiſcopus Militenſis, Romanus.

R. D. Catalanus Trivultius epiſcopus Placentinus, Mediolanenſis.

R. D. Antonius de Trumais epiſcopus Iſernienſis, Forlivienſis.

R. D. Johannes-Lucius Staphileus epiſcopus Sabinienſis, Dalmatus.

R. D. Marcus - Antonius Campegius epiſcopus Groſſetanus, Bononienſis.

R. D. Dionysius Græcus, epiſcopus Chironenſis & Millopotanienſis.

R. D. Johannes - Baptista Campegius epiſcopus Majoricenſis, Bononienſis.

R. D. Augustinus Zannetus epiſcopus Sebaſtenſis, Bononienſis.

R. P. Petrus Vorstius epiſcopus Aquenſis, Flandrus.

R. D. Elizeus Theodinus epiſcopus Soranus, Arpinas.

R. D. Jacobus Cortesius a Prato epiſcopus Vaſionenſis, Romanus.

R. D. Georgius Cornelius epiſcopus Tarviſinus, Venetus.

R. D. Aloysius Lyppomanus epiſcopus Motonenſis, coadjutor Veronenſis, Venetus.

R. D. Philippus Archintus epiſcopus Saluciarum, vicarius S. D. N. in Urbe, Mediolanenſis.

R. D. Vincentius de Durantibus epiſcopus Thermularum, Brixienſis.

R. D. Johannes Petrus Ferettus epiſcopus Mylenſis, Ravennas.

R. D. Ægidius Falceta epiſcopus Capſulanus, Cingulanus.

R. D. Richardus Patus epiſcopus Vigornienſis, Anglus.

R. D. Marcus de Mussis epiſcopus Bitontinus, Placentinus.

R. D. Marcus Maliperus epiſcopus Corſulanus, Venetus.

R. D. Jacobus Jacobellus epiſcopus Bellicaſtrenſis, Romanus.

R. D. Alvarus de la Quadra, epiſcopus Venuſinus, Hiſpanus.

R. D. Thomas Casellus epiſcopus Britonorienſis, Roſſanenſis.

R. D. Galeacius Florimantius epiſcopus Aquinatenſis, Sueſſanenſis.

R. D. Philippus Bonus epiſcopus Famaguſtenſis, Venetus.

R. D. Camillus Mentuatus epiſcopus Satrienſis, Placentinus.

R. D. Sebastianus Pighinus epiſcopus Aliphanus, Regienſis.

R. D. Ambrosius Catherinus Politus epiſcopus Minorenſis, Senenſis.

Generales ordinum.

R. P. Franciscus Romeus generalis ord. Prædicatorum de Caſtillione, Aretinus.

R. P. Bonaventura Pius, generalis ord. Minorum conventualium, Coſtaccianus.

R. P. Hieronymus Seripandus, generalis Eremitarum S. Auguſtini, Neapolitanus.

R. P. Augustinus Bonuccius, generalis ordinis S. Mariæ Servorum, Aretinus.

Anciani ſive conſules civitatis Bononienſis.

Jacobus Venantius eques Bononienſis.

Vincentius de Nobilibus orator Lucenſis, Lucenſis.

Carolus de Robertis eques Bononienſis.

Antonius Maria Lignanus, Bononienſis.

Albertus Sighicellus, Bononienſis.

Pompeius Loyanus, Bononienſis.

Auditores Rotæ.

Galeatius Boſius, Regienſis.

Octavianus Bellinus, Ceſenatenſis.

Marinus Bentius, Politianus.

Andreas Lidius, Patavinus.

Ex tribunis plebis.

D. Alexander Pepulus, comes Bononienſis.

D. Johannes-Baptiſta Butrigarius, eques Bononienſis.

D. Ulixes Gozadinus, eques Bononienſis.

D. Johannes Philippus Angelotus, Bononienſis.

D. Gaſpar Maria, Bononienſis.

D. Johannes Andrea de Paſiis, Bononienſis.

Ex XL. *viris regiminis civitatis Bononienſis.*

D. Antonius Maria Campegius, comes Bononienſis.

D. Andreas Caſatius, comes & eques Bononienſis.

D. Aſtorgius de la Volta, Bononienſis.

D. Nicolaus Ludovicus, comes Bononienſis.

D. Vincentius Herculanus, comes Bononienſis.

D. Johannes Jacobus Gratus, Bononienſis.

D. Johannes-Baptiſta Blanchinus, Bononienſis.

D. Carolus Antonius Fantuzius, eques Bononienſis.

D. Hercules Malvetius, comes Bononienſis.

D. Ulixes Gozadinus, eques Bononienſis.

D. Johannes Baptiſta Sampetrus, Bononienſis.

D. Romeus Foſcararius, Bononienſis.

D. Thomas Coſpius, comes Bononienſis.

D. Ludovicus Lambertius, Bononienſis.

D. Hercules Mareſcotus, eques Bononienſis.

D. Johannes Aldonradus, Bononienſis.

D. Camillus Paleottus, Bononienſis.

D. Alamannus Iſolanus, Bononienſis.

D. Johannes Andreas Caldarinus, comes Bononienſis.

D. Lucius Vitalis, eques Bononienſis.

D. Antonius Bentivolus, eques Bononienſis.

D. Julius Felicinus, eques Bononienſis.

Nobiles extra magiſtratus.

D. Julius Malvetius comes & eques Bononienſis.

D. Jacobus Arſeus, eques Bononienſis.

D. Bartholomæus de la Volta, eques Bononienſis.

D. Johannes-Baptiſta Grifonius, eques Bononienſis.

D. Nicolaus Caſtellus, eques Bononienſis.

Viri eccleſiaſtici ſacræ theologiæ magiſtri, & profeſſores.

Canonici regulares congregationis Lateranenſis.

R. Hercules Mantuanus, Mantuanus.

R. Gregorius Mediolanenſis, Mediolanenſis.

Ordinis Prædicatorum.

R. Petrus Paulus Januarius, Aretinus.

R. Thomas de Gayeta, Gayetanus.

R. Ludovicus de Mediolano, Mediolanenſis.

R. Reginaldus de Mediolano, Mediolanenſis.

Ordinis Minorum de obſervantia.

R. Johannes Conſilii doctor Pariſienſis, Gallus.

R. Archangelus de Placentia, Placentinus.

R. Jacobus de Moneſiis, Hiſpanus.

R. Franciſcus *Salazar*, Hiſpanus.

R. Hieronymus de Venetiis, Venetus.

Ordinis Minorum conventualium.

R. Johannes Antonius Delphinus, regens Venetiarum, de Caſa-Majore.

R. Julius Magnanus ſocius ordinis, Placentinus.

R. Johannes de Corrigio, regens Bononienſis, Corrigienſis.

R. Thomas de Pergula, regens Urbini, de Pergula.

R. Clemens de Florentia, regens Ferrariæ, Florentinus.

Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

R. Stephanus Seſtinus provincialis Paduæ de Seſtino.

R. Deodatus de Penna Bilorum, prior Bononienſis, de Penna.

R. Ægidius de Cambario, Florentinus.

R. Gabriel de Ancona, Anconitanus.

R. Alexander de Bononia, Bononienſis.

R. Auguſtinus de Monte-ulmi, Picenus.

R. Guillelmus de Bononia, Bononienſis.

R. Simon de Florentia, Florentinus.

Ordinis S. Mariæ Servorum.

R. Hieronymus de Rubeis, Bononienſis.

R. Thomas de S. Marino, de S. Marino.

R. Felicianus de Ravenna, Ravennatenſis.

R. Johannes-Baptiſta de Gabiano, Brixienſis.

R. Julius de Faventia, Faventinus.

R. Cæſar de Bononia, Bononienſis.

R. Johannes-Paulus de Mediolano, Mediolanenſis.

R. Philippus de Bononia, Bononienſis.

Ordinis S. Mariæ de Gratiis.

R. Julius de Brixia, miniſter generalis Brixienſis.

R. Joſeph de Brixia, Brixienſis.

Officiales concilii.

D. Hugo Boncompagnus, abbreviator Bononienſis.

D. Hercules Severolus promotor, Faventinus.

D. Pompeius de Spiritibus, magiſter ceremoniarum, Spoletinus.

D. Claudius de la Caſa notarius, Gallus.

D. Nicolaus *Driel* notarius, Germanus.

Et ego Angelus Maſſarellus ſacri concilii ſecretarius & protonotarius apoſtolicus, Sancto Severinus.

Quæ concilio tranſlato acta ſunt.

CURTENBROCHIUS Die XXI. Aprilis in civitate Bononiæ ſeſſio habita eſt, cum omnibus ceremoniis & ſolemnitatibus fieri ſolitis; ſed decretum nullum de doctrina fidei & reformatione publicatum eſt, lecta autem fuit ſchedula quædam qua continebatur, quo pacto die XIII. menſis facta fuiſſet tranſlatio ſacri concilii Tridentini ad civitatem Bononiæ, cum denunciatione ſeſſionis; ut ſtatutum fuerat, hodie celebrandæ, & patrum tunc ibidem præſentium monitione, ut ad diem dictum adeſſe vellent; ſed quia pauci adhuc prælati adveniſſent, atque etiam plerique illorum qui tunc aderant, numero videlicet XXXVI. vel circiter ſerius adveniſſent, ita ut materia decreti tam brevi temporis ſpatio examinari & determinari non potuerit; poſtremo ut abſentibus daretur tempus idoneum accedendi, videri merito prorogandam eſſe ſeſſionem indictam quoad decretorum publicationem, uſque ad feriam quintam infra octavas pentecoſtes, cum poteſtate tamen anticipandi dictum diem, ſi ſic expedire videbitur, ſed nullo modo prolongandi, id quòd omnibus prælatis tum præſentibus placuit. Actum Bononiæ in S. Petronio die XXI. Aprilis anno MDXLVII.

In hac ſequenti ſeſſione miſſam celebravit archiepiſcopus Upſalenſis. Idem legit decretum prorogationis. Ad fuerunt patres XLVI.

SESSIO II. BONONIÆ.

Die ſecunda menſis Junii MDXLVII. lectum & publicatum fuit hoc decretum prorogationis in S. Petronio.

Quamvis hæc ſacroſancta œcumenica & generalis ſynodus, ſeſſionem quæ die XXI. Aprilis, &c. *ut apud Labbeum ſeſſione* X. *tom.* 14. *conc pag.* 789.

Litteræ ſcriptæ a ſtatibus eccleſiaſticis imperii in dieta Auguſtana ad ſanctiſſimum dominum noſtrum die XIV. *Septembris* MDXLVII.

Poſt debita beatorum pedum oſcula, beatiſſime in Chriſto pater, ac domine clementiſſime.

Quantis malis atque incommodis per multos jam annos, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* MDXLVII. *num.* 84.

Commiſſio del cardinal de Trento.

Menſe Novembri reverendiſſimus cardinalis Tridentinus orator Cæſaris cum hujuſmodi inſtructione proficiſcitur

MDXLVII.

Inſtruction delo que vos el reverendiſſimo cardinal de Trento haveis de deſir y negociar en Roma de noſtra parte.

Primeramente, uſando en veſtro camino de la mayor diligentia, que buenamente podreis, communicareis y conferireis com don Diego de Mendoça noſtro embaxiador, todo le que abaxo ſe dira, con informate de los terminos, en que eſtan las coſas de aca y lo que ha paſſado, para que entiendiendo vos los de aila, podas meior con in intervention y la intelligentia que ſe requiere proponer veſtro cargo.

Lo mas ſubſtantial deſta inſtrucion ſera aviſar a ſa ſantetad como os rogamus que lo hagais, con quanto trabaio y cuydado noſtro ſe ha procurado, quo todos los eſtados de la Germania, aſſi electores principes eccleſiaſticos y ſeglares, como las cibdades ſe ſom eſtieſſen [como lo han hecho] al concilio y a indito, y commençado, y que ſe celebre in Trento, y que aunq la mayor difficultad entre los dechos ſtados ha ſido perlo de la auctoritad di ſa ſantedat y ſoſpe cha que del ſe tiene, nos havenos ſiempre affirmado de non admittir ny conſentir coſa ninguna delas que ſe han apuntado, ſi non perſiſtir quellana y ſimplemente todos los dechos eſtados

se remittiessen al concilio, haziendo las justificationes y admonitiones, que a esto convenian; y de manera que dicha submission ha si do pura y simple, como esta dicho remittiendo se a nos en esto, y en lo que de nostra parte se ha replicado como *lo podreis* monstrar, siendo menester.

Havendo avisado de todo esse a sa santedad particularitate, le direis que nos con participatiop dei serenissimo rey de Romanos nostros hermano, y per ser el negocio di tanta qualitad e importança, y vos tam devotissimos di sa santedad y que le prodreis, dar clara y particular noticia, y cuenta delo que ha passado, en lo toccante *a la dicha submission al concilio*: os havemos querido despachar expressamente para que en nombre de ambos y todos los estados desta Germania, deis a entender a S. S. que pues Dio ha hecho esta tam sancta y buena obra, la qual en la verdad es suya, per que nunca se penso que se pudiera acabar se hiziesse esta submission, tam real senzilla, y con tam entiera conformidad de *todos*, S. B. puede agora hazer y dar fin a lo que siempre ha mostrado dessear la celebration del sancto concilio, y que pues, con el se puede haver el remedio y assiento de la cosas de nostra sancta fee, y reunion desta Germania al gremio de la yglesia, se supplicamos quiera reduzir y boluer el concilio a Trento, segund que S. S. y sus legados han siempre dicho que lo harian so*metiendose a el est a Germania*, come de præsente lo ha hecho y haze, en lo qual confiamos que hareis de nostra parte y de los dichos estados la instantia y buen officio que os havemos encarguado, y que la qualidad del caso de tam gran importantia requiere. non dubdando, que S. S. holgara de la negotiation que aqui en esta parte se ha hecho tam a proposito di su autoridad, y de la santa sede, y correspondiente a la buena mente y entention que continua mente ha mostrado de la celebration del dicho concilio, y promesas que sobre illa ha hecho a los stastos desta Germania por sus legados y nuncios, y que vos tam bien per vestra parte non fallareis de dezir lo que en esto va a S. S. y alla sancta sylla, y ala autoridad de nostra sancta madre yglesia, y quam necessario es que las differentias que ay semialamente en esta Germania, quanto a lo dela religion se determinen per el dicho concilio, y quam a proposito es agora la conyuntura dispusicion y tiempo para que esto se haga como conviene pues con ayuda de Dios de nostra parte, con tanto trabajo, gasto, y riesgo de nostra persona se ha hecho y acabado tuam buena obra como es la dela dicha submission simple y entera y como se podia dessear, para que S. S. entendida bien la gravedad y importancia delas cosas, como per su prudentia se considera, haga tam bien de su parte lo que deue y es obligado con Dios y su dignitad, por que havendo lo S. S. assi puede se acrto que nos continuaremos hasta el cabo de hazer el officio, que devemos para que todo se haga como conviene al servitio de Dios, *gloria y exaltation de nostra fee* y religion, autoritad dela santa madre yglesia y de sua santitad, y dela santa silla como muchas y diversas vezes le havemos ofrendo y hecho declarar a sua santidad y puede sernerta dello.

Pero al fin se S. S. non quisi esse tornar el dicho concilio a Trento, lo qual no podemos acabar de creer en ninguna manera, *cessando como cessan con la decha submission* todas las difficultades, non queremos dexar de ser excusando, y justificar nos non solamente con Dios, S. S. y la santa sede, pero aun con todo el mondo, de haver hecho todo lo que ex nos ha sido para que el dicho concilio se celebre como convienne, semialamente per el remedio de las turbulentias desta Germania, y reunion della a nostra santa *fee y religion*, para el *servitio de Dios*, bien publico, y poder resistir a los infideles, y defender nostra santa fee, y nombre de Jæsu Christo, y que assi mismo se amo excusado de todos los males e inconvenientes que deste se prodrian sequir, &c.

Y a un que sa santedad per sa gran prudentia los puedos bien entender, perlo que continuamente ha side infermado semialamente de *nostra parte de la neccessitad* des dicho concilio, y de los inconvenientes notables que sequiran a faltar del, se deve creor que el reverendissimo cardinal Sfondrato, qui esta aca per legato, le haura dado y dara continuo aviso delo que dello puede bien entender, con el qual se ha tenido siempre el respetto que conviene advertiendole de continuo de todo lo que ha paresscido y hasta a qui se ha hecho en esta dicta toccante a lo de la fee y religion, como tam bien se le ha dado aviso de vestra y da y causa della.

Y porque durante el dicho concilio, y hasta la determination del, es menester dar alguna forma de vivir y de assiento en esta Germania; considerando que dexar esta cosa en tales terminos, podria acaescer mas confusion y escandalo, e major prejudizio a la nostra santa madre yglesia, y a los periados ecclesiasticos, y a otro muchos que quedan y se conserven en nostra santa fee y religion, los quales todos nos hazen instantia sobre ella converra, que entendais de sua sanctitad lo que en esto le parece, y procurareis que se embio persona con poder paraque se haga en ello la meior obra que ser pudiere, o alo menos paraque se eviten mas malas dannos e inconvenientes; que entre tanto aca se negociara con ellos para atraer los a todo loque bonamente se podra.

Quanto alo que toca a la reformation, y a

vos aveis entendido a qui y vais informado delo que en esta materia occurre, par que se haga, como y por el medio que parece convenir y fermas expediente, per la necessitad semia ladamente desta Germania, como se viniera a proposito lo podreis dezir a sua santitad.

Y quanto alo que algunas vezes se ha aputitado per los ministros di sua santerad sobre la creation dun futuro pontifice, en caso de vacation durante el dicho concilio, podreis dezir a sua santitad, y affirmar de nostra parte, que nunca fue nostra intention, que aquella no se hiziesse en Roma, ny que huviesse mudança en la forma & manera guardada per lo passado, y que nos estaremos firme en esto, como es razon, y obligado a guardar lautoritad dela santa sede aunq proveyendo sua santitad que el dicho concilio se celebre en Trento, es de sperar le dara Dios gratia, que se acabe en susdias y puede ser cierto que en lo de las creation de pontifice, no protendemo si no que se provea como conviene al servitio de Dios, y que sex personе de las partes, que se requieren para un tan grande y pesado cargo, y que en caso que nos veniessemos a faltar, el sereniſſimo rey de Romanos como successor en el imperio, teria por firme y grato lo que se hiziere.

Y si almente persistereis y hareis toda la instantia possible nintamente con el dicho nostro embaxador, para que sua santedad se determine y resuelva en lo de la buelta del dicho concilio a Trento, y que su para dia certo y senna lado en el mas breve termino que ser pudiere, procurando que sua santedad haga en esso la provision que convienga, porque de nostra parte se persistera aca en el officio que parecera necessario, para que la submission de los estados desta Germania passe adelante y comparezcan en el dicho concilio, y que ansi mesmo se hara per nos y el dicho sereniſſimo rey loque se deue para que los per lados de nostro reynos, estados y sennorios vengan personalmente a el.

Y quando non obstante todas las diligentias hechas per vos, y el dicho nostro embaxador, sua santedad interpuziere difficultad a dilation, en lo que arriba esta dicho y es tan necessario, tomado la mas certitude que dello se puediere dareis razon de la diligentia, y officio que se ha hecho y haze a los cardinales que en Roma se halleren præsentes, aora sea consistorialmente o de otra manera como meior a ambos parecera y tam bien a los embaxatores de los principes, y otras principales personas publicas paraque todos entiendan que de nostra parte, y de la del sereniſſimo rey de Romanos, y estados desta Germania se ha hecho, y haze todo l'officio, y diligentia que ha sido possibile.

Y en caso que sua santedad (lo que non es de creer) quisi esse que se procedieſſe a alqun acto conciliar en Bolonia, o en otra parte, prejudicial la buelta del concilio a Trento, en tel caso el dicho nostro embaxador intimara el protesto segun la forma y menera que se ha scripto annadiendo en esto loque se ha notificado a sua santetad de la submission de todos las estados desta Germania simplicemente al concilio de Trento, y lo de mas que no se dexen de toccar todas las cosas que fueren per nostro dever y justification. Data en Augusta IX. di Novemb. MDXLVII.

CAROLUS.

Vergas.

Judicium reverendiſſimorum cardinalium deputatorum ſuper petitione imperatoris circa reductionem concilii Tridentum, lectum in conſiſtorio reverendiſſimo domino cardinali Tridentino.

MASSARELLUS.

Reverendiſſimis dominis deputatis visum est, quod cum sanctitas vestra paterna caritate salutem provinciæ Germaniæ quibuscumque modis potuit semper procuravit, quod ex multis argumentis, & præcipue ex concilio Tridenti indicto, & ex legatis semel atque iterum ad eam civitatem missis, apertiſſime constat; minimeque dubitandum sit, quin sanctitas vestra eodem animo erga illam provinciam in posterum sit futura, quo antea semper fuit, optimo scilicet & ad bene de ea promerendum propensiſſimo, quantum ad ea quæ reverendiſſimus dominus meus cardinalis Tridentinus nomine invictiſſimi imperatoris sereniſſimi Romanorum regis, necnon illorum statuum Germaniæ retulit, scilicet ut omnes sacro œcumenico concilio se submittant, laudandam esse admodum pietatem majestatis suæ, ac bonam spem de eorum salute, qui hactenus a recta via erraverunt concipiendam. Verum quia in illa episcoporum submissione additum est, quod se submittunt concilio Tridenti celebrando, & ea de causa petitur nunc, ut vestra sanctitas ipsum ad Tridentinam civitatem reduci faciat; reverendiſſimis dominis meis deputatis persuasum est id quod a pientiſſimo imperatore, & a nobiliſſima illa provincia efflagitari & peti, quatenus sine scandalo, immo cum pace & concordia ceterarum provinciarum, servata etiam auctoritate concilii & eccleſiastica libertate, fieri possit. Ad quæ omnia sicut sanctitas vestra, pro sua pastorali cura, & omnium eccleſiarum sollicitudine prospicere jure debet, ut ea nullo modo negligere; sic quoque existimandum esse majestates suas, & illuſtriſſimos sacri imperii status in bonam partem laturos, si sanctitas vestra more majorum suorum in tam ardua & communi deliberatione episcopos fratres suos & prælatos, qui omnium fere nationum in concilio nunc Bononiæ exsistunt, pro communi pace servanda, & turbis ac scandalis vitandis, ante omnia consulere velit, eis-

dem dominis meis videtur par esse, sanctitatem vestram operam dare, ut quam minima mora in ipsa consultatione facienda interponatur. Atque etiam ne res in Germania detrimentum patiantur, benigne satisfieri debere a sanctitate vestra secundæ petitioni majestati suæ de mittendo ad illam provinciam uno vel pluribus prælatis cum opportuna facultate, ut communis aliquis & idem rectus vivendi modus usque ad finem concilii reformetur & statuatur. Quod attinet ad universalem reformationem, cum de ea concilium ipsum jam plurima salutaria decreta ediderit, & eorum quæ restant examinationem & discussionem assidue prosequatur, eam brevi perfici posse sperandum esse, cui etiam perficiendæ & observandæ sanctitatem vestram omnem suam diligentiam & auctoritatem adhibituram.

Ad postremum caput de electione pontificis Romani, si durante concilio, quod Deus avertat, sedem vacare contigerit, tametsi jura hujus facti collegi adeo firma clara & diuturna sint, ut verti in dubium minime possint, quin Romani pontificis electio ad solos cardinales pertineat, etiam durante concilio, tamen pro tam benivolo animo sacræ majestatis, ei gratias habendas esse.

Responsio concilii Bononiensis super reditu ad urbem Tridentinam.

CURTENBROCHIUS. Beatissime pater & clementissime domine, post humilem commendationem & pedum oscula beatorum, recepi nudius tertius, adveniente nocte, sanctitatis vestræ breve, Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XVI. Decembris 1547. pontificatus sui anno decimo quarto datum; in quo narratur dilectum filium sanctitatis vestræ CHRISTOPHORUM tituli S. Cæsarii presbyterum cardinalem Tridentinum dominum a me observandum, his proximis diebus a serenissimo Cæsare missum sanctitati vestræ, retulisse ipsius Cæsaris nomine majestatem suam magno studio & diligentia procurasse, ut universa natio Germanica concilio jam indicto & incœpto Tridenti celebrando se submitteret, prout se submiserat, addidisseque se habere in mandatis ab ipso Cæsare, ut suæ majestatis ac serenissimi ejus fratris Romanorum regis & statuum sacri imperii nomine a sanctitate vestra peteret, ut pro reunione dictæ nationis ad gremium ecclesiæ ipsum concilium Tridentum reduci faceret; & dilectum sanctitatis vestræ filium DIDACUM DE MENDOZA, ipsius Cæsaris apud eamdem oratorem in sacro consistorio interessentibus, de sanctitatis vestræ voluntate, cum ipsi id cuperent, ceteris oratoribus principum & rerumpublicarum, qui apud eam sunt, idem dixisse & petiisse, & ne mora aliqua interponeretur, instanter postulasse; sanctitatem vero vestram re cum venerabilibus fratribus suis S. R. E. cardinalibus dominis meis observandissimis communicata, de ipso concilio & voto pro communis pacis conservatione ac pro evitandis scandalis, & ut tam illud per quod concilium Bononiam translatum est, quam cetera hujus sacrosanctæ synodi decreta illæsa conservarentur, ante omnia in re tam ardua, more majorum, ipsius synodi fratres suos episcopos & prælatos, qui ex omnibus fere nationibus hic sunt, consulendos esse decrevisse. Quamobrem de salute dictæ nationis sanctitatem vestram sollicitam, & ne mora ad respondendum ipsi Cæsari interponatur, velle ut hæc omnia ejusdem sacrosanctæ synodi patribus explicarem, ac Sancti Spiritus numine quo illa regitur invocato, universale bonum reipublicæ Christianæ & sanctæ fidei catholicæ, ac dictæ nationis reunionem præ oculis habentes, omnes ea mature examinaremus & perpenderemus, & quid ipsi Cæsari a sanctitate vestra super hoc responderi posse putaremus, ad eam scribere non differrem.

Quo brevi per me recepto, sanctitatis vestræ mandatis parere volens, qua debeo reverentia statim operam dedi, ut hujus sacrosanctæ synodi patres subsequenti die, hesterna videlicet, in loco & tempore consueto congregarentur: quibus quidem in Spiritu-sancto congregatis, ejusdemque Spiritus-sancti auxilio implorato, solitisque orationibus & precibus per me lectis, breve ipsum egomet alta & intelligibili voce, ita ut nemo non ipsius brevis tenorem commode intelligere posset, legi ac recitavi. Subinde vero posteaquam breve ipsum a me lectum & recitatum fuit, putans ad meæ præsidentiæ ac legationis officium id maxime pertinere, patres quibus potui pro ingenii mei tenuitate verbis hortatus sum, ut omnia bene ac diligenter considerarent, Deumque, Christianæ reipublicæ salutem, honorem concilii, ac pium desiderium sanctitatis vestræ reuniendi illam inclytam Germanicam nationem, atque ipsi Cæsari quantum fieri posset gratificandi, præ oculis habentes, libere dicerent sententias suas, & prout Spiritus idem sanctus suggereret eis, sicuti prudenter, graviter & copiose dixerunt; quarum quidem sententiarum summa hæc est.

In primis ipsa sancta synodus beatitudinis vestræ pietatem cum pastorali sollicitudine conjunctam, JESU CHRISTI redemtoris nostri vicario summoque in ecclesia Dei pastore dignam agnoscens, & sanctitati vestræ maximas quas potest gratias agens, eamque venerans, ac ejus sanctissimos pedes deosculans: itemque invictissimi & augustissimi imperatoris erga sanctam catholicam fidem & religionem nostram studium zelumque commendans, ac pro ejus ipsius & sacri imperii prosperitate Deum optimum maximum suppliciter rogans, tam a sanctitate vestra, quam a sua majestate humiliter petit, ut quæcum-

que ipſa ſancta ſynodus in hac re de qua A conſulitur reſponderit, boni conſulere, ac pro Dei gloria & Chriſtianæ reipublicæ ſalute & pace dicta eſſe cenſere velit.

Nam etſi multis patribus, qui jam tribus fere annis aſſiduos labores, graves expenſas, plurima & varia incommoda ſuſtinuerunt, durum admodum atque intolerabile videtur de reditu ad Tridentinam urbem hoc tempore agere, quo de exitu concilii cogitandum & ſperandum erat, præſertim cum magna parte ea propter quæ indictum, congregatum & apertum fuit, ita diſcuſſa & digeſta eſſe videantur, ut nihil aliud jure deſiderari poſſit, quam ut publica ſeſſione B per ſanctam ſynodum ſtatuatur & promulgetur; tamen nemo eſt qui ut veſtræ ſanctitatis & ſuæ majeſtatis zelo atque piæ erga nobiliſſimam illam nationem Germanicam voluntati reſpondeat, Tridentum redire, novaque & graviora incommoda ac diſpendia ſuſtinere recuſet, ſi modo, dum uni Germaniæ proſpicitur, non ipſa univerſalis eccleſia & nunc & in poſterum hac noſtra forſan intempeſtiva e Bononia ad Tridentum tranſmigratione manifeſtis perturbationibus exponatur.

Cum enim conſtet aliquos patres, concilio e civitate Tridenti ad hanc civitatem Bononiæ legitime tranſlato, ibidem poſt generalem monitionem in publica ſeſſione ipſa tranſlationis die omnibus prælatis factam, poſt amicabiles noſtras epiſtolas, eorum unicuique hinc ad Tridentinam civitatem per nuncium ſpecialem a me & a reverendiſſimo collega meo miſſas & præſentatas, per tot menſes ad hunc uſque diem remanſiſſe & adhuc remanere, non ſine magno vilipendio concilii, ac fortaſſe aliquorum ſcandalo, qui remanſionem illam diviſionem arbitrantur, ac propterea minoris auctoritatis concilium eſſe putant; non videt ſacroſancta ſynodus qua via, quo modo, quave ratione, ſalva dignitate, majeſtate, honore & exiſtimatione ipſius ſynodi, ac ſine pernicioſo peſtiferoque in omne ævum exemplo de reditu ad civitatem Tridenti deliberare poſſit, niſi prius prælati ipſi Bononiam veniant, & cum reliquis patribus ſe conjungant, atque ipſius ſanctæ ſynodi auctoritatem & poteſtatem agnoſcant & amplectantur, quod ſynodus ipſa ad tollenda ſcandala in populis ſuſcitata ac pro eccleſiæ pace atque unitate maxime cupit, & parvo negotio ac ſolo ipſius Cæſaris nutu fieri poſſe confidit, & de hoc majeſtatem ſuam enixe precatur.

Non etiam ipſa ſancta ſynodus videt, quomodo de hac deliberatione tractari poſſit, niſi prius certa reddatur, quod ita ſe natio Germanica concilio Tridenti celebrando ſubmittat, ut fidem concernentia decreta quæ ibidem promulgata, & jam ab omnibus Chriſtianæ reipublicæ gymnaſiis atque inſignibus theologorum univerſitatibus, & ab omni catholica eccleſia ſummo aſſenſu, gaudio & plauſu recepta fuere, rata, firma, ſtabilia & perpetua futura ſint, nec ulterius in controverſiam aliquam, quovis prætextu, colore, occaſione vel cauſa deducantur; cum juxta ſacros canones, ſanctorum patrum exempla & ſtatuta, ac imperiales etiam conſtitutiones exploratiſſimi juris ſit, quæ contra unamquamque hæreſim coacta ſemel ſynodus pro fidei communione & veritate catholica atque apoſtolica promulgaſſet, non eſſe novis poſtea retractationibus mutilanda, & injuriam fieri judicio reverendiſſimæ ſynodi, ſi quis ſemel judicata revolvere & publice diſputare contenderit.

Præterea cum rumor increbuerit, prætextu cujuſdam vulgaris ſeu popularis concilii ex omni hominum genere colligendi, quod Chriſtianum concilium appellant, mutandam eſſe formam generalium conciliorum, quæ per apoſtolos & ab apoſtolorum tempore per ſanctam Romanam & univerſalem eccleſiam celebrata fuerunt, poſthabito laudabili more ſive modo procedendi, atque in noſtris conciliaribus definitionibus hucuſque retento, cupit ſancta ſynodus de hac C ipſa re certa reddi, ac ſibi opportune caveri, anteaquam de reditu ad ipſam Tridenti urbem deliberetur.

Scire etiam cupit, quæ cautio dabitur patribus Tridentum ituris, pro ſuis perſonis, rebus & bonis; ita ut tam ſinguli quam univerſi plena ſecuritate & libertate fruantur & gaudeant, & unicuique pro ſuo libitu eundi, ſtandi ac recedendi libera poteſtas futura ſit, atque a nemine via facti compelli poſſit. Scire etiam antea & certa reddi, quæ cautio D ipſi concilio dabitur, ut quandocumque videbitur majori parti legitimas & rationabiles cauſas adeſſe, ſe ex Tridento ad locum ab ipſa majori parte eligendum tranſferendi; itemque cauſis ob quas concilium indictum fuit ſatisfactum eſſe, liberum ſit ipſi majori parti, cujuſvis contradictione, oppoſitione ſeu reclamatione non obſtante, concilium tranferre, vel etiam claudere & finire.

Alia vero quæ ad ſanctitatis veſtræ & ſuæ apoſtolicæ ſedis auctoritatem tuendam conſervandamque, Chriſtianiſſimi regis & aliorum principum erga ſanctum concilium gra- E tiam, aſſenſum & favorem pertinent, veſtræ beatitudinis prudentiſſimo judicio relinquenda cenſuit; hoc tamen adjiciens, quod ubi ſancta ſynodus tempore ei bene viſo harum difficultatum dilucidationem ſeu declarationem & reſolutionem expectaverit, liberum ſibi eſſe vult, ad expeditionem materiarum diſcuſſarum & examinatarum, canonumque ac decretorum promulgationem, & ulteriorem concilii proſecutionem, Spiritu ſancto inſpirante, & concilium ipſum dirigente, ac protegente procedere.

Hæc ſunt, ſanctiſſime pater, quæ in heſterna congregatione pro Dei gloria, ſacri concilii honore, libertate, ſecuritate, bonoque exemplo, & reunione potentiſſimæ nationis Germanicæ, juxta pium ſanctitatis veſtræ & ſereniſſimi imperatoris deſiderium, pro communique totius Chriſtianæ reipublicæ ſalute patribus conſideranda occurrerunt, quæque majeſtati ſuæ per ſanctitatem veſtram vere, congruenter, rationabiliter & opportune reſponderi poſſe patres ipſi putaverunt. Quibus auditis, eos hortatus ſum & monui, ut quo res gravius atque maturius deliberaretur, hodie mane litteras ex eorum communi ſententia ſanctitati veſtræ mittendas audituri, & tam ſuper ipſis litteris, quam ſuper re ipſa heſterna die examinata, iterum ſententias dicturi ad congregationem generalem convenirent. Itaque hac ipſa die congregatis omnibus patribus, ac celebrata prius per unum ex ſacerdotibus noſtris miſſa de Spiritu-ſancto, recitatiſque a me de more precibus & orationibus conſuetis, has ipſas litteras alta & intelligibili voce ego ipſe legi, & an ipſæ litteræ placerent, & ſi quid addendum vel diminuendum eſſe exiſtimarent, & ut ſententias ſuas libere dicerent, rogavi, ſemel etiam atque iterum eos monens, ut conſcientiis ſuis omnes & ſinguli, prout Spiritus ſanctus illas ſubminiſtraret, plene & libere ſatisfacerent.

His peractis, unoquoque ſuo ordine ſententiam dicente, omnes, quatuor dumtaxat exceptis, duobus ſcilicet expreſſe contradicentibus, aliis vero duobus ſub certis conditionibus approbantibus, has ipſas litteras, & omnia quæ in eis continentur comprobarunt ac laudarunt, & ſanctitati veſtræ mittendas unanimi conſenſu decreverunt. Dominus Deus benedictus ſanctitatem veſtram diu eccleſiæ ſervet incolumem. Datum in generali congregatione Bononiæ die xx. Decembris MDXLVII.

Ejuſdem ſanctitatis veſtræ devotiſſimus ſervus & creatura JOHANNES-MARIA cardinalis de Monte, ſacri concilii præſidens & legatus.

Die XXVII. Decembris poſt miſſam lectum fuit hoc reſponſum in congregatione reverendiſſimorum cardinalium oratori Cæſaris.

Cum in ultimo conſiſtorio ſecreto, illuſtriſſime domine orator, ſanctiſſimo domino noſtro nomine Cæſareæ majeſtatis ſupplicaſſes, ut ſua ſanctitas, univerſale concilium pro ſalute Germanicæ nationis Tridentum remittere dignaretur, ſanctitas ſua, ſicut excellentia tua recordari poteſt, etſi fuiſſet parata ſtatim ad propoſita per te quantum in ea erat reſpondere; tamen quoniam ea ipſa non coram ſanctitate ſua ſolum, verum etiam coram univerſis his dominis reverendiſſimis S. R. E. cardinalibus exponere voluerat, merito eoſdem reverendiſſimos dominos pro rei etiam gravitate conſulendos duxit, & excellentiam tuam monuit ad redeundum in primo conſiſtorio pro reſponſo ſuæ ſanctitatis excipiendo: qua in re ne longior mora interponeretur, negotium cum eiſdem reverendiſſimis dominis cardinalibus eo ipſo in conſiſtorio diſcuti, ac de eorum conſilio & aſſenſu, reverendos epiſcopos ac prælatos qui Bononiæ in concilio ſunt ante omnia conſuli debere decrevit: quod ſane ſtatim ſua ſanctitas fecit, celeri etiam tabellario dedita opera ad eos cum litteris miſſo hujus tenoris.

PAULUS papa III. venerabilis frater noſter, S. & A. B. Miſſus ad nos his proximis diebus a ſereniſſimo Cæſare dilectus filius noſter Chriſtophorus, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1547. *n.* 91.

Ipſa autem ſacroſancta ſynodus, auxilio S. Spiritus implorato, ſolitiſque orationibus ac precibus per reverendiſſimum D. cardinalem de Monte præſidentem & legatum concilii antea latis, ac litteris noſtris prædictis alta & intelligibili voce, ita ut nemo ipſarum litterarum tenorem commode intelligere non poſſet, recitatis, ac re in duabus deſuper factis congregationibus diſcuſſa, in primis quidem humiliter a ſanctitate ſua & a dicta majeſtate petiit, ut quæcumque ipſa ſynodus de hac re de qua conſulitur reſponderit, boni conſulere, ac pro Dei gloria & Chriſtianæ reipublicæ ſalute pace dicta eſſe cenſere vellent; deindeque reſpondit quod cum conſtet aliquos prælatos, concilio e civitate Tridenti ad civitatem Bononiæ legitime tranſlato, ibidem poſt generalem monitionem in publica ſeſſione ipſa tranſlationis die omnibus prælatis factam, poſt amicabiles ejuſdem reverendiſſimi cardinalis de Monte præſidentis & legati ac ejus collegæ litteras unicuique ipſorum prælatorum ex Bononia ad Tridentinam civitatem per nuntium ſpecialem miſſas & præſentatas, per tot menſes ad hunc uſque diem remanſiſſe, & adhuc remanere, non ſine magno vilipendio concilii, ac fortaſſe aliquorum ſcandalo, qui remanſionem illam diviſionem arbitrantur, ac propterea minoris auctoritatis concilium eſſe putant, non videt ſacroſancta ſynodus, qua via, quo modo, quave ratione, ſalva dignitate, majeſtate, honore & exiſtimatione ipſius ſynodi, ac ſine pernicioſo peſtiferoque in omne ævum exemplo, de reditu ad civitatem Tridenti deliberare poſſit, niſi prius prælati ipſi Bononiam veniant, & cum reliquis patribus ſe conjungant, atque ipſius ſanctæ ſynodi auctoritatem, & poteſtatem agnoſcant & amplectantur, quod ſynodus ipſa ad tollenda ſcandala in populis ſuſcitata, ac pro eccleſiæ pace atque unitate maxime cupit, & parvo negotio ac ſolo ipſius Cæſaris nutu fieri poſſe confidit, & de hoc

hoc majeſtatem ſuam enixe precatur.

Quodque eadem ſancta ſynodus non videt quomodo de hac deliberatione tractari poſſit, niſi prius certa reddatur, quod ita ſe natio Germanica concilio Tridenti celebrando ſubmittat, ut fidem concernentia decreta, quæ ibidem promulgata, & jam ab omnibus Chriſtianæ reipublicæ gymnaſiis atque inſignibus theologorum univerſitatibus, & ab omni catholica eccleſia ſummo aſſenſu, gaudio & plauſu recepta fuere, rata, firma, ſtabilia & perpetua futura ſint, nec ulterius in controverſiam aliquam quovis prætextu, colore, occaſione vel cauſa deducantur, cum juxta ſacros canones, ſanctorum patrum exempla & ſtatuta, ac imperiales etiam conſtitutiones, exploratiſſimi juris ſit, quæ contra unamquamque hæreſim coacte ſemel ſynodus pro fidei communione & veritate catholica atque apoſtolica promulgaſſet, non eſſe novis poſtea retractationibus mutilanda, & injuriam fieri judicio reverendiſſimæ ſynodi, ſi quis ſemel judicata revolvere, & publice diſputare contenderit.

Præterea cum rumor increbuerit prætextu cujuſdam vulgaris ſeu popularis concilii ex omni hominum genere colligendi, quod Chriſtianum concilium appellant, mutandam eſſe formam generalium conciliorum, quæ per apoſtolos & ab apoſtolorum tempore per ſanctam Romanam & univerſalem eccleſiam celebrata fuerunt, poſthabito laudabili more ſive modo procedendi, atque in dictæ ſynodi definitionibus huc uſque retento, cupere propterea ipſam ſanctam ſynodum de hac ipſa re certam reddi, ac ſibi opportune caveri, anteaque de reditu ad ipſam Tridenti urbem deliberetur. Inſuper ſcire antea cupere & certam reddi, quænam cautio dabitur patribus Tridentum ituris pro ſuis perſonis, rebus & bonis: ita ut tam ſinguli quam univerſi plena ſecuritate & libertate fruantur & gaudeant, & unicuique pro ſuo libito eundi, ſtandi ac recedendi libera poteſtas futura ſit, atque a nemine via facti compelli poſſit.

Scire etiam antea cupere & certam reddi, quæ cautio ipſi concilio dabitur, ut quandocumque videbitur majori parti legitimas & rationabiles cauſas adeſſe, ſe ex Tridento ad locum ab ipſa majori parte eligendum transferendi, itemque cauſis ob quas concilium indictum fuit ſatisfactum eſſe, liberum ſit ipſi majori parti, cujuſvis contradictione, oppoſitione ſeu reclamatione non obſtante, concilium transferre vel etiam claudere & finire.

Ex quibus quidem excellentia tua cognoſcere clare poteſt, non poſſe ipſam ſynodum de reditu ad ipſam civitatem Tridentinam deliberare antea quam præmiſſa omnia dilucidentur & declarentur, ac plene fiant quæ tamquam rationabilia & ſanctorum patrum ac ceterorum conciliorum decretis confor-

Vet. ſcript. & mon. ampl. Collect. Tom. VIII.

mia, & ad bonum publicum & quietem reipublicæ Chriſtianæ tendentia, etiam ſuæ ſanctitati & ciſdem reverendiſſimis dominis cardinalibus ab his qui ſe concilio ſubmiſerunt, ſicut tua excellentia aſſeruit, juxta deſiderium ſanctæ ſynodi, ante omnia reipſa adimpleri, ipſamque deliberationem præcedere videntur.

Quantum autem ad ſanctitatem ſuam pertinet, reſpondet ſe omnibus ſtudiis ac votis cupere ſalutem, pacem & quietem ipſius nationis Germanicæ, ſicut jam multis & claris argumentis oſtendit, & ipſi in primis Cæſareæ majeſtati cognitum eſt; ac paratam eſſe ac ſemper fore, omnia curare & facere, quæ pro ejuſdem nationis ſalute ad boni paſtoris officium quomodolibet pertinebunt, certo ſibi perſuadens rem ipſam a pientiſſimis & optimis cæſare & rege Romanorum, nobiliſſimaque illa provincia eatenus peti, quatenus ſine ſcandalo & turbatione, immo cum pace & concordia ceterarum nationum & provinciarum, ſervata etiam auctoritate concilii & libertate eccleſiaſtica, fieri poſſit, ad quæ omnia ſanctitas ſua pro univerſali ejus cura & officio invigilare univerſaliter debet.

Reſponſum ſanctiſſimi domini noſtri ad ſtatus eccleſiaſticos imperii.

Venerabiles fratres & dilecti filii ſalutem, &c.

Accepimus ſuperioribus diebus litteras veſtras, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1548. *num.* 4.

Relatio reverendiſſimi cardinalis Tridentini in dieta Auguſtana poſt reditum ſuum ex Urbe 14. *Januarii* 1548.

Eſſendo che la ſacra Cæſarea majeſta per la benignita & officio ſuo hebia ſempre deſiderato la quiete de tutta la Chriſtianita, & ſpecialmente de la provincia di Germania, come ſua natural patria, accio che ne ſtati di eſſa s'adminiſtraſſe la giuſtitia & ini fuſſe una perfecta tranquillita, maxime nelle coſe de la religione, come pui chieramente ſi e poſſuto intendere de la propoſitione fatta nel principio de la dietta, & eſſendo enchor che tutti li ſtati ſi reſolveſſera, di ſodiffare al queſto deſiderio di ſua majeſta, & che de comune conſenſo ſi fotto poneſſero liberamente e ſimplicimente al concilio de Trento, per eſſer queſto l'unico remedio di levare pacificamente li diſſentioni de la religione, per queſte cauſa delibero di mandare S. majeſta il cardinal di Trento da ſua ſanctita con inſtruction ſopra queſto negotio accioche. quanto pui preſto il concilio tornaſſe a Trento, Guinto il cardinal di Trento in Roma perle poſte, & inteſe d'al ſeignor don Diego imbaſciator di S. majeſta apreſſe ſua ſanctita tutte le coſe pertinenti a queſto negotio in che termino ſe trovano in queſta corte, ambi doi inſieme andorno da ſua ſanctita, & li feceno privata mente con omni

diligentia intendere la buena mente di sua majesta, & degli electori principi, & stati del imperio, secondo si conteneva nella instructione *il simili.* propose anchor con *la* medesima diligentia nelli consistorii publicamente dechiarando a quanti danni, a quanto spese, a quanti travagli e pericoli habbi, sua majesta ispostoi regni suoi & la persona propria per ridurre la Germanica natione in tal unione che ella potesse vivere cum ragione, con quiete e tranquillita accioche unita insieme la fusse un gagliardissimo propugnaculo contra infideli. il che non poteva succedere se prima la non si reduceva in una vera & Christiana compositione di religione, laqual non puo compitamente riuscire se non da un commune e general concilio, il quale essendo inditto & incominciato a Trento, per dubio di non so che contagione fu dai legati & congregatione transferto a Bologna con questa promissione che cessando quel male *non sequa pin oltre sin alhora.* E perche li elettori principi e stati & citta del imperio unitamente per gratia de Dio s'erano sottoposti al general concilio de Trento essendo questa vera via di ridurro la Germania in una buona concordia, pace & tranquilla levando vio tutte le controversiæ della religio s'ammoniva sua sanctita che non volesse manchare a questa tanto desiderata occasione & impedire una si buona & santa opera, & pero con quella major prestezza che fusse *possibile* procurasse che quei prelati che erano in Bologna con resto delli altri prælati Christiani tornassero a Trento come convenera al officio di sua sanctita tanto pui che in molte dietes suoi legati & nuncii, & specialmente il præsente legato a sua majesta havevano dato sempre alli stati d'ell imperio ferma *intentione d'un concilio generale* in Germania essendo questa via ordinaria pui Christiana e pui secura per torre via le dissensioni della religione, e stabilir una sancta reformatione di costumi, & levar tutti li abusi e dottrine che sono contro la lege di Dio, per il che con grandissima instantia si prægrava sua sanctita che non volesse perdere questa occasione, e negor questa giusta domanda a sua majesta essendo cosa tando necessaria, e dalla quale depende il beneficio *universale di tutta la Christianita. & s'al ultimo* sua sanctita non consentiva ridurre il concilio a Trento (il che non poteva credere che ella facesse) che sua majesta non solamente apresso di Dio, di sua sanctita e della sede apostolica se excusava nia anchora apresso tutto il mondo, che ne per sua majesta, ne per la majesta de re de Romani, ne per li stati del imperio era restato che il concilio universale si celebrasse. Sopra queste richiesce del cardinale e di don Diego, sua *sancta al ultimo si risolse di non voler fare* determinatione alch una inanti ch' intendesse il parere della congregatione di quei prælati di Bologna, & parimenti consultare le natione & principi Christiani. vedendo adunq il cardinal *di Trento che con tutto il negotio* che si e posuto fare non s'havea altra resolutione, piglio da sua sancta licentia e se ne tornato con grandissima sua dispiacere. E questa e la sustantia di quanto molto a longo si e negociato con sua sancta, e col sacro consistorio dal delto cardinal di Trento laquale per ordine di sua majesta s'e falta intendere alli electori principi e stati del'imperio, accio conoscessino la Christiana e sancta mente di sua majesta come di buon padre verso la patria sua di Germania, & ch'il cardinal di Trento non sia manchato d'ogni sollicitudine, industria e fede accioche quanto pui presto si celebrasse l'universale concilio in Trento.

Lectum in aula Cæsareæ majestatis eadem die XIV. Januarii coram principibus, electoribus, & *aliis statibus sancti Romani imperii* Augustæ, MDXLVIII.

Sacratissima Cæsarea majestas, clementissimus dominus noster amice & benigne significat præsentibus electoribus, principibus ac statibus, atque absentium consiliariis & nuntiis, quod ejus majestas posteaquam statui christiano ac laudabili responso se concilio jam antea Tridenti indicto incœptoque obedienter submisissent, atque in illud consensissent, operæ pretium duxit, de ea re ad sanctissimum dominum nostrum papam referre: atque ita reverendissimum in Christo patrem & dominum CHRISTOPHORUM MADRUTIUM cardinalem & episcopum Tridentinum, ad illius sanctitatem legavit, ac simul oratori suo, quem Romæ habet, causam illam suscipiendam, proponendamque, atque *in hoc laborandum*, ut qui prælati Bononiæ nunc congregati agunt, Tridentum reverterentur, commisit. Existimabat etiam ejus Cæsarea majestas pro rei æquitate ita omnia successura fuisse, cum ipse etiam S. D. N. ac suæ majestatis ministri id ipsum, casu quo illa submissio impetrari posset, jam antea suæ majestati promisissent, Verum electores, principes ac status modo ex relatione prædicti reverendissimi cardinalis abunde intellexerunt, æquam illam petitionem *nihil valuisse*, neque *aliud factum* esse, quam quod S. D. N. post aliquot dies a decessu prædicti cardinalis ab Urbe, in consistorio Cæsareæ majestatis oratori hoc responsum dedit, videlicet quod sua sanctitas rem ad prælatos Bononiæ congregatos retulisset, qui in hac plane sententia acquiescerent, priusquam de reducendo Tridentum concilio tractaretur, eos qui modo Tridenti sunt Bononiam abire debere: præterea se prius velle certos esse, quod tota Germanica natio se concilio prædicto subjectam faceret. Insuper oportere, ut status se se obligarent

MASSA. RELIUS. CURTEN. BROCHIUS.

ad obſervanda omnia, quæ quoad fidem jam Tridenti decreta ac declarata ſunt. ſimiliter & hoc illos prælatos ſcire velle, quænam ſcilicet ſecuritas illis qui Tridenti ad concilium eſſent venturi, illic manendi, abſcedendi, concludendi, aut concilium ipſum pro voluntate majoris partis transferendi danda foret, atque hæc tum prædicto oratori a S. D. N. fuere reſponſa.

Cum autem Cæſareæ majeſtatis orator animadverteret ſanctiſſimum dominum noſtrum in eo ſuo reſponſo congregationem illam ſive conventum Bononienſem concilii nomine appellaſſe, atque illius ſententiam concilii determinationem habuiſſe, eoque animo eſſe ut Bononiæ tamquam in legitimo concilio velit eſſe procedendum, nonobſtante quod ejus ſanctitati ſignificatum atque propoſitum fuerat, tranſlationem illam concilii ex Tridento ad Bononiam tenere, ſine cauſa, contra jus, ſine debita forma & ſolemnitatibus, ac plane præcipitanter, cœptam & peractam eſſe: quodque illi prælati qui Bononiæ agerent, nullo modo concilii auctoritatem ſibi vindicare poſſent; denique quod illud prius decerni ac declarari deberet, quemadmodum etiam conſque ex verbis ejus ſanctitatis intellectum eſſet factum iri. Ad hæc cum prædictus Cæſareæ majeſtatis orator prædictum illud reſponſum ac ſententiam, inconvenientem, iniquam, ac rebus Germanicæ nationis plane incongruam & inutilem comperiret, omnino ſtatuebat contra proteſtari: verum ad inſtantiam decani collegii atque aliquorum cardinalium, & ſanctiſſimi domini noſtri juſſum, in hoc tandem conventum eſt, nempe proteſtationem illam in dies viginti differendam, atque interea majeſtatem certiorem reddendam, ſententiamque rogandam eſſe, an ſcilicet prædictum illud reſponſum admitteret, probaretque; atque interim prælatos Bononienſes nullum actum conciliarium facturos eſſe.

Igitur Cæſarea majeſtas cum illud reſponſum ſanctiſſimi domini noſtri ac ejus ſanctitatis miniſtrorum promiſſis plane diſpar eſſe, atque eo conatus tendere ut Bononiam conventus pro concilio traheretur, ibique procederetur, comperiſſet; & ob ſummum detrimentum Germanicæ nationis quod illinc eveniret, & quia illud ſanctiſſimi domini noſtri promiſſis, quibus ſtatibus imperii pollicitus eſt celebrandum concilium in Germanica natione, omnino adverſum eſſet; denique quia admodum eſſet breve præſcriptum tempus: mox ſuo oratori reſcriptis litteris juſſit, ut prædictam proteſtationem exſequeretur; quam quidem proteſtationem, cum fuerit peracta, Cæſarea majeſtas ſtatibus imperii deſcribendam dabit.

Cum autem tametſi ſpes concilii celebrandi non plane ſit abjicienda, ſed ſperandum potius Chriſtum illud ſuo tempore pro divino ſuo arbitrio ad effectum perducturum, ad quod ipſum etiam Cæſarea majeſtas pro officio ſuo & pro Germanicæ nationis neceſſitate, Deo juvante, intendere ſtatuit & decrevit: tamen ex prædicto reſponſo diutius quam res exigit differendum concilium videri poſſit, exiſtimat ipſa Cæſarea majeſtas neceſſarium eſſe, ut interim de viis & modis conſulatur, quibus ſtatus ſacri imperii Germanicæ nationis ad chriſtianam ac bonam unionem convenire & conduci poſſint.

Igitur licet Cæſarea majeſtas quo modo pendente concilio, quod quidem electores, principes & ſtatus Cæſaris arbitrio permiſerant, vivendum eſſet, ſummas ac ſerias cogitationes exercuerit ac etiamnum exerceat; tamen pro re nata ac circumſtantiis rerum conſultum exiſtimat, ut pro meliore expeditione ſtatus imperii, quoſdam idoneos, expertos, pios viros, qui zelo chriſtiano & bono tenentur, ac promovendo honori cultuique divino & paci, concordiæ ac quieti Germanicæ, paucos quidem illos deligant ac deputent, quibus ipſa Cæſarea majeſtas etiam nonnullos additura eſt, ut hi clare, recte, ſincere, fideliter, & quantum fieri poteſt, propere de tota controverſia inter ſe diſceptent, quo ipſa Cæſarea majeſtas deinde pro ſtatu cauſæ decentius poſſit quod æquum & bonum exiſtimaverit ſtatuere. deinde accelerate congruenter ad hæc, & prout ſanctiſſimus dominus noſter poſt factam illam proteſtationem ſe ſe geſturus eſt, tum de concilio, tum aliis de rebus tractabitur amplius.

Petit igitur Cæſarea majeſtas amice & benigne, ut electores, principes & ſtatus hunc ſummi momenti articulum chriſtiana caritate & zelo aggredi & tractare velint, poſthabitiſque aliis omnibus affectibus, expendant quantum cujuſque interſit, ut pernicioſiſſima religionis diſcordia tollatur, ac natio Germanica denuo ad chriſtianam concordiam perducatur. qua quidem in re cuique cogitandum eſt, quantum Deo, quantum patriæ, quantum denique ſibi ipſi debeat: tum etiam illud in memoriam revocandum eſt, nempe quod olim Germania ante exortam illam pernicioſam diſcordiam, præ aliis omnibus nationibus inſigni unitate fidei floruerit, ac veluti exemplar veræ & catholicæ religionis, reliquorum populorum oculos in ſe converterit, cujus rei plerique omnes conſcii ſunt. Denique ut ſtatus imperii exiſtimare quoque velint, multifarios illos fidos ac ſedulos labores, quos ſua majeſtas jam non parvo tempore ſuſtinet, quo concilium ad Tridentum reduci poſſit, non alia ex cauſa ſuſceptos eſſe, quam ex debito officio & paterna caritate, benignitateque, quam erga ſacrum imperium Germaniæ, communis patriæ, atque ejuſdem membra & ſtatus gerit, ac ex ſummo deſiderio, quo ſemper tenta eſt & etiam nunc tenetur, ad procuranda ſcilicet omnia ea quæ

ad pacem, tranquillitatem & commodum Germanicæ nationis faciant.

Atque hæc ita factum iri ab electoribus principibus & ſtatibus Cæſarea majeſtas plane confidit, & præterquam quod ea omnia cum privatim ſingulis tum communi patriæ utilia ſint, etiam parata eſt ejus majeſtas, erga ipſos omnes & ſingulos amice & benigne compenſare, expectatque ad hæc maturum & proſperum reſponſum.

Sequitur proteſtatio nomine imperatoris Bononiæ facta cum reſponſione patrum.

In Dei nomine, amen. Anno Domini MDXLVIII. indictione VI. pontificatus SS. in Chriſto patris & Domini noſtri, domini PAULI divina providentia papæ III. anno XVI. die vero lunæ XVI. menſis Januarii, *& ut apud Raynaldum ad annum* MDXLVIII. n. 7.

Lecta proteſtatione ſupradicta, magnificus D. Hercules Severolus ipſius ſacri concilii promotor, petiit a nobis notariis fieri unum vel plura publicum vel publica inſtrumentum vel inſtrumenta.

Deinde præfatus magnificus D. Franciſcus Vargas petiit ſibi dari teſtimonium & fidem publicam a nobis notariis infraſcriptis, quod ſancta ſynodus non permiſerit eos ante loqui & exponere ea quæ habebant in mandatis, quam legeretur ſupraſcripta proteſtatio. Poſtea protulit alta & intelligibili voce idem magnificus D. Franciſcus ſupraſcriptus quædam verba, quæ poſtea dixit contineri in ſcedula quadam, quam exhibuit domino Claudio notario præfato, cujus ſcedulæ tenor ſequitur, & eſt talis.

Adſumus reverendiſſimi domini, reverendique admodum patres, Cæſaris domini noſtri Romanorum imperatoris, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1548. n. 9.

Quo facto, reverendiſſimus & illuſtriſſimus D. cardinalis de Monte præfatus, reſpondit ad verba contenta in ſupraſcripta ſchedula & prolata per magnificum D. Franciſcum præfatum, primum verbo, deinde ſcripto, ut ſequitur videlicet.

Adſum & ego hujus ſacri concilii, &c. *ut ibid.*

Et ſucceſſive præfatus dominus Franciſcus exhibuit domino Angelo Maſſarello, ipſius ſacri concilii ſecretario, mandatum Cæſareæ majeſtatis, quod legi petiit, ipſeque dominus ſecretarius alta & intelligibili voce legit mandatum præfatum, quod eſt tenoris ſequentis.

Carolus quintus, divina favente clementia Romanorum imperator Auguſtus, &c. *ut ibid, num.* 10.

Quo lecto, dominus promotor præfatus repetiit iterum proteſtationem ſacræ ſynodi ſubſcriptam, idemque fecit reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus cardinalis de Monte præfatus, & præfatus dominus Franciſcus Vargas dixit ea quæ ſibi occurrebant dicenda contineri in proteſtatione, quam ſtatim legere intendebat præfatus magnificus dominus Martinus, petiitque & requiſivit a nobis notariis in actis redigi, qualiter ſancta ſynodus non conſenſerit, quod notarii & teſtes per eum nominati fuerint admiſſi, ut ſingulariter & de per ſe rogarentur de omnibus per eos dictis & dicendis, ſed conjunctim una cum notariis ipſius ſacri concilii.

Deinde præfatus dominus Martinus Velaſco legit alta & intelligibili voce ſcripturam tenoris infraſcripti, videlicet:

Cum reſpublica chriſtiana miſerabiliter convulſa eſſet, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1548. *n.* 11.

Ad quæ omnia reverendiſſimus & illuſtriſſimus dominus cardinalis de Monte, &c. *ut ibidem num.* 13. *uſque*, & patres omnes diſceſſerunt.

Proteſtatio facta Romæ ab oratore Cæſareo die XXIII. *Januarii coram SS. domino noſtro Romæ, in Conſiſtorio.* MDXLVIII.

Sanctiſſime pater, cum reſpublica chriſtiana miſerabiliter, &c. *ut apud Raynaldum, ibid n.* 19.

Reſponſio data a SS. domino noſtro oratori Cæſareo ad ejus proteſtationem primæ Februarii 1548.

Magnam ſuperiori conſiſtorio, &c. *ut ibidem n.* 29.

Breve Apoſtolicum.
Supraſcriptio.

Venerabili fratri Johanni Mariæ epiſcopo Prænestino, & dilecto filio Marcello tituli S. Crucis in Hieruſalem, preſbytero S. R. E. cardinalibus noſtris & apoſtolicæ ſedis de latere legatis, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1548. *n.* 32.

Breve apoſtolicum.
Supraſcriptio.

Dilecto filio noſtro Petro S. R. E. preſbytero cardinali Giennenſi nuncupato, ac venerabilibus fratribus noſtris archiepiſcopis & epiſcopis ad præſens Tridenti commorantibus, &c. *ut ibid. n.* 34.

Propoſitio deputatorum a ſacro concilio Bononienſi habita Romæ in conſiſtorio XXII. *menſis Martii* MDXLVIII.

Beatiſſime pater, audivit ſanctitas veſtra, &c. *ut apud Raynaldum, ad annum* 1548. *n.* 37.

Facultates quæ videbantur neceſſariæ legatis vel nunciis apoſtolicis in Germaniam mittendis.

Ut ſtatuatur competens aliquis modus, &c. *ut ibid. n.* 45.

Reſponſum cardinalium ad prædicta.

Beatiſſime pater, duplex fuit inter nos propoſita quæſtio, prima de toto genere, utrum mittendi eſſent a ſanctitate veſtra legati ſeu nuncii in Germaniam: ſecunda, ſi eſſent mittendi, quibus facultatibus muniendi forent.

De prima inter nos aliqua diſceptatio fuit, dum in hoc ſtatu conſtituti rationes in utramque partem perpenderemus. Verum cum conſideraremus ad officium veſtræ ſanctitatis in primis pertinere errantes oves & devias ad ovile Dominicum reducere, fere omnes in hac ſententia convenimus, ut poſtquam aliqua ſpes effulget ejus provinciæ ad eccleſiæ gremium reducendæ, veſtra ſanctitas omnino hanc ſpem fovere, & quoad poteſt, nihil intentatum relinquere propterea debeat; quare his & aliis multis de cauſis, quas ne tædio veſtram ſanctitatem & reverendiſſimos dominos afficiamus, in illam partem frequentiores ivimus, ut ſanctitas veſtra legatos aut nuncios mitteret in Germaniam ad eos excipiendos qui vere reſipiſcere & ad catholicam fidem noſtram redire velint.

In ſecunda quæſtione de facultatibus concedendis prius nonnullas concluſiones in genere præmittimus, in quibus ut opportunis & quodammodo neceſſariis omnes conſenſimus.

Prima quod cum non quidquid poteſtati alicujus committitur, idem neceſſitati ſubjaceat, & ideo exercitium, exſecutio & uſus ipſarum facultatum magis quam ipſæ facultates attendenda ſint. Non enim niſi rerum, temporum, locorum & perſonarum qualitate diligenter penſata, ac urgente maxima cauſa & neceſſitate, præſertim ſuper nonnullis caſibus a quamplurimis ſacroſanctis conciliis & canonibus prohibitis diſpenſandum eſt, in quo ipſius diſpenſantis arbitrium, judicium, diſcretio & conſcientia potiſſime requirenda ſunt, judicavimus propterea expedire eligere hujuſmodi perſonas, quæ ita litterarum ſcientia, vitæ munditia & bonis moribus præditæ communiter reperientur, quo eiſdem facultatibus uti non autem abuti exiſtimandum ſit, illorum nominationem & electionem veſtræ ſanctitatis judicio, ut debemus, relinquendo. Cum tamen plus ſciamus videre oculos quam oculum, ac validius eſſe judicium plurimorum ſententia comprobatum, arbitramur conyenire plures magis quam unicum tantum legatos ſeu nuncios deputandos.

Aliam concluſionem fecimus, facultates cum hac conditione concedendas, ut illis uti non poſſint, niſi cum his qui ad veram, orthodoxam, catholicam & Chriſtianam fidem redire voluerint.

Reliqua ſanctitatem veſtram pro reductione illius provinciæ ad gremium eccleſiæ omnia præſtare debere quæ in manu & poteſtate ſua fuerint, omniaque officium ac auctoritatem ſibi a Deo tributa impertiri, ut id fiat, dum tamen talia ſint quæ publicum ſcandalum ſeu ſtatus univerſalis eccleſiæ decolorationem minime generare poſſint.

His præmiſſis, quæ illa eſſent quæ ex facultatibus petitis concedi poſſint & deceat, ut in arduis & de raro contingentibus, pro exoneratione noſtra voluimus, de voluntate tamen & mandato veſtræ beatitudinis, ſuper ea re conſulere quamplures tam juris quam ſacræ theologiæ peritos, quorum conſiliis etiam in ſcriptis habitis & mature inter nos diſcuſſis, hæc ſunt quæ eorum & noſtro communi judicio de petitis facultatibus videntur poſſe & debere concedi.

Primum ea quæ in primo & ſecundo capitulo continentur, temperate videlicet cum multitudine delinquente, exemplo ſanctorum patrum & prædeceſſorum veſtræ ſanctitatis, juris ſeveritatem, & ſic concedere dominis legatis ſeu nuntiis facultatem omnes & ſingulos utriuſque ſexus, cujuſcumque qualitatis fuerint, ad cor reverſos & vere & non ſimulate vel ficte ad unitatem eccleſiæ redeuntes, ab omni hæreſi in utroque foro abſolvendi, & communioni fidelium plenarie reſtituendi, remittendo vel moderando ipſorum arbitrio abjurationes & pœnas incurſas ac pœnitentias de jure injungendas, ac ſuper irregularitate quomodolibet incurſa diſpenſandi: ita ut ea non obſtante, in ſacris ordinibus & altaris miniſterio miniſtrare, ac beneficia eccleſiaſtica eis canonice conferenda conſequi, & ſi qua obtineant, de quibus aliis interim a ſede apoſtolica proviſum non fuerit, ut prius retinere valeant.

Tertium etiam capitulum viſum fuit nobis poſſe concedi, videlicet diſpenſando ſuper bigamia contracta per preſbyteros qui contraxerunt cum viduis vel corruptis, cum his qui prætenſis uxoribus relictis vel mortuis ad veram religionem redire voluerint, cum non fuit contracta aliqua bigamia per matrimonium ipſo jure nullum. Tum quia etiam ſuper bigamia præſertim ficta, hæc ſancta ſedes ex cauſa conſuevit diſpenſare.

In quarto capitulo de connubio clericorum, licet ut in re nova ac difficili aliquandiu ſubſtiterimus, nihilominus conſiderantes ſanctitatem veſtram, abſque eo quod aliquis dubitet, id poſſe facere, ac quamplures ejus prædeceſſores Romanos pontifices, non tam urgenti & neceſſaria, ut eſt religionis cauſa, deſuper diſpenſaſſe, viſum fuit quod recepta in loco generali lege, non licere ſcilicet, juxta ſacrorum conciliorum & canonum inſtituta, clericis in ſacris ordinibus, præſertim ſacerdotio conſtitutis, uxores habere, in præteritis caſibus dumtaxat facultas diſpenſandi cum aliquibus ſæcularibus tantum, conſiderata eorum ſingulari qualitate, & cognita ipſorum vera ad Chriſti fidem converſione ac aliis circumſtantiis, ex quibus, ut in ultima concluſione diximus, nec ſcandalum aliis, nec decoloratio ſtatus eccleſiæ univerſalis ſequi valeat, præſertim & omnino citra altaris & alia ſacerdotum miniſteria, & ſublato omni ipſorum ordinum exercitio, ac

citra titulos beneficiorum eccleſiaſticorum, & aliis temperamentis ipſorum legatorum ſeu nunciorum arbitrio adhibendis, onerando in hac parte eorum conſcientias, poſſit concedi.

Quintum capitulum, quod ex primo & ſecundo deſcendit, pariter videtur concedendum, videlicet ut perſonæ abſolutæ poſt peractam pœnitentiam idoneæ a ſuis ordinariis repertæ, valeant ad omnes & ſacros & quoſcumque ordines promoveri.

Sextum etiam, quod continet diſpenſationem ab apoſtaſia, & licentiam manendi extra regularia loca, deſerviendo alicui curato beneficio in habitu clerici ſæcularis, pariter etiam, cum quibuſdam tamen clauſulis in ſimilibus apponi ſolitis, videtur poſſe concedi.

In ſeptimo capite de communione ſub utraque ſpecie, in quo & ſubſtitimus iiſdem rationibus, quibus in quarto capite præcedenti, cogitavimus quod ſublatis erroribus & hæreſibus, quos forſan in ea provincia ſumentes ſub utraque ſpecie incurrunt, inhærendo veſtigiis aliquorum conciliorum, ſanctitatis veſtræ prædeceſſorum, qui cum inſita dicendis conditionibus non negaverunt, poſſet ſimilis facultas concedi humiliter devotionis cauſa petentibus communionem ſub utraque ſpecie, facta prius confeſſione in eccleſia coram ſacerdote tempore ſumtionis euchariſtiæ, Romanam eccleſiam non errare, quæ laïcos ac etiam clericos & ſacerdotes non celebrantes ſtatuit ſub una tantum, panis videlicet ſpecie communicari, ac fateantur pariter ſub una tantum ſpecie quantum ſub utraque, integrum Chriſti corpus exiſtere, necnon talem communionem fieri debere omnino ſeparatim loco vel tempore, ab ea in qua juxta ſolitum & catholicum eccleſiæ ritum una tantum ſpecies ſumitur.

Octavum de delectu ciborum, & jejuniis ac feriis, quod cum cauſa, habita ratione qualitatis perſonarum, præſertim juxta ſtylum curiæ poſſet concedi.

Nonum, in quo de reformatione cleri illius provinciæ tractatur, cum generalis reformatio facienda ſit a veſtra ſanctitate, intervenientibus & ipſis Germanis, quæ in toto orbe, & ſic etiam in dicta provincia recipienda eſt, videtur ceſſare cauſa hujus facultatis dandæ.

Decimum de facultate uniendi, diſmembrandi, applicandi quæcumque eccleſiaſtica etiam regularia beneficia, ad uſus tamen pios, puta pro dote aliorum beneficiorum tenuiorum, ſeu pro ſcholis & ſtudiis univerſalibus aut hoſpitalibus indigentibus, & ſic ex cauſa videtur jure poſſe concedi, dum tamen de beneficiis poſſeſſis & obtentis per catholicos cum ipſorum conſenſu ſeu abſque eorum præjudicio fiat.

Undecimum concernens facultatem componendi cum poſſeſſoribus bonorum eccleſiaſticorum, quod ſimilis facultas dari poſſet ſuper fructibus perceptis ac mobilibus conſumtis, reſtitutis tamen eccleſiæ, cujus erunt bona, ipſis bonis immobilibus, ac omni eo quod ex compoſitione hujuſmodi percipietur in dictæ eccleſiæ ſeu alios pios tantum uſus, arbitrio ipſorum legatorum ſeu nunciorum converſo.

Ad duodecimum quod continet dari in præmiſſis facultatem eiſdem legatis ſeu nunciis alios eorum loco ſubſtituendos, viſum fuit propter multitudinem perſonarum illis indigentium, in omnibus caſibus poſſe concedi, præterquam in quarto de conjugio clericorum, ac decimo & undecimo de bonis eccleſiaſticis, quibus cum raro & parce & ex cauſis urgentibus utendum ſit, viſum fuit ea induſtriæ legatorum ſeu nunciorum, quorum ſanctitas veſtra conſcientiis omnia committit, & non aliorum eſſe remittenda.

Ultimum cum contineat derogationes neceſſarias, eſt correlativum ad præmiſſa.

Reſponſio principum & ſtatuum.

Præsentato Cæſareæ & regiæ Romanorum majeſtati dominorum noſtrorum clementiſſimorum ſcripto, partim ad *interim*, ut vocant, pertinente, convenerunt principes & ſtatus deputati: qui animadverſis ex hac præſentatione majeſtatum ſuarum catholicis & clementiſſimis erga ſe animis, principio qua decet obſervantia gratias ipſi agunt ingentes: deinde ſcripto quatenus anguſtia temporis paſſa fuit diligenter perpenſo, invenerunt illud a catholicorum doctorum ſententia, ſi articuli de communione ſub utraque ſpecie, de conjugiis ſacerdotum, de differentiis jejuniorum & ciborum, atque alia in additione illa ſcripti prædicti dependentia excipiantur non abhorrere.

Cum autem deputatis principibus omnibuſque aliis Chriſtianæ catholicæque religioni adhærentibus ſtatibus, divina aſpirante clementia, hactenus perſpecta fuerint, non ea ſolum quæ in hoc ſcripto commemorantur, ſed etiam quæcumque in eccleſia catholica credenda, tenenda & ſcienda neceſſario ſunt, eaque ad hæc uſque tempora credidérint, conſtituerintque cum eccleſia catholica conſtantiſſime ſentire & perſeverare; ex iis, inquam, & ſequentibus cauſis exiſtimant prædicti catholici principes & ſtatus ad hoc deputati neceſſarium minime eſſe, ut hoc ſcriptum in genere omnibus imperii ſtatibus, & catholicis præſertim, proponatur aut publicetur: idque ex hac etiam cauſa, in primis poſtquam majeſtates ſuæ & ſtatus dogmata quæ in diſceptationem venerunt concilio jam pridem indicto & nondum vel finito vel ſublato judicanda reliquerunt. Præterea quoque cum ſeſſiones aliquot Tridenti ſuper articulo juſtificationis & aliis nonnullis habitæ ſint, ſalutariaque & catholica de-

creta inde emanarint, unde in cura aliqua deputati principes & ſtatus verſantur, ſi publicato in genere hoc ſcripto, concilii auctoritas antevertatur, ne inde diſſentiones, ſimultates aut etiam concilii impedimenta naſcantur.

Poſtremo apud majeſtates ſuas obſcurum non eſſe exiſtimant, quod in his diſſentionibus non ſolum articulos controverſos, ſed etiam abuſuum tollendorum, reformationis Chriſtianæ, atque morum rationem, aliaque multa ad concilii auctoritatem deciſionemque pertinentia tractari, declarari & expediri majori ſtudio oporteat quam in hoc brevi ſcripto factum ſit; adeoque ut quidquid pro conſervatione religionis Chriſtianæ decerni, declarari, immutarique contigerit, id omne non per partes aut a paucis perſonis, ſed plene & interpoſita concilii auctoritate definiri atque Chriſtiano orbi publicari neceſſe eſſe. Attamen ſi Cæſarea majeſtas ſeparatis ſtatibus perſuadere poterit, ut erroribus ſuis, inſtituto, doctrina, atque etiam Auguſtana confeſſione, quæ tamen ab eis obſervata numquam fuit, relicta, hujus ſcripti primis articulis aſſentiri, eos acceptare atque publice confiteri velint, magna profecto ex glorioſo hoc opere laus ad majeſtatem ſuam perveniret, ſpeſque minime dubia eſſet, fore ut errores in fide, auctoritate concilii multo facilius meliuſque tollantur, aut etiam progreſſu temporis; intereaque dum concilium celebratur, ſeparati ſtatus, divina intercedente gratia, ſponte ad eccleſiam catholicam convertentur.

Quod autem ad communionem ſub utraque ſpecie, conjugia ſacerdotum & ciborum atque jejuniorum differentias attinet, hæc quæ ſequuntur a deputatis principibus & ſtatibus circa ea conſiderentur, videlicet cum ſub una ſpecie communio pro laicis a temporibus apoſtolorum obſervata fuerit, nullumque initium hujuſmodi ſumptionis ſacramenti ſub ſpecie panis tantum a quoquam oſtendi poſſet, idque in concilio Conſtantienſi ita teneri oportere præceptum ſit. Deinde cum ab initio ad hunc uſque diem tam in orientali quam in occidentali eccleſia inauditum fuerit preſbyteros in ſacris exiſtentes matrimonium contraxiſſe, & in miniſterio preſbyterali permanſiſſe, aut eis ut id facere poſſent conceſſum fuiſſe. Tertio cum ciborum differentiæ & jejunia in eccleſia ultra multa ſæcula non ex politica, ſed aliis Chriſtianis cauſis ſtatuta mandata & obſervata fuerint, exiſtimare majeſtates ſuæ tamquam imperator & rex catholici, pro ſingulari ſua prudentia facile poſſunt, durum admodum fore ſi aliquid concedatur aut indulgeatur quod conſuetudini Chriſtianæ & præceptis eccleſiæ nunc vel in poſterum adverſari, eamque partem accipi poſſet.

Nam etſi dicatur pontificem maximum hujuſmodi articulis & iis quæ poſitivi juris ſunt diſpenſare poſſe, tamen arbitrantur deputati principes & ſtatus ſanctitatem ſuam poteſtate ſua ad ædificationem & non ad deſtructionem uſuram.

Dubium præterea eſt, an hujuſmodi conſuetudines diuturnæ ab eccleſia catholica receptæ & a conciliis inſtitutæ & confirmatæ pro articulis juris poſitivi haberi debeant aut poſſint, vel an ſummus pontifex cauſam in eis aliquid immutandi habere queat.

Quapropter Cæſaream majeſtatem humillime rogant, eidemque conſulunt deputati principes & ſtatus, ne majeſtas ſua catholicos ſtatus hujuſmodi permiſſione, indulgentia & aggravatione conſcientiarum ſuarum onerare velit, præſertim cum ex his publica & indubitata ſeditio & generalis defectio catholica conſequi poſſit.

Nam ſi catholici ſtatus jam dictos articulos ſeparatos ſtatibus concedendos approbaverint, tacite confiterentur ſeparatos ſtatus numquam ſe proſecutos fuiſſe ſeque fruſtra eis tamdiu reſtitiſſe.

Et ſi catholici ſtatus prædictos articulos impugnandos ſuſceperint, non ſolum acceptato decreto de articulo doctrinæ uſque ad concilii deciſionem reſervando contravenirent, verum etiam ſimultates & diſſidia graviora exſuſcitarent: ſin autem in conniventiam aut tolerantiam publice & expreſſe conſenſerint, excitabunt inter ſuos ſubditos inobedientiam, defectionem, ſeditionem & rebellionem, præſertim hoc tempore, quo promiſcuum vulgus ſuapte ſponte ad libertatem agendorum credendorumque pronum exiſtit, & fortaſſe non abs re dicere poterit, injuria ſibi vetari, quod nunc aliis permittatur, & a catholicis ſtatibus tanto vitæ fortunarumque diſcrimine hactenus oportuerit impugnari, unde in hoc caſu expreſſæ conſenſionis catholicorum ſtatuum in talem tolerantiam, Germania in religione Chriſtiana & obedientia retineri amplius non poterit.

Quo autem animo majeſtas ſua hoc accipiat, quod in ſeparatorum ſtatuum arbitrio poſitum ſit, ſummum veri corporis Chriſti ſacramentum Deum & hominem venerari & adorare, aut neutrum facere debere, ut in fine hujus articuli ſcriptum intelligi & elici poteſt, majeſtas Cæſarea procul dubio apud ſe optime perpendet.

Ceterum poſtquam pacificæ cohabitionis ratio uſque ad concilii deliberationem inſtituenda, quam *Interim* appellant, ab omnibus ſtatibus majeſtatis ſuæ arbitrio permiſſa eſt, in majeſtatis ſuæ voluntate ſitum erit, ad ſeparatorum ſtatuum, caſu quo articulos præſentati ſcripti, quo ad doctrinam per omnia tenere, acceptare, eis aſſentire, ſeſe eo, non progrediendo amplius aut alterando quidpiam, obligare vellent, prærogativam

aut petitionem jam commemoratam connivere tamquam tolerare, non tamen permittere aut approbare, atque id in iis tantum locis iisque ditionibus in quibus schisma hoc invaluit & observatum fuit: catholici enim status ejusmodi apud se suosque subditos tolerare minime vellent, neque etiam possent, sperantque majestatis suæ mentem non esse, ut tolerantia talis apud eos instituatur.

Quod vero ad prædicta attinet, deputatorum principum & procul dubio omnium statuum animus non esset, atque adeo ne possunt quidem majestati suæ ullum modum præscribere. Necessarium tamen erit, ut Cæsarea majestas ad præcavenda cùm prædicta vulgi promiscui incommoda, tum multa alia discrimina in ordinatione illa, quam *Interim* vocant, expresse & severe provideat & præcipiat, atque super tali provisione cum statibus catholicis conveniat, ut omnes status catholicæ religioni adhærentes, & hactenus perseverantes, interea dum concilium procedit, in catholica religione, omnibus ceremoniis ecclesiasticis & externis & consuetudinibus permaneant, subditos suos severe ad hoc constringant, nihilque innovandum aut alterandum, vel ipsi instituant, vel a suis præsumptum ferant.

Neque præterea dubium est Cæsaream majestatem tamquam catholicum principem, omnes personas ecclesiasticas Germanicæ nationis, cum his locis unde pulsi & dejecti sunt, ecclesiis, monasteriis, fundationibus, bonis, jurisdictionibus, libertatibus, immunitatibus, omnibusque rebus, quæ ad conservationem & promotionem horum omnium requiruntur, cum effectu restituturum, & apud ea conservaturum, atque in primis curaturum, ut non solum ii qui in locis perturbatæ religionis catholicæ habitant, atque in veteri religione perstiterunt: verum etiam si qui ab ea desciverunt, atque ad gremium ecclesiæ redire voluerint, ab omni impedimento, pœna & turbatione liberi & immunes existere, atque communione aliisque ecclesiasticis constitutionibus, consuetudinibus, & traditionibus uti fruique possint.

Ad constantem quoque perpetuamque concordiam, necessarium erit, ut provideatur ne separati status catholicorum statuum presbyteros & monachos suscipere, ad se allicere aut retinere possint.

Quidquid vero reliquum est, quod in majestatis suæ ordinatione quæ *Interim* nominatur, pro conservatione certæ concordiæ disponi oportuerit, id vero majestas sua pro excelsi sui intellectus magnitudine absque dubio prudenter considerabit.

Hæc fere sunt quæ per deputatos principes & pro animorum suorum humillima declaratione Cæsaream & regiam Rom. majestates celari minime oportuit, qui in bona spe sunt majestates suas tamquam Cæsaream & regem catholicos æquis hæc clementissimisque animis accepturas, principesque & status clementissime sibi commendatos habituras. Finis.

Communis aliquot episcoporum Gallicanæ ecclesiæ sententia, quam rogati dixerunt, ad hæc duo videlicet, viderenturne mittendi Romam episcopi aliquot, disceptaturi de moribus universæ ecclesiæ? & quid conferent de jure quod sibi Romani pontifices assererent in Provinciam, Britanniamque Gallicam.

Est hoc ad nos relatum a rege nostro Christianissimo HENRICO ex beatissimi patris PAULI papæ nostri litteris, viderenturne nobis Romam esse mittendi aliquot episcopi, qui cum cetetis qui illuc convocati essent, agerent de collapsa corruptaque ecclesiæ disciplina; ad hæc quid conferemus respondendum de jure quod sibi pontifices Romani vindicarent in Provinciam atque Britanniam, eam scilicet quæ Gallici juris est & nominis. Id quod nobis cum ab utroque per honorificum accidit, ut ad nos ea de re referretur, tum alterius paternæ quidem indulgentiæ, alterius humanitati pietatique & regiæ & Christianissimæ tantum nos debere confitemur, ut neutri neque officio neque studio, quamvis vehementissimo, satisfacere posse videamur. Hujus quidem honoris magnitudinem, quando ne gratiis quidem agendis valemus, obtemperandi certe alacritate gratiam quidem testabimur, quod unum nobis reliquum est accepti beneficii.

Itaque quod ad alterum illud superius attinet, de mittendis qui Romæ de moribus constituant, id quidem haud paulo facilius esset explicatu, nisi hoc a rege Christianissimo peteretur, eo tempore potissimum, quo utpote publico Christianorum conventu instituto nec liberum est nobis decernere, nec si nobis hoc integrum sit, reipublicæ commodum.

Etenim hoc in primis considerandum, quem in locum summa rerum Christianarum progressa sit, quid ex eo conducat, quid secus animadvertendum.

Exorta est jam pridem Martini Lutheri pestilentissimi hominis, pestilentior secta, quæ primum ministrorum ecclesiæ auctoritatem, vim deinde sacramentorum & efficaciam labefactans, post in dissimiles secumque pugnantes hæreticorum familias dissecta, omnem admodum Christianæ religionis speciem deformavit ac corrupit integritatem: postremo cum in arcem totius pietatis invasisset, baptismi, eucharistiæ & reliquorum sacramentorum religionem atque sanctitatem evertit.

Ad hæc quæ non alia disciplinæ Christianæ instituta Œcolampadiani, Zwingliani, Bucerianı, Calviniani, cetetæ importunissimæ pestes & immanissimæ violarunt tum scriptis

tis factisque impudentissimis, tum præcipiti quadam & perdita prædicandi, hoc est autem obloquendi veritati, & obtrectandi petulantia: in quo profecto omnem superarunt antiquorum immanitatem & insaniam hæreticorum; quorum ex furore tamen & vecordia hæc rabies profecta est, recentioris quidem, verum haud paulo magis furiosæ amentiæ.

Itum est utcumque obviam a catholicis, & res est libris ac disputationibus acta; nec minus tamen maxima Germaniæ pars, nonnulla Galliæ, Britannia pene tota, maxima ubique perditorum hominum multitudo hoc incendio deflagravit.

Ex eo tempus haud dubie Christiani concilii cœpit esse perneccssarium, ut & isto morbo correpta ecclesiæ viscera curarentur quamprimum, & ab integris arceretur contagio.

Cujus unius remedii permulta extiterunt vetustissima exempla; sed ne ultima repetamus, apostoli, cum de circumcisione gentium a nonnullis esset illata quæstio, convenerunt Jerosolymam: res constitit habito concilio, ne gentes circumcidi cogerentur; secundum hæc tempora ut Simonem, Basilidem, Apellem, Menandrum, cetera ecclesiæ vulnera omittam, Paulumque Samosatenum Antiochiæ publice confutatum ac damnatum, Nicæna synodus adversus Arianorum blasphemias propugnavit, & Trinitatis veritatem in unitate, & in Trinitate unitatis. Stetit pro Spiritus sancti divinitate contra Macedonium, Eunomium, Eudoxium Constantinopolitana; damnavit Ephesina Nestorium duas in Christo personas constituentem, uti unam in eodem Christo naturam asserentem Eutychen abbatem Constantinopolitanum, & Dioscorum; & Nestorium iterum Calchedonensis; altera Constantinopolitana Theodorum. Aliæ alios Christianæ ecclesiæ & religionis hostes.

Hoc exemplo in tanta hæreticorum insolentia ad unicum subsidium pietatis occursum est, universæ videlicet ecclesiæ concilium, ut quibus copiis adhuc res Christiana fuit hæreticis omnibus schismaticisque superior, patrum quidem auctoritatibus, nos iisdem uteremur in non dissimili periculo & graviori etiam, nostro quidem judicio.

Hæc itaque causa quæ fuerit, hoc tempus quam justum, quam necessarium, quot quantisque exemplis nitatur antiquitatis, satis arbitramur esse probatum, ut nec tempore, nec necessitate conventus ipse Tridentinus ulli antiquorum cedere videatur.

Itaque decretus & indictus est a beatissimo patre papa nostro Paulo, adnitente tunc rege nostro Christianissimo Francisco, instante etiam imperatore Carolo, quorum alterius tunc vita functi memoriam laudibus apud omnes homines, lacrymis vero etiam ad Christum & assidua totius ecclesiæ nostræ precatione prosequimur. alterius vitam quoque & salutem qua debemus caritate complectimur, auctoritatem certe utriusque conjunctam præsertim arbitramur esse defendendam. Nam quicquam aut in beatissimi papæ nostri Pauli sanctitate, aut in gravitate Tridentinæ celebritatis desiderare, nec pudoris est nostri, nec recti sincerique judicii. Quid enim? cumne non laudare auctorem possumus, qui in locum successerit principis apostolorum Petri, aut eam non suspicere frequentiam, quæ ecclesiæ totius sustineat dignitatem atque potestatem, cum utrique tot tantaque sint testimonia sanctitatis atque gravitatis.

Apostolis verba sua enunciaturis, non universis tantum, sed singulis etiam Spiritum-sanctum ad principes præsto fore pollicetur Christus, ut neve quid loquantur, neve quid respondeant solliciti sint: neque enim eos fore qui loquerentur, aut responderent, sed Spiritum Patris sui illis omnia quæ dicerent suppeditaturum. Hoc autem præ ceteris Petro tributum videtur hoc argumento, quod qui se improbatum lapidem in scripturis dici intelligeret Christus, quemque Paulus apostolus angularem lapidem ex Esaia, Petrus ipse & offensionis & scandali; idem ille Christus cum Petro hujus nominis notionem communicaverit, *Tu vocaberis*, inquit, *Cephas*. Idem ad nominis sui egregiam ingenuamque professionem Petri, eamdem in eodem denominationem repetivit, addidit & consequentia illa quæ mirifice commemorata sunt, de exædificanda ecclesia, perstatque in ejusdem nominis mysterio discipuli præceptor. De singulari potestate Petri alligandi & solvendi, sunt quamplurima alia, sed hoc vel maximum ad præstantiam, quod ter repetitâ commendatione commisit gregem suum Dominus Petro præter cæteros omnes.

Neque tamen minus se conventui catholico affuturum, & spiritu suo administraturum pollicitus est, nec minorem ceteris quorum gravitatem & auctoritatem sustinent episcopi, quam Petro, cujus dignitatem refert summus pontifex Romanus, & alligandi & expediendi facultatem fecit, atque auctoritatem, remissionem, retentionem peccatorum, & apud Matthæum Sancti Spiritus inspiratione futuram suam præsentiam & gubernationem ecclesiæ sempiternam prædicationisque pollicetur permissionem.

Eumdem autem spiritum Petro atque universæ apostolorum ecclesiæ fuisse, ita probabile est, ut Paulus quoque adscriptus ad illum numerum, eum qui Petrum sublevasset in administrationem circumcisorum testatus sit adjutorem sibi fuisse, & legato & oratori ad gentes, & quidem quemadmodum unum in una Dei ecclesia corpus est, unus est

ſpiritus, unus Dominus, una fides, unus Deus: ita hæc omnia in Petro & apoſtolis in optimo pontifice & optimo præſulum conventu eadem ſunt. Sic id quod eſt ipſum decantatum viri omnium ſapientiſſimi verſibus retinendum eſt ab omnibus, ut eccleſia quam maxime una ſit. *Una*, inquit, *eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Etenim ſic illius ſimplicitas atque conſtantia ſervabitur, ſi unus ſemper fuerit, & boni paſtoris, & veræ eccleſiæ ſenſus, ſecum ſemper ipſe conſentiens, ſed ab alienis diſcedens, niſi forte in illo apoſtolorum conventu Petri principis mentem ab reliquorum apoſtolorum ſenſu, hoc eſt autem ſpiritum a ſpiritu diſcrepare putamus, & in hoc unitatem coarguimus apoſtoli edicti, quod ita habuit: *Viſum eſt Spiritui-ſancto & nobis*, aut nobis illuſit omnibus ſcribens Paulus ad Corinthium illum conventum, quem ut cum ſuo abſentis ſpiritu ad illius inceſti damnationem, unum in locum convenire hortatus eſt, ſummam in eo conſenſionem probavit. In altera ad Corinthios epiſtola inquiens, *Si quid cui conceditis & ego.* Itaque illo eodem inſpirante ſuis omnibus conjuncta partibus eccleſia & ſibi ipſa conveniens, non modo in capite, ſed ne in articulis quidem ullum ſive doctrinæ ſive morum experiri poteſt diſſidium.

Non eſt quidem eccleſia certe hoc modo aliud Paulo quam domus Dei, columna fundamentumque veritatis, & hæc ſane duo cum uno in ſenſu conſpirant, quid abſurdius eſſe queat, quam alterum cum altero committere ſtultis iſtis & inſultis decertationibus. hoc dum quærunt inſeptiſſimi homines, ſummine pontificis auctoritas ſit conciliorum auctoritate potior, an contra. diſſentientium enim partium eſt hujuſmodi dijudicatio & pugnantium inter ſe, non unius ejuſdemque & Dei domini ſpiritu opinionum & voluntatum, ſi forte diſſimiles eſſent ac diverſæ, invicem ſumma reconciliatio. Non patitur hoc eccleſiæ veræ conſenſus, & hoc Paulus ad Corinthios deteſtatur & aſpernatur in enunciatione verbi divini, ut nulla appareat inconſtantia, cujuſmodi videtur in his contrariis verbis ineſſe: eſt & non eſt. quid autem magis ſecum pugnet, quam ſi partes inter ſe concilii alicujus ita diſcrepent, ut idem aliæ affirment, aliæ negent, ut indignitas eadem incidat, quam tanta indignatione Paulus perſequitur, cum hoc inter diſcipulos jactari cognoſceret: ego quidem ſum Cephæ, ego ſum Pauli, ego ſum Apollo. tum enim juſtiſſima & ſanctiſſima animi promotione, velut excandeſcens inquit: *Diviſus eſt in vobis Chriſtus, an Paulus pro vobis crucifixus eſt?*

Paulo poſt idem rem totam ita concludit, ut ne quid diviſionis aut ſectæ admittere videatur, utpote cum ab uno principio totum pendere, ab uno fonte proficiſci & defluere neceſſe ſit: *Ego plantavi*, inquit, *Apollo rigavit; ſed neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.* Ergo ex ipſius Dei majeſtate atque potentia, ex ſua utriuſque dignitate perpendenda eſt utriuſque auctoritas.

Quid autem aut Marcellini papæ cauſa atque abdicatio, aut accuſatio Damaſi, aut Anaſtaſii ſecundi deteſtatio, aut recentiorum nonnullorum invidia pontificum aliorum oberit innocentiæ? Quemadmodum nihil efficient ad elevandam conciliorum catholicorum aut poteſtatem aut fidem actitati ab hæreticis ſchiſmaticiſque conventus, quibus una ſæpe numero oppoſita pontificum Romanorum auctoritas integritatem retinuerit eccleſiæ.

Princeps apoſtolorum Petrus ancillarum atque ſervorum proterviorem vultum non ferens, non modo præceptorem diſſimulavit ſuum, verùm etiam negavit turpiter ac flagitioſe; & idem ille ſocio adminiſtrationis Paulo poſt acceptum quoque Spiritum-ſanctum dignus eſt reprehenſione habitus: haud propterea tamen aut Chriſti miſericordia ex ſuperiore culpa eſt judicatus indignus, aut poſteriori caſtigatione minus ad principatum idoneus. Ita ſe res habet; ſingulorum vitæ ac moribus facillime detrahitur, quamquam eſt apud non iniquos haud admodum difficilis humanæ infirmitatis venia.

Catholicorum porro pontificum ſolemnes conventus ab omni fraudis ſuſpicione vacant, quorum gravitas dignitaſque omni ſuperiorum temporum antiquitatiſque commendatione & fide celebraturſquorum de jure atque amplitudine ſi quid demtum ſit ſemel aut detractum, actum ſit in poſterum de ſubſidio, quod unum ſemper extitit laboranti titubantique religioni, ut omnia mihi ſuſtuliſſe medicamenta reſtituendæ veritatis & ſalutis publicæ videantur, qui vim illam atque religionem ulla ex parte tentari conati ſunt, hoc eſt Spiritus-ſancti vocem labefactare, diminuere majeſtatem, poteſtatem convellere horum auctoritate Romani pontifices ſuam dignitatem confirmaverunt, ut Nicæni, ut Calchedonenſis, ut cæterorum, & eorum illos decretis ſtetiſſe teſtantur canones univerſi cum eorum auctoritate comprobati, tum admixti, adſcriptique pontificiarum epiſtolarum auctoritatibus. Gregorius non minus quam evangeliorum, conciliorum approbat atque veneratur inſtituta. De hiis non multo ſecus Gelaſius ſentit. Ab apoſtolorum canonibus ad quartam & vigeſimam Lugdunenſem alteram ſynodum recenſentur omnes atque comprobantur, papa Zozimus, Gelaſius, Leo, Damaſus, Urbanus, ceteri complures, ita decreta chriſtianorum conventuum confirmant, ut vel Romanis pontificibus præ ceteris omnibus rata ſint. His quantum Auguſtinus tribuerit, Hieronymus, Ambro-

sius, Athanasius, Cyrillus, Chrysostomus infinitum est recensere, quin etiam supervacuum; cum Græci Latinique auctores hos fere secundum sacrarum litterarum dignitatem, sanctitate, auctoritate, fide proximos esse voluerint; quorum de jure non dubitamus eadem illa prædicare, quæ de prædicationis suæ veritate professus est Paulus, ut si quis docuisset secus, detestabilis esset.

Illa ergo & pontificis & concilii auctoritas summa, una atque eadem, auctoritati veterum pontificum, veterum conciliorum nec dissimilis nec dispar; quippe cum cetera omnia convenire non diffiteamur, nec revocetur in dubium: idque multo minus in pontificio conventu ab summo ipso pontifice conventus, qui aut nulla, quod nefas est putare, aut antiqua est sanctitate. Is autem hoc tempore ita habet. cœptus quidem ille est & inchoatus tantum, ut de doctrina, quæ pars erat causæ totius altera, vix disputatio sit ad elementa actionis illius perducta. Deinde sunt cur dicamus omissa, certe intermissa omnia. causam afferunt insalubrem cæli statum & pestilentem aëris intemperiem; quorum nos opinioni libentius accedimus, concedimusque non inviti, de loco transferendi inter partes recte atque ordine convenisse. Verum ut hoc dicere liceat, nimis accelleratam alii aut præcipitatam potius, nec illam plane integram deliberationem fuisse conqueruntur; causam quoque ipsam commentitiam & fictam; & sic adhuc in sententia permanent, ut ne pedem quidem extulerint Tridento; nec ullum præter hunc locum esse concilii fateantur. Graves illi quidem viri & cum dignitate pontificia, tum conditionis excellentia, tum sanctitate morum & commendatione vitæ totius insignes; penes quos autem sit veritas, sic ut de hoc non ambiganus, ex eo tamen res in controversiam venit.

Sic autem rex christianissimus noster Henricus, impressa pietatis a majoribus suis vestigia prosecutus, non consecutus est modo, verum etiam studio vicit superiores, qui beatissimi P. Pauli papæ nostri voluntate provocatus, translatum Bononiam concilium approbavit. Sed ab altera parte Romanorum imperator Carolus perstat perseveratque in patrocinio loci Tridentini. Hinc ad illa ulcera quæ ab hæreticis sunt imposita ecclesiæ, ad discessionem, calamitatem, quæ adhuc pars conjuncta, & una adeo fuerat ecclesia, verendum est in primis, ne quod prope inceptum est in partes abeat, & secessione dilabatur: quod ipsum certe majoris multo & discriminis & damni fuerit, familiæ scilicet ecclesiasticæ jactura, quam futura fuerat hæreticorum, hoc est hominum jamdudum alienorum desperatio, qui tamen ut revocarentur, toto concilio, omnibus ecclesiæ viribus atque opibus actum est. Quanto magis igitur elaborandum est, ne hanc multo graviorem plagam accipiat ecclesia, ut in ea parte, quæ ad hæc tempora stetit sua integritate incolumis, miserabiliter in partes divisa videatur, Christus Dominus apud nos divisus ad labem christiani nominis sempiternam, quod sit argumentum vel maximum adversariis nostris debacchandi vehementius & furiandi. Ut rex christianissimus Henricus in propugnatione Bononiensis loci, imperator Romanus Tridentini inter se dissentiant, quorum ceteris in rebus mirificus consensus est: cui malo ante omnia est nostro quidem judicio occurrendum, & eo remedia omnia adhibenda: nec cogitandum ante quicquam aliud aut tentandum, quam hoc sit dissidium compositum. Concurrunt hæc omnia, imperatoris professio pro Tridentino ad concessum Bononiensem, suspensa omnium expectatio quid concilio futurum sit, ex ea velut offensione major hæreticorum arrogantia, summum integræ partis periculum, armorum metus, quæ omnia non videntur nobis posse admittere perficiendæ rei vel dilationem, vel tergiversationem.

Nam quod Romani interim ad differendum, ut ab iniquis dicitur, remedium convocantur episcopi, qui mores ecclesiæ judicent constituantque; hoc quidem primum res in eam opinionem adduxit, ut initum videatur esse concilium de supprimenda prorsus tractatione publica & religionis, & morum, sive ea est Tridentina, sive Bononiensis. Suppressa sane synodus, ut omnem corruptarum partium sanandam rationem evertit, ita obstruit viam earum servandarum quæ sunt a contagione integræ, & expectationem reliquam aufert in posterum melioris aliquando futuræ ecclesiasticæ conditionis. verum intermittatur tantummodo ne tollatur, differt tamen ea ratio ejus ægritudinis curationem, ejusque periculi cautionem, quam aut primo quoque tempore necesse est expediri, aut vix numquam postea verisimile est explicari posse, nisi forte quæ sua sponte in dies fiunt deteriora, longinquitate temporis neglecta, meliora fiant: aut quæ recentia mala aut parva vix sanari possunt, eisdem inveteratis & majoribus facilius medebimur, aut impedimenti & jam jamque vergenti gravioris incommodi periculo non præsentissimo quoque opus est remedio. Age vero cum salus agitur corporis universi, quæ in discrimine maximo & extremo prope jam diu versatur, hac ne dispositæ curæ ad experiendas corporis gravissime laborantis partes, & quasdam velut redivivas sanandas animum convertemus? Quamquam non negamus in restituendis moribus & excolenda disciplina christianæ vitæ operam optime poni universæ ecclesiæ. Hoc tamen & pars est altera eorum quæ proponebantur indicendo concilio, & si differri non possit, a singulis metropolitanis ad veterum canonum severitatem com-

modus exigetur, & committendum nobis non videtur, ut superioribus maleficiis hoc adjungatur haud parvum malum, ut in sermones hominum malevolorum incurramus, nos nihil minus velle, quam corruptorum principum ecclesiæ administrationis medicinam, quam improbitatem nostram retractare & corrigi, quod solum summum concilium & suscipere & perficere queat, proinde subterfugere nos, nec ullo remedii genere acquiescere.

Et hæc nostra communis omnium sententia, nihil magis necessarium esse, quam controversiam istam locorum componi, ut de B alterutro, aut de tertio aliquo conveniat instituti conventus actiones progredi, ac finem accipere. ad id autem nihil minus conducere, vel nihil plus obesse potius, nihilque magis esse præposterum, quam conventionem istam fieri Romæ.

Neque vero ex quatuor quæ feruntur generibus conciliorum, ignoramus nos uni summo esse obnoxios, cui & jam satisfactum est ex parte, & in posterum non sumus defuturi. Scimus duos maximos simul esse non posse conventus: verum nec venerationi in beatissimum papam PAULUM nostrum, nec in christianissimum nostrum regem HENRICUM observantiæ ullos regionum terminos circumscribimus: id tantummodo censuimus, quod nobis videtur rei christianæ utile, quod ad priorem relationis partem attinet. Nunc igitur ad alteram.

Nam quas pontifex maximus reservationes in Provinciam & Britanniam Gallicam vindicat, quas cancellariæ regulas, quas regressiones, quæ beneficia & expectationum & præventionum, quos tutores vel adjutores functionum ecclesiasticarum, quas mandatorum providendi formulas revocat, deinde pensiones assignatas & edicta censuræ apostolicæ, interdicta, devolutiones, rejectiones, causarum vindicationes, simplices signaturas, aut sine plumbo, diplomata cetera quæ hujusmodi sunt ad scripturarum normam & canonum exigantur.

Romanos equidem pontifices ita summos esse in ecclesia Dei & ministrorum principes confitemur, ita illis ea concedimus omnia, quæ vel CAROLUS rex suo concilio attribuit, quæve ex Anacleti, Zepherini, Calixti, Fabiani, Sixti, Sylvestri, Julii, Gelasii, Symmachi, Gregorii scriptis libeat exaggerare, ut colligat cum Christo, ne spargat, ut ad ædificandum potestate abutatur, modo ne ad diruendum. Quod quidem de beatissimo patre papa nostro PAULO dictum ne sit, cujus de sanctitate, justitia, pietate, sapientia, tot extiterunt documenta, ut de eo dubium non sit, quin totam ecclesiam Christi pastoris summi maximique summus ipse vicarius & ejus ordinis primus qua debet amplectatur caritate atque sollicitudine, nec nobis queat A persuaderi velle illum diligentiæ reliquorum pastorum obesse, aut in alienum gregem, nisi forte necesse sit, incurrere, ita ut laborantium atque desudantium pastorum interpelletur officium.

Petro dictum est hoc uni præter ceteros, *Pasce oves meas*, & præcipua quædam tum solvendi, tum ligandi potestas est attributa: verumtamen & idem ceteris apostolis datum, & prædicandi & docendi, & reliquorum obeundorum munerum imperata diligentia, commissa auctoritas. Ab sese constitutis episcopis ita præcipit Paulus: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus-sanctus posuit episcopos, ut regatis ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Addit lupos in ecclesiam sævientes & rapaces fore, vigilandum esse, suscipiendos infirmos, sed vos præpositos reliquæ familiæ ad expectationem semper advenientis Domini, dubiam atque incertam erectos, excubare jubet Dominus noster JESUS CHRISTUS: quæ quidem omnia confirmari velle atque stabiliri non dubitamus beatissimum patrem papam nostrum Paulum, nec muneris ejus velle implicitam esse aut impeditam functionem. Prædicandum esse verbum, instandum operi, C vel intempestive, arguendum, obsecrandum docet Paulus: illa ergo si non sint episcopis libera, cujusmodi tandem erunt, aut quem habebunt officii & administrationis exitum?

Tito permittit in Creta disponendos & constituendos presbyteros, quemadmodum illum imposuerat ceteris, & episcopum ipsum Dei dispensatorem asserit, id quod ipsum de se ad Corinthios scripserat: sic nos existimet homo, inquit, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Petrus princeps apostolorum, seniores ergo, inquit, qui in vobis sunt obsecro consenior & testis Christi D passionum, & ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator: Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo; & cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.

Ecce quam curam pascendi gregis, quam sollicitudinem ovium suscipi ab omnibus, & E ad unguem servari voluerunt, ut essent ad exemplum conformari Christi pastorum omnium principis, qui ostium ipse est pastor, ut si quis ingressus sit non per eum in ovile, sit fur, sit prædo, sit latro.

Et quidem quid magis alienum sit, quam & providentissimum & vigilantissimum pastorem, defixum ipsum in ea cura, ut nihil agat aliud, nihil curet, nihil de gregis incolumitate & salute, hoc uno labore, opere, studio, vigilantia fungentem, idoneos presbyteros constituentem, satagentem in primis

ne quis non inſtructus, ornatuque ad eam rem rebus omnibus, admittatur, non interpellari modo, ſed opprimi a Deo in ingreſſu aut progreſſu honeſtiſſimi & apprime neceſſarii operis. opprimi autem interventu alienarum operarum, quæ videlicet alieno & judicio & delectu invito illo optimo rei pecuariæ procuratore in gregem immittuntur alienum. oportet enim optimum paſtorem, ut optime officio fungi queat, in eo nullis incommodis implicari, ne rectus ille bene gerendæ rei conatus, ſicubi offenderit, aut ab inſtituto deflectat & avertatur, aut ſubliſtat in medio curſu præpeditus.

Equidem rem ſuam recte atque ordine adminiſtranti, nulla unquam tutorem adjunxit antiquitas, deſipienti & inſano, atque vecordi hæc adhibita ſunt remedia. Et hoc fuit jam olim Romanis pontificibus præcipuum, ut propria ſua ſollicitudine incommoda ſublevarent alienæ vel negligentiævel culpæ, non uti aut ſtrenui impedirentur, aut bene attentis & ſagaciter proſpicientibus interveniretur incommode.

Ac ne quid accideret ejuſmodi, operæ pretium eſt animadvertere quam diligenter præcautum ſit inſtitutis antiquorum; nam cum hoc eſſent ceteri apoſtoli quod eſſet Petrus, pari, ut inquit Cyprianus, conſortio præditi & honoris & poteſtatis, apoſtolorum canones eos ſunt epiſcopos dereſtati, qui alienas dioeceſes invaſiſſent, aut functi eſſent alieno munere. ne primatibus quidem aut metropolitanis id conceſſum, niſi inferiorum ceſſatione & ignavia, a Calixto, Julio, Conſtantinopolitana ſynodo, vel Damaſi & Siricii tempore. Eadem eſt in ſententia Cæleſtinus. Verum hoc profitemur tamen præcipuum ac ſingulare ſummæ ſedi apoſtolicæ, ut ſummum ſit ejus in republica Chriſti omnium eccleſiarum conſilium atque judicium. idque uſurpatum uſitatumque jam inde ab initio eccleſiæ, epiſtolis pontificum locis innumeris, canonibus etiam antiquorum comprobatum, & teſtimonio multo magis Chriſti de principe diſcipulorum Petro, & tradita poſteris antiquitatis illius & præcipui juris religione.

Verum hoc nunc agitur, non quod liceat fieri, ſed quid oporteat: quamquam ne licere quidem dicendum eſt, aut ligare quicquam inique, aut ſolvere diſſolute. Circumventos autem & circumſcriptos ſummam illam undique appellare poteſtatem, opem implorare, ſublevare atque liberare, ſit vel ab ipſo Domino in Petri perſona conſtitutum & ſanctum, ut eſſet quo velut ad unicum præſidium, injuriis oppreſſi aut violati confugerent.

Etenim in eo quod cum Petro Chriſtus loquutus eſt, *Paſce oves meas*, de officio dictum eſt, non depaſtoris injuria. Idem procul dubio de ſumma illa vel ligandi vel abſolvendi jurisdictione, non ut pugnaret aliquid cum Chriſti præceptis, non ut ſaluti publicæ noceret aut derogaret veritati. Id autem adeo verum ac teſtatum antiquorum patrum & recentiorum etiam decretis, ut nulla non hoc idem præ ſe ferat antiquitas, nec eſt neceſſe rem omnibus expeditam ac promtam, aut exemplis aut argumentis onerare.

Uni quidem pontifici Romano ad neceſſitatem eccleſiæ, ad emolumentum, ad fructum, permiſſa ſunt omnia, adverſus inertiam ac ſocordiam ignarorum adverſus ea etiam quæ vitio ac ſcelere principum & miniſtrorum perverſa ſunt, nec uſquam aliter aut lectum eſt aut interpretatum. Nam certe lex juſto poſita non eſt. Paulus quoque nullam eſſe legem aſſerit adverſus caritatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, longanimitatem, manſuetudinem, fidem, modeſtiam, continentiam, caſtitatem.

Non ſunt autem hæc apud nos hoc tempore. hoc ergo agamus ut ſint: prava corrigantur noſtrorum temporum & morum. At ne quæ ab antiquis correcta ſunt depraventur, elaborandum ut meliores ſimus vel inviti, non hoc agendum, ut ſi velimus non poſſimus. adjuvandi ſunt integrorum labores & ſublevandi nonnumquam conſilio; mali ſemper ac ceſſatores aut caſtigatione aut præjudicio, cum opus eſt, impellendi.

Paulus apoſtolus præjudicium in Corinthium illum edidit, ipſis inconſultis edidit Corinthiis, quos ſupinos & remiſſos ſenſerat eſſe in vindicando inceſti graviſſimo turpiſſimoque ſcelere. Johannes Epheſium, quem ad coercendos ſuos attentiorem ſenſerat, non defraudavit ſua auctoritate, ne quid ſecus incidat ac par eſt.

Servari neceſſe eſt antiquitatis præcepta, non corrumpi. Ea de re Zozimus papa graviſſimus ſedis apoſtolicæ auctor, contra patrum decreta ne Romanam quidem eccleſiam quidquam conſtituere poſſe affirmavit, & pontificum decreta ſi decretis antiquorum repugnarent aut evangelicis præceptis, irrita ſint ipſis canonibus. Ita nihil immutari ſine ratione queat, hoc eſt nihil plane quod rectum ſit & æquum, nihil alienum aut contrarium induci; id quoque obtineri præter ceteros intereſt ipſius ſummi, quia ſignatum & velut conſignatum officium eſt tuendæ religionis non modo inſtituendæ.

Hanc eſſe voluntatem, hoc ſtudium, hanc ſollicitudinem beatiſſimi patris papæ noſtri Pauli, non ambigimus, eaque de cauſa pietatem in eo Petri deoſculamur, fidem amplectimur, colimus & veneramur ſanctitatem. Reſervationes autem in Provinciam & Britanniam quas commemorat, quo tandem pacto aut poſſumus accipere, aut cum veterum ſanctitate canonum atque religione con-

gruant, quæ videri queant sæpenumero a præceptione Christi discrepare? quid enim discrepare? Cum Christi documento conferes alium mei gregis designari procuratorem, me inconsulto pontifice, meæ procurationis particulæ; & in hac re mihi summæ potestatis auctoritatem objici, præsertim si nihil est quod in me reprehendatur.

Si in omnes hoc decernitur, nullo discrimine, nullo delectu habito; si nihil interbonos, malos; desides, impigros; inertes, industrios interfit, qui convenire hoc queat cum Domini nostri JESU CHRISTI præceptis, cum decretis apostolorum, conciliorum, pontificum Romanorum?

Atqui quæ feruntur reservationes, expectationes, præventiones, mandata, cetera hujusmodi omnia immittunt hanc labem in ecclesiam Dei, ut confusa sint omnia & permixta tum bonis tum malis cuncta; præcidatur aut revocandæ laudis ecclesiasticæ ratio, aut immutandæ virtutis atque integritatis occasio.

Suspicimus beatissimi patris nostri non minus quam Petri sublimem illam dignitatem; ut illius tamen vestigiis insistamus, in quibus præterquam quod nihil est simile præventionum, nihil expectationum, nihil reservationum, mandatorum, regressuum, regularum cancellariæ. Singulatim hæc si discutiantur, vix cum ullo antiquitatis aut amore aut jure conveniunt, cum evangelicis institutis ne vix quidem, in quibus libera est omnium recta ecclesiæ administratio.

Ad hæc tota ratio reservandorum sacerdotiorum ita recens est, ut ante proxima Romanorum pontificum decreta, simile aliquid non modo dictum, sed ne cogitatum quidem sit. Et ab illo tamen recentissimo jure abhorrent etiam ea quæ nobis sunt proposita toto illo de genere reservandi. Nam cum Lateranensi pugnant concilio, cum juxta sex mensium spatium non sit liberum singulis episcopis deliberare de præficiendo sacerdote; non secus atque occupationes illæ aut præventiones alienæ sunt ab illa Lateranensi constitutione. Et Innocentius III. profitetur se contra canonum instituta & Lateranensis concilii decreta facere nolle. Nec hoc semestris spatii curriculum attentos sed negligentes urget: quod si longius etiam ab antiquorum jure recedimus, non alia ratione receptæ sunt hujusmodi reservationes, quam ut sacerdotum qui aut in Urbe diem suum obiissent, aut in summi pontificis comitatu, sacerdotia pontificis ejusdem Romani judicio & auctoritate in eos conferrentur qui illi idonei visi essent. Quod latius acceptum iter duorum dierum ab Urbe complexum est, & ubique gentium aliquorum Romanorum sacerdotia.

Verum hujusmodi amplificata jurium postmodum habita sunt invidiosa & velut subA contumeliosa, eaque omnia cum sanctione pragmatica, tum fœderis ejus, quod concordatum vocatur, constitutione sublata sunt, præterquam in his sacerdotibus qui Romæ aut in comitatu summi pontificis vita defuncti essent, partim abdicata sunt in Basilienti synodo, partim quodam jure antiquo confirmata; nec temere sit causa alia mandatorum, necnon gratiarum præventivarum, ut dicunt, expectativarumque, quæ decretis universa configuntur, & veterum illorum & sanctionis etiamsi non ita diserte pragmaticæ, & ejus fœderis quod vocant, concordatum longo intervallo sequutum quod confirmavit
B stabilivitque sanctionem illam superiorem. Quocerte jure ut antiquiore & sanctiore standum esse arbitramur, quo scilicet expuncta illa sacerdotiorum controversia, & munerum ecclesiasticorum litigatio incertissima, & in primis omnium infinita perniciosaque concertatio regressionis. Videntur quidem & sua sponte detestabiles, quod jus hereditarium in sacerdotiis affectant, & sunt & Pictavienses & Lateranenses conventus decretis statutisque contrariæ. Jam coadjutoriæ illæ operæ, quoniam nisi aut in mente captis, aut justa quavis alia de causa minus aptis ad sungendum munus, cujus rei singulorum sit epis-
C coporum in sua cujusque procuratione cautio, quorum negligentiæ tamen & culpæ tum judicem tum vindicem & procuratorem non negamus esse debere summum pontificem, præsertim hoc malum si ab ejusdem ordinis principibus qui propius aderunt contemnetur, sed fratres suos præterire silentio aut omnino contemnere non debere.

Nam jura cancellariæ apostolicæ aut regulas, ut loquimur, certam ad rem accepimus jam olim, hactenus tamen ut in vero simili notitia valeant, & in viginti dierum intervallo & in ægroti resignantis voluntate.

D Nomina illa bursarum rejecimus, ceteraque ejusdem generis, indigna, ut videbantur, apostolico nomine, nec premi debere putavimus aut regulis illis alligari liberos.

Delectus sacerdotum & comitia quædam singulis personis, & patronorum auctorumque laicorum jura, mandata etiam quadamtenus accepimus, moderata tamen & ad speciem jam impositæ legis conformata, summum viva, idque tantum modo duplici forma, una si pro alio non scripserimus, altera etiamsi pro alio.

E Pensiones vero illas haud dubie constat longe ab antiquorum disciplina & moribus aberrasse, & abhorrent præterea a canonica constitutione, quæ tamen eo sunt receptæ a nobis, ut componerentur lites, & ne forte resignans inopia premeretur in posterum.

Censuratum vero apostolicarum pervulgationes ob id sumus deprecati, idque pragmaticæ sanctionis auctoritate, ne maximo sumtu a Romano pontifice, sed multo ma-

jore & incommodo & discrimine civium nostrorum repetendæ essent absolutiones.

Modus quoque est interdictis adhibitus, ut ne dicam in Basiliensi conventu, certe in pragmatica nostra sanctione, & illo pacto quod dicimus concordatum. Causa eadem est & auctoritas detractandarum devolutionum, cognitio quoque possessorum sacerdotiorum, concordatorum certo capite causis, fuit ad laicos judices relata, & eisdem præterea attributa Martini V. privilegio.

Idem in perverso usu aut abusu appellari solent abusus nomine, non nisi justissima de causa, cum aliquid ecclesiæ ministri sibi non jure, sed injuria, aut ad judicium aut ad auctoritatem arrogant, contra quæ aut decreta ecclesiæ aut publica placita moliuntur aliquid.

Petitionum autem causæ in sacerdotiis a ministris judicantur ecclesiæ. Sed hoc & lege & more receptum, confirmatumque est apud nos, ne res alio redeat, ut constituantur litteris apostolicis judices a summo pontifice, sic ut causa quasi illius arbitrio disceptetur, a nostris tamen non externis hominibus, nec alibi quam domi.

Simplicia sane aut sine plumbo diplomata, si minus ad finem faciendam sufficiunt aut minus valent, quam ut mittere possint in possessionem, addatur plumbum, non est res tanti, ad eam dumtaxat possessionem, quæ facti a nostris nominatur, quod fieri solitum esse intelligimus, vel patrum nostrorum memoria. Satis alioquin putatum est esse in simplici signatura, quomodo loquimur, ad juris non facti possessionem retinendam. Hoc vero cùm ad deliberandum tum ad constituendum definiendumque est gravissimum, quod ad extremum in ipsa litterarum clausula postulat beatissimus pater papa noster Paulus, ut ne quid vi concordatorum tentetur, nec in Provincia, nec in Britannia, quas gentes cura ceterarum Galliæ gentium excludit, non intelligimus. Etenim quod in eo pacto convenit, hoc est contractum non modo inter summum pontificem & Christianissimum regem, verum multo magis inter apostolicam primamque ecclesiæ catholicæ sedem & regnum Franciæ, haud dubie Christiani nominis primum, ad concordiam rerum atque actionum omnium sempiternam.

Itaque nec temporis illius fuit nec loci, nec regionis exceptio, & jam tum erat utraque, quæ excipitur nunc, natio, & in fide & in clientela Franciæ, altera etiam, Provincia scilicet multos ante annos possessa a rege. Sic quare in regni nominatione utraque non sit comprehensa, nihil causæ inesse cognoscimus. Nam quod de Delphinate agro nominatim actum est, in illa tractatione nihil est simile. Est enim eo jure ager Delphinas, ut numquam cum regio nomine cohæreat, numquam ab rege possideatur, sed a maximo regis filio, si plures nati fuerint, aut si unus tantum ab illo uno teneatur. Quod si Delphinatis agri mentio in illo pacto repellet ab eo jure Britanniam & Provinciam, quod de illis tantum sit, cur non dicatur de ceteris regni partibus, de quibus nihil principue sed communiter cum toto regni corpore actum est. Nec debet res eadem non eodem jure censeri, sed ne differenter quidem a corpore partes seorsum haberi solent.

Ne de Britannia quidem dubitari queat, cum in fide Franciæ perpetua ab ineunte prope regno numquam non fuerit. Quæ ides est repetita justissimis armis Philippi Augusti ac reconciliata. ecclesia quoque vexata Britanniæ a cliente duce ad patrocinium Caroli VI. confugit, prohibitique sunt ab injuria ducis, ac vindicati ministri ecclesiæ Britannicæ: quæ duo antiquitatis monumenta, quid aliud ostendunt, quam perpetuam quamdam resedisse apud reges Franciæ & Britannicæ ecclesiæ & plebis reliquæ tutelam.

Hoc sane a communi omnium sensu & cogitatione abhorreat, si hæc in ceterarum regni partium, quæ eadem fidei conditione conjunctæ, uno regni nomine continentur, consimili causa dissimili jure teneatur.

Nam quod ea post concordiam illam venit in regiam possessionem, id illi, si temporis differentiam demseris, cum multis regni partibus, quæ eodem modo redierunt, commune est. Id etiam cum natura non mutaverit status, conditionem retulit & pleniorem & integriorem. Quin etiam cum ad regem patronum clientelaris ager ille rediisset, hujus institutis regni & quibus utimur legibus hoc perfectum erat, ut cum tota regni mole ac universo corpore una naturæ constitutione & forma putaretur. Infinita ad hæc dici possunt, sed in pauca rem totam conferemus.

Non est sanctitatis, non est pietatis, non est sapientiæ beatissimi patris nostri papæ Pauli, velle in ecclesia, non eadem omnibus recta & legitima convenire, qui ecclesiæ simplicitatem, sub uno capite Christo tuetur summus ipse primusque ministrorum ecclesiæ princeps. sermo divinus unus est omnibus, una fides, unus spiritus. Si qua dissimilia ac pugnantia sunt, hoc nunc agitur, ut in unum rursus coëant sensum ecclesiasticæ universitatis. Non est ejus qui mores corrigendos restituendosque suscipit, aliquid prætermittere non correctum, aut si quid esse pravæ consuetudinis videatur, non advertere. Nihil non libentissimi vel observantissimi filii beatissimo patri nostro permittimus, cui secundum Christum & ejusdem verba plurimum tribuimus, sed ab rege nostro Christianissimo Henrico de ecclesia universa optime merito, humanissime ac liberalissime invitati, quid nobis videretur exposuimus quam potuimus optime. Quomodo autem & a beatissimo patre papa nostro Paulo accipiatur,

& a Chriſtianiſſimo rege noſtro Henrico, in eorum benignitate atque humanitate poſitum eſt.

Bulla nunciorum apoſtolicorum pro reductione Germaniæ cum ſubſtitutione, &c.

PETRUS Dei & apoſtolicæ ſedis gratia Fanenſis, ALOYSIUS Veronenſis, ac SEBASTIANUS Ferentinus epiſcopi, ſanctiſſimi domini noſtri PAULI papæ III. ac ſanctæ ſedis apoſtolicæ per totam Germaniam nuncii ad infra ſcripta ſpecialiter deputati, reverendo in Chriſto patri JODOCO epiſcopo Lubicenſi, ſalutem in Domino & in commiſſis diligentiam debitam, noſtriſque hujuſmodi, immo verius apoſtolicis ſtrmiter obedire mandatis.

Noveritis quod nuper SS. dominus noſter, dominus PAULUS divina providentia papa III. ad inſtantiam & requiſitionem cæſareæ majeſtatis, tam ſuo quam omnium ſacri imperii ordinum nomine, nos ſuos & ſanctæ ſedis apoſtolicæ nuncios, pro reductione multorum populorum Germanicæ nationis, qui ab unione eccleſiæ ſe ſeparaverunt, in Germaniam cum infra ſcriptis facultatibus pro receptione eorum qui ad gremium eccleſiæ redire cupiunt, ad honorem Dei, augmentum fidei, & ſalutem animarum, & ut latius in litteris ejuſdem SS. domini noſtri papæ ſub plumbo expeditis, ſub data Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ MDXLVIII. pridie calendas Septembris pontificatus ſui anno XIV. continetur, deputavit & deſtinavit, quarum tenor talis eſt.

PAULUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus PETRO Fanenſi, ALOYSIO Veronenſi ac SEBASTIANO Ferentino epiſcopis, noſtris & apoſtolicæ ſedis nunciis, S. & A. B. Benedictus Deus & pater Domini noſtri JESU CHRISTI, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui innumeris nos curis circumſeptos in hac procuratione univerſalis eccleſiæ, quæ nobis ab illius divina providentia eſt commendata, ea parte nos conſolari cœpit, qua major dolor urgebat, & majus periculum, niſi divina benignitate remedium aliquod adhiberetur, eidem eccleſiæ imminebat. quid enim magis dolendum fuerat eccleſiæ, cujus exordium ab unitate proficiſcitur, & quam Spiritus-ſanctus ex perſona ejuſdem Chriſti Domini unam eſſe deſignavit dicens: *Una eſt columba mea, perfecta mea*, & nobis qui in ejus miniſterio tamquam pro omnibus rationem reddituri verſamur, quam plures, qui Chriſti veſtimenta ſuſceperunt, a ceterorum communione ſuſpenſos videre; qui cum nec diviſum Chriſtum poſſent confingere, nec eccleſiam quæ Chriſti corpus eſt in duo vel plura dividere, ipſam eccleſiam ſicque indiſciſſam domini tunicam & deſuper contextam per fruſta diſcerpere niterentur. quod nos & omnes principes catholicos, qui eccleſiæ ſtatum ſalvum & tranquillum cupimus eo majore dolore affecit, quod numquam intermittentes eccleſiæ pacem procurare, tantum aberat ut quicquam proficeremus, quod etiam omnia in dies labi in deterius experiebamur. In hoc vero rerum ſtatu & eccleſiæ periculo, cum maxime affligeremur, illa nos ſpe primum ſuſtentabamur, quam domini verba in omni eccleſiæ perturbatione nos habere jubent, qui futuros graves ſathanæ contra eccleſiam tumultus prædicens, remedium ſimul, & qualis eſſet futurus eventus, demonſtravit, cum ad primos ejus paſtores verba faciens dixit: *Sathan expetivit, ut vos cribaret tamquam triticum*, & ſtatim converſo ad Petrum ſermone ait: *Ego autem pro te, Petre, rogavi, ut non deficiat fides tua.* In hoc ſignificans fidem Petri, ejus oratione confirmatam, illam futuram, quæ triticum eccleſiæ contra omnes ſathanæ tumultus conſervaret, qui non alium exitum habituri eſſent, præter eum qui cribrandi verbo eſt ſignificatus, ut eccleſia purgatior cum a ſathana agitaretur fieret, & Petri fides, dum quod purgatum erat conſervaret, redderetur illuſtrior ad ejus gloriam, qui pro ea oravit.

Hac igitur ſpe cum vos primum conſolaremur, tum vero in ea magis ſumus confirmati, poſtquam concilii œcumenici neceſſarium & conſuetum ſedis apoſtolicæ remedium, ad purganda omnia, quæ ſathanæ malitia in dogmatibus vel in moribus eccleſiam invaſerant mala, adhibuimus; cujus quidem fructus cum in aliis provinciis ſtatim appareret; idem quoque ut in nobiliſſima & latiſſima Germaniæ provincia fieret votis omnibus a Deo optimo maximo petebamus, quam variis ac plurimis in religione diſſenſionibus & controverſiis jam multos annos præ ceteris Chriſtianis provinciis, magno cum animi noſtri dolore, agitari vidimus. Cumque ob id etiam cariſſimus in Chriſto filius noſter CAROLUS Romanorum imperator ſemper auguſtus poſtulaverit, ut legatos noſtros in eam provinciam mitteremus, qui pro hujuſmodi diſſenſionibus & controverſiis ſedandis præſentaneam aliquam curationem adferrent; nos qui hoc illi provinciæ maxime ſalutare & ad reſtituendam eccleſiæ pacem admodum validum & potens remedium eſſe ſperamus, ac certo nobis perſuademus brevi gloriam Dei in ipſius Germaniæ unanimitate ac eccleſiæ obedientia & unitate viſuros, habita ſuper iis cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum conſilio & aſſenſu, fraternitates veſtras, de quarum pietate, doctrina, & prudentia plurimum in domino confidimus, in Germaniam mittendos duximus. primum quidem ut illis quorum Deus corda tetigerit, ad fidei catholicæ unitatem declaretis ob paternum noſtrum quem erga illos animum gerimus, nos non tantum promtos eſſe omni paterna indulgentia & caritate eos benigne amplecti, ſed quoad nos attinet, pro ea poteſtate

reſtate quam a Deo patre miſericordiarum per ſanguinem filii ſui partam habemus, nulla in re reſtrictos aut difficiles futuros, ad eis indulgendum, modo non leges dare, ſed accipere velint, præſertim quas acceptas a majoribus noſtris ipſe Dominus omnium & eccleſiæ conſenſus illis & nobis ſervandas dedit.

His itaque & hujuſmodi monitionibus animos illorum in obedientia & ceterorum communione, quam veram niſi in unitate conſtat eſſe non poſſe, omni veſtra diligentia confirmabitis, & hoc cum illis vobis agendum; & hæc ſumma mandatorum veſtrorum erit ut in illorum animis pulcritudinem & ſanctitatem veteris diſciplinæ, qua maxime ſponſa Chriſti ornatur, omni mitiori ratione inſeratis. Quod ſi poſt adhibitam omnem ſalutarem admonitionem, juxta veſtram conſcientiam, abſque publico ſcandalo, quædam de antiquæ diſciplinæ ſeveritate remittenda eſſe judicaveritis, quibus in rebus fieri poſſit, facultates quas vobis per præſentes concedimus & præſcribimus, extra quas progredi vobis non licebit, declarabunt. De ſimilibus igitur conſilio & aſſenſu ac apoſtolicæ poteſtatis plenitudine vobis & cum conſenſu reliquorum duorum cuilibet veſtrum, ſeu ſi unus ex vobis legitimo impedimento detentus intereſſe non poterit, ceteris duobus, omnes & ſingulas utriuſque ſexus tam laïcas quam eccleſiaſticas, ſeculares & quorumvis ordinum regulares perſonas, in quibuſvis etiam ſacris ordinibus conſtitutas, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis & qualitatis exiſtant, ac quacumque eccleſiaſtica etiam epiſcopali, archiepiſcopali & patriarchali, aut mundana, etiam marchionali, ducali aut regia dignitate præfulgeant; etiamſi capitulum, collegium, univerſitas ſeu communitas fuerint, quarumcumque hæreſum aut novarum ſectarum profeſſores, aut in eis culpabiles vel ſuſpectas, ac credentes, receptores & fautores eorum, etiamſi relapſæ fuerint, eorum errores recognoſcentes, & de illis dolentes, & ad orthodoxam fidem recipi humiliter poſtulantes, cognita in eis vera & non ficta aut ſimulata pœnitentia, ab omnibus & ſingulis per eos perpetratis, hæreſes & ab eadem fide apoſtaſias, blaſphemias & alios quoſcumque errores, etiam ſub generali ſermone non venientes. peccatis, criminibus, exceſſibus & delictis; necnon excommunicationum, ſuſpenſionum, interdictorum, & aliis eccleſiaſticis cenſuris & pœnis in eos præmiſſorum occaſione a jure vel ab homine latis & promulgatis, etiamſi in eis triginta & pluribus annis inſorduerint, & eorum abſolutio nobis & dictæ ſedi, etiam per litteras in die cœnæ Domini legi conſuetas, reſervata exiſtat; quorum omnium qualitates & circumſtantias præſentibus haberi volumus pro expreſſis, in utroque, conſcientiæ videlicet, & contentioſo foro plenarie; ita ut ſuper hujuſmodi crimin

A

B

C

D

E

bus, exceſſibus & delictis per eos uſque ad diem abſolutionis & liberationis de ſuper faciendarum commiſſis nullatenus inquiri, accuſari, denuntiari aut moleſtari poſſint, abſolvendi & liberandi, ac aliorum Chriſti fidelium conſortio aggregandi; necnon cum eis ſuper irregularitate per eos præmiſſorum occaſione, etiam quia ſic ligati miſſas & alia divina officia etiam contra ritus & ceremonias ab eccleſia hactenus probatos vel uſitatos celebraverint, aut illis alias ſe immiſcuerint, contracta; necnon bigamia per eoſdem clericos ſeculares vel regulares vere aut ficte ſeu alias qualitercumque incurſa, etiamſi ex eo quod iidem clerici in ſacris conſtituti cum viduis vel alias corruptis matrimonium de facto contraxerint, prætendatur; quodque bigamia & irregularitate ac aliis præmiſſis non obſtantibus, in eorum ordinibus, dummodo ante eorum lapſum in hæreſim hujuſmodi rite & legitime promoti vel ordinati fuerint, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, & quæcumque etiam curata beneficia ſæcularia vel regularia, ut prius, dummodo ſuper eis alteri jus quæſitum non exiſtat, retinere, & non promoti ad omnes etiam ſacros & preſbyteratus ordines ab eorum ordinariis, ſi digni & idonei reperti fuerint, promoveri, ac beneficia eccleſiaſtica, ſi eis alias canonice conferantur, recipere & retinere valeant, diſpenſandi & indulgendi, ac omnem inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam ex præmiſſis quomodolibet inſurgentem, penitus & omnino abolendi; necnon ad priſtinos honores, dignitates, famam, & patriam ac bona etiam confiſcata in priſtinumque & eum in quo ante præmiſſa quomodolibet erant ſtatum: ita ut omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, favoribus & indultis quibus ceteri Chriſti fideles gaudent & gaudere quomodolibet poſſunt, uti & gaudere valeant, in omnibus & per omnia perinde ac ſi a fide catholica numquam defeciſſent, reſtituendi, reponendi & reintegrandi, ac eis dummodo corde contriti eorum errata & exceſſus alicui per eos eligendo catholico confeſſori ſacramentaliter confiteantur, ac pœnitentiam ſalutarem eis per ipſum confeſſorem propterea injungendam omnino adimpleant, omnem publicam confeſſionem, abjurationem, renuntiationem, purgationem & pœnitentiam jure debitam arbitrio veſtro moderandi, vel in totum remittendi. Necnon communitates & univerſitates ac ſingulares perſonas quaſcumque a quibuſvis illicitis pactionibus & conventionibus per eos cum dictis aberrantibus ſeu in eorum favorem quomodolibet initis, & eis præſtitis juramentis & homagiis, illorumque omnium obſervatione, & ſi quem hactenus incurrerint, perjurii reatu etiam abſolvendi & juramenta relaxandi, ac quoſcumque regulares & religioſos etiam in hæ-

resim hujusmodi lapsos, extra eorum regularia loca absque dictæ sedis licentia vagantes, ab apostatiæ reatu, & excommunicationis aliisque censuris & pœnis ecclesiasticis per eos propterea etiam juxta suorum ordinum instituta incursis, pariter absolvendi, ac cum eis ut alicui beneficio ecclesiastico curato, de illud obtinentis consensu, etiam in habitu clerici sæcularis, habitum suum regularem sub honesta toga presbyteri sæcularis deferendo deservire, & extra eadem regularia loca remanere libere & licite possint dispensandi, necnon quibusvis personis etiam ecclesiasticis, ut quadragesimalibus & aliis anni temporibus & diebus, quibus esus ovorum & carnium est de jure prohibitus, butyro, caseo ac aliis lacticiniis & dictis ovis & carnibus, de utriusque seu alterius spiritualis, qui catholicus existat, medici consilio, aut locorum & personarum qualitate inspecta, ex defectu piscium & olei, vel indispositione personarum earumdem, seu alia causa legitima, id vobis faciendum videbitur, vestro arbitrio uti & vesci possint, indulgendi & concedendi, necnon feriarum numerum juxta Lugdunense concilium, seu aliàs arbitrio vestro, dummodo singuli dies Dominici & nativitatis ac resurrectionis Dominicæ & pentecostes una cum duobus illarum singularum sequentibus diebus, necnon ascensionis etiam Dominicæ, & corporis Christi, ac circumcisionis & epiphaniæ, necnon purificationis & assumptionis, ac nativitatis B. Mariæ, & S. Johannis Baptistæ, necnon singulorum apostolorum & evangelistarum, ac celebritatis Omnium sanctorum festivitates sanctificentur, minuendi & reducendi. Præterea iis qui hactenus contra statutum ecclesiæ communionem sub utraque specie sumere præsumserint, si ut id eis concedatur, humiliter devotionis causa petierint, sublatis a se antea singulis erroribus & hæresibus, vestigiis patrum in concilio Constantiensi tunc existentium, ac aliquorum prædecessorum nostrorum inhærendo, facta prius per eos confessione, in ecclesia coram catholico sacerdote, tempore sumtionis eucharistiæ sacræ, tantum sub una quantum sub utraque specie, verum videlicet Christi Domini nostri & integrum corpus contineri, catholicam ecclesiam non errare, quæ sacerdotibus celebrantibus dumtaxat exceptis, ceteros tam laïcos quam clericos sub una, videlicet panis specie communicare statuit, sub utraque specie, ut præfertur, ad eorum vitam, vel ad tempus de quo vobis videbitur, communicare valeant, separatim tamen loco & tempore, ab ea quæ juxta institutum hujusmodi sub una tantum specie datur, etiam concedendi & indulgendi.

Insuper quæcumque beneficia ecclesiastica tam sæcularia quam regularia, etiam quæ per rectores catholicos possidentur, de ipsorum tamen catholicorum rectorum consensu, seu absque eorum præjudicio cuicumque alteri beneficio ecclesiastico, ob ejus fructuum tenuitatem, aut hospitali jam erecto vel erigendo, seu studio universali, vel scholis litterariis uniendi, annectendi, & incorporandi, aut fructus, redditus & proventus, seu bona eorumdem beneficiorum dividendi, separandi & dismembrandi, ac eorumdem divisorum, separatorum & dismembratorum partem aliis beneficiis seu hospitalibus vel studiis, aut scholis, seu piis usibus, similiter arbitrio vestro, perpetuo applicandi & appropriandi, ac cum possessoribus bonorum ecclesiasticorum, restitutis in primis immobilibus per eos indebite detentis, super fructibus male percepris ac bonis mobilibus consumtis concordandi & transigendi, ac eos desuper liberandi ac quietandi, ac quicquid ex concordiis & transactionibus hujusmodi provenerit, in ecclesiæ cujus erunt bona, vel in alios pios tantum usus convertendi, omniaque & singula alia quæ in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria & opportuna esse cognoveritis, faciendi, dicendi, gerendi, & exercendi: necnon contradictores quoslibet & rebelles, ac vobis in præmissis non parentes per sententias, censuras & pœnas ecclesiasticas, ac quascumque alia juris & facti remedia, appellatione postposita compescendi, ac legitimis super iis habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas hujusmodi etiam iteratis vicibus aggravandi, ac auxilium brachii sæcularis, si opus fuerit, invocandi: necnon per vos omnes insimul, catholicos locorum ordinarios aut alias personas Deum timentes, fide insignes, & litterarum scientia præditas, ac gravitate morum conspicuas & ætate venerandas, de quarum probitate & circumspectione ac caritatis zelo plena fiducia concipi possit, ad præmissa omnia cum simili aut limitata potestate, ac unione beneficiorum seu eorum fructuum separatione, & applicatione, ac concordia cum possessoribus bonorum ecclesiasticorum, & eorum liberatione dumtaxat exceptis, substituendi & subdelegandi plenam & liberam apostolica auctoritate, tenore præsentium, ex certa scientia concedimus facultatem & potestatem. Decernentes omnia & singula per vos seu a vobis pro tempore substitutos & subdelegatos, vigore præsentium, & illarum forma servata aliàs rite & recte pro tempore facta & gesta, valida & efficacia fore, suosque effectus sortiri, ac ab omnibus immobiliter servari debere, nec ea aut præsentes litteras de surreptionis aut obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari vel impugnari posse, sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscumque judices & commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii auditores in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & auctoritate &

facultate interpretandi, judicari & definiri debere, ac si secus super iis a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane, non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus, synodalibus & generalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, etiam pluries emanatis, ac in corpore juris clausis, & quibusvis litteris per nos & prædecessores nostros ac dictam sedem cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis & decretis concessis & emanatis, ac innovatis; necnon quarumvis & cathedralium & metropolitanarum ac collegiatarum ecclesiarum; necnon monasteriorum & aliorum regularium locorum quorumlibet ac quorumcumque ordinum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione expressa, specifica & individua mentio habenda esset, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut iis aliquibus communiter & divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem.

Volumus autem quod ii qui per vos aut substitutos vel subdelegatos vestros vigore præsentium quovis modo absoluti fuerint, si eis per vos aut substitutos & subdelegatos prædictos specialis pœnitentia injuncta non fuerit, pœnitentiam per catholicum confessorem, quem duxerint eligendum, pro præmissis eis injungendam adimplere omnino teneantur; alioquin absolutiones illis pro tempore concessæ eis minime suffragentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MDXLVIII. pridie calendas Septembris, pontificatus nostri anno XIV.

Signat. *R. de Saint Marsal.*

Nos igitur mandatis apostolicis obedire volentes, cum primum nobis oblata fuit occasio, ad provinciam Germaniæ pro præmissorum executione, & successive ad Cæsaream majestatem, ut de modo executionis præmissarum facultatum ageremus, accessimus. Cognoscentes autem difficile admodum & fere impossibile esse, ut nos in omnibus locis in quibus usus dictarum facultatum necessarius est, personaliter interesse possimus; nobisque propterea ad substitutionis remedium necessario deveniendum esse, te de cujus pietate, religione, integritate vitæ, gravitate morum & litterarum scientia plurimum in Domino confidimus, juxta facultatem nobis concessam, vigore clausulæ in dictis litteris contentæ, quæ incipit, *Necnon per vos omnes insimul catholicos, &c.* ad infrascripta specialiter instituimus & subrogamus, ac tibi vices nostras concedimus: in primis ut omnes & singulas utriusque sexus tam laicas quam ecclesiasticas, sæculares & quorumvis ordinum regulares personas, in quibuscumque sacris etiam ordinibus constitutas, cujuscumque status, gradus, conditionis & qualitatis existant; etiamsi ducali, marchionali, aut alia quacumque majori vel minori præfulgeant dignitate, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ac cathedralium & collegiatarum ecclesiarum præpositis jurisdictionem habentibus: necnon illis qui bona ecclesiarum aut aliorum piorum locorum occuparunt, sive occupata detinent, restitutione non facta, dumtaxat exceptis, quos nobis specialiter reservamus: quarumcumque hæresum aut novarum sectarum professores, aut in eis culpabiles vel suspectas, ac credentes, receptores & fautores earum, etiamsi relapsæ fuerint, suos errores tamen recognoscentes, & de illis dolentes, & ad orthodoxam fidem redire postulantes, cognita in eis vera & non ficta aut simulata pœnitentia, ab omnibus & singulis per eos perpetratis, hæreses & ab eadem fide apostasias, blasphemias & alios quoscumque errores, etiam sub generali sermone non venientes sapientibus, peccatis, criminibus, excessibus & delictis: necnon excommunicationum, suspensionum, interdictorum, & aliis ecclesiasticis ac temporalibus etiam corporis afflictivis & capitalibus sententiis, censuris & pœnis in eos præmissorum occasione a jure vel ab homine latis & promulgatis, etsi in eis triginta & pluribus annis inforduerint; & eorum absolutio sanctissimo domino nostro & sedi apostolicæ etiam per litteras in die cœnæ Domini legi consuetas specialiter reservata existat: quorum omnium qualitates & circumstantias præsentibus volumus haberi pro expressis, in utroque, conscientiæ videlicet & contentioso foro; ita ut super hujusmodi criminibus & excessibus & delictis usque ad diem absolutionis & liberationis desuper faciendarum per eos commissis, nullatenus inquiri, accusari, denuntiari aut molestari possint, absolvere & liberare, ac aliorum Christi fidelium consortio aggregare. Necnon cum eis super irregularitate per eos præmissorum occasione; & quia sic ligati missas & alia divina officia etiam contra ritus & ceremonias hactenus ab ecclesia probatos & usitatos celebraverint, aut alias se immiscuerint, contracta: necnon

bigamia per eosdem clericos sæculares vel regulares vere aut ficte, seu aliàs qualitercumque incursa; etiamsi ex eo quod iidem clerici in sacris constituti cum viduis vel aliàs corruptis matrimonium de facto contraxerint, prætendatur; quodque bigamia & irregularitate ac aliis præmissis non obstantibus, in eorum ordinibus, dummodo ante eorum lapsum in hæresim hujusmodi, rite & legitime promoti & ordinati fuerint, etiam in altaris ministerio ministrare, & quæcumque & qualiacumque etiam curata beneficia, sæcularia vel regularia, ut prius, dummodo super eis alteri jus quæsitum non existat retinere, & non promoti ad omnes etiam sacros presbyteratus ordines ab eorum ordinariis, si digni & idonei reperti fuerint, promoveri, ac beneficia ecclesiastica, si eis alias canonice conferantur, recipere & retinere valeant; rejectis & expulsis tamen prius uxoribus sic de facto sibi conjunctis & copulatis, dispensare & indulgere, ac omnem inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam ex præmissis quomodolibet insurgentem penitus & omnino abolere; necnon ad pristinos honores, dignitates; famam & patriam, & bona etiam confiscata in pristinum, & in eum in quo ante præmissa erant statum; ita ut omnibus & singulis gratiis, privilegiis, favoribus & indultis quibus ceteri Christi fideles gaudent & gaudere quomodolibet possunt, uti & gaudere valeant in omnibus & per omnia, ac si a fide catholica in aliquo non defecissent, restituere & reponere ac reintegrare, & eis dummodo corde contriti eorum errata & excessus alicui per te eligendo catholico confessori sacramentaliter confiteantur, & pœnitentiam salutarem eis per ipsum confessorem propterea injungendam omnino adimpleant, omnem publicam confessionem, abjurationem, renuntiationem, purgationem & pœnitentiam jure debitam arbitrio tuo moderare, adhibita tamen per te moderatione, ut clerici sæculares vel regulares, qui per te absoluti & restituti fuerint, per aliquod tempus arbitrio tuo juxta necessitatem locorum præfigendum, apud aliquam ædem sacram vel monasterium, aut locum alium idoneum sequestrati a ministerio altaris abstineant, quascumque etiam personas a quibusvis illicitis pactionibus aut conventionibus per eos cum dictis aberrantibus, seu in eorum favorem quomodolibet initis, & eis præstitis juramentis & homagiis, illorumque omnium observatione, & si quem hactenus eorum occasione incurrerint perjurii reatum, etiam absolvere, & juramenta ipsa relaxare, ac quoscumque regulares & religiosos etiam in hæresim hujusmodi, ut præfertur, lapsos, qui extra eorum regularia loca absque dictæ sedis licentia vagantur, ab apostasiæ reatu & excommunicationis aliisque censuris & pœnis ecclesiasticis, per eos propterea etiam juxta suorum ordinum statuta incursis, pariter absolvere, & cum eis, ut alicui beneficio ecclesiastico etiam curato, de illud obtinentis consensu, etiam in habitu clerici sæcularis, habitum suum regularem sub honesta toga presbyteri sæcularis deferendo, deservire, & extra eadem regularia loca remanere libere & licite possint dispensare: necnon quibusvis personis etiam ecclesiasticis, ut quadragesimalibus & aliis anni temporibus, & diebus quibus esus ovorum & carnium est de jure prohibitus, butyro, caseo, & aliis lacticiniis, ac dictis ovis & carnibus, de consilio tamen utriusque, seu saltem spiritualis per te eligendi, qui catholicus existat, medici, aut alia legitima causa subsistente, eaque tantum durante, uti & vesci possint indulgere; necnon cum iis qui hactenus contra statutum ecclesiæ communionem sub utraque specie sumere præsumserunt, si aliter ad gremium ecclesiæ reduci non possint, ad tempus de quo tibi videbitur saluti animarum eorum expedire, non tamen ultra determinationem quæ desuper per œcumenicum legitimumque concilium fieri contigerit; in ceteris tamen juxta formam & tenorem præinsertarum litterarum dispensare, & cum eis ut communionem sub utraque specie recipere possint, indulgere possis & valeas; notificantes nihilominus per te ad dispensationem hujusmodi communionis sub utraque specie, & esus carnium & aliorum, nonnisi cum magna maturitate, ac cum evidenti ecclesiæ utilitate & animarum salute deveniendum esse, super quibus ac omnibus aliis præmissis conscientiam tuam oneramus.

Volumus autem & expresse inhibemus, ut nec per te, sive ministros tuos, mediate vel immediate aliquid quovis colore, etiam cartæ vel sigilli, seu laboris alicujus ministri, seu notarii, aut alias quomodolibet recipiatur; cum hæc omnia gratis concedenda sint & concedi mandamus. In quibus si, ut speramus, te solertem, vigilantem ac ut tantum decet negotium, probum & integrum te exhibueris, apud suam sanctitatem, Cæsaream majestatem ac catholicos omnes laudem magnam & gloriam consequeris, & a Deo optimo maximo æternæ beatitudinis retributionem sperare poteris. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præsentes litteras nostras fieri, & per notarium nostrum subscribi, sigillorumque nostrorum impressione muniri mandavimus. Datum & actum Bruxellæ, Cameracensis diœcesis, sub anno a Nativitate Domini MDXLIX. indictione VII. septimo calendas Junii, pontificatus prælibati SS. D. N. domini PAULI papæ III. anno XV. præsentibus ibidem discretis viris Adriano, Juliano, & Lazaro Branconio clericis Pisaurien sis & Januensis diœcesis, testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et quia ego Nicolaus *Driet* clericus Colonienſis dioeceſis, publicus apoſtolica auctoritate, necnon ſacri œcumenici & generalis, concilii notarius prædictæ ſubſtitutioni, poteſtatis dationi, aliiſque præmiſſis præſens interfui, ideo ſubſcriptum ſubſtitutionis inſtrumentum confeci, ſubſcripſi; & una cum præfatorum reverendiſſimorum dominorum nunciorum ſigillorum impreſſione publicavi in fide præmiſſorum omnium rogatus.

Subſtituti jam expediti.

Reverendiſſimus P. D. epiſcopus Patavienſis, R. P. D. epiſcopus Lubicenſis, R. P. D. epiſcopus Bambergenſis, R. D. P. epiſcopus Ratzeburgenſis, R. P. D. epiſcopus Eiſtetenſis, R. P. D. epiſcopus Hildenſemenſis, R. P. D. epiſcopus Argentinenſis, R. P. D. epiſcopus Spirenſis, R. P. D. epiſcopus Conſtantienſis, R. P. D. epiſcopus Trajectenſis, R. P. D. epiſcopus Ratiſbonenſis, R. P. D. epiſcopus Nurembergenſis, R. P. D. epiſcopus Sidonienſis ſuffraganei Maguntinenſis, D. Franciſcus *Bonvallet* abbas Luxovienſis adminiſtrator archiepiſcopatus Biſuntinenſis, D. Gerricus abbas in *Vengarten* & *Ochſenhauſen*, D. Henricus abbas in *Maulbrun*, D. Volfangus abbas Campidonenſis, D. Johannes Gropperus ſcholaſticus S. Gereonis Colonienſis, D. Volfangus præpoſitus in *Bertolgaden* Salzburgenſis dioeceſis, D. Everdus *Bilbych* provincialis ordinis Car. provinciæ Colonienſis.

Subſtituti nondum expediti.

Reverend. & illuſtriſſimi Domini. { cardinales Auguſtanus. archiepiſcopus Moguntinus. archiepiſcopus Colonienſis. archiepiſcopus Trevirenſis. } Imperii Electores.

R. P. D. epiſcopus Herbipolenſis, R. P. D. ſuffraganeus Colonienſis, R. P. D. deſignatus ſuffraganeus Monaſterienſis. D. Johannes Cochleus canonicus Ratiſlavienſis. D. Jilanus provincialis ordinis Prædicatorum per Germaniam. D. Prior Cartuſianorum apud Coloniam. D. Ambroſius Pelargus ordinis Prædicatorum.

Breve citationis prælatorum tam ex Tridento quam e Bononia.

PAULUS papa III. venerabili fratri N. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. In eo ſtatu res Chriſtianæ reipublicæ conſtitutæ ſunt, ut matura proviſione omnino indigeant. Quamobrem quid potiſſimum in re tam ardua nobis faciendum ſit cogitantes, decrevimus non ſolum venerabiles fratres noſtros S. R. E. cardinales in conſilium adhibere, ſed multorum etiam aliorum prælatorum ſententiam intelligere: inter quos cum fraternitas tua nobis occurriſſet, eam ad nos duximus evocandam. Proinde hortamur te A in Domino, tibique in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut intra quadraginta dies poſt præſentium receptionem, perſonaliter ad nos venias. Quæ enim conſilia ad publicam & univerſalem utilitatem nobis afferes libenter audiemus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die decima octava Julii MDXLIX. pontificatus noſtri anno XV.

Ex Tridento vocati.

Cardinalis Paceus epiſcopus Giennenſis, archiepiſcopus Panormitanus, epiſcopus Calagoritanus, epiſcopus Pacenſis.

E Bononia vocati. B

Archiepiſcopus Upſalenſis Gothus, archiepiſcopus Naxienſis Græcus, epiſcopus Noviomenſis Gallus, epiſcopus Vigornienſis Anglus.

Breve aliud ad prælatos Tridenti reſidentes.

PAULUS papa III. venerabili fratri N. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quod nobis ad has litteras, quibus te de his quæ ad univerſalem rempublicam pertinent, cum aliis prælatis conſultaturum vocavimus, reſpondes te iſthic expectare, donec Deus optimus, maximus quæ turbata ſunt in eccleſia ſua componat: ideoque te excuſatum haC beri poſtulas, ſi ad nos hoc tempore non proficiſceris: ſane haud gravate excuſationes tuas admiſiſſemus, ſi & legitimæ eſſent, & ejuſmodi quæ a nobis probari poſſint. Verum conſiderantes, quemadmodum ſcribis, te non tua ſponte, ſed juſſu noſtro iſthuc veniſſe, haud facile nobis perſuadere poſſumus, quin idem quoque & nunc facias, præſertim cum ad id ipſum voceris, cujus gratia te iſthic præſtolari ſignificaſti, hoc eſt ut concordi ſtudio ea quæ ad commodum publicum & Dei gloriam & eccleſiæ inſtaurationem pertinent pertractentur. Quare ſit ut non videamus D quomodo ex cauſis quas affers, legitime excuſari poſſis; & qui nobiſcum in partem ſollicitudinis vocatus es, velis officio tuo & eccleſiæ deeſſe, & capiti tuo non obedire, cui & Domini voce & juramento aſtringeris. Verumtamen utcumque ſeſe res habebit, non deſiſtemus a propoſito noſtro, prout gregis nobis a Deo commiſſi cura expoſcit. Ideoque a noſtro priore mandato non recedentes, te iterum ad ipſam conſultationem vocamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die VII. Septembris MDXLIX. pontiE ficatus noſtri anno XV.

Bloſius & Fulgin.

Copia delli capitoli fatti per li reverendiſſimi cardinali nel ſacroſancto collegio.

Nos omnes & ſinguli epiſcopi, preſbyteri & diaconi S. R. E. cardinales infra ſcripti, pro bono & felici regimine atque conſervatione ſtatus univerſalis eccleſiæ, juramus & promittimus, quod ſi aliquis ex nobis electus fuerit in papam, ſtatim poſt electionem de ſe celebratam jurabit & promittet pure, ſim-

pliciter & bona fide ſervare & ſervari facere cum effectu omnia & ſingula infra ſcripta capitula, necnon tot publica inſtrumenta dicta infraſcripta capitula continentia, quot erunt cardinales in electione pontificatus præſentes, manu propria ſignabit, necnon infra tres dies poſt coronationem tuam dabit tot bullas omnia capitula prædicta continentes, quot erunt cardinales in ſua creatione præſentes: quæ capitula ſunt quæ ſequuntur, videlicet.

I. In primis quod ſacroſanctum concilium univerſale pro hæreſibus exſtirpandis, & pro univerſalis eccleſiæ reformatione omni ſtudio ac diligentia proſequetur, atque ut ad optatum finem perducatur curabit.

II. Item, quod omnem reformationem, quam per dictum concilium juxta canonicas ſanctiones & ſanctorum patrum decreta fieri contigerit, omnino ratam & gratam habebit, ac tua ſummi pontificis auctoritate probabit & confirmabit.

III. Item, quod quantum in ipſo erit interim curabit, idque ad omnem ſacri Romanorum S. R. Æ. cardinalium collegii, vel ab eis ad id deputatorum qui ex nunc nominentur requiſitionem, ut curia Romana reformetur; quodque ipſi deputati ſtatim poſt coronationem nomine ejuſdem collegii ſine alia ipſius commiſſione ad hoc cum poſſint requirere.

IV. Item, quod Romana curia non tranſeat nec extra urbem Romanam, nec de loco ad locum, nec de provincia ad provinciam.

V. Item, quod in creatione novorum cardinalium tam quoad numerum quam quoad qualitates pertinebit, nullomodo ſacrorum & probatorum conciliorum ac Romanorum pontificum conſtitutionibus decretiſque derogabit; ipſoſque cardinales creandos ſtatim publicabit, nec quemquam umquam eorum in pectore reſervabit, aut ullo alio modo ſecretum tenebit.

VI. Item, quod omnes & ſinguli S. R. E. cardinales de omnibus ſuis bonis tam inter vivos, quam in ultima voluntate, inter quaſcumque perſonas libere teſtari & diſponere poterunt, neque ad particularem aliquam licentiam ſeu indultum deſuper obtinendum ulla umquam neceſſitate cogantur. ac ſi contigerit aliquem ex dictis cardinalibus ab inteſtato, & ſine ulla rerum ac bonorum ſuorum diſpoſitione e vita diſcedere, quod ſpolia ejus ad cameram apoſtolicam nequaquam pertinebunt, ſed inter ipſius hæredes ac familiares, arbitrio fratrum ſacri ejuſdem R. D. cardinalium collegii, in ordine priorum pro tempore exiſtentium, diſtribuentur.

VII. Item, quod cardinalibus, quorum fructus ſeu redditus eccleſiaſtici ad valorem ſex millium ducatorum auri de camera non aſcenderint, de proventibus cameræ apoſtolicæ uſque ad ſummam ducentorum ſimilium quolibet menſe providebit.

VIII. Item, quod dicti cardinales erunt exemti a decimis & gabellis & a quibuſcumque aliis impoſitionibus & oneribus ordinariis & extraordinariis quacumque de cauſa uſque ad hunc diem impoſitis, & in poſterum imponendis.

IX. Item, quod dicti domini cardinales in ea dioceſi in qua erunt ordinarii collatores, quæcumque beneficia eccleſiaſtica ad ipſorum collationem tam conjunctim quam diviſim pertinentia, qualitercumque reſervata, præter quam ratione & non juxta novas conſtitutiones declaratorias deſuper editas, famulis continuæ commenſalitatis pontificis libere conferre poterunt, & quod in præjudicium indultorum eorumdem cardinalium, non derogabit regulæ de infirmis reſignantibus.

X. Item, quod contra perſonas aliquorum cardinalium quacumque de cauſa niſi in caſibus hæreſis vel ſchiſmatis, aut læſæ majeſtatis in primo capite, necnon præcedente legitima cauſæ cognitione ac proceſſu coram cardinalibus, ad id de duarum partium aliorum cardinalium conſenſu, per modum ſecretum præſtito, deputandis, non procedat neque procedi faciat.

XI. Item, quod nihil de bonis aut juribus eccleſiæ Romanæ quocumque titulo vel quacumque de cauſa alienare poſſit, tametſi bona ac jura hujuſmodi alienari vel infeudari conſueverint, etiamſi omnes cardinales conſenſerint.

XII. Item, quod nemini facultatem nec præſentandi nec nominandi, nec conſenſum præſtandi ad eccleſias cathedrales, ſeu monaſteria, aliave beneficia conſiſtorialia numquam concedat, niſi de duarum partium dictorum reverendiſſimorum dominorum cardinalium, & per modum ſecretum, ut ſupra, conſenſu.

XIII. Item, quod perſonæ nominandæ aut præſentandæ ad eccleſias ac monaſteria & alia beneficia conſiſtorialia nominentur aut præſententur infra tempus a jure diſpoſitum, & juxta formam privilegiorum principum, nominandi & præſentandi facultatem habentium: alioqui niſi infra tempus prædictum nominabuntur aut præſentabuntur, teneatur futurus pontifex ſtatim eiſdem eccleſiis & monaſteriis, &c. de perſona quam maluerit providere, non expectata ulterius nominatione ſeu præſentatione hujuſmodi.

XIV. Item, quod eccleſiis, monaſteriis, & aliis beneficiis conſiſtorialibus nullo modo provideri poſſit aut debeat, niſi per conſiſtorium, nec litteræ apoſtolicæ ſeu bullæ deſuper, aut per ſecretarium, aut aliter expediri poſſint, niſi per viam ordinariam.

XV. Item, quod ſolutionem gabellæ farinæ & contractuum juxta patentes litteras dicti ſacri collegii cardinalium ex mente piæ memoriæ Pauli III. omnino remittet.

XVI. Item, quod nullas imponet decimas,

etiam ad instantiam principum, nisi urgentibus de causis, per duas partes ex tribus dicti sacri collegii approbandas, & votis per modum secretum habitis, ut supra.

XVII. Item, quod personas ecclesiasticas quarum beneficiorum ecclesiasticorum fructus valorem XXIV. ducatorum auri de camera secundum communem extimationem, computatis distributionibus quotidianis, non excedent, decimis quacumque de causa imponendis non gravabit.

XVIII. Item, quod procurabit, & cum effectu quantum in se fuerit faciet, ut basilica S. Petri apostoli de Urbe perficiatur, ac tantum pecuniarum in ea erogabit, quantum pro sua conscientia à se fieri posse arbitrabitur.

XIX. Item, quod pro quiete & tranquillitate apostolicæ sedis, & ad evitanda scandala & inconvenientia quæ alias evenire possent, & tamquam juri consonum, civitatem Parmæ illustrissimo domino Octavio Farnesio illius duci, libere dimitti & relaxari faciet.

XX. Item, quod super omnibus & singulis capitulis præcedentibus eorumque executione, tam conjunctim quam divisim, cum omnibus & singulis causis, decretis & mandatis necessariis & opportunis ad libitum partium quas præmissa concernunt, tot quot partes ipsæ voluerint, litteras apostolicas dabit.

XXI. Item, quod hæc omnia & singula ratificabit & approbabit ante publicationem electionis suæ, ut præfertur, mediante promissione, juramento & subscriptione sua in hanc formam. Ego N. electus in summum pontificem præmissa omnia & singula promitto & juro observare & adimplere in omnibus & per omnia pure, simpliciter & bona fide, realiter & cum effectu, ad litteram sine aliqua exceptione verborum: ita me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.

Nos vero item omnes & singuli S. R. E. cardinales infra scripti, congregati Romæ in palatio apostolico pro electione Romani pontificis futuri in conclavi, ante altare in quo missa communiter celebrari consuevit, supradicta capitula inter nos unanimiter & concorditer ordinata, pro defensione catholicæ fidei & ecclesiasticæ libertatis, pro reformatione ecclesiæ ac vinculo caritatis & pacis inter summum futurum pontificem & fratres ejusdem S. R. E. cardinales confirmando, jurantes ad sancta Dei evangelia corporaliter per nos tacta, alter alteri promittentes, ac etiam notariis publicis infra scriptis tamquam personis legitimis nomine S. R. E. & sacri collegii nostri, ac omnium quorum interest stipulantibus, quod quicumque nostrum fuerit assumtus ad apicem apostolatus, omni dolo, fraude & machinatione cessantibus, & omni prorsus exceptione remota, servabit & adimplebit omnia & singula in dictis capitulis contenta; nec illis vel illorum alicui contraveniet directe vel indirecte, publice vel occulte: quodque post electionem & ante publicationem omnia & singula prædicta, ut præfertur, confirmabit, approbabit authentico modo, & de novo promissionem faciet, etiam per viam contractus in omnibus & per omnia coram omnibus nobis & notariis & testibus subscriptione manu propria.

Hic subjicere juvat tres epistolas Antonii Filholi archiepiscopi Aquensis, qui concilio interfuit Tridentino, & cui ejus acta a Massarello redacta debemus.

EPISTOLA ANTONII FILHOLI archiepiscopi Aquensis ad Julium papam III.

Gratulatur ei de sua promotione.

Anno 1551. *Ex mss. illust. dom. Joll de Fleuri summi regii procuratoris.*

SAnctissimo domino nostro domino JULIO divina providentia papa III.

Beatissime pater & clementissime domine, post humillimam commendationem & pedum osicula beatorum. Ubi considero illum cujus ineffabilis altitudo prudentiæ nullis inclusa limitibus, nullisve comprehensa terminis, recti censura judicii cœlestia pariter & terrena disponit, vos ad tantam celsitudinem provexisse, videlicet ad sacram B. Petri sedem, totius orbis caput effectam, mihi non parum temeritatis subeundum videretur, quod ad talem tantumque patrem lingua vel calamo verba essem habiturus. Illa tamen vestra erga me paterna jam pridem Tridenti & Bononiæ explorata benignitas animum erectiorem effecit. Ea de re, pater sanctissime, de tanto plebi Christianæ bono cœlitus misso divinam majestatem laudo, vobisque & vestræ nuptæ, scilicet almæ militanti ecclesiæ applaudo feliciter, & summopere congratulor, ac illum qui ad dextram patris residet in excelsis exoratum facio, ut sanctitatem vestram diu ecclesiæ suæ, quam Christo tuendam suscepit, salvam & incolumem ac felicissimam ad longos annos conservet. Quoniam etsi semper fuerit utile & necessarium bono & utili naviculam Petri gaudere nauta ac gubernatore, ea tamen sese hac tempestate obtulit necessitas, cum in tanta pelagi hujusmodi procella cernamus, proh dolor! hæreticos jam dictam ecclesiam, quæ congregationem fidelium comprehendit, impugnare ferociter, & extremam quamdam animorum pestem immaniter grassari in plures & sua lue mortifera longe lateque debaccari. Unde expediens, quin immo potius & necessarium existimo, ut in tanta curarum mole, ob magnam fidei & morum corruptelam, sub tanto pontifice ac duce militemus, qui in agro domini vepres, spinas, & tribulos hæresum exstirpet, excessus corrigat, deformata reformet, & vineam

Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducat. Quoniam adesse videntur tempora illa periculosa, de quibus ad Timotheum scribit apostolus, & ipsa rerum experientia dilucide comprobat, quod tacentibus linguis res ipsa plene loquatur, ac ubi tantus pater & fidelis, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illi cibum in tempore opportuno, suis auxilio, manu forti, consilio & favore benevolo, tam sublime præsidium nobis subministrabit, illo pariter, sine quo nihil possumus facere, in re tam sancta patrocinante, omnia prospere succedent. Quod si vestra sublimitas, ut spero & opto, fecerit, divinus honor magna cum populi lætitia reflorebit in terris, lumen catholicæ veritatis, Christo vera luce largiente, refulgebit ad salutarem Christianæ plebis ædificationem, ad Altissimi laudem & gloriam, qui glorioſus in sanctis suis, cunctosque ejus ministros magnificans, & cœlestis ac æternæ beatitudinis efficiens possessores, eamdem vestram sanctitatem, tanto potioribus attollet insigniis dignitatum in cœlis, & uberiori retributione prosequetur, quanto digniorem agnoscet, & pro ecclesia & re Christiana commendabit ingentior excellentia meritorum. Vale pater sanctissime, iterum dico vale, fulgentissimum sydus & ecclesiæ decus, ad longos annos. Datum Aquis in provincia Provinciæ Galliæ nonis Julii MDL.

Sanctitatis vestræ,

Humillimus servitor Antonius Filholus Aquensis archipræsul.

Cum naturaliter consanguineos diligamus, frustra videretur me vobis Simonem Wiardum præsentem nuncium, qui ut fertur, vester consanguineus est, commendare. Rogatus tamen eumdem vestræ sanctitati magna cum caritate ac reverentia commendo.

EPISTOLA ANTONII FILHOLI archiepiscopi Aquensis, ad Henricum Francorum regem.

Regi offert decreta concilii Tridentini.

Ex eodem ms.

HENRICO Francorum regi Christianissimo Antonius Filholi Aquensis archipræsul. Cum, princeps Christianissime, generalium celebratio conciliorum agri dominici præcipua sit cultura: quæ vepres, spinas & tribulos hæresum exstirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit; sanctissimus in Christo pater & dominus noster D. PAULUS divina providentia papa III. hac dignissima consideratione motus, sanctisque prædecessorum suorum sapientia admirabili, & sanctitate præditorum circa hoc inhærens vestigiis, œcumenicam synodum & generalem episcoporum aliorumque patrum, ad quos pertinet, conventum in civitate Tridentina indixit: in quo Dei gratia quam plurima tum sanctæ fidei dogmata, tum morum reformationem concernentes salutiferæ fuerunt editæ sanctiones. Quod etsi semper utique fuerit non segniter observandum, ea tamen sese hac tempestate obtulit necessitas, ut in tanta curarum mole, nulla dilatione negotium tam sanctum protrahi pateretur. Siquidem cum gravis & lethifer morbus afflictat corpus ac depascit, adhibenda est e vestigio salutaris medicina sine ulla procrastinatione, quæ propulsato morbo, pristinam ægroto sanitatem restauret. Etenim periculosa solet esse mora, cum per illam languor exitialis invalescit amplius & valentiores sumit vires. Quid igitur factitandum cum extrema quædam animorum pestis immaniter grassatur in omnes, & sua lue mortifera longe lateque debacchatur? Nonne rejecta omni prorogatione, incunctanter, & mature tam pestilenti malo remediis salutaribus occurrendum est? ne si ocsitanter id ipsum & lente agatur, interea tabes illa latius proserpat in plures. sed, proh dolor! hac nostra ætate ob magnam fidei & morum corruptelam, cum superabundet iniquitas, diesque mali sint, & mundus in maligno positus existat, pluresque quærant quæ sua sunt, non quæ JESU CHRISTI, & jam adesse videantur tempora illa periculosa, de quibus ad Timotheum scribit apostolus, ut ipsa rerum experientia dilucide comprobat, quod tacentibus linguis, res ipsa plene loquatur, difficile aut prope impossibile videretur, quod absque regalis tuæ majestatis auxilio, manu forti, consilio & favore benivolo, ordinationes jam dictæ ad effectum & executionem perducerentur. Ubi autem tam sublime præsidium nobis opem subministrabit, illo pariter, sine quo nihil possumus facere in re tam sancta patrocinante, omnia prospere succedent, more prædecessorum tuorum in Gallia regum, qui rebus suis præclarissime gestis, almam Dei ecclesiam, pontificesque maximos partim armis protexerunt, partim profligatis hostibus, in libertatem sede sua deturbatos vindicavere. Principes etenim sæculi nonnumquam in ecclesia potestatis adeptæ culmina tenent: ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant, ut quod non prævalent sacerdores efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem: per regnum terrenum regnum cœleste perficit, ut qui intra ecclesiam positi, contra fidem & disciplinam agunt, rigore principum conterantur. Ipsamque disciplinam, quam utilitas ecclesiæ exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat. Reges enim in insigni eorum diadematis susceptione, ut fertur, ecclesiam Christo tuendam suscipiunt.

Ad

Ad te igitur, rex Chriſtianiſſime, ſunt oculi mei, majeſtati tuæ decreta ordinationes, & ſtatuta dictæ ſynodi Tridentinæ præſento & humiliter exhibeo, & ſub tutiſſima protectione tua repono, eamdemque majeſtatem tuam ſiligeram plurima cum charitate ac reverentia obſecratam facio, ut illa & illas benigne recipiat, etiam & acceptet, & quantum tuæ dignitatis regiæ intereſt, per univerſum Franciæ regnum, tuaſque provincias, regiones, terras, & dominia inviolabiliter perpetuoque obſervari facere dignetur, vel ſaltem quæ & quas obſervari placuerit, aperire, ut ſciat quiſque quid agere debeat, & minime ambulet in tenebris. Quod ſi tua regalis ſublimitas, ut ſpero & opto, fecerit, divinus honor magna cum populi lætitia reflorebit in terris, lumen catholicæ veritatis, Chriſto vera Luce largiente, effulgebit ad ſalutarem Chriſtianæ plebis ædificationem, ad laudem & gloriam illius, qui ad dexteram Patris reſidet in excelſis, qui glorioſus in ſanctis ſuis cunctoſque ejus miniſtros magnificans, & cœleſtis ac æternæ beatitudinis efficiens poſſeſſores, eamdem tuam celſitudinem tanto potioribus attollet inſigniis dignitatum in cœlis, & uberiori retributione proſequetur, quanto digniorem agnoſcet, & pro eccleſia & re Chriſtiana commendabit ingentior excellentia meritorum. Vale princeps Chriſtianiſſime, iterum dico vale, inter catholicos, ac Chriſto regi regum militantes fulgentiſſimum ſidus, ad longos annos.

LETTRE D'ANTOINE FILHOL archeveſque d'Aix, au Roy.

Il lui demande permiſſion de porter une fleur de lys dans ſes armes.

Au Roy mon ſouverain ſeigneur.

SIre, par ordonnance & commandemens du feu roy François voſtre pere, que Dieu abſolve, je Anthoine Filhol archeveſque d'Aix en Provence, me tranſportis au ſaint & general concile de Trente ès villes de Trente & Boulougne, ou j'ai demouré à ſon ſervice & le voſtre l'eſpace de trois ans ou environ à grans frais & deſpenſes, & de tout mon pouvoir y me ſuis employé à faire mon devoir. Ce conſideré, Sire, confiant des bonnes & gratieuſes lettres qu'il vous pleut m'eſcrire, je vous ſupplie treshumblement, m'accorder que je mette une fleur de lys au milieu de l'écu & ſur la barre d'or de mes armes, de la ſorte que cy-deſſoubz eſt figuré, à celle fin que ayant memoire de voſtre couronne & majeſté, je ſois de plus en plus enclin & incité à votre ſervice. Et en ce vous plaira commander vos lettres m'en eſtre expediées, en forme deuë & authentique, à ce que aprés je puiſſe faire apparoir de voſtre vouloir & intention du bien & grace qu'il vous plaira me faire.

Voſtre très humble & très-obéiſſant ſubject & ſerviteur Antoine Filhol, archeveſque d'Aix en Provence.

DIARIUM ACTORUM ſacri concilii Tridentini, ſub Pio IV. pontifice.

Auctore Torello Phola de Puggio cathedralis eccleſiæ Feſulanæ canonico.

Ex mſ. bibliothecæ regis Chriſtianiſſimi.

AD LECTOREM.

NOn te lateat, candide lector, quod licet ſeſſiones duæ habitæ ſint Bononiæ, concilium tamen hoc prodiit ſub titulo concilii Tridentini, quod actum eſt ſub Paulo III. Julio III. & Pio IV. pontificibus maximis. In eoque celebratæ ſunt in univerſum ſeſſiones xxv. diverſis temporum ſpatiis, videlicet ſub Paulo X. ſub Julio VI. poſtremo ſub Pio IV. ſub quo ego Torellus preſbyter hoc meum Diarium actorum ejuſdem concilii conſcripſi, complectens univerſa quæ tunc geſta ſunt, nequaquam prætermittens ſeſſiones quoque & ſub Paulo & Julio tertiis habitas, prout videre facile tibi erit in continuatione nonæ ſeſſionis, quæ eſt vigeſima quinta hujus voluminis, lectas & ibidem a patribus, quas omnes verſa pagina invenies.

Præfatio.

Quamvis ego laborem longe viribus meis imparem in præſentia ſumſerim, ea ſcilicet quæ in ſacroſancto œcumenico Tridentino concilio ſub Pio IV. pontifice maximo felicisſime acta ſunt, conſcribere, hoc ipſum ob ingenii imbecillitatem, me ad unguem haud præſtare poſſe animadvertens, Dei optimi maximi nihilominus auſpicio fretus, (cujus quidem nutu omnia recte peraguntur) ſingula quæ ad propoſitum negotium conducere mihi videbuntur, proſequi non dubitabo: ea tantum perſtringens, quæ vel ipſemet dum quidem peragerentur auribus fidis hauſi, vel quæ plerique graviſſimorum virorum mihi recenſere minime dedignati ſunt. His autem omnia, quæ Tridenti aut alibi ipſiuſmet concilii ergo peracta fuerint ſubnectam, ſeria utiliaque, ac ea demum quæ legentium animos oblectare poſſint mihi proponens. Lectores tamen in primis præmonitos velim, me omni prorſus verborum lenocinio atque orationis candore poſthabito, omnia prout geſta erunt, nec quidquam illis addendo, aut detrahendo, veritati dumtaxat ſtudens, hæc exactius pertractanda ſuſcepiſſe. Cum autem Tridenti ſemper com-

moratus ſim, & in aliqua prædictorum parte versatus, non decero quæque commemorare, ut veritati cumulum augeam, quam labore mihi partam audire cuiquam ſuave erit. In morem poſitum fuit ab initio hujus ſacroſanctæ ſynodi, ut omnia quæ tractanda a patribus eſſent, ante ſeſſionem prius in congregationibus generalibus agerent; cum eadem domi reverendiſſimi ſecretarii concilii primo conſcribenda traderentur, quo & capellani & ſecretarii omnes, quorum intererat, reverendiſſimorum PP. Italorum, Germanorum, regnorum Galliæ, Hiſpaniæ, Portugalliæ, Poloniæ, Ungariæ, Bohemiæ & omnium continentium inſularum, tam orientalium quam occidentalium & ſeptentrionalium nationum, ad ſcribendum conveniebant. Ibi enim poſt quamcumque ſeſſionem ſtatim patribus articuli ſuper ea materia exhibebantur, qui ante futuram deinde ſeſſionem primo a theologis, deinde a reverendiſſimis patribus diſcutiendi atque definiendi eſſent. Interim vero antequam fieret ſeſſio, doctrina, canones & decreta ſuper eadem re ſæpiſſime ſcripta tradebantur patribus, quorum omnium articulorum doctrinæ, canonum & decretorum ego TORELLUS PROLA preſbyter, aliis, qui eo ad ſcribendum conveniebant, ab initio præſentis hujus ſacroſancti concilii ad hæc uſque tempora exemplar mihi ſumens ac ſcribens legebam, non ut publicus miniſter, ſed quoniam provinciæ meæ Etruriæ lingua omnium auribus gratiſſima erat. Et ut omnibus pateat, ſinguli omnium nationum eadem facere & legere conati, propter linguæ barbariem & prolationem non ſatisfeciſſe cunctis comperti ſunt, adeo quod me lectorem ſemper habuerunt. Eo enim res pervenerat, ut quando quid ſcribendum foret, me expectantes, ſi illuc ad tempus non perveneram, ejuſmodi applauſu reciperent, quo pro expectatiſſimis rebus haberi convenit. Hanc vero meam operam non tam illis qui interfuerint, quam qui præfuerint gratiſſimam fuiſſe, id mihi fuit optimus teſtis. Nam in fine ſanctiſſimi concilii & munificentia & juſſu illuſtriſſimorum dominorum præſidentium, illud mihi dono perbenigne datum fuit, quod numquam animus excogitaſſet.

Hæc dixiſſe volui, non ſane ex animi elatione, ſed ut potius nationem meam efferam, quæ non modo vulgari ſermone, ſed etiam latina lingua prolationis dulcedine alias nationes, (quod dictum volo pace omnium) antecellat, atque operis mei diario aliquid adjungam teſtimonii, quod rei jam ſcriptæ una ſecum comprobet veritatem. Legat igitur pius lector, Deumque tota mente precetur, ut omnia in hoc volumine contenta ab iis ad quos ſpectat ad unguem ſerventur, ut gloriæ cohæredes effecti, una cum ſanctis & amicis Dei illa felicitate perfrui mereamur, quæ perpetuo duratura eſt cum eo qui eſt trinus & unus.

TRIDENTI DESCRIPTIO.

Tridenti civitas, quæ comitatus Tiroli caput exiſtit, in finibus Venetiæ provinciæ inter montes in planitie poſita eſt, muris vallata lapideis; quam ex ſeptentrione abluit Atheſis fluvius, ambitus milliarii Italici cum dimidio. In ea vero vias latas ex lapidibus ſtratas, domos vero ita honorificas cernas, ut novam non veterem civitatem præ ſe ferat. Templa ſatis pulchra conſpicias, ſed in omnibus iis parum ſtructuræ. Arcem habet conſpicuam, quam domum auream dicas potius, quam quæ & imperatores & reges percommode inhabitare poſſint, a reverendiſſimo D. Bernardo Cleſio Tridentino præſule auctam & illuſtratam non multos antehac annos. Influit placide in urbe per muros ab oriente aquæ rivulus, ſuper quo ædificia ſericia & molæ frumentariæ multæ ſunt; unde item plurimi rivuli deducuntur per medias vias in uſum & publicam omnium commoditatem. Super Atheſim ad portam quæ S. Laurentii dicitur, pontem habet magnificum, ſed ligneum, centum & quadraginta paſſuum longitudinis; montes circum ſe habet nivibus continuo obſitos, ſcopuloſos, inacceſſos, præcipites, & ita præaltos, ut dicas cœlum ſumma cacumina tangere. Fauces habet duas, quarum altera ad ſeptentrionem vergit, altera vero Veronam ducit, planitiem admodum parvam, ſed ridentem, & arboribus & vitibus mirum in modum conſitam, quam Atheſis circuit & lambit undequaque; promiſcuam habitantibus linguam, ſcilicet Teutonicam & Italam; ſed Itali omnes etiam cum placet Teutonice loquuntur. Tridentum Germanorum ſentina, Italorum vero refugium eſt, cum quid infortunii occurrit eiſdem. Parum frumenti, ſed plurimum vini perſuave habent album & ſubrubeum. Per æſtatem cœlum temperatum eſt; diebus autem canicularibus ſol apprime fervens: hiberno vero tempore propter horrores ingentes nivium & glacierum vix hujuſmodi regio habitari poteſt; tuncque ſatis ſunt hominibus hypocauſta ad repellenda frigora, quæ eo tempore tanta ſunt, ut aquas in terram deſcendere contendant; ſed ſtatim venientes vertuntur in nives; &, quod datur miraculo, quoque putei ipſius civitatis per totam hyemem aquis carent. Boves & vaccas pro mulis, aſellis, & equis onerariis habent, cum plauſtris adeo ad res convehendas facilibus, ut ad montium cacumina ſic properent, ac ſi eſſent in planitie: verum a viarum publicarum curatoribus ita juga aptata ſunt, ut uſque ad culmen acceſſibile quorumcumque montium ab eiſdem iri poſſit. Homines rudes ac ſuſpicione pleni, mulieres vero non admodum pulcræ, & quarum ma-

gna pars (cum gulam tumidam veſicarum inſtar habeat) gutturoſa eſt; at utrique vini ſummopere appetentes, quod numquam lymphatum ex more bibunt. Nunc demum Tridentum tum opulentum tum clarum propter concilium effectum eſt, uti fuit per plurimos annos, & nunc viget maxime. Nam huc convenere quinque cardinales præſidentes concilii pro ſanctiſſimo domino noſtro papa Pio IV. pontifice maximo, duo ſimiliter cardinales, a Lotharingia & Madruccius, patriarchæ, archiepiſcopi & epiſcopi CCLXX. cum abbatibus & generalibus cujuſcumque congregationis, cum theologis centum ſæcularibus & regularibus, & cum Ferdinandi Cæſaris, regum Galliæ, Hiſpaniarum, Portugalliæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Venetiarum, ſeptem Cantonum Helvetiorum catholicorum, illuſt. ducum Florentiæ & Senarum, Bavariæ, Sabaudiæ, & aliorum multorum principum & nationum oratoribus. Lætetur itaque civitas iſta, ſummaſque Deo gratias agat, cui licuit promereri (præter ſui ipſius pulchritudinem & divitias, ibi a ſancta ſynodo relictas, præterque multa ſanctorum corpora, quæ in illa quieverunt,) ut in ea tamquam totius orbis victrice, per tot tantoſque illuſtriſſimos & reverendiſſimos patres eidem univerſo leges præſcribere licuerit, quæ ſi rite ſerventur, & in cœlis pacem æternam, & in terris ſummam gloriam nobis comparare poſſint. Datum Tridenti die XV. Novembris 1562. Torellus Phola preſbyter de Puppio.

Repetitio brevis rerum concilii anteactarum.

Adſit ſancta Trinitas Pater, Filius & Spiritus-ſanctus. Cum alias fel. rec. PAULUS papa III. ut ſummorum pontificum prædeceſſorum ſuorum exempla ſequeretur, & hæreſes tunc temporis maximè pullulantes pro viribus exſtirparet, & omnia ad priſtinam Chriſtianæ vitæ fidem & religionem reduceret, concilium generale in urbem Mantuam primo, deinde Vicentiam per ſuas litteras ſpeciales ſub plumbo expeditas indixit, quaſdamque ob cauſas in dictis ejus litteris expreſſas ſuſpendit, poſteaque Tridentum tranſtulit; illiuſque celebratione per certum tempus tunc dilata, ſuſpenſione tandem ſublata, in eadem civitate Tridentina inchoatum fuit, in qua aliquot ſeſſionibus habitis, & nonnullis decretis factis, ipſum tunc concilium ad civitatem Bononiæ translatum fuit. Recolendæ autem memoriæ JULIUS etiam III. pontifex maximus, qui ipſi Paulo ſucceſſit, concilium ipſum ad eamdem civitatem Tridentinam revocavit, quo tempore nonnulla etiam alia facta fuere decreta. Sed cum novi in propinquis Germaniæ locis tumultus excitati fuiſſent, bellumque in Italia & Gallia graviſſimum exarſiſſet, concilium hujuſmodi ſuſpenſum & dilatum fuit. Verum cum divina nobis favente clementia ad eumdem ſummi apoſtolatus apicem aſſumtus fuiſſet SS. in Chriſto pater & dominus noſter D. PIUS divina providentia papa IV. ut tam pium & ſanctum incœptum, hæreſes exſtirpandi gratia proſequeretur, per ſuas ſpeciales litteras ſub plumbo expeditas concilium hujuſmodi in eadem civitate Tridentina celebrandum ſtatuit; & propterea ad ipſam civitatem legatos ſuos de latere tranſmiſit & deſtinavit, quos cum multi prælati & perſonæ religioſæ ex diverſis nationibus ſubſequutæ fuerint, viſumque eis ſit pro celebratione dicti concilii ad aliquos actus devenire; ideirco Chriſti auxilio ſemper implorato, præſidentibus eidem ſacro œcumenico & generali concilio, nomine ejuſdem SS. D. N. papæ & ſanctæ ſedis apoſtolicæ de latere legatis, quorum nomina erunt infra, illius acta, decreta & ſeſſiones ac alia in ipſo concilio geſta in publicam formam deſcribere pro viribus conati ſumus modo & forma infraſcriptis; his tamen præmiſſis quæ ejuſdem concilii promotionem concernunt.

CATALOGUS DOMINORUM LEGATORUM, patrum, oratorum, & theologorum omnium qui ad ſacroſanctam œcumenicam Tridentinam ſynodum convenerunt, quorum nomina, cognomina, patriæ & dignitates hic ſimul explicantur.

Cardinales legati & præſidentes.

Hercules Gonzaga S. R. E. preſbyter cardinalis tituli S. Mariæ Novæ, Mantuanus, qui obiit Tridenti die ſecunda Martii 1563. & ſepultus Mantuæ.

Hieronymus Seripandus S. R. E. preſbyter cardinalis tituli S. Suſannæ, Neapolitanus; obiit Tridenti die XXII. Martii 1563. & ibi ſepultus in eccleſia S. Marci ordinis fratrum eremitarum S. Auguſtini, quorum olim fuerat generalis.

Johannes Moronus S. R. E. cardinalis epiſcopus Prænestinus, Mediolanenſis, in demortui cardinalis de Mantua locum miſſus.

Staniſlaus Hoſius S. R. E. preſbyter cardinalis in Paliſperna, Polonus Varmienſis.

Ludovicus Simonera S. R. E. preſbyter cardinalis tituli S. Cyriaci in Termis, Mediolanenſis.

Marcus Siticus S. R. E. diaconus cardinalis baſilicæ XII. apoſtolorum de *Altaemps*, Germanus.

Bernardus Novagerius S. R. E. preſbyter cardinalis tituli S. Nicolai inter imagines, Venetus, in demortui cardinalis Seripandi locum miſſus.

Cardinales non legati.

Carolus a Lotharingia S. R. E. preſbyter cardinalis tituli S. Apollinaris, princeps & archiepiſcopus Rhemenſis, Lotharingienſis de lo Regno.

Ludovicus Madruccius S. R. E. diaconus cardinalis electus episcopus Tridentinus, Germanus.

Oratores quorum nomina hic describuntur juxta eorum adventum in civitatem Tridentinam.

Georgius Draskovitius, Croatus, orator Cæsareus pro regno Hungariæ, episcopus Quinquecclesiensis.

Antonius de Muglitio, Moravus, orator Cæsareus, archiepiscopus Pragensis.

Ferdinandus Martinecus Mazcarenius, orator sereniſſimi regis Portugalliæ.

Andreas Duditius Hordelatus, episcopus Cœnadiensis, orator pro prælatis & clero Hungariæ.

Sigismundus a Tuun, orator Cæsareus.

Franciscus Ferdinandus *de Avalos* marchio Piscariæ, orator regis Catholici Hispaniarum.

Johannes Strozius, Florentinus, orator excellentiſſimi ducis Florentiæ & Senarum.

Melchior Cussi eques auratus, orator septem cantonum Helvetiorum catholicorum.

Augustinus *Paungartner* J. V. D. de Monachio, orator illustriſſimi Alberti ducis Bavariæ.

Nicolaus de Ponte, doctor & eques, & Matthæus Dandolus oratores dominorum Venetorum.

Ludovicus de *Lansac*, Renaldus Ferrerius præsidens in parlamento Parisiensi, & Guido Faber, judex major Tolosæ, oratores Christianiſſimi regis Galliarum.

Valentinus Herbutus, Polonus, episcopus Præmisliensis, orator sereniſſimi regis Poloniæ.

Marcus Antonius Bobba, Casalensis, episcopus Augustensis in Pedemontio, orator illustriſſimi ducis Sabaudiæ.

Claudius *Fernandez* Guisnonius, comes Lunensis, orator regis catholici Hispaniarum.

Hieronymus de Gaddis, Florentinus, episcopus Cortonensis, orator excellentiſſimi ducis Florentiæ & Senarum, missus in locum Johannis Strozzii.

Frater Martinus *Roias* Portæbrutius, orator reverendiſſimi domni magni magistri totius ordinis S. Johannis Hierosolymitani, ejusdem ordinis procancellarius.

Patriarchæ.

Antonius Ælius (*a*) Justinopolitanus, Hierosolymitanus.

Daniel Barbarus Venetus, Aquilegiensis.

Johannes Trivisanus Venetus, Venetiarum.

Archiepiscopi Pauli III.

Ferdinandus Annius, Neapolitanus, archiepiscopus Amalphitanus, nunc episcopus Bovinus.

Petrus Landus Venetus, archiepiscopus Cretensis.

Petrus Antonius de Capua, Neapolitanus, archiepiscopus Hydruntinus.

Marcus Cornelius Venetus, electus archiepiscopus Spalatrensis.

Sebastianus Leccavella Græcus, ordinis Prædicatorum, archiepiscopus Naxiensis, nunc episcopus Literatensis.

Petrus *Guerrero* Hispanus, archiepiscopus Granatensis.

Antonius Altovitius Florentinus, archiepiscopus Florentinus.

Cæsar *Cibo* Genuensis, archiepiscopus Taurinensis.

Paulus (*b*) Æmilius Verallus, Romanus, olim archiepiscopus Rossanensis, nunc episcopus Aquensis. (*c*)

Archiepiscopi Julii III.

Johannes Brunus de Olchinio, Macedo, regni Serviæ primas, archiepiscopus Antibarensis.

Johannes-Baptista Castaneus, Romanus, archiepiscopus Rossanensis.

Johannes-Baptista Ursinus, Romanus, archiepiscopus S. Severinæ.

Archiepiscopi Pauli IV.

Ludovicus Beccatellus Bononiensis, archiepiscopus Raguſinus.

Mutius Callinius, Brixiensis, archiepiscopus Jadrensis.

Sigismundus Saracenus, Neapolitanus, archiepiscopus Materanus.

Antonius *Parrages* de Castilegio, Hispanus, archiepiscopus Calaritanus.

Julius Pavesius Brixiensis, ordinis Prædicatorum, archiepiscopus Surrentinus.

Bartholomæus de Martyribus, Lusitanus, ordinis Prædicatorum, archiepiscopus Bracarensis.

Augustinus Salvagus, Genuensis, ordinis Prædic. archiepiscopus Genuensis.

Archiepiscopi Pii IV.

Philippus Mozenisus, Venetus, regni Cypri primas legatus natus, archiepiscopus Nicosiensis.

Guilielmus de *Avanson*, Gallus, archiepiscopus Ebredunensis.

Antonius Caucus Venetus, archiepiscopus Corcyrensis.

Germanicus Bandinus Senensis, electus archiepiscopus Senarum.

Marcus Antonius Columna, Romanus, archiepiscopus Tarentinus.

Gaspar de Fosso, Cosentinus, de ordine S. Francisci de Paula, archiepiscopus Reginus.

Antonius de Muglisio, Moravus, orator Cæsareus, archiepiscopus Pragensis.

Maximus de Maximis, Romanus, archiepiscopus Amalphitanus.

Gaspar *Cervantes* de Gaëta, Hispanus, archiepiscopus Messanensis.

Leonardus Marinus, Genuensis, ordinis Prædicatorum, archiepiscopus Lancianensis.

Octavius Præconius, Messanensis, ordinis

[*a*] In editis *Helvius*.

[*b*] In editis collocator inter archiepiscopos Julii III.

[*c*] Edit. *Caput-Aquensis*.

Minorum conventualium S. Franciſci, archiepiſcopus Panormitanus.

Nicolaus de *Pelvè*, Gallus, archiepiſcopus Senonenſis.

Antonius Juſtinianus, Chienſis, ordinis Prædicatorum, archiepiſcopus Naxienſis.

Antonius Puteus, Nicienſis, archiepiſcopus Barenſis.

Epiſcopi Leonis X.

Vincentius Nicoſantius de Fano, epiſcopus Arocnſis. (*a*)

Johannes Franciſcus de Fliſco, Genuenſis, epiſcopus Andricenſis.

Johannes Thomas de S. Felicio, Neapolitanus, epiſcopus Cavenſis ſenior.

Epiſcopi Adriani VI.

Quintius de Ruſticis, Romanus, epiſcopus Melitenſis.

Epiſcopi Clementis VII.

Lucas Bizanthius de Catharo, epiſcopus Chatarenſis.

Aloyſius Piſanus, Venetus, epiſcopus Patavinus.

Alexander Piccolominus, Senenſis, epiſcopus Pientinus.

Dionyſius Græcus, ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, epiſcopus Miſopotamus ſenior.

Gabriel *Le Veneur*, Gallus, epiſcopus Ebroïcenſis.

Guillelmus de *Montbas*, Gallus, epiſcopus Lectorenſis.

Epiſcopi Pauli III.

Antonius a Camera, Sabaudus, epiſcopus Bellicenſis.

Nicolaus Maria Caracciolus, Neapolitanus, epiſcopus Catanienſis.

Bernardus Bon-Johannes, Romanus, epiſcopus Camerinenſis.

Fabius Mirtus, Neapolitanus, epiſcopus Gajacenſis.

Scipio Bongallus, Romanus, epiſcopus civitatis Caſtellanæ.

Georgius Cornelius, Venetus, epiſcopus Tarviſinus.

Vincentius Durantius, Brixienſis, epiſcopus Termularum.

Mauricius de Petra, Papienſis, epiſcopus Vigleſſenſis. (*b*)

Martius de Martiis *Medices*, epiſcopus Marſicenſis.

Johannes Vincentius Michaëlius, Barolitanus, epiſcopus Minerbinenſis.

Gabriel *de Bouveri*, Gallus, epiſcopus Andegavenſis.

Leonardus *Haſler*, Germanus, epiſcopus Philadelphienſis.

Ludovicus Vannius de Theodolis, Forolivienſis, epiſcopus Brittonorienſis.

Ægidius Faſceta, Cingulanus, epiſcopus Brittonorienſis.

Julius Contarenus Venetus, epiſcopus civitatis Bellunenſis.

Thomas Caſellus, Roſſanenſis, ordinis Prædicatorum, epiſcopus Cavenſis junior.

Hyppolitus Arivabenus, Mantuanus, epiſcopus Hierapetrenſis.

Hieronymus Machabæus, Romanus, epiſcopus Caſtrenſis.

Petrus Auguſtinus, Hiſpanus, epiſcopus Oſcenſis & Jacenſis.

Jacobus Naclantus, Florentinus, ordinis Prædicatorum, epiſcopus Clodienſis.

Bartholomæus Sirigo, Cretenſis, epiſcopus Caſtellanetenſis.

Thomas Stella, Venetus, Ordinis Prædicatorum, epiſcopus Juſtinopolitanus.

Petrus *Duval*, Gallus, epiſcopus Sagienſis.

Johannes Antonius Pantuza, Coſentinus, epiſcopus Litteracenſis.

Johannes Baptiſta de Groſſis, Mantuanus, epiſcopus Regienſis.

Johannes *Xuareæ*, Luſitanus, Ordinis ſancti Auguſtini, epiſcopus Coimbricenſis.

Philippus Riccabella, Recanatenſis, epiſcopus Recanatenſis.

Johannes Jacobus Barba, Neapolitanus, Ordinis ſancti Auguſtini, epiſcopus Interamnenſis.

Michaël a Turre Utinenſis, epiſcopus Canetenſis.

Pompeius Zambeccarius, Bononienſis, epiſcopus Sulmonenſis.

Johannes Beroaldus, Panormitanus, epiſcopus S. Agathæ.

Antonius Scharampus, Aquenſis, epiſcopus Nolanus.

Antonius de Comitibus, Genuenſis, Ordinis Prædicatorum, epiſcopus Brugnacenſis.

Cæſar Foggia Roſſanenſis, epiſcopus Umbriaticenſis.

Cæſar comes a Gambara, Brixienſis, epiſcopus Tortonenſis.

Johannes Baptiſta de Bernardis, Lucenſis, epiſcopus Adiacenſis.

Martinus Perezius de Ayala, Hiſpanus, epiſcopus Segobienſis.

Nicolaus *Pſaume*, Gallus, Ordinis ſancti Benedicti, * epiſcopus Virdunenſis.

* I. Præmonſtratenſis.

Alphonſus Roſetus, Ferrarienſis, epiſcopus Comadenſis. (*a*)

Julius Pariſianus de Tolentino, epiſcopus Ariminenſis.

Bartholomæus Sebaſtianus, Hiſpanus, epiſcopus Pactenſis.

Franciſcus Lambertus, Sabaudus, epiſcopus Nicienſis.

Maximilianus Doria, Genuenſis, epiſcopus Naulenſis.

Euſtachius *du Belay*, Gallus, epiſcopus Pariſienſis.

Bartholomæus de Capranica, Romanus, epiſcopus Carinenſis.

(*a*) Editi *Arbenſis*. (*b*) Editi *Viglenenſis*.

(*a*) Editi *Comaclienſis*.

Ennius Maſſarius de Narnia, epiſcopus Ferretranus.

Achilles Brancia, Neapolitanus, epiſcopus Bovienſis.

Johannes Franciſcus Verdura, Meſſanenſis, epiſcopus Chironenſis.

Albertus Duimius de Gliricis, Ordinis Prædicatorum, epiſcopus Veglienſis.

Johannes *Antolinez de Bricianos de la Ribera*, Hiſpanus, epiſcopus Juvenacenſis.

Triſtanus *de Bizet* Gallus, epiſcopus Xantonenſis.

EPISCOPI JULII III.

Alcanius Gherardinus de Amelia, epiſcopus Cattacenſis. (*a*)

Marcus Gonzaga, Mantuanus, epiſcopus Auſorenſis.

Baldovinus de Baldovinis de Barga, epiſcopus Averſanus.

Petrus Franciſcus Pallavicinus, Genuenſis, epiſcopus Alevienſis.

Ægidius Fuſcararius, Bononienſis, Ordinis Prædicatorum, epiſcopus Mutinenſis.

Timotheus Juſtinianus de Chio, Ordinis Prædicatorum, epiſcopus Calamonenſis.

Didacus de Almanſa, Hiſpanus, epiſcopus Corienſis.

Lactantius Roverella Ferrarienſis, epiſcopus Aſculanus.

Ambroſius Monticulo, Lunenſis, Sarzanenſis, epiſcopus Signinus.

Sebaſtianus Gualterius Viterbienſis, epiſcopus Viterbienſis.

Honoratus Fuſcitellus, monachus Ordinis ſancti Benedicti, Neapolitanus, epiſcopus Infalanus.

Petrus Camaianus, Aretinus, epiſcopus Feſularum.

Horatius Græcus Troianenſis, Appulus, epiſcopus Leſinenſis.

Bernardinus de Cuppis, Romanus, epiſcopus Auximanus.

Gaſpar *de Caſal*, Luſitanus, Ordinis ſancti Auguſtini; epiſcopus Leirienſis.

Johannes *de Morvilliers*, Gallus, epiſcopus Aurelianenſis.

Fabius Cupallata, Placentinus, epiſcopus Lachedonenſis.

Julius Gentilius, Tortonenſis, epiſcopus Vulturarienſis.

Jacobus Silverius Piccolomineus de Celano, epiſcopus Aprutinenſis.

Ludovicus *de Brezé* Gallus, epiſcopus Meldenſis.

Jacobus Mignanellus, Senenſis, epiſcopus Groſſetanus.

Johannes Andreas Crucius de Tibure, epiſcopus Tiburtinus.

Carolus Cicada, Genuenſis, epiſcopus Albinganenſis.

Franciſcus Maria Piccolomineus, Senenſis, epiſcopus Ilcinenſis.

(*a*) Editi *Cattaconenſis*.

Aciſclus Moya *de Gantreras*, Hiſpanus, epiſcopus Vicenſis.

Adrianus Fuſconius, Romanus, epiſcopus Aquinus.

Antonius de Sancto Michaële, Hiſpanus, Ordinis Sancti Franciſci, epiſcopus Montis Marani.

Hieronymus Melchiorius, Recanatenſis, epiſcopus Maceratenſis.

Petrus de Petris de Monte, Aretinus, epiſcopus Lucerinus.

Julius Grittus, Venetus, epiſcopus Parentinus.

Galeatius Roſcius de Interamna, epiſcopus Affilienſis.

Franciſcus Richardotus Burgundus, epiſcopus Atrebatenſis.

Jacobus Maria Sala Bononienſis, Italus, in Gallia epiſcopus Vivarienſis.

Gabriel de Monte S. Albini, epiſcopus Heſinus.

Agapitus Belhomo, Romanus, epiſcopus Caſertanus.

Julius Cananus, Ferrarienſis, epiſcopus Adrienſis.

Marianus Sabellus, Romanus, epiſcopus Eugubinus.

Julius Gallettus, Piſanus, epiſcopus Aleſſanenſis.

Hieronymus Burgenſis, Gallus, epiſcopus Cathalaunenſis.

Epiſcopi Pauli IV.

Scipio Æſtenſis, Ferrarienſis, epiſcopus Caſalenſis.

Didacus Sarmiente de Soto major, Hiſpanus, epiſcopus Aſtoricenſis.

Thomas Goduclus, Anglus, epiſcopus Aſaphenſis.

Fauſtus Caffarellus, Romanus, epiſcopus Fundanus.

Belliſarius Balduinus, Neapolitanus, epiſcopus Larinenſis.

Urbanus Vigerius *de Ruvere*, Genuenſis, epiſcopus Senogallenſis.

Jacobus Surerus Græcus, epiſcopus Miloſotamenſis junior.

Johannes Baptiſta Oſius, Romanus, epiſcopus Reatinus.

Marcus Laureus, Tropienſis, ordinis Prædicatorum, epiſcopus Campanienſis.

Franciſcus *Beauguere*, Gallus, epiſcopus Metenſis.

Herculeſ *Rettinger*, Germanus, epiſcopus Lavantinus.

Johannes Franciſcus Commendonus, epiſcopus Hyacinthenſis, factus cardinalis a Pio IV.

Julius de Rubeis *Pobin*, epiſcopus Sancti Leonis.

Carolus de Graſſis, Bononienſis, epiſcopus Montis faliſci.

Arrias *Gallego*, Hiſpanus, epiſcopus Ovitenſis.

Johannes *de Munnatones*, Hiſpanus, ordinis ſancti Auguſtini, epiſcopus Segobienſis.

Franciſcus Blanci, Hiſpanus, epiſcopus Aurienſis.

Vincentius de Luchis, Bononienſis, epiſcopus Anconitanus.

Pompeius Piccolomineus de Aragonia, epiſcopus Tropienſis.

Petrus Barbadicus, Venetus, epiſcopus Curſolenſis.

Franciſcus Baccodius, Sabaudienſis, epiſcopus Gebennenſis.

Carolus *de Angennes*, Gallus, epiſcopus Cenomanenſis.

Hieronymus de Nichicola Veronenſis, ordinis Prædicatorum, epiſcopus Theanenſis.

Marcus Antonius Bubba Caſalenſis, orator ſereniſſimi ducis Sabaudiæ, epiſcopus Auguſtenſis in Pedemontio, factus cardinalis a Pio IV.

Jacobus Lomellinus, Meſſanenſis, epiſcopus Mazarienſis.

Donatus de Laurentiis de Aſculo Apuliæ, epiſcopus Ariianenſis.

Petrus Contarenus, Venetus, epiſcopus Paphenſis.

Petrus Daneſius, Gallus, epiſcopus Vaurenſis.

Hieronymus Savorgnianus, Forojulienſis, epiſcopus Sabinicenſis. (*a*)

Carolus *de Rouey*, Gallus, epiſcopus Sueſſionenſis.

Philippus *du Bec*, Gallus, epiſcopus Venetenſis.

Georgius Draſcovicius, Croatus, orator Cæſareus pro regno Hungariæ, epiſcopus Quinqueccleſienſis.

Franciſcus *de Aguirre*, Hiſpanus, epiſcopus Cotronenſis.

Antonius de Gueſta, Hiſpanus, epiſcopus Legionenſis.

Antonius *Gorionero*, epiſcopus Almerienſis.

Antonius Auguſtinus, Hiſpanus, epiſcopus Ilerdenſis.

Angelus Maſſarellus, Septenpedanus ſecretarius ſacroſancti concilii Tridentini, epiſcopus Thelisinus.

Antonius Ciurelia Barenſis, epiſcopus Budicenſis. (*b*)

Dominicus Caſalbrancha, Meſſanenſis, ordinis Prædicatorum, epiſcopus Vicenſis.

Petrus Faunus Coſtacciario, epiſcopus Aquenſis.

Johannes Carolus Boſſius (*c*) Bononienſis, epiſcopus Aſtunenſis.

Hugo Boncompagnus, Bononienſis, epiſcopus Veſtanus, factus cardinalis a Pio IV. qui fuit papa Gregorius XIII. anno 1572.

Salvator Pacinus de Colle, epiſcopus Cluſinus.

Lupus *Martines*, Hiſpanus, epiſcopus Elnenſis.

Carolus *de Heſpinay*, Gallus, epiſcopus Dolenſis.

Egidius *Spiphame*, Gallus, epiſcopus Nivernenſis.

Antonius Sebaſtianus Minturnus de Trajecto, epiſcopus Uxcentinus.

Bernardus *d'Elbene*, Florentinus, in Gallia epiſcopus Nemauſenſis.

Dominicus Bellanus, Venetus, epiſcopus Brixienſis.

Johannes Antonius Ulpius, Comenſis, epiſcopus Comenſis.

Ludovicus *de Genouilhac*, Gallus, epiſcopus Tullenſis.

Philippus Maria Campegius, Bononienſis, epiſcopus Feltrenſis.

Johannes *de Guignones*, Hiſpanus, epiſcopus Calaguritanus.

Epiſcopi Pii IV.

Didacus *de Covarruvias* de Leyva (*d*) Hiſpanus, epiſcopus Civitatenſis.

Philippus Gerius Piſtorienſis, epiſcopus Iſclanenſis.

Johannes Antonius Facchinettus epiſcopus Neocaſtrenſis.

Hypolitus Capilupus, Mantuanus, epiſcopus Fanenſis.

Johannes Fabricius Severinus, Neapolitanus, epiſcopus Acerenſis.

Conſtantius Bonellus, Feretranus, epiſcopus civitatis Caſtelli.

Julius Superchius, Mantuanus, ordinis Carmelitarum, epiſcopus Caprulanus.

Martinus Ritovius Flander, primus epiſcopus Iprenſis.

Antonius Havetius, ordinis Prædicatorum, primus epiſcopus Namurcenſis.

Matthæus de Coucinis, Florentinus, epiſcopus Cottonenſis.

Nicolaus Sfrondratus, Mediolanenſis, epiſcopus Cremonenſis.

Ventura Buffalinus, Typhernas, epiſcopus Maſſanenſis.

Ludovicus *de Bueil*, Gallus, epiſcopus Vencienſis.

Hieronymus Galleratus, Mediolanenſis, epiſcopus Sutrinus.

Johannes Petrus Delphinus, Venetus, ordinis Canonicorum regularium, epiſcopus Hiacinthenſis ſecundus.

Johannes Andreas Bellonius, Meſſanenſis, epiſcopus Maſſalubrenſis.

Georgius *Ziſchovid*, Hungarus, ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, epiſcopus Segnenſis.

Stephanus *Boucher*, Gallus, epiſcopus Coriſopitenſis.

Johannes Paulus Amanius Cremonenſis, epiſcopus Anglonenſis.

(*a*) Editi *Bibinicenſis*. (*b*) Editi *Buduenſis*. (*c*) Editi *Bovius*.

(*d*) Hic epiſcopus cum duobus ſequentibus in editis numeratur inter epiſcopos Pauli IV.

Federicus Cornelius, Venetus, episcopus Bergomensis.

Alexander Sfortia de Sancta Flora, episcopus Parmensis, factus cardinalis a Pio IV.

Antonius *le Cirier*, Gallus, episcopus Abrincensis.

Andreas Mozzanicus, Venetus, episcopus Nimosiensis.

Benedictus Salvinus, Firmanus, episcopus Verulanensis.

Guillelmus *Cassador*, Hispanus, episcopus Barchinonensis.

Petrus *Gonzalez* de Mendoza, Hispanus, ordinis Prædicatorum, episcopus Dertusensis.

Julius Magnanus, Placentinus, ordinis conventualium S. Francisci, episcopus Calvensis.

Valentinus Herbutus, Polonus, orator serenissimi regis Poloniæ, episcopus Præmislicnsis.

Simon Aleottus Forolivienſis, episcopus Forolivienſis.

Petrus *de Zague*, Hispanus, ordinis Prædicatorum, episcopus Nioguensis.

Prosper Rebiba Messanensis, episcopus Trojanus.

Melchior *Avosmediano*, Hispanus, episcopus Guadixensis.

Hippolitus de Rubeis, Parmensis, electus episcopus Papiensis.

Didacus *de Leon*, Hispanus, ordinis Carmelitarum, episcopus Columbriensis.

Annibal Saracenus, Neapolitanus, episcopus Liccicnsis.

Paulus Jovius Comensis, episcopus Nucetiensis.

Hieronymus Trivisanus, Venetus, ordinis Prædicatorum, episcopus Veronensis.

Hieronymus Ragazzonus, Venetus, episcopus Famagustanus.

Romulus de Valentibus de Trebia, episcopus Conversanus.

Lucius Maranta, Venusinus, episcopus Lavellensis.

Simon Pasqua de Nigris, Genuensis, episcopus Serezanensis, factus cardinalis a Pio IV.

Theophilus Gallupus, Tropiensis, episcopus Opidensis.

Julius Simonetta, Mediolanensis, episcopus Pisaurensis.

Petrus *d'Albret*, Navarrus, episcopus Convenarum.

Jacobus Guidius, Volaterranus, episcopus Pennensis & Adriensis.

Didacus *Ramirez*, Hispanus, episcopus Pamilonensis.

Franciscus *Delgado*, Hispanus, episcopus Lucensis.

Johannes *Clausse*, Gallus, episcopus Senecensis.

Jacobus Ghibertus *de Nogueras*, episcopus Aliphanus.

Antonius Maria de Salviatis Florentinus, in Gallia episcopus S. Pauli.

Matthæus Priulus, Venetus, episcopus Æmonienſis.

Thomas Lilius, Bononiensis, episcopus Soranus.

Fabius Pignatellus, Neapolitanus, episcopus Monopolitanus.

Hieronymus Guerrinus, Ferrarranus, episcopus Imolensis.

Carolus de Vicecomitibus, Mediolanensis, episcopus Vintimiliensis, factus cardinalis a Pio IV.

Thomas *Overllaithe* (*a*) Hibernus, episcopus Rossensis.

Franciscus *de la Vallette*, Gallus, episcopus Vabrensis.

Johannes Colosvarinus, Hungarus, ordinis Prædicatorum, episcopus Canadiensis.

Andreas Didutius Sbardellatus, Hungarus, nunc episcopus Cævadiensis.

Spinellus Bencius, Politianus, episcopus Montis Politiani.

Franciscus Abondius Castilioneus, episcopus Robiensis, factus cardinalis a Pio IV.

Stanislaus Faleschi, Polonus, episcopus Theodosiensis vel Casensis.

Eugenius *Ohairt*, Hibernus, ordinis Prædicatorum, episcopus Achadensis.

Donaldus *Magungial*, Hibernus, episcopus Rapotensis.

Guido Ferrerius, Pedemontanus, episcopus Vercellensis, factus cardinalis a Pio IV.

Johannes Baptista Sighicellus, Bononiensis, episcopus Faventinus.

Sebastianus Vantius, de Arimino, episcopus Ulbevetanus.

Johannes Baptista Lomellinus, Messinensis, episcopus Gardiensis.

Johannes Baptista Milanesius, Florentinus, episcopus Marsicanus.

Augustinus Mollignatus, Vercellensis, episcopus Trivicanensis.

Carolus Grimaldus, Genuensis, episcopus Sagonensis. (*b*)

Fabricius Landrianus, Mediolanensis, episcopus S. Marci.

Bartholomæus Ferratinus, Amerinus, episcopus Amerinus.

Petrus Fragus, Hispanus, episcopus Uselensis.

Hieronymus de Pradis, Florentinus, Orator illustrissimi ducis Florentiæ & Senarum, electus episcopus Cortonensis.

Franciscus Contarenus, Venetus, episcopus Paphensis.

Johannes Delphinus, Venetus, episcopus Torcellanus.

Alexander Molus, Comensis, episcopus Minorensis.

Abbates & Generales qui venerunt ad sacrum concilium, & primo Abbates.

Ludovicus *de Baissay*, Gallus, Cisterciensis abbas & generalis.

(*a*) *Oyerlaithe.* [*b*] Editi *Savonensis.*

Hieronymus

Hieronymus de la *Seurchiere*, Gallus, abbas Clarevallenſis.

Stephanus de Novaria, S. Mariæ Gratiarum, prope Placentiam.

Auguſtinus Loſchus, Hiſpanus, abbas Caſinenſis S. Benedicti, de Ferraria.

Euthitius *de Cordes*, Antuerpienſis, abbas pro titulo.

Generales ordinum.

Vincentius Juſtinianus, Genuenſis, generalis ordinis Prædicatorum.

Franciſcus Zamora, Hiſpanus, generalis S. Franciſci de Obſervantia.

Antonius Sapiens, Auguſtanus, generalis S. Franciſci Conventualium.

Chriſtophorus Patavinus, generalis S. Auguſtini.

Stephanus Fazzinus, Cremonenſis, provincialis Lombardiæ pro generali ordinis Carmelitarum.

Johannes-Baptiſta Milliavacca, (b) Aſtenſis, generalis Servorum.

Jacobus *Lainez*, Hiſpanus, generalis Societatis Jesu.

Doctores legis pro ſacro concilio.

Gabriel Palæottus, Bononienſis, auditor Rotæ, factus cardinalis a Pio IV.

Scipio Lancelottus, Romanus, advocatus conſiſtorialis, factus cardinalis a Pio IV.

Johannes-Baptiſta Caſtellus, Bononienſis, rerum concilii promotor.

Michaël Tomaſius, Majoricenſis, doctor decretorum.

Theologi a ſummo pontifice miſſi.

Alfonſus Salmeronus, Hiſpanus, ordinis Jeſuitarum.

Frater Petrus de Soto, Hiſpanus, ordinis Prædicatorum.

Franciſcus Torenſis, doctor Theologus, Hiſpanus.

Antonius Soliſius, doctor Theologus, Hiſpanus.

Camillus Campegius, Papienſis, inquiſitor Ferrariæ, ordinis Prædicatorum.

Frater Hieronymus Bravi, Hiſpanus, ordinis Prædicatorum.

Doctores theologicæ facultatis Pariſienſis, miſſi a Carolo IX. Galliarum rege chriſtianiſſimo.

Nicolaus *Maillard*, decanus facultatis Pariſienſis.

Johannes *Pelletier*.

Antonius *Demochares*.

Nicolaus *de Bris*.

Jacobus Hugonis, Franciſcanus. Idem etiam procurator reverendiſſimi Johannis Urſini, epiſcopi Trecorenſis.

Simon *Vigor*.

Richardus *Dupré*.

Natalis *Paillet*.

Robertus *Fournier*.

Antonius *Coquier*.

Lazarus *Broycot*.

Claudius *de Saintes*, canonicus regularis.

Doctores miſſi a Philippo rege catholico Hiſpaniarum.

Coſmas-Damianus Hortolanus, electus abbas villæ Bertrandi.

Ferdinandus Tritius, doctor theologus, canonicus Caurienſis.

Ferdinandus Vellotillus, doctor theologus, canonicus Segontinus.

Thomas *Daſſio*, J. U. D. canonicus Valentinus.

Licentiatus Antonius *Covarruvias*, auditor Granatenſis.

Ferdinandus Minchaça, decretorum doctor.

Frater Johannes *Ramires*, miniſter provinciæ divi Jacobi.

Frater Alfonſus *Contreras*, commiſſarius in curia regis Hiſpaniæ.

Frater Michaël de Medina, ſacræ theologiæ doctor.

Frater Johannes Lobera, ſacræ theologiæ, lector Salmanticenſis.

Frater Johannes *Gallo*, ordinis Prædicatorum.

Frater Petrus *Fernandez*, Hiſpanus, ordinis Prædicatorum.

Frater Deſiderius de S. Martino, Panormitanus, ordinis Carmelitarum.

Michaël Baius, ab Atho, ſacræ theologiæ doctor.

Johannes *Helſſels*, a Lovanio, ſacræ theologiæ doctor.

Cornelius Janſenius, Hulſtenſis, ſacræ theologiæ doctor.

Theologi miſſi a rege Portugalliæ.

Frater Franciſcus *Foriero*, ordinis Prædicatorum.

D. Jacobus a Payva *de Andrade*, Luſitanus, doctor theologus.

D. Melchior Cornelius, decretorum doctor, Senator regis Portugalliæ.

Ab excellentiſſimo duce Bavariæ.

Johannes Cavillonius, Flander, de ſocietate Jeſuitarum.

Procuratores epiſcoporum abſentium.

Marchantius, doctor theologus, pro illuſtriſſimo cardinali de Mendoza, epiſcopo Burgenſi.

Johannes Gotardus, clericus ſæcularis, Germanus, doctor theologus, ſuffraganus pro reverendiſſimo epiſcopo Ratiſbonenſi.

Georgius *Hochenuarter*, clericus ſæcularis, Germanus, doctor theologus, ſuffraganeus pro reverendiſſimo epiſcopo Baſileenſi.

Frater Felicianus Ningarda, de Morbinio, ordinis Prædicatorum, pro illuſtriſſimo D. Salczburgenſi orator.

Petrus *Cumels*, doctor theologus, canonicus Malaeſtanus, pro reverendiſſimo Malacitano.

Johannes Delgadus, doctor theologus, canonicus Tudenſis, pro D. Johanne de

[b] Editi *Miglavacca*.

S. Æmiliano, reverendiſſimo epiſcopo Tudenſi.

Gaſpar Cardillus Villalpandeus, Segobienſis, doctor theologus, pro reverendiſſimo epiſcopo Abulenſi.

Frater Johannes de Ludenna, doctor theologus, ordinis Prædicatorum, pro reverendiſſimo epiſcopo Saguntino.

Frater Franciſcus *Orantes*, lector Valliſoleti, ordinis Minorum, pro reverendiſſimo epiſcopo Palentino.

Cæſar Ferrantius, Sueſſanus, doctor theologus, pro reverendiſſimo epiſcopo Sueſſano apud reverendiſſimum Herdenſem.

Procuratores ordinum.

Johannes *Contignon*, doctor Gallus, prior & procurator ordinis Cluniacenſis.

Nicolaus *Boucherat*, Gallus, prior monaſterii de Recluſo, procurator generalis ordinis Ciſtercienſis.

Theologi ſeculares, & doctores Juris canonici.

Georgius *Girard*, Gallus, doctor theologus cum reverendiſſimo Andegavenſi.

Gentianus Hervetus, Gallus, cum reverendiſſimo & illuſtriſſimo cardinale a Lotharingia.

Franciſcus Sancius, decanus facultatis theologiæ, & canonicus Salmaticenſis cum reverendiſſimo Salmaticenſi.

Matthæus Guerra Coſentinus, Calaber, preſbyter ſæcularis cum reverendiſſimo S. Marci.

Federicus Pendaſius cum illuſtriſſimo cardinale de Mantua, legato ſacri concilii.

Johannes Franciſcus Lombardus cum illuſtriſſimo cardinale Seripando, legato ſacri concilii.

Petrus Mercatus, theologus, cum reverendiſſimo Vicenſi.

Trigillus, doctor theologus, canonicus Legionenſis, cum reverendiſſimo Legionenſi.

Sobannus, doctor theologus, cum reverendiſſimo Legionenſi.

Antonius Leitonus, doctor theologus, cum reverendiſſimo Coimbricenſi.

Petrus Frontidonius, doctor theologus, cum reverendiſſimo Salmantino.

Johannes Vilcta, doctor theologus, cum reverendiſſimo Barchinonenſi.

Johannes Fonſeca, doctor theologus, cum reverendiſſimo archiepiſcopo Granatenſi.

Michaël *Orunſcupe*, doctor theologus, cum reverendiſſimo Pampilonenſi.

Alphonſus *Fernandez* de la Guerra, Hiſpanus, doctor theologiæ, cum reverendiſſimo Guadixienſi.

Coſmus Balma Fonteyus, ſacræ theologiæ doctor, Hiſpanus, Nortilani abbatis diſcipulus & comes.

Michaël Yrero, U. J. D. cum reverendiſſimo Pampilonenſi.

Joſephus Puebla, doctor theologus, cum reverendiſſimo Civitatenſi.

Johannes *Cacon*, doctor juris canonici, cum reverendiſſimo Almerienſi.

Antonius Garſias, doctor theologus, cum reverendiſſimo Ovetenſi.

Benedictus Arias Montanus, ordinis S. Jacobi, theologus, cum reverendiſſimo Segobienſi.

Johannes Barcellona, theologus, cum reverendiſſimo epiſcopo Uſcellenſi.

Doctores Galli ordinis S. Benedicti.

Johannes *de Carthougne*, doctor theologus.

Johannes *de Verdun*, Gallus, doctor theologus.

Theologi ordinis fratrum Prædicatorum.

Angelus Cioſus, Florentinus, cum illuſtriſſimo cardinale Mantuano legato.

Seraphinus de Caballis, d. Brixia, provincialis Terræ ſanctæ, cum reverendiſſimo ſuo generali.

Heliſæus *Capys*, Venetus, theologus archiepiſcopi Pragenſis.

Petrus Aridenſis, Gallus, cum reverendiſſimo D. Cenomanenſi.

Bernardus Bernardi, Gallus, inquiſitor Avinioni, vicarius congregationis Franciæ, cum D. Nemauſenſi.

Johannes Matthæus Valdina, cum reverendiſſimo D. Tarentino.

Petrus Martyr Coma, Hiſpanus, cum reverendiſſimo Gerundenſi.

Petrus *Zatores*, Hiſpanus, cum reverendiſſimo Dertuſenſi.

Antonius de Groſupto, cum reverendiſſimo D. Vigliavanenſi.

Aurelius de Chio, cum reverendiſſimo Spalatrenſi.

Adrianus Valentinus, Venetus, cum reverendiſſimo Nicoſienſi.

Marcus *Medices*, Veronenſis, cum reverendiſſimo Cenetenſi.

Benedictus Herba, Mantuanus, cum reverendiſſimo Brixienſi.

Michaël *de Aſt*, Genuenſis, prior S. Laurentii de Tridento.

Conſtantinus Coccianus Iſorella, cum reverendiſſimo de Monte Politiano.

Henricus de S. Hieronymo cum reverendiſſimo D. Bracarenſi.

Ludovicus de Sotto, mayor, cum reverendiſſimo D. Georgio *de Tayde*.

Baptiſta de Lugo, cum reverendiſſimo Veronenſi.

Hieronymus Barolus, Papienſis.

Nomina fratrum theologorum B. Franciſci de Obſervantia, cum eorum generali.

Aloyſius de Burgo novo, Italus, theologiæ lector Bononienſis, commiſſarius generalis.

Thomas de Soliano, Italus, provinciæ Bononiæ magiſter.

Antonius de Padua, Luſitanus, ſecretarius ordinis.

Bonifacius Raguſeus, terræ ſanctæ gubernator.

Angelus de Petrolo, Italus, lector ſacræ theologiæ Peruſii.

Angelus Juſtinianus, lector ſacræ theologiæ Genuæ.

Vincentius de Meſſina, ſacræ theologiæ lector Neapoli.

Jacobus Alani, Gallus, Theologus.

Nomina omnium theologorum ordinis fratrum Minorum conventualium exiſtentium in ſacro concilio cum reverendiſſimo eorum generali.

Marcus-Antonius Gambaronus, a Lugio, ſocius religionis.

Bartholomæus Golphus, de Pergula.

Johannes III. Bergomenſis, lector publicus theologiæ in gymnaſio Papienſi.

Clemens Thomaſinus, regens in conventu S. Crucis de Florentia.

Auguſtinus Balbus, a Lugio.

Johannes-Baptiſta Ghiſulphus, ordinis ſcriba.

Antonius de Griſnano, regens S. Antonii de Patavio.

Lucius Angoſiola, Placentinenſis, regens S. Franciſci Bononienſis.

Maximianus Beninianus Cremenſis, orator pro religione, & inquiſitor Paduæ.

Octavianus Charus, Neapolitanus, regens S. Laurentii de Neapoli.

Antonius Poſius de Monte Ilcino, regens in conventu XII. apoſtolorum Romæ.

Bonaventura Meldulenſis, regens in conventu Parmæ.

Martialis Peregrinus, Calaber, regens in conventu Ferrariæ.

Antonius a Cubalo, Feltrenſis.

Andræas Schynopius, de Amandula, cum reverendo epiſcopo Catanzario.

Baltaſar Criſpus, Neapolitanus, cum reverendiſſimo domino Tropienſi.

Theologi ordinis fratrum eremitarum ſancti Auguſtini.

Thaddæus Peruſinus, cum reverendiſſimo domino de Salviatis.

Johannes Paulus, Recanatenſis, cum reverendiſſimo epiſcopo Quinqueccleſienſi.

Simon Florentinus, cum illuſtriſſimo cardinali Seripando legato.

Cherubinus Lavoſius, de Caſſia, cum reverendiſſimo Vercellenſi.

Ambroſius Veronenſis, conventus S. Marci de Tridento.

Johannes Baptiſta Burgos, Valentinus, Hiſpanus.

Antonius Mondulfenſis, cum reverendiſſimo domino Pragenſi oratore.

Ægidius Volaterranus, cum reverendiſſimo domino Thininienſi.

Eugenius Piſaurenſis, qui in quadrageſima anni 1562. publice prædicavit Tridenti.

Adamantius Florentinus, qui erat cum illuſtriſſimo cardinali Madruccio.

Aurelius Coriſmaltenſis, cum domino oratore Helvetiorum.

Balthaſar Maſſanus, cum reverendiſſimo epiſcopo Catanienſi.

Sebaſtianus Fanenſis, ejuſdem ordinis ſcriba.

Chriſtophorus de Santoris, Burgenſis, Hiſpanus.

Simon de Braxzolatis, Patavinus.

Theologi ordinis fratrum Carmelitarum.

Stephanus, locum tenens generalis ordinis Carmelitarum & provincialis Lombardiæ Cremonenſis.

Theodorus Maſius, Mantuanus, cum reverendiſſimo domino epiſcopo Cremonenſi.

Silveſter, confeſſor illuſtriſſimi domini cardinalis Mantuani.

Lucretius, Aſcolanus, cum reverendiſſimo domino patriarcha Venetiarum.

Nicolaus, Gallus, cum reverendiſſimo patre generali.

Eraldus, Gallus, cum reverendiſſimo patre generali.

Laurentius, Venetus, cum reverendiſſimo patre generali.

Theologi ordinis fratrum Servorum.

Stephanus Bonucius, Aretinus.

Amans, pro congregatione Servorum; cum reverendiſſimo domino Sibinicenſi.

Officiales ſacri concilii.

Epiſcopus Cavenſis, commiſſarius.

Epiſcopus Theleſinus, ſecretarius.

Ludovicus, magiſter ceremoniarum.

Cantores ſacri concilii.

Simon Bertolinus, Peruſinus.

Johannes Aloyſius de epiſcopis, Neapolitanus.

Bartholomæus *le Comte*, Gallus.

Matthias Albo de Fulgineo.

Franciſcus de Buſtamante, Hiſpanus.

Johannes Antonius Latinus, Beneventanus.

Franciſcus Druda, Urbinas.

Lucas Longinquus, Giſonenſis.

Petrus Scorteccio, Aretinus.

Notarii ſacri concilii.

Marcus Antonius Peregrinus, Comenſis.

Cyntius Pamphilus, de S. Severino.

D. Thorellus Phola preſbyter de Puppio, rerum concilii lector.

Hieronymus *Gamber* Brixienſis, Forrerius.

Antonius Mannellus, depoſitarius concilii.

Curſores domini noſtri papæ & ſacri concilii.

Nicolaus de Marteis, &

Jacobus Carra, ambo Allobroges.

Bulla celebrationis ſacri œcumenici concilii Tridentini SS. in Chriſto patris & domini noſtri Pii divina providentia papæ IV.

Pius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad

perpetuam rei memoriam. Ad eccleſiæ regimen, &c. *Extat apud Labb. tom.* XIV. *conc. pag.* 836.

Breve Pii IV. papæ ſuper ordine ſedendi in concilio, non habita ratione dignitatis primatialis.

Dilecti filii noſtri S. & A. B. Sicut ea quæ pacem & concordiam, &c. *Extat ibidem pag.* 839.

In nomine ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis, jubilæum Pii papæ IV.

Paucis admodum diebus, poſt calendas Novembris, anno Domini 1561. publicatum fuit jubilæum Romæ, & deinde per univerſum Chriſtianum orbem, pro felici ſucceſſu ſacroſancti concilii generalis, quod celebrandum erat in civitate Tridenti, cujus tenor talis fuit.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus, qualiter, ſanctiſſimus dominus noſter dominus Pius papa IV. conceſſit vivæ vocis oraculo jubilæum plenarium, cum remiſſione omnium peccatorum, & conceſſionem omnium indulgentiarum, quas conſequetur quiſquis viſitaret anno ſanctiſſimi jubilæi eccleſias urbis Romæ, cum facultate eligendi ſibi confeſſorem ſæcularem ſive regularem, qui eum abſolvat ab omnibus peccatis ſuis & caſibus etiam reſervatis in bulla cœnæ Domini, etiam cum commutatione votorum, & aliis omnibus, præterquam a voto caſtitatis & religionis, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui contriti & confeſſi, jejunando quarta & ſexta feriis & die ſabbati tunc proxime futuris a notitia ejuſdem SS. jubilæi, capient in die Dominica tunc proxima SS. Chriſti corpus, eleemoſynas dando, & alia pia opera faciendo. Qui vero infirmitate detentus, aut quomodocumque impeditus, ne poſſit ſupradicta peragere, pauperibus aliquid erogando præſens jubilæum conſequatur. Qui vero in tantum pauper ſit, quod non poſſit eleemoſynas peragere, dicendo quinquies orationes dominicas, & totidem ſalutationes angelicas, idem conſequatur, ſupplicando humiliter Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM in eorum orationibus pro reipublicæ Chriſtianæ concordia, atque etiam proſpero & felici ſucceſſu ſanctiſſimi concilii celebrandi. Datum Tridenti, die ultima Novembris MDLXI.

Publicatio dicti jubilæi.

Die Mercurii, tertia Decembris injunctum fuit onus prædicandi atque publicandi dictum ſanctum jubilæum, venerabili patri domno Sixto de Cremona, congregationis Lateranenſis, abbati S. Bartholomæi de Piſtorio, in eccleſia cathedrali S. Vigilii de Tridento, quod factum fuit, magna hominum & mulierum multitudine adſtante.

Proceſſio cauſa imbrium & nivium.

Poſtmodum die ſeptima ejuſdem, quæ fuit Dominica ſecunda Adventus, poſt celebratam miſſam & habitam orationem, quibus interfuere illuſtriſſimi & reverendiſſimi domini legati, & reverendiſſimi prælati & epiſcopi quotquot aderant tunc Tridenti, facta fuit proceſſio generalis, circa tamen eccleſiam cathedralem, propter frequentes imbres & nives: qua finita, profectus eſt unuſquiſque domum ſuam.

Simonettæ cardinalis Tridentum acceſſus.

Die Martis nona ejuſdem menſis Decembris, pervenit Tridentum illuſtriſſimus dominus LUDOVICUS SIMONETTA cardinalis & legatus quartus ad concilium, & ſine ulla pompa ingreſſus, cœnatus eſt apud illuſtriſſimum cardinalem Mantuanum præſidentem concilii.

Serezzanenſis epiſcopi domini Simonis Paſqua, Genuenſis, adventus Tridentum, qui fuit patronus auctoris hujus operis.

Die XIX. ejuſdem, circa horam vigeſimam ſecundam ingreſſus eſt Tridentum reverendiſſimus dominus epiſcopus Lunenſis Serezzanenſis, dominus SIMON PASQUA de Nigno, Genuenſis, patronus meus, cum quo ab urbe Roma diſceſſi, ſummus philoſophus, eximius phyſicus ſui temporis, & præcipuus medicus Pii papæ IV.

Incipit annus ſalutis a Nativitate Domini noſtri JESU CHRISTI MDLXII.

Miſſa ſumma in die Natalis Domini noſtri JESU CHRISTI.

Die Jovis vigeſima quinta Decembris in natali ſalvatoris noſtri JESU CHRISTI, in cathedrali eccleſia S. Vigilii, celebravit miſſam ſolemnem reverendiſſimus dominus Antonius Helius patriarcha Jeroſolymitanus & epiſcopus Pol... cui interfuere illuſtriſſimi legati cum cardinali Madruccio electo Tridentino, & reverendiſſimis patribus.

Idem factum fuit die 26. 27. & 28. præſentibus eiſdem illuſtriſſimis legatis, cardinale Madruccio & reverendiſſimis patribus, cum oratione tamen ad quamlibet miſſam quolibet die.

Miſſa ſolemnis die prima Januarii.

Die Jovis 1. Januarii, dedicata feſto circumciſionis Domini noſtri JESU CHRISTI, celebravit ſolemniter reverendiſſimus D. Petrus Guerrerus Hiſpanus, epiſcopus Granatenſis, cum oratione quam habuit D. Julius de Eugubio, cuique aſtitere illuſtriſſimi & reverendiſſimi ut ſupra.

Miſſa in die epiphaniæ.

Die Martis VI. Januarii, quæ eſt epiphania Domini, celebravit miſſam ſolemnem reverendiſſimus D. Baptiſta Caſtagna, Romanus, archiepiſcopus Roſſanenſis, cum oratione quam habuit magiſter Stephanus de Arretio, ordinis S. Mariæ Servorum, quibus omnibus præſentes fuere illuſtriſſimi & reverendiſſimi patres modo quo ſupra.

Quid ſtatutum a patribus ſuper aperzione de novo, vel continuatione ſacri concilii.

Die XIV. ejuſdem cum habenda eſſet die 15. prima congregatio ab illuſtriſſimis & reverendiſſimis patribus ſuper apertione de novo, vel continuatione ſacri concilii, poſt illud JULII papæ III. & cum prohibitum eſſet a PIO ſummo pontifice, ne ſuper hoc verba fierent; & inter ceteros reverendiſſimi patres Hiſpanicæ nationis hoc enixe poſtularent, tandem convenere omnes juſſa facere ſummi pontificis.

Prima congregatio in qua concluſa eſt dies continuationis ſacroſancti concilii Tridentini.

Die XV. Jovis ejuſdem, in domo illuſtriſſimi D. de Mantua legati, habita fuit prima congregatio ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, cui duo patriarchæ, ſex archiepiſcopi & nonaginta epiſcopi interfuere; in eaque concluſum eſt & decretum, ut die Dominica XVIII. ejuſdem menſis, habita ſolemni proceſſione, celebraretur miſſa Spiritus-ſancti per præfatum illuſtriſſimum legatum & præſidentem concilii; utque oratio haberetur per archiepiſcopum Rheginum, ut divino auſpicio perveniri poſſit ad remotionem ſuſpenſionis concilii, & ad illius proſequutionem, & ad decreta neceſſaria facienda.

Dux Mantuanus venit Tridentum.

Die XVI. Veneris ejuſdem, pervenit Tridentum ad horam noctis, illuſtriſſimus dominus Guillelmus dux Mantuæ, ut videret præſentem ſeſſionem.

Adventus Tridentum D. patriarchæ Venetiarum.

Die XVIII. ejuſdem, venit Tridentum reverendiſſimus D. Johannes Triviſanus patriarcha Venetiarum.

Dominus Georgius Draſcovitius orator Cæſareus pro regno Hungariæ.

Eadem die pervenit huc reverendiſſimus D. Georgius Draſcovitius epiſcopus Quinqueeccleſienſis, invictiſſimi FERDINANDI Romanorum imperatoris, electus pro rege Hungariæ orator ad generale concilium Tridentinum.

Individuæ Trinitatis auſpicio proſecutio ſacri concilii Tridentini ſub Pio IV. pontifice maximo, anno a Nativitate Domini MDLXII.

SESSIO XVII.

quæ eſt ſeſſio I. ſub Pio IV.

Proceſſio in continuatione ſacri concilii.

Die XVIII. Januarii, quæ Dominica dies eſt & feſtum cathedræ B. Petri principis apoſtolorum, hora decima quinta, convenere ad honorem SS. Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus-ſancti, quatuor illuſtriſſimi reverendiſſimique legati ſacroſancti concilii, ſcilicet cardinalis Mantuanus, Seripandus Varmienſis, & Simonetta, atque illuſtriſſimus Madruccius cardinalis electus Tridentinus, una cum reverendiſſimis patriarchis Jeroſolymitano, Aquileienſi & Veneto, atque etiam archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, generalibus, procuratoribus ordinum, prioribus, guardianis, & hujuſmodi cum eorum fratribus; congregationum S. Dominici, S. Franciſci & S. Auguſtini obſervantium & conventualium, in parochialem eccleſiam S. Petri Teutonicæ nationis. Unde egredientes bini, in primis fratres cum eorum prioribus, ferentes ante eos crucem, ut moris eſt, & poſt eos reverendi canonici cathedralis eccleſiæ S. Vigilii, una cum reliquiis pluribus, poſt quos erant cantores capellæ ſummi pontificis & concilii, qui cantabant hymnum *Veni Creator Spiritus*, quos ſequebantur epiſcopi, archiepiſcopi, patriarchæ, deinde oratores cum illuſtriſſimo duce Mantuæ, noviſſimi vero omnium illuſtriſſimi cardinales præſidentes concilii, amicti omnes pluvialibus diverſi coloris & valoris, cum eorum mitris, quos ſubſequebantur generales omnium congregationum. Venerunt ex dextris ad angulum fori olitorii, & illinc ad ſiniſtram, domum verſus illuſtriſſimi cardinalis Varmienſis, pervenerunt ad viam quæ dicitur Lata: per quam recto itinere perventum eſt ad cathedralem, ad quam ut poſtremi venere. fuſa oratione, ſinguli profecti ſunt ad loca eiſdem jam parata, prout ex more ſedent in congregationibus, ſecundum dignitatem quam obtinent & promotionem. Cardinalis autem Mantuæ præſes concilii, cui de more obvenichat onus hujuſmodi, celebravit miſſam ſummam, atque eam de Spiritu-ſancto; qua completa frater Gaſpar de Foſſo, Coſentinus, ordinis S. Franciſci de Paula & archiepiſcopus Rhegii Calabriæ, habuit hujuſmodi orationem.

Si daretur, illuſtriſſimi & reverendiſſimi concilii legati & præſidentes, ac patres ampliſſimi, congreſſus, &c. *ut apud Labbeum tom. 14. conc. pag. 1249.*

Qua finita, dum genuflexi eſſent omnes, & complerentur omnes litaniæ, & cantores canerent illum verſiculum: *Ut eccleſiam ſanctam regere & conſervare digneris*, illuſtriſſimus Mantuanus, qui ſacra peregerat, genuflexus etiam nunc ante altare ſurgens ter dixit: *Ut hanc ſanctam ſynodum regere, &c.* reſpondentibus cantoribus, *Te rogamus audi nos*; qui & proſequuti ſunt litanias uſque in finem, id quod factum eſt, ut principium hoc eſſet primæ ſeſſionis, recitatis & finitis quibuſdam orationibus coram altari ab ipſomet præſide, ipſe cum aliis tribus legatis ſedens ſuper ſede in medio altaris, prout eiſdem ſuper ſcabello aptatæ erant, & quiſque reverendiſſimus in loco ſuo, & ceteri auditores qui adſtabant, audierunt reverendiſſimum dominum ANGELUM MASSARELLUM epiſcopum Tileſinum, a ſecretis ſacroſancti concilii, habentem concionem pro continuatione concilii ex parte ſummi pontificis, cum altera quæ continebat auctoritatem il-

lustrissimorum legatorum: quæ postquam complevit reverendissimus Tilesinus, & descendit de loco ubi talia significaverat, ascendit eo reverendissimus archiepiscopus Rheginus, qui nunc habuerat orationem, qui & legit hæc decreta subsequentia.

Decretum primum publicatum in prima sessione de inchoando concilio.

Illustrissimi & reverendissimi domini, reverendissimique patres, placet ne vobis, &c. *ut apud Labb. pag.* 840.

Decretum secundum primæ sessionis, indictio secundæ sessionis.

Illustrissimi & reverendissimi domini reverendique patres, placet ne vobis proximam futuram sessionem habendam & celebrandam esse feria v. post secundam dominicam quadragesimæ, quæ erit dies vigesimus sextus mensis Februarii. Responderunt: Placet.

Quibus lectis, reverendissimus Tilesinus quoscumque percunctatus de eorum voluntate est, habitisque votis, reperti sunt omnes consensisse: de quibus omnibus rogati sunt domini notarii concilii ad hoc huc missi, scilicet dominus Marcus Antonius Pelesinus de Como, & dominus Cyntius Pamphilus de Sancto Severino. Tunc illustrissimus legatus præses stans intonuit *Te Deum laudamus*, & cantores prosecuti sunt. quo finito, & habitis aliquot orationibus ad Deum, cum benedictione illustrissimi præsidis concilii ad populum quiaderat, dimissa est sacra synodus hora xxi.

Memoriæ hoc datum est, quod dies ista illuxit perpulcra, nec fuere quidem frigora propter nives & glacies regionis hujus nimis torpentia.

Prima congregatio post primam sessionem.

Die Martis xxvii. Januarii habita fuit congregatio generalis domi illustrissimi domini præsidentis de Mantua, ubi per reverendissimum dominum Tilesinum secretarium concilii, publicati fuere infra scripti articuli.

In prima præterita sessione declaratum est, & communi omnium voto approbatum, per tractandum esse de iis quæ necessaria viderunt ad catholicam fidem stabiliendam, atque morum integritatem restituendam.

Ut autem Deo duce aggrediamur, visum est magnopere referre ad doctrinam de fide in suam puritatem restituendam, ut libri a variis auctoribus post exortas hæreses scripti, atque etiam librorum censuræ in diversis locis a catholicis editæ examinentur: de quibus quicquid sancta synodus statuerit, tamquam sacrosanctum decretum suo tempore publicabitur, ut ab omnibus absque ulla tergiversatione custodiatur. Super qua re quicumque pro ejus faciliori expeditione aliquid afferre voluerint, libenter audientur.

Ad hæc rite dijudicanda, ut vocentur omnes ex decreto sanctæ synodi consentaneum fore existimavimus, ad quos istarum rerum aliqua pertinere quoquo modo poterunt, ne deinceps inauditos se esse condemnatos causari possint.

Non ab re quoque putavimus, omnes qui in hæreses quascumque lapsi sunt, & adhuc irretiti sunt, ad pœnitentiam invitare, cum salvi conductus ampla concessione ac promissione magnæ & singularis clementiæ & benignitatis, modo redeant ad cor, & sanctæ catholicæ ecclesiæ divinam potestatem agnoscant.

Tam super modo facilioris expeditionis librorum & censurarum, quam super aliis quæ sequuntur, patres, postquam hujus scripti exemplum acceperint & consideraverint, dicent suas sententias in sequenti congregatione.

Adjuncti domino commissario.

Ut in negotiis quæ quotidie oriuntur in concilio & expeditione indigent, habeat reverendissimus dominus commissarius episcopus Cavensis senior collegas, cum quibus possit uno tempore, si opus fuerit, conferre quæ acciderint, sancta synodus ei associavit infra scriptos.

Patriarcham Jerosolymitanum.
Episcopum Nolanum.
Episcopum Brixiensem.
Episcopum Barchinonensem.

Deputati ad recipienda mandata eorum qui justo titulo impediti ad concilium venire nequeunt.

Archiepiscopus Rossanensis.
Episcopus Sulmonensis.
Episcopus Coymbriensis.
Episcopus Albinganensis.
Episcopus Astoricensis.

Congregatio super libris prohibitis & salvo-conductu.

Die Veneris xxx. ejusdem, congregati sunt omnes generaliter loco quo supra, ubi prolatæ sunt aliquot sententiæ super articulis supra scriptis, & libris prohibitis, & salvoconductu; sed nocte dimissa est congregatio.

Cardinalis Altaemps legati ad concilium Tridentum adventus.

Eadem die pervenit Tridentum illustrissimus & reverendissimus cardinalis *Altaemps* Germanus, nepos Pii IV. summi pontificis, quintus legatus ad concilium, qui hospitatus est nocte illa in arce Tridentina cum illustrissimo cardinale Madruccio ejus cognato.

Archiepiscopi Pragensis oratoris Cæsarei Tridentum accessus.

Die sabbati ultima ejusdem reverendissimus D. Antonius Militius Bohemus archiepiscopus Pragensis, missus orator ad concilium ab invictissimo Cæsare Ferdinando, introivit Tridentum publice, comitatus summo cœtu prælatorum & curialium.

Die Dominica 1. Februarii, illustrissimi legati una cum reverendissimis patribus con-

venere domi illuſtriſſimi de Mantua, ut oratores Cæſareos publice reciperent; ſed diu & per multum tempus exſpectati non venere. Cauſa ignoratur.

Candelæ benedictæ dantur patribus in die feſto Purificationis.

Die lunæ II. ejuſdem in Purificatione B. M. Virginis, legati omnes cum patribus & oratoribus ivere in cathedralem eccleſiam cum pluvialibus & mitris, ubi per illuſtriſſimum de Mantua datæ fuerunt candelæ unicuique. Poſtmodum facta fuit proceſſio circa eccleſiam, & ſtatim celebrata miſſa per reverendiſſimum epiſcopum Pientinum, dimiſſi ſunt omnes.

Oratorum Cæſaris publica admiſſio.

Die Veneris V I. Februarii D. D. oratores Cæſarei, habita generali congregatione in aula illuſtriſſimi cardinalis de Mantua præſidentis, publice admiſſi ſunt; ſcilicet archiepiſcopus Pragenſis & epiſcopus Quinque-eccleſiarum; alter quorum, ideſt Pragenſis, nomine & ut procurator pro invictiſſimo Cæſare, regni Bohemiæ, & archiducatus Auſtriæ; alter vero ut procurator regni Hungariæ, præſentarunt litteras & mandatum ſacræ Cæſareæ majeſtatis illuſtriſſimis & reverendiſſimis legatis: quæ omnia alta voce legit reverendiſſimus Teleſinus a ſecretis ſacri concilii. Quibus lectis & ſedentibus omnibus ad loca ſua, epiſcopus Quinque-eccleſiarum hujuſmodi habuit orationem.

Oratio habita a reverendiſſimo epiſcopo Quinque-eccleſienſi, &c.

Si vobis illuſtriſſimi legati præclaræ domus &c. *ut apud Labbeum pag.* 1137.

His fine impoſito, reverendiſſimus D. Teleſinus ſecretarius, cui de more obveniebat onus reſpondendi, in hanc formam ſtatim reſponſum dedit.

Reſponſum ſanctæ ſynodi oratoribus Cæſareis.

Illuſtriſſimi & reverendiſſimi D. D. oratores, adventus dominationum veſtrarum magnam huic ſanctæ ſynodo lætitiam attulit, tum propter maximam benevolentiam & obſervantiam, qua ſynodus ipſa ſuam Cæſaream majeſtatem proſequitur; tum propter eum honorem, qui ei ex hac nobiliſſima potentiſſimi religioſiſſimique principis legatione acceſſit. Studium vero, favorem, atque etiam ſecuritatem, quam majeſtas ſua Cæſarea ipſi ſanctæ ſynodo pollicetur, gratiſſimo animo ſummaque lætitia recipit, ac ejus majeſtati ingentes gratias agit. Quare ſancta ſynodus dominationes veſtras, quas præſtanti virtute, prudentia ac pietate præditas eſſe non ignorat, lætis amplectitur atque recipit animis, mandataque ſuæ Cæſareæ & regiæ majeſtatis quantum de jure debet admittit.

Quibus rebus completis, & litteris lectis & mandatis, tunc ſtatim reverendiſſimus D. Pragenſis apud illuſtriſſimos legatos & reverendiſſimos patres excuſavit collegam ſuum D. Sigiſmundum de *Thun*, qui propter frequentes imbres, nives, glacies, & ſeptuagenarius huc pervenire nequiviſſet; quæ excuſatio a patribus admiſſa fuit, & ſic dimiſſa congregatio.

Oratoris regis Portugalliæ Tridentum adventus.

Die ſabbati VII. Februarii hora XXI. publice & ſolemni pompa intravit Tridentum illuſtris D. FERDINANDUS MARTINUS MACHAREZO, orator ad ſacrum concilium ſereniſſimi regis Portugalliæ, cui extra urbem obviarunt archiepiſcopi & epiſcopi plurimi, una cum familia illuſtriſſimorum legatorum.

Differentia de præcedentiis.

Die dominica VIII. ejuſdem, habita fuit congregatio domi, ut ſupra, ad tollendas omnes ortas aut oriundas differentias inter dominos oratores principum cauſa præcedentiarum, in qua ſtatuerunt, ut infra.

Capita ad levandas diſſenſiones inter oratores principum.

Illuſtriſſimi domini concilii præſidentes & legati ad obviandum difficultatibus & diſſenſionibus quæ oriri poſſent inter oratores circa eorum præcedentias, decernunt ut ſequitur.

Quod in aula congregationum oratores eccleſiaſtici ſedeant in parte dextra illuſtriſſimorum legatorum, ſicut in præcedenti congregatione ſederunt. Oratores vero laïci imperatoris ſive alterius cujuſque regis, ſedeant in parte ſiniſtra ipſorum D. D. legatorum.

Dum ex ædibus illuſtriſſimi cardinalis Mantuani itur in eccleſiam, oratores laïci præcedant illuſtriſſimos legatos & crucem immediate. Oratores autem eccleſiaſtici ſubſequantur immediate poſt illuſtriſſimos legatos, ante omnes prælatos, & hoc ordine ingrediantur eccleſiam.

In celebratione miſſarum ſolemnium in eccleſia cathedrali & in ſeſſionibus, oratores eccleſiaſtici ſedeant ubi erat tabernaculum corporis Chriſti prope altare majus in eccleſia S. Vigilii. Oratores vero laïci ſedeant e contra illuſtriſſimos legatos.

Pax & incenſum detur prius oratoribus eccleſiaſticis, deinde oratoribus laïcis, poſtmodum reverendiſſimis prælatis.

Dum imponitur cinis, quia prælati omnes ſunt cum mitris & pluvialibus, prius accedant oratores eccleſiaſtici, deinde ceteri prælati, & poſt prædictos mitratos accedant oratores laïci.

Oratores eccleſiaſtici ſi dicere voluerint eorum ſententias in congregationibus & ſeſſionibus, quia tunc loquuntur ut epiſcopi non ut oratores, loqui debent juxta ordinem promotionum quas fecerunt.

Orator regis Portugalliæ publice admittitur.

Die lunæ IX. ejuſdem, fuit congregatio generalis loco, ut ſupra, ad quam admiſſus fuit illuſtriſſimus orator regis Portugalliæ ſo-

litis ceremoniis, in qua habita est hujusmodi oratio.

Cum ad tuendam Christianæ religionis integritatem, &c. *ut apud Labbeum pag.* 1143.

Quibus omnibus habitis, lectis & peractis, dimissa est sancta synodus.

Dominus Sigismundus de Thun orator Cæsareus, Tridentum venit.

Die Martis x ejusdem pervenit Tridentum illustrissimus D. Sigismundus *de Thun* alter orator ad sacrum concilium sacræ Cæsareæ majestatis, laicus atque admodum confectus senio; cui ex more non est obviatum, nam venit summo mane, & cum illustrissimo Varmiensi ecclesiæ legato pransus est, quæ dies fuit carnisprivium.

Post prandium, eodem die, habita generali congregatione, ut supra, idem orator admissus est solemni pompa, & consuetis ceremoniis, & lecto demum mandato Cæsaris, & a sancta synodo eidem responso, dimissa est congregatio.

Deputati super indicem librorum prohibitorum.

Eadem die antequam dimitterentur patres a sacrosancta synodo, deputati sunt infra scripti reverendissimi patres ad faciendum decretum super indicem librorum prohibitorum.

Archiepiscopus Jadrensis.
Episcopus Mutinensis.
Episcopus Vivariensis.
Episcopus Ilerdensis.

Missa in die Cineris.

Die mercurii xi. illustrissimi domini legati, illustres oratores, & reverendissimi prælati, profecti sunt in ecclesia cathedrali amicti omnes pluvialibus & mitris, præter laicos oratores, ubi singuli aspersi sunt cinere ab illustrissimo præsidente concilii Mantuano. quo facto, exuti sunt omnes pluvialibus & mitris, & quisque profectus est ad solitum locum, ubi audita missa, quam celebravit reverendissimus episcopus Brittinorensis, & habita oratione, dataque ex more benedictione ab illustrissimo præsidente, cum indulgentiis solitis, remeavit quisque ad propria.

Decretum super indice librorum.

Die xii. ejusdem habita est congregatio generalis loco, ut supra, in qua patres ratiocinati sunt plurima super diversis materiis, & inter cetera de indice librorum.

Die Martis xvii. in congregatione generali publicatum fuit decretum super indice librorum, atque etiam reverendissimi patres constituerunt aliquot, qui pertractent & cognoscant prout infra in decreto secundæ sessionis videre facile erit.

Petita oratorum imperatoris.

Die Veneris xx. Februarii in congregatione generali exhibiti sunt ab oratoribus sacræ Cæsareæ majestatis illustrissimis legatis articuli hujusmodi tenoris.

Primum omnium cum ipsi oratores videant secundæ sessionis præfixum terminum instare, scilicet die xxvi. præsentis mensis Februarii, arbitrati sunt suas illustrissimas & reverendissimas dominationes, paucis de ipsa sessione & aliis quibusdam sacræ Cæsareæ majestatis nomine commonefacere dicentes:

Non ignorant dominationes vestræ, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1562.

Responsum dominis oratoribus Cæsaris.

Die Martis ejusdem, illustrissimi & reverendissimi legati, supra scriptis oratoribus Cæsareis in publica congregatione super petitiones, ut supra, responsum dedere in hunc qui sequitur modum.

Illustrissimi & reverendissimi domini oratores quod petunt dominationes vestræ, &c. *ut apud Raynaldum loco citato.*

Admonitum hic censeo omnes, quod a prima dominica quadragesimæ usque ad sacrum pascha resurrectionis Jesu Christi, singulis diebus dominicis celebratum est solemniter, & habita oratio.

Episcopus Quinqueecclesiensis missus præsentat mandatum suum nomine imperatoris.

Eadem die xxiv. Februarii fuit congregatio generalis domi, ut supra, illustrissimi cardinalis Mantuani præsidentis, ubi ab ipsomet fusa oratione de Spiritu sancto, ut semper fit antequam incohetur congregatio, sessio, & hujusmodi, reverendissimus episcopus Quinque-ecclesiarum præsentavit (habitis prius aliquibus verbis, fere ejusdem tenoris prout supra habuerunt orationem) mandatum imperatoris, quo Cæsarea majestas constituit eum procuratorem nomine imperii pro rebus Hungariæ. quo lecto a reverendissimo Telesino secretario, habitis consuetis cerimoniis, admissum est a sancta synodo simulque statim perlectum est decretum publicandum in die futuræ sessionis. atque etiam innotuit reverendissimis patribus sanctissimum dominum nostrum Pius IV. transmisisse per totam quadragesimam & octavam sanctam Paschatis indulgentias & stationes pro ecclesiis Tridentinis, prout ab illustrissimis præsidentibus statuetur. quas qui visitaverint, consequentur, ac si Romæ essent, non minus quam oppido gratissimum omnibus.

Die Mercurii xxv. congregati sunt ut supra, & locuti super decreto & sessione futura. quibus finitis, illustrissimi legati & reverendissimi patres, & ceteri omnes profecti sunt ab ecclesia S. Martini pro statione consequenda, deinde adsociatis illustrissimis dominis præsidentibus eorum domos, quisque rediit ad sua.

SESSIO XVIII.

Quæ est sessio II. sub Pio IV. sacri concilii Tridentini.

Ad honorem SS. Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-

Spiritus-ſancti, illuſtriſſimi domini legati præſidentes concilii, una cum reverendiſſimis patribus, dominis oratoribus, abbatibus & ſimilibus convenere die Jovis XXVI. menſis Februarii hora XIV. in cathedrali eccleſia S. Vigilii celebraturi ſecundam ſeſſionem ſub Pio IV. pontifice maximo, ubi cum quiſque profectus eſſet ad locum ſuum, reverendiſſimus ANTONIUS ELIUS patriarcha Jeroſolymitanus, & epiſcoqus Polæ celebravit ſummam miſſam de Spiritu-ſancto. qua finita, reverendiſſimus dominus ANTONIUS COCHUS Venetus archiepiſcopus Patramenſis & electus Corcyræ habuit orationem ex more, amictus pluviali & mitra, quibus peractis, illuſtriſſimi legati una cum patribus veſtiti pluvialibus & mitris, ſederunt ante altare majus, cum ex ſolito prius fudiſſet preces illuſtriſſimus præſes Mantuanus, ſcilicet *adſumus, domine Sancte Spiritus*, & *veni creator Spiritus* cum aliis orationibus, & ceremoniis conſuetis, & cœpta eſt ſeſſio modis infra ſcriptis.

Primum lecta fuerunt iterum acta admiſſionum dominorum oratorum. ſicque viſum eſt patribus, ut magis ſtabilita & firmiora redderentur in melius jam peracta. Et primum cœperunt domini, domini oratores imperatoris una cum oratore regni Hungariæ. quæ omnia lecta ſunt, ut ſuperius, in eorum admiſſione, una cum reſponſo ſanctæ ſynodi.

Poſt hæc cum requireretur illuſtris orator regis Portugalliæ, uti idem perageret, recuſavit ſe facturum, cum ejus mandatum prius legi debuiſſet illo regis Hungatiæ: ſuper quibus cum ortæ eſſent hinc inde multæ controverſiæ, & verbis certatum per duas fere horas: quibus rebus cum a plurimis reverendis viris probis verbis ad id opportunis obviatum fuiſſet, nec poſſent facile invenire viam, ut hæc dirimerent, tandem Spiritu-ſancto gratiam ſuam fundente in corda hominum, hoc factum eſt, ut mandata ejus legerentur ex ordine, ſicut prius præſentata fuiſſent ab oratoribus. quibus verbis alta voce recitatis, dictus orator Portugalliæ, quiete præſentavit mandatum ſuum. Sic res ipſa diu multiſque controverſiis agitata optimum finem tandem conſecuta eſt.

Rebus his ita peractis, reverendiſſimus patriarcha Jeroſolymitanus cœpit legere primum decretum.

Decretum de librorum delectu, & omnibus ad concilium fide publica invitandis.

Sacroſancta œcumenica & generalis ſynodus Tridentina, &c. *ut apud Labbeum pag.* 841.

Decretum ſecundum ſecunda ſeſſionis.

Eadem ſancta ſynodus Tridentina ſtatuit & decrevit, proximam futuram ſeſſionem habendam & celebrandam eſſe feria V. poſt ſacratiſſimum feſtum Aſcenſionis Domini, quæ erit die XIV. menſis Maii.

Quibus completis, illuſtriſſimus præſes intonuit *Te Deum laudamus*, quod proſecuti ſunt cantores. Et iis geſtis, & quibuſdam aliis orationibus habitis ex more, dimiſſa eſt ſeſſio hora XX.

Deputationes ſuper indice librorum prohibitorum.

Antonius de Maglicio, archiepiſcopus Pragenſis ſacræ cæſareæ majeſtatis orator.

Johannes Triviſanus, patriarcha Venetiarum.

Sebaſtianus le Cavellius, archiepiſcopus Naxienſis.

Ludovicus Beccatellus, archiepiſcopus Raguſinus.

Julius Panctius, archiepiſcopus Surrentinus.

Bartholomæus de Martyribus, archiepiſcopus Bracarenſis.

Thomas Caſſellius, epiſcopus Cavenſis.

Donatus de Cauſentiis, epiſcopus Arianenſis.

Ægidius Foſcelerarus, epiſcopus Mutinenſis.

Hieronymus Vloſcus, epiſcopus Evetenus.

Antonius Auguſtinus, epiſcopus Ilerdenſis.

Dominicus Bolano, epiſcopus Brixenſis.

Nicolaus Sfondratus, epiſcopus Cremonenſis.

Hieronymus Treviſanus, epiſcopus Veronenſis.

Urbanus Vogerius, epiſcopus Sennegalienſis.

Abbas Caſinenſis Euticius.

Generalis Minorum de Obſervantia.

Generalis S. Auguſtini.

Salvus-conductus datus omnibus & ſingulis nationibus Germaniæ ſub ea forma, quam alias ipſi petierunt, cujus tenor eſt qui ſubſequitur.

Sacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, &c. *ut apud Labbeum pag.* 842.

Extenſio ad alias nationes.

Eadem ſancta ſynodus in Spiritu-ſancto legitime congregata, &c. *ut ibid. pag.* 844.

Acta poſt ſecundam ſeſſionem.

Die lunæ II. Martii quæ fuit poſt ſecundam ſeſſionem congregatio prima, in qua decretum fuit, ut ſalvus-conductus daretur omnibus & ſingulis ipſis qui aberrant a ſancta matre eccleſia, ut libere poſſent huc venire, dareturque illis eiſdem modo & forma quibus ſupra.

Hæreſis Hugonottorum in Gallia.

Die Mercurii IV. Martii in congregatione generali, convenerunt reverendiſſimi patres in eadem ſententia ſalvi-conductus, ut ſupra, & ulterius etiam concederetur aliis nationibus ultra Germaniam; nam iis temporibus jam exorta eſt in Gallia tranſalpina quædam hæreſis, quam vocant Hugonottos, pro qua inter ſe populi & contra regem dimicant &

trucidantur: cui regno Deus omnipotens magnus ſubvenire dignetur pro ſua miſericordia, non reſpiciendo ad peccata hominum.

Bavariæ ducis litteræ ad ſanctam ſynodum.

Eadem die & congregatione lectæ ſunt litteræ illuſtriſſimi ducis Bavariæ ad ſanctam ſynodum, quas præſentavit ejus orator proficiſcens Romam ad ſummum pontificem, ad exſequenda negotia quæ a domino ſuo habebat in mandatis, ſed mox rediturus: cui reſponſum fuit ab eadem ſacroſancta ſynodo ut infra.

Reſponſum litteræ ducis Bavariæ.

Excellens domine orator, ſacroſancta ſynodus libenter audivit ea quæ a dominatione veſtra nomine illuſtriſſimi ducis Bavariæ relata ſunt. Magna enim benevolentia ſynodus ipſa piiſſimum & adeo catholicum principem proſequitur, ſperatque celſitudinem ejus, quod verbo ſe facturam oſtendit, de mittendis aliquibus ad hanc ſanctam ſynodum, facto præſtituram: quod ut primo quoque tempore exſequatur enixe rogat.

Die Mercurii II. Martii habita eſt congregatio generalis, ubi propoſita fuerunt reverendiſſimis patribus ſubnotata capita.

Capita XII. reformationis propoſita conſideranda patribus.

Conſiderent patres quæ ratio, &c. *edita apud Raynaldum.*

Salvus conductus publicatus.

Die Veneris XIII. Martii publicatus fuit ab curſoribus ſacri concilii ſalvus conductus & conceſſus a ſacro concilio omnibus & ſingulis qui diſcordant a ſacra fide catholica, per totam civitatem Tridenti, etiam cum affixione ad valvas eccleſiæ cathedralis.

Adventus Tridentum domini oratoris Philippi regis Hiſpaniæ.

Die ſabbati XIV. ejuſdem introivit Tridentum illuſtriſſimus dominus Ferdinandus Davalus, marchio Peſcaræ, gubernatorque Mediolani, orator nunc ad ſacrum concilium pro catholico rege Hiſpaniarum PHILIPPO, cui ex more obviaverunt quamplurimi prælati & oratores; & per aliquot dies hoſpitatus eſt apud illuſtriſſimum, reverendiſſimum cardinalem Mantuanum, præſidentem concilii.

Adventus oratoris illuſtriſſimi ducis Florentiæ.

Die dominica XV. ejuſdem acceſſit Tridentum magnificus D. Johannes Strozza orator illuſtriſſimi & excellentiſſimi ducis Florentiæ, cui ſimiliter obviaverunt ſexaginta prælati, medius ipſe inter patriarcham Jeroſolymitanum & epiſcopum Salamantinum Hiſpanum uſque ad ejus domum.

Oratorum ſeptem Cantonum Helvetiorum catholicorum Tridentum adventus.

Die lunæ XVI. Martii publice ut ſupra ingraverunt Tridentum duo oratores ſeptem Cantonum Helvetiorum catholicorum, ſcilicet reverendus abbas JOACHIMUS Eremitarum, & iſte pro clero univerſo catholico; alter vero nomine univerſæ reipublicæ catholicæ dictorum Cantonum, D. Mechior *Seve*, quibus obviam itum eſt a quamplurimis prælatis comitantibus eos uſque ad eorum habitationem, quæ eſt juxta portam S. Martini.

Oratoris regis Hiſpaniarum admiſſio.

Eadem die XVI. poſt prandium admiſſus eſt per univerſam generalem congregationem illuſtriſſimus orator marchio Peſcaræ pro catholico rege Hiſpaniarum, in qua Galeatius Brugora, patricius Mediolanenſis, & regis fiſci patronus, habuit nomine ipſius D. oratoris orationem hujuſmodi.

Quod unum ægrotæ reipublicæ, &c. *edita apud Labbeum pag.* 1148.

Reſponſum ſanctæ ſynodi.

Etſi Franciſce Ferdinande, &c. *editum ibid. pag.* 1150.

Quibus rebus completis, & aliis ceremoniis peractis, & lecto ejuſdem mandato, dimiſſa eſt congregatio.

Orator illuſtriſſimi ducis Florentiæ & Senarum admittitur a ſancta ſynodo.

Eadem die XVI. & eodem loco illuſtriſſimi D. D. legati admiſerunt ad audientiam ex more magnificum oratorem illuſtriſſimi & excellentiſſimi ducis Florentiæ & Senarum.

Die Mercurii XVIII. Martii fuit congregatio generalis in loco conſueto, ubi admiſſus eſt prædictus dominus orator illuſtriſſimi ducis Florentiæ & Senarum, & lecto ex more ejuſdem mandato a reverendiſſimo domino ſecretario, habuit infra ſcriptam orationem.

Oratio magnifici D. oratoris illuſtriſſimi ducis Florentiæ & Senarum MDLXII.

COSMUS MEDICES Florentinorum & Senarum dux, &c. *edita apud Labbeum pag.* 1153.

Reſponſum ſanctæ ſynodi ad oratorem illuſtriſſimi ducis Florentiæ.

Quam opratus, &c. *editum ibid. pag.* 1155.

Quibus rebus peractis, antequam dimitteretur congregatio, data fuit audientia D. D. oratoribus Helvetiorum, id eſt ſeptem Cantonum catholicorum, & ſic quiſque poſtmodum rediit ad propria.

Oratores ſeptem Cantonum catholicorum Helvetiorum admittuntur a ſancta ſynodo.

Die XX. Martii in congregatione generali admiſſi ſunt D. D. oratores ſeptem Cantonum catholicorum Helvetiorum; lectiſque a ſecretario concilii quibuſdam eorum litteris & mandatis, frater Diamas ordinis Eremitarum S. Auguſtini, eorum nomine habuit hanc quæ ſequitur orationem.

Oratio fratris Diamantii ordinis S. Auguſtini habita nomine oratorum Helvetiorum.

Quantum parentibus vitæ noſtræ, &c. *edita apud Labbeum pag.* 1193.

Reſponſum ſanctæ ſynodi ad oratores Helvetiorum.

Multa ſunt, oratores præſtantiſſimi, &c.

ut apud Labb. pag. 1195.

Quibus rebus ut supra gestis, & ex more factis ceremoniis, fuit congregatio dimissa.

Palmæ dantur patribus in die Dominica Palmarum.

Die XXII. Martii, quæ est Dominica Palmarum, celebravit solemniter reverendissimus episcopus Nolæ, & distributæ sunt palmæ dominis oratoribus, reverendissimis patribus, & ceteris ex more ab illustrissimo præside Mantuano, factaque fuit circa plateam processio, & iis finitis quisquis rediit domum suam.

Ceremoniæ per totam hebdomadam sanctam.

Per totam hebdomadam sanctam celebrata sunt officia solemniter divina, & cum magna omnium devotione.

Processio per totam quadragesimam singulis sextis feriis.

Et per totam quadragesimam singulis sextis feriis audita missa, & habita prædicatione, facta est processio ab illustrissimis legatis & reverendissimis patribus circa plateam cathedralis ecclesiæ S. Vigilii, exeundo per unam & ingrediendo per aliam portam, cantoribus continuo cantantibus Letanias, quibus intererant canonici cathedrales cum omnibus congregationibus fratrum, cum eorum crucibus, eisdemque reverentiis in ecclesia, effusis quibusdam orationibus, redibant domos.

Processio Dominicis diebus per totum annum.

Id quod observatum & factum est per omne tempus quod fuit Tridenti sanctum concilium, non quaque sexta feria, sed Dominicis diebus.

Dies sanctissimus resurrectionis Domini nostri JESU CHRISTI.

Missa solemnis in die SS. Paschatis resurrectionis.

Die Dominica XXIX. Martii convenere in cathedrali ecclesia SS. Vigilii, illustrissimi domini legati, domini oratores, & reverendissimi patres, cum reverendis abbatibus, & generalibus, ubi celebravit solemniter missam archiepiscopus Pragensis, orator Cæsareus: qua completa, & data benedictione ab illustrissimo præsidente, sunt omnes ad proprias domos reversi.

Idem factum fuit solemniter in eodem loco die XXX. & ultima ejusdem mensis, propterea de iis nulla fuit mentio.

Reverendissimus dominus Andreas Sbardellatus, orator pro clero Hungariæ admittitur a sancta synodo.

Die lunæ VI. Aprilis fuit congregatio generalis, & admissi sunt a sancta synodo reverendissimus ANDREAS DUDITIUS SBARDELLATUS episcopus Tiniensis, ac dominorum prælatorum totiusque Hungariæ cleri ad sacrum concilium orator, atque etiam reverendissimus dominus JOHANNES episcopus Conadiensis ejus collega, ambo Hungari, præsentatisque litteris ad sacram synodum, & mandatis eisdem publice lectis, præfatus dominus Andreas ad patres hujusmodi locutus est.

Oratio D. Andreæ Sbardellati ad sacrosanctam synodum.

Tria fuerunt tempora, & ea quidem, &c. *ut apud Labb. p.* 1278.

Responsum sacri concilii ab ipsius concilii secretario pronuntiatum.

Reverendi patres, persuasum est sanctæ synodo, &c. *ut apud Labb. p.* 1303.

Qua oratione completa, & responsione data a sancta synodo, congregatio dimissa est.

RESIDENTIA.

Die Martis VII. Aprilis fuit prima congregatio generalis, in qua patres cœpere proferre sententias suas super quatuor capita duodecim superius adnotatorum, quæ sunt de residentia episcoporum & curatorum, utrum scilicet residentia sit de jure divino, necne, super qua re hæc sacrosancta synodus tota commota est, cum varie a patribus super hujusmodi sentiatur materia.

Die Mercurii octava, die Jovis nona, die Veneris decima, die lunæ XIII. die Martis XIV. fuit congregatio generalis super eisdem quatuor capitibus, ut supra, & prout ex ipsa re apparet, agnoscitur negotium laboriosum futurum esse, cum maxima pars patrum nolit cervicem jugo submittere.

Episcopi deputati ad colligenda impedimenta quæ non sinant episcopos residere.

In hac quoque ultima congregatione deputati sunt patres infrascripti pro colligendis impedimentis, propter quæ episcopi non possint residere in eorum episcopatu.

Archiepiscopus Ragusinus.
Archiepiscopus Bracarensis.
Episcopus Dertusensis.
Episcopus Vortanus.

Episcopus Parisiensis.

Die Martis XIV. Aprilis applicuit Tridentum reverendissimus ANASTASIUS * *Bellai*, episcopus Parisiensis, primus nationis Gallicanæ, qui hactenus ad concilium venerit.

* l. Eustachius.

Congregatio super eadem residentia.

Die Mercurii XV. XVI. atque etiam XVII. fuit congregatio generalis super eisdem capitibus & materia, cum maxima sane controversia inter patres.

Oratores dominorum Venetorum.

Die XIX. Aprilis ingressi sunt Tridentum publice & magna pompa magnifici & clarissimi viri DD. Nicolaus de Ponte doctor & eques, atque Matthæus Dandalus similiter eques, oratores reipublicæ Venetiarum ad sacrum concilium, quibus obviarunt centum patres, atque plurimi curiales, qui eos usque ad eorum domos comitati sunt.

RESIDENTIA.

Die lunæ XX. ejusdem, illustrissimi DD. legati cum reverendissimis patribus genera-

liter convenere in ecclesia S. Mariæ majoris, ubi fusa oratione de Spiritu sancto, prout semper in quacumque congregatione fieri solitum est, ab illustrissimo præsidente, patribus dixit, opus esse aliquos patres deputare, qui decretum forment super quatuor capita, ut supra, viderique sibi in hac re esse prosequendum ut infra; quia multi patres dixerunt declarandam esse residentiam de jure divino. Alii de ejusmodi re nullum verbum fecerunt; alii vero censuerunt nullatenus esse faciendam declarationem; utque patres qui delecti fuerint ad conficiendum decretum, possint id tutius conficere, dicant dominationes vestræ paucissimis, scilicet per verbum *placet*, vel *non placet*, velint nunc declarari residentiam esse juris divini, ut ex majori numero votorum & sententiarum possint decreta conscribi, quemadmodum in hac sancta synodo semper fieri consuevit; qui quidem numerus nunc ex varietate sententiarum constare non videtur. Dicent autem ita clare & distincte, ut eorum vota annotari possint.

Illustrissimus cardinalis Madruccius electus Tridentinus, approbavit suum primum votum.

Prima pars prælatorum dixit, *non placet*, nisi consulto domino nostro, fuereque vota XXXVIII.

Secunda dixit, *placet*, fuereque vota LXVI.

Tertia dixit, *non placet*, fuereque vota XXXIII.

Episcopi qui fuerunt deputati ad conficiendum decretum.

Patriarcha Aquilegiensis.
Episcopus Caprulanus.
Episcopus Comachensis.
Episcopus Parisiensis.
Episcopus Reatinus.
Episcopus Barchinonensis.
Episcopus Lerienſis.
Episcopus Tininiensis, Hungarus.

Die Martis XXI. fuit congregatio generalis, in qua a patribus cœpta sunt examinari sex capita reformationis proposita, dimittendo duo capita, id est decimum & undecimum, quæ continent matrimonium clandestinum, quod fiet suo tempore, ut infra.

Die Mercurii XXII. Aprilis in congregatione generali ratiocinati sunt ut supra sex capita reformationis.

Oratores reipublicæ Venetiarum admittuntur a sancta synodo.

Die XXIV. Aprilis illustrissimi DD. legati una cum patribus domi illustrissimi de Mantua præsidentis, audierunt publice DD. oratores reipublicæ Venetiarum, quos hilari fronte receperunt atque dimiserunt.

Die sabbati XXV. ejusdem, in festivitate S. Marci congregati illustrissimi DD. legati cum reverendissimis patribus, & DD. oratoribus principum, & rerumpublicarum in cathedrali ecclesia S. Vigilii, admiserunt ad audientiam clarissimos oratores reipublicæ Venetiarum: qui primo præsentarunt litteras credentiales sui senatus una cum mandato. Quibus omnibus alta voce lectis a reverendissimo secretario, eorum alter, id est D. Nicolaus de Ponte habuit orationem, quam a D. secretario concilii nedum mihi habere licuit, etsi eam omni conatu quæsierim, ut eam hic ex more insererem; sed eam extra non dederunt: causa ignoratur. (a)

Responsum sanctæ synodi ad DD. oratores Venetos.

Non potest sancta synodus, &c. *edium apud Labb. pag.* 1158.

Quibus omnibus & ceremoniis peractis, dimissa est congregatio.

Oratoris regis Franciæ G. de Lansac litteræ ad sanctam synodum.

Cum essent in itinere illustres DD. oratores regis Franciæ, ut cum aliis ad hoc sacrosanctum concilium convenirent, dissidentes, prout desiderabant, adesse proximæ sessioni, quæ futura erat XIV. Maii, illustris D. *de Lansac*, unus ex dictis oratoribus, ad hoc sanctissimum concilium litteras dedit, obsecrans patres, ut eisdem placeret per aliquot paucos dies præsentem sessionem prorogare, ut & ipsi similiter interesse possent, promittentes quam possent citissime iter suum accelerare. Quamobrem die XXVIII. Aprilis illustrissimi DD. legati statim habuerunt congregationem in ecclesia cathedrali S. Vigilii, & convocatis reverendissimis patribus, habitisque eorum sententiis, nihil in ea congregatione conclusum est. Eidem enim placuit sese referre ad futuram congregationem, dicentes totum id quod decretat sancta sessio non posse per congregationem auferri.

Litterarum autem forma hæc est.

Placuit regi domino nostro me ad sacrum concilium suum oratorem mittere, una cum duobus viris præstantissimis D. *de Ferrier* præsidente in curia parlamenti Parisiis, & D. *Fabri* majestatis suæ consiliario magni consilii; hodieque pervenimus ad hunc locum, & operam damus quam diligentissime possumus, ut istuc XII. vel XIII. mensis futuri adesse possimus. Quare rogamus vos, si quo casu serius quam speramus ad vos perveniremus, ut vobis placeat differre triduum vel quatriduum sessionem, quæ ad XIV. diem indicta est, ut ante tempus ipsius admittamur a sancta synodo, & nostra illi mandata exponere possimus, quæ, ut spero, vobis gratissima futura sunt. Ex Milli, 15. Aprilis 1562. *Lansac.*

Actis supradictis, & multis habitis colloquiis a reverendissimis patribus inter se, nihil

[a] Sed neque extat apud Labbeum, ubi habentur litteræ & mandatum reipublicæ Venetorum, cum synodi responso ad illam orationem.

concluſum tandem fuit, ſicque congregatio dimiſſa eſt.

Congregatio ſuper prorogatione ſeſſionis, petentibus id oratoribus regis Gallie.

Die Jovis ultima Aprilis habita eſt congregatio loco quo ſupra, in qua propoſitum eſt patribus a reverendiſſimo ſecretario concilii prorogandam eſſe, ſi eis placeret, ſeſſionem proximam, petentibus id DD. oratoribus Chriſtianiſſimi regis Franciæ, quod omnibus ſtatim placitum eſt.

Oratores ducis Bavariæ.

Die Veneris 1. Maii 1562. ingreſſi ſunt Tridentum magnificus D. Auguſtinus Paungarencius doctor, & reverendus Johannes Civilonius, ſocietatis Jesu, oratores illuſtriſſimi D. ducis Bavariæ ad hoc ſacrum concilium.

Miſſa in feſto aſcenſionis Jesu Christi.

Die Jovis VII. in feſto aſcenſionis D. N. Jesu Christi celebrata fuit ſolemniter miſſa in cathedrali S. Vigilii, quam peregit reverendiſſimus dominus archiepiſcopus Bracarenſis: cui interfuere ex more illuſtriſſimi domini legati, domini oratores, & reverendiſſimi patres, & data benedictione ab illuſtriſſimo præſidente, rediit quiſque domum ſuam.

Decretum in proxima ſeſſione tertia publicandum.

Eadem die data ſunt exempla patribus decreti, quod in proxima ſeſſione publicandum erit.

Orator regis Hiſpaniarum ex Mediolano venit ad futuram ſeſſionem.

Die Dominica X. Maii ex Mediolano advenit Tridentum illuſtriſſimus marchio Peſcharæ, orator ad concilium pro catholico rege Hiſpaniarum, ut adſit proximæ futuræ ſeſſioni; atque hoc idem fecit in omnibus aliis ſeſſionibus. Nam cum proxima erat ſeſſio, veniebat, & eadem completa, redibat Mediolanum ad regimen illius provinciæ, quam ille pro rege catholico adminiſtrat.

Prorogatio tertiæ ſeſſionis.

Die XII. Maii, habita eſt congregatio generalis, in quo propoſitum fuit decretum hujuſmodi:

Sacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem apoſtolicæ ſedis legatis, decreta ea quæ hodie in præſenti ſeſſione ſtatuenda ac ſancienda erant, juſtis nonnullis ac honeſtis cauſis in feriam V. poſt proximam ſolempnitatem Corporis Chriſti, quæ erit pridie nonas Junii, prorogenda eſſe cenſuit & prorogat, dictaque die ſeſſionem habendam eſſe ac celebrandam omnibus indicit. Interea rogandus eſt Deus, & Pater Domini noſtri Jesu Christi, auctor pacis, ut ſanctificet corda omnium, quo adjuvante, ſancta ſynodus & nunc & ſemper meditari & peragere valeat quæ ad ejus laudem & gloriam pertineant. Reſponderunt omnes, *Placet*. Et ſtatim dimiſſa eſt congregatio.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

SESSIO III.

ſub Pio IV. quæ eſt XIX.

Die Jovis XIV. Maii MDLXII. ſub eodem pontifice Pio IV. optimo, maximo, & eiſdem illuſtriſſimis dominis legatis, celebrata eſt ſeſſio tertia in cathedrali eccleſia Tridentina, præſentibus ibidem dominis oratoribus Cæſareis, regis Hiſpaniarum, Portugalliæ, Hungariæ, reipublicæ Venetæ, ducis Florentiæ & Senarum, ac Helvetiorum, una cum reverendiſſimis prælatis, abbatibus & generalibus ordinum; in qua reverendiſſimus Johannes Triviſanus, patriarcha Venetiarum, ſolemnem celebravit miſſam de Spiritu-ſancto, publicata indulgentia plenaria ex more omnibus iis qui interfuerunt, & reverendiſſimus Johannes Beroaldus epiſcopus S. Agathæ, habuit orationem amictus pluviali & mitra: qua finita, illuſtriſſimi legati, cardinalis Madruccius, & reverendiſſimi patres induerunt ſe pluvialibus & mitris, cum interim cantores pſalmum canerent: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine*, & ſic omnes profecti ſunt ad locum ſuum, oratores eccleſiaſtici ad dexteram, laïci autem ad ſiniſtram illuſtriſſimorum dominorum legatorum. Quibus rebus ſic ſtatutis, illuſtriſſimus præſes Mantuanus diſcedens e loco ſuo, ad altare majus profectus eſt, ubi fuſis ſolitis orationibus, & exhibitis ceremoniis, quæ in ſingulis ſeſſionibus fieri ſolent, a cantoribus ſolemniter decantatæ ſunt letaniæ, cum eſſent ſinguli patres genuflexi. Poſt quæ diaconus intonuit evangelium S. Marci XVI. *Recumbentibus undecim diſcipulis apparuit illis* Jesus. Poſtmodum iverunt ceteri illuſtriſſimi legati ad altare majus, ubi cantatum eſt a cantoribus, *Veni creator Spiritus*; quo finito, & ceteris ceremoniis expletis, illuſtriſſimi legati ſedentes verterunt faciem ad ſanctam ſynodum. Tunc illuſtris Franciſcus Ferdinandus Danalus marchio Peſcharæ, orator catholici regis Hiſpaniarum, ſurgens e loco ubi ſedebat, præſentavit illuſtriſſimis dominis legatis mandatum ſuum & litteras, ut ſupra. Quæ omnia legit reverendiſſimus Angelus Massarellus epiſcopus Teleſinus, ſacri concilii ſecretarius. Idem factum eſt a magnifico domino Johanne Strozza oratore illuſtriſſimi ducis Florentiæ; poſt quem idem fecerunt reverendiſſimi Johannes Chanadienſis & Andreas Duditius Sbardellatus epiſcopi, oratores cleri & prælatorum Hungariæ. Deinde idem fecit clariſſimus dominus Matthæus Dandalus, orator reipublicæ Venetæ, cum alter collega male ſeſe haberet: & his omnibus datum eſt reſponſum, prout ſuperius

in eorum admissione. Advertendum quod A mandata, litteræ, & responsa oratorum, non fuere lecta in hac sessione secundum eorum præcedentias, sed prout prius præsentata fuere ab eorum quocumque in congregationibus, sicque a sacro concilio fieri solitum est. Quibus rebus sic peractis, reverendissimus patriarcha Venetiarum, qui ut supra solemniter celebraverat, ex suggesto alta voce legit infrascriptum decretum.

Decretum publicatum in tertia sessione.

Prorogatio sessionis.

Sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina synodus, in Spiritu-sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem apostolicæ sedis legatis, decreta ea quæ hodie in præsenti sessione statuenda & sancienda erant, justis nonnullis & honestis causis in feriam v. quæ erit prædie nonas Junii, prorogande esse censuit ac prorogat, dictaque die sessionem habendam esse & celebrandam omnibus indicit. Interea rogandus est Deus & Pater domini nostri Jesu Christi, auctor pacis, ut sanctificet corda omnium; quo adjuvante, sancta synodus & nunc & semper meditari atque peragere valeat, quæ ad ejus laudem & gloriam pertineant.

Quo lecto, statim a reverendissimo domino secretario, una cum notariis concilii, unusquisque patrum interrogatus fuit, utrum sibi prædicta placerent: atque omnes unanimes continuo respondere: *Placet.* Quod ab eodem relatum fuit illustrissimis dominis legatis. Et statim illustrissimus dominus præsidens dixit alta voce: Decretum placet omnibus, nemine discrepante, de qua re agendæ sunt gratiæ Deo, & omnes patres uno ore responsum dedere: *Deo gratias.* De quibus notarii concilii, ut supra, publicum fecerunt instrumentum. Et repente illustrissimus præses intonuit hymnum *Te Deum laudamus*, quem prosequuti sunt cantores: quo finito, illustrissimus præses benedixit sanctam synodum, quæ statim dimissa est.

Acta post tertiam sessionem.

Oratoris regis Christianissimi Gallorum Tridentum adventus.

Die xviii. Maii introivit Tridentum illustris dominus de *Lansac*, orator regis Christianissimi Galliarum ad sacrum concilium, cum duobus præsidentibus parlamenti Parisiorum, qui postmodum huc ingressi sunt, cum nunc non essent una secum, & publice a quamplurimis dominis oratoribus & reverendissimis patribus comitatus est usque ad ejus habitationem.

Missa in festo SS. Trinitatis.

Die xxiv. ejusdem, convenere in ecclesia cathedrali illustrissimi domini legati, una cum dominis oratoribus & reverendissimis patribus, & solemniter celebravit missam de sanctissima Trinitate, cum esset ejus festivitas, reverendissimus episcopus Canaiensis. qua finita, concessit quisque domum suam.

Oratores regis Franciæ admittuntur a sancta synodo.

Die xxvi. ejusdem, ab illustrissimis dominis legatis concilii convocati sunt in cathedralem ecclesiam domini oratores, & reverendissimi prælati, & ibi admissi sunt publice oratores Christianissimi regis Franciæ, comitati a plurimis patribus, ubi habitis ex more ceremoniis, præsentarunt eorum mandatum, quo a reverendissimo secretario concilii lecto alta & intelligibili voce, a domino Guidone Fabro statim habita est hujusmodi oratio.

Oratio habita ab oratore Caroli regis Galliarum.

Legationis nostræ testimonium, patres amplissimi, &c. *ut apud Labbeum pag.* 1174.

Responsum sanctæ synodi ad oratorem Christianissimi regis Galliarum.

Expectatus jucundusque adventus vester, &c. *ut apud Labbeum pag.* 1179.

Peractis ut supra oratione & responso sanctæ synodi, cum rumor aliquis esset inter patres causa dictæ orationis & responsi, tandem sedatis rebus omnibus, habita præsertim ratione sanctissimæ synodi, dimissa est congregatio.

Die xxvii. Maii, congregatis reverendissimis patribus loco quo supra, advenit in generalem congregationem frater Felicianus Ninguarda de Morbino, ordinis Prædicatorum, orator & procurator illustrissimi domini archiepiscopi Salesburgensis, & præsentatis litteris & ejus mandato, plura verba ad patres habuit in sui archiepiscopi excusationem, eo quod ad sacrum concilium venire nequiverit, ejusque nomine obtulit sanctæ synodo, omne quod esset in opibus sui archiepiscopi; qui cum sit opulentus, sitque ad fines Lutheranorum, & sub se habeat maximam ditionem, & quamplurimos populos, lætanter & benigne a sancta synodo receptus est, una cum altero ejus collega, & a reverendissimo domino secretario, nomine sanctæ synodi hujusmodi verbis responsum.

Responsum sanctæ synodi ad oratores archiepiscopi Salesburgensis.

Reverende domine, & venerabilis sacræ theologiæ doctor, cum antea semper illustrissimi ac reverendissimi patris ac domini archiepiscopi Salesburgensis eximium in tuenda catholica religione studium & singularis pietas omnibus perspecta fuit, tum vero hoc tempore sacrosanctæ synodo magis declarata est, cum vos integerrimos viros & magna virtutis laude præditos huc allegavit, qui optimam ejus voluntatem ac mentem profiteremini, ac vestra præsentia quodammodo afficeretis, ut tanti antistitis splendor & dignitas in hoc generali concilio non omnino desiderari videretur. Quare mandatum vestrum & vos ipsos, ac exsequu-

tionem quam affertis, ſancta ſynodus, quantum de jure debet, libentiſſime accipit & admittit.

Miſſa in ſacratiſſimo Corporis Chriſti feſto.

Die XXVIII. Maii, in feſto ſacratiſſimi Corporis Chriſti, convenere in cathedrali eccleſia S. Vigilii illuſtriſſimi DD. legati, DD. oratores, & reverendiſſimi patres, ubi decantata ſolemni miſſa, quam celebravit reverendiſſimus de Tortoſa, Hiſpanus, illuſtriſſimus Seripandus legatus detulit ſanctiſſimum Chriſti corpus per totam urbem proceſſionaliter, & omnes patres amicti erant pluvialibus & mitris, & ut primum rediere ad cathedralem, ingreſſi ſunt omnes in eam, & illuſtriſſimus Seripandus tenens ipſum ſacramentum, ex majori altari humiliter benedixit quotquot aderant, & continuo omnes dimiſſi ſunt domum ſuam.

Differentia aliqua inter patres pro reſponſo dato oratoribus regis Franciæ.

Die Mercurii III. Junii fuit congregatio generalis, in qua fuit aliquid diſcriminis inter patres in reſponſione pro oratoribus regis Franciæ: aliqui enim volebant tolli illa duo verba, *vano metu*, alii nolebant; attamen major pars dixit, *placet*, id quod exſequutioni mandatum eſt.

Fuit poſtmodum a patribus petita ſententia ſuper decretum promulgandum in futura ſeſſione; ſuper quo patres plurima loquuti ſunt. Alii enim illorum nolebant fieri mentionem de reſidentia, aliqui vero de continuatione concilii: alii vero alia ſentiebant; ſed ſic operante Spiritu-ſancto, major pars dixit, *placet*; & ſic publicatum eſt decretum ad laudem omnipotentis Dei. Amen.

SESSIO IV.

ſub Pio IV. *quæ eſt ſeſſio* XX.

Quia in ſuperioribus ſeſſionibus circa ceremonias & alia quæ neceſſaria videntur pro intelligentia occurentium rerum longo ſermone tractavimus, ideo brevi proſequendo, poſt hac niſi tantum quæ opportuna & neceſſaria judicavimus, annotaturi ſumus.

Die Jovis IV. Junii 1562. convenere illuſtriſſimi legati cum reverendiſſimis patribus & D. D. oratoribus in cathedrali, ut ſupra, ubi celebrata eſt miſſa ſolemniter de Spiritu-ſancto per reverendiſſimum D. PETRUM GONZALEZ DE MENDOZA epiſcopum Salamantinum, Hiſpanum; qua finita habuit orationem reverendiſſimus Hieronymus RAGANOMUS Venetus, electus Famaguſtanus; qua completa, dum omnes pluvialibus & mitris veſtirentur, illuſtriſſimus Seripandus rogatus, abſente illuſtriſſimo Mantuano præſide propter indiſpoſitionem, ante altare majus profectus eſt ex more; & peractis orationibus & ceremoniis circa divina, ceteri legati ſequuti ſunt eum, & ſedentes verterunt facies ad reverendiſſimos patres. Tunc D. Melchior Luiſi orator Septem Cantonum catholicorum Helvetiorum pro laïcis, & reverendus D. Joachimus Unicornius abbas S. Mariæ de Eremitis, procurator pro parte præfatorum & cleri Helvetiorum, præſentaverunt illuſtriſſimis legatis eorum mandata, quæ a D. ſecretario lecta fuerunt alta voce, cum eorum reſponſione ut ſupra. Idem fecerunt reverendiſſimus frater Felicianus ordinis Prædicatorum & ejus collega, ambo procuratores reverendiſſimi & illuſtriſſimi D. archiepiſcopi Saleſburgenſis; quod lectum fuit a D. ſecretario cum eorum reſponſo, ut ſupra: id quod factitatum eſt ab illuſtriſſimo D. *de Lanſac*, & magnificis Rainaldo Ferrerio & Guidone Fabro oratoribus Chriſtianiſſimi regis Galliæ, & ex more data eis reſponſione, quiſque ſedit in loco ſibi parato. Quibus peractis reverendiſſimus de Mendoza archiepiſcopus, qui ſacra peregerat, legit alta voce decretum, ut infra.

Decretum publicatum in ſeſſione quarta. Prorogatio ſeſſionis.

Sacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus in Spiritu-ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem ſedis apoſtolicæ legatis, propter varias difficultates ex diverſis cauſis exortas, atque etiam ut congruentius majorique cum deliberatione omnia procedant, nempe ut dogmata cum iis quæ ad reformationem ſpectant, ſimul tractentur, & ſanciantur ea quæ ſtatuenda videbuntur, tam de reformatione quam de dogmatibus, in proxima ſeſſione, quam omnibus indicit in diem ſextam decimam ſubſequentis menſis Julii, definienda eſſe decrevit: hoc tamen adjecto, quod dictum terminum ipſa ſancta ſynodus pro ejus arbitrio & voluntate, ſicut rebus concilii putaverit expedire, etiam in generali congregatione reſtringere & prorogare libere poſſit & valeat.

Quo lecto, deſcendit de ſuggeſto, & ſtatim D. ſecretarius cum duobus notariis, ut ſupra, publicum confecit inſtrumentum de votis ſingulatim quorumcumque, qui majori ex parte reſponderunt, *placet*, exceptis triginta quinque, quorum aliqui inſtabant declarari continuationem concilii, alii vero ut tractaretur de reſidentia prælatorum & curatorum in eorum eccleſiis: quæ controverſiæ cum non multum ab illuſtriſſimis D. D. legatis probarentur, illuſtriſſimus D. Seripandus prorupit in hæc verba: Benedicamus Patrem, & Filium cum S. Spiritu, patres reverendiſſimi, laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Decretum paulo ante lectum ab omnibus fere probatum eſt, tamque neceſſarium & præſentium temporum difficultatibus, quæ non ſatis explicari potuerunt, valde accommodatum, ſex tantum & triginta, ut ex notariis qui diligenter ſingulorum vota ſcrutati ſunt, & coram nobis enumeraverunt, accepimus, diſſenſerunt: quorum

tamen rationes diversæ fuerunt & inter se parum congruentes, aliis aliud petentibus atque desiderantibus, quorum etiam suo tempore ratio habenda est: speramus enim istos quoque paucos admodum in aliorum, qui sunt multis partibus plures, sententiam ituros, consiliaque in melius allaturos, ope & auxilio Dei, qui, ut est in sanctis litteris, concordiam facit in sublimibus, cui jam tempus est, ut canticum laudis & confessionis persolvamus. quo dicto, isdem illustrissimus intonuit *Te Deum laudamus*. quo finito, & data benedictione, discessere omnes.

Acta post quartam sessionem.

Die VI. Junii cum ex causa residentiæ sancta synodus multum turbata esset, & quædam pars illius elaboraret, ut eam ceteri sequerentur (res enim orbi Christiano accommoda & necessaria videtur) operæ pretium duxit de hujusmodi re certiorem facere sanctissimum dominum nostrum PIUM IV. & hodie infra scriptas litteras transmisit ad suam sanctitatem, inconsultis & insciis ceteris sanctæ synodi, quarum forma hæc est.

Litteræ ad sanctissimum dominum nostrum Pium IV. nomine illorum qui tenent residentiam esse de jure divino.

Beatissime pater, post sanctorum pedum oscula, cum superioribus diebus diversæ inter patres hujus œcumenici concilii de pastorum residentia opiniones extiterint, quod eam nonnulli humano tantum, alii vero divino jure præceptam esse contenderent; incredibili dolore animi effecti sumus, cum accepimus non defuisse, qui nos scandala & dissentiones alere, atque in sanctam apostolicam sedem male animatos esse, apud sanctitatem vestram insimulant, propterea quod illam sententiam quam veriorem putaremus, secuti sumus, utque a sancta synodo declararetur, pio quodam & sincero studio petierimus. Hujus autem generis crimen, cum a nobis adeo remotum sit, ut non longius distet cœlum a terra, faciendum existimavimus, ut sanctitati vestræ ad ejus sanctissimos pedes humiliter jacentes, consilii nostri rationem nude & aperte probaremus, ne dum catholicæ & sanctæ Romanæ ecclesiæ fidem & observantiam profitemur, pro ejus auctoritate vitam ipsam profundere parati sumus, tamquam iniquitatis filii merito damnemur. Nos beatissime pater, sic, præcipiente sanctitate vestra, ad hoc sacrosanctum concilium ea mente accessimus, ut afflante Spiritu sancto, omnia nostra studia ad catholicæ ecclesiæ utilitatem conferremus, nihil præ oculis habentes, nisi gloriam Dei, cum sedis apostolicæ, & sanctitatis vestræ auctoritate conjunctam. quare si cum oblata occasio esset, ut de residentia ageretur, diximus placere nobis, ut a sacrosancta synodo statueretur, illam divina lege constitutam esse; id ea potissimum ratione fecimus, doctrina sanctorum patrum & gravissimorum theologorum auctoritate confirmati, ut magis residentia stabilitetur, quam usque ad hanc diem nimis negligi a plerisque magno ecclesiæ detrimento animadvertimus, eoque alacrius hanc sententiam amplexi sumus, quod idem etiam sanctitatem vestram sentire multi ex patribus affirmarunt. Necessariam autem hanc declarationem judicavimus, quod videremus non sine piorum offensione, quosdam paucis ab hinc annis eam in dubium revocasse, & nedum sermonibus, sed libris etiam in vulgus editis contrarium asserere veritos non fuisse, dubitaremusque, uti hominum ingenia semper ad malum proniora sunt, ne tam late hujus pestis contagio serperet, ut ecclesiæ catholicæ majores tenebræ offunderentur. Verum si ex hujus capitis explicatione, quod nonnulli jactant, absurda aliqua consequi posse videantur, quæ sedis apostolicæ auctoritatem imminuant; dicimus vereque affirmamus ea nobis hactenus incognita fuisse, quæve illa sint ne suspicari quidem posse: quin potius existimare, quo stabiliora ecclesiæ instituta appareant, eo summi pontificis potestatem illustriorem reddi, ad quem solum, cujusvis legis declaratio & interpretatio spectat. Illud præterea pro ea pietate & observantia, qua sanctitatem vestram & sanctam Romanam ecclesiam prosequuti semper fuimus, religiose promittimus, & aperte profitemur, nos omnia illa, quæ inde oriri possent scandala, cum ea constiterint, non solum detestaturos & reprobaturos esse, sed pro viribus etiam operam daturos, ut certo & proprio decreto damnentur, ne vestræ sanctissimæ sedis auctoritas aliqua ex parte lædatur, aut ecclesiasticæ hierarchiæ ordo a Domino institutus, nobisque a majoribus traditus perturbetur. Cum igitur hæc ita se habeant, non dubitabimus sanctitatem vestram supplices obsecrare & obtestari, primum, ut hujus controversiæ veritatem, ad totius ecclesiæ ædificationem, ut arbitramur, maxime accommodatam illustrari patiatur; deinde ut sinceram, hanc nostram mentem, qua nos Christi sponsæ eam quam debemus pietatem ac fidem præstare credamus, pro sua clementia benigne agnoscat, nosque ut S. R. E. filios servosque obsequentissimos tueatur. Quod reliquum est, pater beatissime, veniam nobis sanctitas vestra dabit, si ei aliquam his litteris molestiam attulimus. Nam quamvis recta conscientia freti, longe nos ab omni suspicione abesse existimemus: tamen veriti ne qua nobis per calumniam objecta criminatio patris & domini nostri animum offenderet, audaciores fortasse fuimus, quam per nostram humilitatem nobis licebat. dominus noster JESUS CHRISTUS, cujus vices in terris gerit, sanctitatem vestram diutissime incolumem sanctæ catholicæ ecclesiæ conservet.

Tridenti

Tridenti die vi. Junii MDLXII.

Beatitudinis veſtræ fideliſſimi & devotiſſimi ſervi.

Sebaſtianus archiepiſcopus Naxienſis.
Ludovicus archiepiſcopus Raguſinus.
Muſius archiepiſcopus Jadrenſis.
Julius archiepiſcopus Surrentinus.
Auguſtinus archiepiſcopus Genuenſis.
Ludovicus epiſcopus Brittonorienſis.
Jacobus Naolantus epiſcopus Clugienſis.
M. epiſcopus Cenetenſis.
A. epiſcopus Nolanus.
Antonius epiſcopus Brugnatenſis.
Ægidius epiſcopus Mutinenſis.
P. epiſcopus Feſulanus.
Jac. M. epiſcopus Vivatienſis.
G. epiſcopus Eſinus,
Jacobus epiſcopus Groiſeti.
Urbanus epiſcopus Senogallienſis.
Jo. Carolus epiſcopus Oſtunenſis.
Minturnus epiſcopus Vexentinus.
Vincentius epiſcopus Anconæ.
Hieronymus epiſcopus Beanenſis.
Jo. Fabritius epiſcopus Acerrenſis.
Hieronymus epiſcopus Sutrinus & Nepeſinus.
Petrus Aquenſis epiſcopus.
Jo. epiſcopus Maſſæ Lubrenſis.
Federicus epiſcopus Bergomenſis.
Hippolytus Papiæ coadjutor.
Hieronymus epiſcopus Sebenicenſis.
Hieronymus Famaguſtæ coadjutor.
Antonius Maria Salviatus epiſcopus S. Papuli.
Eſpinellus epiſcopus Politianus.
Hieronymus epiſcopus Seronenſis.

A tergo.

Sanctiſſimo ac beatiſſimo domino noſtro PIO IV. ſanctæ univerſalis eccleſiæ pontifici maximo.

Epiſcopi Hiſpani quorum maxima pars ejuſdem erat ſententiæ circa reſidentiam, cujus ſupra ſcripti, has noluerunt ſubſcribere litteras ut ceteri.

Articuli de ſacramento ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, propoſiti patribus examinandi.

Die eadem Junii fuit congregatio generalis, in qua propoſiti ſunt reverendiſſimis patribus, a domino ſecretario infra ſcripti articuli, de ſanctiſſimo ſacramento euchariſtiæ.

Die autem VII. datum fuit ſingulis exemplum.

Articuli propoſiti examinandi theologis de uſu ſanctiſſimæ euchariſtiæ ſacramenti.

An ex Dei præcepto ad ſalutem neceſſario omnes & ſinguli Chriſtiani utramque ſpeciem ſuſcipere teneantur, &c. *ut apud Raynaldum.*

Dicant Theologi minores quæ tamquam vera ſive catholica recipienda, quæ tamquam falſa ſive hæretica rejicienda.

SS. archiepiſcopus Lancianenſis mittitur Romam ab illuſtriſſimis legatis.

Vet. Script. & Mon. ampl. Collect. Tom. VIII.

Die Martis nona Junii cum & occaſione reſidentiæ & multarum aliarum rerum ſancta ſynodus his vexaretur, illuſtriſſimi domini præſidentes concilii miſerunt Romam reverendiſſimum dominum archiepiſcopum Lancianenſem, tradentes in mandatis, cum pontifice ore tenus agere de iis quæ per litteras miſſivas non eſt æquum ſcribere, & hac die Tridento diſceſſit.

Examinatio articulorum de uſu ſacramenti euchariſtiæ.

Incipit Congregatio Theologorum minorum.

Die Mercurii x. ejuſdem, cœpti ſunt examinari articuli qui ſupra a theologis minoribus, de uſu ſacramenti euchariſtiæ, in eccleſia S. Mariæ majoris; quorum primus fuit reverendus pater dominus Alfonſus Salmeronus Hiſpanus, vicarius generalis Societatis Jeſu, miſſus huc a ſummo pontifice, in ſacra theologia undequaque circumſpectus, cujus votum appoſui hic, ut perpulchrum & elegans.

Votum Alfonſi Salmeroni clerici Societatis Jeſu.

Quo ad primum articulum præmiſit regulam Innocentius III. &c. *ut apud Raynaldum.*

Congregationes publicæ ſunt apertis januis.

Notandum hic quod congregationes hujuſmodi, cum dicunt vota ſua theologi, ſunt publicæ. Similiter quando a ſancta ſynodo admittuntur oratores, & ſunt apertis januis congregationes, ut quicumque poſſit introire, & audire.

Congregationes generales de uſu ſacramenti euchariſtiæ.

Poſt hunc diem uſque ad totum XIX. Junii, theologi & fæculares & regulares dixere ſententias ſuas numero XLV. ſuper eadem materia de uſu ſanctiſſimi ſacramenti euchariſtiæ. Et a die XX. uſque ad totam XXIII. ſuper eadem re dixere ſententias ſuas, ut ſupra, theologi XV. & cum deeſſent qui ultra ferrent ſententias, dimiſſa eſt ſynodus hora XXI.

Canones de uſu ſanctiſſimi ſacramenti euchariſtiæ, propoſiti patribus examinandi.

Die XXIII. & XXIV. in congregatione generali propoſiti ſunt patribus a domino ſecretario, canones infra ſcripti examinandi, de uſu SS. ſacramenti euchariſtiæ, quorum forma talis eſt.

1. Si quis dixerit ex Dei præcepto, &c. *ut in editis.*

Orator illuſtriſſimi ducis Bavariæ admittitur a ſancta ſynodo.

Die ſabbati XXVII. Junii in congregatione generali, poſt habitas conſuetas ceremonias, admiſſus fuit a ſancta ſynodo orator illuſtriſſimi ducis Bavariæ, qui ſtatim proteſtatus fuit non fieri debere præjudicium ullum, neque illuſtriſſimo ſuo duci, neque etiam alicui ex electoribus imperii: ſi quoad præcedentias ſubmittebant ſe reipublicæ Venetiarum, ſe tamen hoc feciſſe affirmans, ne concilium perturbaretur; tradens in medium

plura ſua jura, propter quæ dux Bavariæ præferendus eſſet Venetiarum duci: & primo cum ſit elector imperii, poſſe creari Imperatorem, cum ex auguſta familia ſui ducis ad talem dignitatem perventum ſit; necnon quia ducatus Bavariæ fuerit quondam regnum. Tunc clariſſimus dominus Nicolaus de Ponte orator Venetus ſurgens, proteſtatus eſt ducem Bavariæ tunc cœpiſſe cedere ventis, ſicque modo omni loco & ſemper illi præceſſuram eſſe in futurum rempublicam Venetiarum: & ambo petierunt hæc omnia referri in acta ſanctiſſimi concilii.

Oratio oratoris illuſtriſſimi ducis Bavariæ ad ſanctam ſynodum.

Quando quidem S. D. N. aliquoties, &c. *edita apud Raynaldum.*

Reſponſum ſanctæ ſynodi ad oratorem illuſtriſſimi ducis Bavariæ.

Præcellens doctor & magnifice, &c. *editum apud Raynaldum.*

Completa oratione, & data reſponſione a ſancta ſynodo magnifico oratori illuſtriſſimi ducis Bavariæ, ſtatim DD. oratores Cæſarei ab illuſtriſſimis DD. legatis & a ſacroſancta ſynodo petierunt ut eiſdem concederetur communio ſub utraque ſpecie pro Bohemis, Moravis & aliis provinciis ut infra: quorum omnium deinde a domino ſecretario datum fuit exemplum reverendiſſimis patribus, ut ſuper eis optime conſiderent, quid ſtatuendum; & dimiſſa eſt congregatio.

Petita DD. oratorum ſacræ Cæſareæ majeſtatis.

I. Quod quæ DD. oratores ſacræ Cæſareæ majeſtatis propoſuerunt, omnia eo pertineant, ut Chriſti fidelium ſaluti atque ſanctæ Romanæ eccleſiæ auctoritati & poteſtati proſpectum ſit.

II. Quod jam inde a Conſtantienſi concilio laïcos ſub utraque ſpecie communicandi conſuetudo mordicus a Bohemis, qui ſub utraque nominantur, etiamnum retineatur, neque ullis ea conſiliis, rationibus, armis denique ipſis eripi potuerit.

III. Quod non tantum plebes hunc ſub utraque ſpecie communicandi morem retinuerint, verum etiam omnis ordinis nobiles & barones, atque ex iis etiam permulti qui publicis muneribus & magiſtratibus ex antiqua conſuetudine funguntur.

IV. Quod Baſileenſe concilium certis conditionibus calicis uſum illis conceſſerit.

V. Quod item Paulus III. & Julius III. fel. rec. ſummi pontifices per nuntios idem illis permiſerint, ſed propter quædam impedimenta res perfici non potuerit.

VI. Quod ſacra Cæſarea majeſtas, Pragenſi archiepiſcopatu poſt centum & quadraginta annos fere reſtituto, illius regni ad ſanctæ Romanæ eccleſiæ obedientiam revocandi divinitus oblatam occaſionem animadvertens, a SS. D. noſtro petierit, ut archiepiſcopo Pragenſi eorum qui ſub utraque communicant ſacerdotes ordinandi facultatem largiatur.

VII. Quod ſanctiſſimus dominus noſter hanc petitionem minime rejiciendam, ſed dignam omnino cenſuerit, de qua ad ſacrum œcumenicum concilium referretur, ne tanta tamque optata occaſio illius regni ad eccleſiæ gremium revocandi prætermitteretur.

VIII. Quod vel ex eo ſatis intelligi poteſt, quam iſti bene erga ſanctam Romanam eccleſiam ſint affecti, quod non alios unquam preſbyteros quam cœlibes, & a catholico epiſcopo ordinatos in hunc diem admiſerint.

IX. Quod pro S. D. N. & ſacro cardinalium collegio, epiſcopis atque aliis ordinibus eccleſiaſticis publice Deum exorare, & populum ad hoc ipſum faciendum in concionibus frequenter cohortari ſoleant.

X. Quod calicis uſu conceſſo, in reliquis, in quibus leviter a catholicæ eccleſiæ doctrina deflexiſſent, facile ad ſanam doctrinam reduci poſſint.

XI. Quod non ſit mirum eos perſuaſos eſſe ſub utraque, quam ſub altera, plus gratiæ eſſe, cum doctiſſimi etiam & catholici viri ſubdubitaſſe videantur.

XII. Quod cavendum ſit, ne per nimiam ſeveritatem calicis uſu denegato, ad ſectarios & præſertim ad Lutheranos tranſeant, cum variis artibus ad defectionem ſollicitentur.

XIII. Quod in Hungaria etiam, Auſtria, Moravia, Sileſia, Stiria, Carinthia, Carniola, Bavaria, Suevia, & aliis permultis Germaniæ partibus, plerique catholici viri, magno quodam zelo ac devotione, calicem ſibi dari expectant.

XIV. Quod hanc ob cauſam Paulus III. pontifex maximus, fere omnibus per Germaniam epiſcopis facultatem conceſſerit ſub utraque communicandi eos, qui devotionis cauſa ſub utraque mallent, quam ſub una communicare, ſed neque hoc propter impedimenta ad exitum perduci potuerit.

XV. Quod communio ſub utraque ſpecie non pro hæreticis petatur, qui concilii auctoritatem non agnoſcunt; ſed pro eis qui aliis in rebus & catholici ſunt, & S. R. E. obedientes filii.

XVI. Quod ſpes ſit plurimos hæreticos hac conceſſione ad obedientiam reverſuros eſſe, præſertim cum multi profiteantur ſe, ſi calix concedatur, ad nos redire velle.

XVII. Quod conceſſo calicis uſu, ſacroſanctum miſſæ ſacrificium majore cum reverentia deinceps frequentabitur.

XVIII. Quod ſi denegetur, omnia contraria ſint pertimeſcenda.

XIX. Quod domino archiepiſcopo Pragenſi petita a ſacra Cæſarea majeſtate Calixtinos ſacerdotes ordinandi facultas concedi non poſſe videatur, niſi prius *illi abſoluti* ad

gregatium S. R. E. recipiantur. Recipi autem, nisi calicis usu permisso, minime possint.

XX. Quod domini Canadiensis & Tininiensis episcopi, omnium prælatorum Hungariæ nuncii, sacro œcumenico concilio humiliter supplicent, ut ecclesiis Hungaricis provideant, quæ propter negatum calicis usum in magno sint discrimine.

XXI. Quod sacerdotes etiam inviti, a nobilibus & populo ad calicis porrectionem compellantur, non sine vitæ periculo.

XXII. Quod nisi nobiles & plebei a sacro concilio calicem sibi permissum iri considerent, longe acerbiora aggrederentur.

XXIII. Quod in Hungaria jam eo ventum sit, ut cum sacerdotes partim propter vim diffugere cogantur, partim etiam a prælatis ob hunc abusum ejiciantur, infantes sine baptismo passim intereant, & verendum sit, ne brevi ad paganismum redeatur.

XXIV. Quod hæc omnia domini oratores illustrissimorum legatorum ac reverendissimorum patrum judicio ac pietati subjecta testentur esse vera.

Exemplum petitionum, ut supra, datum fuit omnibus patribus.

Die Martis xxx. Junii, in congregatione generali propositum fuit a reverendissimo domino secretario, ut infra.

Licet propositi sint una cum quatuor canonibus etiam ii articuli pertinentes ad concessionem communionis sub utraque specie: nihilominus quia materiæ istæ sunt distinctæ, & ut patres commodius tempus habeant ad considerandа ea quæ proposita sunt a dominis oratoribus Cæsareis, visum est expedire, ut hæc duo separatim tractentur. Propterea dominationes vestræ dicant nunc super dictis quatuor canonibus, quibus expeditis, dicent super aliis articulis propositis.

Quibus propositis, latæ fuerunt quadraginta & duæ sententiæ. Postmodum dimissa est synodus.

A die xxx. ejusdem mensis, usque ad totum diem tertium Julii, in congregationibus, quæ bis in die habitæ sunt, data sunt vota reverendissimorum patrum super usu sanctissimi eucharistiæ sacramenti.

Die sabbati IV. Julii, in congregatione generali ab illustrissimo præsidente Mantuano dictum fuit patribus, fuisse exhibitum scriptum quoddam ab oratoribus regis Galliarum, quod in primis legi maxime optabant, id quod a domino secretario alta voce peractum fuit, qui obtulit postmodum se daturum exemplum cuicumque.

Capitula exhibita ab oratoribus Caroli Christianissimi regis Franciæ, super petitione oratorum Cæsareorum circa communionem sub utraque specie.

Quatuor canones, de quibus sententias dixistis, patres sanctissimi, adeo perspicue & aperte compositi sunt, ut nullus videatur locus relictus dubitationi: tamen si in illis quædam mutentur, quemadmodum nonnullis visum est, postulamus id fieri absque eo quod præjudicium ullum fiat auctoritati & prærogativæ regis Christianissimi, & quorumdam in Gallia monasteriorum vetustissimæ consuetudinis. Retinuerunt enim Galliæ reges, & post mille & amplius annos, quasi per manus acceperunt, ut quo die regiis insignibus ornantur & consecrantur, sanctissimi eucharistiæ sacramenti communicationem sub utraque specie accipiant. Monachi vero etiam non conficientes statutis quibusdam anni diebus.

Quod autem pertinet ad communicationem sub utraque specie, petitam a clarissimis Cæsareæ majestatis & Bavariæ ducis oratoribus, quamquam de ea re, ut sæpe testati sumus, nulla in mandatis nostris singularis mentio fiat, duo tamen legationis nostræ capita præcipua sunt, quæ nos salva muneris nostri ratione, non possumus prætermittere. Primum, ut vos patres sanctissimos, quam vehementer fieri poterit oremus & hortemur, his turbulentis & calamitosis temporibus ad multa connivere, nonnulla dissimulare, & quædam de summo jure ita remittere, ut cum semper juris divini, ecclesiæ catholicæ & sedis apostolicæ dignitas & auctoritas sarta & tecta maneat, nonnihil tamen hominum imbecillitati & infirmitati, ut divus Paulus aliquando fecit, condonetis. Alterum vero caput est, ut omnes nostras actiones, cogitationes, studia denique omnia ad reipublicæ Christianæ utilitatem non solum convertamus, sed etiam accommodemus, cum ad omnium Christianorum regum & principum, tum optimi & religiosissimi imperatoris oratorum nutum ac voluntatem. Itaque nolumus hac in re officio nostro deesse, sed potius amplecti adeo justam, sanctam, & Christianam petitionem, eamque quoad fieri a nobis poterit, vel eo maxime juvare, quod nihil propterea decedere videamus auctoritati & dignitati ecclesiæ catholicæ hujusque sacrosancti concilii. Quod si in calicis distributione, ut in aliis multis ecclesia catholica, quemadmodum vos dixistis, pro suorum temporum & hominum ratione, non eadem semper constituit & observavit, hoc possumus vobis bona fide polliceri, atque omni asseverationе affirmare, nihil magis hoc tempore pertinere ad conciliandas Christianorum voluntates, pacandos de religione tumultus, homines nostros retinendos, & eos qui jam a nobis defciverunt revocandos, quam si justæ & Christianorum oratorum petitiones * vobis satisfiat.

Quibus rebus completis, visum est patribus, ne verbum quidem nunc super hujuscemodi re proferre; sed procedere super quatuor canonibus, & eorum doctrina, simul & super negotio reformationis, & negotium

* *f.* petitioni à

hoc in aliud tempus, cum dabitur occasio, protrahere examinandum.

Archiepiscopi Lancianensis Tridentum reditus ex urbe Roma.

Die VIII. Julii rediit ex urbe Roma Tridentum archiepiscopus Lancianensis, qui die IX. Junii proxime præteriti fuerat missus ad summum pontificem ab illustrissimis dominis legatis: & inter alia gesta ab eo, detulit a summo pontifice responsum ad unum & triginta archiepiscopos & electos, qui ut superius adnotatum est, ad ejus sanctitatem scripserant de residentia episcoporum, prætendentes esse de jure divino: quæ res vel maxime vexat hoc sacrosanctum œcumenicum concilium. Qui archiepiscopus oretenus dixit modo uni, modo alteri ex archiepiscopis, quibus fuerat directum, de breve quodam apostolico ad ipsos transmisso ab eodem summo pontifice, eisdem dicens, cum fuerint omnes congregati, aliqua se eis relaturum esse summi pontificis nomine. Qui omnes una cum universis prælatis Hispanis, quibus quomodo hujusmodi res cordi summopere erat. die Dominica XII. Julii convenere in ecclesia cathedrali S. Vigilii post vesperas, & præsentato, & adaperto dicto breve apostolico, semotis omnibus quorum non intererat, inter eos lectum fuit.

Responsum summi pontificis ad patres quosdam occasione residentiæ.

PIUS PAPA QUARTUS.

Venerabiles fratres S. & A. B. Fraternitatis vestræ litteras pietatis & devotionis vestræ erga sanctam hanc sedem indices, grato animo accepimus, in quibus litteris, quod in disputatione, quæ isthic habita fuit de pastorum residentia, mentis vestræ sinceritatem nobis notam & testatam esse voluistis: nos plane credimus, & persuasum habemus vos & ceteros quibus declarari placuit quo jure præcipiatur pastoribus ut resideant, pro studio commotos fuisse, & omnes vos dixisse quod suâ quemque monuerit conscientia. Nec vero nos hi sumus qui offendamur libertate cujusquam: concilium enim plane liberum esse volumus, & suæ quemque religioni ac conscientiæ consulere & satisfacere debere censemus atque etiam hortamur. Illud tantum desideramus, ut offensionibus & scandalis, quæ ex discordia & pertinaci dissentione oriri possent, aditus præcludatur, sicut pro vestra prudentia vos quoque faciendum esse intelligitis; cum hæretici perattente quid in concilio agatur speculentur & diligenter observent; quibus nullam dari ansam oportet obtrectandi, & sacræ synodi auctoritatem elevandi, si ipsum concilium inter se divisum esse videatur. Quare eam moderationem ab omnibus cupimus adhiberi, ut cum ingenue atque aperte dixerit quisquam quid de re proposita sentiat, tum ea quæ decernenda visa fuerint, remoto contentionis studio, ea qua decet consensione atque concordia statuantur. Qua de re quamplurima loquuti sumus cum venerabili fratre LEONARDO archiepiscopo Lancianensi, quæ fraternitatibus vestris referet. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo piscatoris die prima Julii MDLXII. pontificatus nostri anno tertio.

Antonius Horebellus Cavellinus.

A tergo,

Venerabilibus fratribus Naxiensi, Ragusino, Jadrensi, Surrentino, & Januensi archiepiscopis, ac Britonoriensi, Clugiensi, Cenetensi, Nolano, Brugnatensi, Mutinensi, Fesulano, Vivariensi, Exino, Grossetano, Senogallicensi, Ostunensi, Voxentino, Anconitano, Theanensi, Acerrensi, Sutrino, Aquensi, Massæ Lubiensi, Bergamensi, Siclinensi, Sancti Papuli, Politiano & Veronensi episcopis, Papiæ & Famagustæ episcoporum coadjutoribus in Tridentino concilio constitutis.

Lecta ejusmodi responsione, quid inter se statuerint nescitur prorsus, nisi tantum, quod & illi & quamplurimi postmodum pro hac re in eorum pertinacia perstiterint.

A die Mercurii VIII. Julii usque ad diem XV. ejusdem, quotidie bis fuit congregatio, in qua tractaverunt patres de quatuor canonibus & eorum doctrina ut supra. Similiter de reformationis negotio, & de doctrina sub utraque specie, & parvulorum.

Eadem die & congregatione quæ fuit hora XIX. cum essent non pauca discrimina inter patres, occasione plurimarum rerum, quæ non patiebantur tempus prorogari, cum prope esset sacrosancta sessio, & præsertim reformationis causa, nam inter se divisi diverse sentiebant, tandem operante Spiritu sancto, illustrissimorum DD. legatorum nomine, D. Tilesinus secretarius oravit patres, ne ulterius dissensiones ipsas inter se protrahere vellent, sed jam jam finem imponerent, & statim omnia in silentium versa sunt. Et tunc perlegit ipse doctrinam de usu sanctissimi eucharistiæ sacramenti, & etiam de reformatione canones. Quibus omnibus approbatis pro die futura, data sunt vota centum sexaginta & octo a totidem prælatis, atque unanimes rediere domum, dimissa synodo hora XXII.

SESSIO V.

sub Pio IV. quæ est XXI.

Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, anno salutis MDLXII. indictione quinta, die vero Jovis XVI. mensis Julii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Pii divina providentia sacrosanctæ Romanæ & universalis ecclesiæ pontificis maximi anno tertio, Tridenti in ecclesia cathedrali, quæ est sub invocatione B. Vigilii

episcopi & martyris, & in loco eminentiori ipsius ecclesiæ, ad sessiones habendas deputato, celebrata est quinta sessio sacrosancti œcumenici & generalis concilii Tridentini, præsidentibus in eo nomine ejusdem SS. D. N. papæ illustrissimis & reverendissimis DD. cardinalibus apostolicæ sedis de latere legatis qui supra. Qui quidem illustrissimi DD. legati & præsidentes, una cum DD. oratoribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, generalibus & aliis, convenere hora decima in dicta ecclesia cathedrali, ubi reverendissimus D. MARCUS CORNELIUS, Venetus, electus archiepiscopus Spalatrensis, B solemnem celebravit missam de Spiritu sancto. Qua absoluta, & publicata de more auctoritate apostolica indulgentia plenaria, reverendissimus D. ANDREAS DUDITIUS SBARDELLATUS Hungarus, episcopus Tininiensis, de consuetudine suam habuit orationem. Qua peracta, tam præfati illustrissimi DD. præsidentes, & cardinalis Madruccius, quam ceteri patres pluvialia sumserunt, ac mitras aliaque paramenta consueta, decantantibus eodem tempore cantoribus: *Quam dilecta tabernácula tua, Domine.* Paramentis acceptis, quisque resedit in loco suo, atque oratores tam ecclesiastici quam sæculares sederunt in loco eorum consueto. Quibus omnibus in locis suis sedentibus, cum nonnulli patres censuissent addi in capitulo primo doctrinæ quæ publicanda erat de communione sub utraque specie, & parvulorum, videlicet ubi dicitur: *Nam etsi Christus*, post verbum *traditio*, adderentur hæc verba, videlicet: *Ita ad omnes Christi fideles extenditur*, ut & post verbum, *astringatur*, hæc etiam verba, videlicet: *sed ad eos tantum quibus dictum est, hoc facite in meam commemorationem; hoc est, quibus conficiendi & offerendi corporis & sanguinis sui potestatem tradidit.* Quæ verba ipsis patribus per cedulas inter eos distributas considerandi, proposita fuerant: super quo negotio rogatæ sunt per D. secretarium episcopum Telesinum, una cum DD. Marcantonio Peregrino Comensi & Cinthio Pamphilo de Sancto Severino, ejusdem concilii notariis, reverendissimorum patrum sententiæ, an dicta verba in dicto primo capitulo doctrinæ addenda essent: quod longe majori parti patrum non placuit, ut adderentur. Quare mandantibus illustrissimis DD. legatis, per præfatum D. secretarium pronuntiata sunt alta voce hæc verba: Longe majori parti patrum non placet, quod verba ista addantur; propterea doctrina publicabitur absque aliqua additione, sicuti in generali congregatione comprobata fuit. Deinde illustrissimus D. Mantuanus præsidens & legatus præfatus, recedens e loco ubi sacra audiverat, ivit ad altare majus, ibique solitas orationes legit. Quibus completis, cantores decantarunt letanias, & diaconus evange- A lium Johannis VI. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*: accedentibusque ceteris legatis ad dictum altare majus, invocatoque auxilio Sancti Spiritus per hymnum *Veni creator Spiritus*, ac omnibus aliis in publicis sessionibus de more peractis, ipsi illustrissimi DD. legati resederunt in faldistoriis ante ipsum altare majus, versi faciem ad sanctam synodum, omnibusque suis in locis, ut dictum est, residentibus, magnificus D. Augustinus Pungartnerus, orator illustrissimi ducis Bavariæ, surgens e loco in quo sedebat, accessit ad illustrissimos DD. præsidentes, quibus exhibuit litteras & mandatum sui illustrissimi ducis; quæ omnia per dictum D. secretarium in suggesto existentem, alta & intelligibili voce lecta fuerunt, & postmodum responsum sanctæ synodi. Quibus lectis & peractis, reverendissimus archiepiscopus Spalatrensis, qui sacra peregerat, accedens ad altare majus, accepit e manibus illustrissimorum DD. legatorum decreta quæ publicanda erant de communione sub utraque specie & parvulorum, ac de reformatione; ascendensque per suggestum, alta & C intelligibili voce prælegit quæ ejusmodi sunt.

Doctrina de communione sub utraque specie, & parvulorum.

Sacrosancta œcumenica & generalis synodus, &c. Cum de tremendo, &c. *ut in editis tom.* XIV. *concil. apud Labb. pag.* 845. *usque* 848.

Decretum de reformatione publicatum in quinta sessione.

Eadem sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem apostolicæ sedis legatis, ad Dei omnipotentis laudem, & sanctæ ecclesiæ ornamentum, ea quæ sequuntur, de reformationis negotio in præsenti statuenda esse censuit. D

CAPUT I. *Omnes ordines ecclesiæ conferri debent absque ullo pretio ab ordinario.*

Quoniam ab ecclesiastico ordine, &c. *ut in edit. pag.* 848. *usque ad* 852.

Quibus decretis lectis & approbatis, reverendus dominus Johannes Baptista Castellius Bononiensis, sacri concilii promotor, rogavit omnes protonotarios & notarios ibi præsentes, ut de omnibus in hac quinta sessione gestis, unum vel plura conficerent in- E strumenta; moxque ab illustrissimo domino præsidente incœptus est hymnus *Te Deum laudamus*, cantoribus prosequentibus usque in finem. Quo absoluto, ipse illustrissimus præsidens Mantuanus, versa facie ad sanctam synodum, signo crucis reverendissimis patribus benedixit: qui depositis paramentis ad propria remearunt hora XVIII.

Catalogus eorum qui interfuere huic quintæ sessioni, & hi sunt.

Illustrissimi & reverendissimi domini legati & præsidentes.

Cardinalis Madruccius.

Oratores imperatoris tres, regis Galliarum tres, regis Portugalliæ unus, Reipublicæ Venetiarum duo, ducis Florentiæ unus, ducis Bavariæ unus.

Patriarchæ III.
Archiepiscopi XIX.
Episcopi CXLVIII.
Abbates III.
Generales ordinum VI.
Doctores legum III.
Theologi sæculares XXIII.
Theologi regulares omnium ordinum LXXI.

Acta post sessionem V.

Die Dominico XIX. Julii, volentes ad ulteriora procedere illustrissimi & reverendissimi præsidentes, convocaverunt reverendissimos patres in congregationem generalem, quibus propositi fuere a domino secretario tredecim articuli de sacrificio missæ, eisdemque dixit, ut mitterent ad recipiendum exemplum, una cum reverendis theologis, qui omnium primi dicturi sint sententias suas, & dimissa est congregatio.

Articuli de sacrificio missæ.

I. An missa sit sola commemoratio sacrificii in cruce peracti, non autem verum sacrificium.

II. An sacrificio in cruce peracto deroget sacrificium missæ.

III. An illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ordinavit Christus, ut apostoli offerrent corpus & sanguinem suum in missa.

IV. An sacrificium quod in missa fit, prosit solum sumenti, non possit autem offerri pro aliis tam vivis quam defunctis, nec pro ipsorum peccatis, satisfactionibus & aliis necessitatibus.

V. An missæ privatæ, in quibus scilicet solus sacerdos & non alii communicant, illicitæ sint ac abrogandæ.

VI. An quod in missa aqua vino admisceatur, cum Christi institutione pugnet.

VII. An canon missæ errores contineat, sitque abrogandus.

VIII. An ecclesiæ Romanæ ritus, quo secreto & submissa voce verba consecrationis proferuntur, damnandus.

IX. An missa non nisi in lingua vulgari, quam omnes intelligant, celebrari debeat.

X. An abusus sit certas missas certis sanctis attribuere.

XI. An ceremoniæ, vestes, & signa externa, quibus ecclesia in celebratione missarum utitur, sint tollendæ.

XII. An Christus pro nobis mystice immolari, idem sit quod nobis ad manducandum dari.

XIII. An missa sit tantum sacrificium laudis & gratiarum actionis, an etiam sacrificium tam pro vivis, quam pro defunctis.

A *Theologis minoribus præscribitur modus in futurum dicendi eorum sententias.*

Die lunæ XX. Julii fuit congregatio generalis in ecclesia S. Mariæ majoris ex more. Et cum superioribus diebus theologi in dicendis eorum sententiis super quæcumque materia longiores essent, quam æquum veliti visum est illustrissimis dominis legatis & reverendissimis patribus, quomodo in futurum sententias suas proferre debeant, eisdem præscribere modum, qui est ejusmodi.

Primo, inter omnes theologos huc missos a sanctissimo domino nostro, ut concilio interfint, hoc erit perpetuum, ut in singulis B materiis proponendis dicant qualibet vice quatuor tantum, videlicet duo sæculares & duo regulares, quos eligent illustrissimi & reverendissimi legati; & ita successive cum aliæ materiæ erunt tractandæ, alii quatuor ex eodem numero dicent, donec unusquisque impleat partes suas.

Secundo, ex omnibus theologis sæcularibus missis a principibus ad concilium, eliget quisque orator principum ternos tantum ex eis, qui a suo principe missi fuerunt, quibus dabitur locus dicendi in materia proposita, & deinde in aliis materiis examinandis C variabuntur arbitrio oratorum, dummodo terni tantum pro quolibet principe in eadem materia respondeant.

Tertio, singuli illustrissimorum legatorum eligent unum tantum ex theologis sæcularibus, quos in eorum aula habent, qui loquentur eadem ratione qua reliqui.

Quarto, nomina omnia describentur ceterorum theologorum sæcularium, qui commorantur in domibus prælatorum, suntque eorum familiares, & ex toto hoc numero assumentur in singulis materiis non plures quam quatuor, qui ea vice loquentur super D articulis propositis. Rursum cum deinde aliæ res erunt tractandæ, tunc alii quatuor deligentur, donec omnium numerus perficiatur. Ordo autem prius loquendi inter eos erit, secundum antiquiorem eorum promotionem, videlicet ut qui prius susceperit gradum sive doctoratus, sive licentiatus, sive baccalariatus, ille etiam anterior dicet, & deinceps alii.

Quinto ex omni numero regularium sive missi sint a principibus, sive commorentur apud legatos aut prælatos, sive maneant in eorum monasteriis, sive quocumque alio E modo hic adsint, dummodo non huc missi a summo pontifice, singuli generales religionum eligent ex eorum ordine ternos, qui ipsis videbuntur aptiores, qui dicent super præsenti tunc materia. In aliis vero materiis, quæ postea occurrent, poterunt illos variare & mutare arbitrio suo.

Sexto, sive sæcularis sive regularis non excedet in dicendo spatium dimidiæ horæ ad summum: qui prolixior esse voluerit, statim

a magiſtro ceremoniarum interrumpetur : laudabilior erit qui nec etiam ad id ſpatium pervenerit.

Septimo theologi ſive ſæculares ſive regulares, quibus tunc dicendi locus non obtigerit, poterunt tamen in ſcriptis deferre ad deputatos ea quæ ſibi circa materias propoſitas neceſſaria videbuntur : qui modus propoſitus a patribus fuit approbatus.

Pro ratione vero patrum ſuper doctrina & abuſibus miſſæ, res ad illuſtriſſimos legatos delata eſt ; qui habita matura deliberatione, deputarunt ut inferius, & a patribus confirmati ſunt.

Patres deputati ad conficiendum canones & doctrinam de ſacrificio miſſæ.

Archiepiſcopus Granatenſis, Hiſpanus.
Archiepiſcopus Lancianenſis, Genuenſis.
Epiſcopus Lectoratenſis, Coſentinus.
Epiſcopus Interamnenſis, Neapolitanus.
Epiſcopus Senenſis, Portugallenſis.
Epiſcopus Vaurenſis, Gallus.
Epiſcopus Almerienſis, Hiſpanus.
Epiſcopus Veronenſis, Venetus.
Generalis Fratrum Minorum Obſervantiæ, Hiſpanus.

Et poſſunt uti opera & ſtudio theologorum quos magis voluerint. Deputarunt quoque infra ſcriptos, ut colligant quæ vitanda, & quæ non erunt in ſacrificio miſſæ.

Deputati ad colligendos abuſus de ſacrificio miſſæ.

Archiepiſcopus Raguſinus, Bononienſis.
Archiepiſcopus Surrentinus, Brixienſis.
Epiſcopus Senogalliënſis, Genuenſis.
Epiſcopus Laventinus, Germanus.
Epiſcopus Limiſinenſis, Florentinus.
Epiſcopus Tortoſæ, Hiſpanus.
Epiſcopus Tinimenſis, Hungarus.

Quibus rebus expletis & ſic ſtatutis, dimiſſa eſt congregatio.

Congregatio theologorum generalis.

Incipit examinatio XIII. *articulorum modo quo ſupra de ſacrificio miſſæ.*

Die Martis XXI. Julii, fuit congregatio generalis hora XIX. in qua cœpti ſunt examinari articuli de ſacrificio miſſæ. Primus autem omnium cœpit D. Alfonſus Salmeronus Societatis Jesu, maxima audientium copia.

A die XXI. ejuſdem uſque ad totam diem dominicam XXVI. quotidie fuit congregatio, & ſuper eadem materia dixere theologi XI.

Die lunæ XXVII. ejuſdem, fuit ut ſupra congregatio, in qua dixit votum ſuum D. Melchior Cornelius theologus ſereniſſimi regis Portugalliæ, ejuſmodi tenoris.

Votum Melchioris Cornelii theologi Portugallenſis ſuper ſacrificio miſſæ.

Miſſa hebraica dictio eſt, Deuteronom. XVI. miſſa oblationem ſignificat, & ſacrificium, eſt rei ſacræ oblatio. Euchariſtia autem cum defertur ad infirmos, vel conſervatur, eſt ſacramentum ; cum vero offertur in altare, ſacrificium eſt. Et cum dæmon mentibus hæreticorum conatur abdere miſſam, ergo miſſa non eſt abominatio, ut Lutherus ait, quoniam dæmon non removet abominationem, ſed fovet. Et Iſaïas ultimo, *aſſumam mihi ſacerdotes ex gentibus*, ergo non ſecundum Aaron, quia neceſſe eſt ut habeant ſacrificium, cum abſque eo ſacerdotes eſſe non poſſint. Et cum dicit, aſſumam ex eis ſacerdotes, notat quod non omnes ſunt ſacerdotes, ſed qui aſſumuntur, ut ait Paulus ad Hebræos. Idem probatur Malach. cap. I. *In omni loco offertur oblatio munda* ; quod non intelligitur de orationibus mundis, ſed de ſacrificio miſſæ. Et licet Hieronymus ibi videatur interpretari de ſpiritualibus hoſtiis, id tamen de ſacrificio miſſæ intelligit, cum ait intelligi de ſacrificio & ceremoniis Chriſtianorum : & præterea Malachias loquitur de una oblatione & hoſtia una ; non pluribus, ut eſſent fidelium orationes. Et item orationes prophetarum erant mundæ ante illud tempus de quo Malachias. Et concilium Nicænum II. act. IV. hunc locum Malachiæ intelligit de ſacrificio miſſæ : & cum dicit David, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech* : & Melchiſedech obtulit panem & vinum : ergo & Chriſtus idem fecit ; ſed quod ipſe fecit, præcepit apoſtolis faciendum Luc. XXII. *hoc facite* : ergo & ſacerdotes offerunt panem & vinum. Melchiſedech autem vere obtulit ; nam ſi erat ſacerdos, vere obtulit cum benedixit & decimas accepit : neque intelligi poteſt ut obtulerit Abrahæ & ſociis panem ad refocillandum, cum eis Abraham non indigeret, ut ibi declaratur & Abrahammet teſtatur, ergo obtulit vere Deo panem & vinum. Ita Anacletus epiſtola de ordinatione ſacerdotum idem docet, & alii doctores ſancti declarant. Et cum hæretici opponunt quod etſi Melchiſedech obtuliſſet, & Chriſtus fuit per eum figuratus, id tamen adimpletum in cruce, cum illa oblatio duret in æternum ; & quod Paulus de eo ſacrificio Melchiſedech ad Hebræos non meminit, quia Paulus intendebat probare Chriſtum eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, non autem Aaronis ; de ſacrificio autem non meminit. Et Chriſtus in cruce non obtulit ut ſacerdos ſecundum ordinem Aaronis, ſed ad ſimilitudinem ſacrificii Aaronis, id eſt cruenti. ſacerdos autem Chriſtus erat ſecundum ordinem Melchiſedech, ſecundum cujus ſacrificium obtulit in cœna, non in cruce : non igitur adimpletum eſt in cruce ſacrificium Melchiſedech, ſed in cœna. Item Lucæ XXII. *hoc facite*, Chriſtus inſtituit ſacrificandum, quia præcepit faciendum quod ipſe fecit : & verbum *facite*, ſactificare ſignificat, & ita interpretatur concilium Conſtantienſe, Alexander papa I. & alii patres aſſerunt. Item, habetur in conſtitutionum apoſtolicarum

epitome post canones apostolorum ut beatus Tho. 3. parte quæst. 82. art. primo. At in q. 80. art. 11. contrarium videtur tenere; sed quæst. & art. p. intelligit de consecratione in 80. art. 11. quinta parte intelligit de passionis memoria ab omnibus Christi fidelibus facienda. Item Daniel XII. *cessabit juge sacrificium*, quod de eucharistiæ oblatione intelligitur, quæ tempore antichristi cessabit, neque de oblatione crucis intelligi potest, quæ numquam cessabit, ut Levit. XV. & psal. XXXI, & de Agno Paschali, qui offerebatur & edebatur, ut eucharistia. Item, conc. Cabilon, & canon. 3. & 9. apost. concil. Lateran. Respondituque ad argumenta adversariorum, & cum dicunt eucharistia est uti baptismus, qui non reiteratur: & Ambrosius lib. 2. cap. 10. de pœnitentia, addit etiam pœnitentiam non reiterandam. Resp. ut B. Thomas Ambrosium intelligere de publica pœnitentia, & quod Ambrosius intelligit, quod qui vere pœnitentiam faciunt, & vere pœnitent, debent in animo constituere, se amplius non peccaturos, & sic non reiteraturos pœnitentiam: at si peccarent, debent reiterare pœnitentiam. Aqua miscenda est vino, ut concil Carthagin. IV. & concil. Florent. Sed Aurelianense IV. cap. IV. videtur contrarium sentire. Sed intelligitur de multa aqua, quæ non est imponenda, sed de paucissima parte illa concilia intellexerunt, ut declarat expresse concilium Florentinum. Christus autem consecravit illis verbis, *Hoc est corpus meum*, ut declarat concilium Florentinum.

A die qua supra XXVII. Julii usque ad diem tertium mensis Augusti super eodem sacrificio missæ dixere theologi XIV.

Die lunæ tertia Augusti in congregatione generali, fuit magnificus dominus Johannes Gottardus, ut procurator reverendissimi domini episcopi Ratisponensis, cum litteris & mandato sui episcopi ad sanctam synodum. quibus omnibus de consensu illustrissimorum dominorum legatorum a reverendissimo secretario lectis alta voce, ut ab omnibus audirentur, & a dicto procuratore habitis aliquantulis verbis in excusatione sui episcopi, eo quod non potuisset præsens huic sanctæ synodo adesse, rebus quam plurimis præpeditus, oravit sanctam synodum, ut ejus excusationem admitteret: a domino secretario fuit illi injunctum, ut dimissa congregatione reciperet se ad deputatos, qui hujusmodi admittendi facultatem habent. Interim læto animo ab omnibus, ut ipsemet viderat, auditus fuerat, dando illi ansam de optime sperando.

Post hunc in eadem congregatione venit in medium reverendus dominus GEORGIUS HENUVARTUS electus Basileæ, ut procurator reverendissimi episcopi Basileensis, suumque mandatum præsentavit. quo lecto a secretario, & habita parvula oratione, suum episcopum excusando, eo quod non commoraretur Basileæ propter Lutheranos, qui in ea civitate sunt quam plurimi, sed in quodam ejus castello prope dictam civitatem, quod circumquaque a dictis Lutheranis vallatur, foreque quod si illinc abesset, perpauci qui adhuc sunt in fide, vererentur ne in malam viam abirent; & alia hujusmodi verba habuit, super quibus a secretario habitis sententiis patrum, admissus fuit.

Tunc statim reverendissimus Quinquecclesiensis orator Cæsareus in hæc verba prorupit: Vos audistis, reverendissimi patres, & ego amplissimam fidem facio, quod sua Cæsarea majestas quotidie episcopos Germaniæ sollicitat, ut ad hoc sacrum concilium se conferant; sed cum vos sitis facillores, quam par sit in admittendis eorum excusationibus, ne miremini, si ipsi personaliter non veniant. Cui nihil responsum fuit: sed statim dominus secretarius dicto domino electo procuratori dixit: Reverende domine electe, sancta synodus excusationem reverendi episcopi Basileensis tamquam justam & legitimam admittit: mandatur autem prout de jure, & tunc dimissa est congregatio.

Die Martis ejusdem quarta, dixere super XII. articulis de sacrificio missæ theologi duo, & dimissi sunt patres, & omnes alii.

Die VI. Augusti datum fuit patribus a domino secretario exemplum canonum & doctrinæ super sacrificio missæ, examinandum a reverendissimis patribus, quorum hic non facio mentionem, cum tractanda sint; sed ea loco suo non deero ponere in sessione.

Incipiunt examinari doctrina & canones de sacrificio missæ a patribus.

Die Martis XI. ejusdem, in generali congregatione patres cœpere proferre sententias suas super doctrina & canonibus missæ.

A die Mercurii XII. ejusdem, usque ad totam diem, XXI. patres in congregationibus semper locuti sunt super eadem materia.

Die sabbati XXII. in congregatione dixere aliqui patres vota sua super sacrificio missæ & canonibus.

Postea illustrissimus dominus præsidens Mantuanus, perbelle retulit reverendissimis patribus fuisse sibi ostensas litteras ab invictissimi Cæsaris oratoribus, continentes ut omni modo proponatur patribus sanctissimi concilii, communio sub utraque specie pro regnis Bohemiæ, Hungariæ & omnium aliarum nationum & provinciarum suæ majestati subjectarum. qui cum hoc multum exoptet, præcipit eis, ut hoc quam maxime possint enixe petant, ostendentes quantum utilitatis id sit allaturum, & eorum animabus & sanctæ matri ecclesiæ; speransque per hujusmodi concessionem, magnam hominum multitudinem, quæ a fide catholica defecit, redituram ad pristinam sanctissimæ fidei viam; objiciens insuper fidelitatem, pietatem, religionem,

nem, in ejuſmodi rebus prudentiam ſuæ Cæſareæ majeſtatis, ſine cujus adminiculo, non potuiſſet cogi hæc ſancta ſynodus. Eaque omnia reverendiſſimi maturo judicio conſiderent.

Quo dicto, reverendiſſimus ſecretarius dixit patribus, duos articulos de communione ſub utraque ſpecie intermiſſos in præcedenti ſeſſione, tunc proponi, ut ab eiſdem maturius & commodius ſuper his deliberari poſſit, quorum iſtud eſt exemplum.

Primus articulus an communio ſub utraque ſpecie petita nomine ſacræ Cæſareæ majeſtatis pro ſacro Romano imperio, totaque Germania, pro regnis Hungariæ & Bohemiæ, an etiam ducatui Auſtriæ & aliis provinciis & dominiis ad eamdem pertinentibus, ſit a ſancta ſynodo concedenda ſub infra ſcriptis conditionibus.

An communio ſub utraque ſpecie ſit concedenda cum infraſcriptis conditionibus.

Primo, ut ſub utraque ſpecie communicare volentes, in reliquis omnibus tam quoad ſacramentum hoc, quam cetera ſacramenta: item in quacumque materia quoad fidem, doctrinam ritumque conveniant, corde & oris confeſſione, cum iis omnibus quæ a ſancta Romana eccleſia ſunt recepta: necnon decreta omnia hujus ſanctæ ſynodi tam promulgata quam promulganda religioſe admittant & obſervent.

Secundo, ut paſtores dictarum nationum & concionatores credant & doceant conſuetudinem ab eccleſia prolatam & diu obſervatam, videlicet communicandi ſub altera tantum ſpecie non eſſe alienam a divino jure, immo laudabilem, & tamquam legem obſervandam, niſi ab eccleſia aliter ſtatuatur: quodque aliter pertinaciter ſentientes hæretici ſint cenſendi: nec aliis dent hanc communionem ſub utraque ſpecie, niſi qui crediderint hanc veritatem, & eam confeſſi fuerint.

Tertio, quod ſanctiſſimo domino noſtro papæ, ut legitimo univerſalis eccleſiæ epiſcopo & paſtori, debeant fideli animo & ſincero, ut reverentes filii, omnem obedientiam & reverentiam exhibere.

Quarto, quod archiepiſcopis, epiſcopis & aliis prælatis ſuis ſimiliter debitam obedientiam & reverentiam præſtent.

Quinto, ut hic uſus calicis eis tantum permittatur qui contriti & confeſſi fuerint juxta catholicæ eccleſiæ conſuetudinem.

Item, ut ordinarii quam diligentiſſime omnibus cautionibus provideant, ne in adminiſtratione ſanguinis aliquod ſacrilegium aut profanatio admittatur; ſuper quibus omnibus eorum conſcientia oneratur.

Secundus articulus, an ſit danda hæc facultas archiepiſcopis & epiſcopis dictorum locorum, ut unuſquiſque eorum tamquam delegatus ſedis apoſtolicæ poſſit committere curatis eccleſiarum exiſtentibus in eorum diœceſibus, ut communicent petentes ſub utraque ſpecie in dictis eccleſiis tantum, ſub conditionibus tamen ſupraſcriptis.

A die ſabbati XXII. Auguſti uſque ad totam diem XXVII. ejuſdem, reverendiſſimi patres in congregationibus eorum ſententias dicendo, complevere ſuper eadem materia canonum & doctrinæ de ſacrificio miſſæ.

Deinde iterum a D. ſecretario lectus fuit primus articulus ſuper conceſſione calicis: quo lecto, epiſcopus Quinqueeccleſienſis orator Cæſareus longo ſermone ſuper eadem materia exoravit reverendiſſimos patres, ut illum ſuæ Cæſareæ majeſtati vellent concedere, & ſic dimiſſa eſt congregatio.

Die Veneris XXVIII. ejuſdem, cœpti ſunt examinari a patribus duo articuli, utrum ſit concedendus calix ſub utraque ſpecie; & die Dominica VI. Septembris complevere eorum ſententias ſuper eadem re.

Die lunæ VII. Septembris fuit congregatio ex more, in qua patres dixere eorum ſententias ſuper doctrina & canonibus jam reformatis de ſacrificio miſſæ.

Die Jovis decima ejuſdem menſis, cœpti ſunt examinari a patribus canones reformationis, & de abuſu miſſæ.

A die Veneris XI. Septembris uſque ad diem Dominicam XIII. ejuſdem, in congregationibus ſemper tractatum eſt a patribus, utrum calix concedendus ſit, & cum quibus conditionibus.

Die lunæ XIV. ejuſdem in frequenti patrum congregatione D. ſecretarius concilii legit quaſdam litteras illuſtriſſimi cardinalis AMULII ad illuſtriſſimos DD. legatos ſuper obedientia & confeſſione ſanctæ fidei noſtræ catholicæ, facta Romæ in manibus S. D. N. papæ per Abdiſu patriarcham provinciæ Aſſyriæ orientalis: deinde legit dictam fidei profeſſionem una cum receptione ſanctorum conciliorum, & præſertim hujus ſacroſancti Tridentini. Quæ omnia ne legentes faſtidiant, apponentur in proxima ſexta ſeſſione.

Poſtmodum legit canones reformationis, & abuſuum circa miſſam, iterum reformatos, qui majori parti patrum placuerunt.

Die Martis XV. ejuſdem, in congregatione multi ex patribus qui die præterito non dixere ſententias ſuas, dixerunt hodie, & canones qui ſupra placuerunt univerſis.

Deinde reverendiſſimus D. ſecretarius talibus verbis ad patres loquutus eſt.

Super conceſſione calicis ex vobis alii dixere, placet ſimpliciter, alii ſimpliciter negarunt, alii affirmarunt, ſed ut conceſſio remitteretur ad ſummum pontificem: alii poſtmodum cum hac remiſſione negarunt: alii in univerſum ad ſuam ſanctitatem ſe retulere. Quapropter illuſtriſſimi DD. legati collatis ſententiis illorum qui dixerunt *placet*,

cum iis qui deferebant rem ad ſummum pontificem, invenientes eſſe ſententias centum & viginti quinque, concordarunt modeſte hujuſmodi negotium in hunc modum & formam quæ vobis demonſtrabitur, reverendiſſimi patres, ut tollantur ſcandala; ſtatimque legit ejuſmodi decretum.

Inſuper eadem ſacroſancta ſynodus ſuperiori ſeſſione duos articulos alias propoſitos & nondum diſcuſſos, videlicet incipiendo, an canones in aliud tempus oblata ſibi occaſione examinandos atque definiendos reſervaverit, & ſucceſſive maxima cum inſtantia petitum fuerit, eoſdem articulos per eamdem ſanctam ſynodum examinari atque diffiniri, & aliquibus nationibus ob graves & multiplices cauſas Chriſtianæ caritati conſentaneas in medium propoſitas, uſum calicis, ſeu facultatem ordinariis locorum illum concedendi, ſub infraſcriptis conditionibus concedi, & ſecum deſuper opportune providere. Cognoſcens tamen negotium hujuſmodi a ſeipſa de præſenti tuto penitus abſolvi & diffiniri non poſſe, idcirco re prius diligenter perſpecta & examinata, ac omnibus mature conſideratis, tandem cenſuit, quod ſanctiſſimus dominus noſter adhibita ea cauſæ cognitione, quæ beatitudini ſuæ videbitur adhibenda, illis nationibus & populis, quibus ſua ſanctitas proficuum & utile id fore cognoverit, ſub infraſcriptis conditionibus, vel etiam aliis, quas ei Spiritus-ſanctus ſuggeſſerit, tradet, & ſi ſanctitati ſuæ opportunum viſum fuerit, etiam ex voto, conſilio & approbatione hujus ſanctæ ſynodi præfatum calicis uſum, ſeu concedendi facultatem petitam concederet, & cum illis deſuper etiam miſericorditer, & de benignitate apoſtolica diſpenſet.

Et cum nihilominus diverſe patres ſentirent, quam per decretum dominus ſecretarius propoſuerit, poſt multas & varias ſententias, congregatio dimiſſa eſt.

Proponitur patribus aliud decretum ſuper petitione conceſſionis calicis.

Die Mercurii XVI. Septembris, illuſtriſſimus dominus legatus & præſes Mantuanus, blandis verbis apud patres conqueſtus eſt, quod epiſcopus Quinqueeccleſienſis orator Cæſareus, una cum collega certiores reddidiſſet ſuas illuſtriſſimas dominationes, ſanctam ſynodum neodum ſatisfeciſſe petitis Cæſareæ majeſtatis, neque etiam dignatam eſſe ſolum verbum reſpondere. Quapropter neque ipſos, neque aliquos alios oratores principum, iviſſe in præſentem hanc congregationem, facileque futurum eſſe, ut die craſtino non interſint ſeſſioni: quod ſi evenerit, magnum profecto ſcandalum allaturum fore ſanctiſſimi concilii rebus. Propterea eoſdem cogitaſſe, ut res cum Dei adjutorio bonum exitum conſequi valeant, novum prodere decretum, quod hujus negotii ſumma ad ſummum pontificem deferatur, orans illuſtriſſimos patres, ut ſuper iis lætanter ſententias ſuas proferre velint.

Quibus dictis, dominus ſecretarius novum decretum propoſuit, quod a majori parte patrum approbatum eſt, critque in actis proximæ ſextæ ſeſſionis.

Eadem die hora XX. in generali congregatione propoſita ſunt & lecta patribus a domino ſecretario decreta futuræ ſeſſionis, una cum aliis rebus tractandis: quæ omnia a patribus approbata ſunt.

Deinde archiepiſcopus Granatenſis, Hiſpanus, exhortatus eſt patres, ut priuſquam executioni demandarentur dogmata fidei, conſideranda & diſcutienda optime eſſent, in primiſque advertendum, numquid verſetur circa veritatem Chriſtum inſtituiſſe apoſtolos ſuos ſacerdotes in cœna, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, cum diverſa ſenſerint plerique doctores atque ſancti patres, quorum alii dixere Chriſtum eos inſtituiſſe poſt reſurrectionem illis verbis: *Accipite Spiritum ſanctum*, proferens in medium plures opiniones ſanctorum patrum. Petiitque ulterius dimitti ad aliam futuram ſeſſionem quatuor canones de ſacrificio miſſæ. Et quoniam dicta doctrina & canones de ſacrificio miſſæ jam approbata fuerant ab omnibus patribus, pauciſſimis exceptis patribus, gravis & indigna petitio viſa eſt, eſſe ſcilicet retractandum in congregationibus & ſeſſionibus, quod placuiſſet univerſis, & jam omnibus acceptum eſſe. Propterea ſummopere inter eos clamatum eſt, cum non deeſſent qui jam in ſententiam iviſſent reverendiſſimi Granatenſis. Tandem cum maxime diſſentirent inter ſe patres, nec pacifice quidquam loquerentur, Sancto Spiritu operante, ſurgens cardinalis Varmienſis tertius legatus, indicens manu ſilentium: Non convenit, inquit, fovere inter patres diſcordias, neque eſt dignitatis ſanctiſſimi concilii ut hoc de novo poſſit per patres tentari proferendo eorum ſententias. Et ſuper hac materia multa protulit, ut probus, doctus & prudens vir, in medium, etiam ſanctorum patrum, qui dixiſſent Chriſtum Dominum inſtituiſſe apoſtolos ſuos in ſacerdotes, cum corpus ſuum in cœna tradidiſſet illis; & ut tolleret diſſentiones oravit patres, ut denuo ſuper hac materia proferrent ſententias ſuas, quod factum fuit, & ut prius confirmatum ad laudem omnipotentis Dei, & dimiſſa eſt congregatio.

SESSIO VI.

Sub Pio IV. quæ eſt ſeſſio XXII.

SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM. AMEN.

Die Jovis XVII. menſis Septembris anni Domini MDLXII. hora XVI. cum dimidia, congregati ſunt illuſtriſſimi domini legati & præſidentes concilii una cum reverendiſſimis patribus, dominis oratoribus, & aliis quorum intererat, in eccleſia cathedrali S. Vigilii,

pront factum eſt multoties, & in eodem loco. A ibi celebravit ſolemniter miſſam de Spiritu-ſancto reverendiſſimus dominus PETRUS ANTONIUS Capuanus, Neapolitanus, archiepiſcopus Hidruntinus. Poſt quam, habuit orationem reverendiſſimus dominus JOHANNES CAROLUS VISCONTES, Mediolanenſis, epiſcopus Vintimigliarum. Poſt quæ, factis ceremoniis & aliis quæ facile eſt videre in retroactis ſeſſionibus, reverendiſſimus dominus ſecretarius, epiſcopus Teleſinus, legit litteras confeſſionis fidei catholicæ cujuſdam patriarchæ Aſſyriæ orientalis. Deinde lecta fuerunt decreta quæ infra adnotabuntur. Et primo: B

Litteræ illuſtriſſimi domini cardinalis Amulii, Veneti, ad illuſtriſſimos dominos legatos concilii Tridentini, ſuper profeſſione fidei patriarchæ Aſſyriorum orientalium.

Reverendus dominus Abdiſu, &c. *ut apud Labb. tom. 14. pag. 1245.*

Profeſſio fidei a reverendo domino patriarcha Aſſyriorum orientalium facta ſub Pio IV.

Confeſſus ſum puro corde, &c. *ut ibid. pag. 1247.*

Fides publica de his quæ inferius continentur.

Coram illuſtriſſimo & reverendiſſimo cardinale Amulio conſtitutus, &c. C *ut ibid. pag. 1247. uſque 1249.*

Quibus rebus lectis a reverendiſſimo ſecretario, & ut primus aſcendit ex ſuggeſto. cum in ſupraſcripta profeſſione fidei & obedientia præfati patriarchæ Aſſyriorum, ipſe patriarcha aſſerat ſe habere ſub ſua adminiſtratione infraſcriptas eccleſias, videlicet *Cuſchin, Cananor, Guea, Calecuth*, & *Corongol*, quæ ſub dominio ſunt & ditione ſereniſſimi Portugalliæ regis; illuſtris dominus orator præfati ſereniſſimi regis, eas ipſas eccleſias D hic nominatas dicit & proteſtatur nullum patriarcham in ſuperiorem recognoſcere, ſed tantum ſubeſſe reverendo domino archiepiſcopo Golenſi, qui totius Indiæ regno Portugalliæ ſubjectæ eſt primas, vultque rebus ex anteactis in poſterum dicto archiepiſcopo Golenſi, aut epiſcopis in regionibus illis conſtitutis aut conſtituendis nullum præjudicium fieri poſſe. Hanc vero proteſtationem in actis & hujus ſanctæ ſeſſionis & ſynodi redigi poſtulavit.

Quibus rebus peractis, archiepiſcopus Hidruntinus, qui ſacra peregerat, aſcendens in E ſuggeſtum, veſtitus pluviali & mitra, legit infraſcripta decreta, alta & intelligibili voce, incipiens a doctrina & canonibus de ſanctiſſimo miſſæ ſacrificio.

Doctrina & canones de ſanctiſſimo miſſæ ſacrificio.

Sacroſancta ſynodus, &c. Ut velut abſoluta, &c. *ut apud Labb. tom. 14. pag. 852. uſque ad decretum de reformatione. pag. 857.*

Decretum ſuper petitione conceſſionis calicis pro regnis Hungariæ, Bohemiæ, & aliarum provinciarum, publicatum in hac eadem ſexta ſeſſione.

Inſuper cum eadem ſacra ſynodus ſuperiori ſeſſione, &c. *ut apud Labb. pag. 861.*

REFORMATIO.

Eadem ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina ſynodus in Spiritu-ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem apoſtolicæ ſedis legatis, ut reformationis negotium proſequatur, hæc in præſenti ſeſſione ſtatuenda cenſuit.

Canones omnes antiqui de vita & moribus clericorum renovati. Cap. I.

Nihil eſt quod alios magis, &c. *ut apud Labb. pag. 856. uſque ad 862.*

Decretum indictionis futuræ ſeſſionis.

Inſuper eadem ſacroſancta ſynodus diem futuræ ſeſſionis ad feriam v. poſt octavam feſtivitatis Omnium ſanctorum, quæ erit die XII. menſis Novembris, indicit, & in ea decernetur de ſacramento ordinis, & ſacramento matrimonii.

Quibus lectis, & habitis votis ſuper quibuſcumque decretis, ut ſupra, a reverendiſſimis pattibus omnia approbata ſunt, & quamvis in decreto calicis varie ſenſerint, tamen approbatum tandem ut lectum eſt. De quibus omnibus domini notarii concilii publicum confecere inſtrumentum. Deinde ſtatim cantatum eſt *Te Deum laudamus*. Et peractis his, illuſtriſſimus Mantuanus præſes ſanctiſſimæ ſynodo benedixit, quæ dimiſſa eſt hora XIX.

Huic ſanctiſſimæ ſeſſioni interfuere:
Illuſtriſſimi domini legati concilii V.
Cardinalis I.
Orator Cæſareus I.
Orator pro regno Hungariæ, & etiam nomine imperii, I.
Oratores regis Galliarum II.
Orator regis Portugalliæ I.
Oratores Veneti II.
Orator Helvetiorum I.
Patriarchæ III.
Archiepiſcopi XX.
Epiſcopi CXLII.
Abbas I.
Generales VII.

Acta poſt ſextam ſeſſionem.

Articuli de ſacramento ordinis.

Articuli de ſacramento ordinis diſputandi per theologos primo, deinde ex more per reverendiſſimos patres, dati ſunt omnibus die hac XXI. Septembris MDLXII.

Videant patres, utrum articuli de ſacramento ordinis per theologos examinandi, an hæretici ſint, aut errone:, vel ſchiſmatici, vel ſcandaloſi, & a ſancta ſynodo damnandi.

Primus articulus.

I. Ordinem non eſſe ſacramentum, &c. *edit. apud Raynaldum.*

Votum Alfonſi Salmeronis ſuper articulis de ſacramento ordinis.

Sacerdotium & ſacrificium, &c. *editum apud Raynaldum.*

A die XXIII. Septembris uſque ad totam XXIV. dixere theologi ſententias ſuas XIV. ſuper hac eadem materia.

Die Veneris XV. dicti menſis hora XIV. in congregatione dixit votum ſuum Petrus Sottus, Hiſpanus, ordinis Prædicatorum, primus ſecundæ claſſis in hunc qui ſequitur modum.

Votum Petri Sotti, Hiſpani, ordinis Prædicatorum, miſſi ad concilium a SS. D. N. papa.

Hierarchiam eccleſiaſticam, &c. *editum apud Raynaldum.*

Congregationes theologorum ſuper ſacramento ordinis.

A die Veneris XXV. Septembris uſque ad diem octavam Octobris dicere compleverunt eorum ſententias theologi ſuper ſacramento ordinis ut ſupra.

Die IX. Octobris a domino ſecretario concilii datum fuit exemplum reverendiſſimis patribus doctrinæ & canonum ſuper ſacramento ordinis, ab eiſdem examinandum atque conſiderandum.

Oratoris regis Poloniæ acceſſus Tridentum.

Die Martis XIV. ejuſdem, publice ingreſſus eſt Tridentum reverendiſſimus Valentinus, orator ſereniſſimi regis Poloniæ, cui obviaverunt una cum familia illuſtriſſimorum DD. legatorum plurimi reverendiſſimi patres, comitantes cum uſque ad ædes illuſtriſſimi Varmienſis legati.

Dicta die cœpta ſunt examinari doctrina & canones de ſacramento ordinis a reverendiſſimis patribus; quæ examinatio perduravit uſque ad totum diem XX. ejuſdem.

Die ultima Octobris in vigilia omnium ſanctorum, veſperæ celebratæ ſunt a reverendiſſimo archiepiſcopo Amalphitano, cui interfuere illuſtriſſimi DD. legati cum quamplurimis patribus.

Deinde die prima Novembris miſſa celebrata fuit ſolemniter ab eodem archiepiſcopo in cathedrali eccleſia S. Vigilii, cui aſtiterunt illuſtriſſimi legati, DD. oratores, & reverendiſſimi patres; qua completa, rediit quiſque domum ſuam. Officium ſolemniter celebratum eſt ſimiliter in die mortuorum.

Orator regis Poloniæ admittitur a ſancta ſynodo.

Die III. Novembris fuit congregatio generalis, cui interfuere omnes illuſtriſſimi legati, oratores omnes, atque univerſi reverendiſſimi patres, ut rem gratam facerent illuſtriſſimo D. cardinali Varmienſi legato & Polono. nam in ea admiſſus fuit publice & perbenigne orator ſereniſſimi regis Poloniæ, qui præſentavit litteras credentiales ſui regis ad ſanctam ſynodum, una cum ejus mandato, ſuperadditis paucis admodum verbis ad illuſtriſſimos & reverendiſſimos patres, nulla habita ex more oratione. Quibus omnibus lectis a domino ſecretario, ab eodem inferius reſponſum datum eſt dicto domino oratori.

Reſponſum ſanctæ ſynodi ad reverendiſſimum oratorem regis Poloniæ.

Illuſtriſſime & reverendiſſime D. orator Sigiſmundi, &c. *editum apud Raynaldum tom. ultimo.*

Peractis iis, & de more habitis quibuſdam aliis ceremoniis, dimiſſa eſt congregatio.

Die tertia dicta datum fuit exemplum reverendiſſimis patribus doctrinæ & canonum reformatorum de ſacramento ordinis, quæ omnia hic non adnotabo, nam plures ſpero reformabuntur.

Atque hac eadem die poſt prandium, in congregatione reverendiſſimi patres cœperunt proferre vota ſua ſuper materia ſupra dicta.

Proponitur patribus decretum de reſidentia.

Die Veneris ſexta Novembris, in congregatione generali propoſitum fuit decretum de reſidentia ab illuſtriſſimo cardinali Mantuano legato, habitis & prolatis infra ſcriptis verbis.

Debitores illi qui ſolvendo ſunt, cum tempus venit, creditoribus ſuis debitum perſolvunt, nulla dici prolatione petita. nos in eorum debitorum numero ſumus, qui ſolvendo ſunt; propterea ad diem quo vobis debemus, diſſolvere volumus. Vos memoria tenetis, cum his menſibus orta inter nos eſſet contentio, an reſidentia eſſet juris divini, necne, quoad graviſſimas verborum contumelias pœne deſcenſum eſt, me dixiſſe, ut altercatio ſedaretur, non eſſe cur de reſidentia contenderetis, cum de ea agendum eſſet, cum de ſacramento ordinis pertractaretur. quare cum Dei benignitate de ſacramento illo jam tractatum ſit a theologis, & a nobis, & doctrina & canones confecti ſint, quamvis non omni ex parte emendati, nunc de reſidentia cogitare poteſtis: cogitare dixi, ob ea quæ mox ſubjiciam. Sed antequam de reſidentia ſuo tempore ſentiatis, duo a nobis exponenda vobis ſunt. Unum, de quo admonitos vos eſſe volumus; alterum, quod ab humanitate veſtra magnopere impetrare cupimus. de quo a nobis admonendi eſtis, illud eſt: Cum in illa generali congregatione, quæ habita eſt XI. die Martii hujus anni, in qua multos articulos reformationis propoſuimus, quorum caput illud fuit, conſiderent patres qua ratione fieri poſſet, ut patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi & ceteri omnes curati in ſuis eccleſiis reſiderent. non fuiſſe propoſiti noſtri, ut alia ratione de reſidentia tractaretur, quam qua in ſuperiorum temporum conciliis tractatum fuiſſet, nempe per præmia & per pœnas. Cum enim videremus multa incommoda invecta eſſe

in eccleſiam Dei ex epiſcoporum abſentia a ſuis eccleſiis, & ſperaremus ea tolli poſſe ex præſentia, propoſuimus vobis canonem illum reſidentiæ, ut vos novas excogitaretis pœnas & præmia, quibus tamquam vinculis artioribus epiſcopi aſtringerentur ad reſidentiam. Sed neſcio quo modo oratio veſtra a propoſitione noſtra deflexit ad quærendum an reſidentia eſſet juris divini necne: quæ res magnas excitavit contentiones & turbas, & majores excitatura eſſet, ſi de ea re iterum diſceptaretis. Quare pacis & concordiæ cauſa deliberavimus vobis proponere decretum in quod conjecta ſunt præmia & pœnæ omnes quæ excogitari poſſunt, quibus epiſcopi cogerentur obſequium præſtare domino noſtro in eccleſiis ſuis reſidendo. Hæc ratio pœnarum & præmiorum placet Cæſareæ maj.ſtati & ſereniſſimo Hiſpaniarum regi; & ſperamus placituram Chriſtianiſſimo regi ac illuſtriſſimo cardinali Lotharingiæ, & Gallicanæ eccleſiæ, quam ſecum adducit. Nam cum his diebus illuſtriſſimus de Lanſaco nobiſcum eſſet, & in ſermonem reſidentiæ incidiſſet, dixit ſe non magnopere laborare quo jure epiſcopi reſiderent, ſed ut omnino reſiderent. quod miniſtro placuit tanti judicii, placiturum ſperamus regi ſuo; ſed noſtrum fuit decretum proponere, vestrum vero de illo judicare: quod ubi ego dixero, a ſecretario perlegetur. Illud vero quod a vobis impetrare cupimus eſt, ut cum de decreto & de rota re diſſeretis, de ea differere velitis, ut decet ſanctos, qui hoc tempore non ſub modio, ſed ſuper candelabro poſiti ſunt, ut omnes videant qui in domo Dei ſunt, ut decet graves, doctos & prudentes viros, qui non contentionibus, jurgiis, contumeliis, agere debent; ſed rationibus deſumtis a ſacra ſcriptura, a ſacris canonibus & auctoritatibus beatiſſimorum eccleſiæ Dei doctorum: ut denique decet eos qui ut memoriam præteritarum contentionum abolere velint, modeſte; graviter, ſedareque loqui debent. Hæc ſi feceritis, ut ſperamus & confidimus, nobis rem gratiſſimam facietis. ipſi vero maximam laudem conſecuturi eſtis, non a nobis, ſed ab eo in quo gloriari oporter, ſi umquam gloriari expedit, cui laus, honor & gloria ſunt, nunc, & in æterna ſæcula.

Quibus verbis dictis per illuſtriſſimum Mantuanum, lectum fuit dictum decretum de reſidentia a domino ſecretario. Deinde reverendiſſimi patres proſecuti ſunt ſententias ſuas ſuper doctrina & canonibus reformatis de ſacramento ordinis.

Die lunæ IX. Novembris in congregatione generali plerique patres dixerunt ſententias ſuas ſuper eadem materia ut ſupra.

Poſtea illuſtriſſimus primus præſes Mantuanus allocutus eſt patres in hanc ſententiam, ſuper prorogatione futuræ ſeſſionis.

Prorogatio ſeptimæ ſeſſionis.

Multæ congregationes intermiſſæ ſunt his diebus ob cauſas, quæ notæ omnibus ſunt, neque abſque dolore a nobis recenſeri poſſunt, cum a ſpiritu carnis profectæ fuerint, ex quo factum eſt, ut materiæ non ſint paratæ ut edantur in ſeſſione. Quare videtur nobis ut ad XV. dies ſeſſio prorogetur, ut materiæ expediri valeant, præſertim cum brevi adventurus ſit illuſtriſſimus cardinalis de Lotharingia, qui ob ejus doctrinam, prudentiam & dignitatem expectari debet, etiam quod nulla alia cauſa prorogandæ ſeſſionis adeſſet. Dicant igitur patres quid eis videatur. Reſponderunt omnes: *placet.* poſt quæ, dimiſſa eſt congregatio hora XXIII.

Cardinalis a Lotharingia, alias de Loreno, cum XII. prælatis Gallis adventus Tridentum.

Die Veneris XIII. ejuſdem, hora XXII. advenit Tridentum illuſtriſſimus & reverendiſſimus dominus cardinalis Guiſius tituli S. Apollinaris S. R. E. preſbyter cardinalis de Lotharingia, vulgariter nuncupatus de Loreno, veniens e Gallia ad ſanctiſſimum concilium, una cum XII. epiſcopis & duobus abbatibus. Fuerunt ei obviam ampliſſimi domini legati ad quartum milliarium, ibatque medius in itinere inter illuſtriſſimos dominos cardinales Mantuanum & Seripandum, poſt quos ſequebantur alii duo legati; Varmienſis & Simoneta, & cardinalis Madruccius, deferentes ipſi domini legati veſtes breviores, quibus in itinere uti ſolent, abſque rochettis & cruce. Præcedebant ipſos illuſtriſſimos cardinales oratores laïci regis Galliarum, reipublicæ Venetæ, & ducis Florentiæ. Hos ſequebantur oratores eccleſiaſtici, videlicet oratores regni Hungariæ & Poloniæ & poſt eos CXXXI. patres concilii; quem comitati ſunt uſque ad habitationem ſibi paratam. In nocte autem cœnatus eſt cum illuſtriſſimo domino oratore regis Galliarum de Lanſaco.

Admiſſio cardinalis de Loreno.

Die XXIII. Novembris hora XX. fuit congregatio generalis, in qua poſt recitatam ex more ab illuſtriſſimo præſidente orationem de Spiritu ſancto, dominus ſecretarius concilii allocutus eſt patres his verbis.

Verba reverendiſſimi epiſcopi Teleſini, ſecretarii concilii, ad patres in admiſſione illuſtriſſimi cardinalis a Lotharingia.

Reverendiſſimi patres, illuſtriſſimus dominus cardinalis a Lotharingia, qui mox in hanc congregationem veniet, exhibebit primum litteras Chriſtianiſſimi regis illius tenoris, qui nunc a me recitabitur. deinde alloquetur ſanctam ſynodum in hanc ſententiam. Primo exponet calamitates regni & eccleſiarum Gallicanarum. Poſtea referet cauſas earum calamitatum, poſtremo declarabit, nullam aliam eſſe magis expeditam rationem ſanandi tot mala, quibus nunc

Gallia affecta est, quam ut sancta synodus ea quæ ad emendationem morum pertinent constituat & decernat. Litteræ autem sunt hujus tenoris. Statimque ipse dominus secretarius litteras legit, & evestigio dixit: His propositionibus responderi posse videretur his verbis; verbaque ipsa a domino secretario lecta fuerunt, quæ ab omnibus approbata sunt. quæ omnia, ne legentes fastidiam & longior fiam quam par sit, alias suo loco, Deo dante, apponere non deero. Postmodum missi fuerunt ad ædes ipsius illustrissimi cardinalis, ad recipiendum eum nomine sanctæ synodi, septem prælati, qui eumdem cardinalem ab ejus hospitio usque ad locum congregationis perducerent. Ingressus itaque locum congregationis ipse ampliſſimus cardinalis de Lotharingia Gallus de Loreno, archiepiscopus & dux Remensis, primusque par Franciæ, comitatus a XVIII. episcopis & tribus abbatibus Gallicanis, & quamplurimis aliis prælatis; seditque a dextris illustrissimorum legatorum, quibus reverenter exhibuit litteras CAROLI Christianissimi regis Galliarum, lingua Gallica conscriptas, quæ in latinum sermonem versæ a domino secretario, alta voce lectæ fuerunt. Quibus sic peractis, quamvis locus exigeret, ut hic orationem apponerem illustrissimi cardinalis, tamen primo statui litteras apponere, & postea ipsam orationem, ne legens confundatur.

Litteræ Caroli regis Francorum ad sanctam synodum, quas exhibuit illustrissimus cardinalis a Lotharingia in ejus comparitione.

CAROLUS Dei gratia Francorum rex sanctissimis & reverendissimis, &c. *ut apud Labb. tom. 14. pag. 1181.*

Oratio illustrissimi & reverendissimi cardinalis a Lotharingia in sua admissione ad reverendissimos patres.

Illustrissimi domini reverendissimi episcopi, &c. *ut ibid. pag. 1182.*

Qua absoluta, statim illustrissimus dominus cardinalis Mantuanus primus præses dixit infra scripta verba.

Verba illustrissimi domini legati Mantuani, ad illustrissimum de Lotharingia, ut primum complevit suam orationem.

Ea die, qua nos dominatio vestra illustrissima perhumaniter convenit, dixit se mandata Christianissimi regis sui coram sancta synodo primo quoque tempore expositurum. Quamobrem elegimus archiepiscopum Jadrensem, virum doctum & prudentem, qui sanctæ synodi nomine illustrissimæ dominationi vestræ oratione eleganti copiose, erudire, qualem excellens doctrina sua nobis pollicebatur, atque eventus ipse comprobavit, responderet atque explicaret, quam gratus nobis omnibus accidisset labor quem susceperit accedendi ad concilium, una cum bona parte episcoporum, abbatum, theologorum ecclesiæ Gallicanæ. Speramus enim ex hac doctissimorum prælatorum accessione magnum incrementum capturam causam catholicæ religionis, multosque progressus facturam de virtute in virtutem, correptionem lapsuum & morum, qui hactenus in ecclesia Dei fuerunt. Nam scimus quæ dominatio vestra illustrissima in consiliis serenissimæ reginæ matris & CAROLI regis filii dixerit pro tuenda religione, & pro confirmanda sedis apostolicæ auctoritate, & sanctissimi domini nostri dignitate, quæ in concionibus ad populum docuerit, non erubescens evangelium Christi, ut plerique illustri loco nati facere consueverunt. quæ denique illustrissimi fratres tui militari virtute in hoc Gallico bello pro religione suscepto præstiterunt. Hæc eadem omnia a dominatione vestra illustrissima hic verbo, illic vero fortissimorum fratrum suorum manu atque armis vos consequuturos magnopere confidimus. Sed ne videar episcopi partes sumsisse, finem dicendi faciam, ubi dominationem vestram illustrissimam rogavero, ne mirari velit, si archiepiscopus breviori oratione usurus sit, quam rei, de qua agitur, magnitudo, & vestrarum virtutum cumulus postulare videatur. Existimavit namque magnam se laudem tributurum dominationi vestræ illustrissimæ, cum pauca ex multis quæ dici possent excerperet. Cetera vero tacite nostræ considerationi consideranda relinquet.

At statim ipse archiepiscopus Jadrensis hujusmodi responsum tradidit.

Responsum nomine sanctæ synodi illustrissimo domino cardinali a Lotharingia in ejus admissione, ab archiepiscopo Jadrensi.

Illustrissime ac reverendissime domine, inter ceteras Christianæ reipublicæ miserias, &c. *ut apud Labb. pag. 1187.*

Quo responso dato a reverendissimo archiepiscopo nomine sanctæ synodi, dominus Raynaldus Ferrerius secundus orator regis Francorum statim surgens, & stans habuit ad sanctam synodum hujusmodi verba.

Orationibus, quas nunc audistis, illustrissimi domini sanctissimi patres, nihil est, &c. *ut apud Labb. pag. 1185.*

Quibus rebus & verbis absolutis, reverendissimus dominus archiepiscopus Jadrensis, nomine sanctæ synodi, dixit alta voce hæc verba: Illustrissimi domini oratores, quæ a dominationibus vestris proposita nunc fuerunt, diligenter sancta synodus considerabit, ad eaque suo tempore responsum dabit, & statim dimissa est congregatio hora XXIV.

Prorogatio secunda septimæ sessionis.

Die XXV. Novembris in festo S. Catharinæ habita est congregatio generalis, in qua patres prosecuti sunt examen ejusdem doctrinæ & canonum de sacramento ordinis, prout ab eisdem factum est a principio usque nunc.

deinde votis supra scriptis absolutis, in eadem congregatione illustrissimus dominus cardinalis Seripandus, absente illustrissimo Mantuano, secundus præses allocutus est patres his verbis.

Verba illustrissimi Seripandi ad patres in prorogatione secundæ septimæ sessionis.

Cras juxta decretum nostrum, sanctissimi patres, habenda esset sessio; quæ quare non habeatur multi ex vobis legatos nos accusant. Nos autem ut hanc maculam eluamus, nihil habemus, nisi ut culpam omnem in vos rejiciamus. Nam sententiarum vestrarum vel potius lectionum prolixitas facit, ut non solum non potuerimus hucusque habere sessionem, sed nesciamus qua die eam habere possimus: de quibus sententiis moderandis alias agetur. Dicam tamen quod in lectionibus prolixitas vituperatur, in sententiisque brevitas summopere laudatur. Nobis autem in hoc omni studio elaborandum esset, ut toti orbi Christiano ostenderemus, nos non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulare. Nam, ut inquit Paulus, *si lites & contentiones inter vos sunt, nonne secundum hominem ambulatis?* Parvam quidem spem concipere possumus de abusibus a populo Christiano tollendis, si in hoc uno abusu tam fœde labimur, ut tempus, quod est omnium rerum pretiosissimum, teramus in quæstionibus tam levibus & inutilibus. De tempore igitur sessionis propter has & alias causas, dum deliberamus, nihil certi statuere potuimus. Propterea totum hoc onus in vos rejicimus. Cogitavimus tamen, si ita vobis placeret, hanc prorogationem fieri posse ad libitum sanctæ synodi; quæ si voluerit, brevi se expedire poterit, quod nos maxime optamus; sin autem nos excusati erimus. Hoc unum certum est, si patres ut hactenus fecerunt, ea prolixitate in sententiis dicendis usi fuerint, nihil profecto certi de die futuræ sessionis deliberari potest. Dicant igitur patres quid eis faciendum videatur.

Cumque a plerisque patrum peteretur, ut dies certus stationis statueretur; illustrissimus Seripandus dixit, statui posse nunc ut sessio prorogetur, hac tamen conditione, ut infra octo dies, ipsa dies futuræ sessionis decernatur, super quo ab omnibus responsum est: *Placet*, congregatioque dimissa fuit hora prima noctis.

Rex Bohemiæ coronatus rex Romanorum.

Die 1. Decembris ejusdem anni 1562. magna lætitia fuit in hac civitate Tridentina universaliter apud omnes, & præsertim apud illustrissimos legatos & particulariter apud illustrissimum cardinalem Madruccium, electum Tridentinum, pro coronatione invictissimi MAXIMILIANI regis Bohemiæ in Romanorum regem electi.

Prorogatur tertio sessio septima.

Die Mercurii secunda mensis Decembris, hora XXI. in congregatione generali illustrissimus primus præses Mantuanus allocutus est patres in hanc sententiam:

His superioribus diebus illustrissimus dominus cardinalis Seripandus dixit potuisse sumi terminum octo dierum ad constituendum diem futuræ sessionis, quo tamen tempore nihil actum est. Nunc autem dies ipsa statui debet, & ut commodius dominationes vestræ deliberare possint, aperiemus vobis mentem nostram. Nobis igitur videretur, ut sessio ipsa prorogetur ad diem XVII. hujus mensis, his conditionibus, prima, ut bis in die congregatio habeatur; altera, ut in proxima sessione ea statuantur quæ decreta erunt. Cetera vero in alia subsequenti sessione publicentur. Supersunt enim doctrina & canones de ordine, decretum de residentia, canones de reformatione, quorum, ut dictum est, ea decernantur quæ præparata erunt. Verum ante omnia patres vacare debent brevitati sententiarum, si eas quas dixi materias paratas habere volumus. Et licet nos sæpe de hac re admonuerimus dominationes vestras, nihil tamen profuit admonitio nostra. Non cessabimus tamen iterum vos admonere verbis Ecclesiastici: *In multitudine presbyterorum noli esse loquax.* Quod profecto fiet, si extra rem patres non loquentur, & ea quæ ab aliis dicta sunt non repetent. Sciant præterea dominationes vestræ, quod nos legati & præsidentes apostolici nullo modo ferre volumus, ut aliquid vel fiat vel dicatur, sicut hactenus magna nostra molestia factum vidimus, & dictum audivimus, quod non sit ex dignitate hujus sacri loci, & majestate, in quo præest Spiritus sanctus. Adsumus nos legati & præsidentes sanctissimi domini nostri papæ & sanctæ sedis apostolicæ. Sunt præsentes duo amplissimi cardinales, tot gravissimi & ornatissimi oratores, tot sanctissimi patres, aliàs enim protestamur, si id evenerit, nos statim hinc discessuros. Rogamus igitur dominationes vestras, ut in eorum dictis & factis ea modestia & prudentia uti velint, quæ decet sanctos & religiosos viros in tam celeberrimo loco sedentes, eaque facere & dicere velint, quæ coram suamet sanctitate, cujus personam nos hic sustinemus, fieri & dici deberet.

Dies propositus a præfato illustrissimo domino præsidente placuit patribus CXXIX.

Aliis etiam placuit XIV. Januarii, XLII.

Aliis placuit vigilia Nativitatis Domini, XI.

Aliquibus placuit in longius tempus differri VII.

Missa pro felici creatione & coronatione Maximiliani ab Austria, Ferdinandi imperatoris filii in regem Romanorum.

Die Martis octava Decembris in festo conceptionis B. Mariæ Virginis, solemnis

missa celebrata est in cathedrali S. Vigilii, a reverendissimo domino Antonio Militio archiepiscopo Pragensi, & oratore Cæsareo, habuitque orationem reverendissimus dominus episcopus Tininiensis, gratiæque Deo redditæ sunt ob felicissimam creationem & coronationem sereniſsimi domini Maximiliani ab Austria regis Bohemiæ, filii Ferdinandi imperatoris, electi in regem Romanorum. Electus enim fuit die XXIV. Novembris præsentis anni, concordi voto omnium dominorum electorum in civitate Francofordiensi, atque eadem die ultima dicti mensis Novembris, in festivitate S. Andreæ coronatus, licet Aquisgrani juxta bullam Caroli IV. imperatoris coronari debuisset: cui missæ solemni adfuerunt illustrissimi domini legati, duo cardinales, amplissimi oratores regum, principum & rerumpublicarum, necnon omnes reverendissimi patres, magnæ parti quorum & præsertim reverendissimorum patrum & illustrium oratorum reverendissimus archiepiscopus Pragensis, nomine, ut ferunt, imperatoris, solemne paravit prandium.

Regis Navarræ mors in Galliis.

Die IX. ejusdem mensis, illustrissimi domini legati & præsidentes visitarunt illustrissimum dominum cardinalem a Lotharingia, dolentes ob regis Navarræ ejus propinqui mortem, qui cum pro fide catholica in Galliis contra hæreticos, vulgo Hugonotos appellatos, certaret, archibusi ictu vulneratus, non multos post dies ex hac vita decessit.

Usque ad hanc diem IX. mensis Decembris reverendi patres dixere vota sua super doctrina & canonibus de sacramento ordinis, quando semel, & quando bis in die in congregationibus, ut moris est.

Decretum de residentia proponitur patribus.

Die Jovis decima Decembris, in congregatione generali a domino secretario propositum fuit reverendissimis patribus decretum reformatum de residentia, ab eis examinandum, ut quisque super hoc dicat sententiam suam.

Et ut primum lectum fuit, patres cœpere proferre vota sua, & sic prosecuti sunt per plurimos dies.

Et nolui nunc mihi sumere hunc laborem, ut omnia apponam decreta de residentia. Nam & mihi & aliis essem fastidio, cum ante sessionem centies fuerint reformata. Ponam tamen eorum aliquod, cum tempus dabitur, & requiret occasio.

Prorogatur quarto sessio septima.

Die Mercurii XVI. ejusdem hora XX. habita est congregatio generalis in ecclesia, ex more, S. Mariæ majoris, in qua lecta secundum ritum oratione de Spiritu-sancto, illustrissimus Seripandus alloquutus est patres in hanc sententiam.

Illustrissimi & reverendissimi domini, clarissimi oratores, & reverendissimi patres, orandum est etiam atque etiam, ut in hac die, qui est dies jejunii nostri, non inveniatur voluntas nostra, non inveniatur, inquam, ut quisque amittat eam, & eum non derelinquamus spiritum, quem paulo ante invocavimus. Memini me diebus præteritis egisse de tot prorogationibus sessionis hujus, meminique a me & ab aliis dictum esse, has prorogationes arguere lites & dissensiones, & innuere immobilitatem. Per has enim prorogationes quæsiverunt amici nostri quod laudarent, & non invenerunt. Inimici quæsiverunt quod vituperarent, & invenerunt. Memini etiam me dixisse tunc ad tollenda hæc scandala, & de nobis non bona judicia, an videretur diem non certum statuere, sed decernere ut is statueretur, qui sanctæ synodo post discussionem materiarum quæ in sessione promulgandæ sunt, commodus videretur. Non placuit hoc paternitatibus vestris, quibus nos morem gessimus, ut semper facere soliti sumus. Nescio quo die postea ab illustrissimo domino meo Mantuano dies certus propositus est; tumque post varias sententias, tandem dies crastina pro sessione celebranda statuta est. Insanirem autem, si disceptarem an die ipsa crastina sessio haberi possit. quid ergo agendum? Dicam ego quæ mihi illustrissimi domini mei legati mandaverunt, eaque quæ ab ipsis accepi proponam. Vellem tamen vos in hac re esse præsidentes & legatos, ut unusquisque proponeret quod ei videretur. Si interrogaretur autem cur sessio die crastina non habeatur, nos accusamus & accusamur; ego autem non possum aliud dicere, quam alias dixi. Accusamur enim quod non reprimamus longitudinem sententiarum, prohibeamusque, ne ea dicantur, quæ extra rem propositam sunt, sicuti maxima cum humilitate & patientia hactenus persæpe audivimus. Sed juvat nos accusari de humilitate & patientia. Sed dicam profecto, quid opus erat tam longa oratione ab aliquibus residentiam necessariam ostendi? Quis enim id ignorat? quis id negat? quis non millies id dictum audivit? Venit mihi in mentem carmen nescio cujus: Pastorem, Tytire, pingues pascere oportet oves. Dum cum ovibus vestris eritis, eas docete: non est opus ut nunc coepiscopos vestros doceatis, neminem enim ignorare credendum est, quæ sui muneris sint. Ea autem dicere in sententiis vestris tantum debetis, quæ ad rem propositam spiritus suggesserit vobis. Nonne sciebatis cras habendam sessionem? quare ita dilatastis sententias vestras? miseremini, patres, & vestrûm & nostrûm: cogitabamus proponere quod alias proposuimus, scilicet ut nullus dies certus statueretur; verum quidem jurisperitus admonuit id non posse fieri, cum dies sessionis sit dies sententiæ; & ex consequenti certus dies statui debet, ut quorum interest adesse possint: si tamen

men hoc placeret omnibus, gratiæ ſunt agendæ Deo; ſin autem, poſſet decerni, ut ſeſſio craſtina prorogetur, & infra quindecim dierum ſpatium, nempe totum hunc menſem, ſtatuatur dies quo ſeſſio ipſa celebrari debeat. In his enim quindecim diebus ſententiæ omnium patrum ſuper hoc decreto dicentur, videbimuſque quæ eo tempore præparata erunt, & quis dies pro ſeſſione habenda ſtatui poſſit: dicant igitur patres quid ſentiant.

Et concluſum tandem eſt, ut ſeſſio prorogaretur ad quindecim dies; deinde proſequuti ſunt ſententias ſuas circa decretum reſidentiæ.

Veſperæ in vigilia nativitatis Domini noſtri JESU CHRISTI.

Die Jovis XXIV. Decembris, hora XX. in vigilia nativitatis Domini, celebratæ ſunt veſperæ in cathedrali eccleſia per reverendiſſimum epiſcopum Quinqueccleſienſem, ſacræ Cæſareæ majeſtatis pro regno Hungariæ ad ſacrum concilium oratorem.

Miſſa in die nativitatis ejuſdem.

Die Veneris XXV. in feſto nativitatis ejuſdem Domini noſtri JESU CHRISTI, hora XVII. celebravit miſſam ſolemnem in dicta eccleſia cathedrali iſdem epiſcopus Quinqueccleſienſis, cui inter fuerunt illuſtriſſimi legati quatuor, cardinales duo, patriarchæ tres, generales ſeptem. Qua finita, & data benedictione ab illuſtriſſimo præſidente, abiit quiſque ad propria.

Die ſabbati XXVI. in feſto S. Stephani protomartyris, celebravit miſſam reverendus D. epiſcopus Oſcenſis Hiſpanus.

Die XXVII. ejuſdem in feſto S. Johannis evangeliſtæ peregit ſacra reverendus epiſcopus Carinolenſis de familia Capranica, Romanus; qua finita, omnes rediere eorum domos.

Miſſa pro felici ſucceſſu belli inter catholicos & hæreticos in Gallia.

Die lunæ XXVIII. Decembris in feſto ſanctorum Innocentium celebravit ſolemniter ſummam miſſam reverendus epiſcopus Nivernenſis Gallus, in qua & ab ipſo & a ceteris prælatis maximæ gratiæ actæ ſunt omnipotenti Deo ſummo & maximo, pro felici ſucceſſu bellicæ rei inter catholicos & hæreticos, qui ſe Hugonottos appellant. Quibus ſacris interfuere illuſtriſſimi DD. legati, illuſtriſſimus cardinales de Lotharingia, & Madruccius, oratores, patres & omnes conciliarii.

Abſoluta miſſa, præfati omnes proceſſionaliter profecti ſunt, præeunte clero civitatis, a dicta eccleſia cathedrali ad eccleſiam divi Petri, ubi iterum fuſis ad Deum precibus pro dicto felici eventu, ad propria remearunt.

Profligatio exercitus hæreticorum in Gallia.

Vix ſacris ſupradictis abſolutis, ecce appli-

cuit Tridentum ex Gallia nuntius, qui venerat cum litteris regiis ad illuſtriſſimum ducem Sabaudiæ ſcriptis, & ab eodem ad illuſtriſſimum D. cardinalem de Lotharingia tranſmiſſis, datis Pariſiis XXII. die hujus menſis Decembris, quibus ſignificabatur exercitum catholicum, cujus erant duces illuſtriſſimi D. D. ſcilicet dux a Guiſio & magnus regni conſtabilis, conflixiſſe ea die cum exercitu hæreticorum, quorum duces erant D. D. a Vendomo & princeps a *Condé*, frater germanus regis Navarræ nuper defuncti, & admiratus illius regni, qui ſub religionis & libertatis regiæ conſervandæ prætextu, arma contra regem ſumſerant. Profligatis quamplurimis hæreticis, trucidatiſque, ut aiunt, quindecim millibus, atque ipſo principe a *Condé* una cum nonnullis aliis proceribus hæreticis, ac ex noſtris præfato D. conſtabile & mareſcallo S. Andreæ captis. Quod cum a ſola manu Dei factum eſſe agnoſcatur, ſtatim accepto nuntio, illuſtriſſimi & reverendiſſimi D. D. legati una cum dominis oratoribus & reverendiſſimis patribus totius ſacri concilii, ivere ad cathedralem eccleſiam, ubi decantato hymno *Te Deum laudamus*, gratias divinæ bonitati maxima cum lætitia & exultatione egerunt.

Prorogatio publicationis diei futuræ ſeſſionis ad diem XV. *Januarii.*

Die Mercurii XXX. Decembris, hora XX. habita eſt congregatio generalis, in qua illuſtriſſimus dominus Seripandus ſecundus præſidens, allocutus eſt patres in hanc ſententiam.

De mandato illuſtriſſimorum dominorum meorum legatorum hæc verba a me vobis ea ſola ratione dicuntur, quod de hac eadem re alias ego cum paternitatibus veſtris egerim. Putabamus quindecim dies ſatis vobis eſſe ad dicendum, nobiſque ad audiendum, ſuper hoc decreto de reſidentia: verum longe aliter res ſe habuit. Nam multi patres vota dicturi ſuperſunt, nec quidem divinare poſſumus, quot dies eis examinatio ipſa abſolvi poſſit. Propterea viſum eſt illuſtriſſimis dominis meis, ut eadem qua hactenus uſi ſumus progrediamur via, ſcilicet ut nunc nihil certi ſtatuatur, ſed deputentur adhuc XV. dies futuri menſis Januarii, intra quos dies, dies ſeſſionis declaretur. Hoc enim tempore, & patres omnes loquentur, & decretum ipſum de reſidentia juxta dictas patrum ſententias reformabitur, necnon doctrinæ de ordine extrema imponetur manus. Dicant igitur patres quid ſentiant.

Et ita poſt varias ſententias concluſum, & ab omnibus approbatum fuit. Deinde poſtquam patres proſequuti ſunt in eorum votis de decreto de reſidentia, dimiſſa eſt congregatio hora XXIV.

Veſperæ ultima die anni MDLXII.

Die Jovis ultima menſis Decembris MDLXII.

in vigilia feſtivitatis circumciſionis Domini hora xx. decantantur veſperæ ſolemnes in cathedrali eccleſia, & ſacra peregit reverendiſſimus epiſcopus Virdunenſis Lotharingus.

Incipit annus MDLXIII.

Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, incipit annus ſalutis noſtræ MDLXIII. qui felix fauſtuſque ſit.

Miſſa in feſto circumciſionis Domini.

Die Veneris prima menſis Januarii anni Domini MDLXIII. convenere in cathedrali eccleſia S. Vigilii illuſtriſſimi domini legati, domini oratores, & reverendiſſimi patres, celebraturi feſtivitatem circumciſionis Domini noſtri JESU CHRISTI, ubi ſolemniter ſacra peregit reverendiſſimus dominus epiſcopus Virdunenſis Lotharingus. qua finita, ab illuſtriſſimo domino præſidente, data benedictione, rediit quiſque domum ſuam.

Miſſa gratiarum actionis pro victoria catholicorum contra hæreticos in Gallia.

Die Dominica x. Januarii celebratur miſſa ſolemnis de Spiritu-ſancto, redduntur que Deo gratiæ pro victoria, quam iis proximis diebus, nempe XXII. præteriti menſis Decembris, Deus ipſe optimus maximus contulit catholicis contra hæreticos in Gallia, peregitque ſacra illuſtriſſimus dominus cardinalis a Lotharingia, habuitque orationem reverendus epiſcopus Metenſis Gallus, quibus omnibus interfuerunt illuſtriſſimi domini legati, & patres omnes, pranſique ſunt omnes apud illuſtriſſimum de Lotharingia.

Die lunæ XI. ejuſdem menſis peracta ſunt ſacra pro defunctis catholicis in Gallia contra Hugonotos, celebravitque miſſam reverendus dominus Ludovicus *de Breſzé* epiſcopus Meldenſis Gallus.

Seſſio ſeptima jam ſexies prorogatur.

Die Veneris XV. menſis ejuſdem habetur congregatio generalis, in qua illuſtriſſimus cardinalis Mantuanus præſes in hanc ſententiam patres alloquutus eſt.

Jam multa audiverunt dominationes veſtræ his diebus, & tamdiu, ut ſi ego vellem etiam nunc multa dicere, obtunderem aures dominationum veſtrarum. Quare omiſſo multiloquio, dicam quæ dicenda occurrunt, quæ duo ſunt. Primum ut dominationes veſtræ juxta conſuetudinem ſanctæ ſynodi eligant patres aliquos ad reformandum decretum de reſidentia, juxta cenſuras in eo factas. Secundum, ut ſtatuatur dies certus pro futura ſeſſione, nobiſque videtur, ut ad quartum diem menſis Februarii ſtatui debeat. Iudet enim nos a XVII. Septembris uſque ad hanc diem nullam habitam fuiſſe ſeſſionem. Dicant igitur patres quid ſentiant, ſed ſeparatim & primo ſuper deputatione facienda. Omnes patres ſubmiſerunt deputationem ipſam illuſtriſſimis dominis legatis, & ſucceſſive univerſi, excepto reverendiſſimo domino Budenſi, reſponderunt: placet quod ſeſſio celebretur IV. menſis Februarii. Deinde patres proſequuti ſunt examinationem decreti de reſidentia, tandem dimiſſa eſt congregatio.

Patres deputantur ad reformandum decretum de reſidentia.

Die lunæ XVIII. Januarii hora XX. habetur congregatio generalis ſuper examine decreti de reſidentia, ſed in primis primus præſidens dixit hæc verba.

Nobis videretur ad coaptandum decretum de reſidentia, debere eligi a nobis illuſtriſſimi domini a Lotharingia & Madruccius cardinales; ſed ut onere leventur, poſſint quos voluerint patres ſecum aſſumere. Dicant an eis placeat. Omnes reſponderunt, *Placet*.

Deinde patres proſecuti ſunt eorum ſententias ſuper eodem decreto de reſidentia, ac in tantum ſententiis proceſſerunt, quod abſoluta fuit examinatio ſupradicti decreti de reſidentia, propoſiti die decima præteriti menſis.

Oratoris ducis Sabaudiæ Tridentum acceſſus.

Die lunæ XXV. ingreſſus eſt Tridentum reverendiſſimus dominus MARCUS ANTONIUS ROBBA, epiſcopus Auguſtæ Prætoriæ, orator ad ſacrum concilium illuſtriſſimi EMANUELIS PHILIBERTI ducis Sabaudiæ, cui fuere obvii plures patres, oratores, atque familia illuſtriſſimorum legatorum.

Diſcordia patrum.

His temporibus non fuerunt congregationes generales. ortæ enim ſunt magnæ contentiones inter patres ſuper ſeptimo canone doctrinæ de ordine, circa juriſdictionem epiſcoporum & auctoritatem ſummi pontificis, necnon ſuper decreto de reſidentia a dominis deputatis item reformato, circa declarationem quo jure epiſcopi teneantur reſidere, gregemque regere ſibi commiſſum.

Orator ducis Sabaudiæ admittitur a ſancta ſynodo.

Die Dominica ultimo Januarii hora XX. habita congregatio generalis, in quam advenit reverendiſſimus dominus epiſcopus Auguſtæ Prætoriæ, orator illuſtriſſimi ducis Sabaudiæ, cujus nomine ſanctæ ſynodo exhibuit litteras & mandatum ſuum, quæ omnia lecta fuerunt per dominum ſecretarium. Deinde idem dominus orator habuit orationem in excuſationem ducis ſui, qui tamdiu moratus fuiſſet ad mittendum ſuum oratorem ad hoc ſanctum concilium generale, offerens ejuſdem nomine ſanctæ ſynodo omnia quæ uſui forent, & quam orationem numquam potui habere: (a) ponam tamen reſponſum. Quibus rebus peractis, datum fuit illi hujuſmodi reſponſum.

(a) Extat apud Labbeum conc. tom. 14. pag. 1201. cum ducis Sabaudiæ litteris & mandato.

Reſponſum ad oratorem ducis Sabaudiæ.

Reverendiſſime domine & illuſtris orator, multa ſunt, &c. *ut apud Labb. pag.* 1205.

Peractis his ex more, dimiſſa eſt congregatio.

Prorogatio ſeptima ſeſſionis.

Die Mercurii tertia Februarii habetur congregatio generalis, in qua peractis ſolitis ceremoniis, illuſtriſſimus primus præſidens habuit verba ad reverendiſſimos patres in hanc formam.

Pervenimus ad diem ſeſſionis, ſed non pervenimus ad concordiam, quæ ſeſſionem antecedere debebat. Nam cum magnus ille peccatorum noſtrorum cumulus ſublatus non eſſet, qui inter miſericordiarum patrem & nos intercedit, illius ad nos miſericordia deſcendere non potuit, qua contentio, quæ effuſa eſt ſuper principes eccleſiæ, diſcuteretur. quare coacti fuimus cogitare de prorogandæ ſeſſione, idque faciendum erat, vel ad breve tempus vel ad longum. Si ad breve, conſiderabimus nos incurrere poſſe in voculas & reprehenſionem hominum iniqua loquentium, quaſi nihil aliud agere ſciremus, quam differre ſeſſiones. Si ad longum, timebamus ne dominationibus veſtris grave videretur, cum tamdiu ceſſando, hic detineantur. Elegimus itaque tempus, quod nobis viſum eſt non ſupervacaneum, ſed eſſe medium inter multum & parum, breve & longum, in quo omnia quæ modo ſubjiciam, tractarentur. Illud vero fuit ab hac die ad quintam feriam poſt octavam reſurrectionis Domini, quæ erit XXII. menſis Aprilis. interea cuperemus, ut tractarentur hæc: primum ut colligerentur abuſus, qui irrepſerunt in ſacramento ordinis, & a patribus mitterentur ad ſecretarium, ut proponi poſſint. Deinde ut theologi diſputarent de iis articulis, qui pertinent ad ſacramentum matrimonii, ut nobis præſtaretur quod promulgatum fuit in ſuperiori ſeſſione, ut ſcilicet de ſacramento ordinis & matrimonii ſimul decerneretur, quod ſi Dei benignitas nos interea ex alto ita reſpiceret, ut omnia quæ dixi acta & tranſacta eſſent, patreſque inter ſe conveniſſent, tempus quod ſumtum eſſet contrahere poſſemus, & ſeſſionem maturius habere. hoc temporis ſpatium nimis luxum alicui videri non poteſt. quis ſciat quot dies ponant theologi in diſputationibus ſuis, & quot a patribus in dicendis ſententiis? Deliberent igitur dominationes veſtræ, ut ſi tempus prolabitur, dari poſſint die craſtina articuli theologis, qui die lunæ dicere incipiant. Servabitur vero hic ordo, mane dicant theologi, & a prandio patres proponent abuſus de ſacramento ordinis. Ita fiet, ut ne punctum quidem temporis, fruſtra conteratur.

Deinde ſtatim a ſecretario interrogati ſunt patres. an eis placeret, quod propoſitum fuiſſet ab illuſtriſſimo præſidente. cumque A matura deliberatione inter ſe ſtatuiſſent, reſponderunt omnes, exceptis quinquaginta, *Placet*: atque ita concluſum fuit, ut ſeſſio haberetur propoſita die XXII. Aprilis & dimiſſi ſunt patres.

Proponuntur articuli de ſacramento matrimonii per theologos examinandi.

Die Jovis IV. Februarii propoſiti ſunt articuli de ſacramento matrimonii, examinandi per theologos minores ſub infra ſcripta formia.

Prima claſſis. Articulus primus.

B I. Matrimonium non eſſe ſacramentum, &c. *editi apud Raynaldum.*

Incipit examinatio articulorum de ſacramento matrimonii.

Die Martis IX. Februarii hora V. habetur congregatio theologorum, qui cœperunt proferre ſententias ſuas ſuper articulos de ſacramento matrimonii: primuſque omnium, ex more, fuit Alphonſus Salmeronus Hiſpanus, Societatis JESU, theologus ſummi pontificis, qui dixit in hanc ſententiam.

Votum Alphonſi Salmeroni ſuper primis duobus articulis de ſacramento matrimonii.

C Præmiſit, aliud eſſe ceremoniam ſenſibilem, &c. *editum apud Raynaldum.*

Die Mercurii X. Februarii poſt Salmeronum proſequuti ſunt theologi & ſæculares & regulares ſuper eadem materia de ſacramento matrimonii ſecundum eorum claſſes, & adhuc proſequentur.

Oratores regis Franciæ exhibent litteras ſanctæ ſynodo eorum regis nomine.

Die Jovis XI. Februarii habita eſt congregatio generalis, in qua primum illuſtres oratores Chriſtianiſſimi regis exhibuerunt ſanctæ D ſynodo litteras regias lingua Gallica conſcriptas, atque eaſdem in latinum verſas, quæ lectæ fuerunt alta voce a D. ſecretario, quæ ſunt ejuſmodi tenoris.

CAROLUS Dei gratia Francorum rex, ſanctiſſimis, &c. *editæ apud Labbeum pag.* 1206.

Quibus litteris lectis, ſtatim ſurgens e loco ſuo D. Raynaldus Ferrerius, unus oratorum regis, in hanc formam habuit orationem ſuam.

Oratio D. Raynaldi Ferrerii oratoris regis Franciæ ad patres.

Quoniam ex litteris regis Chriſtianiſſimi, E &c. *edita apud Labbeum pag.* 1208.

Reſponſum ſanctæ ſynodi ad oratorem regis Franciæ.

Quantam lætitiam ſacroſancta ſynodus ceperit, &c. *editum apud Labbeum pag.* 1210.

Litteris Chriſtianiſſimi regis lectis & oratione habita a D. Ferrerio, ut ſupra, datoque eiſdem oratoribus reſponſo a ſancta ſynodo, D. ſecretarius ſtatim perlegit patribus quædam petita dictorum DD. oratorum illuſtriſſimis DD. legatis exhibita, ut patribus examinanda proponerent. Quibus

lectis, omnibus obtulit eorum exemplum, si qui velint.

Petita oratorum regis Gallorum.

Constitutum erat nobis oratoribus jampridem ex officii nostri ratione & Christianissimi regis nostri mandato, ad sanctam synodum ea referre quæ hoc scripto continentur. Sed cum Cæsarea majestas per reverendissimos & clarissimos viros oratores suos eadem fere nobis proponenda curasset, nostraque *omnis petitio cum eorum* postulatis mirifice conveniret, sustinuimus aliquantulum, exspectantes dum aliquid a vobis de iis rebus decerneretur. Quid enim multis postulatis minime inter se pugnantibus, vix *etiam diversis, molestos vobis esse necesse* fuit, præsertim cum ea quæ adjicienda fortasse videbuntur, vel tacite inessent, vel necessariam ex superioribus consequutionem habuerint? Itaque restituimus atque distulimus *certo judicio; nunc autem & principis* nostri litteris victi, & quia Cæsareum illud negotium longius protrahebatur quam spes fuerat, differendum amplius minime rati, quanta potuimus simplicitate & brevitate verborum, quæ nobis ad constituendam rempublicam Christianam necessaria videntur & opportuna, scripto complexi sumus. Hoc autem volumus vos existimare, nihil nobis a ceterorum Christianorum salute præcipuum esse, nihilque singulare; Carolum vero regem nostrum cupere quidem uti petitionum suarum omnium ratio habeatur; sic tamen a Christiana disciplina edoctum & institutum esse, ut vobis omnia tribuat, rerumque omnium istarum notione cognitionem & judicium ad vos omnino sciat pertinere.

Petitio prima. Caput primum.

I. Cum sacerdotes in primis castos esse oporteat, ex sacerdotum autem incontinentia, in Dei ecclesia magnæ nascantur offensiones, provideat sancta synodus, ut non alii in posterum ordinentur sacerdotes, quam qui seniores sint, & a populo bonum habeant testimonium, ut ex anteacta vita quales postea futuri sunt, non levis sit conjectura, & sacerdotum libidines, & flagitia acerrimis canonum pœnis coërceantur.

II. Cavendum est, ne eodem die aut tempore *omnes sacri ordines conferantur, cum* oporteat secundum antiquos canones promovendum ad majores ordines prius in minoribus digne & aliquo tempore versatum.

III. Nullus presbyter ordinetur, cui non *continuo secundum concilium Calchedonense*, una detur cum ordine beneficium, aut ministerium aliquod ecclesiasticum. Sic enim fiebant ordinationes a priscis illis patribus, qui titulos presbyterales multo postea tempore *inventos non agnoverunt.*

IV. Diaconis & aliis sacris ordinibus restituatur debita & antiqua functio, ne amplius nuda & in ceremoniis tantum posita nomina dicantur.

V. Presbyteri sacrisque initiati, & *cujus*vis ecclesiæ ministerio addicti, in ea vocatione, in qua a Domino vocati sunt, permaneant, neque in alio munere officii, quàm quod Dei ministrum deceat, versentur.

VI. Nullus eligatur *episcopus, qui* non ætatis sit legitimæ, iisque moribus & doctrina præditus, ut & populum docere, & ei vitæ exemplar esse possit, & qui non sit satis omnibus iis instructus, quæ sufficiant ad epis*copi munus rite per se obeundum.*

VII. Is quoque creetur plebanus, qui & probatæ sit vitæ, & qui populum in lege Dei possit instruere, sacrificium rite celebrare, & sacramenta, ut par est, administrare, & *illorum usum & effectum illos, quibus* ea administrat, recte docere.

VIII. Ad abbatiam autem & prioratum conventualem nemo promoveatur, nisi prius in aliquo celebri gymnasio sacras litteras *publice professus & magisterium*, aut alium gradum adeptus fuerit.

IX. Episcopus per se aut per eos quos ad prædicationis munus assumet, qui tot erunt, quot pro diœcesis magnitudine videbit opus esse, in civitate, ac quacumque forte diœcesis, censebit expedire, omnibus dominicis & festis diebus; tempore autem quadragesimæ, jejuniorumque & adventus Domini quotidie verbum Dei annunciet, & quotiescumque id oportune fieri posse judicaverit.

X. Idem quoque faciet plebanus, si non desint apud eos concionatores.

XI. Abbas vero & *prior* conventualis interpretabitur libros veteris & novi testamenti, xenodochia instituet, & ita monasteriis antiquæ scholæ & hospitalitates restituentur.

XII. *Qui hodie sunt episcopi*, plebani, abbates, aut alii ecclesiastici, si suum officium præstare non possint, accipiant coadjutores, per quos illud præstent, aut omnino beneficia dimittant.

XIII. *De catechesi & summa doctrinæ* catholicæ conscribenda, deque post illis etiam agendis, ea decernantur, quæ Cæsareæ majestati visum est ad hoc sanctum referre concilium.

XIV. *Unum beneficium uni tantum con*feratur, sublata quod attinet ad pluraliter* compatibilium & incompatibilium personarum differentia; quæ distinctio, ut est nova, & antiquis decretis incognita, ita ecclesiæ *catholicæ magnam calamitatem attulit.* Dentur autem regularia regularibus, sæcularia vero sæcularibus.

* *f.* pluralitatem.

XV. Qui vero nunc duo plurave possident, aut illud tantum retineant, quod in*tra breve tempus elegerint, aut in pœnas* antiquorum & veterum canonum incidant.

XVI. Ut ab ordine sacerdotali sordes om-

nes & omnes avaritiæ labes procul expellan- A tur, nec ullo prætextu pro divinis rebus quidquam exigatur, curet episcopus ut per unionem beneficiorum aut decimarum assignationem; & si non hoc fieri potest commode, per parochianorum symbola & collectas, ut plebani & cum eo duo aut plures clerici habeant unde vitam congrue traducant, & hospitalitatem præbeant.

XVII. In missis parochialibus evangelium aperte & dilucide, & pro populi captu, copiose in suggesto exponatur. quo in loco quæ præcunt & a plebano fiunt preces, lingua fiant vernacula. Peracto autem sacrificio latine, B & mysticis precibus, lingua etiam vernacula publicæ ad Deum fiant orationes. Eo autem tempore, aut aliis statutis horis, cantari poterunt pia & spiritualia cantica, ut psalmi Davidici, prius ab episcopo diligenter examinati & approbati, si id e re suæ ecclesiæ esse censebit episcopus.

XVIII. Antiquum illud Leonis & Gelasii decretum de communione sub utraque specie renovetur.

XIX. Ac ut omnes, præcipue litterarum imperiti, usum & efficaciam sacramentorum intelligant, præcedat semper ex lingua ver- C nacula brevis & dilucida expeditio, quæ sacramenti, quod administratur, rationem contineat.

XX. Beneficia secundum veteres canones non conferantur amplius per vicarios, sed per ipsos ordinarios, quorum est in hoc maxime electa industria, & illis intra sex menses non conferentibus, aut si indignis contulerint, potestas conferendi devolvatur ad proximum superiorem, & gradatim ad papam secundum concilium Lateranense, & aliter collatio a quocumque facta nulla sit.

XXI. Mandata de providendo, expectativæ, regressus, fiduciariæ resignationis, com- D mendæ revocentur, & omnino arceantur ab ecclesia, velut decretis contraria.

XXII. Resignationes in favorem rejiciantur omnino a curia Romana. Est enim sacris canonibus constitutum, ne quisquam sibi sui officii quærat aut eligat successorem.

XXIII. Prioratus sæculares, aut, ut dicitur, simplices, quibus contra institutionem cura animarum ademta est, & translata in vicarium perpetuum, eique tantum parva quædam decimarum aut aliorum proventuum portio assignatur, cum primum vacaverint, curam animarum recipiant, & in an- E tiquum statum restituantur.

XXIV. Cumque plura sint beneficia, in quibus contra beneficiorum omnium institutionem invaluit depravata consuetudo, ut qui ea possident, nullo teneantur mandato concionandi, sacramenta administrandi, aut alio onere ecclesiastico; episcopus consilio capituli his beneficiis curam aliquam spiritualem imponat, aut si utilius videatur, ea beneficia vicinioribus parochialibus ecclesiis uniat. Beneficium enim sine officio esse neque debet, neque potest.

XXV. Pensiones super beneficiis non constituantur, & quæ sunt constitutæ tollantur, quo redditus ecclesiastici in alimenta pastorum aliosque usus pios transferantur.

XXVI. Restituantur episcopis intra omnem diœcesim ecclesiasticæ jurisdictiones, & tollantur omnes exemtiones, exceptis capitibus ordinum, iisque quæ ipsis subsunt monasteriis, & qui capitula faciunt generalia, & his monasteriis, quibus multis jam retro sæculis, evidentibus scriptorum monumentis constat datam esse exemtionem, quæ tamen ne a correctione omnino se eximant, aliqua ratione provideatur.

XXVII. Cum episcopus jurisdictione uti non debeat, secundum antiqua decreta, nisi consulto capitulo, quemadmodum nec alia suæ diœcesis gravia negotia tractare, danda est diligens opera, ut canonici cathedralium ecclesiarum sint assidui in ecclesia cathedrali, bonis moribus, & scientia præditi, quique saltem xxv. annum attingant. Nam ante illam ætatem, cum non possint per leges humanas rebus suis prospicere, quomodo episcopo consulere poterunt?

XXVIII. Restituantur antiqui, aut novi constituantur consanguinitatis, affinitatis vel cognationis spiritualis gradus, intra quos non liceat obtentu cujusvis dispensationis matrimonium contrahere, exceptis solis regibus aut principibus propter publicum bonum.

XXIX. Cum nostris temporibus exorti sunt iconomachi, qui imagines evertendas esse censent, & maximæ perturbationes in locis ex eo sint excitatæ, provideat sancta synodus, ut doceatur populus quid de cultu imaginum sit sentiendum; ut si quæ in iis colendis irrepserunt superstitiones & abusus, tollantur. Quod ipsum quoque provideat de indulgentiis, peregrinationibus, reliquiis sanctorum, & iis sodalitatibus quas vocant fraternitates.

XXX. Quoniam sæpe ob unius enorme delictum affligitur universus populus, quem de peccatis proximi sollicitum & anxium esse oportet, restituatur ecclesiæ catholicæ non solum antiqua illa propter graves & publicas offensas publica pœnitentia, sed etiam ad iram Dei placandam jejunia & luctus publici.

XXXI. Cum excommunicatio sit ecclesiæ supremus gladius, non est passim pro quovis delicto aut contumacia decernenda; sed pro gravissimo tantum peccato, cumque in eo post unam & alteram, & nonnumquam tertiam admonitionem reus perseverat.

XXXII. De beneficiis forenses controversiæ, quæ universum ecclesiasticum ordinem contaminarunt, non solum breviores erunt, sublata petitorii & possessorii in causis bene-

ficialibus nuper inventa distinctione; sed omnino cessabunt, si sublatis etiam concilii Basileensis universitatum nominationibus, præcipiatur episcopis, ut beneficia secundum Gregorii auctoritatem non ambientibus, sed de ecclesia benemeritis conferant. Merita autem in universum judicabuntur, si post magisterium aut alium gradum in scholis adeptum, is cui confertur beneficium, auctore episcopo & probante populo, publice fuerit concionatus aliquo tempore. Cumque ordinarius semel beneficium contulerit, aut patronus præsentaverit, non aliter liceat superiori conferre, quam si prius præsentatum, aut ei cui collatum est beneficium, eo beneficio judices indignum judicaverint.

XXXIII. Quod si aliquando de conferendi aut præsentandi potestate lis oriatur, primum ab episcopo diœcesano, consulto capitulo, œconomus beneficio vacanti præficiatur, qui fructus omnes percipiat, & munera omnia ecclesiæ subeat, deinde litigantes consentiant in aliquos viros doctos & ecclesiasticos: & si non elegerint, ab episcopo dabuntur, qui saltem infra sex menses litem omnem dirimant, a quibus appellari non liceat. Aut si existimet synodus esse appellandum, deferendi. mandetur interea executioni sententia; neque teneatur œconomus, aut qui sententiam prior obtinuit, restituere fructus pendente lite perceptos, qui tantum ministri & pauperum alimentis cedere debeant. Ita fiet ut aut nulla unquam lis de beneficio, aut si quæ fuerit, brevi transigatur.

XXXIV. Decernat sancta synodus, ut non solum synodi episcopales quotannis semel ut minimum, sed etiam tertio quoque anno provinciales congregentur; in quibus de his quæ ad statum ecclesiasticum pertinent diligenter tractetur: de ministrorum delictis mature cognoscatur, & in eos qui deliquerint severe animadvertatur: & ut concilia generalia, nisi aliquod obsistat impedimentum, decimo quoque anno celebrentur.

Ut primum lecta fuerunt petita superius dicta a D. secretario, patres diverse omnia interpretati sunt, varie de illis sentientes; neque tunc ab eorum aliquo quidquam responsum fuit, sed statim illustrissimus D. primus præsidens patribus proposuit eligendos esse aliquot patres pro colligendis abusibus circa sacramentum ordinis, ut exsequamur, inquit, quod nuper a nobis propositum fuit; ingerimque dum redibit illustrissimus D. cardinalis a Lotharingia, poterunt præparari, (profecturus enim erat *Spruch* propediem ad imperatorem) ut postmodum sanctæ synodo proponantur. Hoc erit principium reformationis, quam DD. oratores regis Christianissimi maxime expetere dixerunt. Poterúntque theologi hoc tempore prosequi examinationem suam; dicentque mane & a prandio, ut eo citius examinatio ipsa expediatur. Hoc enim modo, etsi nunc simus in diebus carnisprivii, non tamen secundum carnem ambulabimus: eligant igitur dominationes vestræ eos qui sibi videbuntur.

Reverendissimi patres omnes, exceptis duobus, unanimes dictam deputationem remiserunt ad illustrissimos DD. legatos, & sic statim dimissa est congregatio.

Die Veneris XII. Februarii post congregationem theologorum super examinatione sacramenti matrimonii, ut supra, deputati sunt patres ad colligendos abusus sacramenti ordinis, suntque infrascripti.

Patres deputati ad colligendos abusus circa sacramentum ordinis.

Reverendissimi D. episcopus Præmisliensis, orator regis Poloniæ.
D. patriarcha Venetiarum.
D. archiepiscopus Antibarensis.
D. archiepiscopus Senensis.
D. episcopus Virdunensis.
D. episcopus Lerinensis.
D. episcopus Macratensis.
D. episcopus Aurien sis.
D. episcopus Neocastrensis.
D. episcopus Parmensis.

Dimittiturque congregatio hora XXIV.

Discessus Tridento illustrissimi de Lotharingia.

Die XII. dicti mensis, illustrissimus D. cardinalis a Lotharingia, discessit e civitate Tridentina Oenopontem versus, visitandi causa Ferdinandum Cæsarem, & die XXVII. ejusdem reversus est in civitatem hanc.

Incipit examinari secunda classis.

Die Mercurii XVII. hora XV. habetur congregatio theologorum super examinatione articulorum secundæ classis de sacramento matrimonii, super quibus dixit sententiam suam Petrus Sottus, Hispanus, ordinis Prædicatorum. Ad tertium articulum, scilicet licere dimissa uxore per fornicationem, aliam ducere vivente priore uxore, respondendo hæreticum esse, licet quæstio hæc dubia aliquantulum in ecclesia fuerit. Unde Augustinus cap. 19. de fide & operibus dicit: in ea aliquem posse venialiter falli; & Origenes super 19. Matth. refert plures episcopos permisisse adulteris conjugium; nunc autem hæc quæstio in ecclesia explicata est, ut nullo modo liceat adulteri uxorem ducere; quod auctoritatibus sacræ scripturæ comprobatum est. Paulus enim Rom. 7. ait: *Mulier vivente viro alligata est, eo mortuo, soluta est.* Vivente igitur vito non licet alium ducere, & 1. Cor. 7. *Mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Si autem dormierit vir ejus, liberata est, nubatque cui vult.* Non igitur umquam licet, vivente altero conjugum alii nubere. Quæ verba clara esse Augustinus ad Polletium docet. Idem probatur Marc. 10 *Quicumque dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mœchatur,* ℣. Quod & Luc. 16. cap. confirmat. *Quicumque dimiserit uxorem, & aliam duxerit,*

mœchatur; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Neque intelligendam exceptionem, *niſi cauſa fornicationis*, cum Matthæus 19. cap. juxta Marcum & Lucam intelligendus ſit. Probatur idem a Paulo eodem cap. 7. 1. Cor. cum inquit: *Non ego præcipio, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſcesſerit, manere innuptam.* Quod Paulus intelligit etiam, quod ſi cauſa fornicationis diſceſſerit. Nam cum Paulus dicat, quod ſi diſceſſerit, proponit cum cauſa diſceſſiſſe, ſcilicet ob fornicationem, cum alias id non liceat uxori ad libitum ſine cauſa diſcedere. Quod & Paulus dixerat: *Nolite fraudare ad invicem*, & *Mulier non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir.* Præſupponit igitur mulierem cum cauſa diſcedere, quod non licet, niſi ob fornicationem. Ergo cum dicit, quod ſi diſceſſerit, intelligit ob fornicationem: quare ob fornicationem non licet dimiſſa uxore aliam ducere, priore vivente. Et cum in Matth. 19. Chriſtus dixerit, *excepta cauſa fornicationis*, loquebatur Phariſæis, qui uſi erant in libello repudii. Non ſic autem locutus eſt cum apoſtolis, ut referunt Marcus & Lucas. Præterea cum matrimonium ſit ſacramentum, & vinculum ſupernaturale, non ex natura, neque ex libero arbitrio pendens, ſed indiſſolubile, nulla ex cauſa diſſolvi poteſt. Quos enim Deus conjunxit, homo non ſeparet. Sacramenta enim obſignationes quædam ſunt, Dei gratia, ut ſigillo regis obſignata, quod nulli hominum diſſolvere licet. Auguſtinus enim lib. 10. cap. 10. contra Fauſtum declarat qua ratione baptiſmus non reiteratur. Matrimonium igitur ſigillo Dei obſignatum, nulla hominum auctoritate, nullaque cauſa diſſolvi poteſt, ut refert Aug. lib. 1. cap. 10. de nuptiis & concupiſc. cum ait: Hujus ſacramenti res eſt, ut conjuges inſeparabiliter vivant. Et lib. 2. cap. 5. de adulterinis conjug. cum dicit, Excommunicatum etiam perſeverantem in ea excommunicatione non amittere baptiſmum, ſic & nec conjuges per fornicationem amittere vinculum matrimonii. Et Hieronymus in 19. Matth. & in epitaphio Fabiolæ, & B. Thomas ſuper his verbis: *Excepta cauſa fornicationis*, dicit verba referenda ad primam clauſulam, ut excipiat a priori ſententia, non a ſecunda, ut ſcilicet licear dimittere uxorem ob fornicationem, ſed non aliam ducere. Idem dicit concilium Milevitanum cap. 16. quod ab Innocentio III. epiſt. xxxvii. confirmatur, & Innoc. I. epiſt. 3. & Alexand. III. & Innoc. III. de divort. in pluribus capitibus, & ita tota eccleſia poſt Auguſtinum tenet & ſentit. Reſponditque ad id quod Cajetanus contra hanc veritatem dicit, negans decreta pontificum, quod nullo modo facere debuiſſet. Nam Romanorum pontificum definitiones rejici non poſſunt, cum præſertim accedit univerſalis eccleſiæ conſenſus, ut in caſu noſtro, quod dicitur poligamia, etiam hæreticorum eſt, contra conſenſum eccleſiæ, decreta pontificum & verba Chriſti: *Erunt duo in carne una*, non plures.

Quibus completis, dimittitur congregatio hora XVIII.

Sacra in die Cinerum.

Die Mercurii XXIV. Februarii, prima quadrageſimæ, celebravit miſſam ſolemnem reverendiſſimus epiſcopus Minorbienſis, benedixitque atque diſtribuit cineres illuſtriſſimus dominus cardinalis SERIPANDUS, ægrotante illuſtriſſimo domino cardinale Mantuano, in quo die fuit feſtivitas S. Matthiæ apoſtoli.

Per totum menſem Februarii theologi minores in congregationibus proſecuti ſunt eorum diſputationes & ſententias ſuper eiſdem articulis de ſacramento matrimonii.

Mors illuſtriſſimi cardinalis Mantuani, primi præſidis in concilio Tridentino.

Die Martis ſecunda Martii 1563. circa horam noctis IV. illuſtriſſimus & reverendiſſimus dominus cardinalis Mantuanus primus præſes pro ſede apoſtolica in concilio Tridentino, diem ſuum clauſit extremum, non ſine mœrore univerſi concilii, tum oratorum, tum patrum. Nam præter ſummas opes quas poſſidebat, pollebat religione, pietate & prudentia ſingulari. Erat etiam ſummæ auctoritatis vir in concilio ipſo. Nam gratiſſimus erat Cæſari, regibus Galliæ & Hiſpaniæ, ac principibus totius Italiæ, & in ſumma ſpe omnium adipiſcendi pontificatum, ſi vixiſſet, tot & tantæ erant illius virtutes ſingulariſſimæ. Illuſtriſſimus dux Mantuæ, atque etiam illuſtris Cæſar Gonzaga, ambo ejuſdem nepotes, ejus morti interfuere, qui huc venerant proficiſcentes ad imperatorem. Dux enim Mantuæ invictiſſimi Cæſaris gener erat. Qui omnes cum cadavere illuſtriſſimi cardinalis, & ejus familia (cujus memor maximas ei facultates legavit) reverſi ſunt Mantuam, cujus animæ Deus ſummus & omnipotens pacem dederit ſempiternam.

Mors ducis Ghuiſiæ in Galliis.

Die VI. menſis Martii venit Tridentum certum nuncium ex litteris ad ducem Ferrariæ ex Gallia huc tranſmiſſis ad illuſtriſſimum de Lotharingia, peremtum fuiſſe ex ictu archebuſi illuſtriſſimum Ghuiſiæ ducem, fratrem germanum cardinalis de Lotharingia in concilio commorantis, illuſtrem, ſtrenuum & invictum imperatorem in Galliis pro rege Chriſtianiſſimo contra Lutheranos Hugonottos.

Tertia claſſis ſuper ſacramento matrimonii. Votum reverendiſſimi D. Johannis Pelletier, *Galli.*

Die VII. ejuſdem, fuit congregatio theologorum, in qua reverendus D. Johannes *Pelletier*, Gallus, dixit ſententiam ſuam circa articulos tertiæ claſſis.

An matrimonium non poſtponendum,

seu anteferendum sit castitati; & Deum dare conjugibus majorem gratiam, quam aliis? Item an licite sacerdotes Occidentales, (a) circa quod dixit, sacerdotes Occidentales ex constitutione ecclesiæ Romanæ, tenentur abstinentiam observare, & declaravit non obstare id quod dictum fuit a doctissimo illo viro in concilio Nicæno, persuadendo nihil stabiliendum esse contra sacerdotes conjugatos; & in hoc proposito dixit, quod quemadmodum in uno corpore sunt multa membra, & unumquodque habet officium suum distinctum & diversum ab officio alterius membri; eodem modo dicendum erat, institutum fuisse a Christo in corpore suo mystico, videlicet quod adsint quædam membra quæ abstinere debeant, & alia prolem generandi causa, & Deo educandam non abstinere. Et ad probandum quod uxores impedimento sint iis qui divino cultui obligati sint, probavit auctoritate divi Pauli dicentis: *Qui uxores habent, studeant ut placeant uxoribus; qui vero sine uxoribus sunt, studeant ut placeant Deo;* & ideo ab ecclesia prohibitum est matrimonium.

Item, officium sacerdotis est semper orare pro populo, necnon sacramenta administrare: illa igitur quæ impediunt orationem, necnon sacramentorum administrationem, concedenda non sunt sacerdotibus. Cum igitur opus conjugale ista hæc impediat, ergo conjugium negandum est sacerdotibus ex auctoritate divi Ambrosii & Hieronymi in libro primo contra Jovinianum, dicentium quod semper orandum est a sacerdotibus, & semper cavendum est a matrimonio. Et quod idem habetur ab Origene super Paulum, quando dicit, nolite fraudari ad invicem, idem dixit confirmari ab Epiphanio in 2. lib. contra hæreticos, ubi manifeste prohibet ne diaconi & sacerdotes uxores ducant. Præterea eamdem veritatem comprobavit sententia Bedæ dicentis, quod si sacerdotes Levitici generis abstinebant quando sacerdotalia administrabant, tanto magis abstinere debent sacerdotes evangelicæ legis: neque obstare quod aliqui dicant quod sacerdotes Levitici, non obstante quod quibusdam anni temporibus abstinerent ab uxoribus, scilicet quando erant administraturi sacerdotalia, quod propter hoc non erat illis prohibitum, quin possent uxores habere. Ad hanc objectionem respondit, dicendo quod sacerdotes Levitici generis haberent tempora ordinata pro sacerdotalibus exercendis, & ideo non erant pro semper & ad semper obligati: sacerdotes vero evangelicæ legis semper & in omni tempore obstricti sunt & obligati ad sacramenta exhibenda, necnon ad orandum pro populo. Ideo penitus sacerdotibus novi testamenti negandum est conjugium, cum spiritus in voluptate carnis cedat, sicut bene declarat divus Augustinus. In hoc autem proposito declaravit quod conjuges, etiam tempore orationis, tenentur reddere debitum uxoribus, immo si liceat, eadem die assumere sanctissimum Christi corpus: quam propositionem multis rationibus confirmavit, primo auctoritate Pauli dicentis: *Viri potestatem sui corporis non habent, sed mulieres*; ergo pro reddendo debito uxoribus ex justitia tenentur viri.

Præterea a sacramento eucharistiæ solum peccatum excludit; & in hoc dedit exemplum de Zacharia, cui ab angelo pronuntiatum fuit quod haberet filium, &c. & cum ab angelo pronuntiatum esset, & cum sine opere conjugali minime hoc consequi potuisset, patet quod verum est quod dictum est. Hoc idem probavit alia ratione quæ ex verbis divi Pauli colligi potest, videlicet, qui propter fornicationem vitandam rem habet cum uxore, non peccat nisi venialiter: ergo talis accedere potest ad sanctissimum corpus, tamquam ad verum medicum, & sic concluſit, quod actus sacerdotales & actus conjugales possunt simul & semel permanere, sed non expedire, immo ecclesiæ constitutionem obviare. Nam sicut ecclesia illegitimavit matrimonium inter consanguineos, eadem & simili auctoritate potuit facere de sacerdotibus, illegitimando sacerdotes a conjugio. Et in hoc proposito examinavit an ecclesia possit illegitimare clandestina matrimonia, & hæc breviter dixit pro probanda seu confirmanda prima conclusione.

Secunda conclusio quam proposuit, fuit ista, videlicet, sacerdotes Occidentales ratione voti tenentur abstinere ab uxoribus; quam conclusionem probavit, primo quia hujusmodi votum est votum voluntarium, ergo dispensari non potest: & adduxit definitionem quæ habetur a divo Thoma de voto: demonstravitque quod aliquis potest obligare seipsum pro virginitate servanda, auctoritate Matthæi 19. ubi expresse habetur, quod *quidam se castraverunt, &c.* quæ verba in hunc sensum a sanctissimis patribus exposita sunt: & hoc idem haberi a Paulo ad Timoth. epist. 1. cap. 5. necnon Lucæ cap. 2. Declaravit etiam quod castitas non præponitur matrimonio, nisi quoad virginitatem spiritualem, tamquam a Deo benedictam. Declaravit etiam quod unusquisque potest promissionem suam firmare in re quam observare potest. Dixit etiam quod licet operationes super voluntates fundentur, quod semper necessaria est gratia & illuminatio Dei; deditque hoc exemplum, videlicet, Deus est trinus & unus; velle autem probare & ostendere veritatem hanc, necessaria est gratia & illuminatio, quam Deus fidelibus suis concedit & largitur: concludendo, quod certitudo fidei a primo objecto provenit, & hoc dixit dicendum esse de voto, adducendo sententiam

[a] Videtur hic aliquid deesse, forte *abstineant.*

ſententiam Pauli ad Hebræos cap. 6. v. 3. Hoc idem probavit ex verbis prophetæ dicentis: *Vovete & reddite Deo veſtro, &c.* Examinavit etiam an ex voto dirimatur matrimonium, & dixit quod duplex eſt votum, videlicet ſolemne & ſimplex; & quod votum ſolemne dirimit matrimonium: declaravitque quid ſit votum ſimplex, & quid ſolemne ex definitione divi Thomæ. Dixit etiam, quod in ſacramentis a Chriſto inſtitutis, ſolemnitates non ſunt de eſſentia ſacramenti; dixitque quod in voto ſimplici eſt tantum promiſſio; in ſolemni vero non ſolum eſt promiſſio, ſed etiam effectus promiſſionis. B

Tertia concluſio, videlicet: Sacerdotes occidentales ex voto ita tenentur continentiam obſervare, quod papa non poteſt diſpenſare: quam concluſionem multis rationibus probavit. Primo, caſtitas monachalis non poteſt diſpenſari: ergo nec ſacerdotalis. Quod autem monachalis caſtitas diſpenſari non poteſt, probavit ex decretis ſeu canonibus Innocentii III. & divi Thomæ dicentis: Quod ſemel conſecratum eſt Deo, per nullum poteſt in alium uſum applicari: & non ſolum hoc verificari in homine, ſed etiam in re non animata, ſicuti in calice & in altari portatili. Nam ſicut monachus vovet coram C abbate, ita & ſacerdos coram epiſcopo & coram toto populo. Item, ſacerdos non eſt inferior monacho, ergo non minus indiſpenſabile eſt votum ſacerdotale, quam monachale. Quod autem ſacerdos non ſit inferior monacho, patet ex fine ſacerdotum. Declaravit etiam quod nulla regula obligaret, neque obligare poſſet, niſi prius approbata fuerit a papa. Declaravit etiam quod tam monachus, quam ſacerdos, exhibet corpus ſuum divino cultui, & quod nos ſumus ſub eccleſia, tamquam ſub tutore, ſicut puella D eſt ſub patre. Et ſicut vinculum matrimonii inſeparabile eſt, ita dicendum eſſe de hoc ſpirituali matrimonio. Præterea matrimonium ratum eſt indiſſolubile, & tamen ex voto religionis dirimitur. Ergo ſacerdotale vinculum indiſſolubile eſt. Concludit tamen, quod id quod impedit majus bonum poteſt a papa diſpenſari, & dedit exemplum. Nam ſi eſſet aliquis princeps, qui vellet ad fidem Chriſti venire, ſed cum hac conditione, quod poſſet ſibi in uxorem ducere illam monialem; reſpondit quod res divinæ non E debent rumpi rebus humanis. Probavit etiam ex verbis divi Pauli ad Rom. 7. & ex verbis divi Baſilii, divi Auguſtini, divi Cypriani. Quod ſi mulier nupſerit alteri viro, vivente primo, quod adultera eſt. Cum ergo vir monialium ſit Chriſtus, nullo pacto, vivente Chriſto, poteſt monialis alteri nubere. Examinavit etiam an eccleſia poſſit diſpenſare ſacerdotes ad ducendum uxores. Dixit de præteritis nullo pacto poſſe. Numquid autem hoc facere poſſit in futurum? Dixit quod ubi A verba Chriſti expreſſa, ſive per conſtitutionem apoſtolorum ſunt leges & præcepta, quod non licet eccleſiæ in tali caſu condere novas leges. Et propter hoc cum apoſtolorum inſtitutionibus prohibitum ſit ſacerdotibus ne uxores ducant, nullo pacto permittendum eſſe ab eccleſia, ut ſacerdotes habeant uxores. Et quod hoc prohibitum ſit ab apoſtolis, allegavit canones apoſtolorum, in quo manifeſte habetur, quod tantum lectores & cantores ducant uxores. Cum igitur traditione apoſtolorum hoc prohibitum ſit, papa non poteſt diſpenſare.

Item, continentia ſacerdotalis ita annexa eſt cum ſacerdotibus, quod papa non poſſet de ipſa illos diſpenſare. Et pro confirmanda hac veritate, adduxit auctoritatem divi Hieronymi ad Damaſum. Declaravit etiam, quod hoc habebatur ex verbis Matthæi 19. *Qui poteſt capere capiat.* Quæ quidem verba ab Hilatio, Baſilio, & Hieronymo ad hunc ſenſum dicta fuiſſe exponitur & declaratur. Dixit etiam quod ordo ſacerdotalis de jure divino, monachalis autem quod non eſt de jure divino. Cum igitur monachale votum ſit inſolubile, tanto magis inſolubile eſſe debet ſacerdotale. Dixit etiam quod conſuetudo quæ jam obſervata per 1560. annos eſt, non videbat quomodo diſpenſari poſſet. Declaravit etiam, quod duplex eſt virginitas, ſcilicet corporis & animi, & quod virtus non tribuitur virginitati corporali, ſed ſpirituali & mentali, & quod hoc declaratur a divo Auguſtino in libro de virginitate. Declaravit etiam, ut reſponderet ad argumenta adverſariorum, quod hoc præceptum eſt præceptum communitatis, & tale præceptum non obligat omnes. Et dedit exemplum de præcepto regis: videlicet quod licet ordinaret, quod unuſquiſque debeat arma accipere, quod non propter hoc obligat, niſi illos qui apti & idonei ſunt ad arma ſuſcipienda. Reſpondit etiam ad aliud argumentum, quod adverſarii faciunt ex verbis Pauli, videlicet, *quiſque ſuam uxorem habeat.* Dixit ex ſententia divi Hieronymi, quod Paulus ibi loquitur tantum de conjugatis, & ideo non dixit, ducat; ſed habeat, id eſt debitum reddat. Reſpondit etiam ad aliam rationem, quam ſimiliter faciunt adverſarii ex verbis illis Pauli, videlicet, *qui non poteſt continere, nubat*; dicendo verba Pauli non verificari niſi de legitimis perſonis & liberis; non autem de illis qui voto voverunt, neque obſtare quod patiantur ſtimulum carnis, & quod non eſt dicendum, non poſſum, ſed non volo.

Cardinalis Seripandus primus nunc præſidens concilii ægrotat.

Die octava ejuſdem menſis Martii, poſt congregationem ejus die, febri præacuta ægrotavit illuſtriſſimus cardinalis SERIPANDUS, primus præſidens, & adhuc de ea quam maxime laborat.

Rixa maxima inter Italos & Hiſpanos ſervitores.

Die Veneris XII. ejuſdem, exorta eſt maxima controverſia in civitate inter Italos & famulos Hiſpanos, qui primi adorti ſunt Italos e regione macelli publici, ſcilicet XII. ex eis contra quatuor ex Italis: qua in re cum coacti eſſent Itali auxilium petere, convenere plurimi adverſus Hiſpanos: ubi manus admovere unus contra alium, & plures contra plures, reſque ipſa in tantum proceſſit, quod univerſa civitas ad arma commota eſt, reſque per ſe plus timoris incuſſit omnibus quam damni, etiam quod ex utraque parte plurimi plurima vulnera acceperint. tandem res per primates civitatis ſedata eſt, cum publico edicto die XIII. ejuſdem, ut unuſquiſque arma deponat, ſub pœnis graviſſimis, atque hodie quæ dies eſt XIV. Martii, præſidia, de conſenſu & verbo illuſtriſſimorum legatorum, poſita ſunt in variis locis civitatis, ut tuta reddantur omnia. Quibus rebus effectum eſt, ut lente nunc procedatur in congregationibus, atque etiam propter morbum illuſtriſſimi SERIPANDI, qui in dies augetur. Quibus omnibus auxilium præſtet Spiritus-ſanctus, in quo confidimus quotquot in hoc ſacro concilio congregamur, tam patres quam ſervi.

Mors cardinalis Seripandi legati & primi præſidentis concilii.

Die Martis XVII. ejuſdem menſis Martii, mortuus eſt illuſtriſſimus cardinalis Seripandus, patria Neapolitanus, & ordinis S. Auguſtini, cujus fratrum quondam fuerat generalis, nominatus archiepiſcopus Salernitanus a Carolo V. imperatore auguſto, deinde aſcitus in numero cardinalium a Pio IV. pontifice maximo, & nunc primus præſidens concilii Tridentini, ætatis annorum LXX. vir ſenex, religioſus, magnæ doctrinæ, prudens, integer vitæ, optimis moribus, ab omnibus amatus, & de concilio bene meritus, pius in pauperes, & ſuam familiam, ut patet ex ſuo teſtamento, per quod legavit illi maximam partem facultatum quas poſſidebat. Idemque legavit ut corpori ſuo ſimplex ſepultura daretur in hac civitate in eccleſia S. Marci ordinis S. Auguſtini, condendo eum humi, ſuperjecta ſuper eum tantummodo terra, & lateribus ſuperadditis, cujus anima requieſcat in pace.

Die XVIII. ejuſdem, ſepultus eſt in dicta eccleſia S. Marci, conditus humi, in medio choro, ſolemni pompa funebri, quamplurimis ex patribus eum comitantibus, neque ſine magno luctu.

Miraculo datum eſt in hoc ſacroſancto concilio, & ab omnibus animadverſum, quod tam pauci admodum diebus duo illuſtriſſimi cardinales & præſidentes concilii, unus poſt alterum mortuus eſt.

Duciſſa Mantuæ proficiſcitur Spruch.

Eadem die illuſtriſſima duciſſa Mantuæ proficiſcitur ad Ferdinandum Cæſarem patrem ſuum *Spruch*, tranſiit prope muros, extra tamen civitatem, magna comitante equitum caterva.

Quarta Claſſis.

Votum fratris Franciſci, Galli theologi.

Die XIX. Martii, fuit congregatio generalis theologorum, ut ſupra, & ſuper articulis quartæ claſſis, in qua non quidem primus, ſed poſt multos proferens ſententiam ſuam, frater Franciſcus, Gallus theologus.

Primo oravit Deum verbis David: *Bonitatem tuam doce me, Domine.* Deinde dixit quod cum jam a præceptis Moſaïcis ac etiam veteri lege liberati ſimus, quod non tenemur obſervare præcepta quæ Levit. 18. prohibita ſunt, quia per legem evangelicam ab omnibus præceptis ceremonialibus & judicialibus ſumus liberati; & dedit exemplum Pauli ad Galat. 2. reprehendentis Petrum ex eo, quia cogebat gentes judaïſare: & quod tanto minus credere debemus teneri ad obſervandum præcepta Moſaïca; & ſic poſuit ſuam primam concluſionem quæ talis fuit: Quod illi gradus Levit. 18. non obligant Chriſtianos, declarando quod non propter hoc dicendum eſt, quod tales gradus non ſint ſervandi, ſed quod nos non tenemur, neque debemus ipſos ſervare, tamquam a lege Moſaïca prohibitos; & probavit concluſionem hanc multis rationibus, & primo: Omnia legis Moſaïcæ mandata, quæ a lege naturæ non dependent, evacuata ſunt; ſed gradus illi Levit. 18. poſiti ſunt mandata legis Moiſis, & non dependent a lege naturæ; ergo gradus tales jam evacuati ſunt: neque obſtare id quod ex verbis Chriſti adverſarii dicunt, videlicet: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*, neque multæ aliæ auctoritates quas ad hunc ſenſum adducunt adverſarii, ſcilicet quod præcepta antiquæ legis non ſint evacuata, dicendo quod præcepta dupliciter dicuntur; uno modo quoad ſignatum, alio vero modo quoad ſignum: & quod uno modo talia præcepta ſunt perpetua, & alio modo non ſunt perpetua, ſed evacuata: & hac diſtinctione evacuantur argumenta adverſariorum. Quantum vero ad verba Chriſti, videlicet, *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*, quod ita intelligenda erant, ſicut exponit Auguſtinus, ſcilicet, in meliorem formam reducere: & quod lex evacuata eſt ſecundum carnem, & quod manet ſecundum ſpiritum, ſicut declarat Paulus ad Galatas & ad Hebræos; & ſic probata eſt major propoſitio. Pro probatione autem minoris, videlicet quod præcepta prohibita Levit. 18. non dependent a lege naturæ, hoc modo probavit: quia lex naturæ tantum unum gradum prohibet, ſcilicet illam lineam rectam inter matrem & filios, & inter patrem & filios. Præ-

terea lex naturæ non prohibebat in ſcriptis; ergo præcepta illa Levit. 18. non dependent a lege naturæ. Neque obſtare id quod dicunt adverſarii, quod per illa verba: *Et ego Dominus, &c.* expreſſe habeatur, quod talia præcepta prohibita ſunt de jure divino & ſecundum legem naturæ; quoniam Levit. 19. explicantur, & prohibentur quædam præcepta ceremonialia; & tamen in fine illius capitis poſita ſunt eadem verba, *Ego Dominus, &c.* Quæ præcepta ceremonialia certum eſt quod non ſunt ſecundum naturam; ſed propter hanc rationem Deus inter præcepta ceremonialia & judicialia poſuit & miſcuit quædam præcepta ſecundum naturam, quia a Judæis fere oblita erant talia præcepta. Ut igitur Deus reduceret ipſos Judæos ad præcepta ſecundum naturam, admiſcuit ea cum ceremonialibus & judicialibus. Item, hoc fecit Deus, ne Judæi crederent, accipiendo præcepta ceremonialia & judicialia, ſe eſſe liberos a præceptis legis naturæ. Adduxit etiam aliud argumentum, quo probavit quod gradus illi ſeu præcepta illa Levit. 18. non erant obſervanda, videlicet, ſi oporteret obſervare præcepta illa, ergo pari ratione obſervare deberemus ſinguia alia præcepta legis Moſaïcæ; & ratio eſt, quia qui unum accipit, neceſſe eſt ut alia accipiat, ſectante hoc divo Paulo ad Galatas 5. Sed cum alia præcepta legis Moſaïcæ obſervanda non ſint, ergo neque illa quæ Levit. 18. habentur, obſervanda ſunt: & quod non obſtat id quod dicunt adverſarii, videlicet quod licet alia præcepta non ſint obſervanda, quod illa quæ Levit. 18. habentur, obſervare debemus, cum alia præcepta habeant quamdam honeſtatem erga religionem Chriſtianam. Reſpondit quod alia præcepta moralia habent aliquam honeſtatem erga Chriſtianam religionem, & dedit exemplum de barba tondenda, quæ fidei conſtantiam ſignificat; & idem dixit de multis aliis. Probavit etiam quod hoc præceptum eſt morale & figurale videri, prohibere conjugium inter conſanguineos; & quod ſit figurale patet, quia figura fuit conjunctionis Chriſti cum eccleſia, id eſt cum gentibus alienigenis: & ideo cum fuerit præceptum figurale, evacuatum eſt; & pro confirmatione hujus veritatis adduxit canonem 31. quæſt. 1. *Cum igitur.* Dixit etiam quod quidam dixerunt, præceptum hoc obſervandum eſſe propter ſui antiquitatem. Reſpondit quod hæc non erat bona ratio, cum idem poſſit dici de omnibus aliis antiquis ritibus. Declaravit etiam quod ſecundum evangelium duo tantum gradus ſunt prohibiti, teſte Johanne contra Herodem, & divo Paulo ad Corinth. & concluſit quod prohibitio talium graduum pertinebat ad eccleſiam, inſpirante & docente ipſam Spiritu-ſancto. Declaravit etiam quod tales gradus prohibiti ſunt propter honeſtatem matrimonii, ad hoc ut utantur matrimonio cum timore Domini ad educandam prolem, dando exemplum de Tobia, ad quem dixit angelus, quod dæmonium habet poteſtatem ſuper eos qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe & ſua mente excludant, & ſuæ libidini vacent. Et quia inter conſanguineos propter carnale deſiderium & libidinem contrahuntur matrimonia: ideo prohibita ſunt inter ipſos, ſicut declarat Auguſtinus lib. xv. de civitate Dei cap xvi. Neque valere id quod quidam dicunt, videlicet quod cum matrimonium contrahatur propter amicitiam faciendam, quod non erat negandum inter conſanguineos, dixit quod diverſa eſt amicitia conjugum ab amicitia conſanguineorum, & ideo non valebat conſequentia. Propterea cum conjugia ſint ad dilatandam amicitiam, ideo non erant neceſſaria inter affines; & quod matrimonium inter alienigenas & non conſanguineos contrahendum ſit, & hoc haberi poſſit: quod conjunctionem Chriſti ſignificat cum eccleſia. Primo enim Chriſtus conjunctus eſt cum affinibus & conſanguineis. Poſtea illis repudiatis, eccleſiam ex alienigenis ſanctificavit, eique ſe conjunxit, & hoc confirmavit conciliorum decretis & pontificum canonibus. Declaravit etiam quod Fabianus papa prohibuit uſque ad tertium gradum; Calixtus autem & Julius in canone de affinitate, & multis aliis canonibus prohibuerunt uſque ad ſeptimum gradum: & quod in concilio magno Romano redacti ſunt uſque ad quartum gradum. Et in hoc propoſito dixit quod adverſarii propter hoc reprehenderunt eccleſiam noſtram, cum modo deſtruat, & modo conſtituat. Et in hac diſcuſſione demonſtravit inconſtantiam magnam hæreticorum, idem affirmantium & negantium, declarando quod eccleſia non eſt varia: immo ſi hoc eſſet, etiam Deus eſſet mutabilis, & ſimiliter apoſtoli, qui multa fecerunt, quæ poſtea revocaverunt; ſed quod temporum diverſitas varios requirit modos; & quod Calixtus de hac re plenam dedit rationem.

Reſpondit etiam ad argumenta adverſariorum, qui ut probent quod præcepta illa ſint de jure divino, ita dicunt: Non eſt credendum quod Deus non ſtatuerit & ordinaverit hujuſmodi gradus, ſed cum nulla habeatur divina lex, niſi illa quæ habetur Levit. 18. ideo non eſt negandum quod non ſit de jure divino. Dixit quod divina præcepta dicuntur multis modis, uno modo tamquam ordinata immediate a Deo; alio modo non ſimpliciter & immediate, ſed mediate, videlicet a papa vel ab eccleſia, tamquam a Deo approbante & conſulente. Et hoc modo non deerant talia præcepta, & in hoc propoſito declaravit, quod inſtitutio papæ, & ejus poteſtas erat a Deo immediate, & ſimiliter dixit de ſecundis eccleſiaſticis poteſtatibus, vi-

delicet de epiſcopis; & quod aliæ poteſtates A
ſæculares non erant immediate a Deo, ſed
mediate. Declaravit etiam qua ratione ma-
gis obligat unus gradus quam alius; & dixit
quod ſecundum quod gradus magis accedit
ad legis datorem, vel ad legem naturæ, eo
magis obligat. Et quia primus gradus magis
accedit, & proximior eſt legi naturæ, ideo
magis obligat. Examinavit etiam an gradus
Levit. 18. diſpenſari poſſint. Et dixit quod
duplex eſt diſpenſatio, uno modo quod ſi-
gnificat idem quod jus relaxari; alio modo,
ut ſignificat id videlicet jus interpretari ſive
declarari; & quod hoc ſecundo modo prop-
ter neceſſitatem papa poteſt diſpenſare. De- B
claravit etiam quod duplex eſt jus divinum,
videlicet ſcriptum & traditum, & quod jus
divinum ſcriptum indiſpenſabile eſt; ſed jus
divinum traditum eſt diſpenſabile. Et decla-
ravit hoc quia Chriſtus pro honeſtando ma-
trimonio neceſſe fuit prohibere gradus Le-
vit. 18. Reſpondit etiam ad argumentum,
quod fit de diſpenſandis votis monachorum,
dicendo quod duplex eſt bonum, ſpirituale &
civile, & quod bonum voti eſt bonum ſpi-
rituale: ita quod aliud bonum publicum eſt
bonum civile. Ergo pro bono civili tollen-
dum non erat bonum ſpirituale. Declaravit C
etiam, quod hoc præceptum eſt magis mo-
rale, quam figurale; alia vero magis figuralia.
Dixit etiam quod non obſtat exemplum
Abrahæ prohibentis Jacob, ne duceret in
uxores alienigenas, dicens hoc prohibitum
fuiſſe propter timorem idolatriæ; & ſimiliter
ad aliud præceptum, videlicet quod non du-
cerent niſi mulieres de eadem tribu: dixit-
que quod non eſt inconveniens dicere, quod
in eadem tribu obſervaretur uſque ad quar-
tum gradum. De ſecundo articulo, videlicet
an cauſæ matrimonii pertineant ad principes
ſæculares, adduxit eamdem diſtinctionem,
quæ a multis aliis adducta eſt, videlicet quod
duo conſiderantur in matrimonio, contra- D
ctus & ſacramentum, & in hoc propoſito
dixit quod non ſibi placebat ratio, quæ pro-
ducta fuit a quibuſdam, ad probandum quod
matrimonium clandeſtinum ſit ſacramen-
tum. Quæ ratio talis eſt. Ad eccleſiam non
pertinent niſi ea quæ habent in ſe aliquid
ſupernaturale, & quod cum matrimonium
clandeſtinum pertineat ad principes eccle-
ſiaſticos, dicendum erat, quod tale matri-
monium haberet in ſe aliquid ſupernaturale,
& ſic quod eſt ſacramentum: & ideo dixit E
quod ſibi non placebat iſta ratio, ex eo quod
concludebat quod tantum ſacramentorum
cauſæ pertinebant ad eccleſiam, quæ ſunt
contra præcepta divina. Et confirmavit hoc
cum ſententia apoſtolorum Actorum XIII.
Adduxit etiam ſententiam Deuteronomii,
ubi expreſſe habetur, quod omnes cauſæ ar-
duæ & difficiles volvebantur ad ſummum
ſacerdotem. Et hoc idem probavit verbis
Pauli ad Cor. 1. cap. 5. Adduxit etiam ver-
ba illa evangelii: *Ecce duo gladii hic*, videli-
cet unus in eccleſia, & alius pro eccleſia
id eſt quod principes debent adjuvare eccle-
ſiam. Dixit etiam quod poſſunt ab eccleſia
recipi ceremoniæ gentilium & adaptari cul-
tui divino. Declaravit etiam quod impo-
tentia naturalis dirimit matrimonium, non
autem imporentia temporalis. Declaravit
quoque quod omnis ignorantia dirimit ma-
trimonium, & dedit exemplum de Lia, di-
cendo quod per actum voluntarium, poſt
primum factum fuit matrimonium, & quod
non fuit fornicatio. Declaravit etiam quæ
& qualis ignorantia dirimit matrimonium,
& adduxit multa exempla.

Die XX. Martii. Non decro umquam hic apponere quaſdam litteras invictiſſimi Cæſaris FERDINANDI ad ſummum pontificem, quæ mihi a quodam familiari meo traditæ fuerunt: at prius quomodo earum exemplar ad manus noſtras pervenerit recenſere neceſſe eſt.

Superioribus diebus cum ex *Spruch* rediiſſet in hanc civitatem reverendiſſimus epiſcopus Quinqueccleſienſis, orator in concilio invictiſſimi imperatoris pro regno Hungariæ, tuliſſetque litteras ſuæ majeſtatis ad illuſtriſſimum cardinalem de Lotharingia credentiales, in quibus ſcriptum erat, quod litteræ quas ſcribebat ad ſummum pontificem, eidem & legerentur & oſtenderentur. Quod ut factum eſt, poſtremo datæ fuerunt illuſtriſſimis legatis, ut eas Romam tranſmitterent ad ſuam beatitudinem; quæ ſunt hujuſmodi.

Litteræ Ferdinandi Cæſaris ad ſummum pontificem.

Beatiſſime pater, cum proxime præteritis diebus, &c. *editæ apud Raynaldum.*

Die lunæ XXII. Martii hora XIV. in congregatione generali theologi minores compleverunt profetre eorum vota circa ſacramentum matrimonii, & hora XVI. dimiſſi ſunt patres & alii.

Die Martis ejuſdem hora XV. diſceſſit Tridento Venetias & Ferrariam verſus, cimba vectus per Atheſim fluvium illuſtriſſimus cardinalis a Lotharingia, una cum tota ejus familia atque aliquot epiſcopis Gallis, non rediturus amplius, ut aiunt, ad concilium.

A die XXIII. Martii uſque ad hunc præſentem diem X. Aprilis, quæ eſt dies ſabbati ſancti, nihil occurrit lectu dignum quod publice ſciatur circa negotia concilii cauſa? Nam congregationes publicæ nullæ factæ ſunt. Plurimi patrum Tridento diſceſſerunt, alii ad unam, alii ad aliam partem, aliqui redituri, aliqui non, tædio rerum conſumti, quod in concilio tam generali, ubi tot tantique viri convenere, nihil omnino fiat. Nil interim ab iſtis patribus qui hinc non abierunt, quorum omnium in concilio exiſtentium, qui

sunt usque tunc ducenti & quinquaginta, tertia pars vix existat, curatum est præter salutem animæ tam domi quam in ecclesiis.

Cardinalis Moronus & cæt. Navagero sufficiuntur in locum Mantuani & Seripandi.

Magna sane lætitia expectat universum concilium illustrissimos præsidentes sacro-sanctæ synodi de novo creatos a SS. D. N. PIO IV. pont. max. videlicet illustrissimos cardinales MORONUM Mediolanensem, & NAVAGERUM Venetum, suffectos in locum illustrissimorum cardinalium Mantuani & Seripandi mortuorum.

Per totam hanc hebdomadam sanctam celebrata fuerunt sacra officia prout in præterito anno MDLXII.

Cardinalis Moroni primi nunc præsidentis in concilio Tridentino adventus Tridentum.

Hodie hora XXII. quæ est dies sabbati sancti, pervenit Tridentum illustrissimus & reverendissimus cardinalis MORONUS legatus, & primus præsidens in concilio Tridentino; cui ex more obviarunt quotquot erant in civitate, tam oratores, quam patres, atque curiales. Cumque pervenissent ad portam S. Crucis, illustrissimus D. legatus mula insidens intravit in urbem sub baldachino rubeo sericeo, gesto a quatuor ductoribus ejusdem loci; quem subsequebantur illustrissimi legati Varmiensis & Simonetta, atque Madruccius cardinalis, necnon DD. oratores, & reverendissimi patres usque ad cathedralem ecclesiam S. Vigilii, ubi fusis precibus, & habitis ceremoniis, discesserunt omnes, atque ipse ad palatium, in quo quondam illustrissimus Mantuanus habitabat, propriis pedibus profectus est. Itaque resalutatis illustrissimis legatis & cardinali Madruccio, illustribus oratoribus, & reverendissimis patribus, in aulam superiorem ascendit.

Dies sanctissimus Paschatis resurrectionis domini nostri JESU CHRISTI.

Die dominica XI. Aprilis illustrissimi DD. legati & cardinalis Madruccius una cum D. D. oratoribus & reverendissimis patribus, convenere in cathedrali ecclesia S. Vigilii, in qua solemniter summam missam celebravit illustrissimus MORONUS primus præsidens; qua finita, & ab eodem data benedictione, cum consuetis indulgentiis, quisque domum suam rediit.

Idem factum est die XII. & die XIII. ejusdem, non ab eodem *illustrissimo* legato, sed a reverendissimus patribus.

Auctor operis laborat podagra.

Anteactis mensibus cum ego Torellus essem Romæ, quidam me morbus invasit in calcaneis amborum pedum, quo claudicans, fere incedere non poteram, & magno me multoties dolore angebat; quo postmodum remittente, Tridentum veni, ubi eodem sæpius sum morbo vexatus, & præcipue hoc eodem die sanctissimi paschatis Resurrectionis. nam cum summo mane surgere vellem, (minister namque eram futurus in celebratione missæ reverendissimi D. episcopi Tesini secretarii concilii, erat enim herus meus,) sensi me eodem & longe majori pedum dolore detineri, quam umquam antea. surrexi tamen maxime claudicans, vixque adaperui fenestras cubiculi mei. ut vidi pedem dextrum in tumorem versum, præsertimque ipsius pedis pollicem: cumque stare *non possem, meliuscule quam mihi licuit in* lectum redii, in quo adhibitis mihi medicis, qui statim podagram esse asseverarunt, adhuc sum, qui dies est XXII. Aprilis, maximo cum dolore & angustia: nam de dextro in sinistrum pedem clanculum peragrando, & nihil intentatum relinquendo, me totum angit & perdit. Hoc autem huic meo operi inserere volui; nam ut cetera, etiam hoc actum est Tridenti, universam culpam injiciens tum cœlo hujus regionis, tum vino quod suavissimum est.

Adventus Tridentum oratoris regis Hispaniarum.

Die XII. ejusdem, hora XXII. publice ingressus est Tridentum illustris comes de Luna Hispanus, de novo orator creatus ad sacrosanctum hoc concilium sereniſſimi PHILIPPI regis Hispaniarum catholici, cui obviarunt & in urbem comitati sunt universi oratores & patres quotquot aderant, tam Hispani & Galli, quam etiam Itali, usque ad ædes suas, ubi resalutatis omnibus, quisque rediit ad propria.

Illustrissimus cardinalis Moronus admittitur in congregatione generali.

Die Martis XIII. ejusdem mensis Aprilis, fuit congregatio generalis patrum in loco consueto, in quo illustrissimus cardinalis MORONUS legatus & primus præsidens patribus præsentavit breve & alia, per quæ constabat eumdem suffectum esse in locum illustrissimi Mantuani, pro præsidente sacrosancti concilii Tridentini a PIO IV. pontifice maximo. quibus omnibus a D. secretario lectis, *illustrissimus D.* præsidens habuit ad patres hujusmodi orationem.

Oratio illustrissimi præsidentis Moroni ad patres.

Quo in statu sit republica Christiana, &c. *edita apud Labbeum tom. 14. p. 1598.*

Quibus completis, peractisque ceremoniis, congregatio dimissa est.

Conventum in Gallia catholici cum hugonottis.

Sanctissimis diebus his, ex certo nuntio ex Gallia auditum est, regem Christianissimum cum suis catholicis convenisse cum Hugonottis, pactionibus revera pro Christianis non admodum æquis & pro tanto regno. Proh dolor! sic se habet res hujus sæculi * olim Christianissimi; Deusque ipse faciat ne ad deteriora perveniatur.

* *f.* regni.

Cardinalis Moronus legatus vadit ad Ferdinandum Cæsarem.

Die Veneris XVI. Aprilis post prandium dicessit Tridento illustrissimus MORONUS legatus *Spruch* versus ad FERDINANDUM Cæsa-

rem, peragendi causa mandata, quæ habuerat Romæ a summo pontifice in suo discessu, atque in primis, ut inter reverendissimos patres & ceteros rumor est, ut hinc sacrosanctum hoc concilium transferatur Bononiam, aut ad aliam civitatem commodiorem.

Die Martis xx. Aprilis rediit Tridentum ex Venetiis illustrissimus cardinalis a Lotharingia cum aliquibus episcopis Gallis.

Prorogatio octava septimæ sessionis.

Die Mercurii x x i. ejusdem, hora xi. fuit congregatio generalis, in qua post lectam ad invocandum Spiritus-sancti numen orationem consuetam, illustrissimus dominus cardinalis Varmiensis Polonus legatus, & nunc primus præsidens, patres allocutus est in hanc sententiam.

Verba cardinalis Varmiensis super prorogatione jam octies septimæ sessionis.

Quare sessio haberi non poterit, dominationes vestræ sciunt, tum inter cetera, quod hoc tempore orbati sumus duobus præstantissimis viris legatis, quorum pietas, prudentia, & caritas universo orbi perspecta est, quare coacti sumus cogitare de die prorogationis sessionis. Cogitabamus non longum neque breve tempus statuere, & illud commodum videtur nobis, feria quinta post festum pentecostes. Faxit Deus, ut eo tempore nos simus divina pietate concordes.

Ut primum verba sua complevit illustrissimus legatus, statim cardinalis a Lotharingia dixit: Si mihi respondendum esset placet, ne dies propositus, dicerem illum diem mihi placere, sed nostrum non est dicere, ut dies illa placeat, sed an ea die facere possimus quod intendimus. Quare dies quidem propositus placet; sed videndum est, ut non in id ipsum revertamur, ne videantur res fortuna non ratione metiri. Quare melius erit, si expectaverimus illustrissimos Moronum & Navagerum, qui prope diem huc aderunt. Ideo prorogari potest ad viginti dies, tumque eodem die de sessionis die deliberabimus, ut ipsi iidem legati etiam sententias nostras audiant. Interim vero poterit nobis exhiberi, quod per deputatos actum est, ut cogitare possimus, antequam nostras dicamus sententias.

Et hoc ab omnibus approbatum fuit, atque dimissa synodus.

Adventus Tridentum illustrissimi legati cardinalis Navageri Veneti.

Die xxvii. Aprilis circiter horam noctis pervenit Tridentum illustrissimus cardinalis Navagerus Venetus, unus ex præsidentibus sacrosancti concilii Tridentini, absque ulla pompa illustrium oratorum & reverendissimorum patrum, prout moris est, sed solum modo propria sua familia comitatus, atque ea pauca; & in eadem domo hospitatus est, ubi olim hospitabatur illustrissimus Seripandus demortuus.

Die xix. ejusdem exhibiti sunt a reverendissimis deputatis reverendissimis patribus infra scripti canones examinandi super abusibus sanctissimi sacramenti ordinis.

Canones super abusibus sacramenti ordinis examinandi a reverendissimis patribus.

I. Quid observandum circa promovendos ad cathedrales ecclesias.

Ut ea quæ alias in hac sancta synodo de ætate, moribus, litterarum scientia episcoporum statuta sunt majori cum fructu executioni demandentur, & summus pontifex de promovendorum qualitatibus magis certus, securuis valeat providere, statuit sancta synodus, ut quicumque ecclesiis cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus, primatialibus a summo pontifice, quovis titulo vel nomine præficiendi, quorum notitia aut nulla aut recens in curia fuerit, propter institutionem quæ de his in partibus a sedis apostolicæ legatis seu nunciis habenda erit, in primis coram archiepiscopo vel episcopo seniori comprovinciali omnibus illis qualitatibus, quæ a sancta synodo, & alias in eis requiruntur, se præditos esse probare omnino teneantur. Ut autem hoc facilius fieri possit, mandat sancta synodus, ut archiepiscopus, vel eo absente seu impedito, seu si ecclesiæ metropolitanæ sit providendum, episcopus comprovincialis senior vel vicinior, quando ecclesia vacans metropolitanum non habet, ut sedis apostolicæ delegati, a promovendo requisiti, litteris suis capitulo ecclesiæ viduatæ committat, ut nomen, cognomen, patriam ejus qui præficiendus est prima dominica in cathedrali ecclesia, ac omnibus parochialibus ecclesiis civitatis, & insignibus diœcesis ex sugestu denunciandum curet, edictaque in valvis ecclesiæ majoris & aliarum, si expedire videbitur, insignium ecclesiarum affigi, ibique per quindecim dies continuos sequentes affixa teneri studeat, quibus non modo moneantur abbates & archipresbyteri, qui sunt in diœcesi, ut eo qui præscribitur die examini intersint, sed etiam tam ipsi quam populus, omnium quæ peragenda sunt, plenissime instruatur, ut omnes, si quid habent adversus ipsum promovendum, ipsi archiepiscopo seu episcopis libere patefaciant. Die præscripto archiepiscopus ipse vel episcopus comprovincialis senior ad ecclesiam vacantem omnino veniat, duos ad minus comprovinciales episcopos, qui in virtute sanctæ obedientiæ ire teneantur, secum habens, aliis & reliquis comprovincialibus, si opus fuerit, per archiepiscopum seu episcopum invitandis. Ibi archiepiscopus seu episcopus senior apostolicæ sedis nomine, in capitulo legitime congregato, vocatisque monasteriorum collegiatarumque non tam civitatis quam diœcesis prælatis, parochiarumque civitatis curatis, designatum episcopum, postquam de eo quæ jam cognoscere potuerit, fuerit prolocutus,

capitulo & clero præsentet. qui delignatus, A oratione ad archiepiscopum & episcopos & clerum habita, episcopi proprii, & ejus apud quem tunc morabatur, seu si regularis sit, suæ religionis superioris testimoniales litteras de vita, moribus, ætate & natalibus proferet. Testes etiam graves ac omni exceptione majores, de omnibus plene instructos examinandos curabit, ordinum sacrorum quos jam susceperit, & gradus doctoratus aut licentiatus in sacra theologia vel jure canonico litteras, aut publicum alicujus academiæ testimonium, seu si regularis fuerit, authenticam præfati suæ religionis superioris fidem, B quo idoneus ad alios docendos ostendatur, exhibebit. Quæ ubi fecerit, exeat; & tunc his omnibus ab archiepiscopo, episcopis, capitulo diligenter discussis, designatus revocetur, & ab eisdem examinetur, & alio die in capitulo ab archiepiscopo, episcopis & clero verbum Dei prædicans audiatur, aut publice, ubi magis expedire videbitur; & finita prædicatione, professionem fidei faciat, quam manu propria signatam archiepiscopo offerat. Si quis autem aliquid adversum ipsum promovendum velit objicere, coram archiepiscopo & episcopis id faciet. Nemo tamen admittatur ad objiciendum, qui de C fide suspectus fuerit, & qui fidei professionem juxta formulam infra scriptam non fecerit. archiepiscopus autem vel episcopus & alii comprovinciales episcopi vocati, communicato consilio cum capitulo de eo quod ipsi de promovendo sentiant, ac de omnibus his quæ ibi habita erunt, instrumentum publicum conficiendum, illudque authenticum ipsius archiepiscopi seu episcopi & duorum comprovincialium manu obsignatum, necnon ipsorum & capituli sigillo munitum, ad sanctissimum dominum nostrum quamprimum mittendum studeant, & fideliter suæ sanctitati renuncient; qui dictum instrumentum & litteras ab eo qui proponet in consistorio publice legendum mandabit, ut ipse prout gregis dominici commodo magis expedire videbitur, possit providere privilegiis, concordiis, tractatibus etiam juramento firmatis, & indultis sub quacumque verborum forma conceptis, quovis modo & quavis auctoritate approbatis, & aliis quibuslibet in contrarium facientibus, etiamsi eorum mentio individue esset habenda, quorum omnium & singulorum tenores pro expressis haberi vult, non obstantibus quibuscumque. In ec- E clesiis in quibus statutum, privilegium aut alia quævis concessio seu consuetudo viget, ut nullus nisi de gremio dictæ ecclesiæ eligatur episcopus, decrevit sancta synodus, ut in dictis ecclesiis nemo in posterum etiam de gremio eligi possit, qui studiorum magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia vel jure cononico non existat, aut publicæ alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios edocendos non ostendatur, privilegiis, statutis, concessionibus, & consuetudine immemorabili quibuscumque non obstantibus.

I I. Multorum, qui in episcopos promoti sunt, ea sæpe negligentia deprehenditur, ut intra legitimum tempus consecrari omittendo, variisque artibus prorogationes extorquendo, interim debito commissum sibi populum ministerio fraudare non verentur. Quapropter cum alias sub JULIO III. felicis recordationis statutum fuerit, ne cui prorogationes ultra sex menses suffragarentur; sancta synodus declarat, eas non nisi ex magna & urgenti causa ad dictos sex menses & semel tantum concedi debere: dictoque tempore elapso, suos fructus non facere, collationes beneficiorum ab eis quomolibet factas irritas esse, atque ipso jure absque alia monitione ecclesiastica privatum esse. Consecratio vero si extra Romanam curiam erit facienda, tunc in ecclesia ad quam promotus fuerit, si in ejus diœcesi, peragatur: quod si necessitas aliqua id non patiatur, saltem intra provinciam celebretur.

III. Quanta cura manus impositionem fieri oporteat, docet apostolus dicens: *Nemini cito manus imposueris.* A qua lege cum longe discessum fuerit, dum episcopi ordinandi curam clericos præcipue suæ fidei commissos per alios episcopos exercere procurant, qui non quæ JESU CHRISTI, sed mercenariorum more, quæ suæ sunt quærentes, indignos promovendo, plura mala quæ nunc sentimus, in ecclesia introduxerunt. Idcirco sancta synodus statuit, ne episcopi aliena in his suffraganeorum aut aliorum quorumcumque episcoporum opera utantur; sed sacros ordines per seipsos conferant, nisi aut gravi morbo aut alia necessitate fuerint impediti.

Ordines sacros per plurium episcopum non per suffraganeum conferendos.

D IV. Quia hactenus compertum est, ecclesiis præsidio facultatum clero & populo Christiano carentibus præfici multos, qui nec prodesse, ut expediret; nec præesse, ut deceret, valentes, instabilitate vagationis & mendicitatis opprobrio serenitatem pontificalis ob nubilant dignitatis, ac intolerabiles abusus & scandala circa functiones episcopales, non sine episcopalis dignitatis dedecore passim introducunt, dum unicum lucrum sibi proponunt; sancta synodus declarat hujusmodi episcopos in posterum non esse ordinandos, nisi urgens & gravis necessitas, aut ejusdem ecclesiæ utilitas id exposcat: quod cum contigerit, tunc congrua & competens portio auctoritate sedis apostolicæ perpetuo assignetur, unde honeste & pro dignitate vivere queant.

De episcopis clero & populo Christiano carentibus non nisi ex gravissima causa ordinandis.

V. Et quoniam oportet ordinandos bonum ab iis qui foris sunt habere testimonium; qui promovendi erunt ad quatuor minores, illud a proprio parocho, vel a ludimagistro afferant: ubi vero ad sacros subdiaconatus,

Quale testimonium pro initiandis ordinibus asferendum.

diaconatus vel presbyteratus ordines iidem ipsi erunt promovendi, ni mensem integrum atque (a) ad episcopum profectiscantur, desiderium suum plebano significent, & prima postea sequente dominica de ea re populus ex suggesto inter missarum solemnia admoneatur, lectis ordinandorum nominibus, cognominibus & ætate, & per tres alias sequentes dominicas id omnino non tantum repetatur, sed & programmata ecclesiæ valvis affigantur, & qui volent dicant, si quid habent contra ordinandos, quod episcopos scire velint. His autem peractis, testimoniales describantur litteræ, in quibus curatus, & cum eo quatuor seniores presbyteri, si sint, ac quatuor ex præcipuis parochianis jurati, de moribus, natalibus, qualitate, ac ætate ordinandi testimonium perhibeant.

Quanto tempore spatio ante ordinum perceptionem initiandi se præsentare debeant.

VI. Promovendi die Mercurii proxime præcedente diem sabbatum, quo ex more ecclesiastico ordinationes fieri solent, se præsentent episcopo suo, qui eos examinet, adjunctis sibi & ascitis in hoc munere disquisitionis peragendæ archidiaconis, & aliquot theologis, aut aliis ex reliquo clero civitatis suæ selectis viris. Nomina igitur item promovendorum valvis ecclesiæ suæ cathedralis novis programmatis affigi curabit, præscripto die omnibus, qui eum de iis voluerint admonere. In eo autem examine, primum inquirat de fide, quam tenent ordinandi, deinde de vita, moribus, de doctrina eorum, ut ex his omnibus colligere possit an sint admittendi: qui si minus, saltem illud ad quod ordinari petunt, non intellexerint exacte, aut serio exercere noluerint, indigni sunt censendi, qui admittantur; si quidem maxime indecorum esset, eos etiam ad minores promoveri, qui non satis intelligunt quid agatur, aut quid clerici & reliqua minorum ordinum nomina significent.

Quando & a quibus ordinationes celebrandæ.

VII. Ordinationes posthac numquam extra tempus a jure statutum ullæ fiant, & non nisi jejunio præcedente, & sic in civitate in cathedrali ecclesia, præsentibus vocatisque ad id canonicis ecclesiæ quantumvis exemtis, publice celebrentur. Si autem in alio per diœcesim loco, præsente clero loci, & ad id exequendum dignior, quantum fieri potest, ecclesia semper adeatur. Unusquisque autem *a proprio episcopo ordinetur*, quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam in Romana curia, si saltem triennio ibi non sit commoratus, cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii, seu licentiæ prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas aut mores ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum sit suspensus, & ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire. Episcopo tamen, ut prima tonsura familiarem suum non sibi subditum possit insignire, si beneficium ecclesiasticum in sua diœcesi reipsa illi conferatur, sine aliquo ordinarii testimonio declaratur esse permissum. Cum his autem, qui contra formam litterarum in fraudem se ab alio obtinuerint promoveri, nullo modo, nisi ex gravissima causa dispensetur. Et tunc ih litteris subintelligatur semper clausula, *eo arbitrio sui ordinarii suspensa*.

De litteris commendatitiis & dimissoriis.

VIII. Non liceat in posterum capitulis, collegiis, abbatibus, quantumlibet exemtis, aliisque personis quibus est concessum pontificalia exercendi privilegium, si in diœcesi aut intra diœcesim esse dignoscitur, ordinate, aut commendatitias seu dimissorias litteras clericis sæcularibus concedere. Sede autem vacante, ut de capitulo sancta synodus statuit, ita nec ullus alius in quavis dignitate & administratione constitutus, qui in jurisdictione episcopi loco capituli succederet, litteras dimissorias posthac concedat, nisi solis iis qui ex necessaria suscepti beneficii causa intra certum tempus coguntur promoveri, privilegiis quibuscumque, ac quavis consuetudine etiam immemorabili nullo modo obstantibus. Ubi autem aliqua justa causa suadente contigerit, ut *superiores suis subditis* litteras concedant, ut ab alio possint promoveri, idem testimonium, ac alia quæ in collatione ordinum desiderantur, in ipsarum litterarum concessione requirantur.

De ætate & qualitate clericali ordinandorum.

IX. Eorum qui se clericali militiæ petunt ascribi, propositum diligenter antea convenit explorare, iisque tantum ad sancta hæc ministeria aditum aperire, qui jam legere norint, & quos probabilis sit conjectura, non commodi sui causa, nec sæcularis judicii fugiendi fraude, *sed ut Deo fidelem cultum in timore & innocentia præstent*, hoc vitæ genus elegisse. In anno autem XIV. & ex legitimo matrimonio nati sint, quique prius confirmationis sacramentum susceperint, de ejus institutione & effectu ita docti, ut in ejus susceptione prima fidei fundamenta proficeantur, eaque in primis quæ in sacramento baptismi ex eorum nomine patrini spoponderunt. Hi autem dum ætas patitur, quantum fieri poterit, præceptoribus instituendi in gymnasiis & scholis ad id institutis tradantur. Lineis vestibus utantur in ecclesia, in qua serviant cum divina celebrantur officia, admoneanturque quantum eos in majoribus & solemnioribus anni festivitatibus sacratissimum eucharistiæ sacramentum devote suscipere conveniret, atque ita in sancta religione & in omni pietate ac bonarum artium studio instituantur & exerceantur, ut majori posthac ecclesiæ commodo illis ad ulteriora conscendere sit facilius. Habitum & tonsuram juxta præscriptum episcopi pro regionis more deferant: quod si etiam generaliter in synodo

(a) Forte legendum *ante mensem integrum, quam ad episcopum profectiscantur.*

synodo admoniti id facere recusaverint, nullo gaudeant privilegio clericali; si fuerint conjugati, constitutio Bonifacii VIII. de illis edita observetur, consuetudine quavis etiam immemorabili in contrarium non obstante. Quod si autem ab *his crimen aliquod animo* deliberato committi contigerit, si constiterit eos a sex mensibus tantum habitum & tonsuram detulisse, id factum in fraudem causa evitandi fori præsumatur, & propterea si ante dictos sex menses clerici erant ordinati, privilegio fori minime potiantur.

Neminem absolute ordinandum.

X. Cum, divino Clemente testante, sit melius paucos habere ministros, qui digne possint *commissum sibi munus exercere*, quam multos inutiles ecclesiæ & ordinatori graves, providendum esse sacra synodus censet super effrenato sacerdotum numero, quos hodie turba contemtibiles reddit; ira tamen ut non propterea cultus imminuatur divinus. Proinde ut ea quæ jam in eadem synodo sancte & salubriter sancita sunt, majori cum fructu exsecutioni demandentur; statuit canonem sextum concilii Chalcedonensis, aliqua ex parte innovando, ut ordinatis etiam ad titulum patrimonii certa ab episcopo adscribatur ecclesia, in qua possint fungi suis muneribus, ne cum ordines susceperint ecclesiasticos, incertis vagentur sedibus. Quod si locum inconsulto episcopo deseruerint, iis sacrorum operatione & exercitio interdicatur, nec ab ullo episcopo absque litteris commendatitiis recipiantur.

XI. Clerici cum ætatis erunt legitimæ, & ita profecerint, ut saltem latinam linguam intelligant, & prima in religione Christiana jecerint fundamenta, ad quatuor minores ordines ascendant, qui iis non eodem contextu, sed gradatim per temporum interstitia, nisi aliud episcopo magis expedire videatur, conferantur, ut eo accuratius quantum sit hujus disciplinæ pondus possint instrui, ac in unoquoque munere se exerceant, juxta ea quæ ab episcopis in eorum ordinatione illis injunguntur; idque in ea cui adscripti erunt & nomen dederunt ecclesia, nisi forte causa studiorum absint; atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate doctrina major ac pietas excrescat: quod & morum exemplaritas, assiduum in ecclesia ministerium, & crebrior quam antea corporis Christi communio eis certo temporis intervallo assignanda, maxime probabunt. Presbyteris autem subdantur, & illos ut patres honorent. Cumque hinc ad altiores gradus & sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes, majoribus & sacris dignum ostendat. Et propterea scholas & gymnasia, quantum fieri poterit, non deserant: hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut ecclesiæ utilitas aliud exposcat.

A Sciat autem ostiarius etiam sui muneris esse, observando quæ sit in domo Dei conversatio, curare ne deambulatio, risus, colloquia otiosa in ecclesia fiant.

De ætate ordinandorum.

XII. Generalem ecclesiæ observantiam, *quæ ad ætatem ordinandorum spectat*, sancta synodus retinens, & inhærens constitutioni Clementis V. in concilio Viennensi, decernit ut possit quis libere in XVIII. anno ad subdiaconatus, in XX. ad diaconatus, & in XXV. ætatis suæ anno ad presbyteratus ordines promoveri. Sciant tamen episcopi non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos sacros ordines promovere, sed eos dumtaxat quorum *immaculata vita* senectus sit, & quibus cetera quæ canones diligenter exigunt non desint, nempe litterarum scientia & fidei ac morum integritas. Quod quidem decretum etiam locum habere vult sancta synodus in promovendis regularibus & monachis cujuscumque ordinis, quos nec in minori ætate, nec sine diligentiori quam hactenus fieri consuevit examine ordinari convenit; privilegiis eorum, quibus hac in parte derogatum sit, non obstantibus quibuscumque, nisi aliud suadeat evidens ecclesiæ utilitas aut necessitas.

De subdiaconis & diaconis.

XIII. Subdiaconi & diaconi bonum cleri & populi testimonium habentes, & qui se bene in minoribus ordinibus gesserint, ordinentur, quique sacris ita sint litteris instituti, ut de fide, atque his quæ ad ordinem exercendum *spectant parati sint Omnipotenti* rationem reddere, sperentque, adjutore Deo, vocationi illi se respondere & continere posse. Hi ecclesiis quibus ascribentur inserviant, sciantque maxime decere, si saltem semel in mense communicent, munia ordinis sibi injuncta exerceant, & curet episcopus, ne constituti in minoribus, ubi sunt subdiaconi, epistolam cantent: omnem operam sacris litteris dent, & sciant se non ante presbyteratus gradum adepturos, quam ipsi digni reperti fuerint, qui populo verbum Dei valeant prædicare. Promoti autem ad sacrum subdiaconatus ordinem, post annum dumtaxat, nisi ex legitima causa aliud episcopo videatur, ad altiorem gradum ascendere permittantur, dicti ordines, non eodem contextu, sed gradatim, etiam regularibus, per temporum interstitia conferantur, privilegiis ac indultis & religiosis & aliis quibusvis concessis, non obstantibus quibuscumque.

De presbyteris ordinandis.

XIV. Hi qui fideliter & pie in ministeriis & officiis sibi injunctis se bene gesserint ab initio, ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum a clero & populo testimonium habeant, uni tantum ecclesiæ sint addicti, & qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob ecclesiæ utilitatem ac necessitatem, aliud episcopo videretur, ministraverint. Sed qui ad populum docendum & ministranda sacramenta, religioso

examine præcedente idonei comprobentur, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut magnum bonorum operum exemplum ab illis possit expectari. Curet episcopus, ut ii saltem semel in mense, si autem curam habuerint animarum tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, celebrent. cum his qui ex causa suscepti beneficii vigore sacrorum canonum, quos omnes sancta synodus innovat, ad sacros presbyteratus ordines astringuntur, promoveri ad sex menses tantum, & tunc ex magna causa dumtaxat dispenset, *ultra id tempus & aliter dispensatus suos* fructus non faciat aut ad illorum restitutionem omnino teneatur. Cum promotis per saltum, si non ministraverint, episcopus ex causa legitima possit dispensare: quamvis presbyteri in sua ordinatione potestatem absolvendi a peccatis recipiant, decernit sancta synodus, nullum cujuscumque ordinis aut conditionis ille sit, posse confessiones audire, nisi parochiale beneficium, aut ab episcopo approbationem & licentiam in scriptis obtineat, quam a nullo alio quam ab ipso episcopo habere possit, eosque solos sacerdotes censet ad id munus exequendum idoneos, non obstantibus quibuscumque privilegiis, aut consuetudinibus etiam a tempore immemorabili præscriptis.

Clerici peregrini quomodo admittendi.

XV. Cum sancta ceteraque divina mysteria a probatis tantum ecclesiasticis viris debeant exerceri; nemo deinceps peregrinus clericus, sive sæcularis sive regularis, in quacumque diœcesi ea audeat administrare, nisi id ei antea ab ordinario, præcedenti examine fuerit concessum, alias a suorum ordinum executione sit ipso facto suspensus, quamdiu ab ordinario loci, ubi hæc exercuit, ei absolutio videbitur concedenda.

Ut in cathedralibus ecclesiis certus initiatorum numerus educetur, ex quo tamquam ex seminario eligi possint qui digne ecclesiæ præficiantur.

XVI. Cùm magna sit hoc tempore ecclesiasticorum penuria, præsertim idoneorum, qui ecclesiis seu ecclesiasticis muneribus vel præficiantur vel inserviant, atque ut huic incommodo nulla ratione magis occurri possit, quam si soboles quædam, & tamquam seminarium ministrorum, saltem in cathedralibus ecclesiis instituatur & construatur; sancta synodus statuit & decrevit, ut singulæ metropolitanæ & cathedrales ecclesiæ, pro cujuscumque censu & facultatibus, proque diœcesis amplitudine, certum numerum puerorum in collegio, ad hæc prope ipsam ecclesiam constituendo, alere & religiose educare teneantur. In hoc vero qui cooptandi erunt, annos sint minimum XII. vel XIII. nati, qui & legere sciant & scribere, quorum indoles ac voluntas certiorem spem offerat, eos sacerdotes futuros, & ecclesiasticis muneribus perpetuo servituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modo studium præ se ferant Deo & ecclesiæ inserviendi. Hi primum grammaticam discant, deinde a canonico theologo, cui secundum hujus sanctæ synodi dispositionem, sacræ scripturæ incumbat interpretatio, vel ab alio docto & gravi viro, in ecclesiastica doctrina & disciplina erudiantur. Horum classes instituentur duæ, altera provectiorum ætate & litteris, quos acolythos esse vult; altera juniorum. Universi autem tam prioris classis quam posterioris, tonsura & habitu clericali eademque ratione vivendi utantur, & divinis in ecclesia officiis opportune inserviant. Porro ex acolythorum classe, quicumque ad ætatem legitimam pervenerint, & in moribus atque in litteris profecerint, sacris ordinibus initiabuntur, atque ipsi cathedrali seu metropolitanæ ecclesiæ, in quocumque ministerio episcopo cum consilio capituli commodum videbitur, operam suam navabunt, atque ut eis pro cujusque merito beneficium aliquod ecclesiasticum deferatur, ipse episcopus & capitulum curabit. In eorum autem locum, qui ex acolythorum classe ad ordines sacros & majora ecclesiæ munera ascisccentur, substituendi erunt qui ex classe inferiori moribus, ætate & litteris proximi accedunt ad scholam grammaticæ, & alia commoda discendi causa. Admittantur etiam alii civitatis & diœcesis pueri, immo curabunt episcopi, ut quantum fieri possit, omnes qui futuri sunt sacerdotes in ea edoceantur & instituantur, quibus eodem vestitu quo ceteris, qui ab ecclesia aluntur, utendum erit, atque eodem modo vivendum. Ex his autem qui maxime idoneus erit, & ecclesiæ inserviendi voluntatem præ se ferat, in ejus locum sufficiatur, qui ex clericorum numero desiderabitur. Et quia ad hanc puerorum scholam alendam, & ad mercedem solvendam magistris qui eos in grammatica & ecclesiastica doctrina erudiant, necesse est, ut quoad certa dos ex redditibus beneficiorum huic tam pio operi assignandorum, seu quo alio modo erit constituta, census aliquis annuus provideatur; possit synodus provincialis ex fructibus episcopatus, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum, portionum, abbatiarum quæ segregatos habent fructus a monasteriis, & quorumcumque sæcularium beneficiorum, etiamsi ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, & quibuscumque aliis piis locis perpetuo sit annexa, necnon ex fabricis ecclesiarum, & ex quibuscumque aliis ecclesiasticis redditibus aliquotam partem, videlicet quinquagesimam, & majorem aut minorem ipsi collegio assignare. Ad cujus solutionem possessores prædictorum beneficiorum seu reddituum ecclesiasticorum tenebuntur, atque per censuras ecclesiasticas, juris remedia per episcopum loci compellentur, omni appellatione postposita, & non obstantibus quibuscumque privilegiis aut exemtionibus. Si vero aliqua ecclesia tanta paupertate laboraret, ut judicio ipsius synodi collegium eri-

gere commode non poſſit, certum puerorum numerum ejuſdem ſynodi arbitrio in collegio metropolitanæ eccleſiæ, ex commemoratis eccleſiarum provinciæ fructibus alere tenebitur. Præterea ſtatuit ſancta ſynodus, ut epiſcopus cum conſilio capituli hujus ſcholæ puerorum curam gerat, frequenter viſitet, & ſumma cum diligentia ſtudeat, ut in eâ doctrina ſimul cum morum integritate in dies augeatur; diſcolis aut emendatis aut inde expulſis, certiſque hominibus negotium det, ut hunc cenſum ab omnibus qui ſolvere tenebuntur, in terminis & locis exigant. Reliqua vero quæ ad hanc ſcholam bene ac feliciter adminiſtrandam tuendamque erunt ſtatuenda, in ipſa ſynodo provinciali ſecundum morem cujuſcumque regionis provideantur. Ut autem cum minori impenſa hujuſmodi ſcholis erudiendis provideatur, ſtatuit ſancta ſynodus, ut epiſcopi, archiepiſcopi, primates & alii locorum ordinarii, ſcholaſticos & alios, quibus eſt lectionis vel doctrinæ munus annexum ad docendum in ipſis ſcholis, inſtituendoſque per ſeipſos, ſi idonei fuerint, alioqui per idoneos ſubſtitutos ab eiſdem ordinariis eligendos, & per ſubſtractionem fructuum cogant & compellant. De cetero vero, dignitates illæ nonniſi doctoribus vel magiſtris aut licentiatis in ſacra pagina aut in jure canonico, & alias perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explere poſſint conferant: & aliter facta proviſio nulla ſit & invalida, non obſtantibus quibuſvis privilegiis & conſuetudinibus etiam immemorabilibus in contrarium.

De formula juramenti promovendorum in epiſcopos, magiſtratum, judicum, & teſtium.

XVII. Quoniam lupis naturale eſt in veſtimentis ovium venire, & irrepere ad populi Chriſtiani gubernationem, & tempora periculoſa in quæ incidimus, ſatis admonent ſereniſſimos principes videre ne incognitis catholici populi regimen committant. Attamen ne hac in parte ſancta ſynodus ſuo deſit officio, exemplum ſanctiſſimæ & frequentiſſimæ Lateranenſis ſynodi generalis ſequuta, rogat & obteſtatur per viſcera miſericordiæ Domini noſtri JESU CHRISTI, omnes & ſingulos cujuſcumque majeſtatis & excellentiæ principes, dominos & rectores, ac nihilominus eis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit & mandat, ne deinceps ullum ad ullam dignitatem, magiſtratum, aut aliud quodcumque officium promoveant aut admittant, de cujus fide & religione antea non curaverint inquiri, & a quo ſincere, diſtincte ac libenter non fuerit hæc ſummaria fidei noſtræ catholicæ formula lecta, confeſſa & jurata, quam hic duxit approbandam: & poſtulat in ſingulis dominiis lingua vulgari transferri, & publice, ut ab omnibus intelligatur, proponi.

Credimus utriuſque teſtamenti ſcripturas divinitus eſſe inſpiratas; & eas omnes recipimus quas eccleſia canonicas eſſe judicat.

Agnoſcimus unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam, ſub uno ſummo pontifice Romano Chriſti vicario; ejuſque fidem & doctrinam conſtantiſſime tenemus & amplectimur, cum a Spiritu-ſancto directa errare non poſſit.

Conciliorum œcumenicorum certam & indubitatam auctoritatem veneramur; & quæ ſemel ab illis ſancita fuerunt in dubium non revocamus.

Traditiones eccleſiaſticas velut per manus acceptas, & ut ſacrum depoſitum, conſtanti fide cuſtodiendas eſſe credimus.

Orthodoxorum patrum ſenſum & conſenſum ſequendum eſſe.

Conſtitutionibus & præceptis matris eccleſiæ ea qua decet reverentia parendum.

Eccleſiaſticorum ſacramentorum ſeptenarium numerum, baptiſmi ſcilicet, confirmationis, ordinis, pœnitentiæ & abſolutionis ſacerdotalis, corporis & ſanguinis Domini noſtri JESU CHRISTI, matrimonii & extremæ unctionis; eorumque uſum, virtutem & fructum, ſicut hactenus catholica docuit eccleſia, firmiter credimus & confitemur.

In primis vero ſirma fide credimus & confitemur in auguſtiſſimo ſacramento altaris verum corpus & ſanguinem JESU CHRISTI eſſe realiter & ſubſtantialiter, ſub ſpeciebus panis & vini, virtute & potentia divini verbi prolati a ſacerdote ſolo miniſtro, ad hunc effectum ordinato juxta inſtitutionem & mandatum Domini noſtri JESU CHRISTI; eademque pie in venerabili & ſacroſancta miſſa Deo offerri pro vivis & mortuis in remiſſionem peccatorum profitemur.

Omnia denique quæ a majoribus pie, ſancte, ac religioſe ad nos uſque obſervata ſunt, firmiſſime retinemus, noſque ab illis dimoveri nullatenus patiemur.

Contra vero omnem dogmatum novitatem, tamquam perniciosum venenum refugimus & averſamur, ab omni ſchiſmate cavemus, & omnem hæreſim deteſtamur, ſancteque pollicemur, nos adverſus hæreticos quoſcumque promte & fideliter eccleſiæ adfuturos.

Voluit & ſtatuit hæc ſancta ſynodus, ut ante examen iſta confeſſio exigatur a deſignatis epiſcopis, abbatibus, prioribus & curatis, priuſquam confirmentur, aut iis provideatur.

Prodigium, tres ſoles.

Die ſabbati prima Maii 1563. ab hora XII. uſque ad horam XVIII. ejuſdem diei, tres ſoles, hinc & hinc unus, medius autem verus in magno circulo in cœlo viſi ſunt; quod quamquam poſſit naturaliter evenire, nihilominus a reverendiſſimis patribus & univerſa civitate magno miraculo & prodigio datum eſt; id quod maximos bellorum eventus olim demonſtraſſe apparet ex Julii Ob-

sequentis libello de prodigiis plurimis in locis.

Litteræ fratris Petri Sotti in morte ad summum pontificem.

Superioribus diebus frater Petrus Sottus ordinis S. Dominici, Hispanus, vir sanctis moribus & vita, præcipuusque inter theologos hujus sacrosancti concilii diem suum clausit extremum. Attamen antequam moreretur, ut de aliquibus conscientiam suam penitus exoneraret, litteras reliquit, quæ enixe petiit, ut ad sanctissimum pontificem mitterentur, quæ sunt hujusmodi.

Beatissime pater, post beatorum pedum oscula. nuper scripsi quædam ad reverendissimum cardinalem AMULIUM, quæ mihi visa sunt maxime pertinere ad honorem & gloriam Dei, atque ad levandam & exonerandam conscientiam meam, ut ea meo nomine proponeret familiariter sanctitati vestræ, tamquam supremo Christi in terris vicario, *ac de me etiam semper optime merito.* Nunc autem vi morbi magis ac magis ingravescente, & appropinquante morte, magis etiam urgebat conscientia, nec fuit mihi pigrum, lingua jam balbutiente, eadem dictare atque scribere ad beatitudinem vestram. Hæc igitur sunt quæ proponenda atque inculcanda sanctitati vestræ in extremæ vitæ meæ hora maxime existimavi. ante omnia autem, ut beatitudo vestra residentiam episcoporum ac aliorum omnium ecclesiæ ministrorum, non *solum dilucide & aperte in concilio quo jure* fit definiri curet, sed etiam efficaciter a se & ab omnibus observari. Et ut aperte dicam, cardinalibus aliunde provideri, & non ex episcopatibus. quod si fecerit, non solum nihil deperibit auctoritati & commodis sanctissimæ sedis & sanctitatis vestræ, sed etiam quam plurimum augebitur: si vero non fecerit, non dubito multum sedem apostolicam amissuram, & beatitudinem vestram ultimam damnationem in judicio Dei incursuram. Episcoporum munus & auctoritatem & officium a Christo Domino esse; ipsosque episcopos ab eodem Christo immediate datos ecclesiæ, sed sub uno ipsius Christi vicario, successore Petri, sanctitas vestra curet desertissime declarari, quod semper docuit ecclesia: nec permittat inter se & episcopos ullam divisionem. Est enim revera episcopatus beatitudinis vestræ & omnium aliorum episcoporum unus & idem; in quo tamen episcopatus sanctitatis vestræ primatum tenet. Nullo modo decet, ut apostolicæ sedis dignitas alios dejiciat, quos agnoscere debet positos esse ab ipso Christo regere ecclesiam Dei, quam proprio sanguine acquisivit. Ego igitur vivens & moriens testor beatitudinem vestram superiorem esse omnibus conciliis, nec posse ab eis ullo modo judicari: idque ut aperte *definiatur in ecclesia*, credo plurimum expedire, quando contrarium vergit manifeste ad seditionem, bella atque schismata in ecclesia. Ultimo denique sanctitas vestra curet, ut nullus ordinetur neque ministret *nisi* probatus a proprio episcopo; nam illa facultas suscipiendi ordines a quocumque, partem lucri affert curiæ Romanæ, & sufficiens est ad detrudendum in infernum id concedentes. Denique beatitudo vestra ex beneficiis, quoad provisionem pertinet, curet non utilitatem suam vel suorum ministrorum, sed salutem animarum, & bonum illarum ecclesiarum, in quibus sunt præfata beneficia. hæc apostolicis sanctitatis vestræ pedibus prostratus, ex infirmitatis meæ lectulo dixisse sincerissimo affectu mihi fit satis: pro quibus & ceteris omnibus quæ stulte dixi, humillime veniam peto; testatus me semper juxta conscientiam, Dei gloriam, sedis apostolicæ utilitatem, sanctitatis vestræ bonum desiderasse & quæsivisse pro mea tenuitate. Datum Tridenti XVII. Aprilis MDLXIII. beatissimæ sanctitatis vestræ humilis servus fr. PETRUS SOTTUS.

Congregatio habita pro litteris Mariæ reginæ Scotiæ ad concilium.

Die lunæ X. Maii hora XXI. fuit congregatio generalis, cui adfuerunt tres illustrissimi legati atque illustrissimi cardinales de Loreno & Madruccius, ac reverendissimi patres cum oratoribus Cæsareis, regum Galliæ, Poloniæ, ducis Sabaudiæ, Venetiarum & Helvetiorum; in qua lectæ fuerunt litteræ MARIÆ *reginæ Scotiæ ad sacrosanctum concilium*; quibus ipsa semet excusabat, quare ad tam celebre & universale concilium hoc Tridentinum non misisset, & episcopos regni sui & oratores, prout fecerant alii tum reges, tum principes Christiani: asseverans id evenisse propter multa impedimenta in regno suo exorta ex controversiis religionis causa inter catholicos & Hugonottos: promittens nihilominus eisdem litteris omnem obedientiam, observantiam & religionem erga Romanam sedem *apostolicam & concilium hoc* generale Tridentinum. Postremo dixit scripsisse se quamplurima ad illustrissimum cardinalem a Lotharingia avunculum suum, quæ referre debuisset suo nomine œcumenico concilio. Quibus lectis, præfatus cardinalis a Lotharingia habuit verba ad patres, in quorum exordio demonstravit prosapiam ipsius reginæ MARIÆ, necnon quanta operata esset in regno suo pro manutenenda religione Christiana: deinde ostendere conatus est, unum, quod episcoporum qui sunt in regno Scotiæ aliqui erant in regno Galliæ; sperabatque, Deo favente, brevi tempore accessuros ad sacrosanctum hoc generale concilium. Alii vero erant in dicto regno Scotiæ, qui continuo apud reginam ipsam astabant, ut consilio & operibus in tam arduis negotiis regni præsto essent, & a qua fine maximo periculo & regni & vitæ ipsius reginæ

Verba illust. cardinalis a Lotharingia ad patres nomine reginæ Scotiæ.

abesse *non poterant*. Alterum vero *fuit*, quod conatus est summum studium ipsius reginæ, quod habet huc mittendi ejus regni oratores, ne & ipsa officio deesse videretur, quod ipsi incumbebat pro tuenda religione. Quibus verbis habitis, brevi sermone responsum fuit per D. secretarium conciliii omnibus supra scriptis, ostendendo gratissimum fuisse sanctæ synodo omne id quod regina suis litteris pollicita fuisset. Quibus peractis, dimissa fuit congregatio, aliaque indicta pro die Mercurii XII. ut reverendissimi patres proferant sententias suas super abusibus de sacramento ordinis.

Die Mercurii XII. Maii fuit congregatio generalis super canonibus abusuum de sacramento ordinis, super qua re diversæ patrum fuere sententiæ; an scilicet esset dicendum a patribus *super omnes simul*, an *solum super quatuor primos*, sicut proposuerat illustrissimus a Lotharingia; & majori parti patrum visum est, ut *super omnibus* diceretur, ne res in longum protraheretur; & ita dimissa est congregatio.

Reditus e Spruch illustrissimi Moroni primi præsidentis.

Die lunæ XVII. ejusdem, hora XI. rediens e *Spruch* illustrissimus MORONUS legatus, & primus præsidens concilii, ab imperatore Tridentum, ingressus est cum sola ejus familia, & absque ulla pompa & comitatu. quid apud Cæsaream majestatem actitavit nescitur; si quid rumor apportaverit, non decro hic apponere.

Dicta die lunæ XVII. fuit congregatio generalis, præsentibus illustrissimis legatis & illustrissimo a Lotharingia super hac eadem materia de abusibus: dixeruntque sententias suas archiepiscopus Rheginus, archiepiscopus Amalphitanus, archiepiscopus Messinensis; dixit quoque archiepiscopus Lancianensis ordinis S. Dominici, qui, nescitur quo spiritu ductus, convertit sermonem suum interloquendum ad oratorem Cæsareum, id est ad episcopum Quinquecclesiensem dicens: Te appello, orator Cæsaree, petoque ut dicas cur episcopi Germaniæ electores non accedant *ad concilium*, *vel non miserint* huc procuratores suos: circaque hanc materiam habuit multa verba quæ dictum oratorem, omnium reverendissimorum patrum judicio valde lacessere visa sunt: cui præfatus episcopus Quinquecclesiensis respondit dicens: Vere inspiratum eum fuisse a Spiritu-sancto, ut ea illi dixisset. Nam ex ejus verbis ansa illi præstita fuerat, quam vel maxime optabat, simulque cœpit excusare episcopos Germaniæ dicens: quod si usque nunc procuratores ad hoc sacrum concilium missi a Germanis episcopis, fuissent admissi ab illustrissimis dominis legatis sicut decebat, quod numquam discessissent Tridento & ab hac sanctissima synodo; sed quoniam illis fuerat vetitum, ne habere *possent votum* in concilio, ideo redierant in Germaniam, quodque tali exemplo moti, quotquot erant in provinciis illis episcopi, posthac numquam mittent ad concilium procuratores suos, eosque omnes pessime sentire de hoc concilio, asseverantes, ex hac prohibitione eis occasionem datam fuisse dicendi concilium hoc Tridentinum non esse œcumenicum neque liberum.

Verba archiepiscopi Lancianensis contra oratorem Cæsareum.

Ad quæ statim illustrissimus SIMONETTA legatus respondit, quod Pauli III. temporibus *episcopis Germanicis fecerat concessum, quod* eorum procuratores votum haberent consultivum, non autem affirmativum, quod confirmaverat sanctissimus noster Pius papa IV.

Verba illust. cardinalis Simonettæ legati.

Tunc surgens orator regis Francorum dixit: in Galliis esse quamplurimos episcopos, qui propter senectutem & eorum infirmitates huc accedere nequivissent, atque etiam pro tuenda Christiana religione: propterea sibi videri esse illis permittendum, ut suos huc possint mittere procuratores, qui possent eorum nomine sententias proferre, non solum consulendo, sed etiam definiendo, sicut de jure est, quibus dictis, dimissa est congregatio.

Verba oratoris regis Galliæ.

Prorogatio novies septimæ sessionis.

Die Mercurii XIX. ejusdem fuit congregatio generalis, cui affuerunt, præter illustrissimum MORONUM præsidentem, qui laborabat podagra, omnes alii legati, oratores, & reverendissimi patres: & habita ex more oratione de Spiritu-sancto, illustrissimus Varmiensis hujusmodi verba ad patres allocutus est dicens, quod cum dies futura esset illa quæ statuta fuerat, in qua indiceretur sessio ventura, cumque hoc non posset fieri, cum nondum posset haberi notitia de die in qua materia canonum & doctrinæ esset præparata & accommodata, ideo proponebatur patribus, *si illis placeret, quod differretur iterum usque* ad diem XV. mensis Junii, in qua statuenda & indicenda erit dies sessionis, quod omnibus patribus placuit, & dimissa est congregatio.

Admittitur a sancta synodo orator Catholici regis Hispaniarum.

Die Veneris XXI. Maii, hora XX. fuit congregatio generalis, in qua admissus fuit illustris comes de Luna, orator Catholici regis Hispaniarum.

Cum propter controversiones exortas inter oratores regum Galliæ & Hispaniæ de præcedentia Trindenti & alibi, illustris comes de Luna, orator Catholici regis Hispaniarum, per duos jam fere menses non potuerit tam publicis quam privatis congregationibus interesse, cum nullo pacto oratores regis Franciæ assentiri voluissent, quod orator catholicus anterior eis sederet: fuit tandem huic controversiæ ab illustrissimis dominis legatis ita provisum, quod sedes oratoris regis Hispaniæ in medio locaretur pro-

Controversia ex causa præcedentiæ inter oratores regum Galliæ & Hispaniæ.

pe crucem, quæ fertur ante illustrissimos legatos, ubi locus statutus & deputatus est pro domino secretario concilii. Nam hinc videt & audit omnes reverendissimos patres. cui ordinationi ambæ consensere partes. Atque ita hora xx. sicut statutum fuerat, illustris comes de Luna, a majori parte prælatorum comitatus, (adfuerunt enim non solum Hispani ceterique qui suas ecclesias habent in regnis & ditionibus regis catholici, verum etiam episcopi regni Galliæ & Germaniæ, una cum oratoribus imperatoris & omnium aliarum provinciarum & nationum, exceptis Venetorum, Helvetiorum, ac regis Lusitaniæ oratoribus, qui ab ecclesia comitati sunt illustrissimos dominos legatos,) accessit ad ædem S. Mariæ majoris, in qua fiunt congregationes patrum, ubi placide fuit ab illustrissimis legatis excepius, sibique sedes assignata, ut supra. Qui comes antequam sederet, quamdam protulit in scriptis protestationem, quam alta voce perlegit quidam doctor Hispanus familiaris suus hujusmodi tenoris.

Protestatio oratoris regis Hispaniarum adversus oratores regis Galliarum ex causa præcedentiæ.

Illustrissimi & reverendissimi domini, sanctissimi patres don Claudius Fernandes, &c. *ut apud Labbeum pag.* 1160.

Responsio oratorum regis Franciæ oratori regis Hispaniæ ex eadem causa.

Si nos hodie in hac sancta synodo, &c. *Ibid. pag.* 1161.

Protestationibus hujusmodi factis per utrosque dominos oratores ad invicem, statim a domino secretario lectum fuit mandatum dicti domini oratoris, una cum litteris credentialibus catholici regis Hispaniarum ad sanctam synodum. deinde sedentibus omnibus suis in locis, reverendus dominus Petrus Fontidonius, doctor theologus sæcularis Segobiensis, nomine domini dicti oratoris, habuit ad patres orationem hujusmodi.

Oratio ad patres domini oratoris regis Hispaniarum.

Mirabitur fortasse quispiam vestrum, &c. *ut apud Labb. pag.* 1163.

Responsum sanctæ synodi ad oratorem catholici regis Hispaniarum.

Magno in dolore illustris orator, &c. *ut apud Labb. pag.* 1172.

Dato responso a domino secretario nomine sanctæ synodi, & paucis admodum ceremoniis habitis, statim dimissa est congregatio hora xxii.

Discessus Tridento illustrissimi cardinalis de Loreno Ferrariam versus.

Die sabbati xxii. Maii, post congregationem hora xv. discessit Tridento illustrissimus a Lotharingia, vectus cimba per Athesim fluvium Veronam versus, & illinc Ferrariam, prout aiunt, ab aliquot episcopis Gallis comitatus, cito reversurus.

Votum reverendi episcopi Aversani super abusibus de sacramento ordinis.

Die lunæ xxiv. ejusdem, hora xx. fuit congregatio generalis, ut supra, reverendissimorum patrum super eadem materia abusuum de sacramento ordinis, protulitque sententiam suam super eisdem reverendissimus dominus Baldovinus de Barga episcopus Aversanus, quæ hujusmodi fuit.

Illustrissimi & reverendissimi domini legati, sanctissimique patres, quod in episcoporum electionibus nulla penitus diligentia ac vigilantia omittenda sit ab omnibus sanctissimis patribus qui ante me dixerunt, non solum approbatum, sed valde desideratum & acclamatum esse, nemo est qui nesciat. Quid enim majori studio, ac subtiliori indiget discussione, quam episcoporum electio, in quibus & salus, & pernicies populi reposita est. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Matth. vi. super quibus verbis, inquit divus Ambrosius: Si oculus tuus simplex fuerit, id est, si episcopus, qui lumen promeruit præesse in corpore, simplicitate est & sancta innocentia decoratus, omnis ecclesia splendore luminis radiatur. Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit; id est si episcopus qui videbatur corpori subdito lumen proferre, obnubiletur nequitiæ cœcitate, quid cetera facient membra quibus lux ademta est oculorum? Ergo si episcopus lux ecclesiæ est a Deo ordinatus, ita ut nequitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante conscientiarum latebras illuminet, cur ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus, & non solum quia ipse dum male agit, digne perit, insuper & alios secum indigne perdit? Hanc eamdem veritatem docet divus Gregorius I. Reg. cap. 13. super illis verbis, videlicet: *Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum, & præcepit ei ut esset dux super populum suum.* Quid est, inquit Gregorius, quod quasi de præterito dicitur, *quæsivit sibi Dominus virum, & præcepit ei ut esset dux super populum suum*, cum non fuerit quæsitus, nec ei ut populo suo præesset injunctum? Quæsivisse igitur virum Deus dicitur, ut eligendorum antistitum forma hominibus præbeatur, ut omnis qui ad sanctæ ecclesiæ culmen eligitur, discutiendus prius ab hominibus esse doceatur. Sed quæri debet secundum cor Dei, ut videlicet non solum divinam voluntatem intelligat, sed bonis operibus ostendat. Quia item electi viri ad honorem primatus non ex ambitione veniunt, sed coacti producuntur, bene dictum est, *& præcepit ei ut esset dux*. quasi dicat in honorem prælationis, *non per ambitionem subiit*, sed coactus ascendit. Et epist. 8. cap. 40. ita dicit: Et nostis quia talis hoc tempore in regiminis arce debeat constitui, qui non solum

de salute animarum, verum etiam de extrin A seca subjectorum utilitate & cautela sciat esse sollicitus. Et hujus sententiæ memor in epistola alia, in qua de quodam promovendo ad episcopatum sic inquit : Sed quia valde periculosum est animæ temere cuiquam manum imponere, curæ nobis fuit vitam actusque ejus subtili investigatione discutere. Et quoniam multa inventa sunt, quæ eum procul ab episcopatu removerent, Dei judicium metuentes, in ordinando eo non præsumsimus consentire. Qualis itaque & quanta, patres sanctissimi, in hujusmodi electionibus adhibenda sit diligentia, non solum ex his B quæ breviter annotavi, sed ex omnium orthodoxorum testimonio clare demonstrari potest. Quæ vero & qualia ad dignitatem hanc episcopalem requirantur, abunde docet divus Paulus ad Timoth. cap. 3. Unum tamen nullo modo a me omittendum esse censui, quod valde desiderandum esse in episcopo docet divus Cyprianus & divus Augustinus, qui lib. quinto de baptismo contra Donatistas cap. 26. valde commendat, videlicet ut episcopus non solum scienter doceat, sed etiam ut patienter addiscat. Omni igitur studio, sanctissimi patres, procurandum est C ab hac sancta synodo, ut ita caute & exacte de hac re statuatur, quod in futurum non personarum, sed ecclesiarum utilitati & commoditati provideatur. Et cum duo præcipue dicantur esse omnium malorum rituum causa & principium, videlicet carentia & inobservantia legum; ut igitur ea qua decet procedatur ratione, animadvertendum est a patribus, an abusus quos in ecclesia Dei conspicimus evenerint vel propter legum carentiam, vel propter earumdem inobservantiam. Et cum tot & tanti sint canones, & tot & tantæ sanctissimæ institutiones materiam hanc concernentes, & a summis pontiD ficibus & ab œcumenicis conciliis institutæ & ordinatæ sint, & nuper ab hac eadem sancta synodo Tridentina, sicut a multis ex patribus annotatum est; neminem latere credo, non legum carentiæ, sed legum inobservantiæ omnia hæc mala tribuenda esse. Tota igitur hujus sanctissimæ synodi intentio ad ipsorum canonum observantiam, tamquam ad veram hujus morbi medelam intenta esse debet, & a novis legibus componendis super hac re non solum tamquam superfluis & non necessariis, sed tamquam valde, & præcipue temporibus istis periculosis, penitus abstinere. Statuat igitur, sanctissimi patres, hæc sancta synodus, ut qui leges muneri suo a sacris canonibus injunctas non observant, quod pœnis ab eisdem sacris canonibus institutis puniantur. Quod si tales pœnæ leves videbuntur, ad acriores & magis graves reducantur; quæ forma, judicio meo, tutior erit, quam illa quæ proposita est in hoc primo canone; quæ cum non solum difficilis, sed sicut superius dixi, valde periculosa existat, nullo modo mihi placere potest: multum enim apud me valent gravissimæ rationes, quæ a quamplurimis ex patribus ea qua decet pietate & prudentia annotatæ & ponderata fuerunt. Neque etiam placere potest quod episcoporum electio sive præsentatio ad plebem vel populum ullo modo spectet, propter tot & tanta mala quæ ex hujusmodi electionibus quotidie oriuntur. Nam si temporibus surgentis ecclesiæ, cum omnes fere tanta abundarent & sanctitate & caritate, hoc idem magnis non careret perturbationibus, quanto magis timendum est temporibus istis, quibus malitia, cupiditas, necnon ambitio omnibus fere dominantur? Quod autem temporibus illis non sine magnis ecclesiarum perturbationibus a plebe & a populo tales fierent electiones, docet divus Augustinus epist. 89. ubi inquit: Scio post obitus episcoporum per ambitiosos aut contentiosos solere ecclesias perturbari, & quod sæpe expertus sum & dolui, debeo quantum ad me attinet, ne contingat, huic prospicere civitati. Hoc idem docet Origenes Numeror. cap. 26. homil. 22. in qua de hujusmodi electione loquendo ita ait: si ergo ille tantus ac talis Moyses non permittit judicio suo de eligendo principe, de constituendo successore, quis erit qui audeat vel ex plebe, quæ sæpe clamoribus ad gratiam vel ad pretium fortasse excitata moveri solet; vel ex iplis etiam sacerdotibus, quis erit qui se idoneum ad hoc judicet, nisi si cui oranti & petenti a Domino reveletur? An autem expediat pro catholica ecclesia conservanda, necnon pro hæresi exstirpanda ut episcoporum electio ad capitulum, probante populo, reducatur, doceat nos Germania, quæ jam diu usa est & utitur hujusmodi forma; & utinam talem formam numquàm cognovissent. An etiam expediat pro eadem sancta Romana ecclesia conservanda, ut jura seu privilegia regum, videlicet eligendi & nominandi ad episcopatum promovendos, tollenda & revocanda sint; & quod propter hujusmodi privilegia orta sint tot & tanta mala in ecclesia Dei, doceat nos Hispania, quæ ita sancte talibus usa est & utitur privilegiis, quod vere benemerita catholici tituli dici debet. Hoc unum silentio prætereire non possum, videlicet quod si ullo umquam tempore ab hujusmodi electionibus a capiE tulo & populo faciendis cavendum & abstinendum fuit, quod his præcipue calamitosis temporibus eo maxime cavendum & abstinendum est, & præcipue in illis provinciis in quibus non parva est suspicio de mala fide multorum. Nullatenus igitur a forma, qua jam tot annis usa est & nunc utitur sancta Romana ecclesia recedendum est. Inquit enim divus Augustinus 4. de baptismo contra Donatistas, cum consuetudini veritas suffra-

gitur, nihil oportet firmius retineri. Quod autem si in hujusmodi electionibus ita exacte procedatur, ut nulla juxta prædictam formam relinquatur diligentia, sicut in re tam gravi fieri debet, magno profecto & valde magno erit commodo ecclesiæ Dei. Circa vero alias adnotationes hujus primi canonis, cum nihil adnotatione dignum mihi occurrat, quod non solum dictum & adnotatum, sed pluries repetitum a patribus non sit, ne tædio sim, accedo ad secundum canonem.

De secundo videlicet, in quo de consecrationibus episcoporum statuitur, cum ad episcopatum promotus teneatur de jure intra tres menses consecrari, ideo placet, quod prorogationes ad sex menses non concedantur, nisi ex magna & urgente causa, & semel tantum. Quod autem hujusmodi prorogationes in totum tollantur non placet, cum multa contingere possint impedimenta adeo urgentia, quod sine talibus prorogationibus magna sequerentur inconvenientia. Placet tamen quod hujusmodi prorogationes non ante concederentur, nisi prius legitime & plene constarent veritate narratæ causæ & impedimenti, quod si in fraudem factum esse inveniatur, talis prorogatio non suffragetur. Placeret etiam quod tales consecrationes semper fierent in propriis ecclesiis, sive diœcesi, cum consecratio consummatio sit matrimonii spiritualis.

De tertio, videlicet, in quo ordines per proprium episcopum, non autem per suffraganeum consecrandos esse statuitur, cum ob pastorum negligentiam, qui munus suum *omittentes*, aliis *crediderunt*, tot & tanta mala in ecclesia Dei orta sint: Placet quod in ordinibus conferendis, nisi ex urgenti causa, non possint suffraganeorum opera uti. Placeret tamen, quod si impediti sunt, ut per seipsos ordines conferre non possint, quod saltem præessent; & si præesse non possent, teneantur habere plenam notitiam ordinandorum.

De quarto, videlicet in quo episcopos clero & populo Christiano carentes, non nisi gravissima causa ordinandos esse statuitur; non placet quod episcopi titulares penitus tollantur, cum multa contingere possint, tum propter episcoporum malam valetudinem, tum propter ipsorum valetudinem, tum propter ipsorum senectutem, & quamplurima alia, quod non solum utilis, sed necessaria eorum opera sit. Placeret tamen, quod ultra ea, de quibus in canone, adderetur, quod portio perpetua, quæ illis assignanda est, ad minus sit trecentorum ducatorum, & quod non possint exercere munia episcopalia, nisi in ecclesia, in qua talis portio illis fuerit assignata.

De quinto, videlicet quale testimonium per ordinandos afferendum, placet quod episcopus habeat plenam informationem initiandorum, sine qua neque ipse ordiner, neque litteras dimissorias concedat. Non placet tamen quod præscribatur episcopo, ut magis a ludimagistro vel parocho, quam ab aliis teneatur de ordinandis informationem accipere.

De sexto videlicet, quanto temporis spatio ante ordinum receptionem initiandi se præsentare debent, non placet ut præscribatur episcopo, qui magis opera archidiaconi quam alterius personæ in ordinationibus uti debeat: sed in tali munere opera eorum utatur, quos magis idoneos esse ad hoc judicaverit. Verum illud *exacte* si ad functiones ordinum dignoscendas referatur, placet; si non referatur ad singula quæ operari & scire tenetur, non placet.

De septimo, videlicet quando & a quibus ordinationes celebrandæ, quod ordinationes non fiant extra tempora a jure statuta, & non nisi a proprio episcopo, vel de ejus licentia, placet. Verba illa *si saltem triennio ibi non sit commoratus*, non placent, non quod in ordinationibus quæ fiunt in Urbe, non adhibeatur exactissima diligentia, & utinam in aliis locis eadem vel similis adhibeatur; sed quia apud me mala præsumtio de illis est, qui episcopi sui judicium, nisi ex legitima causa, aufugiunt, ad quem oves suas nominatim ac eorum mores & vitam agnoscere pertinet, & ita præsumitur & tenetur.

De octavo, videlicet de litteris commendatitiis & dimissoriis, cum non conveniat quod regulares se intromittant circa ea quæ respiciunt clericos sæculares, ideo prima pars placet. Placet etiam quod litteræ dimissoriæ, sede vacante, nullo modo concedantur, nisi ex causa qua in canone, & addatur: *Servata eadem forma*, prout circa ordinum collationem statutum est.

De nono, videlicet de ætate clericali militiæ ad scribendorum, quia lex non nisi ex causa mutanda est, & cum nulla videatur urgere causa, ut tempus clericali militiæ adscribendorum alio modo commuterur, quam per sacros canones fuerit statutum, ideo quoad ætatem; placet quod serventur canones. Præterea in hoc decreto agendum est de abusibus sacramenti ordinis corrigendis, sed ea quæ statuta & ordinata sunt a sacris canonibus, non debent connumerari inter alios abusus. Ergo de talibus in hoc decreto non est agendum. Non placent mihi illa verba videlicet: *animo deliberato*.

De decimo, videlicet quod nemo absolute ordinandus sit, mihi etiam placet quod canon concilii Chalcedonensis, non aliqua in parte, sed totum renovetur.

De undecimo, videlicet quæ cura minoribus ordinibus adhibenda sit, placet quod in quatuor ordinibus conferendis observetur forma, prout in canone, nisi aliud episcopo videatur

videatur magis expedire. Placeret etiam quod ubi dicitur: *Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur*, adderetur: *nisi aliud magis expedire episcopo videretur*, cum possit esse aliquis, qui & in vitæ moribus & in doctrina talis reperiretur, quod non esset necessaria talis dilatio.

De duodecimo, videlicet de ætate ordinandorum, placent omnia: placeret tamen si loco verborum illorum, videlicet: *quorum immaculata vita senectus sit*, diceretur: *quos probatæ vitæ esse noverint.*

De decimo tertio, videlicet de subdiaconis & diaconis, placent omnia; sed utinam tales inveniantur, qui tot & tantis sint virtutibus decorati, quod quidem cum in multis provinciis non solum difficile, sed impossibile, & præcipue temporibus istis, videatur, ideo placeret, quod conscientiis episcoporum onus hoc relinqueretur.

De quarto decimo, videlicet de presbyteris ordinandis, placent omnia. Placebit etiam si addantur ubi conceditur dispensatio, *ad sex menses*, verba illa videlicet: *Et semel tantum.*

De decimo quinto, videlicet quomodo clerici peregrini admittendi sint, cum magnum dedecus sacerdotalis ordinis sit, ut presbyteri vagentur, ideo omnia placent. Sed placeret quod adderetur: *Si clerici peregrini sunt seculares, quod teneantur ostendere literas sui ordinarii, sive ejus vicarii: si vero sunt regulares, sui superioris.*

De decimo sexto, videlicet ut in cathedralibus ecclesiis certus initiatorum numerus educetur, ex quo tamquam ex seminario eligi possint, qui digne ecclesiis præficiantur, cum nihil magis utile ac necessarium sit, quam clericali militiæ tales adscribere, qui & vita & doctrina in tantum præcellant, ut non solum ad presbyteratum, sed ad majores gradus digne ascendere valeant, ideo canon iste maxime placet. Placeret etiam quod ubi dicitur, *saltem in cathedralibus ecclesiis*, adderetur, *& in ecclesiis collegiatis*, cum multæ sint ecclesiæ collegiatæ nullius diœcesis, quæ pinguiores sunt quam multæ aliæ cathedrales, & majorem habent plebem & populum. Placeret etiam quod ubi dicitur, *prope ipsam ecclesiam constituendo*, adderetur, *vel in alio loco magis commodo plebi & populo*, cum multæ sint ecclesiæ non solum in campis parentibus, sed etiam adeo dirutæ, quod nullum ecclesiæ adsit vestigium. De quibus ecclesiis cum nulla facta sit mentio, neque provisio in hoc decreto, placeret quod tali & tanto abusui ab hac sancta synodo in hoc decreto exacte provideretur. Ex hoc enim multa sequuntur inconvenientia & mala. Carent enim capitulo, & nullum celebratur officium divinum. Placeret etiam quod episcopus cum duobus de capitulo & duobus de clero omnia hæc peragere posset & deberet. Quod si alicui seminis gravatum esse videretur, haberet recursum ad synodum provincialem, absque tamen retardatione executionis. Quod autem non nisi doctoribus vel magistris aut licentiatis dignitates illæ conferri possint, non placet, cum multi careant talibus gradibus, qui tamen neque vitæ moribus neque doctrina illis sint inferiores. Placeret etiam quod episcopus haberet facultatem applicandi huic seminario beneficia simplicia ruralia, quæ omni penitus carent cura, neque ulla in re divino cultui inserviunt, & alias similiter ecclesias quæ penitus dirutæ sunt & solo æquatæ, neque ullum retinent vestigium aut servitium ecclesiarum. Et non solum placeret quod episcopi haberent hujusmodi facultatem, sed quod teneantur & debeant applicare tales ecclesias huic seminario; & quod omnis alia provisio quomodocumque facta irrita sit & nulla; & hoc non tantum pro ecclesiis pauperibus, sed pro conservatione & perpetuitate hujus seminarii. De modo vero & summa disponant reverendissimi confectores decreti.

De decimo septimo, videlicet de forma juramenti, sum in sententia illorum qui dixerunt quod ad aliud differatur tempus.

Et hæc volui dixisse breviter: quæ omnia & meipsum subjicio censuræ hujus sanctissimæ synodi.

Modus dicendi quo utebantur patres, tam in dogmatibus quam in reformationibus.

Modo hujusmodi, qui superius proxime annotatus est, utuntur reverendissimi patres in proferendo eorum sententias, tam in dogmatibus quam in reformationibus, ut quisque dicat vota sua, quæ excipi debent, quoad dogmata, ex auctoritatibus antiquorum patrum, summorum pontificum, & sanctorum conciliorum. Quoad autem reformationes, secundum temporum exigentiam, non recedendo tamen ex constitutionibus, quando potest, anteactorum conciliorum. Quæ omnia vota deinde in eam, quæ cernitur in sessionibus, meliorem formam reducuntur, nova formando decreta.

Renatus de Birago consiliarius regis Galliæ venit Tridentum.

Die XXVIII. Maii Tridentum illustrissimus cardinalis de Loreno, atque una cum eo advenit illustris præsidens Renatus de Birago Mediolanensis, unus ex primis consiliariis regis Franciæ, veniens e Gallia; obviusque fuit illustrissimo cardinali præfato, Ferraria reducto, quo, ut aiunt, profectus fuerat, ut alloqueretur illustrissimum D. cardinalem de Ferraria, e Gallia redeuntem a rege Christianissimo, apud quem illuc missus a summo pontifice PIO IV. functus fuerat legatione sua jam per decem & septem menses: cujus Renati collega quidam, ut rumor est, Romam profectus fuerat ad PIUM IV. pont.

max. eorum regis nomine petiturus, ut in civitate Avinionis, quæ urbs eſt ſedis apoſtolicæ, & his temporibus præſidiis optime munita, in primis arma deponerentur, ac ibi prædicatio Hugonottica haberetur; ſimulque concilium Tridentinum Conſtantiam transferretur. Ipſeque de Birago hujuſmodi & ſimilia ſanctam ſynodum, ut ferunt, poſtulaturus eſt. Quæ omnia quantum inhoneſta, inhumana, & extra catholicam caritatem ſint, non eſt qui non videat. Affirmant præterea eumdem de Birago, ut primum apud ſanctam ſynodum ſui regis mandata *executus fuerit, profecturum* eſſe *Spruch* ad Cæſarem, indeque huc reverſurum. Quod autem evenerit in hac civitate hujuſmodi negotii cauſa, omnia hic fideliter pertingam.

Veſperæ & miſſæ in his diebus paſchalibus pentecoſtes.

Die ſabbati XXIX. Maii, quæ eſt vigilia pentecoſtes, veſperæ pontificaliter ex more habitæ & celebratæ ſunt in cathedrali S. Vigilii.

Die dominica XXX. ejuſdem, qui fuit dies ſolemnis pentecoſtes, convenere in eadem eccleſia ſancti Vigilii omnes illuſtriſſimi D. D. legati, atque illuſtriſſimi cardinales de Loreno & Madruccius, una cum clariſſimis DD. oratoribus & reverendiſſimis patribus; ibique ſolemniter ſummam miſſam celebravit reverendiſſimus patriarcha Venetiarum; qua finita, dataque ab illuſtriſſimo præſidente ex more benedictione, ſinguli eorum domos profecti ſunt.

Ac his ſolemnibus diebus veſperæ & miſſæ ſolemni pompa celebratæ ſunt; factumque idem eſt in ceteris feſtivitatibus mobilibus hoc anno aut in præterito, ſicque fiet in futurum.

Acta, ut aiunt, inter Ferdinandum Cæſarem & illuſtriſſimum cardinalem Moronum legatum, Spruch diebus præteritis.

Summarium eorum quæ dicuntur acta inter Cæſaream majeſtatem & illuſtriſſimum cardinalem Moronum, præſidentem concilii Tridentini, diebus elapſis in civitate Spruch.

Variæ inter Cæſaream majeſtatem eamque ſolam cum reverendiſſimo D. legato eodemque ſolo, ſuper ſequentibus articulis habitæ ſunt converſationes, ſuper quibus tandem reverendiſſimus D. legatus hoc reſponſo concluſivo a majeſtate ſua dimiſſus eſt.

Articulus I. fuit agitatum de nimia illa prolixitate tractationis, quæ hactenus in concilio incidit; & cum quæreretur de remediis oportunis, majeſtati ſuæ viſum eſt inter alia, non inexpediens eſſe futurum, ut ſuperfluæ quæſtiones, præcipue vero illæ quæ cum ſectariis noſtri temporis in materia religionis controverſiæ non eſſent, quantum fieri poſſet amputarentur.

In eodem autem articulo incidit etiam illa quæſtio, utrum conſultum ſit, quemadmodum in aliis antecedentibus conciliis factum eſſe videmus, ad viam deputationum ex nationibus conſtituendarum confugere. Occurrerunt quidem in hac parte majeſtati ſuæ utrimque diverſæ & urgentiſſimæ rationes: tandem quamvis majeſtas ſua in illam partem inclinaverit, quod via illa deputationum, quatenus umquam poſſibilis eſſet, tentari deberet: majeſtas tamen ſua in hoc quemadmodum & in aliis, nemini legem aut ordinem præſcribere voluit; præcipue ſi accuratius rem iſtam *conſiderantibus* aliud videretur.

II. Multa quoque dicta ſunt de libertate proponendi, & intellecta atque attenta declaratione, quam fecit reverendiſſimus dominus legatus, quod decretum illud primum in quo habentur verba illa, *proponentibus legatis*, licet facultatem concedat legatis, non tamen oratoribus illam adimat, majeſtas ſua *integrum* ſibi *reſervavit*, *ſuper* his quæ aliquando vel ſubinde proponere voluerit reverendiſſimos legatos pontificios conſulere, eorumque conſilio habito, illa quæ eidem majeſtati ſuæ pro conſervatione catholicæ religionis in ſacro imperio regniſque & provinciis hæreditariis neceſſaria videbuntur, vel per medium dictorum legatorum, vel ſi ipſi in hoc gravarentur (in quo tamen *nullam controverſiam futuram* eſſe confidit) per ſe ipſam vel per miniſtros ſuos proponi curare, id quod majeſtas ſua Cæſarea, cum aliis quoque regibus & principibus Chriſtiani orbis obſervandum eſſe exiſtimat.

III. Quod in concilio libera debeat dicendi eſſe facultas, de hoc inter majeſtatem ſuam, & reverendiſſimum *dominum* legatum nulla fuit quæſtio. Pollicita autem majeſtas eſt ſua, ſe non ſolum paucis illis patribus, qui ex majeſtatis ſuæ quibuſcumque ditionibus in concilio jam ſunt, vel poſthac venerint, verum etiam majeſtatis ſuæ commiſſariis, quatenus illi non tamquam commiſſariorum, ſed tamquam patrum perſonas ſuſtinentes locuturi ſunt, omnimodam ſuffragii libertatem permiſſuram fore, ſperans, ut non ſolum reliqui Chriſtiani orbis reges & principes, verum etiam ipſemet ſummus pontifex, quoad illos patres, qui ditionibus uniuſcujuſque eorum ſubditi ſunt, ſpectat, idem eſſe facturos, deque hac re majeſtas ſua Cæſarea diſerte ad oratores ſuos præſcribet.

IV. Convenit ſimiliter inter majeſtatem ſuam, & *dictum dominum* legatum, diligentiam eſſe habendam, ne concilium ipſum extraneis & abſurdis actionibus interturbetur, maxime ut rejiciantur multæ quæſtiones, quæ a nonnullis extra propoſitum aliquando poſſent injici, & ut alias in omnibus concilii tractationibus debita modeſtia a quibuſcumque obſervetur. *Monebit in hac* re majeſtas ſua oratores ſuos, ut illuſtriſſimis

dominis legatis in eo omne opportunum auxilium præstent.

V. Quoniam intelligit majestas sua summi pontificis sanctam intentionem illam omnino esse, ut ipsi quoque sacro concilio libertas determinandi integra permaneat, majestas sua id gratissimo acceptavit animo.

VI. Quod ad reformationem universalem ecclesiæ, de qua in antiquis conciliis tam frequens fit mentio, pertinet; majestas sua libenter a reverendissimo domino legato audivit jam plurima decreta, præcipue in his quæ ad abusus Romanæ curiæ spectant, tam in superioribus conciliis Tridentinis sub Paulo III. & Julio III. quam in hoc, sub sanctissimo domino nostro Pio IV. reformationum decreta fuisse. Rogavit autem majestas sua Cæsarea, si qua alia erunt quæ reformatione similiter indigebunt, quæque hactenus sufficienter & realiter repurgatæ non sunt, manum adhibeant reverendissimi domini legati, ut nec in ea quidem parte aliquid negligatur. Id autem reverendissimus dominus legatus cardinalis Moronus non solum pro sua parte liberaliter est pollicitus, verum etiam majestati suæ plurimos canones ostendit, qui in hoc reformationis negotio prope diem in concilio sint proponendi.

Quoniam vero reverendissimus dominus legatus majestati quoque suæ, exemplar bullæ apostolicæ exhibuit, in quo reformatio conclavis pontificii per hunc sanctissimum Dominum nostrum instituta continetur; cumque in ea majestas sua omnia prudentissime & sanctissime constituta esse prospiciat, non potuit non eam mirifice probare. Id tantummodo majestas sua Cæsarea desiderat, ipsum sanctissimum dominum nostrum omni studio in hoc incumbere, partim ut bulla ipsa suam certam & firmam executionem consequatur: partim ut a variis illis machinationibus, quæ in electionibus pontificum occurrere solent, non solum cardinales ipsi eligentes, una cum conclavistis, de quibus iis videtur sufficienter esse dispositum; verum etiam oratores principum, qui tunc temporis in Urbe esse solent, una cum aliis qui curam custodiendi conclavis habent, & universo populo Romano, quatenus opus est, quam severissime appositis pœnis gravissimis absterreantur & compescantur.

VII. Quoniam inordinatam episcoporum electionem, & capitulorum a suis ordinariis exemtionem incredibile damnum universæ ecclesiæ catholicæ hactenus attulisse in confesso est, rogavit majestas sua, ut ejus rei præ omnibus aliis in hoc sacro concilio diligentissima habeatur ratio.

VIII. Novit majestas sua disputationem illam de residentia episcoporum, utrum videlicet ea juris divini sit an non, hisce mensibus præteritis adeo magnis & scandalosis altercationibus agitatam esse, ut si ita dicere liceat, magna ex eo jactura temporis sequuta fuerit. Existimavit quidem majestas sua aliquando de ea re non tantum esse laborandum, quam de eo, ut omnino statueretur episcopos ad residentiam esse urgendos. nunc vero quoniam majestas sua cernit rem usque eo esse progressam, ut prope diem eam absolutam iri speret, nihil aliud supereſt, quam ipsos reverendissimos DD. legatos una cum patribus benevole & clementer majestatis suæ nomine admoneri, ut in ea re bonam aliquam & sanctam ineant concordiam.

IX. Quoniam majestas sua Cæsarea scit a multis illud, quod huc usque unus tantum secretarius ad annotanda ea quæ in concilio fiunt adhibitus sit, pro absurdo esse habitum, variasque in hoc proposito allatas esse rationes, petiit amanter majestas sua, ut ipse D. legatus una cum reverendissimis collegis suis, saltem ad evitandam omnem suspicionem, & ne cuiquam relinquatur conquerendi seu cavillandi locus, hujus rei diligentem rationem habere non gravetur, in quo reverendissimus D. legatus omnem operam suam diligenter est pollicitus.

Postremo quia sanctissimus dominus noster suæ quoque majestati inter alia proponi jussit, majestatem suam cogitare debere an non expediat ipsam suscipiendæ coronæ imperialis nomine saltem Bononiam usque progredi, quod quidem majestati suæ nunc tamquam a vicina quadam exeunti, tanto futurum esset commodius, offerens se sanctitas sua, quod partim hujus rei gratia, partim ut de variis urgentissimis rebus, & præcipue si aliqua commoda concilii translatio fieri posset, cum majestate sua colloqueretur, eodem iter se facturam. majestas sua quamvis sanctitatis suæ pro tam benevolo ac vere paterno animo ingentes, ut par est, habuerit gratias: tamen varias & quamplurimas adduxit rationes cur hoc tempus ad eam rem non satis adhuc videatur esse commodum. Promisit tamen juxta laudabilem majorum suorum consuetudinem, curam de suscipienda hujusmodi imperiali corona se nequaquam esse neglecturum.

Admittitur a sancta synodo illustris præsidens regis Franciæ D. Renatus de Birago.

Die mercurii 11. mensis Junii MDLXII. hora x. fuit congregatio generalis, in qua lectæ fuerunt litteræ christianissimi regis Franciæ ad sacrosanctum concilium, quas præsentavit illustris D. de Birago Mediolanensis, præsidens & consiliarius regius, gallo conscriptæ idiomate, & latinitate donatæ, atque lectæ a reverendissimo secretario concilii alta voce, quarum tenor ejusmodi erat.

Quod licet rex ille pro comperto haberet firmiterque teneret sanctissimos patres concilii plenam habuisse notitiam omnium quæ in suo regno præterito anno evenissent, &

quæ non ſolum reſtinguere conatus eſſet, ſed omnino exſtirpaſſet: cum præſidiis tamen principum advenarum, amicorum & benevolorum ſui ipſius regni; quodque nihil in hac re pro regni conſervatione prætermiſſum fuiſſet; tandem de conſilio reginæ matris ſuæ, procerum & nobilium totius provinciæ, ad pacem cum ſuis inimicis deveniſſe, ac propterea huc eumdem de Birago conſiliarium ſuum mittere ſtatuiſſe, ut hæc omnia ſanctiſſimæ ſynodo *referret*, & *in primis* cauſas ipſas quæ majeſtatem ſuam moviſſent ad pacem contrahendam: rogando ſanctiſſimos patres ut illi in omnibus fidem præſtarent quæ eiſdem ſuo nomine retuliſſet. Quibus lectis, illuſtris de Birago ſermonem ſuum habuit ad reverendiſſimos patres, quibus oſtendit ipſius regni multas ac varias calamitates, ſimulque ſummum ſtudium a ſuo rege ad hibitum pro eiſdem exſtirpandis.

Addidit quoque regem ſuum pro conſervatione *chriſtiani nominis & ſumma erga* Romanam eccleſiam reverentia & obſervantia, quamplurima recuſaſſe in pace contracta, quæ ab adverſariis illi fuiſſent præpoſita, quodque coactus fuiſſet pacem hanc amplecti. provinciæ namque omnes ditiores, munitiores, atque feliciores illius regni, una cum earum civitatibus & habitationibus, quod profecto abſque lacrymis audiri ab omnibus non poterat, in manu jam erant & poteſtate adverſariorum. Populi quoque adeo conſumpti egeſtate & *miſeria incredibili* omnes ita laborantes, ut a rege & proceribus nihil ſperandum eſſet, præter aut ſummam deſperationem, aut penitus a fide catholica diſceſſionem. Solam autem Pariſios civitatem ſe a tanto infortunio præſervare atque in fide Jeſu-Chriſti, & regis ſui hactenus perſeverare, quodque convicinæ provinciæ illius regni, diſcordiæ conflatæ, jam jam arma ſumpſiſſent, conſpiranteſque in regnum, ipſum tentabant invadere. Et propterea ne catholica religio in tanto regno penitus deeſſet, ac ne idem illud exteris nationibus ſubjiceretur, hujuſmodi pax a rege & proceribus admiſſa eſt. Oſtendit verbis ſuis deinde regem ſuum maximo amore ſanctiſſimam hanc ſynodum amplecti, offerens majeſtatem ſuam pro eadem tuenda pro viribus numquam defuturam; petiitque ut hæc eadem ſancta ſynodus cum poſſet obviare hujuſmodi morbo tam gravi & in dies graviſſime ſerpenti ullo labori, nulla prætermiſſa diligentia, pro eccleſiæ & morum univerſali reformatione non parcat. De articulis ſeu conventionibus dictæ pacis, nullum habuit verbum, ſe ſolum quo ad hoc excuſando, dicendoque non opus eſſe hæc repetere, cum jam univerſo orbi ſint nota.

Quibus omnibus ſancta ſynodus reſpondit, ſe opportuno & commodiori tempore illi reſponſuram, atque maturiori conſilio, cum res ipſæ quas nomine ſui regis expoſuerat, ſibi & magni momenti & graviſſimæ viſæ fuiſſent. Dataque a domino ſecretario hujuſmodi *reſponſione* præfato *domino* de Birago, congregatio dimiſſa eſt hora XIII.

Aſſeverant omnes illuſtrem de Birago a rege ſuo habuiſſe quam plurima in mandatis, quæ referre debuiſſet ſanctiſſimæ ſynodo, & inter cetera de transferendo concilium hoc Tridentinum ad civitatem Conſtantiæ ſeu Baſileæ, pro commodo prælatorum Galliæ, Angliæ, Scotiæ & Germaniæ: nullum tamen neque de hoc, neque de alia aliqua re habuit verbum, præter quam de iis quæ ſuperius adnotata ſunt, aiunt ulterius habuiſſe in mandatis ab eodem rege ſuo, ut omnia ad nutum illuſtriſſimi cardinalis de Loiharingia exſequeretur, quæ idem cardinalis prohibuit, proſpiciens animos & ſtudia reverendiſſimorum patrum, atque prudenter factum eſt. Patres enim acriter & *inhumaniter ei reſpondere* decreverant, & quod eiſdem præbuiſſet anſam, ut verba facerent de transferendo hinc concilium in aliam commodiorem civitatem, Lombardiam verſus.

Controverſia inter patres in reſponſione litterarum regi Franciæ.

Die lunæ VII. Junii fuit congregatio generalis hora X. & cum octo ex patribus ſententias ſuas dixiſſent ſuper abuſibus, ut ſupra, de ſacramento ordinis, illuſtriſſimus Moronus *præſidens concilii* habuit ad patres hujuſmodi verba.

Notum vobis eſt, patres reverendiſſimi, quod litteris regis Franciæ reſpondere debemus, & ideo ne talis nimium reſponſio differatur, proponimus vobis reſponſum a nobis jam confectum, quod alta voce mox dominus ſecretarius perleget, ut unuſquiſque ſuper dicta re ſententiam proferre poſſit. Primuſque omnium allocutus eſt illuſtriſſimus a Lotharingia, narrans regem ſuum invitum cum *Hugonottis conditiones pacis* acceptaſſe, poſitumque fuiſſe tunc in tanta rerum neceſſitate, ut cogeretur, aut ratam habere pacem ipſam cum illiuſmodi conditionibus, aut quod reliquum erat in Galliis, quod non eſſet penes ipſos Hugonottos, penitus perditum iri. alterum rempublicam chriſtianam provinciæ illæ auxiliares copias, neque res neceſſarias, ſicut in hujuſmodi debuit, non ſubminiſtraſſe; ſolumque pontificem Romanum atque rempublicam Venetam, in tanta rerum inopia eorum quemque *tribuiſſe* centum millia aureorum; conqueſtuſque eſt ſanctam ſynodum tam acerrime reſpondiſſe regi ſuo, propterea que illi non placere quæ reſpondiſſet. Madruccius dixit tale reſponſum ſibi placere, ſi reverendiſſimi patres approbarent. Alii petierunt ſibi prius exemplar exhiberi, cum in rebus ſeriis numquam tutum ſit ex tempore ſententias proferre. Poſt

plurimas tandem altercationes omnes simul convenere, quod illustrissimi domini legati dictam responsionem corrigerent, ad mitioremque formam reducerent, hocque sine controversia ab universis patribus approbarum est. Sed, ut superius dictum est, cum illustrissimus a Lotharingia magnificentiam pontificis Romani ac reipublicæ Venetæ meminisset, qui propria pecunia sua regi supperias præstitissent, nulla facta mentione de illustrissimo domino duce Florentiæ, qui in tanta rerum angustia tali regno non defuit, cum quinquaginta millia aureorum exhibuisset, id quod palam factum est omnibus patribus per reverendissimum dominum episcopum Aversanum, qui etiam dixit sententias diversas patrum manifeste ostendere, quod res de qua agebatur, non esset parvi momenti; & cum res hujusmodi non posset statim & *ex tempore* diffiniri, *ideo non* solum sibi placere patribus copiam responsionis dari, sed etiam si una cum exemplari exhiberetur copia articulorum, & conditionum dictæ pacis, factoque silentio, illustrissimus MORONUS dixit eisdem, hujusmodi articulos non fuisse legatis traditos, neque etiam lectos, & ideo non posse illos patribus tradere.

Eadem die ab illustrissimis dominis legatis duodecim ex patribus ad illius modo munus exequendum ascitis, expedita fuit, & ad regem missa dicta responsio sub eadem forma quæ fuerat patribus in congregatione lecta, non tamen sine aliqua verborum dissensione inter illustrissimos MORONUM præsidentem & cardinalem a Lotharingia. Moronus enim conquerebatur, quod cardinalis a Lotharingia illa jam ut erant posita approbaverat, & assensus fuerat dum fierent. hic vero se excusans dicebat, non sibi displicere responsum; sed quod propositum fuisset, ut unusquisque patrum peteret a reverendissimo secretario hujusmodi copiam, atque illis præberetur.

Littera sanctæ synodi responsiva ad regem Franciæ.

Quæ ab excellenti atque illustri præside & consiliario domino Renato Birago, Christianissime rex, superioribus diebus publice in hoc sacro concessu exposita fuerunt, ea omnia sancta synodus, quemadmodum rerum gravitas, de quibus agebatur, postulabat, attente & diligenter audivit; atque id officii, quod ei Carolus Galliarum rex christianissimus imposuit, eo cumulatius videri potest impleviſse, quod non solum litteris accurate scriptis, rex ipse omnia fere complexus est, quæ sanctissimos patres hoc tempore scire in primis oportere existimavit. Sed ut majestatis ejus consilia sensusque omnes magis patescerent, *virum a se non minus* prudentiæ, doctrinæ & eloquentiæ laude præstantem, quam generis splendore & nobilitate clarum legavit, qui eadem latius oratione sua prosequeretur. *Ut igitur ad ea* quæ ab eo commemorata sunt paucis respondeamus, etsi nullis verbis exprimi potest quanto cum dolore de pacis conditionibus, quæ proxime in Gallia consecuta est, sancta synodus audierit: vere tamen licet affirmare non minori eo nuncio accepto, molestia affectam esse, quam antea voluptatem & lætitiam ex illa victoria perceperat, quam divino *quodam beneficio*, *Guisiæ ducis* atque aliorum singulari virtute & fortitudine rex christianissimus adeptus erat, quæ sane & merito quidem tanta fuit, ut omnium consensu publicæ supplicationes decretæ & postulationes Deo immortali summa cum pietate, solemnibusque ceremoniis habitæ sint, ac profecto optandum maxime illud erat, ut CAROLO regi, in ea, quam susceperat, catholicæ *fidei* defensione perseverare licuisset, neque antea ipse de pace cum hostibus ineunda ageret, aut meditari cogeretur, quam illi ad Dominum Deum suum, quem turpiter deseruissent, vere atque ex animo converterentur. Hæc enim honesta & diuturna pax futura videbatur, quæ rite compositis religionis rebus, & profligatis erroribus, confirmata esset. Sed quia res summo cum bonorum omnium dolore in hunc locum adducta est; summis etiam precibus ac sine intermissione orandus est Deus, ut pacis consilia feliciores exitus habeant, quam belli artes & armorum conatus habuerunt: si quidem nullum regnum in se divisum diutius staret, neque iis populis qui diversas religiones sequuntur unus rex imperare potest. At vero in tantis Galliæ perturbationibus fidelissima illa & constantissima Parisiorum civitas, cujus puritatem, & in regis sui periculis atque incommodis sublevandis alacritatem, cum idem supra commemoratus excellens atque illustris præses & consiliarius referret, incredibili omnium voluptate animos perfudit, sanctam synodum mirifice recreat & consolatur. hanc enim regni sanctam arcem atque sedem, & disciplinarum omnium clarissimum domicilium Dei munere integram a teterrima illa peste conservatam esse ideo credendum est, ut ab ea tamquam a capite ad subjectas provincias incorrupta catholicæ fidei doctrina manare posset. sed illud interea sancta *synodus pro muneris sui ratione* christianissimam reginam in visceribus JESU-CHRISTI hortatur atque admonet, ut quo se omni diligentia curaturam pollicetur, in eo in primis omnem curam & operam collocet, uti regis tener animus ita assidue in veræ pietatis cultu & apostolicæ sedis obedientia eruditur & confirmetur, ut egregia ilia ac divina indoles, quam in puero admiramur, *in* nulla pestilentis doctrinæ contagione unquam infecta, cum ætate simul adolescat, uberrimosque fructus, & majorum suorum

gloria, & totius christiani orbis expectatione dignos aliquando ferre possit. Deinde vero interposita ecclesiæ suæ, quæ apud omnes regni ordines gravissima esse debent, in hoc etiam summa contentione elaboret, ut qui falsa pietatis specie dejecti a recta religione aberrarunt, ad sanctæ catholicæ ecclesiæ unitatem reducantur; idipsumque omnes discant, ut unius confessionis sacrificium Deo optimo maximo ab omnibus offeratur. Quod quidem si ejus majestas effecerit, præterquam quod sibi æternum gloriæ pondus in cælesti patria promerebitur, immortalem etiam hic, eamdemque gratissimam universæ posteritati nominis sui memoriam amplissimis monumentis commendabit. Quod autem reliquum est, quibuscumque rebus christianissimi regis studium in restituenda vera religione sancta synodus adjuvare poterit, non patietur industriam & pietatem suam aliqua ex parte desiderari: ac præter illa quæ pro temporum ratione de universæ ecclesiæ disciplina & majoribus decernenda videbuntur, libentissime curabit, ut etiam ea quæ privatim Gallicarum ecclesiarum tranquillitatem & statum pertinere intellexerit, suggerente Spiritu-sancto, recte constituantur. Tridenti, die 8. mensis Junii 1563.

Processio in sacratissima corporis Christi festivitate.

Die Jovis x. Junii, quæ dies est festivitati sacratæ corporis Christi, solemni pompa processio facta est; cui interfuere omnes illustrissimi legati atque illustrissimi cardinales a Lotharingia & Madruccius, una cum clarissimis oratoribus, ac ducentis & decem episcopis, cum eorum pluvialibus & mitris: sicque hora x. præeunte processione, illustrissimus Moronus sub baldachino ex more portans sacratissimum Christi corpus, per viam latam prius transeundo, deinde dextrorsum ad forum olitorium, atque deinde ad dexteram e regione ecclesiæ divi Petri rediit in cathedralem S. Vigilii, ubi celebravit solemniter summam missam; qua finita, & data benedictione, omnes ad propria rediere.

Congregatio particularis super septimo canone de sacramento ordinis.

Die Veneris xi. Junii, fuit congregatio particularis domini illustrissimi Moroni primi præsidentis concilii, cui interfuere asciti, præter legatos, illustrissimi DD. legati omnes, cardinales de Loreno & Madruccius, archiepiscopus Pragensis, reverendissimus episcopus & orator regis Poloniæ, episcopus Quinque-ecclesiensis, reverendissimus orator ducis Sabaudiæ, episcopus Tininiensis, patriarcha Venetiarum, archiepiscopus Hidruntinus, archiepiscopus Tarentinus Gallus, archiepiscopus Granarensis, archiepiscopus Bracarensis, archiepiscopus Rheginus, archiepiscopus Verallus Romanus, episcopi Clugiensis, Mutinensis, Verdunensis, Salamantinus: inter quos disputatum est super septimo canone de sacramento ordinis, ut supra, atque ad tollenda scandala propositus fuit hic canon infrascriptus, quem hic inserere nullo pacto deesse possum, non ignarus non posse sic permanere propter infinitas discordias hinc exortas in hoc sanctissimo concilio, quas Deo placeat sopire, atque ad veritatem perducere. Nam canon iste septimus de sacramento ordinis, atque de residentia, omnia hactenus negotia protrahentes, mentes patrum varie distraxerunt, atque adeo maxime, quod concilium hoc celeberrimum temporibus istis turbulentis, & auxilio, & gratia Dei haud parum indiget, ut res cito expediantur, & ne ulterius oves eorum pastorum præsentia defraudentur.

Verum præter jam memoratos ordinum gradus, docet sancta synodus episcopos sedis apostolicæ auctoritate sub Romani pontificis, catholicæ ecclesiæ pastoris, Christi fidelium rectoris, obedientia vocatos, universalis ecclesiæ rectoris & gregis dominici directoris auctoritate ad regendas ecclesias assumtos, a Christo institutos esse ad regendas ecclesias, & in ecclesia catholica præcipuum locum sub Romani pontificis obedientia obtinere, atque eos successores esse in locum apostolorum: quod etiam sancta traditione confirmatur & a sanctis patribus explicatur, traditum est successione, necnon eis & in ecclesiis sibi commissis regendi potestatem habere, atque ipsis solis ordinandi & confirmationis sacramentum tamquam ordinariis ministris conferendi potestatem competere, & proinde patribus, aliisque inferioribus gradibus esse superiores: omnes tamen sub uno Romano pontifice Christi in terris summo & generali vicario beati Petri principis apostolorum, cui pascendi, regendi & gubernandi gregem Dominicum, potestatis plenitudo a Domino nostro Jesu Christo tradita est, successore, qui solus primatum & eamdem potestatis plenitudinem, quam ipse B. Petrus habebat, obtinet: in ecclesiæ tamen ædificationem non in destructionem additum est.

Indictio jam decies prorogata septimæ futuræ sessionis.

Die Martis xv. Junii hora x. congregationi generali interfuere illustrissimi domini legati, domini oratores, atque universi patres, in qua illustrissimus Moronus præses habuit perpauca verba ad reverendissimos patres, quibus illos edocuit post adventum suum Tridentum fuisse prorogatam sessionem, propter ingentia negotia illi commissa a summo pontifice apud Cæsarem. Nunc autem non esse amplius prorogandam, sed maxime insistendum, ut res propere expediantur, oravitque reverendissimos patres, ut una cum eo enixe dent operam expeditioni, quod futurum sperabat, si aanotis perpaucis diffi-

cultatibus, quæ jam per annum & eo amplius œcumenicum hoc concilium ſatanæ inſidiis occupaverant, una omnes inſimul ad hoc tendebant, de quo Deum optimum maximum & conſolatorem Spiritum ſanctum humiliter ſupplicabat, & ne incaſſum adventus meus huc fuiſſe videatur, inquit, & res celerius procurrant, videtur mihi quod ſeſſio futura non ulterius prorogetur, quam ad quintam decimam diem futuri menſis Julii. Hiſque peroratis, tacuit. Quod cum omnibus placuiſſe acclamatum eſſet, dixere ſententias ſuas generales omnes congregationum, præter Lainem Hiſpanum, generalem ſocietatis Jesu, qui dicet craſtina die; atque ita completæ ſunt ſententiæ & nota de abuſibus ſacramenti ordinis, & dimiſſa eſt congregatio hora XIII.

Congregationes continuæ ex cauſa juriſdictionis ſummi pontificis & epiſcoporum.

A die XI. Junii, ut ſupra, uſque ad hanc diem XVII. ejuſdem, quotidie bis habita eſt congregatio domi illuſtriſſimi præſidentis Moroni, cui ſemper interfuere, præter illuſtriſſimos legatos, cardinales de Loreno & Madruccium, reverendiſſimos patres deputatos, & illuſtres oratores Cæſaris, Franciæ & Hiſpaniæ, etiamque plurimi ex patribus, tam juris utriuſque doctoribus, quam theologis, ex cauſa, ut ſupra, ſeptimi canonis de ſacramento ordinis, & præcipue de juriſdictione ſummi pontificis & epiſcoporum, ſatiſque elaboratum eſt ab omni parte & elaboratur. Tandem hac nocte præterita, miſſum fuit exemplar Romam per illuſtriſſimos legatos, de conſenſu deputatorum, ad ſummum pontificem de concordia, Dei munere, dicti canonis de juriſdictione, habita inter patres. Quod ſi ſanctitati ſuæ placuerit, creditur quod omnino ſeſſio futura fiet die ſtatuta abſque aliqua alia dilatione, quod Deus optimus faxit & permittat, ut negotium iſtud in locum reducatur, prout miſerrima indiget Chriſtianitas, rebuſque catholicæ eccleſiæ tuto citoque provideatur. Nam ex hoc & canone etiam de reſidentia, judicio meo, omnia ſcandala in iſto ſanctiſſimo concilio inter patres hactenus provenere, quibus per miſericordiam ſuam provideat Jesus Christus Dominus noſter, cui ſemper ſit honor & gloria.

Confectores canonum de ſacramento matrimonii.

Die lunæ XXI. Junii hora X. in congregatione generali illuſtriſſimus Moronus dixit reſponſionem jam lectam patribus, occaſione, ut ſupra, domini Renati de Birago, fuiſſe jam tranſmiſſam ad regem Chriſtianiſſimum. Nunc autem reliquum eſſe, ut inſtituantur a patribus confectores decreti & canonum de ſacramento matrimonii, ſi eiſdem placeret, quo negotia concilii propediem expedirentur, cum jamjam adventaret dies ſeſſionis, plurimaque inſtarent conficienda. Quibus dictis, ab omnibus patribus data eſt facultas illuſtriſſimis dominis legatis eligendi quos magis placerent; qui ſtatim elegerunt quatuordecim ex patribus ad conficiendos hujuſmodi canones, & dimiſſa eſt congregatio hora XII.

Nomina deputatorum.

Reverendiſſimi domini Quinque-eccleſienſis orator Cæſareus, Auguſtenſis orator ducis Sabaudiæ, Granatenſis, Veraldus, Tarentinus, Bracarenſis, Metenſis, Sagienſis, Senogallienſis, Cremonenſis, Legionenſis, Trevicanenſis, Veſtanus, Marzatenſis.

Controverſia inter oratores Galliæ & Hiſpaniæ, propter quam prohibita ſunt incenſum & pax in miſſarum ſolemnibus.

Die Martis XXIX. Junii, quæ eſt dies ſolemnis apoſtolorum Petri & Pauli, celebravit ſummam miſſam epiſcopus Auguſtæ Prætoriæ, orator illuſtriſſimi ducis Sabaudiæ, in cathedrali eccleſia, ex more, S. Vigilii.

Et quoniam impoſſibile eſt omnia a me minutula poſſe conſcribi, qui non omnibus congregationibus publicis, nedum privatis, interfum, cum nec omnia omnibus reverendiſſimis patribus cognita ſint: quibus ſane, præter ea quæ fiunt in publicis congregationibus, univerſa latent. Nam quæ tractantur privatim ab illuſtriſſimis dominis legatis & deputatis vocatis, qui ſecundum diverſas materias quotidie ad libitum dominorum legatorum vocantur, pleraque & non omnia publice poſtmodum tractantur in congregationibus. Tamen de aliquibus pauculis, etſi parvi momenti, ſeriis per ſe tamen, non poſſum neque debeo libellum qualemcumque defraudare, cum hæc a me non ad pompam ſcripta ſint, ſed ut commodum & voluptatem legentibus afferant, ſimulque ritus & ſtudia, actaque hujus ſanctiſſimi concilii integre conſcribantur, in quantum meæ ſe effuderint vires, exiſtimando maxime in his ſcribendis ſimplicitatem & rei veritatem, quas uſque ad finem, Deo dante, proſequar. Et propterea cum ſuperioribus diebus a me facta fuerit mentio de illuſtribus oratoribus regum Franciæ & Hiſpaniæ, & de eorum præcedentiis, proteſtationibus, & de loco illuſtri oratori regis Hiſpaniarum in congregationibus ſtatuto, hac die ſuperius adnotata, cum illuſtres oratores regis Galliæ eſſent in loco conſueto, ubi oratores ſæculares ſedere conſueverunt, qui in eccleſiis omnibus, cum ſacra aut hujuſmodi peraguntur, ſemper locum ſuum habuerunt, econtra illuſtriſſimos dominos legatos, & *illuſtris* orator catholici regis Hiſpaniarum ſederet, non ubi ceteri oratores ſæculares, propter præcedentiam, ut ſupra, cum oratore regis Galliarum, ſed a dextris illuſtriſſimorum legatorum, poſt tamen reverendiſſimos oratores eccleſiaſticos imperatoris, Hungariæ,

Bohemiæ, Poloniæ, Sabaudiæ & aliorum; ante tamen patriarchas, archiepiſcopos, & epiſcopos in conſeſſu, inter miſſarum ſolemnia, cum eſſet controverſia inter eoſdem oratores Galliæ & Hiſpaniæ, utri eorum prius tradendum eſſet incenſum, poſt lectum evangelium, illuſtriſſimi legati loco ſuo ſtatim recedentes, in ſacrarium conceſſere, ut hujuſmodi lites, ſi poſſibile foret, penitus dirimerentur. Cumque poſt multa non poſſent huic rei prodeſſe, noluerunt ex caritate obeſſe, ſicque ſtatim in hoc inierunt conſilium, ſtatuentes, ut quando uterque orator poſthac publicis iſtiuſmodi ſolemnibus intereſſet, incenſum cuique non daretur eorum, neque ex more pax, atque ita finita miſſa, ad proprias domos omnes dimiſſi ſunt.

Eadem diſcordiæ ſequuntur inter oratores Franciæ & Hiſpaniæ.

A die Martis XX IX. Junii, id eſt a die altercationis inter oratores Galliæ & Hiſpaniæ, utri eorum prius thus tradendum eſſet, uſque ad hunc primum Julii maximæ ſubortæ ſunt controverſiæ inter oratores dictarum nationum; nam ferunt in proteſtationibus ipſis, oratorem Ferrerium Gallum habuiſſe verba injurioſa, nedum contra regem Hiſpaniarum, verum contra ſummum pontificem, verbis ſane quam maxime contumelia plenis; & inter alia pejerando, curaturum ſe eſſe pro viribus ſuis Gallicanum regnum univerſum fieri Hugonottum: nam concilium iſtud Tridentinum, prout hactenus oratoribus Gallis viſum fuerat, non bene de rege ſuo & regno ſentiebat. Contra vero inſtante oratore Hiſpano, quod breve huc tranſmiſſum a ſummo pontifice legeretur, continens ut duo ſimul miniſtri, cum daretur incenſum, ambos oratores ſimul thurificarent, quod nequaquam factum eſt; promiſiſſe tamen tunc illuſtriſſimos DD. legatos oratori Hiſpano paratos eſſe ſe omni tempore ubicumque, & etiam in miſſis dictum breve executuros. At cum verbis ipſis mala mente & ore prolatis, atque proteſtationibus dicti oratoris Galli nullus pro eccleſia catholica reſponderet, orator præfatus regis Hiſpaniæ dixit parvipendere ſe ea omnia quæ dixiſſet contra regem ſuum; ſed vehementer angi cruciarique de conviciis quæ objectaſſet contra ſummum pontificem Romanum atque catholicam ſedem apoſtolicam: propter quæ cogebatur, ut catholici regis orator, de iis peſſime ſentire quæ eſſent in præjudicium ſanctæ Romanæ eccleſiæ; & propterea non propter regem ſuum jam ab eo contumelia affectum, ſed propter catholicam eccleſiam, quam defendere ſemper pro viribus rex ſuus cogebatur, regi ſuo & regno Franciæ bellum proteſtabatur, ex tunc-que indicebat. Quotidie ex ſingulis oris Tridenti apud dictas nationes conveniunt plurimi ex patribus, alii ut hujuſmodi lites dirimant, alii ut homines mulceant, alii ut ſuis conſulant, alii ut quæ fiunt audiant: Romamque quotidie tranſmittuntur ab illuſtriſſimis legatis & illuſtribus oratoribus homines partes ſuas tutantes, reſque in ſumma anguſtia verſatur. Ac ſi umquam univerſo orbi opus fuit gratia & auxilio Dei, nunc maxime opus eſt: nam immenſum bellum præ oculis eſt, reſque fidei noſtræ catholicæ agitur, quæ, ſententia mea, minor eſt apud omnes nationes, quam abhinc centenos annos umquam exſtiterit. Deus ſummus neceſſitatibus noſtris provideat, nec reſpiciat ad peccata noſtra, neque parentum noſtrorum, iram ſuam miſericorditer contra nos compeſcendo.

Canones abuſuum de ſacramento ordinis.

Die ſabbati III. Julii a D. ſecretario concilii traditi fuerunt reverendiſſimis patribus examinandi canones reformati abuſuum de ſacramento ordinis, qui ſunt videlicet:

Canon I. Tanti momenti eſt in eccleſia Dei bonos eſſe paſtores, ut in ea reſtauranda ſancta ſynodus nihil nimium eſſe arbitretur. Itaque præter ea quæ de epiſcoporum inſtitutione hactenus ſancita ſunt, ſtatuit ut cum primum eccleſia vacaverit, ſupplicationes & preces publicæ a capitulo habeantur, & per diœceſim indicantur, quibus clerus populuſque divinam clementiam ſibi conciliare, ac bonum ab ea paſtorem valeat impetrare. Omnes & ſingulos deinde qui ad promotionem præficiendorum quodcumque & quomodocumque jus habent, & operas ſuas quacumque ratione præſtant, monet & docet eam facultatem non illis in ſuum aut ſuorum commodum conceſſam, ſed in eccleſiarum ædificationem & ovium Chriſti ſalutem, ac proinde plus oneris quam honoris ſecum afferre, eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quem digniorem & eccleſiæ utiliorem judicaverint, non quidem precibus, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed proborum virorum conſilio præfici diligenter curaverint. Statuitque præterea, ut nemo præficiatur ipſis eccleſiis cathedralibus ac ſuperioribus ſine teſtimonio metropolitani & duorum ſeu trium epiſcoporum provinciæ, in qua eccleſia vacat, ſeu loci in quo promovendus fuerit diutius commoratus, ubi quis ad eccleſiam alterius regni ſeu provinciæ longo intervallo diviſæ ſit præficiendus, quibus per diligentem inquiſitionem vel examen, aut per utrumque faciendum, conſtat, eum in præficiendo non deſiderari quæ ab hac ſancta ſynodo & ſacris canonibus requiruntur. Si vero eccleſia metropolitana vacaverit, a duobus vel tribus epiſcopis ſenioribus provinciæ, in qua eccleſia vacat, vel loci in quo promovendus diutius fuerit commoratus, idem teſtimonium habeatur. Porro in eccleſiis in quibus de ipſo gremio ex conſuetudine, privilegio, vel ſtatuto epiſcopus eligendus eſt, nonniſi eiſdem qualitatibus ab hac ſancta ſynodo & ſacris canonibus requiſitis præditus eligatur, & ſequuta electione, niſi eodem teſtimonio probatus

batus fuerit, confirmetur. Quod ſi in eccleſia A
talis non reperiatur, aliunde eligatur ſeu poſtuletur, privilegiis, ſtatutis, conſuetudine etiam immemorabili, adverſus præmiſſas nequaquam valituris. Hoc autem teſtimonium continens inquiſitionem & examen, ſi factum fuerit, in publicum inſtrumentum redactum ad Romanum pontificem omnino mitti debeat, ut ipſe ſummus pontifex plenam promovendi cognitionem habens, pro gregis Dominici commodo de paſtoribus eccleſiis poſſit providere. Archiepiſcopi tamen & epiſcopi, quibus hæc reddendi teſtimonii cura incumbit, ob graviſſimum rei hujus periculum, animarum ſuarum ſaluti conſulentes, B
diligenter caveant, ne ob negligentiam in inquiſitione vel examine commiſſam vel alia ratione a vero devient. Confidit autem quod ſummus pontifex hoc præſertim tempore quo tot hæreſibus eccleſia Dei miſere exagitatur, diligenter animadvertet, quibus moribus, doctrina & fide ſint archiepiſcopi vel epiſcopi, qui teſtimonium illud perhibebunt. In eccleſiis autem ad liberam ſummi pontificis diſpoſitionem ſpectantibus, archiepiſcopi epiſcoporum trium, ut ſupra, vel trium cardinalium ſufficiat atteſtatio. Præterea ut accuratius idoneæ perſonæ promoveantur, voluit ut inquiſitio, informatio, teſtimonium & probationes quæcumque de promovendi qualitatibus & eccleſiæ ſtatu habita per cardinalem qui pro more relationem facturus eſt in conſiſtorio, & alios tres cardinales, uno ſcilicet diacono, uno preſbytero, uno epiſcopo diligenter examinetur, & relatio ipſa cardinalis relatoris, & trium cardinalium ſubſcriptione roboretur, in qua ipſi ſinguli quatuor cardinales affirment, ſe adhibita accurata diligentia, inveniſſe promovendos qualitatibus a jure, & ab hac ſancta ſynodo requiſitis præditos, & firmiter credere ſub pe- D
riculo ſalutis æternæ, idoneos eſſe qui eccleſiis præficiantur. Non poteſt poſtremo tot graviſſimis eccleſia incommodis commota quaſi ingemiſcens, non commemorare, nihil magis Dei eccleſiæ officere, quam cum immeriti ad regimen eccleſiarum aſſumuntur, propterea non modo diligentem & accuratam, ſed quammaximam a Romano pontifice in ea re curam adhibendam, ob id præſertim, quod de his quos eccleſiis præficiet, in extremo judicio Deo rationem reddet, & animarum ſanguinem, quæ ex malo negli- E
gentium & ſui officii immemorum paſtorum regimine peribunt, Dominus noſter Jesus Christus de manibus ejus ſit requiſiturus.

II. Promoti ad eccleſias cathedrales ſeu ſuperiores, qui munus conſecrationis non ſuſceperint, ſi infra tres menſes, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur; ſi infra alios tres, eccleſiis ipſo jure ſint privati. Conſecratio vero, ſi extra curiam Romanam fiat, in eccleſia ad quam promoti fuerint, ſi fieri poterit, alioquin in provincia celebretur.

III. Epiſcopi per ſemetipſos ordines conferant; quod ſi infirmitate fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter quam jam probatos & examinatos ad alium epiſcopum ordinandos dimittant.

IV. Nullus ad eccleſias in partibus infidelium, populo Chriſtiano & clero carentes, in poſterum epiſcopus ordinetur, niſi urgens neceſſitas id expoſcat, eique perpetui reditus quadringentorum aureorum auctoritate ſedis apoſtolicæ aſſignentur: qui tamen pontificalia non poſſit exercere, niſi in diœceſi epiſcopi reſidentis, ac pontificalia per ſe exercentis, idque gratis: ita ut ei nihil etiam a ſponte dantibus oblatum recipere liceat: quod ſi ſecus fecerit, a pontificalibus per annum ſit ſuſpenſus.

Quoniam major pars patrum decrevit epiſcopos titulares manere in eccleſia Dei, videretur hic canon omitti poſſe.

V. Prima tonſura non initientur, qui ſacramentum confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & ſcribere neſciant. Et hi ſoli recipiantur, de quibus probabilis ſit conjectura, eos non ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ C
genus elegiſſe.

VI. Ad minores ordines promovendi, bonum a parocho & a magiſtro ſcholæ in qua educantur, teſtimonium habeant. Ad ſingulos vero majores aſſumendi, per menſem ante ordinationem coram epiſcopo ſe præſentent, qui parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac deſiderio eorum qui volent promoveri, publice in eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita a fide dignis diligenter inquirat, & litteras teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum epiſcopum quamprimum referat.

VII. Sancta ſynodus canonem concilii Navatenſis * innovando, eum ab omnibus ſervandum decernit, qui ſic habet: Quando epiſcopus ordinationem facere diſponit, omnes qui ad ſacrum miniſterium accedere voluerint, feria quarta ante ipſam ordinationem vocandi ſunt ad civitatem una cum preſbyteris qui eos repræſentare debent, & tunc epiſcopus a latere ſuo eligere debet ſacerdotes & alios prudentes viros, gnaros divinæ legis, exercitatos in eccleſiaſticis ſanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, inſtitutionem, locum ubi educati ſunt, ſi ſint bene litterati, ſi inſtructi in lege Dei, ante omnia diligenter inveſtigent, ſi fidem catholicam firmiter teneant, & verbis ſimplicibus aſſerere queant. Ipſi autem quibus cura committitur cavere debent, ne aut favoris gratia aut cujuſcumque muneris cupiditate illecti, a vero devient, ut indignum & minus idoneum ad ſacros

* f. Nannetenſis. Refertur dist. 24. cap. 5.

gradus ſuſcipiendos epiſcopi manibus applicent. Quod ſi aliter fecerint, & ille qui indigne acceſſerit, ab altari removebitur, & illi qui donum Sancti Spiritus vendere conati ſunt, coram Deo jam condemnati, eccleſiaſtica dignitate carebunt. Hunc autem canonem quoties ordines generales fieri contingat coram epiſcopo, ordinandis & aliis publice legi mandat; volens etiam quod ante quintam feriam, ſi epiſcopo videbitur, ordinandi coram epiſcopo ſe præſentent.

VIII. Ordinationes ſacrorum ordinum ſtatutis a jure temporibus, ac in cathedrali eccleſia vocatis præſentibuſque ad id eccleſiæ canonicis publice celebrentur. Si autem in alio diœceſis loco, præſente clero loci, digna, quantum fieri poterit, eccleſia ſemper adeatur. unuſquiſque autem a proprio epiſcopo ordinetur. Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis reſcripti vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas ac mores ordinarii ſui teſtimonio commendentur: ſi ſecus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus. Epiſcopus familiarem ſuum ſibi non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium quacumque fraude ceſſante ſtatim reipſa illi conferat.

IX. Abbatibus ac aliis quibuſcumque quantumvis exemtis non liceat in poſterum in locis intra fines alicujus diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius diœceſis, vel exemta eſſe dicantur, cuiquam qui regularis ſibi ſubditus non ſit, tonſuram vel minores ordines conferre: nec ipſi abbates & alii exemti, aut collegia vel capitula quæcumque, etiam eccleſiarum cathedralium, litteras dimiſſorias aliquibus ut ab aliis ordinentur concedant: ſed horum omnium ordinatio, ſervatis omnibus quæ in hujus ſanctæ ſynodi decretis continentur, ad epiſcopos intra quorum diœceſis fines exiſtunt pertineat, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, præſcriptionibus aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Pœnam quoque impoſitam his qui contra hujus ſanctæ ſynodi ſub Paulo III. decretum a capitulo epiſcopali, ſede vacante, litteras dimiſſorias impetrant, ad illos qui eaſdem litteras non a capitulo, ſed ab aliis quibuſvis in juriſdictione epiſcopi loco capituli ſede vacante ſuccedentibus obtinerent, mandat extendi: concedentes autem dimiſſorias contra formam dicti decreti, ab officio & beneficio ſint ipſo jure ſuſpenſi.

X. Minores ordines his qui ſaltem latinam linguam intelligunt & gradatim, niſi aliud epiſcopo magis expedire videretur, conferantur, ut eo accuratius quantum ſit hujus diſciplinæ pondus, poſſint inſtitui, ac in uno-quoque munere juxta præſcriptum epiſcopi ſe exerceant, idque in ea cui adſcripti erunt eccleſia, niſi forte ex cauſa ſtudiorum abſint, atque ita de gradu in gradum aſcendant, ut in eis cum ætate & doctrina major etiam pietas accreſcat: quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in eccleſia miniſterium, & crebrior quam antea corporis Chriſti communio maxime comprobabunt. Presbyteros ut patres honorent, cumque hinc ad altiores gradus & ſacratiſſima miniſteria ſit ingreſſus, nemo iis initietur, quem non conſcientiæ ſpes majoribus ordinibus dignum oſtendat. Hi vero nonniſi poſt annum a ſuſceptione poſtremi gradus minorum ordinum ad ſacros ordines promoveantur, niſi neceſſitas, aut eccleſiæ utilitas judicio epiſcopi aliud expoſcat.

XI. Nullus prima clericali tonſura initiatus, etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, ante XIV. annum beneficium poſſit obtinere. Is etiam nullo privilegio clericali gaudeat, niſi beneficium eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum & tonſuram deferens, alicui eccleſiæ ex mandato epiſcopi inſerviat, vel in ſeminario clericorum, aut in aliqua ſchola vel univerſitate de licentia epiſcopi, quaſi in via ad majores ordines ſuſcipiendos, verſetur. In clericis vero conjugatis ſervetur conſtitutio Bonifacii VIII. quæ incipit: *Clerici qui cum unicis*, modo hi clerici alicujus eccleſiæ ſervitio & miniſterio ab epiſcopo deputati, eidem eccleſiæ ſerviant vel miniſtrent, & clericali habitu & tonſura utantur, nemini quo ad hoc privilegio, conſuetudine & immemorabili ſuffragante.

XII. Sancta ſynodus conſtitutioni Clementis in concilio Viennenſi inhærendo decernit, ut quis ad ordines ſubdiaconatus in XVIII. diaconatus in XX. preſbyteratus in XXV. ætatis ſuæ anno poſſit promoveri. Sciant tamen epiſcopi, non ſingulos in ea ætate conſtitutos debere ad hos ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit, mandans ut regulares nec in minori ætate, nec ſine diligenti epiſcopi examine debeant promoveri, privilegiis quibuſcumque quoad hoc penitus excluſis.

Videant potteſtates an magis probent quod ætas ſubdiaconatus ad XXII. diaconatus ad XXIII. reducatur, ætatem preſbyteratus non immutando.

XIII. Subdiaconi & diaconi ordinentur habentes bonum teſtimonium, & in minoribus ordinibus jam probati, ac litteris & his quæ ad ordinem exercendum pertinent inſtructi, qui ſperent, Deo auctore, ſe continere poſſe, ſi eccleſiis quibus adſcribentur inſerviant. ſciantque maxime decere, ſi ſaltem diebus dominicis & ſolemnibus cum altari miniſtraverint, ſacram communionem percipiunt. promoti ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem, ſi per annum ſaltem in eo fint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur. Sacri ordines non eodem die etiam regularibus conferantur, privilegiis & indultis quibuſ-

vis conceſſis nonobſtantibus quibuſcumque.

XIV. Qui pie & fideliter in miniſteriis ante actis ſe geſſerint, ad preſbyteratus ordinem aſſumantur; bonum habeant teſtimonium; uni tamen eccleſiæ ſint addicti: & qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, niſi ob eccleſiæ utilitatem & neceſſitatem aliud epiſcopo videretur, miniſtraverint; ſed & quoad populum docendum ea quæ ſciri ab hominibus neceſſe eſt, & ad miniſtranda ſacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur, atque ita pietate & caſtis moribus conſpicui, ut præclarum bonorum operum exemplum & vitæ monita ab eis poſſint expectari. Curet epiſcopus, ut ii ſaltem diebus dominicis & feſtis ſolemnibus; ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut ſuo muneri ſatisfaciant, celebrent. Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare. Quamvis preſbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem recipiant, decernit tamen & declarat ſancta ſynodus nullum, etiam regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab epiſcopo examinatus, & idoneus repertus, approbationem & licentiam, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus.

XV. Cum nullus debeat ordinari qui judicio ſui epiſcopi non ſit utilis aut neceſſarius ſuis eccleſiis, ſancta ſynodus veſtigiis ſexti canonis concilii Calchedonenſis inhærendo ſtatuit, ut nullus in poſterum ordinetur qui illi eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate aut utilitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quod ſi locum inconſulto epiſcopo deſeruerit, ei ſacrorum exercitium interdicatur. nullus præterea clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui ordinarii litteris ab ullo epiſcopo ad divina celebranda, & ſacramenta adminiſtranda admittatur.

XVI. Cum adoleſcentium ætas, niſi recte inſtituatur, prona ſit ad mundi voluptates ſequendas; & niſi a teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, numquam perfecte ac ſine maximo & ſingulari prope modum Dei omnipotentis auxilio, in diſciplina eccleſiaſtica perſeveret, ſancta ſynodus ſtatuit, ut ſingulæ cathedrales metropolitanæ atque his majores eccleſiæ, pro modo facultatum, & diœceſis amplitudine, certum puerorum ipſius civitatis & diœceſis, vel ſi ibi non reperiantur provinciæ, numerum in collegio ad hoc prope ipſas eccleſias, vel alio in loco convenienti, ab epiſcopo eligendo alere, ac religioſe educare, eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur ii qui minimum XII. annos nati ſunt, & legere ac ſcribere competenter noverint, & quorum indoles & voluntas ſpem afferat, eos eccleſiaſticis miniſteriis perpetuo inſervituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modo ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præ ſe ferant Deo & eccleſiæ inſerviendi. Hos pueros epiſcopus in tot claſſes, quot ei videbitur, diviſos, juxta eorum numerum, ætatem ac in diſciplina eccleſiaſtica progreſſum, partim cum ei opportunum videbitur, eccleſiarum miniſterio addicet, partim in collegio erudiendos retinebit, alioſque in locum eductorum ſufficiet: ita ut hoc collegium Dei miniſtrorum perpetuum ſeminarium ſit. Ut vero in eadem diſciplina eccleſiaſtica commodius inſtituantur, tonſura ſtatim, atque habitu clericali ſemper utantur, grammatices, cantus, computi, aliarum bonarum artium diſciplinam diſcent, ſacram ſcripturam, libros eccleſiaſticos, homilias ſanctorum, atque ſacramentorum tradendorum & rituum, ac ceremoniarum formam ediſcent, pro ſingulorum ætate & ingenio. Singulis diebus miſſæ ſacrificio intereſſe cogantur, ac ſolum ſingulis menſibus confiteri peccata, & ſumere corpus domini noſtri Jesu Christi. Cathedrali & aliis loci eccleſiis diebus feſtis inſervient. Quæ omnia atque alia ad hanc rem opportuna & neceſſaria epiſcopi ſinguli cum conſilio duorum canonicorum ſeniorum & graviorum, quos ipſi elegerint, prout Spiritus-ſanctus ſuggeſſerit, conſtituent; eaque ut ſemper obſerventur, ſæpius viſitando operam dabunt. Diſcolos & incorrigibiles, ac malorum morum ſeminatores acriter punient, eos etiam, ſi opus fuerit, expellendo, omniaque impedimenta auferentes, quæcumque ad obſervandum & augendum tam pium & ſanctum inſtitutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. & quia ad collegii fabricam inſtituendam, & ad mercedem præceptoribus ſolvendam, & ad alendam juventutem, certi reditus erunt neceſſarii, ultra ea quæ ad inſtituendos vel alendos pueros, ſunt in aliquibus eccleſiis & locis deſtinata, quæ eo ipſo huic ſeminario, ſub eadem epiſcopi cura applicata cenſeantur; idem epiſcopus cum conſilio duorum a capitulo deputandorum, & duorum de clero, ex fructibus integris menſæ epiſcopalis & capituli, & quarumcumque dignitatum, perſonatuum, officiorum, canonicatuum, portionum, abbatiarum & prioratuum, cujuſcumque ordinis, etiam regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint, & beneficiorum quorumcumque, etiam juris patronatus cujuſcumque fuerint, etiamſi exemta, vel aliis eccleſiaſticis, monaſteriis, hoſpitalibus, & aliis quibuſvis locis piis, etiam exemtis annexa, & ex fabricis eccleſiarum & aliorum locorum, etiam ex quibuſcumque aliis eccleſiaſticis reditibus ſeu proventibus & aliorum collegiorum, ſeu

corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis ſcholæ appellantur, & omnium monaſteriorum, non tamen Mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione, etiam ad laïcos & milites, cujuſcumque militiæ aut ordinis pertinentibus, ex quibus ſubſidia eccleſiaſtica ſolvi ſolcant, partem aliquam vel portionem detrahent, & eam portionem ſic detractam, necnon beneficia aliquot ſimplicia, vel etiam præſtimonia vel præſtimoniales portiones nuncupata, vel etiam abbatias, vel prioratus, quæ conventu careant, & ſolent ſæcularibus clericis commendari, huic collegio in perpetuum applicabunt & incorporabunt. Ad hanc autem portionem ſingulis annis ſolvendam, beneficiorum, dignitatum, perſonatuum, & omnium & ſingulorum ſupra memoratorum poſſeſſores non modo pro ſe, ſed pro penſionibus, quas aliis forſan ex dictis fructibus ſolverent, retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis penſionibus illis erit ſolvendum, ab epiſcopo loci per cenſuras eccleſiaſticas, ac alia juris remedia compellantur, quibuſvis, quoad omnia & ſingula ſupraſcripta, privilegiis, exemtionibus, etiamſi ſpecialem derogationem requirent, conſuetudine etiam immemorabili, quavis appellatione, inhibitione, & allegatione, quæ exſecutionem impediat, non obſtantibus. Quod ſi cathedralium & aliorum majorum eccleſiarum prælati in hac ſeminarii erectione, ejuſque conſervatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſolvere detrectaverint, epiſcopum archiepiſcopus, archiepiſcopum & ſuperiores, etiam vocato ad hoc, ſi videbitur, auxilio brachii ſæcularis, ſynodus provincialis acriter corripere, eoſque ad omnia ſupradicta cogere debeat, & ut quamprimum tam ſanctum, tam pium opus, ubicumque fieri poterit, promoveatur, ſtudioſe curabit. Rationes autem reddituum hujus ſeminarii epiſcopus ſingulis annis audiat, præſentibus duobus a capitulo, & totidem a clero deputatis. Deinde ut cum minori impenſa hujuſmodi ſcholis inſtituendis provideatur, ſtatuit ſancta ſynodus, ut archiepiſcopi, epiſcopi, primates & alii locorum ordinarii, ſcholaſterias obtinentes, & alii quibus eſt lectionis vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipſis ſcholis inſtituendos, per ſeipſos ſi idonei fuerint, alioquin per idoneum ſubſtitutum ab eiſdem ſcholaſticis eligendum, vel ab ordinariis probandum, per ſubſtractionem fructuum cogant & compellant. Quod ſi judicio epiſcopi ſubſtitutus dignus non fuerit, alium qui dignus ſit nominet, omni appellatione remota: quod ſi neglexerit, epiſcopus ipſe deputet. Docebunt autem prædicti quæ videbuntur epiſcopo expedire. De cetero vero officia vel dignitates ipſæ quæ ſcholaſticæ dicuntur, nonniſi doctoribus vel magiſtris aut licentiatis in ſacra pagina aut in jure canonico, & aliis perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explere poſſint, conferantur; & aliter facta proviſio nulla ſit & invalida, non obſtantibus quibuſvis privilegiis & conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Si vero in aliqua provincia eccleſiæ tanta paupertate laborarent, ut collegium in aliquibus erigi non poſſit, ſynodus provincialis vel metropolitanus cum duobus antiquioribus ſuffraganeis in eccleſia metropolitana, vel alia provinciæ eccleſia commodiori, unum aut plura collegia, prout opportunum judicabit, ex fructibus illarum eccleſiarum in quibus ipſum collegium commode inſtitui non poteſt, erigenda curabit, ibique pueri illarum eccleſiarum educentur.

Ut autem quemquam latere non poſſit ſingulorum ordinum officium & munus, de quorum reformatione ſuperius actum eſt, ut unuſquiſque cum ad aliquem gradum ordinatur, ſciat in quibus ſe exercere debeat, viſum eſt ſanctæ ſynodo de his etiam conſequenter explicare, quæ vel apoſtolorum traditione, vel a ſanctis patribus, vel a ſacris conciliis decreta & conſtituta ſunt.

Oſtiarii officium.

Ut igitur ab oſtiariis incipientes uſque ad diaconatum aſcendamus, eorum varia fuiſſe in eccleſia munera perſpicuum eſt; quæ etiam per varios miniſtros exercebantur, per ſacrarum ſcilicet portarum cuſtodes & per ædituos, quamvis omnes ad oſtiariorum ordinem pertinerent. Primum itaque oſtiis templi cum ea aperuiſſent aſſidue aſtabant, indignos ingredi prohibentes, ut infideles & excommunicatos: cumque ſive a diacono ſive ab exorciſta alta voce pronuntiaretur, *Exeant qui non communicant*, excluſis profanis hominibus, cavebant ne quis immundus in eccleſia irreperet. Præterea eorum erat percutere cymbalum & campanam, ut ad cultum Dei fideles convocarentur, quo tempore pſalmodia vel ſacrum celebrandum eſſet, deinde librum ei aperire qui prædicabat: ad hæc operam dare, ne aliquid eorum quæ intra eccleſiam eſſent, periret. Poſtremo, ad eos pertinebat curare, ut in domo Dei omnia decore & religioſe fierent, neve quis deambularet, nugaretur vel indecenter ſederet aut ſtaret. Hæc igitur omnia quantum fieri poteſt, ut in eccleſia epiſcoporum induſtria reſtituantur ſancta ſynodus vehementer cupit, hortatur ac præcipit. Maxime autem proderit eccleſiaſticorum miniſtrorum diſciplinæ atque inſtitutioni, ut & portas templi ſervare, & hujuſmodi alia officia gerere non dediguntur: in his enim humilioribus ſe exercentes, ſi quid tamen humile cenſendum eſt, quod ad Dei cultum quovis modo referatur, firmiores poſtea erunt & ſanctiores ad ſacratiora miniſteria obeunda. Multum etiam ornamenti & ſplendoris domui Dei accedet, ſi hoc munus pie & ſedulo curetur. Nam cum templi oſtium tanta diligentia cuſtodiri

populus videt, docetur hac ceremonia quam sancta sit domus Dei, atque terribilis sit locus ille, & quanta cum reverentia versari in eo oporteat. Neque vero supervacaneum hoc tempore illorum ministerium videri potest, cum Judæi & excommunicati in ecclesiam irrumpant, & sæpe immundis animalibus templum Domini fœdetur. Verum si forte hæc munera omnia quæ commemorata sunt minus commode in aliquibus locis exerceri possint, ut ostiarii eam cessationem aliqua vili opera compensent, librum conficient, in quo descripti sint quicumque tempore ab ecclesia statuto non communicaverint, & qui peccatricem vitam publice ducunt, quive negligentius diebus festis ad sacra conveniunt. Hoc enim catalogo pastor adjutus, facilius oves sibi commissas curare poterit. Dabunt etiam operam, ut cimiteria sæpius verrantur, & omni fœditate purgata, diligenter custodiantur.

Lectorum officium.

Lectorum præterea multa fuerunt in ecclesia munera; nam sanctæ plebi libros veteris testamenti, & ex suggesto etiam evangelia, non tamen salutato populo, legebant. Legebant item quæ ab episcopo vel ecclesiæ doctore exponenda erant. Notariorum præterea & scribarum officium exercebant, ut ex hoc conjicere liceat eos bibliothecis præfectos fuisse. Ad hæc lectiones cantabant, panem & omnes fructus benedicebant: quæ quidem munera in usum renovari sancta synodus hortatur, prout singuli episcopi ecclesiis suis expedire judicaverint. Primum enim poterit aut ex veteri testamento, aut ex evangeliis, aut ex sanctorum patrum tractatibus eo temporis spatio ad fidelium ædificationem aliquid legi, cum populus vel sacrum, vel horarum canonicarum psalmodiam, vel concionem expectat. neque enim parvum intervallum intercedit antequam hæc celebrentur, ex quo populus ad ecclesiam convenit. Deinde vero si concio extra missarum solemnia habeatur, commode restituatur lectio ex sacris libris, tum ut populus ad Dei verbum audiendum magis excitetur, tum etiam ut concionator aliqua ratione admoneatur, illud sibi in primis injunctum esse, ut sanctarum scripturarum pabulo fideles reficiat. At vero præter illarum prophetiarum lectionem, quæ sanctis quibusdam diebus in missa ante epistolam ab eis leguntur, poterunt etiam lectiones matutinales illis committi. Nam & correcte magis & distincte legerentur, quam hodie fieri consuevit, cum non ex tempore, sed meditate eas sint pronuntiaturi. In primis vero ordinarii curabunt, ut quemadmodum antiquus canon jubet, fideles primorum fructuum benedictionem ab ecclesia accipiant, sicque Deo pro collatis sibi beneficiis gratias agant. Quod quidem ministerium lectoribus in eorum ordinatione committitur. Ad eos etiam videtur spectare cantorum officium. Insuper eorum curæ ac fidei piorum legatorum catalogus & instrumenta omnia, sive quæ ad ecclesiæ utilitatem & privilegia, sive quæ ad proventus & possessiones pertinent, mandari poterunt.

Exorcistarum officium.

Sequitur exorcistarum ordo, qui etiam varia munera exercere consueverant, inter quæ illud præcipuum erat, ut dæmones ab energumenis expellerent, & in administratione sacramenti baptismatis sacerdotibus auxilio essent. Exorcismis & sufflationibus immundos dæmones abjicientes, missa catechumenorum absoluta, admonebant non communicantes ut abscederent. Aquam in ministerio præbebant. Hæc omnia episcopi judicio singulis ecclesiis restituenda erunt. Illa vero cum maxima utilitate exercere poterunt. Primum quidem in libro aliquo omnium infirmorum nomina describent, ut eorum cura admoneatur episcopus aut parochus, quibus sacramenta, aut pœnitentiæ, vel sanctissimæ eucharistiæ, vel extremæ unctionis, administranda sint, corporali etiam necessitati subsidium ferant, si eguerint. Deinde pro eo officio, quod illis commissum erat, ut non communicantes ab ecclesia discedere admonerent, nunc prohibebunt laïcis ac multo magis mulieribus, ne ad altare, præsertim cum sacra mysteria celebrantur, accedant. Publice etiam atque alta voce veluti quidam sacrarum ceremoniarum magistri, possent fideles admonere, cum horis canonicis & missarum solemniis intersunt, quo tempore aut standum, aut caput aperiendum, aut genuflectendum esset. Videmus enim quod negligenter hujusmodi ecclesiæ ceremoniæ ferventur; quæ tamen vel ad declarandam vel ad excitandam animi devotionem salubriter ac necessario institutæ sunt.

Acolythorum officium.

Acolythorum præterea non unum fuisse ministerium apertissimum est, cum enim episcopum assidue sequerentur, (unde & nomen habuerunt: nam græce acolythos, latine sequentem significat) ei aderant, nedum in domesticis obsequiis, & in perferendis ecclesiasticis litteris, sed etiam in sacramentorum omnium administratione, & præcipue altari servientes, thura incendebant, procurandisque & accendendis & portandis ecclesiæ luminaribus mancipati erant, atque uno verbo præsto erant episcopis quotiescumque eorum opera ecclesia indigere videretur. Hujus itaque ordinis munera quo facilius restitui possunt, eo etiam diligentius, ut id fiat, sancta synodus hortatur. Posset præterea eis mandari, ut eorum qui baptizantur & confirmantur, itemque suscipientium nomina describerent, & in catalogum deferrent, in quo etiam nomina eorum essent,

qui nuptialem benedictionem recipiunt.

Hyppodiaconorum officium.

Hyppodiaconi his accedunt. Horum quoque multiplex in ecclesia munus fuit. Nam quod ad Dei cultum & altaris ministerium attinet, sacrificio aquam præparabant, diacono ministrabant calicem, & patenam ei ad Christi mensam parabant, & oblationem quantum populo sufficiebat, in altari ponebant. Pallas altaris & corporalia abluebant, & epistolas legebant. In his vero quæ ad fideles spectant, eorum munus erat catechismum docere, eleemosynarum ceterarumque oblationum curam habere, quas postea ex eorum manibus diaconus accipiens, judicio episcopi dispensabat. Hæc omnia ministeria, ut summa diligentia exerceantur, in primisque ut rudimenta catholicæ fidei pie & sincere populus doceatur, sancta synodus districte præcipit. Nihil enim est hoc tempore, quod ecclesiæ Dei magis prodesse possit, quam si adversus hæreticorum impietatem & fraudes brevi & compendiaria catholicæ doctrinæ summa fideles instituantur & muniantur.

Diaconorum officium.

Diaconorum autem ordini, quia a ceteris ecclesiæ ministris distinctum est, & sacerdotio proximus, quam multa & necessaria & sacra ministeria commissa fuerint, satis apparet. Ipsi enim oculi episcoporum sunt, & præcipue oculi ministri, quorum opera, sive cum sacra mysteria celebrantur, sive in ecclesiæ procuratione numquam non præsto esse debet, atque in tremendo quidem sacrificio, oblationes acceptas a subdiaconis offerunt altari, componunt mensam Domini, evangelium populo annunciant, consecrantibus sacerdotibus assistunt, admonent populum de solemnibus ritibus in ecclesia observandis. Hortari etiam debent, ut sursum corda erigant, atque orationi animum præparent. Monere præterea ut sacrificio adesse velint, nihil adversi inter se habeant, non odium, non iram, neque pravam voluntatem, sed mutuam caritatem exerceant. In gubernanda vero ecclesia assiduum esse debet diaconorum ministerium. Eorum est enim episcopum prædicantem custodire, ne aut ab insidiatoribus quoquo modo infestetur, aut verba divina jurgiis & obtrectationibus polluantur ac despiciantur. Ad eos etiam spectat, jubente episcopo, baptisare & prædicare, publicos etiam pœnitentes ecclesiæ reconciliare, in casu necessitatis & in absentia episcopi & sacerdotis, modo sine cathedra id faciant. quæcumque vero ad corporale subsidium, quod & œconomis tribuitur, viduarum, pupillorum, orphanorum, incarceratorum, infirmorum & omnium afflictorum, vel ad spiritualium fidelium utilitatem pertinere possunt, diligenter ab eis perquirenda, & cum pietate curanda sunt.

Qua in re latissima patere debet illorum caritas & sollicitudo: nam quod est misericordiæ, dilectionis affectu omnes fideles complectentur, atque eos præcipue, quibus majora benignitatis officia impendenda esse animadverterint. Hæc itaque omnia tam necessaria mandat sancta synodus, ut quæ ad hanc diem in ecclesiis servata sunt, sancte & religiose exerceri episcopi curent. Quæ vero negligentia intermissa fuerant, omni studio & pietate restituant, quo fidelis populus, adjuvante Deo, modo ad æternam beatitudinis gloriam felicius provehatur.

Episcopus autem ex aliqua præbenda vel beneficiis ecclesiæ, in qua ipsæ functiones commode restitui poterunt, aliquot portiones ita singulis ordinibus destinatas eriget, ut alia sit hostiarii, alia lectoris, alia reliquorum, ipsæ singulæ portiones singulis constitutis in prædictis ordinibus, & in eisdem se exercentibus confirmentur.

Conventio ad tempus inter illustres oratores regum Franciæ & Hispaniæ ex causa præcedentia.

Die Dominica IV. Julii, non fuerunt celebrata officia ex more in ecclesia cathedrali S. Vigilii, ut factum est per singulos dies dominicos per totum annum, primo celebrando missam, postea prædicando, deinde faciendo lustrationem, circumeundo totam plateam cathedralis ecclesiæ, & cantando letanias. In causa fuit. Nam illustrissimi legati statuerant die sabbati tertia præcedente negotium præcedentiæ oratorum Franciæ & Hispaniæ prorogari, ne ad rixas ulterius ab eis procederetur. Factaque est interim conventio inter eos rursum, ne incensum post hac & pax in missa oratoribus ipsis traderetur, quousque ab eisdem oratoribus haberetur responsum a suis regibus, quos de hujusmodi negotio certiores reddiderant.

Doctrina & canones dantur patribus de sacramento ordinis.

Die Mercurii septima Julii, a domino secretario data fuerunt patribus videnda & consideranda, an sic placeret infra scripta doctrina & canones, una cum decreto de residentia, de sacramento ordinis, quæ omnia in principio sic se habebant.

Vera & catholica doctrina de sacramento ordinis, ad condemnandos errores nostri temporis, a sancta synodo decreta & publicata.

Caput I. Sacrificium & sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, &c. *ut apud Raynaldum ad annum* 1563.

Decretum de residentia.

Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum

aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, ac in cetera munia paſtoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab his præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, atque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt, ſancta ſynodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate paſcant & regant. Ne vero ea, quæ de reſidentia ſancte & utiliter jam antea ſub felicis recordationis PAULO III. ſancita fuerunt, in ſenſus a ſacroſanctæ ſynodi mente alienos trahantur, ac vigore illius decreti quinque menſibus continuis abeſſe liceat, illis inhærendo declarat ſancta ſynodus omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis & cathedralibus eccleſiis quibuſcumque, quocumque nomine & titulo præfectos, obligari ad perſonalem in ſua eccleſia vel diœceſi reſidentiam, ubi injuncto ſibi officio defungi teneantur, neque abeſſe poſſe niſi ex cauſis & modis infra ſcriptis. Nam cum Chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens eccleſiæ vel reipublicæ utilitas aliquos nonnumquam abeſſe poſtulent & exigant; decernit eadem ſancta ſynodus has legitimæ abſentiæ cauſas a Romano pontifice aut metropolitano, vel eo abſente ſuffraganeo epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas, niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus & officium epiſcopatibus adjunctum; cujus quoniam cauſæ ſunt notoriæ & interdum repentinæ, ne eas quidem ſignificare metropolitano neceſſe erit; ad eumdem tamen cum concilio provinciali ſpectabit judicare de licentiis a ſe vel a ſuffraganeo datis, & videre ne quis eo jure abutatur, & ut pœnis canonicis errantes puniantur. Interea meminerint diſceſſuri ita ovibus ſuis providendum, utquan tum fieri poterit ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt, ſancta ſynodus vult illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſive continuum ſive interruptum extra prædictas cauſas nullo pacto debere duos aut ad ſummum tres menſes excedere, & haberi rationem, ut id æqua ex cauſa fiat, & abſque ullo gregis detrimento; quod an ita ſit abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam & timoratam fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur. Eoſdem interim admonet & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, dominici adventus, quadrageſimæ, nativitatis, reſurrectionis Domini, pentecoſtes, item & corporis Chriſti diebus, quibus refici maxime & in Domino gaudere paſtoris præſentia oves debeant, ipſi ab eccleſia ſua cathedrali ullo pacto abſint, niſi epiſcopalia munia in ſua diœceſi eos alio vocent. Si quis autem, quod utinam numquam eveniat, contra hujus decreti diſpoſitionem abfuerit, ſtatuit ſancta ſynodus præter alias pœnas adverſus non reſidentes ſub PAULO III. impoſitas & innovatas, ac mortalis peccati reatum quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ, fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſequuta, illos ſibi detinere poſſe, ſed teneri, aut ipſo ceſſante, ſuperiorem eccleſiaſticum illos fabricæ eccleſiarum aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conventione vel compoſitione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur: ex qua etiam prædicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis cuicumque collegio aut fabricæ conceſſis. Eadem omnino etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque qui beneficium aliquod eccleſiaſticum curam animarum habens obtinent, ſancta ſynodus declarat & decernit, ita tamen, ut quandocumque eos, cauſa prius per epiſcopum cognita & probata abeſſe contigerit, vicarium idoneum ab ipſo ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam, ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non obtineant. Quod ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter contumaces fuerint, liberum eſſe ordinariis per cenſuras eccleſiaſticas, ac ſequeſtrationem & ſubtractionem fructuum aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem compellere, nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemtione, etiam ratione cujuſcumque beneficii, pactione, ſtatuto & juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, conſuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela cenſenda eſt, ſine appellatione aut inhibitione, etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianæ conſtitutionis ſuſpendi poſſe.

Poſtremo tam decretum illud ſub PAULO III. quam hoc ipſum in conciliis provinciæ ibus & epiſcopalibus publicari ſancta ſynodus præcipit. Cupit enim quæ a Deo ex paſtorum munere animarumque ſalute ſunt, frequenter omnium auribus, mentibuſque infigi, ut in poſterum, Deo juvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut deſuetudine aboleantur.

Congregatio particularis domini illuſtriſſimi præſidentis, circa reformationem abuſuum de ſacramento ordinis & aliorum.

Die Jovis VIII. Julii, hora XIX. fuit congregatio particularis domi illuſtriſſimi MORONI, ſuper abuſibus reformatis de ſacramento ordinis, cui interfuere quatuor illuſtriſſimi legati, aliique duo cardinales de

Loreno & Madruccius, oratores imperatoris, regum Franciæ, Hiſpaniæ, Portugalliæ, & Venetiarum, & de reverendiſſimis patribus circiter XL. vocati tamen cujuſcumque nationis & nobiliores, linguiſque & doctrina pollentes; quibus omnibus ab illuſtriſſimo MORONO præſidente brevibus expoſitum fuit, rogatique ſinguli, ut circa eoſdem dictos abuſus ſic reformatos, quiſque diceret quid ſentiebat, maxima qua poſſet brevitate, memores jam adeſſe in foribus ſeſſionem, neque amplius poſſe prorogari, abſque calumnia patrum & eorum dedecore. Re itaque cœpta, poſtquam cardinales de Loreno & Madruccius complerunt ſententias ſuas, atque item patres breviſſime loquendo, omnes omnia fere, ut in ipſis canonibus reformatis habetur, affirmarunt. nam præter primum canonem, quartum, & quæ de primis ordinibus ponuntur, oſtiariorum, lectorum & hujuſmodi, univerſa approbata ſunt. Illa autem tria in aliud tempus magis commodum protraxerunt. Hiſque peractis dimiſſi ſunt omnes.

Concordia maxima patrum ex cauſa abuſuum de ſacramento ordinis & de reſidentia.

Die Veneris IX. ejuſdem, hora IX. fuit in loco conſueto S. Mariæ majoris congregatio generalis, cui interfuerunt illuſtriſſimi legati, cardinales de Loreno & Madruccius, univerſique domini oratores, atque patres, & pauci admodum defuerunt, habitaque oratione ſolita de Spiritu-ſancto, & omnibus ſedentibus, illuſtriſſimus præſidens propoſuit, eſſe illa die agendum de decreto ſacramenti ordinis, ſimulque de decreto reſidentiæ. Et quoniam ex majeſtate ordinis, nobiliores ſemper dicunt primi, cardinalis de Loreno primus dixit ſententiam ſuam; quem profecutus eſt Madruccius, atque eumdem ceteri patres, omnes tamen ſuper ambobus omnia, Spiritu-ſancto adjuvante in bonum, breviter protulere, fere per verbum *placet*: quod miraculo ab univerſis traditum eſt. Propter enim hujuſmodi rem tam ſeriam, & de ordine & de reſidentia jam annus conſumtus eſt totus, & eo magis, conciliumque iſtud propterea in partes diviſum & protractum, nihil fere frugi uſque nunc per dictum tempus concluſit. Sic omnia rite probeque a patribus comprobata ſunt, ſicut in decretis, paucis rebus admodum reformatis, prout videbitur in reformatione in die ſeſſionis: atque hinc videre licet Chriſtum, cum vult, influere, cui ſit honor & gloria ſempiterna, dimiſſaque eſt congregatio hora XIV. cum dimidia.

Die ſabbati X. Julii congregationi generali affuerunt illuſtriſſimi legati & ceteri, ut ſupra, in qua tractatum eſt de abuſibus ſacramenti ordinis, atque ita factum fuit quotidie a patribus, uſque ad hanc diem XII. in qua impoſitus eſt finis fere ab omnibus per verbum *placet*.

Die Martis XIII. ejuſdem, illuſtriſſimi domini legati congregaverunt ſeorſum cardinales de Loreno & Madruccium, omneſque oratores, & quoſdam præcipuos prælatos Hiſpaniæ, Galliæ & Italiæ, ut univerſali omnium conſenſu & concordia die Jovis indicta ſeſſio haberi poſſit. qui etſi adhuc aliqua diſcordia viger, tamen ut res ſeſe oſtendit, futuram eſſe omnino prædicant, quod Deus permittat per ſuam miſericordiam.

Die Mercurii ejuſdem, hora XIX. fuit congregatio generalis, cui affuerunt illuſtriſſimi domini legati, illuſtriſſimi cardinales, domini oratores, univerſi patres, atque ſinguli generales, abbates, & poſt conſuetam orationem, implorando auxilium Spiritus-ſancti; illuſtriſſimus MORONUS præſidens, deprecatus eſt reverendiſſimos patres, ut quam breviſſime vellent proferre ſententias ſuas; dimiſſaque omni controverſia inter eos, propter quam jam per annum & ultra ſanctiſſimum concilium prorogatum eſſet, memores eſſent futura die craſtina habendam eſſe ſeſſionem, & propterea pro tanti negotii expeditione proprio muneri non deeſſent, cum jam parata eſſent omnia. Hiſque dictis, a domino ſecretario lectum fuit primum decretum de ſacramento ordinis, ſimiliter de abuſibus & de reſidentia; quæ omnia ab omnibus approbata ſunt per verbum *placet*, nemine fere diſcrepante, atque in hujuſmodi concordia hora XXII. dimiſſa eſt congregatio, ubi vere adfuit Spiritus-ſanctus. Nam quod per XV. menſes & eo amplius, publicis clamoribus, diſſenſionibus & rixis, inter patres proclamatum erat, minimo temporis ſpatio concluſum eſt.

SESSIO VII.

ſub Pio IV. quæ eſt ordine XXIII.

Ad laudem & honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Die Jovis XV. Julii MDLXIII. ſub eodem pontifice maximo PIO IV. & illuſtriſſimis præſidentibus concilii Tridentini cardinalibus Morono, Varmienſi, Simonetta & Navagerio celebrata eſt ſeptima ſeſſio ad laudem omnipotentis Dei, in cathedrali eccleſia Tridentina, præſentibus ibidem cardinalibus de Loreno & Madruccio, atque illuſtribus oratoribus imperatoris, Franciæ, Hiſpaniæ, Portugalliæ, Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Sabaudiæ, Venetiarum & Helvetiorum, una cum reverendiſſimis prælatis, abbatibus & generalibus: in qua die reverendiſſimus epiſcopus Pariſienſis ſolemniter celebravit miſſam de Spiritu-ſancto ex more, & reverendiſſimus Aliſſenſis habuit orationem amictus pluviali & mitra: qua completa, prout ex præcedentibus videre licet, ne lectorem tædio afficiam, dominus ſecretarius legit quædam mandata principum ad ſanctam ſynodum. Poſtmodum epiſcopus Pariſienſis ex ſuggeſto, cum

cum amicti omnes essent pluvialibus & mitris, legit infra scripta decreta & alia infra scripti tenoris, videlicet.

Doctrina de sacramento ordinis caput primum.

Sacrificium & sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, &c. *ut apud Labb. tom.* 14. *conc. pag.* 862. *usque ad* 873.

Indictio futuræ sessionis.

Insuper eadem sacrosancta sancta synodus proximam futuram sessionem in diem decimam sextam mensis Septembris indicit, in qua agetur de sacramento matrimonii, & de aliis, si quæ erunt ad doctrinam fidei pertinentia, quæ expedire possint. Item de provisionibus episcopatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, ac de diversis reformationis articulis.

Quibus rebus peractis, illustrissimus D. cardinalis Moronus præsidens cœpit canere *Te Deum laudamus*, & cantores subsequuti sunt. Quo completo, omnes rediere ad proprias sedes hora XVI. benedicentes Deum optimum maximum, qui misisset Spiritum sanctum suum in corda patrum, qui post menses quindecim in unum convenissent, assentiendo & comprobando omnia sicut superius lecta sunt, cui sit honor & sempiterna gloria. Amen.

Acta post septimam sessionem. Orator illustrissimi D. ducis Florentiæ & Senarum venit Tridentum.

Die Martis XX. Julii 1563. pervenit Tridentum reverendissimus D. Hieronymus de Gaddis episcopus Cortonensis, atque orator illustrissimi D. ducis Florentiæ & Senarum, ad sacrum hoc concilium Tridentinum, comitatus a quamplurimis prælatis, & privatim ingressus est hora XXII. hospitatusque est ubi alter orator D. Johannes *de Strozzis* in regione Teutonicorum.

Die Jovis XXII. ejusdem, dictus D. orator hora X. comitatus magno cœtu patrum Florentiæ, Senensis atque aliarum nationum, visitavit omnes illustrissimos DD. legatos, eorum unicuique tradens litteras credentiales sui illustrissimi ducis, hisque peractis discessit.

Canones de sacramento matrimonii exhibiti patribus examinandi.

Eadem die XXIV. Julii hora XXII. exhibiti fuerunt canones infra scripti de sacramento matrimonii, reverendissimis patribus examinandi.

Sacrosancta synodus hos qui sequuntur canones de sacramento matrimonii decrevit.

Canon I. Si quis dixerit matrimonium non esse verum sacramentum legis evangelicæ, divinitus institutum, sed ab hominibus in ecclesia invectum, anathema sit.

II. Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege esse prohibitum, anathema sit.

III. Si quis dixerit clandestina matrimonia, quæ libero contrahentium consensu fiunt, non esse vera & rata matrimonia, ac perinde esse in parentum potestate ea rata vel irrita facere, anathema sit.

IV. Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis aut affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, anathema sit.

V. Si quis dixerit solam impotentiam cognoscendæ uxoris, & ignorantiam jam contracti dirimere matrimonium, anathema sit.

VI. Si quis dixerit propter adulterium alterius conjugum posse matrimonium dissolvi, & utrique conjugum, vel saltem innocenti, qui causam adulterio non dederit, licere novare conjugium; neque mœchari eum qui dimissa adultera aliam duxerit, neque eam quæ dimisso adultero alii nupserit, anathema sit.

VII. Si quis dixerit clericos occidentales in sacris ordinibus constitutos, vel religiosos castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractum validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, & oppositum nihil aliud esse quam damnare matrimonia; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se habere donum castitatis, etiamsi eam voverint, anathema sit.

VIII. Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum, per votum solemne religionis alterius conjugum non dirimi; vel ecclesiam errare dum ob alias causas, præter adulterium, facit divortium quoad thorum seu cohabitationem ad tempus vel perpetuo, anathema sit.

IX. Si quis dixerit matrimonium ante ponendum esse virginitati vel cœlibatui, & non esse melius & beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.

X. Si quis dixerit prohibitionem nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam, anathema sit.

XI. Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.

Traditum quoque fuit a domino secretario reverendissimis patribus decretum hoc de clandestino matrimonio examinandum, videlicet.

Decretum de clandestino matrimonio.

Sacrosancta Dei ecclesia divino Spiritu aflata, magna incommoda & gravia peccata perpendens, quæ ex clandestinis matrimoniis ortum habent; præsertim vero eorum qui in statu damnationis permanent, dum sæpenumero priore uxore cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam illicite contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vi-

vunt, eadem ſub graviſſimis pœnis inhibuit, non tamen irritavit. Verum cum hæc ſancta ſynodus animadvertat propter hominum inobedientiam remedium illud hactenus parum profuiſſe, ſtatuit ac decernit ea matrimonia quæ in poſterum clam, non adhibitis tribus teſtibus, contrahentur, irrita fore ac nulla, prout præſenti decreto irritat & annullat. Inſuper eadem ſancta ſynodus ea quoque matrimonia, quæ filiifamilias ante decimum octavum, filiæ vero ante decimum ſextum ſuæ ætatis annum completum, ſine parentum conſenſu de cetero contraxerint, præſenti decreto irritat & annullat; aliis tamen legibus quæ contra clandeſtine contrahentes promulgatæ ſunt, ſuo loco & robore permanentibus.

Prima congregatio generalis poſt ſeptimam ſeſſionem.

Die ſabbati XXIV. Julii, hora X. fuit congregatio generalis, cui ex more interfuere illuſtriſſimi DD. legati, & cardinales a Lotharingia & Madruccius, & plurimi patres dixere ſententias ſuas ſuper canonibus de ſacramento matrimonii, & hora XIII. dimiſſa eſt congregatio,

Dicta die hora XX. in congregatione lecta fuit petitio infra ſcripta a domino ſecretario, & data patribus die XXV. ejuſdem, qui eam voluerunt.

Petitio oratorum regis Franciæ ex cauſa ſolemnium nuptiarum.

Hoc etiam petit rex Chriſtianiſſimus, ut antiquiſſima nuptiarum ſolemnia hoc tempore reſtituantur, palamque & publice in eccleſia matrimonia celebrentur. Quod ſi aliquando propter magnam cauſam aliter fieri poſſe videtur, non prius tamen legitima eſſe cenſeantur, quam ſi huic ſacro myſterio preſbyter fuerit, vel parochus, treſque aut plures teſtes præſentes.

Filiorum autem & filiarumfamilias matrimonia, ſine parentum conſenſu nullo modo juſta & legitima ſint, niſi placeat ſanctiſſimæ ſynodo, quorumdam patrum moroſitati, & nimiæ in collocandis liberis negligentiæ occurrendo, tempus aliquod præſcribere, quo tantum tranſacto, liberum ſit filiis & filiabus ſine patris conſenſu matrimonium contrahere.

Die ſabbati XXXI. Julii, hora X. generali congregationi adfuere illuſtriſſimi legati omnes, atque cardinales de Loreno & Madruccius, ac reverendiſſimi patres, abbates, & generales, & in ea complevere dicendo ſententias de ſacramento matrimonii, ſuperque decreto, ut ſupra, de clandeſtino, major pars ivit in ſententiam, ut irritaretur omnino, & nullum eſſet & irritum in futurum, quamquam contrarietur hoc geſtis hactenus Romanæ eccleſiæ & conciliis. quid autem fiet circa ipſum, apparebit in ſeſſione proxima, atque ita dimiſſi ſunt patres hora XIII.

Attamen in eadem congregatione deputati fuerunt ab illuſtriſſimis legatis & reverendiſſimis patribus, qui ea conficerent, quæ pertinent ad ſacramentum matrimonii, & abuſus ejuſdem, qui ſunt:

Deputati ad conficiendum decretum matrimonii & abuſuum ejuſdem.

Reverendiſſimi Quinqueccleſienſis, Auguſtenſis, Granatenſis, Verallus, Bracharenſis, Tarentinus, Sagienſis, Senogallienſis, Metenſis, Mararenſis, Legionenſis, Veſtanus, Cremonenſis, Trevienſis.

Die ſabbati VII. Auguſti reverendiſſimus dominus ſecretarius concilii exhibuit reverendiſſimis patribus infra notatos canones atque abuſus de ſacramento matrimonii, atque etiam decretum de clandeſtino matrimonio. Omnia hæc jam a deputatis conſecta & a patribus examinanda.

Sacroſancta œcumenica Tridentina ſynodus, poſt abſolutam de ſex eccleſiæ ſacramentis ſigillatim atque in ſpecie definitionem, damnataſque plurimas hæreſes & falſa dogmata, quæ humani generis hoſte ſuggerente, hac noſtra tempeſtate in eccleſiam irrepſerunt, quod reliquum eſt, illos etiam præcipuos ac inſigniores errores atque hæreſes exterminare intendens, quæ circa matrimonii ſacramenta a ſathanæ miniſtris his noſtris temporibus ſuſcitatæ aut inventæ ſunt, hoc definit & ſtatuit.

Canones de ſacramento matrimonii a patribus examinandi.

Canon I. Si quis dixerit matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem legis evangelicæ ſacramentis, a Chriſto inſtitutum, ſed ab hominibus in eccleſia invectum, neque gratiam conferre, anathema ſit.

II. Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit.

III. Si quis dixerit eos tantum conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium & dirimere contractum, nec poſſe eccleſiam conſtituere, ut plures aut pauciores impediant & dirimant, anathema ſit.

IV. Si quis dixerit præter impotentiam cognoſcendæ uxoris, & ignorantiam jam contracti, nullas alias eſſe legitimas cauſas dirimendi matrimonii, anathema ſit.

V. Si quis dixerit præter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam a conjuge, diſſolvi poſſe matrimonii vinculum, anathema ſit.

VI. Si quis dixerit matrimonium ratum non conſummatum per perſonalem religionis profeſſionem alterius conjugum, non dirimi, anathema ſit.

VII. Si quis dixerit propter adulterium alterius conjugum poſſe matrimonium diſſolvi, & utrique conjugum, ſaltem innocenti, qui cauſam adulterio non dederit, licere altero

coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, neque mœchari eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, neque eam quæ, dimisso adultero alii nupserit, anathema sit.

VIII. Si quis dixerit ecclesiam errare, cum ob alias causas præter adulterium, facit separationem inter conjuges, quoad eorum separationem seu cohabitationem, vel perpetuo vel ad tempus, anathema sit.

IX. Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, & oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se habere donum castitatis, etsi eam noverint, anathema sit.

X. Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatus, & non esse melius & beatius manere in virginitate & cœlibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.

XI. Si quis dixerit prohibitionem nuptiarum certis anni temporibus, superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones & alias cerimonias quibus ecclesia utitur damnaverit, anathema sit.

XII. Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.

Canones super abusibus circa sacramentum matrimonii a patribus examinandi.

Sacrum Lateranense concilium pro illorum temporum conditione nonnulla in contrahendis matrimoniis observanda salubriter statuit, quibus sancta synodus certum ratis & legitimis matrimoniis modum præscribere intendens, quædam addenda a se censet; quare præcipit, ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus dominicis seu festivis, in ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. Quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiæ procedatur, ubi parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti.* Illud quoque mandat, ut conjuges benedictionem sacerdotalem in ecclesia ante matrimonii consummationem suscipiant. quod si aliquando probabiles conjecturæ apparuerint, quod matrimonium malitiose impediri possit, si denunciationes fiant antequam contrahantur, permittit sancta synodus, ut coram testibus non minus quinque, & parocho, per verba de præsenti prius contrahi possit; deinde denunciationes & benedictio subsequantur; ita tamen ut matrimonii consummationem præcedant omnino. quæ ubi servata fuerint, matrimonium non clandestinum, sed ratum & legitimum esse decernit. Qui aliter contraxerint, excommunicationem ipso jure incurrant, & alias pœnas arbitrio ordinarii imponendas sustineant. Benedictio a proprio parocho & gratis fiat, contraria consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio nonobstante. Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis, sive sæcularis, etiam si id sibi ex privilegio vel consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio conjungere, vel benedicere ausus fuerit, ultra alias pœnas contra eum in constitutionibus synodalibus appositas, ipso jure sit excommunicatus, & tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab ordinario sponsi absolutionem ab excommunicatione impetraverit.

In secundis nuptiis, in quibus benedictio iterari non debet, satis sit reliqua quæ supra dicta sunt observasse. Præterea monet conjuges sancta synodus, ut saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum eucharistiæ sacramentum pie accedant.

Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties ignoranter in casibus prohibitis contrahi matrimonium, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta synodus huic incommodo providere, & a cognationis spiritualis impedimento incipiens, præcipit ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus & una infantem de baptismo suscipiant, inter quos & infantem ipsum & illius parentes, necnon inter baptizantem & baptizatum baptizatique parentes tantum cognatio spiritualis contrahatur. Eadem in confirmatione inter confirmantem, tenentem & confirmatum observentur, in omnibus inter alias personas hujusmodi cognationis impedimentis omnino sublatis. Parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos spectabit sciscitetur, quem vel quos voluerint puerum de fonte suscipere, & eum vel eos tantum, ad illum tenendum admittat. quod si incuria vel malitia alii ultra designatos puerum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus nonobstantibus. Si parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit, graviter arbitrio ordinarii puniatur.

Sacrosancta Dei ecclesia ad caritatem inter christianos propagandam, prohibuit intra certos consanguinitatis & affinitatis gradus matrimonium contrahi, eosque aliquando plures, aliquando pauciores pro temporum qualitate esse voluit. verum sancta hæc syno-

dus animadvertens christianam caritatem adeo refrigescere, ut cognationis quæ inter conjunctos in quarto gradu intercedit, nulla fere ratio habeatur, ideoque valde necessarium esse illorum inter se necessitudines in conjugiis conservare, concedit in futurum quibuscumque Christi fidelibus, si aliud canonicum non obstet impedimentum, in quarto consanguinitatis & affinitatis gradu constitutis, matrimonio, inter se jungi.

Publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia valida non erunt, sancta synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum affinitatis gradum non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque gravi dispendio observari.

Præterea sancta synodus eisdem & aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo vel in secundo gradu coniunguntur, restringit: in ulterioribus vero gradibus, nisi fornicatio sit publica, affinitatem hujusmodi contractam non dirimere, sed contrahendum tantum matrimonium impedire statuit. Episcopi in omnibus impedimentis, quæ petitionem debiti impediunt, dispensare valeant, ut debitum peti possit, contrariis nonobstantibus.

Si quis inter gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumserit, ultra alias pœnas tam jure quam statutis synodalibus impositas, omni spe dispensationis careat consequendæ, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in matrimonio contrahendo neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis. non enim dignus est qui ecclesiæ benignitatem experiatur, cujus salubria præcepta temere contemsit. Si vero solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tamen cum eo gratis dispensare poterit. In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque magna ex causa & gratis concedatur. In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos principes, & ob publicam causam.

Decernit sancta synodus inter raptorem & raptam, etiam raptæ consensu, quamdiu in potestate raptoris manserit, superveniente, nullum posse matrimonium consistere; quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto & libero constituta eum in virum habere consenserit, cogatur raptor ab ecclesiastico & sæculari judice eam in uxorem habere; & nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: & si clerici sint, de proprio gradu decidant. Teneatur interea raptor mulierem raptam decenter arbitrio judicis dotare.

Multi sunt qui vagantur & incertas habent sedes, & ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam & plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt. cui morbo cupiens sancta synodus occurrere, omnes ad quos spectat paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant: parochis autem præcipit, ut illos matrimonio ante non conjungant, quam super hac re diligentem & sufficientem inquisitionem fecerint.

Grave peccatum est laïcos quoscumque concubinas habere, gravissimum vero & in singularem hujus magni atque divini sacramenti contemtum commissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere & retinere. quare, ut huic tanto malo sancta synodus opportunis remediis occurrat, statuit & præcipit, hujusmodi concubinarios tam solutos quam uxoratos, cujuscumque status, dignitatis & conditionis existant, si postquam ab ordinario etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, illas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, ipso jure excommunicationem incurrere, cui perpetuo subjaceant, quoad re ipsa admonitioni factæ paruerint, & absolutionem ab eodem ordinario impetraverint. Quod si in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos tamquam de fide male sentientes jure agi possit, iisdemque pœnis, quibus adulteri & de hæresi suspecti subjaceant, & puniantur. Mulieres vero sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris seu concubinariis publice vivunt; si ter admonitæ non paruerint, ab ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter puniantur, & in exilium, si eisdem ordinariis videbitur, mittantur, aliis pœnis contra adulteros & concubinarios per antiquos canones sancitis in suo robore permanentibus, statutis, conditionibus consuetudinibusque in contrarium facientibus minime obstantibus.

Avaritia omium malorum radix, atque alii impotentis animi affectus ita plerumque temporalium dominorum & magistratuum mentis oculos excæcant, ut viros & mulieres sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites, vel spem magnæ hereditatis habentes, minis & pœnis addicant cum his matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis præscripserint. quare cum maxime nefarium sit matrimonii libertatem violari, & ab eis injurias nasci, a quibus jura expectantur, præcipit sancta synodus omnibus cujuscumque gradus, dignitatis & condi-

tionis exiſtant, ſub excommunicationis pœna, quam ipſo jure incurrant, ne quovis modo, directe vel indirecte, ſubditos ſuos vel quoſcumque alios impediant, quominus libere matrimonia contrahant.

Ab adventu Domini noſtri JESU-CHRISTI uſque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta cinerum uſque in octavam paſchatis inclusive, antiquas nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari ſancta ſynodus præcipit. In aliis vero anni temporibus etiam in iis in quibus per antiquos canones id fieri non licebat, nuptias ſolemniter celebrare permittit.

Curent epiſcopi, ut nuptiarum ſolemnia, ea qua decet modeſtia & honeſtate fiant, parentes quoque moneant ne filios filiaſve invitos ad matrimonium contrahendum compellant. ſancta enim res eſt matrimonium, & ſancte tractandum.

Decretum de clandeſtinis matrimoniis a patribus ut ſupra examinandum.

Tametſi ſacroſancta Dei eccleſia clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, vera ac rata eſſe non dubitet, ac proinde jure damnandi ſunt illi, prout ab hac ſancta ſynodo damnantur, qui hujuſmodi matrimonia vera ac rata eſſe negant, quique falſo affirmant matrimonia a filiis familias clam, ſive alio quocumque modo ſine parentum conſenſu facta, parentum voluntate irritari poſſe; nihilominus tamen magna incommoda & gravia peccata perpendens, quæ ex eiſdem clandeſtinis matrimoniis ortum habent, præſertim vero eorum qui in ſtatu damnationis permanent, dum ſæpenumero priore uxore cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam illicite contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt, eadem ſemper deteſtata eſt atque inhibuit. Verum cum hæc ſancta ſynodus animadvertat propter hominum inobedientiam remedium illud parum profuiſſe, ſtatuit ac decernit illas omnes perſonas, quæ in poſterum clam ſine trium ſaltem teſtium præſentia matrimonium ſive ſponſalia contrahere attentaverint, ad matrimonium ſive ſponſalia ſic contrahenda inhabiles fore, ac propterea omnia ab eis acta pro matrimonio ſive ſponſalibus contrahendis irrita fore ac nulla, prout præſenti decreto irritat & annullat.

Inſuper eadem ſancta ſynodus filios quoque familias qui ante vigeſimum, filias vero familias quæ ante decimum octavum ſuæ ætatis annum completum, ſine parentum conſenſu de cetero matrimonium ſive ſponſalia contrahere attentaverint ad matrimonium ſive ſponſalia ſic contrahenda inhabiles reddi; atque hujuſmodi contractum irritat & annullat, niſi parentibus per ſe vel per alios requiſitis, ut nuptiis ab eis honeſte optatis aſſentiantur, illis inique, prælati judicio, renuentibus, de ejuſdem prælati licentia id fecerint aliis tamen, legibus quæ adverſus clandeſtine contrahentes promulgatæ ſunt in ſuo loco & robore permanſuris.

Jubet poſtremo ſancta ſynodus ut epiſcopi atque alii paſtores ſedulo curent, ut hæc decreta fidelibus populis eorum curæ commiſſis, initio quam ſæpiſſime, poſtea vero quolibet menſe ſerio publicentur atque explicentur, ne quempiam hæc tam ſalubria eccleſiæ præcepta ignorati contingat.

Die mercurii XI. Auguſti in loco conſueto ubi fieri ſolita eſt congregatio, convenere illuſtriſſimi DD. legati, cardinales de Loreno & Madruccius, reverendiſſimi patres, atque etiam plurimi theologi, & ſæculares & regulares, ſuper decreto de novo reformato de ſacramento matrimonii, de abuſibus ejuſdem, necnon de matrimonio clandeſtino, prout ſuper omnia apparent, ſuper quibus omnibus ſtatuerunt, ut patres proſequendo ſententias ſuas dicerent uſque in finem, fieretque bis in die congregatio, quæ dimiſſa fuit hora XIV.

Petitio oratorum ſereniſſimi domini Venetiarum ſuper ſeptimo canone de ſacramento matrimonii.

Die Jovis XII. ejuſdem in congregatione generali, in qua ut ſupra ſtatutum, &c. *ut apud Raynaldum ad annum 1563.*

Triginta ſex capita reformationis data reverendiſſimis patribus examinanda.

Die ſabbati XXI. Auguſti data fuerunt ab illuſtriſſimis dominis legatis triginta ſex capita diverſa reformationis ſuper variis materiis & abuſibus, quorum ultimum erat contra principes & reſpublicas, pro immunitate eccleſiaſtica reverendiſſimis patribus examinanda ad futuram octavam ſeſſionem: quæ quoniam nimis prolixa ſunt corrigenturque, & retractabuntur pluries, antequam ſuum ſortiantur exitum, viſa ſunt mihi non adnotare, ſed præſtolari, quoad legantur in proxima ſeſſione, tuncque ea caſtigata, Deo dante, & correcta conſcribam.

De quibuſdam congregationibus particularibus ex reformationis cauſa.

Non poſſum neque debeo deciſe hic inſerere aliquid, quod in hoc ſacro ſancto concilio hactenus minime actum eſt, &c.

Cupientes volentesque illuſtriſſimi domini legati ad finem omnino perducere ſanctiſſimam hanc ſynodum, & pro viribus enitentes ſeligere aliquot, videlicet in primis illuſtriſſimum cardinalem a Lotharingia, qui præeſſet prælatis ſuæ nationis Gallicanæ, archiepiſcopum Hidruntinum, archiepiſcopum Columnam, & epiſcopum S. Floræ, Parmenſem antiſtitem, viros ſane ingenuos, & in hoc concilio ſummæ auctoritatis, quorum domi diebus ante actis, in congregationibus particularibus viginti vel ad ſummum viginti quinque achiepiſcopi ſimul & epiſcopi diverſarum nationum conveniebant, loquentes ſuper hujuſcemodi reformatione futura, & proferentes ſententias ſuas, ut poſtmodum

res in generali congregatione digesta essent, utque prior facilior modus inveniretur pro eadem reformatione captanda, atque ut in congregatione minus, & minus in sermone, & votis brevibus omnes loquendo versarentur. Ut autem res hæc sit eventura exitus demonstrabit. Unum sciunt omnes, quod cum res nova exiterit, existimant pariter iidem & singuli non posse laborem hujusmodi quidquam prodesse vel minimum. nam res seriæ sine longo examine & maturis deliberationibus tractatæ, feminarum leges & non virorum habendæ sunt.

Finis votorum patrum super sacramento matrimonii.

Die lunæ XXIII. ejusdem, hora XI. fuit congregatio generalis super eisdem, ut supra, de sacramento scilicet matrimonii, & post sententias reverendissimorum patrum complevere etiam vota sua reverendi generales & abbates, qui dimissi sunt hora XV.

Dantur de novo capita XXV. reformationis pro sessione futura.

Cum a die XXIII. Augusti usque nunc negotium hoc reformationis a patribus in particularibus congregationibus diverse agitatum sit, demum hac die veneris tertia Septembris data sunt rursus eisdem capita XXI. reformationis. nam in universum erant XXXVI. in melius coaptata, collatis insimul universis sententiis patrum. Quindecim autem quæ desunt usque ad triginta sex, dabuntur, ut aiunt alias. Interim oratores principum & singularum rerumpublicarum ad eorum dominos scribent, significantes hac in reformatione tractari per patres de immunitate clericorum, contra eosdem. Patribus enim æquum videtur, si incessanter hactenus actum est, & agitur de morum reformatione & ecclesiastica disciplina, hoc ipsum peroratibus quam maxime principibus & rebuspublicis, etiam de eisdem agi debere, qui debeant rebus & negotiis suis sæcularibus providere, dimittentes in futurum negotia clericorum custodiri, & manuteneri ab ordinariis suis.

Et quoniam sancta synodus in illis capitibus contra principes sæculares pro immunitate ecclesiastica, præcipiebat illis, & cum non sint a patribus approbata, renitentibus maxime & protestantibus oratoribus principum & rerumpublicarum, prout inferius apparebit. Et quoniam hoc caput reformationis quod erat XXXVI. & ultimum in sessione futura, a præceptione ad hortationem conversum est, visum est illud hic inserere ad legentium intelligentiam. caput enim hoc summopere conturbavit negotia sancti concilii, & est hujusmodi.

De immunitate clericorum.

Cupiens sancta synodus ecclesiasticam disciplinam in christiano populo non solum restitui, sed etiam perpetuo sartam tectam a quibuscumque impedimentis conservari, præter ea quæ de ecclesiasticis personis constituit, quædam etiam quæ a sæcularibus viris adversus ecclesiasticam immunitatem irrepserunt, potissimum emendenda censuit. Confidit autem catholicos principes, quos Deus ad sanctæ fidei ecclesiæque protectionem constituit, atque justitiæ gladio armavit, officii sui memores, non solum jus suum ecclesiæ restitui libenter esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga clerum, parochos & superiores ordines reverentiam revocaturos. Inter cetera vero quoniam nonnulla sunt quibus hodie ecclesiastica libertas frequentius lædi videtur, ea nominatim sancta synodus describenda censuit, ut sciant post hæc omnes, imperator, reges, respublicæ, duces & ceteri cujuscumque gradus & conditionis sint, & eorum ministri, sub anathematis pœna, & divini judicis interminatione; & si in ordine clericali sint, sub amissione etiam privilegii dicti ordinis, atque suspensione ab ejus executione sibi ab infra scriptis, & si qua hujusmodi sunt, esse omnino abstinendum.

I. In primis ecclesiasticas personas citare, detinere, judicare, aut contra eos quoquo modo procedere, etiam sub prætextu assasinii, nisi post declarationem ordinarii, seu quia quæstio sit de titulo clericatus, aut quia consensum cleri habeant, vel quia partes impietatis renunciaverint, sine alia quavis ratione, etiam prætextu publicæ utilitatis, aut servitii regii non præsumant.

II. Causæ omnes spirituales, matrimoniales, hæresis, decimarum feudi ecclesiastici, juris patronatus, & beneficiales, civiles, criminales & mixtæ ad forum ecclesiasticum quomodocumque pertinentes, tam super personis, quam rebus & decimis, quartis, vel aliis portionibus ad ecclesiam spectantibus, sive eorum solutione, & etiam beneficiis patrimonialibus, atque aliis quibuscumque, non solum in petitorio, sed etiam possessorio, a judicibus tantum ecclesiasticis, & non solum a sæcularibus cognoscantur & terminentur; aliter processus, sententiæ, & decreta quæcumque, etiam per edictum contra omnes sua interesse putantes, ipso jure sint nulla, nec effectum sortiantur.

III. Judices ecclesiastici, qui de rebus personisve ecclesiasticis judicant, non a laicis, etiamsi auctoritate apostolica aut consuetudine immemorabili id facere prætendant, sed ab eorum superioribus ecclesiasticis ad quos spectat constituantur. Clerici vero qui hujusmodi officia a laicis etiam vigore quorumque privilegiorum acceptaverint, ipso jure ab executione suorum ordinum sint suspensi, ac beneficiis quæ habent privati, quæ ab illis ad quorum collationem pertinent, aliis conferantur, ipsique ad alia obtinenda inhabiles reddantur, nec in posterum

aliquod eccleſiaſticum officium poſſint exercere.

IV. Juriſdictio eccleſiaſtici judicis nullis edictis, præceptis, comminationibuſve impediatur. Nefas ſit jubere eccleſiaſtico ne quem excommunicet, non petita licentia; ſeu mandare ut latam excommunicationem revocet, aut ne quem examinet, citet, condemnet, neve coram eo procurator aut notarius aut quis alius compareat, neve familiam aut executores proprios apud ſe habeat. Poſthac igitur nullo prorſus modo ſe in eorum perſonis, rebus, cauſis tribunalibuſve immiſceant, immo ab his pro executione juſtitiæ requiſiti, teneantur illis debitum omne auxilium & brachium ſæculare præſtare.

V. Irritæ ſint conſtitutiones omnes ſeu pragmaticæ, prohibentes, ne ad beneficia eccleſiaſtica aut penſiones quiſque admittatur, qui non ſit ex certo loco, natione aut genere perſonarum; dum tamen proviſus de beneficio idioma loci, ubi ſitum eſt beneficium, calleat, & alias ſecundum ejus qualitatem idoneus exiſtat.

VI. Nemini beneficium aliquod in ditionibus ſuis vacaturum, verbo aut ſcriptis, quod brevetum, ſeu alio nomine vocant, polliceatur; ſive ſpem ullam illius obtinendi dare præſumant: & ſi quis id obtinuerit, eo ipſo inhabilis ad ea & quæcumque alia beneficia reddatur.

VII. Vacantium eccleſiarum ac beneficiorum fructus prætexta adminiſtrationis aut cuſtodiæ, vel juris patronatus ſeu protegendi pauperes ac eccleſias, aut obviandi diſſidiis, quouſque de paſtore provideatur, non occupent; non œconomos aut vicarios ibi conſtituant, nec ſe in iis quoquo modo ingerant, aut alios in poſſeſſionem intrudant. Acceptantes vero ab his hujuſmodi officia, ſi laici ſint, excommunicati intelligantur; ſi clerici, ab ordinum executione & beneficiis ſint privati.

VIII. Eccleſiaſticos ad nullas prorſus collectas, tributa, gabellas, decimaſve ſubſidias invitos compellant, nec impoſitiones, aut quocumque nomine gravamina, niſi ex magna neceſſitate ſubſidii contra Turcas aut alios infideles, in iis videlicet tantum locis, ubi vocatis eccleſiaſticis, illiſque conſentientibus, in publicis provinciarum conventibus ac comitiis hujuſmodi ſubſidia ſolita ſunt imponi, ſuper rebus perſonisve eccleſiaſticis propria auctoritate, directe vel indirecte imponant.

IX. Non ſolum bona eccleſiaſtica aut decimas occupare, aut in alios, quocumque titulo, transferre non audeant; ſed nec etiam bona communitatum publicarum aut privata ſeu paſcua, ad quæ tamen habet jus aliquod eccleſia, vendant, aut alicui locent, aut quomodocumque concedant, ſine ſolemni & valido ipſius eccleſiæ conſenſu: imo ſi quid ipſi detinent, quod ad eccleſiam pertineat, ſi tum reſtituant, alioſque detinentes reſtituere compellant.

X. Caveant ne ſuos officiales, familiares, milites, eorumve equos, canes in epiſcoporum, clericorumve, ac beneficiorum quorumcumque domibus, aut religioſorum monaſteriis diſtribuant, ſive pro eorum tranſitu aut victu quidquam ab eis exigant.

XI. Cum litteræ apoſtolicæ, ſententiæ, citationes, decreta mandataque a judicibus eccleſiaſticis, & præſertim ex Romana curia provenientia, exhibita fuerint, abſque exceptione juxta eorum tenorem intimentur, publicentur, ſeu executioni tradantur: & quæ adhuc ob pragmaticas non potuerunt intimari vel publicari, nunc liberam executionem conſequantur; nec in his ſive in capienda poſſeſſione cujuſcumque cathedralis eccleſiæ, aut beneficiorum quorumcumque eccleſiaſticorum, cujuſvis conſenſu aut licentia, quod vulgo *exſequatur* vel *placet* appellant, etiam ſub colore obviandi falſitatibus ſeu violentiis, aut ſub nomine viſionis aut appellationis, ſeu ad ſedem apoſtolicam, ſeu tamquam ab abuſu, aut aliter quomodocumque requiratur, exceptis principibus ad quorum electionem, nominationem, ſeu præſentationem prædictæ eccleſiæ aut beneficia ſpectant.

XII. Quod ſi pro intimatione aut executione dictarum litterarum ſive mandatorum vere dubitetur, ne magnum aliquod ſcandalum aut tumultus in loco ſequatur, ſive etiam prædictas litteras ac mandata falſa eſſe probabiliter contendatur; vel ex iis violentiam non dubiam poſſeſſoribus inferendam oſtendatur, partes erunt ordinarii tamquam ſedis apoſtolicæ delegati, niſi forte ab eodem aliquis intruſus in beneficium de quo agitur aſſeratur, quo caſu vicinior epiſcopus adeatur, antequam hæc executioni mandentur, quid facto opus ſit ſtatuere, & ſæcularis etiam brachii auxilium, ubi opus eſſe videbitur, ſibi adjungere, ut quiete, & ſine tumultu ſupradicta ſuam executionem omnino conſequantur.

XIII. Si etiam aliqua fortaſſe regna, provinciæ, aut loca prætendant ſe ex privilegiis apoſtolicis, quæ in viridi ſint obſervantia, ad ea quæ enumerata ſunt, aut eorum partem, minime teneri; vult ſancta ſynodus hujuſmodi privilegia, coram ſummo Romano pontifice intra annum a fine præſentis concilii proferri, quæ ab eo pro regnorum, provinciarum, aut locorum utilitate, ac perſonarum meritis, in poſterum etiam confirmentur, alioquin eo elapſo tempore irrita eſſe, & juribus carere ipſo jure intelligantur.

XIV. Hæc & alia quæcumque adverſus immunitatem & libertatem eccleſiaſticam, cum ſancta ſynodus perpetuo ceſſare velit, admonet primum & hortatur Chriſtianos omnes

principes, & quo largius bonis temporalibus atque alia poteſtate divina eos benignitas ornavit, eo ſanctius ea quæ eccleſiaſtici juris ſunt, tamquam Dei præcipua, ejuſque patrocinio tecta venerentur, ſimulque aliis exemplo ad pietatem, religionem, eccleſiaſticamque protectionem exiſtant.

XV. Revocat deinde quæcumque ab eiſdem aut aliis ſæcularibus, cujuſcumque gradus & conditionis ſint, propria auctoritate ſtatuta decretave in præjudicium & damnum libertatis eccleſiaſticæ; præcipitque in poſterum ſub pœna anathematis, ipſo facto, abſque aliqua declaratione incurrenda, ne quis directe vel indirecte, aut quovis quæſito colore, adverſus res aut perſonas eccleſiaſticas, ſive earum libertatem ſtatuere, aut exequi quoquo modo præſumat; eademque pœna magiſtratus omnes, ſive officiales, procuratores, ſollicitatores, & alios quoſcumque adverſus præfata temere audentes, excluſo quocumque prætextu, omnino teneri. Et ſi clerici fuerint, etiam beneficiis ipſo jure privatos eſſe, quæ aliis libere conferri poſſint. Vult enim eccleſiarum libertatem aut immunitatem undequaque intactam atque inviolatam cuſtodiri, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, & exemtione quacumque, & conſuetudine etiam immemorabili.

Die Dominica, quinta Septembris dati fuerunt a reverendiſſimo ſecretario concilii rurſus patribus canones de clandeſtino & abuſu de ſacramento matrimonii examinandi, ſuper quibus iterum ab eiſdem proferentur ſententiæ, an ſic confecta placeant, & ſi quæ addenda aut minuenda videbuntur in futura ſeſſione, legi & tradi unicuique poſſint.

Orator militum Jeroſolymitanorum admittitur a ſancta ſynodo.

Die Martis ſeptima ejuſdem, hora XII. congregationi generali interfuere omnes illuſtriſſimi præſidentes, præter Navagerum podagra laborantem, & ex patribus ducenti & triginta, abbates & generales omnes ex more, una cum oratoribus principum & rerumpublicarum, atque in ea publice admiſſus fuit orator religionis & ordinis Hieroſolymitani, frater Martinus *Royas* Hiſpanus, atque ejuſdem ordinis miles, qui venit huc ſeptem abhinc menſes, neque umquam hactenus admiſſus fuit in congregationes. Patres enim volebant eum ſedere inter abbates & generales, cum ipſi vocentur fratres, ille vero ſe tutans aliis titulis, numquam hoc aſſentiri voluit, quoadusque a ſummo pontifice illuſtriſſimis dominis legatis poſtremo ſignificatum eſt, ut eum ex privilegio admitterent, tamquam oratorem ſuæ religionis, poſthabita omni controverſia, eidemque traderent locum illo dignum: qui ut ſupra admiſſus, poſt oſtenſas litteras credentiales ſui magiſtri, atque iiſdem lectis, una cum mandato ſuæ religionis a domino ſecretario concilii, ſedit ultimus omnium oratorum principum eccleſiaſticorum, hujuſmodique habuit orationem.

Oratio habita ab oratore ordinis militum Hieroſolymitanorum.

Cum nunciis m' orumque litteris, magno magiſtro, &c. *ut apud Labb. pag.* 1203.

Reſponſum ſanctæ ſynodi ad oratorem ordinis Hieroſolymitani.

Illuſtris ac reverende orator, quod illuſtriſſimus ac reverendiſſimus magnus, &c. *ut ibid. pag.* 1216.

Quibus completis, & eidem a ſancta ſynodo dato reſponſo, omnibus excluſis extra congregationem, quorum illic ex more permanere non intererat, illuſtriſſimi domini legati injunxerunt patribus, ut ſententias ſuas ſuper canonibus, abuſibus, & clandeſtino, de ſacramento matrimonii proferre proſequerentur; quorum aliqui ſcilicet cardinalis de Loreno atque Madruccius, necnon patriarchæ Jeruſalem, Aquileiæ & Venetiarum, archiepiſcopus Granatenſis, Hydruntinus, & aliquot perpauci protulere ſententias ſuas, & præſertim ſuper clandeſtino, quod a majori parte illorum qui hactenus dixerunt, iri irritatum omnino contendunt; ſuper quo magis ac magis a patribus in ſententiis elaborabitur, cum res per ſe non ſit ſatis aperta, an matrimonium clandeſtinum ſit dogma necne; & ut res ſeſe habebit, tandem in occulto non permanebit. Et ita procedendo patres in ſententiis ſuis proferent, prout Spiritus-ſanctus dabit eloqui illis, quibus omnibus ille idem ſuam infundat gratiam, dimiſſaque eſt congregatio hora XV.

Die Veneris X. Septembris, fuit congregatio generalis hora XX. & in eadem, quam continuo habuerunt patres bis in die, a ſeptima uſque ad totam hanc diem decimam, impoſitus eſt finis ſententiis patrum ſuper canonibus de clandeſtino, & abuſibus de ſacramento matrimonii, horaque XXII. cum dimidia dimiſſa eſt congregatio.

De negotio reformationis ad ſeſſionem octavam.

Die ſabbati XI. ejuſdem, hora XII. habita eſt congregatio generalis in eadem eccleſia ſanctæ Mariæ Majoris, ſuper negotio XXI. capitum reformationis, patribus, ut ſupra, traditorum; auditaque ex conſuetudine miſſa, habitaque ab illuſtriſſimo domino præſidente oratione de Spiritu-ſancto, primo exhortatus eſt patres, ad dicendum eorum ſententias quam poterunt breviſſime ſuper eodem negotio. Quapropter cardinalis de Loreno primus omnium dixit ſententiam ſuam, quam ſtatim ſubſequutus eſt cardinalis Madruccius, qui duo ut primum ſententias ſuas complevere, dimiſſi ſunt omnes patres.

Dicta die hora XX. ſuper eadem re de reformatione actum eſt a patribus, & reverendiſſimus patriarcha Jeroſolymitanus primus omnium

omnium in ſua præfatione protulit, ſe nomine univerſæ ſanctiſſimæ ſynodi cum illuſtriſſimis dominis legatis allocutum fuiſſe, aſſeverando, nolle ſe cum aliis reverendiſſimis patribus quidquam proferre ſuper hujuſmodi negotio, niſi prius pro comperto haberet, quod reliqua capita de reformatione quæ deſunt uſque in XXXVI. non traderentur eiſdem examinanda; ab eiſque fuiſſe reſponſum, quod patres bono animo eſſent, nihilque actum iri, niſi etiam ſuper libertate eccleſiaſtica adverſus principes ſæculares ageretur, & quod ſummi pontificis mens erat nolle reverendiſſimos patres epiſcopos nullo pacto reſidere, niſi in eorum epiſcopatibus gaudeant eorum immunitatibus ordinariis adverſus principes & reſpublicas ſæculares. Hiſque dictis, atque ſingulorum propter hujuſmodi ſuavem nuntium animis ſopitis (nam malo animo erant, commotaque erat univerſa ſynodus. Timebant enim in primis, ne reſidendo non gauderent privilegiis eorum immunitatis) Reverendiſſimus præfatus patriarcha cœpit ſuam proferre ſententiam, quam ceteri propinquiores ſubſequuti ſunt, uſque ad horam XXIII. & tunc dimiſſa eſt congregatio.

Prorogatio octavæ ſeſſionis.

Maximis in controverſiis fuit ſancta ſynodus per multos dies ex cauſa matrimonii clandeſtini. Nam patres deputati, qui ſuper hujuſmodi confecerant decretum, illud prorſus irritaverunt, & cum in ejuſdem examinatione a patribus in congregationibus diverſe atque varie fuiſſet reſponſum (nam major pars irritabat illud, minor vero nolebat irritari,) tandem per duos dies poſt horam XV. id eſt die XII. & XIII. protraxerunt diem, atque ad horam noctis in diſputationibus ſuper hujuſmodi re, domi illuſtriſſimi Moroni præſidentis, ubi aderant illuſtriſſimi domini legati, cardinales de Loreno & Madruccius, atque plurimi patres principaliores, vocatis ad hoc quatuor theologis, qui illud irritabant, atque item econtra quatuor qui non irritabant, & per totam diem XII. ab eiſdem diſputatum eſt ſuper ejuſmodi materia, & infecta re abierunt. Iterum hac die XIII. idem factum eſt domi illuſtriſſimi præſidentis, præſidentibus eiſdem qui ſupra; & iterum quatuor alii aſciti ſunt, non iidem qui præterita die, qui uſque ad horam noctis adverſus quatuor diſputarunt, & inter ſe nullo pacto convenientes, poſt primam noctis horam abierunt; atque ut apparet nullus repertus eſt modus, ut clandeſtinum matrimonium omnino irritetur. Major autem pars irritantium erant patres centum & quadraginta, una cum generalibus ordinum; minorum vero non irritantium ſexaginta, quæ una cum legibus ſcriptis juris canonici adeo valuit, quod a patribus non eſt inventa via ut irritetur, quamplurimis theologis eximiis in ſententiis ſuis definientibus eccleſiam non poſſe hoc clandeſtinum irritare; ac propterea dubitatur non poſſe die ſtatuta fieri ſeſſionem, tum propter hoc, tum quoniam in reformatione lente proceditur, varieque ſentiunt patres. Propter hæc igitur hac die quæ eſt XXIV. Septembris habita eſt bis congregatio, altera hora XII. ſuper negotio reformationis, altera hora XXI. congregati ſunt patres generaliter in templo S. Mariæ, ubi actis gratiis ex more Spiritui ſancto, ſedens illuſtriſſimus Moronus præſidens cum ceteris legatis, cardinalibus, oratoribus atque patribus, dixit: Viri fratres, non video quod revera poſſit fieri die craſtina ſeſſio, prout indicta fuerat, cum hactenus non ſit quidquam a patribus definitum. Propterea neceſſe eſt in aliud tempus illam prorogare, in qua præter ea quæ de matrimonio & de reformatione ad manus habemus, poterunt etiam plura alia una cum illis, Deo dante, expediti: & ſi vobis placet, nobis videretur quod dies ad ſeſſionem eſſet undecima Novembris proxime futuri, ad quod patres reſponderunt uno ore omnes, *Placet*; & ſtatim congregatio dimiſſa eſt.

Die Jovis XVI. Septembris hora XII. convenere illuſtriſſimi legati una cum patribus in loco conſueto ſuper negotio reformationis, quorum ſeptem ſolum dixere ſententias ſuas, ab illuſtriſſimiſque præſidentibus ſtatutum eſt patribus, ut in futurum bis in die congregatio habeatur, quo poſſint facilius negotia expediri; & ab hac die in poſterum in ordine patrum quiſque proſequitur ſententiam ſuam uſque ad finem.

Coronatio Maximiliani regis Romanorum in regem Hungariæ.

Die Veneris XVII. ejuſdem 1563. ex non incertis nuntiis reverendiſſimi Delphini Veneti, nuncii ſummi pontificis in Germania apud Cæſaream majeſtatem, ad illuſtriſſimos DD. legatos concilii, auditum eſt Tridenti Maximilianum filium Ferdinandi Cæſaris, regem Romanorum & Bohemiæ, die octava præſentis menſis in caſtro Porſoniæ coronatum etiam fuiſſe regem Hungariæ magno cum applauſu totius regni: ex quibus illuſtriſſimi DD. legati maximam cœpere lætitiam, una cum illuſtriſſimo cardinale Madruccio electo Tridentino: qui omnes omnia lætitiæ ſigna oſtenderunt, quæ eiſdem poſſibilia fuere, cum univerſa hac civitate, quæ eidem ſubdita eſt, etiam quod ſit caput & prima comitatus Tyroli.

Die Martis XXI. ejuſdem, quæ dies ſolemnis eſt S. Matthæo apoſtolo, reverendiſſimus Georgius Draſcovitius, orator Cæſaris pro regno Hungariæ, epiſcopus Quinque-eccleſienſis volens præſtare rem gratam novello Hungariæ regi ob nuntium acceptum Tridenti de ejus coronatione, illuſtriſſimis DD. legatis ſanctiſſimi concilii, cardinali Madruccio, (non autem cardinali de Loreno, nam

vocatus a ſummo pontifice Romam octo ab hinc [a] ſe tranſtulit cum aliquot epiſcopis Gallicis, quorum nationis poſt XVI. Septembris prætentis, qua die erat indicta ſeſſio atque eadem prorogata, multi Romam, multi in Galliam profecti ſunt) atque item illuſtribus oratoribus regum, nationum & rerumpublicarum prandium ſolemne paravit extra civitatem in ædibus illuſtrium de Madrucciis.

[a] Videtur deeſſe diebus.

Verba prolata, ſeu proteſtatio domini Ferrerii unius oratorum regis Franciæ ad ſanctam ſynodum, nolle ſe ſtare decretis reformationis præſentis.

Die Mercurii XXII. Septembris hora XII. in congregatione generali plures patrum dixere ex more ſententias ſuas ſuper capitibus XXI. reformationis, inter quorum ſententias D. Renaldus Ferrerius præſidens parlamenti Pariſienſis & unus oratorum regis Franciæ, nam illuſtris D. *de Lanſac* diebus elapſis in Galliam profectus erat, atque idem nunc primus nomine ſui regis admonuit, obtenta prius licentia dicendi ab illuſtriſſimis DD. legatis, & proteſtatus eſt coram univerſali ſynodo in hanc quæ ſequitur formam.

Liceat nunc nobis oratoribus eiſdem verbis agere vobiſcum, ſanctiſſimi patres, quibus olim egerunt Judæorum oratores apud Zachariam & Malachiam & alios ſacerdotes Hieroſolymis congregatos: jejunavimus & flevimus ſeptimo menſe, centum & quadraginta & multo amplius anni ſunt, quibus Chriſtianiſſimi reges noſtri petierunt a ſummis Romanis pontificibus reſtitutionem eccleſiaſticæ diſciplinæ tunc labentis: quam ob cauſam miſerunt ſuos oratores ad ſacrum Conſtantienſe concilium, Baſileenſe, Lateranenſe ultimum, & primum & ſecundum Tridentinum. Quid petierimus ſcripſit lucuſenter excellens vir Johannes *Gerſon* orator regis Chriſtianiſſimi in concilio Baſileenſi; & in primo Tridentino expoſuit eruditiſſimus vir PETRUS DANESIUS regius orator, nunc epiſcopus Vaurenſis. In hoc autem ſecundo Tridentino teſtantur elegantiſſimæ orationes clariſſimi & eloquentiſſimi collegæ noſtri qui hic adeſt, & illuſtriſſimi principis cardinalis de Lotharingia, in quibus nihil aliud actum, quam de moribus eccleſiaſticis reformandis, non eorum qui jam e vita deceſſerunt, nec eorum qui poſtea erunt, quales enim futuri ſunt certe ignoramus. Quorum igitur? facile ſufficienti partium enumeratione ſciri poterit: tamen adhuc commemorabimus, qui non ſolum per centum & quadraginta annos jejunamus & flemus, non ut Judæi quinto & ſeptimo menſe in memoriam combuſtæ civitatis, ſed ducentos continuos annos, atque utinam non amplius quam trecentos. At dicent nonnulli, nonne abunde ſatisfactum eſt vobis (qui duodeviginti menſibus adveniſtis) quatuor ſeſſionibus cum tot anathematiſmis & tot canonibus. His reſpondemus, ſanctiſſimi patres, ſi aliud pro alio ſolvere, invito creditore, eſt ſatisfacere, nobis eſt ſatisfactum, ſed numquam poſtulavimus anathemata, ſed tantum reformationem. Hujus rei teſtes citamus illos manes benedictos illuſtriſſimorum cardinalium Mantuani & Scripandi. Teſtes citamus vos etiam qui adhuc ſuperſtites eſtis illuſtriſſimi & reverendiſſimi cardinalis Oſie & Simonetta. Citamus etiam vos clariſſimos oratores Cæſareæ majeſtatis, quibuſcum has res juſſu regis noſtri communicavimus. Teſtes quoque citamus plures patres Italos, cum quibus de his rebus illuſtris Lanſacus, cum hic adeſſet, verba fecit. At dicent nonnulli, oportebat ſatisfieri etiam illis, qui anathemata petierunt. Concedimus, ſi nobis concedant in judicio familiæ Hirciſcundæ habendam eſſe rationem primogeniti filii eccleſiæ, qui eſt rex Francorum, etiam ante Carolum Magnum. Dicent alii, perpetuo illo reformationis volumine omnia neceſſaria contineri, adeo quod nihil amplius ſit deſiderandum. Audite, nam hic eſt ſtatus orationis noſtræ. Vidimus libellum, de quo quæ ſit ſententia noſtra, brevibus quibuſdam adnotationibus, quas illuſtriſſimis dominis legatis dedimus, ſignificavimus. Et ne videamur tanta in re tribuere judicio noſtro, libellum illum miſimus ad regem noſtrum, qui conſultis viris peritiſſimis & conſiliariis ſuis, reſcripſit, gratiſſimum ſibi fuiſſe, quod vos, patres ſanctiſſimi, animum ad hoc negotium reformationis appuliſſetis. Pauca tamen in eo reperiri, quibus in Gallia poſſent catholici homines in fide contineri, infirmi & dubii confirmari, pauciora eſſe quæ continentur quæ conveniant cum antiqua diſciplina, & multa eſſe quæ adverſarentur, ſed magis opus eſſe illud ſertorii. Quæ autem de principibus examinanda tradita ſunt, ea ſine ullo veteris & catholicæ eccleſiæ exemplo vidimus eſſe adjecta: at eſſe hujuſmodi ut ſeditioſi homines ac turbulenti, quorum eſt magna copia, poſſent ad rebellionem revocari. Denique nihil tam ſpectari in quinto & XXXV. capite, quam ut libertas eccleſiæ Gallicanæ tollatur, majeſtas regia tenuatur, & antiquæ Gallorum leges omnino elidantur. Ac ne videamur omnia vobis velle referre; audite, ſi placet, quæ vera ſunt. Cum miſſi eſſemus apud PIUM IV. pontificem maximum, cujus perpetuam felicitatem & longævam ætatem ſemper optabit rex Chriſtianiſſimus, & noſtras leges intellexiſſet, commendavit eas, ſicut non dubitamus vos commendaturos. Nam reges noſtri, qui ſemper in obedientia S.R.E. permanſerunt, plures leges de rebus eccleſiaſticis ediderunt, exemplo Chriſtianiſſimorum imperatorum Arcadii, Conſtantini & Juſtiniani. Illæ numquam antiquis pontificibus diſplicuerunt, immo plures illarum retulerunt inter ſua decreta, & Ca-

rolum Magnum & Ludovicum IX. qui nonnullas ex dictis legibus condiderunt, inter sanctos retulerunt. Antistites Galliæ in obsequio pontificum Romanorum permanentes, leges illas servaverunt, neque, ut nonnulli putant, a pragmaticis & concordatis leges istæ initium habuerunt, immo vero ante cccc. annos editæ fuerunt. Sed de his legibus evenit, quod in dies eveniſſe omnibus rebus videmus, ut eſt rerum viciſſitudo. Partim enim ex ſuccedentibus decretalibus pontificum antiquatæ, partim ſtudio eccleſiæ Gallicanæ & regum Philippi Pulcri, Philippi Valeſii, Caroli V. & VII. permanſerunt. Nunc autem rex noſter Carolus Dei beneficio major factus, cupit ut leges antiquæ a majoribus editæ, quæ malitia temporum & malitioſorum hominum importunitate antiquatæ erant, ſartæ tectæ remaneant. ac ne vobis videatur leges noſtras leges hæreticorum eſſe, audite, patres ſanctiſſimi, quid ab illis non prohibeatur, & demum audietis quid prohibeatur. Non prohibetur epiſcopum eſſe per totum annum in eccleſia ſua, & per totum annum in ea prædicare & annuntiare verbum Dei. Non prohibetur epiſcopo ſancte, pie & honeſte vivere. Non prohibetur agnoſcere ſe uſurarium, non dominum proprietarium, aut uſufructuariorum bonorum eccleſiaſticorum &, uſu excepto, reliquum non dare, ſed pauperibus reddere. Non prohibetur quin ſciat onus epiſcopi eſſe graviſſimum. Non prohibetur quin epiſcopus, qui non poteſt ſpiritualibus & temporalibus præeſſe, habeat penes ſe diaconum exemplo apoſtolorum, vel œconomum juxta decreta concilii Calchedonenſis, qui reddituum eccleſiæ curam gerat. Non prohibetur quin eligendi in epiſcopos ſint tales, quorum vocem ſi non audierint oves perpetuo errabunt. Poſtremo non prohibetur quod qui non didicerit litteras ſacras, aut verbum Domini annuntiare non valeat, ſe poſſit ab eccleſia abdicare, ſicut qui per valetudinem adverſam reſignaret eccleſiam, quo ſolo caſu admittatur ei aſſignatio penſionis & accipere coadjutorem. Audiſtis ea quibus eccleſia Gallicana ſemper uſa eſt, audite modo quæ prohibeat, & auferte impedimenta. Si quis velit effugere aut deridere pluralitatem beneficiorum ex penſionum reſervatione aut ex differentia perſonarum vel beneficiorum veteribus incognita, aut ſeminaria litium facere ex præventionibus, impetrationibus, mandatis de providendo, exſpectativis, reſignationibus in favorem, coadjutoriis cum futura ſucceſſione, leges noſtræ non permittunt. Et ut de quinto & trigeſimo quinto capite loquamur, ſi quis velit cauſam poſſeſſorii in materia beneficiali agitare coram aliis judicibus quam Chriſtianiſſimi regis, vel alias cauſas ſpirituales coram aliis quam ordinariis eccleſiaſticis, aut a ſummis pontificibus in Gallia deputatis, tractare non permittetur. Si quis velit auferre appellationes ab abuſu, vel remedium quo elidantur, non reſcripta pontificum illa debita reverentia recipiantur, ſed impetrationes ſubreptitiæ, contra antiquiſſimas Galliæ conſtitutiones. Si quis velit impedire, quominus rex noſter, qui eſt rex totius regni, & patronus & fundator omnium eccleſiarum quæ ſunt in Gallia, utatur omnibus rebus eccleſiaſticis ad placitum. Si quis velit impedire auctoritatem regis noſtri, quæ a Deo eſt, leges antiquas a pontificibus approbatas reprobare, libertatem eccleſiæ Gallicanæ impedire, hæc non permittunt leges noſtræ, nec permitteret rex noſter. Miratur igitur quomodo vos, quos ille amanter ac reverenter colit, prætermiſſis his quorum cauſa huc acceſſiſtis, ad corrigendos eos quibus proſpiciendum eſt, animum applicaveritis. Illud miratur maximum, quomodo fieri potuerit, ut hi qui a Deo tales quales ſunt primo quoque tempore a vobis anathematizentur, hoc fiet contra reges & principes alumnos eccleſiæ, ac præcipue hoc agetur contra ipſum regem meum quem ſæpe nomino, quia hæc ſaba ſuper illo cuditur. Itaque, patres ſanctiſſimi, obnixe petit rex noſter a vobis, ne quid contra majorum ſuorum leges, & contra libertatem eccleſiæ Gallicanæ decernatis; ſi contra feceritis, jubet ut nos veſtris decretis intercedamus, prout intercedimus. Quod ſi vobis placet in ſeriam reformationem incumbere, jubet ut nos quam poterimus enixe juvemus conatus veſtros, jubetque ut prælati noſtri idem faciant. Rogamus etiam vos, patres ſanctiſſimi, ne diſceſſum prælatorum noſtrorum factum eſſe putetis juſſu aut voluntate regis noſtri, his dumtaxat exceptis qui cauſa aſſociandi illuſtriſſimum D. cardinalem Lotharingum abierunt: immo credatis quod ſtatim quod rex noſter id ſciet, redire cogentur. Hæc eſt ſumma mandatorum regis; addemus nos ut deliberetis an petitio regis ſit æqua & juſta, & num expediret prohibere aut conſtituere ea quæ dixi non prohiberi, vel prohiberi in Gallia. Rogamus, miſeremini, patres, domus labentis; non intelligimus eccleſiam, cum pro ea ſemper oret qui ſemper pro ſua reverentia exauditus eſt: non dicimus propter Galliam, cum Dei benignitate omnia ſint pacata: non etiam veſtræ cauſa dignitatis aut proventuum veſtrorum, ſed totius Chriſtiani orbis cauſa. Vultis, patres ſanctiſſimi, reformare principes? laudamus ſi fiat, ut Paulus noſter dixit, non veſtro, ſed civili modo: Si in tempore vultis eccleſiam Dei reſtituere, vultis vincere adverſarios noſtros, obſecramus, audite: Proponite vobis exemplum Ezechielis, qui cum reſtituit mores depravatiſſimos ſui temporis, non reſpexit ad N. N. licet eſſent optimi principes, ſed ad Joſaphat. Sic in hac reformatione facienda a vobis, non

sunt proponendi mores patrum, avorum, abavorum, atavorum, sed ad majores ascendendum est. Licet enim patres & avi nostri docti & pii fuerint, tamen non viderunt quæ videmus nos. Ascendendum est ad Augustinum, Ambrosium, usque ad Chrysostomum, quibus idem fuit negotium cum hæreticis, cum Donatistis, ut vobis nunc est: non vicerunt ipsi hæreticos armis, sed orationibus, & optimo vitæ exemplo, & puro verbo Dei; sic cum seipsos formassent, ecclesiam Dei hæresibus purgarunt, & sibi principes conciliaverunt, ut Ambrosius Theodosium, & alii alios. Sic vobis faciendum est; sic nos de vobis speramus, & Deum optimum maximum precamur, ut hoc vobis concedere dignetur.

Postquam Ferrerius orator hæc dixit, illustrissimus Moronus præsidens cum & Fabrum collegam suum ad se vocavit, jussitque ut e congregatione discederent, ut re cum patribus de more communicata posset illis responsum dari. ipse vero Ferrerius & collega eidem illustrissimo Morono responderunt satis sibi esse hæc dixisse, nolleque aliud se responsum a sancta synodo exspectare. Quare illis permissis ad eorum locum redire, illustrissimus præsidens alta voce hæc patribus dixit. Putabamus, sanctissimi patres de more responsum dare DD. oratoribus regis Christianissimi, paternitatibus vestris consultis; ipsi tamen nullum responsum volunt; sed satis est eis hæc dixisse. Cogitabuis si aliud vobis faciendum videatur, & fiet; quod si non placebit aliud fieri, in votis vestris responsum dare poteritis. Quibus completis, dimissa est congregatio. Per paucos deinde post dies dicti DD. oratores regis Galliarum discesserunt Tridento, quo numquam amplius sunt reversi.

Die sabbati secunda Octobris 1563. hora xx. fuit congregatio generalis, qua patres abbates & generales complevere ferre sententias suas super viginti & uno capitibus reformationis, congregatioque dimissa est hora xxiii.

Petita oratorum imperatoris ex causa xxxv. *capitis reformationis contra principes sæculares.*

Iisdemque diebus quibus agitata est vehementer, & adhuc agitatur sanctissima synodus propter xxxv. caput reformationis, ob ecclesiasticam libertatem adversus principes sæculares, oratores Cæsarei tradiderunt illustrissimis legatis infra scripta petita nomine Cæsareæ majestatis.

Illustrissimi & reverendissimi domini & patres, sacratissima Cæsarea majestas, dominus noster clementissimus, ex juncta sibi pietate singulari, ne in minimo quidem umquam tentavit, non solum opprimere, sed neque labefactare libertatem ecclesiasticam, quin potius eamdem omnibus viribus tueri atque defendere studuit, quemadmodum in posterum quoque idem studium numquam intermissura est: unde facile credit de se non dici ea, quæ in capite principum sæcularium reformationem concernente comprehensa sunt. Neque ideo existimari debet majestatem suam cæsaream ecclesiasticæ libertati non favere, aut aliquid ad turbandam sacri concilii libertatem moliri: si tam gravem articulum ex improviso obviis quasi ulnis statim complecti non potuerit, maxime cum illud caput talia complectatur, quæ plane nova sunt, & statum ac quietem universi Christiani orbis, & in primis sacri Romani imperii, regnorum & provinciarum, majestatis suæ eminentiam libertatis, & jura concernunt. ac tametsi majestas sua Cæsarea ab initio hujus sacri concilii status ecclesiastici reformationem arserit, propositis quibusdam articulis ad morum emendationem pertinentibus, offerendo clementer se etiam pro parte reformationem ordinum & statuum sæcularium admissuram & promoturam esse; non potuit tamen, magnitudine rei considerata, ad eos articulos, nullo justo temporis spatio dato, respondere, qui aliquot mensibus antea præmeditati & postea propositi fuerunt. Cum itaque majestas sua Cæsarea & ob rei magnitudinem, & quia multis & graviissimis negotiis hoc tempore occupata est, non potuerit hactenus quicquam certi de his negotiis, quæ jam dictis articulis continentur, statuere, & indignum esset majestate sua Cæsarea, ac non solum ab ejus existimatione imperatoria, sed etiam cujusvumque principis Christiani alienum aliquid admittere & pollicere, quod sine præjudicio libertatis imperii, regnorum, & provinciarum suarum promittere non possent, quodque constitutum hoc postea executioni mandare minime posset, aut non sine magna diminutione auctoritatis hujus sacræ œcumenicæ synodi, non admitteretur. Nos majestatis suæ sacratissimæ oratores, nomine ejusdem majestatis suæ Cæsareæ, paternitates vestras illustrissimas & reverendissimas summo studio & instantia petimus, ut tractatio hujus gravissimi capitis in commodius tempus differatur, majestatique suæ Cæsareæ sufficiens deliberandi tempus relinquatur. Nam si aliter fieret, verendum est, ne præter ultramontanarum ecclesiarum oppressiones & ruinas, alia quoque multa incommoda inde oriantur, quæ præstaret hoc turbato rerum tempore & ecclesiæ statu evitare, & diligentissime præcavere. Atque hæc sunt quæ nomine sacratissimæ Cæsareæ majestatis domini nostri clementissimi, a paternitatibus vestris sanctissimis & reverendissimis necessario petere debuimus, atque petimus ab eisdem optatum & rebus gerendis conveniens responsum expectantes.

Diſcordia inter patres propter illa verba. Proponentibus legatis *de libertate concilii atque litteræ ſummi pontificis ſuper ea re.*

Cum in prima ſeſſione Tridentina ſub Pio IV. pontifice maximo die XVIII. Januarii 1562. in primo decreto propoſitum fuiſſet patribus, ut in poſterum in ſanctiſſima ſynodo, ea debito ſervato ordine tractarentur, quæ proponentibus legatis ac præſidentibus, ad horum temporum levandas calamitates, ſedandas de religione controverſias, coercendas linguas doloſas, depravatorum morum abuſus corrigendos, eccleſiæ veram atque Chriſtianam pacem conciliandam, apta & idonea ipſi ſanctiſſimæ ſynodo viderentur, & cum omnes reſpondiſſent *Placet.* Poſtea vero cum ab omnibus acclamaretur, & præſertim per totam Germaniam, Bohemiam, & Hungariam, & univerſis in locis ubi viget Lutherana rabies concilium hoc non eſſe liberum, componendo ſententias ſuas ſuper eiſdem verbis *Proponentibus legatis*, non quidem quod eſſent venturi ad generalem ſynodum, ſed ut aliquid objectarent, quod eſſet ſcandalo ſacroſancto concilio celebrando; ſuper quibus conſideratis omnibus, illuſtriſſimi domini legati ac præſidentes Romam hujuſmodi rem ad ſummum pontificem PIUM IV. ſignificarunt, qui infra ſcriptum reſponſum eiſdem dedit vulgari ſermone conſcriptum. Ante actis diebus rurſus magna cum controverſia, extra tamen congregationes generales, in privatis tantum, coram illuſtriſſimis dominis legatis, ſupradicta verba *proponentibus legatis* retractari cœpta ſunt a patribus Hiſpanis, & aliquot aliis, atque oratoribus Cæſareis, ac etiam comite de Luna oratore catholici regis Hiſpaniarum, petentibus, quod non obſtante quod ſinguli oratores tam eccleſiaſtici quam ſæculares omnium principum & rerum publicarum admitterentur ad congregationes generales, adeſſentque negotiis omnibus quæ tractabantur, nulla tamen ab eiſdem pro lata ſententia, tamquam oratoribus, ſibi ipſis nihilominus in futurum liceret ſententias ſuas proferre, ac ſi eſſent de numero patrum, petebantque verba illa minus apte tunc conſiderata *proponentibus legatis* omnino tolli. Cumque ſuper hujuſmodi re inſtarent quam maxime, illuſtriſſimi domini legati, litteras ſummi pontificis jamdiu confectas ejuſmodi formæ eiſdem oratoribus perlegendas tradidere.

Litteræ ſummi pontificis vulgari conſcriptæ idiomate ad illuſtriſſimos legatos.

Pius papa IV. dilecti filii & apoſtolicam benedictionem. Porche queſti principi fanno tanta inſtantia ſopra la liberta del concilio. e pare loro che quelle parole *proponentibus legatis*, quaſi furono meſſe ſenza alcuna ſaputa noſtra, levi la detta liberta vos ſarete contenti di proponere alli padri, o in congregation generale, o in ſeſſione che la mente noſtra non e mai ſtrata di lavare per queſto la liberta al concilio ma ſi bene di lavare la confuſione. Peroche voi notificate e declarate a tutti il concilio citer libero, e che ſe pare alla ſynodo di declarare, o del tutto levar dette parole, voi ne ſete contenti, e che ſapete ancora, che tutto quello, che in cio li padri foranno, a noi ſaragratto, e ne ſaremo ſatiſfatti, a fine che tutti li principi, e popoſi cognoſchino che vogliano fare, quanto in noi e per conſequire il fine d'un concilio fructuoſo principalmente mediante una buona e ſevera reforma. Datæ Romæ die VIII. Maii MDLXIII.

a tergo.

Venerabili fratri Johanni, & dilectis filiis noſtris Staniſlao, Ludovico & Bernardo S. R. E. cardinalibus concilii legatis.

Super quibus omnibus lectis, ut ſupra, dictis litteris, auditaque mente ſummi pontificis, dicti patres & domini oratores poſtquam diebus præteritis res in ſumma difficultate verſari propter diſcordias exortas conſpicerent, negotium hujuſmodi ſic indeciſum, & ut antea erat reliquerunt, & adhuc relinquunt.

Sententiæ patrum ſuper uno & viginti capitibus reformationis, traditæ in ſcriptis illuſtriſſimis legatis eas petentibus.

A die qua complevere patres proferre ſententias ſuas ſuper uno & viginti capitibus reformationis, nulla facta eſt congregatio generalis uſque ad hanc diem ſeptimam Octobris, propterea quod oratores principum ſæcularium & rerum publicarum nollent admittere, ut ſuperius apparuit, caput illud XXXV. quod reformationem principum continet, atque hac die Jovis ſeptima Octobris a patribus traditæ ſunt in ſcriptis eorum ſententiæ ſuper iiſdem capitibus, curſoribus eas petentibus ab eorum ſingulis, ut tradant illuſtriſſimis legatis.

Die veneris VIII. ejuſdem hora XIV. congregationi generali interfuere illuſtriſſimi legati præter Varmienſem, qui ſe male habebat ex diſtillatione, omnes oratores & patres, univerſi ordinis, ne unus quidem defuit. nam cum plurimi dies præteriiſſent, quibus nulla eſt habita congregatio generalis, commotaque eſſet vehementer ſancta ſynodus, eo quod ut ſupra, oratores vellent verba illa tolli *proponentibus legatis*, atque iidem inſtanter peterent, ne quid contra reſpublicas & principes ſæculares in favorem immunitatis eccleſiaſticæ decerneretur & propterea quot quot ſingulorum ordinum Tridentum aderant, domeſticis morbis domi non detenti, ad hoc conveniſſent, illuſtriſſimus dominus MORONUS præſidens, habita ex more oratione de Spiritu-ſancto, ſanctam & frequentem ſynodum hujuſmodi verbis allocutus eſt.

Verba illustrissimi legati Moronis ad patres ex causa immunitatis ecclesiasticæ.

Si ea quæ magis expedium., fieri semper possent, nihil esset, &c. *ut apud Raynaldum.*

Quibus dictis, & sapienter ab illustrissimo præsidente prolatis, quoniam fere omnes audiebant quæ minus minusque credidissent. nam super universa capita reformationis, scilicet triginta quinque, & non super unum & viginti jam reformata sententias suas proferre voluissent. Tempus enim illis non deerat, nam ante indictam sessionem, mensis adhuc spatium, & eo magis interjacebat: nihilominus, ut diximus, contra propriam voluntatem major patrum pars acquievit propositis ab illustrissimo domino præsidente, quamquam omnes diverse sentirent. Timebant enim in primis ne habita præsenti sessione, quam adhuc petit illustrissimus præsidens, non detur facultas patribus abeundi, concilium hoc sanctissimum cum aliqua translatione vel ad tempus suspensione terminando, nihilque tunc postea agatur de trigesimo illo quinto capite reformationis, atque illos interim cogi ad proprios episcopatus se transferre, quod nollent maxime, cum principum sæcularium jugum timeant, ac summopere perhorrescant. Mente itaque confusi, neque satis hilari fronte, e congregatione discesserunt, quæ dimissa est hora XIX.

Deputati ad conficiendum decretum super XXI. capitibus reformationis.

Eadem die ab illustrissimis DD. legatis & sacrosancta synodo deputati sunt infra scripti reverendissimi patres pro conficiendo decretum super XXI. capitibus reformationis jam jam a patribus examinati.

Archiepiscopi Hidruntinus, Nichosiensis, Senonensis, Rheginus, Rossanensis. Episcopi Verdunensis, Typhernas, Gebennensis, Civitatensis, Neocastrensis, Dertusensis, montis Falisci, Barchinonensis, Atrebatensis, Coimbriensis, Urbevetanus, Segobiensis, Justinopolitanus.

Congregatio deputatorum in tres classes divisa pro negotio reformationis.

Die lunæ II. Octobris in congregatione particulari, ab illustrissimis DD. legatis deputati, qui sunt, ut supra, decem & octo, super uno & viginti capitibus reformationis, divisi sunt in tres classes, sex eorum pro qualibet classe, ut una habeatur domi illustrissimi Varmiensis legati, altera Simonettæ, tertia vero domi Navagerii; ut citius & facilius res expediantur, quod Deus omnipotens & misericors permittat. Illustrissimus autem MORONUS præsidens alteris rebus quæ continuo in hac sacrosancta synodo concurrunt, interim vacat.

Dantur rursus patribus decretum de sacramento matrimonii & alia.

Die mercurii XIII. ejusdem, domini reverendissimi Telesini secretarii sanctissimi concilii, ex more, rursus traditi sunt patribus canones de sacramento matrimonii, decretum de clandestino, atque abusus de eodem sacramento, omnia hæc jam tertio reformata a confectoribus deputatis, ut eadem videant reverendissimi patres, & maturius deliberent ad octavam sessionem.

Interim, a deputatis non teritur frustra tempus super negotio reformationis; nam quotidie bis conveniunt, ubi supra, quoad res expediatur.

Congregatio particularis quorumdem episcoporum adversus eorum metropolitanos in regno Neapolitano.

Dum hæc agerentur, & expeditio rerum gerendarum curaretur ad futuram sessionem, hac die Veneris quæ est XXII. Octobris, convenere in congregatione particulari in ecclesia B. Mariæ majoris episcopi circiter triginta, qui episcopatus habent in regno Neapolitano, pro tuenda eorum dignitate contra archiepiscopos eorum metropolitanos. nam cum ex more illius regni quotannis major pars episcoporum teneatur personaliter præstare obedientiam suis metropolitanis, & alia facere sub pœna in primis excommunicationis, discedendo in sanctissimis diebus paschatis resurrectionis ab eorum episcoparibus, & eundo ad ecclesias suorum metropolitanorum: cumque hæc illis videatur oppressio maxima, recusantes huic subesse jugo, viamque quærentes, qua possent illud excutere, per duas ferme horas super hujusmodi negotio collocuti sunt. Quid autem statuerint ignoratur: quod vero audiam ego & super hac re constituetur, huic addere libello nullatenus decro.

Die Martis XXVI. ejusdem hora XV. fuit congregatio generalis, in qua præsentibus illustrissimis DD. legatis cum reverendissimis patribus actum est super decreto de sacramento matrimonii, de quo varie sensere patres, & præsertim super clandestino. nam etsi ex decreto deputatorum jam nunc ultimo patribus dato, clandestinum irritetur omnino, apparet quod sic irritatum majores postremo sumserit vices; atque ita omnes proferendo sententias suas, varie in votis sentiendo, protraxerunt congregationem usque ad horam XVIII. quæ tunc dimissa est.

Die Mercurii ejusdem in congregatione reverendissimi patres, abbates & generales complevere proferre sententias suas super eadem re, & inventi sunt LVIII. fuisse qui clandestinum nolunt irritari; ceteri & ultra centum irritant. Quid autem fiet & subsequetur ad sessionem proximam Deo dante videbimus; & dimissa est congregatio hora XVIII.

Interim quotidie habetur congregatio particularis domi illustrissimi præsidentis MORONI a deputatis super negotio uniùs & viginti capitum reformationis, & parum in illis conveniunt, congregationem ipsam protrahen-

do quam ſæpiſſime ad quartam noctis horam; cum Hiſpani & Ultramontani epiſcopi unam, Itali vero aliam rem ſentiant. Speratur nihilominus, concedente Spiritu-ſancto, negotium ipſum coaptari debere.

Die Sabbati Octobris a domino ſecretario concilii tradita ſunt patribus viginti capita reformationis ab eiſdem examinanda.

At ne quis miretur deeſſe caput unum huic ſacroſanctæ reformationi, cum prius eſſent capita unum & viginti, adverras non eſſe appoſitum caput IV. prout erat in præcedenti reformatione, continens de prædicationibus, quod dimiſſum eſt, nam de eo alias tractabitur.

Miſſa in die omnium Sanctorum & in die mortuorum.

Die lunæ prima Novembris, quæ omnibus ſanctis ſolemnis eſt, divina celebrata ſunt ſolemniter in cathedrali eccleſia a reverendiſſimo domino PETRO DE MONTE epiſcopo Lucerino, hora XVI. quibus finitis, & data benedictione ab illuſtriſſimo Varmienſi legato, quiſque rediit domum ſuam.

Hodie veſperæ celebratæ ſunt ex more, & craſtina die idem fiet pro defunctis a reverendiſſimis patribus in miſſa, quam celebravit reverendiſſimus dominus Hoinenſis.

Congregatio in cauſa reformationis.

Hac eadem die Martis ſecunda Novembris hora XXI. habita eſt congregatio, cui, ut ſolent, interfuere illuſtriſſimi legati & ceteri reverendiſſimi patres, occaſione viginti capitum reformationis, nondum quodammodo completorum a ſecretariis reverendiſſimorum patrum deſcribi, habitaque conſueta oratione de Spiritu-ſancto, illuſtriſſimus MORONUS præſidens, talia ad patres verba allocutus eſt. Sperabamus hactenus habuiſſe ſeſſionem, anté ſtatutum tempus, ut ad alia procedere poſſemus; ſed propter diſcordias, quæ ſathana miniſtrante undequaque ſuborta ſunt, & ſuboriuntur quotidie, non potuit hoc fieri, atque utinam ad diem ſtatutam haberi poſſit. Optaremus, & omnibus viribus vos, reverendiſſimi patres, precamur, ut ſuper his capitibus XX. reformationis, quæ ſecundum ſententias veſtras prolatas, coaptata ſunt, & vobis iterum tradita conſideranda, quam breviſſime reſpondere velitis, ut Deo dante, ad ſeſſionem indictam, cum decreto de ſacramento matrimonii & his reformationis capitibus pervenire poſſemus, ac ne frutra tempus a nobis conteratur, placeat vobis ſuper iiſdem capitibus, in primis qui ſententias ſuas proferre accincti ſunt, aliquid dicere. Hiſque dictis, patriarchæ primi omnium, cum abeſſent cardinales de Loreno & Maduccius, cœpere vota ſua proferre, quos dicendo archiepiſcopi ſex proſecuti ſunt, & hora XXIV. dimiſſa eſt congregatio.

Die Mercurii tertia Novembris, hora XV. & XXI. bis in congregatione reverendiſſimi patres proſecuti ſunt ſententias ſuas ſuper eodem negotio, ſicque in poſterum fiet, quoad uſque ad finem perveniatur. de qua re poſt hac nulla faciam verba, uſque ad ſeſſionem, niſi aliquid ſuboriretur momenti, quod hic ex more apponere non deero.

Reditus Tridentum e Roma illuſtriſſimi cardinalis de Loreno.

Die Veneris V. ejuſdem rediit Tridentum ex urbe Roma illuſtriſſimus cardinalis de Loreno, & cum die IV. proxime præterita maxima pars patrum obviam eidem fuiſſet ad duo & tria millaria ab urbe, cumque relatum eſſet eis illum dicta die huc nullatenus adventurum, ſperantes patres, id ſe hodie facturos eſſe, poſt prandium cum paucis admodumque pervenit, ſtatimque adiit congregationem, ad quam jam patres ex more convenerant, ſuper eodem negotio reformationis, & dimiſſa eſt congregatio ad horam noctis.

Die lunæ VIII. ejuſdem in congregatione patres complevere vota ſua, ſuper capitibus de reformatione, vacabuntque poſthac illuſtriſſimi domini legati cum deputatis, decretis, & aliis negotiis pro futura ſeſſione.

Die Mercurii X. ejuſdem, hora XIX. fuit congregatio generalis, cui interfuere illuſtriſſimi domini legati, præter Varmienſem, cardinales de Loreno & Maduccius, univerſi domini oratores, & ſinguli patres, cum abbatibus & generalibus, & ex more habita oratione de Spiritu-ſancto, ab illuſtriſſimo domino præſidente Morono, & ſedentibus omnibus in eorum locis conſuetis, reverendiſſimus ſecretarius concilii cœpit legere decretum de ſacramento matrimonii, atque abuſibus, ſuper quibus omnibus cœpit primo illuſtriſſimus de Loreno proferre ſententiam ſuam, & præſertim ſuper clandeſtino, in omnibus irritando illud, & poſt eum illuſtriſſimus Maduccius, qui nullatenus irritavit. poſt quos quam breviſſime dicendo patriarchæ, archiepiſcopi & epiſcopi, unuſquiſque, prout ex conſcientia dabatur illis eloqui, protulere vota ſua, & præſertim ſuper clandeſtino. Epiſcoporum vero qui dictum clandeſtinum non irritabant, fuit numerus XLVIII. ceteri omnes irritarunt, qui fuerunt centum quinquaginta & quinque. Ventum eſt poſtmodum ad negotium reformationis, ſuper qua re ſuperioribus diebus varie ſenſere patres ſuper variis materiis. nam Hiſpani primas inſtantias cauſarum omnino pertinere ad ordinarios locorum volebant, ſimulque omni privilegio aut conſtitutione ſublata, capitula ſubeſſe ordinariis, in quorum ſententias Galli fere omnes iverant; & plerique Italorum, cum magna pars patrum Italorum conſiderans reverendiſſimos patres qui ſupra conari ſedem apoſtolicam ſpoliare auctoritate ſua, ac propterea univerſum jam concilium concuſſum eſſe, in hanc ſententiam

proruperunt, nolle umquam hoc assentiri, A nisi prius apponerentur in principio negotii reformationis hæc verba, *salva semper auctoritate sedis apostolicæ*. Et cum in congregationibus tum generalibus, tum particularibus, patres Itali jam ad hoc prospicere cœpissent, curarentque in principio velle hujusmodi verba poni, tandem in præsenti congregatione, cum rursus divisa esset inter se sancta synodus super eadem materia, cum illorum pars vellet, quod talia verba ponerentur in fine præsentis concilii, alii nunc in principio præsentis reformationis, alii lecta reformatione in sessione, postremo S. Spiritu B afflante, omnes unanimes convenere, ut hujusmodi verba, *salva semper auctoritate sedis apostolicæ* subintelligerentur, immo haberentur pro comprehensis in omnibus actionibus, præsertim omnium reformationum hujus sanctissimi concilii, de qua universali eorum voluntate statim publicum confectum est instrumentum a domino Marco Antonio Pellegrino Novocomensi, notario concilii. Tum postea lecta fuit forma decreti publicanda crastina die in proxima sessione, ac pro illis verbis *proponentibus legatis*, quæ a C patribus approbata est, ut scilicet illustrissimi legati proponerent semper super quacumque materia, sicut hactenus actum est. Postremo indixere futuram sessionem ad diem XI. Decembris, atque ita ad horas duas noctis cum dimidia congregatio dimissa est.

Prætermitto hic multa verba, quæ in congregatione habita sunt inter patres, ne fiam longior quam par sit. Et quoniam non est æquum omnia committere cartæ, præsertim cum hæc quæ in congregationibus aguntur, non debeant omnibus legenda committi, ideo prætermittenda censui.

SESSIO OCTAVA

sub Pio IV. qui est sessio XXIV.

Ad laudem & gloriam sanctissimæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-sancti.

Illustrissimi domini præsidentes concilii cum illustribus dominis oratoribus præter Gallos, qui jam hinc discesserant, reverendissimis patribus, abbatibus, & generalibus cujuscumque ordinis, qui sunt Tridenti, convenere die Jovis XI. mensis Novembris 1563. hora XVI. ad honorem sanctissimæ Trinitatis E in cathedrali ecclesia S. Vigilii, celebraturi ex more octavam sessionem sub Pio IV. pontifice maximo, ubi cum quisque profectus esset ad locum suum, reverendissimus dominus episcopus Tervisii Venetus summam solemniter celebravit missam de Spiritu-sancto. Qua finita, episcopus Atrebatensis habuit orationem ex more, amictus & pluviali & mitra. Quibus peractis, cum ex solito illustrissimus Moronus præsidens fudisset preces *Ad sumus*, *Domine Sancte Spiritus*, & *Veni creator Spiritus*, cum aliis orationibus & ceremoniis consuetis, prout in aliis facile est videre, illustrissimi legati una cum patribus vestiti pluvialibus & mitris sederunt ante majus altare. Tuncque cœpta est sessio, ut alias factum est. Reverendissimus interea dominus episcopus Tervisinus qui sacra peregerat, ex suggestu perlegit primum decretum de sacramento matrimonii & de abusibus ejusdem atque de clandestino. Super quo a patribus iterum diverse res ipsa disputata est. Nam quinquaginta & septem inventi sunt non irritantes, inter quos sunt duo illustrissimi legati Varmiensis & Simonetta, atque B item reputatur illustrissimus Moronus præsidens, qui ait: Mihi quoque placet, si sanctissimo domino nostro placet, dubie sic loquendo Madruccius etiam non irritavit. Ceteri patres qui sunt centum & quinquaginta prorsus irritaverunt, atque ita in posterum habebitur clandestinum. Posteaque legit capita viginti reformationis, & super 2. 3. 5. & 6. capitibus satis superque a patribus acclamatum est, præsertim ab episcopis contra archiepiscopos, qui fere omnimodam jurisdictionem appetebant adversus episcopos C suos suffraganeos, cum clausula apposita his omnibus, *salva semper auctoritate sedis apostolicæ*. Perlegit quoque decretum super illis verbis *Proponentibus legatis*, indixitque sessionem proxime futuram ad diem IX. Decembris ut infra.

Doctrina & canones cum aliis concernentibus sacramentum matrimonii.

Matrimonii perpetuum indissolubilem nexum, &c. *ut apud Labb. pag.* 873. *usque pag.* 894.

Indictio futuræ sessionis.

Insuper eadem sacrosancta synodus proximam futuram sessionem feria V. post con- D ceptionem B. Mariæ Virginis, quæ erit dies IX. mensis Decembris proxime venturi habendam esse statuit & decernit, cum potestate etiam abbreviandi, in qua sessione tractabitur de sexto nunc in eamdem dilato capite & de reliquis reformationis capitulis jam exhibitis, deque aliis ad eam pertinentibus. Si vero opportunum videbitur, & tempus patietur, poterit etiam de nonnullis dogmatibus tractari, prout suo tempore in congregationibus proponetur.

Quibus omnibus ex more lectis, & a reverendissimis patribus per verbum *Placet* approbatis, nemine penitus discrepante, illustrissimus præsidens Moronus statim intonuit *Te Deum laudamus*, quod prosecuti sunt cantores. Et his peractis, & quibusdam aliis orationibus & ceremoniis, dimissa est sessio ad horam noctis secundam cum dimidia.

Acta post sessionem octavam.

Die Veneris XII. Novembris fuit congregatio particularis domi illustrissimi Moroni, ubi convenerant illustrissimi domini legati, cum reverendissimis deputatis super reliquis capitibus

capitibus reformationis, ante ſeſſionem octavam patribus exhibitis, ut eorumdem collatis ſententiis, coaptari poſſint ad futuram ſeſſionem, prout in poſterum manere debeant, & ſicut ſuperius videri facile eſt.

Die lunæ xv. ejuſdem, domi reverendiſſimi Teleſini ſecretarii datum fuit reverendiſſimis patribus conſiderandum trigeſimum quintum caput reformationis, quod continet immunitatem eccleſiaſticam adverſus principes, brevius reformatum hujuſmodi formæ.

Decretum brevius reformatum de immunitate eccleſiaſtica.

Cupiens ſancta ſynodus eccleſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolum reſtitui, ſed etiam perpetuo ſartam tectam a quibuſcumque impedimentis conſervari; præter ea quæ de eccleſiaſticis perſonis conſtituit, ſæculares quoque principes officii ſui admonendos eſſe cenſuit, confidens eos ut catholicos, quos Deus ſanctæ fidei eccleſiæque protectores eſſe voluit, jus ſuum eccleſiæ reſtitui non tantum eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga clerum, parochos & ſuperiores ordines reverentiam revocaturos, nec permiſſuros ut officiales aut inferiores magiſtratus eccleſiæ immunitatem, Dei ordinatione conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua violent; ſed unam cum ipſis principibus debitam ſacris ſummorum pontificum & conciliorum conſtitutionibus obſervantiam præſtent. Decernit itaque & præcipit, ſacros canones & concilia generalia omnia, necnon alias apoſtolicas ſanctiones in favorem libertatis eccleſiaſticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia præſenti etiam decreto innovat, exacte ab omnibus obſervari debere. Propterea admonet imperatorem, reges, reſpublicas, principes, & omnes & ſingulos cujuſcumque ſtatus & dignitatis exſtiterint, ut quo largius bonis temporalibus atque in alios poteſtate ſunt ornati, eo ſanctius quæ eccleſiaſtici juris ſunt tamquam Dei præcipua ejuſque patrocinio tecta venerentur, nec ab ullis baronibus, domicellis, rectoribus, aliiſque dominis temporalibus ſeu magiſtratibus, maximeque miniſtris ipſorum principum lædi patiantur; ſed ſevere in eos qui illius libertatem, immunitatem atque juriſdictionem impediunt, animadvertant: quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem, religionem, eccleſiarumque protectionem exiſtant; imitantes anteriores optimos religioſiſſimoſque principes, qui res eccleſiæ ſuæ in primis auctoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt: adeoque ea in re quiſque officium ſuum ſedulo præſtet, quo cultus divinus devote exerceri, & prælati, ceterique clerici in reſidentiis & officiis ſuis quieti, & ſine impedimentis cum fructu & ædificatione populi permanere valeant.

Dicta die lunæ xv. ejuſdem fuit congregatio generalis, cui interfuere illuſtriſſimi legati cum DD. oratoribus & reverendiſſimis patribus, & habita ex more oratione, illuſtriſſimus Moronus præſidens hortatus eſt patres ad expeditionem hujus ſanctiſſimi concilii. nam protrahendo, inquit, ut fit, negotia & opiniones, hominibus apparet potius ad oſtentationem fieri, quam ad res bene gerendas pro fideli noſtro catholico populo, hocque apprime petere & expoſtulare res Chriſtianas pro perturbatione rerum præſentis temporis, quam ulterius in concilio commorari, ubi nihil aliud fere fiat, quam tempus diſputationibus perdere inutilibus. Præterea ſtudere omnes oportere, ut quam maxime brevitati in omnibus vacent, ut facilius hinc poſſitis abire proprias curaturi eccleſias veſtras domi foriſque. Nam hoc imperator, reges, reſpublicæ ceterique principes & nationes poſtulant, ſicuti omnes eorum oratores qui hic interſunt optime norunt. Atque hoc idem, ut ſciatis, ſummus pontifex expetit, qui ab imperatoris, regum, reliquorumque principum ſententia diſcedere nullatenus intendit. Quapropter pro expeditione, omnibus, quæſo, placeat ſententias ſuas dicere quam poterunt breviſſime ſuper reliquis capitibus reformationis; ad quæ facilia reddenda, vobis hac die conſiderandum tradidimus trigeſimum quintum caput de immunitate eccleſiaſtica, cum rebuſpublicis & principibus ſæcularibus, promittendo patribus, ſi in proferendo ſententias ſuas exſtiterint breviores, hanc ſeſſionem futuram ultimam fore. Hiſque dictis, illuſtriſſimus de Loreno omnia quæ jam dixiſſet illuſtriſſimus præſidens comprobavit, addiditque: Patres ſanctiſſimi, promto animo rem cum Dei gratia ad finem perducere veſtrum ſit ſtudium & munus, cum parum temporis interſit. At in primis nobis curandum eſt, ut acta in hoc ſanctiſſimo concilio Tridentino a ſummo pontifice Romano approbentur antequam hinc, ſi poſſibile ſit, recedamus; curaque & ſtudium hoc eſſe poterit cum ſua beatitudine illuſtriſſimorum DD. legatorum. Hiſque completis & aliis hujuſmodi verbis, univerſa ſynodus animum ſuum, ſpe futuri diſceſſus & citiſſimi, hilari fronte demonſtravit; nam tædio quamplurimarum rerum jamjam affecta erat. Tunc illuſtriſſimus de Loreno primus in dicendo ſententiam ſuam ſuper reliquis capitibus reformationis protulit, quem ſubſequuti ſunt patres duodecim; atque hujuſmodi ordine proſequentur uſque ad exitum eorum ſententiarum: habentur tamen interim congregationes bis in die, quo celerius negotium expediatur.

Die Jovis xvm. ejuſdem, impoſitus eſt finis a reverendiſſimis patribus, abbatibus & ge-

neralibus negotio reliquorum capitum, ut supra, reformationis; quod mirandum profecto fuit, cum tam cito compleverint.

Die supradicta hora XXI. data sunt patribus domi reverendissimi Telesini secretarii, quatuor capita reformationis, ultra prædicta jam examinata, quæ continent.

I. Ut episcopi mores suos componant, frugalitate domi utantur, & facultates ecclesiæ cum modestia iis qui sunt in necessitate partiantur; eademque parochis & aliis qui habent (a) præscribantur.

II. De excommunicationibus, & quomodo sint concedendæ & coercendæ.

III. De decimis, quas qui non solvunt excommunicati sunt.

IV. Ut cathedralia & collegiata omnia habeant archivia, & quomodo sint instituenda, & qui illorum curam gerere debeant.

Quæ omnia quoniam hic apponere longum tempus exquirerent, me ad sessionem futuram refero, ubi hæc & omnia alia apponere non deero, ne tædio legentes afficiantur.

Dogmata tradita patribus consideranda.

Cum omnia quomodocumque ad finem concilii properent, cumque multa adhuc superfint, quæ omnino necesse esset expedire; visum est illustrissimis dominis legatis aliqua dogmata aliquibus reverendissimis patribus & reverendis theologis tradere, ut illorum abusus considerantes, decreta conficiant in congregatione ante sessionem, reverendissimis patribus ostendenda & transigenda, ac ejusmodi forma utendo, ut brevius & facilius ad finem perveniatur: atque ita per classes negotium hoc partiti sunt, concedendo reverendissimis patribus deputatis totidem reverendos theologos, videlicet.

De purgatorio.

Clodiensis	
Legionensis.	Doctor Solisius.
Senogallensis.	Decanus Lovanienſis.
Hiprensis.	Doctor Cornelius.
Abbas Longevillæ.	Doctor Tricius.

De imaginibus.

Lancianensis.	Salmeronus.
Camerinus.	Magister *Suppre.*
Autiensis.	Frater Franciscus Foreriius.
Atrebatensis.	Secundus theologus Lovanienſis.
Tervisinus.	Doctor *Zumel.*

De indulgentiis.

Bracharensis.	Magister Adrianus.
Mutinensis.	Magister Vigor.
Vestanus.	Doctor Paira.
Namurcensis vel ejus loco Argolicensis.	Ultimus doctor Lovanienſis.
Ilerdensis.	*Rhomiser.*

Atque ita quotidie proceditur domi illustrissimi præsidentis, ubi ad hoc conveniunt illustrissimi DD. legati, cardinales de Loreno & Madruccius, reverendissimi deputati, necnon quamplurimi patres & theologi.

Reformationis capita plura super regularibus, tradita patribus examinanda.

Die sabbati XX. & die dominica XXI. Novembris, data sunt patribus consideranda plura capita reformationis super regularibus, tam hominibus quam mulieribus, pro futura sessione.

Die lunæ XXII. ejusdem, tradita sunt patribus capita reformationis de regularibus in meliorem formam coaptata. Superaddita sunt quoque capitibus quatuor reformationis, quæ data fuerunt die XVIII. ut supra, capita duo.

Die Martis XXIII. ejusdem, fuit congregatio generalis super capitibus sex reformationis, ut supra, atque item super reformatione regularium; quæ cum essent illa regularium XXII. additum est illis caput unum, atque ita sunt XXIII. sicque accelerantes & procedentes reverendissimi patres, usque ad finem prosequentur sententias suas, cum bis in die habeatur congregatio.

Die sabbati XXVII. in congregatione generali per reverendissimos patres, abbates & generales finis impositus est eorum sententiis, tam super sex capitibus, quam super reformatione regularium.

Missa in prima Dominica de Adventu.

Die Dominica, quæ est prima Adventus Domini, XXVIII. ejusdem, convenere ex more in cathedrali S. Vigilii illustrissimi legati, DD. oratores atque reverendissimi patres, abbates & generales, ubi summa missa celebrata est per reverendissimum D. episcopum Nicosiensem Venetum, & sermonem habuit frater Franciscus *Forerio* Portugallensis, ordinis Prædicatorum. Quibus completis, & ab illustrissimo præsidente data benedictione, quisque rediit domum suam.

Orator regis Hispaniarum cum prælatis illius provinciæ sessionem protrahere contendit.

Quamvis superioribus diebus non fuerint congregationes generales, nihilominus habitæ sunt particulares apud illustrissimos DD. legatos, quibus intererant cardinales de Loreno & Madruccius, necnon & plurimi patres, propterea quod illustris comes de Luna, orator catholici regis Hispaniarum, una cum prælatis illius provinciæ, animadvertendo sanctissimum hoc concilium non posse continuari nisi ad paucos dies, petiit ut proxima futura sessio prorogaretur ulterius ad dies viginti quinque: quod cum obtinere non potuerit, petiit postremo solum prorogari post indictum spatium indictionis, ad dies octo; causa autem hujusmodi petitionis ignoratur. Sed cum a summo pontifice atque ab invictissimo imperatore magna instetur sollicitudine, ut illustrissimi legati finem san-

(a) Videtur deesse *curam animarum* aut quid simile.

ctæ ſynodo imponant, non creditur omnino hoc illis conceſſum iri: nam omnes dubitant ſi differatur ultra per aliquod temporis ſpatium, proponenda eſſe reverendiſſimis patribus plurima dogmatum capita de indulgentiis, de purgatorio, de veneratione ſanctorum, de imaginibus, de votis, de eccleſia, de legibus eccleſiaſticis, de excommunicationibus, de magiſtratibus, & de aliis quamplurimis; quæ omnia intra biennii ſpatium ad finem perduci poſſe, impoſſibile fiat, cum alias per alia concilia hæc & hujuſmodi multa definita ſint. Quid autem evenerit omnes latet: ſperatur tamen ſanctam ſeſſionem habendam eſſe, prout indicta fuit, die IX. Decembris, & eamdem futuram ultimam.

Pii IV. pontificis morbus.

Die Mercurii prima Decembris 1563. ex certo nuntio noctis præteritæ ad illuſtriſſimos DD. legatos ex urbe Roma, auditum eſt Tridenti ſanctiſſimum dominum noſtrum PIUM IV. ægrotare quammaxime, cui Deus pius & miſericors opituletur: ac univerſum concilium hoc concuſſum eſt.

Dicta die domi reverendiſſimi Teleſini ſecretarii data fuerunt patribus viginti capita, de quibus ſupra fit mentio, reformationis, in meliorem formam coaptata juxta ſententias jam a reverendiſſimis patribus prolatas, & examinanda ad futuram ſeſſionem.

Decreta duo tradita patribus examinanda de de purgatorio & de imaginibus.

Die Jovis ſecunda ejuſdem, domi ejuſdem ſecretarii tradita ſunt patribus duo decreta examinanda, alterum de purgatorio, alterum vero de veneratione ſanctorum & imaginibus.

Verba oratoris regis Hiſpaniarum ad prælatos Hiſpanos, necnon ad ceteros aliarum provinciarum dicto regi ſubjectarum, ſi forte Pius IV. pontifex maximus moreretur, quid ab illis faciendum.

Dicta die ſecunda illuſtris comes de Luna, orator ſereniſſimi regis Hiſpaniarum, convocavit ad ſe prælatos regni Neapolitani, qui ex univerſis triginta tantummodo ad eum profecti ſunt; quibus expoſuit, quod ſi eveniret mors ſummi pontificis, adaperto concilio, quod non permittat Deus, habere in mandatis ab eorum rege catholico, præcipue univerſis archiepiſcopis & epiſcopis tam Hiſpaniæ quam cererarum provinciarum ſuæ majeſtati ſubjectarum, ut nullo modo ipſi ſui prælati intereſſe deberent alicui loco, favendo verbis vel reipſa alicui perſonæ pro creatione in concilio novi pontificis; ſed cupere ſe maxime, velleque omnino ſubeſſe atque parere in omnibus conſtitutionibus & decretis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ad cujus cardinales onus hoc incumbere non dubitabat. Propterea ſi majeſtatem ſuam colerent, hæc obſervarent: cumque plura alia verba in hanc formam habuiſſet, eos dimiſit.

Verba illuſtriſſimi Moroni præſidentis ad patres, pro expeditione concilii, cum ſummus pontifex gravi morbo laboraret, & qui mortuus credebatur.

Dicta die hora XXII. fuit congregatio generalis, in qua, cum jam ab omnibus dubitaretur de morte ſummi pontificis, convenere illuſtriſſimi DD. legati cum univerſis oratoribus & prælatis: & cum ex more illuſtriſſimus præſidens MORONUS legiſſet de Spiritu-ſancto orationem, ſedens in hanc formam omnes allocutus eſt:

Cum pervenerimus, illuſtres DD. oratores ac reverendiſſimi patres, fere ad tempus indictæ ſeſſionis, non ſine aliqua rerum controverſia, & cum noſter ſummus Romanus pontifex, quem Deus optimus maximus nobis cuſtodiat & præſervet, non bene ſeſe habeat; quod reliquum eſt, oro vos atque obſecro, ut expeditioni ſanctiſſimi concilii conſulamus: quod a nobis fiet, ſi unanimes in ſententiis noſtris pro ipſa expeditione procedamus, ut nobis ipſis & eccleſiis noſtris quam citiſſime providere valeamus: & ad hoc exſequendum cum facultas nobis facta ſit a vobis, poſſe tempus indictum ſeſſionis abbreviare, videtur nobis die craſtina omnino habendam eſſe, cum res omnes expeditas manibus habeamus. Propterea ſi vobis placet, quiſque veſtrûm ſententiam ſuam proferat. Cumque ſtatim unanimes & uno ore omnes patres & oratores ſententiam illuſtriſſimi præſidentis approbaſſent, continuo reverendiſſimus ſecretarius omnia decreta & reformationes perlegit, quæ eum nihil in ſe difficile haberent, univerſa patribus placuerunt, prout habita ſeſſione libello huic addam; & congregatio dimiſſa eſt ad horam noctis tertiam cum dimidia.

Pius ſummus pontifex bene ſeſe habet.

Statim poſt congregationem ex litteris ab urbe Roma auditum eſt Tridenti, cum magna profecto omnium lætitia, ſummum Romanum pontificem bene ſeſe habere, de quo immortales habeantur gratiæ.

NONA SESSIO

ſub Pio IV. quæ eſt ſeſſio XXV.

Anno a Nativitate Domini 1563. die vero Veneris tertia menſis Decembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini PII divina providentia papæ IV. anno quarto, præſidentibus, ut ſupra, eiſdem apoſtolicæ ſedis legatis, reverendiſſimus D. POMPEIUS ZAMBECCARUS Bononienſis, epiſcopus Suimonenſis, ſummam celebravit miſſam ſolemniter de Spiritu-ſancto in eccleſia cathedrali S. Vigilii & loco ſeſſionis ſuperiori. Deinde reverendiſſimus D. HIERONYMUS REGARRONUS Venetus, epiſcopus Famaguſtanus habuit orationem, qua

finita, illuſtriſſimi DD. legati & alii cardinales atque prælati ſumſere ſibi pluvialia & mitras; interimque cantores cœperunt canere antiphonam, *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua.* Qua completa, diaconus clamavit, *Orate*: quo dicto, omnes prælati flexerunt genua & orarunt: deinde ſubdiaconus clamavit, *Erigite.* Tunc illuſtriſſimus MORONUS primus præſidens dixit hanc orationem: *Adſumus Domine ſancte Spiritus*, qua finita cantores cœperunt litanias; & cum ab illis ventum eſſet ad illum locum, *Ut dominum apoſtolicum*, præſidentes qui flexis genibus adhuc orabant, ſurrexerunt, & illuſtriſſimus præſidens vultum vertens ad patrum congregationem, danſque benedictionem dixit, *Ut hanc ſanctam ſynodum, &c.* cantores reſponderunt: *Te rogamus audi nos.* Quibus peractis, & aliis ceremoniis, illuſtriſſimus præſidens intonuit hymnum, *Veni creator Spiritus*, quem proſequuti ſunt cantores: quo completo, idem illuſtriſſimus D. præſidens dixit orationem, *Deus qui corda fidelium, &c.* quibus ex more geſtis, reverendiſſimus D. epiſcopus Sulmonenſis, qui ſacra peregerat, cœpit legere decreta & reformationes in hanc formam, videlicet.

Decretum de purgatorio.

Cum catholica eccleſia Spiritu ſancto edocta ex ſacris litteris, &c. *ut apud Labbeum pag. 894. cum ſequenti decreto de invocatione, veneratione, & reliquiis ſanctorum, ibid. pag.* 895.

Quibus decretis lectis a reverendiſſimo Sulmonenſi, reverendus dominus promotor concilii, una cum notariis ejuſdem, petiit a reverendiſſimis patribus, numquid eis decreta lecta placerent: qui cum reſpondiſſent ſibi placere & omnia approbare, de eis publicum fecit inſtrumentum: & ſilentibus omnibus, Sulmonenſis item ex ſuggeſto decretum de regularibus & monialibus cœpit legere, *ut apud Labbeum pag.* 896. *uſque ad* 905.

Quo decreto & capitulis de regularibus lectis, ſtatim a reverendo promotore concilii & notariis percontati ſunt reverendiſſimi patres, numquid prædicta ut erant, eis placerent: qui cum omnes reſpondiſſent, *Placet*, ſuper quo confectum eſt publicum inſtrumentum, præfatus reverendiſſimus Sulmonenſis legere proſecutus fuit capita viginti & unum reformationis in hanc formam.

Decretum de reformatione, &c. ut apud Labbeum pag. 905. *uſque* 917.

Quo decreto de reformatione lecto a reverendiſſimo Sulmonenſi, & a patribus approbato, domini notarii concilii de iis publicum confecere inſtrumentum, ſtatimque poſt hæc illuſtriſſimus dominus præſidens intonuit *Te Deum laudamus*, quod hilari & alta voce proſecuti ſunt cantores concilii. Quo completo & peractis aliis ceremoniis, prout moris eſt, ſeſſio dimiſſa eſt hora XXIII. cum dimidia.

Decretum de continuanda ſeſſione IX. in diem ſequentem.

Cum ea omnia, quæ in præſenti ſeſſione tractanda erant, quia hora tarda eſt, commode expediri non poſſint, propterea juxta id quod in generali congregatione a patribus ſtatutum fuit, ea quæ ſuperſunt in diem craſtinam, hanc eamdem ſeſſionem continuando, differuntur.

IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI,

Continuatio nonæ ſeſſionis.

Die ſabbati quarta Decembris hora XVI. ad honorem ſanctiſſimæ Trinitatis, cujus nutu reguntur omnia, convenere in eccleſia cathedrali illuſtriſſimi legati, illuſtriſſimi cardinales de Loreno & Madruccius, una cum illuſtribus oratoribus Cæſareis, regum, rerumpublicarum; atque principum, cum reverendiſſimis patribus, abbatibus, generalibus, & procuratoribus ordinum, quotquot aderant, ubi celebravit ſolemniter miſſam, abſque tamen oratione, reverendiſſimus dominus epiſcopus Cataneus, poſt quam abſolutam, & data benedictione ab illuſtriſſimo domino præſidente ex more, & habitis ceremoniis, & aliis geſtis, quæ fieri ſolita ſunt, acceptiſque ab omnibus pluvialibus & mitris, ſinguliſque ad loca ſua ſedentibus, reverendiſſimus Cataneus ſuggeſtum aſcendit, cœpitque legere decreta & alia ut infra.

De indulgentiis. Cum poteſtas &c. *ut apud Labb. pag.* 917. *uſque ad c.* VI. *pag.* 919.

Quibus decretis ut ſupra lectis, & a reverendiſſimis patribus approbatis, reverendiſſimus Cataneus proſecutus eſt legere infraſcriptum decretum, una cum ſeſſionibus & actis ſub PAULO III. & JULIO III. pontificibus maximis.

Ne tibi difficile quid videatur, candide lector, me in ſeſſionibus tam ſub Paulo III. quam ſub Julio III. habitis & Tridenti & Bononiæ, aliqua appoſuiſſe, quæ in hac nona ſeſſione non fuerunt lecta. Hoc a me factum eſſe ſcias dedita opera, ne hæc nuda penitus viderentur, ſed ut aliquid tibi tum voluptatis, tum commodi afferant, quæque tibi non injucunda fore non ſummopere confido, non diſcedendo a dictarum ſeſſionum actis & exemplaribus, & aliquid continuo inſerendo quod tibi quam maxime ſatisfaciat.

De recitandis in hac ſeſſione IX. decretis concilii ſub Paulo III. & Julio III.

Quoniam diverſis temporibus tam ſub felicis recordationis Paulo III. & Julio III. multa in hoc ſacro concilio quoad dogmata ac morum reformationem ſtatuta & definita ſunt, vult ſancta ſynodus illa nunc recitentur & legantur.

Concilii Tridentini aperitio.

Seſſio I. habita Tridenti ſub Paulo III.

Quæ ſequuntur omnia habentur in editis, niſi quod in ſeſſione XVI. poſt decretum ſuſpenſionis concilii ad biennium, in noſtro codice legitur ſequens proteſtatio, quæ deſideratur in editis.

Proteſtatio patrum inferius ſubſcribentium contra decretum ſuſpenſionis ad biennium concilii Tridentini, lecta in dicta ſeſſione per reverendiſſimum D. Salvatorem archiepiſcopum Turritanum.

Cum hoc ſacrum œcumenicum concilium ante tot annos a toto chriſtiano orbe deſideratum, tantis labobibus procuratum, tandem Tridenti ad exſtirpandas hæreſes, tollenda ſchiſmata, reformandos mores, pacemque inter Chriſtianos principes componendam fuerit convocatum, neque poſt ejus convocationem fuerit adhuc ſatisfactum, nedum omnibus, ſed nec plane alicui, ex cauſis propter quas convocatum eſt, præſertim reformationi neceſſariæ abuſuum, unde mala omnia quibus vexatur eccleſia exorta eſſe & confoveri apertum eſt; nos infraſcripti archiepiſcopus & epiſcopi, noſtrarum conſcientiarum teſtimoniis compulſi, huic decreto ſuſpenſionis concilii cum omnibus in eo contentis circumſtantiis & conditionibus, tam quoad ſubſtantiam ejus, quam quoad formam contradicere decrevimus, prout de præſenti contradicimus & repugnamus; tum quia cauſæ ſuſpendendi quæ in eo aſſignantur, bella ſcilicet & Germaniæ tumultus, quos brevi ſedatos iri ac componi, vel in ipſo decreto ſperari dicitur, non uſque adeo videntur urgere, ut ſit propter eas ita a concilii proſequutione ceſſandum, ſaltem in his quæ ad reformationem attinent: quin immo ad ſedandas principum diſcordias aptiſſima viſa eſt concilii convocatio, ſubindeque proſequutio & continuatio; tum etiam quia dicta ſuſpenſio magis diſſolutionis, quam juſtæ, moderatæ aut neceſſariæ *ſuppreſſionis ſpeciem præ ſe ferre videtur. Neque enim etſi ceteræ difficultates deerint, quas timere nos docuit experientia, tam celebris prælatorum conventus ex tam diverſis remotiſque provinciis haberi facile poterit, nec deerunt impugnatoribus catholicæ eccleſiæ occaſiones & rationes ad cienda alendaque bella atque diſcordias, quibus hujus concilii, cujus nomen apud eos eſt tam odioſum, reaſſumtionem impediant, ac ludificentur; quod nunc eos conari variiſque rationibus tentare videmus, ſi præſertim viderint conatus hujuſmodi proſpere eis cedere, noſque eo adegiſſe, ut ab incœpto opere ceſſaverimus. Præterea deterret nos ingens ſcandalum, certaque hæreſum prope confirmatio, quam ex tali & tam diuturna ſuſpenſione, nedum ipſis eccleſiæ adverſariis, ſed & catholicorum pleriſque orituram eſſe manifeſtum eſt, cum Dominica caſtra publicamque cauſam deſerere non alia ratione magis quam perſecutionum meru, laborum impatientia, & quod pejus eſt, cauſæ ipſius & divini auxilii deſperatione opinabuntur, cum tamen in tuto loco ab omni bellica injuria remoto ſediſſe nos viderint, uti alias cum non minus periculoſa bella gererentur, nihilominus ipſa ſynodus fiducialiter in divino hoc opere perſeveraverit, quod profecto inficiari nec nos ipſi poſſumus, immo & contradicimus, & quantum poſſumus abſolute repugnamus. Ne tamen omni concilio non conſentiendi rationem quærere videamur, neve abhorrere credamur a ſuavi rerum diſpoſitione, cum & nos difficultatis temporum receſſuſque prælatorum Germanicæ nationis rationem aliquam habendam eſſe non improbemus penitus, ut ſequens viam quam hactenus tenuit atque ſervavit hæc ſancta ſynodus, ſeſſionem ad proximas calendas Maii indictam, ad moderatum aliquem terminum proroget, diemque declaret qui ipſe ita pro homine interpellet, ut alia convocatio, declaratio aut intimatio minime ſit expectanda, quominus ad hunc locum concilii omnes prælati convenire & poſſint & teneantur: addentes nihilominus, quod ſi infra dictum declarandum terminum prædicta impedimenta ceſſaverint, curet ſanctitas ſua prælatos omnes ad proſecutionem concilii revocare, quos interim ad proprias eccleſias remeare, ſi libeat, licebit. Ultima vero decreti verba quibus commendatur decretorum hujus ſanctæ ſynodi obſervatio, placerent utique, ſi abſque his verbis, *quatenus ad eos de jure ſpectat*, publicetur; quæ litium occaſio eſſe videntur & ſeminarium. Quæ quidem omnia ita & non aliter fieri petimus, & proteſtamur quod ſi ſecus fiat, nullum nobis, nec ſanctæ ſynodo, præjudicium fieri quovis tempore, tam propter hujus decreti ſuſpenſionis publicationem, quam ob quemcumque alium actum factum vel faciendum, attentatum vel attentandum per quaſcumque perſonas contra hujus œcumenici concilii auctoritatem & poteſtatem, conciliorumque œcumenicorum omnium. Petimus inſuper a ſynodi hujus notario, ut hanc noſtram ſchedulam contradictionis, atteſtationis ac proteſtationis inter acta ſynodi, una cum hoc decreto inſerat; indeque ipſe vel alii nobis unum vel plura authentica inſtrumenta exhibeant.

* f. ſuſpenſionis.

Prælati qui contradixerunt decreto ſuſpenſionis concilii, fuerunt iſti.

Reverendiſſimus D. Salvator Alexius Salparus, archiepiſcopus Turritanus, Hiſpanus.

D. Johannes *Sallazar* epiſcopus Lucianenſis, Hiſpanus.

D. Alvarus *della Quadra* epiſcopus Venuſinus, Hiſpanus.

D. epiſcopus Tundenſis.

D. Petrus Acuna & Avellaneda epiſcopus Aſtoricenſis, Hiſpanus.

D. episcopus Civitatensis.

D. Johannes Fonseca episcopus Castellimaris, Hispanus.

D. Franciscus de Navara episcopus Pacensis, Hispanus.

D. Michaël *Puch* episcopus Elnensis, Hispanus.

D. episcopus Gadixensis.

D. episcopus Pampilonensis.

D. Johannes *Diaz* episcopus Calagurita-
nus contradixit simpliciter suspensioni, nulla facta distinctione inter suspensionem vel prorogationem concilii, &c.

Universi concilii Tridentini tam sub Paulo III. & Julio III. quam sub Pio IV. pontificibus maximis finis. Opus sane clarum & undique perfectum, ac summo meo labore consummatum, cui tantum contuli studii, ut omnes qui numquam concilio ipsi interfuerint, scire & cognoscere possint dogmata, reformationes, sessiones, congregationes, atque etiam alia quamplurima, ac si oculis singula ipsi prospexissent; ita ut eis tum flores varios carpere, tum fructus uberiores gustare liceat, quorum omnium ego idem Torellus presbyter, & auctor & scriptor extiti, inque hanc quæ cernitur formam redegi, ad laudem & gloriam sanctissimæ Trinitatis, amen. Anno Domini MDLXIV.

ADDENDA AD ACTA concilii Tridentini.

Ex mss. illustrissimi domini Jolii de Fleuri *summi regis procuratoris.*

BREVE APOSTOLICUM ad universos episcopos Galliæ.

Eos invitat ad concilium Tridentinum.

VEnerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis, & dilectis filiis abbatibus, ac quorumvis ordinum generalibus, & aliis in conciliis generalibus locum aut vocem quomodolibet habentibus, in regno Franciæ constitutis S. & A. B.

Cupientes pro commisso nobis apostolatus officio, & debito honoris Dei & salutis animarum studio, & tam gravibus malis laboranti universali ecclesiæ eo remedio subvenire, quod sancta hæc sedes ad tollendas hæreses, & schismata sedanda perpetuo adhibere consuevit, sicut ab initio pontificatus statutum ad deliberandum nobis fuit: cujus voluntatis nostræ cariissimum in Christo filium nostrum, regem Christianissimum, aliosque reges & principes, testes & conscios habemus. Hesterno die ad Dei omnipotentis laudem, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio & assensu, œcumenicum & generale concilium in civitate Tridentina, a die sacratissimo resurrectionis dominicæ proxime futuro, divina opitulante gratia, celebrandum indiximus, sicut litterarum exemplo, quas super ejus indictione edidimus, cognoscetis. Etsi autem minime dubitamus, quin tam necessario tempore, quisque vestrum muneris sui memor, paratus sit Deo & sponsæ ejus ecclesiæ officium suum præstare, sicut bonos & catholicos præsules ac fideles Dei ministros decet; tamen pietatem vestram nostra etiam hortatione duximus vehementius excitandam, universitatem vestram in Domino cohortantes, & monentes, & per apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipientes atque mandantes, ut sine recusatione ad celebrandum concilium Tridentinum intra præstitutam diem conveniatis, affuturis illic sedis apostolicæ legatis, qui vos & ceteros prælatos advenientes excipient, ut pro vestro ac reliquorum studio ecclesia tam diuturnis miseriis afflicta erigatur, & ex tantis laboribus & procellis aliquando conquiescat, sicut divina misericordia freti confidere debemus. Nos quidem pro loco & munere nostro vos & reliquos fratres ac filios nostros omni studio, cura, diligentia, adjuvare parati sumus, nihilque quod præstari a nobis possit prætermittere, quo ad concilium ad optatum, Deo annuente, finem perducatur.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die ultimo Novembris 1560, pontificatus nostri anno 1.

SUPPLICATIO PROCURATORUM nationis Germanicæ facta in concilio cum responsione illustrissimorum legatorum.

CUm œcumenicum hoc sacrosanctum Tridentinum concilium magna ex parte, ut hæresibus labenti & pene perditæ Germaniæ succurreretur, congregatum fuisse dicatur: pro cujus restitutione multa per ejus regionis expertes scriptu necessaria pro loco & tempore aperienda forent. Idcirco nos reverendissimorum antistitum Germaniæ procuratores, suffragante nobis in hac parte piæ memoriæ Pauli III. privilegio, jam, ut per testes fide dignos cognovimus, in aliis hujus sacri concilii partibus, per similes Germaniæ procuratores executioni mandato, illustrissimis D. V. supplicamus & nobis votum nostrum, nedum consultivum, verum & decisivum inter reverendissimos patres, proferre posse concedi, sicut in principio concessum fuerat; sed demum ignotis causis, una vel alia occasione impeditum fuit. Justum æquumque nos petere arbitramur, cum tanta & tam ampla regio Germanica pauciissimos & pene nullos, aliarum respectu regionum, hic habeat; tum quod non solum ordinum generalibus, sed etiam eorum procuratori-

bus, hoc permittatur. Cum reverendiſſimi A epiſcopi noſtri legitime impediti, non perſonaliter, ſed per nos procuratores, magno cum incommodo & ſumtibus interſint, oramus, ut, ſicut ſanctæ ſedi apoſtolicæ viſum eſt æquum per nos ſuppleri poſſe, ita & illuſtriſſimis D. V. videatur, in quo apparere poterit, quanta benignitate, a tota ſancta eccleſia natio noſtra Germanica complectatur; ſecus, hic nos inaniter agere & reverendiſſim. D. N. bona gratis, quin cum eorum injuria perfundere videmur.

ILLUSTRISSIMORUM LEGATORUM reſponſio data nationis Germanicæ prælatorum procuratoribus.

CUm in dicenda ſententia definitiva in conciliis electa ſit maxime induſtria perſonæ, non poteſt hoc munus per procuratorem impleri, idque non tantum jure receptum eſt; ſed & uſu ſervatum, & a Paulo III. felicis memoriæ per breve ſuum declaratum. Quamvis igitur aliquando prælatis Germaniæ ex maximis neceſſariiſque tunc temporis cauſis fuerit conceſſum, ut poſſint in ſynodo per procuratores ſuos intereſſe: cum tamen deinde ſanctiſſimus dominus noſter Pius IV. litteris ſuis expreſſe conſtituerit, ut abſentium prælatorum procuratores ad alleganda tantum impedimenta, nullatenus vero ad ſuffragium ferendum admittantur; omniſque nationis hac in re æquo jure cenſendos, excluſis quibuſcumque privilegiis, declaraverit. Cognoſcimus, reverendi procuratores, nos vobiſcum non ſolum non inique hactenus egiſſe, licet ad deciſivum votum non admiſerimus, ſed potius magna vos benignitate & privilegio complexos eſſe, quos privatis patrum congregationibus adeſſe permiſimus. quod tamen nec jure vobis licebat, & nos quibuſcumque aliis procuratoribus etiam prælatorum in Indiis & aliis remotiſſimis nationibus denegavimus. quod ſi alicui ex generalibus ordinum aliter forte permittitur, id maxima ratione fit: cum officium perpetuum in religione & proximum poſt generalem, qui impeditus eſt, habeat & ſpeciali privilegio ſanctitatis ſuæ id ei ſit tributum, ad quam recurrendum eſt, ſi quis ſimilem gratiam juſta ſuadente ratione ſibi concedi cupit.

SUMMARIUM PETITIONUM CÆSARIS ſuper reformatione.

1. ORandum in primis ſummum pontificem, ut ſeipſum & Romanam curiam reformare benigne patiatur.

2. Ut numerus cardinalium reducatur, ſi non ad duodenarium, ſaltem ad duplicatum cum duobus ſupra numerum, nempe XXVI.

3. Providendum ne fiant amplius diſpenſationes ſcandaloſæ.

4. Revocandas omnes exemtiones contra jura communia paſſim conceſſas, monaſteriaque omnia ſub ejus epiſcopi poteſtate conſtituenda, ſub cujus ſunt diœceſi.

5. Tollendam prorſus pluralitatem beneficiorum, & ſtatuendum quod ſingula collegia ſingulas erigant ſcholas, atque eccleſiæ non dentur conductitiis preſbyteris.

6. Epiſcopos omnino ad reſidentiam cogendos, niſi in extrema eccleſiæ neceſſitate, ut officia ſua per ſe ipſos, non per vicarios exerceant. quod ſi ipſi non ſint idonei, vel B potentes, non uni vicario totius diœceſis curam mandandam; ſed pluribus perſonis, ut theologis theologica; canoniſtis canonica negotia. inſuper viſitationes, diœceſanaſque ſynodos quotannis habendas.

7. In eccleſiis omnia Dei myſteria gratis præſtanda, & eas quæ ſunt adeo tenuis reditus, ut miniſteria eccleſiaſtica abſque quotidianis emolumentis nequeant ſuſtinere, incorporandas cum aliis non curatis beneficiis pinguioribus.

8. Renovandos veteres canones contra ſimoniacam pravitatem.

9. Fortaſſis expedire humanarum ſanctio- C num multitudinem non nihil contrahere, ſuperfluis reſectis. Et prælatos ſuas conſtitutiones æquare obligationi juris divini.

10. Excommunicatione non eſſe utendum extra caſum peccati mortalis, & notoriæ incorrigibilitatis.

11. Providendum, ut diligenter & devote in divinis officiis preces effundantur, quæ aliquando ita præcipitate a celebrantibus proferuntur, ut nec ſe ipſi intelligant, nec ab aliis intelligantur.

12. Breviaria & miſſales purgandos, reſecandaque omnia, quæ non ex divinis ſunt deſumta litteris, & tædioſam prolixitatem D pſalmorum & orationum habito decreto contrahendam,

13. Fortaſſe permittendum ut liceat alicubi latinis canticis vernaculos fideliter verſus intermiſcere.

14. Cogitandum qua ratione clerus ad vitam puriorem reducatur. quo pacto monaſticus ordo ad primitiam inſtitutionem reintegretur, ne tantæ monaſteriorum divitiæ tam flagitioſe diſſipentur.

Et hæc de morum abuſuumque reforma- E tione.

15. Quod autem ad dogmata attinet, conſiderandum ſacro concilio, an non res ipſa efflagitet aliqua juris poſitivi relaxari. Et circa communicationem ſub utraque ſpecie, conſuli deſiderio exterarum nationum.

16. De eſu carnium & jejuniis, aliquid de priſtino rigore remittendum, ſuper quo tamen prudenter deliberandum.

17. Conjugium item clericorum aliqui-

bus nationibus concedendum.

18. Et ita conciliatis populorum animis, tollendas deinde multiplices evangeliorum postillas, & novam per peritos theologos conficiendam, & similiter novam agendam: quas si qui parochorum noluerint recipere, tunc pœnas eis graves injungendas. Verum quia modo passim mali parochi citius poterunt expelli, quam substitui meliores; ideo quædam ad hanc difficultatem amovendam necessaria recensemus.

I. Unum catholicum parochum præficiendum interim pluribus ecclesiis.

II. Videndum diligenter, an aliqui ex iis sectariis possint ad catholicam fidem reduci. Et ideo eos qui saniorís mentis videbuntur, in proximam catholicam academiam mittendos & recte erudiendos.

III. Injungendum episcopis academias non habentibus, ut in vicina academia collegium erigant pro adolescentibus theologiæ studiosis alendis & instituendis.

IV. Limitatum auctorum catalogum edendum, qui legi debeant in scholis, nec alios admittendos.

V. Plures episcoparus in latioribus provinciis erigendos, & opulenta cœnobia posse in hunc usum converti.

VI. Quod autem spectat ad bona ecclesiastica in usus prophanos conversa & distracta, præstare forte hoc tempore, ut hæ dissimulentur injuriæ.

VII. Ultimo reverendissimos patres concilio præsidentes dare operam debere, ne quæstiones, quæ offendiculosas parere possint contentiones, ut fuit hæc: an residentia sit de jure divino, nec ne, aut similes proponantur, aut quando id vitari non possit, non patiantur saltem offendi in bilem, nec afferri in fabulam adversariorum.

A in qua quemadmodum huc usque immobiliter perseverare proposuimus, declarabit, ac *ibidem nostro nomine res* ad catholicam concordiam, quantum in nostra tenui potestate situm erit, perducere adjuvabit.

Constituimus præterea & omnino decrevimus consiliarium & vicecancellarium nostrum doctorem Radulfum Hulvetum, procuratorem pro prima legatione nostra committere, qua de re latius tuam dilectionem scripto ex Tridento, vel ibidem ore, certiorem fieri curabimus, toto pectore Deum
B orantes, ut pontificiæ sanctitatis paterna cura fructum & effectum debitum sortiatur, de quo spem & fiduciam habemus. Rogamus etiam tuam dilectionem, diligenter negotia supradicti fratris nostri archiepiscopi, oramusque ut ea amore promovere studeat. Ultimo non possumus etiam intermittere quin eidem dilectioni significemus bonum illum & catholicum episcopum Hildesemensem in expeditione litterarum suæ, quam dudum impetravit, confirmationi periclitari, ac suspendi, nullo habito respectu quod sua dilectio gratiam medio taxæ ut vocant, obtinuerit,
C pecuniasque necessarias in quartum nunc annum usque in banchis numeratas habeat, quarum commissiones Alexandro Sculteti traditæ sunt. Cum autem bonus episcopus extremo damno afficiatur, collegium etiam cardinalium interea suo defraudatur, rogamus summopere tuam dilectionem ut apud dictum Alexandrum Sculteti, pro expeditione bullarum instet, & curare studeat, ut proximo cursore certo ad ipsum perveniant. In eo tua dilectio pium præstabit opus, illique episcopo & nobis maximopere gratum. nos
D etiam nostra officia eidem vicissim amice offerimus. Datum in Holzmenden 22. Novembris anno 1562.

TRANSLATIO LITTERARUM illustrissimi principis Henrici, ducis Brunswicensis, ad cardinalem Augustanum.

Mittit ad concilium nomine suo procuratorem, commendatque ei negotium episcopi Hildesemensis.

ACcepimus ante paucos dies litteras tuæ dilectionis, quas propria manu in causa
E concilii ad nos scripsit; ex iisque summo cum gaudio felix initium, optatumque progressum hujus necessarii & piissimi operis percepimus, ac statim dilectum fratrem nostrum archiepiscopum Bremensem huc ad nos vocavimus, una cum dilectione sua pio cuidam erudito & honesto viro loco (nostri) in hoc catholico concilio plenam potestatem concessimus, & eumdem, quantum ad nos attinet, plene ac omnino expedivimus. qui etiam sine mora iter suscipiet, nostramque inter alios catholicos status simplicem catholicam sententiam,

EPISTOLA CUJUSDAM *Coloniæ scripta.*

De usu calicis non concedendo.

MAgno sane & mei & catholicorum virorum dolore hic passim circumfertur, plures Germaniæ principes, turbulentissimis istis temporibus, apud sanctissimum nostrum specialiter, etiam missis legatis & nuntiis, instare, quo suæ sanctitatis permissione communio unius vel utriusque speciei, in natione Germanica libera esse intelligatur & possit. *nam quis fructus in loco ubi usus calicis permissus, secutus fuerit, tibi ignotum esse non* potest: novisti enim dum recolendæ memoriæ JOHANNES GROPPERUS maximis sane laboribus, & haud minoribus suis expensis, Susatii civitate Westphaliæ abditis * hærericis, * al. aboliris veram & catholicam religionem reduxisset, quod tum ipso discedente, quidam ejusdem civitatis plebeii, qui aut humiliter serviunt,

aut

aut superbe dominantur, a principe loci petierint sibi capellam aut sacellum aliquod concedi, in quo calicis usus ipsis permitteretur. Et cum princeps petitionibus annuisset, ipsi tali concessione non exteriti, statim omnes parochiales ecclesias invaserint, catholicos pastores ejecerint, eorum loco schismaticos & hæreticos substituerint, sacrosanctam missam, sacrificium ac omnia alia divina mysteria, horrendo sane exemplo, abrogaverint. adeo quod in ea civitate, eo, proh dolor! deventum sit, ut vix una ecclesia catholicis nunc libera permittatur. nam proxime cum dux Francfordiam se contulisset, plebei ejusdem civitatis pastorem veteris ecclesiæ sancti Petri, qui solus catholicam religionem serio tutatur, ex ecclesia sua vi exturbare exorsi sunt, nisi is fide data promitteret, abolita catholica religione, Augustanæ confessionis dogmata, & in illa præscriptos ritus & prædicare, & observare velle. Singulari tamen beneficio, per catholicos viros apud consiliarios domi relictos tantum effectum est, quod ad scripta illorum consiliariorum illi impetus fuerint fracti. Quid autem nunc reverso principe eventurum sit, eventus ipse docebit. cadat tamen, ut velit, experientia, proh dolor! docemur, quod in omnibus locis in quibus hactenus ab ecclesia ministrandi sacrosancti corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi usus & ritus immutatus est, quod ibidem horrendi tumultus & seditiones sunt secutæ. nam pastores omnes talium ecclesiarum hæresi infecti, episcopos & prælatos contemnunt, investituras spernunt, incestas & nefarias nuptias contrahunt, & denique ecclesiasticam jurisdictionem & sanctæ matris ecclesiæ censuras contemnunt.

Magistratus sane hujus inclytæ reipublicæ Colonienſis hisce exemplis edoctus, severissime catholicæ religionis & ecclesiæ negotium tuetur, neque eos patitur, qui communionis innovationem inducere student. nam & hisce diebus cum quidam communionis innovationem molirentur, statim exilio multati, & secedere-coacti fuerunt.

Porro si nunc sanctissimus noster assiduis & vehementioribus precibus, & importunitatibus victus, calicis usum, pendente conciliari actione, permitteret, timendum foret, ne & hæc sancta civitas, quæ postquam fidem suscepit, numquam recidiva fuit, sed semper sanctæ Romanæ ecclesiæ fidelis filia permansit, periclitaretur, neque tunc solo calice innovatores fore contentos; sed rem latius, prout in aliis locis accidisse videmus, progressuram, quod omnipotentis Dei benignitate avertatur.

Circumferuntur hic a plerisque litteræ a Tridento missæ, in quibus præscribitur, concilium articulum illum, num usus calicis alicui nationi permitti possit, declarationi & determinationi sanctissimi Domini nostri remississe. ex quo sane senatus & reliqui catholici omnes valde metuunt, ne ex hujusmodi remissione innovationem molientes & desiderantes, majorem causam hujusmodi permissione apud sanctissimum Dominum nostrum perurgendi, sint accepturi.

Quare pii & catholici omnes ardentissimis votis tuam operam implorant, & invocato auxilio illustrissimorum & reverendissimorum Tridentini & Augustani cardinalium, sacri Romani imperii principum, quibus quid hæc petita innovatio secum malorum trahat, minime incognitum existit.

Quo ipsi ex debito officii munere de præmissis mature cum sanctissimo domino nostro conferre, suaque prudentissima consilia communicare non graventur, & sanctissimus Dominus noster tanto maturius, quid ecclesiæ utilitas pro eorum temporum injuria maxime exposcit, statuere possit.

CANONES FORMATI

Super reformatione cardinalium, quæ summus pontifex curare debet.

Canon. I. Pontifici magno canonice electo curæ potissime debet esse, ut ecclesiæ unitatem conservet, in exstirpandis hæresibus invigilet, ecclesiasticam libertatem tueatur, pacem inter principes christianos componat, depravatos tam cleri quam populi christiani mores emendet, disciplinam ecclesiasticam restituat, dignos atque idoneos ad ecclesiasticas dignitates promoveat, subditorum tam in temporalibus quam in spiritualibus salutem, quietem & securitatem procuret, justitiam omnibus æqua lance ministret, bona temporalia sine quorum auxiliis vix spiritualia sustineri possunt, conservet, propterea quod ab alienatione non solum civitatum, terrarum & locorum status temporalis, sed etiam bonorum mobilium pretiosorum ad Romanam ecclesiam pertinentium abstineat, quod quidem quoad bona ceterarum ecclesiarum omnium etiam observari convenit, quibuscumque legibus & constitutionibus de rebus ecclesiæ non alienandis hactenus promulgatis, cum pœnis ac decretis irritantibus in ipsis legibus & constitutionibus, in suo robore permansuris.

Can. II. *De qualitate cardinalium creandorum.*

In sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, qui pontificis maximi fratres sunt, & eidem in executione pontificalis officii coadjutores existunt, & quorum consilio universalis regitur ecclesia, collegium clam ac speciatim nonnisi viros graves, doctos, modestos, quique in disciplina ecclesiæ versati fuerint cum laude, coaptari, neque eorum numerum, nisi ex rationabili causa, quæ rectum possit pontificis maximi movere judicium, augeri decet, ne tam excellens & præcipuus honor sui numerositate vilescat. Si

quando vero eos coaptari contigerit, id præcipue præcavendum erit, quod canones quoad ætatem uniuſcujuſque ordinis obſerventur.

CAN. III. *Duo fratres germani eodem tempore cardinales non fiant.*

Pro bono regimine S. R. E. ac pro felici ſacri collegii cardinalium directione, ne, quod de quibuſdam pro neceſſitate factum eſt, trahatur poſteris in exemplum, præſenti decreto perpetuo valituro ſtatuitur & ordinatur, ut nullus aſſumatur in S. R. E. cardinalem, qui ſit frater germanus alterius cardinalis viventis: ita quod eodem tempore duo fratres germani in eodem collegio nullatenus eſſe poſſint: decernendo & declarando fratres cardinalium viventium ad cardinalatus dignitatem penitus incapaces & inhabiles haberi & reputari, & ex nulla quantumvis urgentiſſima cauſa adverſus hanc conſtitutionem diſpenſare licere.

CAN. IV. *Quæ deceat a cardinalibus obſervari.*

Oportet eos qui cardinalatus honore funguntur, aſſidue meditari quam vitam, quos mores poſtulet tanta dignitatis celſitudo, meminiſſeque ſibi non minus oneris quam honoris impoſitum eſſe, & omnium oculos in ſe conjectos, ac propterea ſtudio eniti, ut tamquam lucernæ ardentes eccleſiam illuſtrent, bonum de ſe exemplum cunctis nominibus præbeant, domum ſuam & familiam diſponant & regant, pauperes ament & foveant, oppreſſos ſublevent atque defendant, pontificem maximum, cujus membra ſunt in adminiſtratione pontificatus officii prudenter atque amanter coadjuvent, eique libere cum amore & fide, omni ſæcularis poteſtatis metu, temporalique favore ſepoſito, conſilia dent; aulas principum ſæculi, niſi alicujus piæ vel honeſtæ cauſæ neceſſitas urgeat, evitent: titulorum ſuorum eccleſias frequenter viſitent, & quæ noverint reparatione indigere, quantum in eis erit, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus reſarciri & inſtaurari curent: alias eccleſias eorum adminiſtrationi commiſſas per idoneos ſaltem vicarios ac ſuffraganeos, qui ipſorum vices, dumilli adſunt, plene ſupplere valeant, regi & gubernari faciant, eccleſiaſtica beneficia ad eorum collationem ſpectantia, & præſertim ea quibus cura eſt animarum adjuncta, bene meritis conferant. Si privilegiis ſibi conceſſis minime abutantur, putantes fortaſſe ea quæ prohibentur aliis ſibi permitti. Ita denique & domi & foris, & in omnibus actibus ſuis ſe gerant ut jure & merito orbis chriſtiani cardines appellari queant, & in eorum operibus cæleſtis pater glorificari poſſit.

CAN. V. *Cardinales plures eccleſias non habeant, & abſentes privilegiis non gaudeant, & aliquo tempore anni eccleſias ſibi commiſſas viſitent.*

Si qui cardinales plures eccleſias in titulum vel commendam ſeu adminiſtrationem aut aliis quomodocumque obtineant, unam tantum, ceteris dimiſſis, retinere, neque in poſterum ultra unam habere valeant, ſex epiſcopis cardinalibus exceptis, videlicet Oſtienſi, Tuſculano, Prænestino, Sabinenſi, Portuenſi, Albanenſi, quibus permittitur, ut ſimul cum ea ad quam quiſque ipſorum intitulatus extiterit, alteram in commendam vel adminiſtrationem habere poſſit, & cum ad ipſos cardinales præcipue ſpectet ſummo pontifici in regimine univerſalis eccleſiæ aſſiſtere, niſi apud ipſum pontificem, aut de ejus licentia apud eccleſias eis commiſſas reſederint, aut ex aliqua alia rationabili cauſa per ipſum ſummum pontificem in ſcriptis approbata, abfuerint, nullis privilegiis cardinalium, durante eorum abſentia, gaudeant, & decretum piæ memoriæ Pauli III. ſuper hoc in ſacro conſiſtorio die 15. Februarii 1541. promulgatum, inviolabiliter obſervetur. Et quia ſacer cardinalium ſenatus ex tam amplo numero conſtare dinoſcitur, ut aliqua pars eorum ſine univerſalis eccleſiæ regiminis detrimento a ſummi pontificis latere & aſſiſtentia quandoque abeſſe queat, provida ipſius pontificis ſolertia curare poterit, ut aliquo tempore anni cardinales ipſi eccleſias ſibi commiſſas per vices viſitent & in eis reſideant, ita ut eorum miniſterium neque univerſali, neque particularibus eccleſiis deſit.

LITTERÆ CAROLI

Galliarum regis, exhibitæ a domino præſidente Birago, in generali congregatione die 2. Junii 1563.

De motibus Gallicis.

CAROLUS Dei gratia Francorum rex, ſanctiſſimis ac reverendiſſimis in Chriſto patribus ſanctæ Tridentinæ ſynodi Dei gratia congregatis, ſalutem.

Satis omnibus cognitum eſt, ſanctiſſimi ac reverendiſſimi patres, quantum turbarum bellorum civilium ad hunc uſque diem nobis excitarit ea de religione diſcutio, qua ſe plerique noſtrorum ſubditorum imbui ac diſtrahi paſſi ſunt, quamquam ut tot ac tantis malis medeamur, nihil prætermiſerimus quod divina bonitate aut in nobis ipſis poſitum fuerit, aut ab optimis & potentiſſimis principibus vicinis, atque amicis noſtris impetrare potuerimus. Factum eſt tamen, ita permittente abſcondito & incomprehenſibili providentiæ Dei judicio, ut ea quam ſequebamur armorum viriumque bellicarum via, nihil fere aliud profectum ſit, quam ut ingens malorum oceanus in regno magis ac magis excreſceret, & omnes ejus provincias inundaret. Inde enim, præter innumerabiles vulgarium hominum atrociſſimas cædes, præter furta, peculatus, latrocinia, ſacrilegia pene infinita, præter villarum incendia, præ-

ter agrorum vaſtationes & depopulationes, arcium urbiumque noſtrarum invaſiones, ac ſacrorum denique templorum diſſipationes & ruinas, ſecuti ſunt cruentiſſimi conflictus non pauci, qui, quod non poteſt non graviſſimum omnibus videri, nobis merito cariſſimos & ſtrenuiſſimos viros quamplurimos, tum ſanguinis noſtri principes, tum ordinis noſtri equites, tum militari laude præſtantiſſimos duces nobis abſtulerunt, ut hoc ſilentio prætermittam, calamitates ruinaſque ceteras, quibus ſic affectæ atque afflictæ ſint res Gallicæ, ac prope omnes provinciæ noſtræ, ut facile judicari poſſit, non eſſe in gladiis armiſque poſitam eam medicinam, quæ ſanandis animorum morbis queat ſufficere, qui ſe nonniſi rationibus & perſuaſionibus vinci patiantur. Quæ nos ratio aliæque non paucæ & juſtiſſimæ & graviſſimæ, ut ſupra quam dici poteſt neceſſariæ, coëgerunt, ut cariſſimæ matris noſtræ ſententia, deque principum nobis conſanguineorum & conſiliariorum noſtrorum communi conſilio, ad ſedandas & componendas tot inteſtinorum bellorum tempeſtates, ea conceſſerimus quæ his codicillis noſtris continentur, quos ea de re confici, publicari, atque expediri curavimus, non quod ea noſtra ſit fueritve, aut umquam futura ſit voluntas, ut ſtabiliri in illa regni noſtri parte, novam religionem permittamus; ſed ut hac ſaltem ratione, poſitis armis, extinctiſque quoad fieri potuit animorum diſſidiis, & ceſſantibus tot calamitatibus, faciliori tandem negotio pleniſſimam, atque unanimem omnium noſtrorum ſubditorum in eadem fide, & ſanctæ catholicæ eccleſiæ religione conſenſum ac unionem conſequi ac obtinere poſſimus. Quod nos beneficium cœleſte quidem ipſum, & immenſum, tum ſecundum Deum, bonæ voluntatis in hominum cordibus auctorem atque inſpiratorem, ab ea quam orbi Chriſtiano ſinceritas ac ſanctitas veſtra repromittit eccleſiæ repurgatione & reformatione, nobis ipſi volumus polliceri. Et quoniam nobis hac in parte nonnulla ſuperſunt, quæ paternitatibus veſtris declaranda cupimus, & quoad forent quæ a vobis impetrari deſideramus, virum nobis merito cariſſimum, & conſilii noſtri ſecretioris fideliſſimum conſiliarium M. Renatum de Birago ſupremum tranſalpini ſenatus noſtri præſidentem, ad ſanctiſſimum iſtum conceſſum veſtrum deſtinavimus, ut noſtro nomine ea omnia vobis viva voce aperiat ac declaret; ob idque vos obnixe ipſis, ac ſi iſtic præſentes eſſemus, adhibeatis fidem; atque hoc loco, ſanctiſſimi patres, Dominum precabimur, ut vos omnes divinæ gratiæ ſuæ præſidio ſemper tueatur ac conſervet. Valete. Datum Ambaſii, die XV. Aprilis MDLXII.

CAROLUS.

PETITIO CLARISSIMORUM ORATORUM ſereniſſimæ reipublicæ Venetiarum.

ILluſtriſſimi & reverendiſſimi præſidentes ac patres ſanctiſſimi, compertiſſimum eſt ſereniſſimo dominio Venetiarum, nihil umquam antiquius fuiſſe & nunc eſſe, quam ut libertas eccleſiaſtica, prout convenit, apud omnes inviolata permaneat, neminemque arbitramur, qui ob hanc cauſam de ipſa ſereniſſima republica jure conqueri poſſit. Quapropter vere dicere poſſumus nos oratores Veneti, ſereniſſimum dominium noſtrum minime occaſionem dediſſe, ut caput reformationis XXXV. quod de principibus vocatur, proponendum conficeretur; in quo cum nonnulla contineantur, quæ ſunt contra antiquiſſima privilegia, conſuetudines & auctoritatem ordinariam ipſius ſereniſſimæ reipublicæ, petimus ea qua decet reverentia caput illud XXXV. aliquantulum differri, ut interim poſſimus de ejus ſervitutis mandato ea reverenter dicere, quæ pro conſervatione ſuorum privilegiorum, conſuetudinis, & auctoritatis merito dicenda erunt. Non enim conveniens eſſet (quod bona venia dictum ſit) principi ſanctæ ſedis apoſtolicæ obſequentiſſimo, deque ea optime merito, præſertim non audito, aliquod præjudicium inferri.

ARTICULI SUPER REFORMATIONE ſacramenti ordinis, dati per illuſtriſſimum Lotharingum, & miſſi per epiſcopum Ventimilienſem XIII. Martii 1563.

I. *De tollendis iis abuſibus, qui hominum vitio in ordines irrepſerunt, ac primum de epiſcopatu.*

CUm juxta propheticum ſermonem, ubi omne caput languidum eſt & omne cor mœrens, ibi non poſſit eſſe ſanitas a planta pedis uſque ad verticem, ut eccleſiæ omnia membra valeant, ſuoque munere eccleſiaſtici cujuſvis gradus & ordinis rite fungantur, ſumendum fuit hujus reformationis initium ab ipſis epiſcopis ac eorum inſtitutione.

Oprandum igitur eſt, ut in epiſcopis recipiendis & ordinandis, eccleſiæ, quantum fieri poteſt, viam retineant electionis debite reformatæ, tamen ad primitivæ, & juxta illius eccleſiæ morem. Hanc viam & Deo ſemper gratiſſimam & eccleſiæ utiliſſimam fuiſſe conſtat.

Quod ſi eccleſiæ viſum fuerit, ad dutitiam cordis principum, adhuc tolerandum eſſe privilegium præſentandi ad cathedrales & metropolitanas eccleſias, videndum eſt ſaltem, ut principes ejus nomen & cognomen quem beatiſſimo papæ præſentare voluerint,

genus item & patriam ac ætatem, quæ omnino xxxiii. annorum erit, quam in se Christus Dominus noster consecravit, intra duos menses a die demortui episcopi proponant archiepiscopo metropolitano, aut eo absente seniori episcopo comprovinciali, qui intra xv. dies postea ad ecclesiæ viduatæ capitulum scribat, ut omnino nomen per principem præsentati prima Dominica in cathedrali ecclesia ac omnibus parochialibus ecclesiis ex suggestu denuntiari curet, affigique per sex Dominicas sequentes valvis ecclesiæ majoris ac aliarum, si expedire videbitur, insignium ecclesiarum, cum scripto quo moneantur omnes, ut eo tempore exacto, & die ab archiepiscopo præscripto, sententiam suam de designato episcopo dicere, ac adversus eum quæ volent dicere libere possint. Ad eum autem præscriptum diem archiepiscopus ipse, vel, eo legitime impedito, episcopus comprovincialis senior, duos ad minus comprovinciales episcopos, qui in virtute sanctæ obedientiæ comparere teneantur, secum habens, aliis etiam reliquis comprovincialibus, si opus erit, invitatis per archiepiscopum.

Ibi archiepiscopus in capitulo legitime congregato, præsentibus deputatis monasteriorum & collegiatarum totius diœcesis, curatis propriæ civitatis, ac decanis ruralibus, sive archipresbyteris, litteras principis præsentent, quas ad eum super designato episcopo scripsit, designatumque clero præsenti, postquam de eo quæ jam cognoscere potuerit, fuerit prolocutus; qui postea & orationem habens ad archiepiscopum & episcopos, & clerum congregatum, primum proferat testimoniale sui episcopi, & ejus maxime apud quem tunc morabatur, rescriptum, in quo episcopus de vita & moribus ac doctrina designati, quantum noverit, testimonium perhibeat. Litteras etiam ordinum quos jam suscepit proferat, & ejus universitatis, in qua studuit, testimonium, vel gradus magisterii, si quem adeptus sit, & fidem suam coram proferat. Quæ ubi fecerit, excat, ut examinentur quæ ibi visa fuerint. Deinde eo revocato, aperiatur liber evangeliorum, & aperturam libri interroget: quibus omnibus si satisfecerit, assignetur illi primus dies festus sequens, quo in cathedrali ecclesia prædicet, & finita prædicatione, fidei professionem faciat juxta præscriptos illi articulos, quos postea manu propria signet, & archiepiscopo offerat. Si autem archiepiscopo & majori parti cleri placuerit, & populus nihil quo ejus impediri promotio poterit, attulerit, principi subito præscribatur, & instrumentum authenticum de ea omni re fiat, quod archiepiscopi & comprovincialium manibus signetur, ac sigillo archiepiscopi & capituli muniatur, atque hæc omnia cum litteris dominationis principis ac publica fide, Romam mittantur, & publice in consistorio legantur ab eo qui proponit, ut beatissimus papa informari & judicare de omni hac re possit, ac tuta conscientia & magno ecclesiæ commodo providere.

Ubi autem nunc servatur antiqua per clerum eligendi consuetudo, & privilegium integrum manet omnino, qui irrepserint in id abusus tollantur, ac præter diligentem ea in re antiquarum sanctionum observationem, ut scilicet doctior, sanctior, omni virtutum genere præstantior, quovis humano affectu postposito, rite & canonice eligatur, ecclesiæ vacanti præficiendus. Quantum ad examen, omnia superius dicta serventur.

II. De ætate & qualitate clericali militiæ adscribendorum.

Eorum qui se clericali militiæ petunt adscribi, propositum diligenter antea convenit explorare, eisque tantum ad sancta hæc sanctamysteria aditum aperire, qui jam legere norint, & quos probabilis sit conjectura non commodi sui causa, nec sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum in timore & in innocentia præstent, hoc vitæ genus elegisse. Ex legitimo autem thoro sint, annos x. nati, quique prius confirmationis sacramentum susceperint, & de ejus institutione & effectu ita edocti, ut in ejus susceptione prima fundamenta profiteantur, eaque in primis, quæ in sacramento baptismi eorum nomine patrini spoponderunt. Postquam autem clericalem tonsuram susceperint, eam semper in capitibus gerant, vestitu pari, & decenti, lineis vestibus in ecclesia induti, ut ab aliis non clericis secerni possint. Hi autem, quantum fieri poterit, præceptoribus instituendi in gymnasiis & scholis ad id institutis tradantur, & certis cathedralibus, collegiatis & parochialibus addicantur, ubi saltem diebus festis, ecclesiasticis officiis intersint, & in majoribus & solemnioribus anni festivitatibus sanctissimæ eucharistiæ sacramentum devote suscipiant, atque ita in sancta religione, & in omni pietate, ac bonarum litterarum studio instituantur, & exerceantur, ut illis ad altiora conscendere facilius sit, & majori posthac ecclesiæ utilitati esse possint.

III. *In minoribus ordinibus quæ cura adhibenda.*

Clerici cum ætatis erunt legitimæ, & ita profecerint, ut saltem latinam linguam intelligant, & prima in religione Christiana fundamenta jecerint, ad quatuor minores ascendant, qui iis non eodem contextu, sed gradatim per temporum interstitia, non breviori quam unius anni inter singulos spatio conferantur, ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint institui, in unoquoque munere super eum annum exerceantur juxta ea quæ ab episcopis in eorum ordinatione illis injunguntur, idque in ea cui adscripti erunt & nomen dederunt ecclesiæ:

atque ita de gradu in gradum ascendant, ut iis cum ætate doctrina major & pietas accrescat, & ut morum exemplaritas assiduo in ecclesia ministerio, & crebrior quam antea corporis Christi communio in aliqua Dominica, ultra jam clericis assignatos dies, certo temporis intervallo assignanda, maxime probabunt. Presbyteris autem subdentur, & illos ut patres honorent. Cumque hinc ad altiores gradus & sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus & sacris dignum ostendat, & propterea scholas & gymnasia, quantum fieri poterit, non deserant.

IV. De subdiaconis & diaconis.

Subdiaconi & diaconi eligantur, qui bene in minoribus se gesserunt, & bonum testimonium a clero & populo habeant. Illi autem vigesimum, ii vigesimum secundum ætatis suæ annum compleant, & ita sint sacris litteris initiati, ut de fide, atque iis quæ ad ordinem exercendum spectant, parati sint poscenti rationem reddere. Hi ecclesiis quibus ascribentur inserviant, saltem semel in mense communicent, munera ordinis injuncta exerceant, eamdem operam sacris litteris dent, & sciant se non ante presbyteri gradus adepturos, quam ipsi digni reperti fuerint, qui populo verbum Dei prædicent. Promoti autem ad sacrum subdiaconatus ordinem, nonnisi post annum ad altiorem ordinem ascendant.

V. De presbyteris ordinandis.

Presbyteri postquam in diaconatu ad minus annum integrum ministraverint, ordinentur, qui xxv. ætatis annum compleverint, quique fideliter & pie in ministeriis & officiis sibi injunctis se gesserint ac bene ministraverint ab initio. Oportet autem eos testimonium habere bonum a populo, atque ita præcedent rigorosa examina, si digni reperti fuerint, ad verbi Dei prædicationem, & sacramentorum administrationem, & ita se in pietate & castis moribus exercuerint, ut illis facile sit aliis bonum exemplum præbere. tum demum a proprio episcopo ordinentur, & certæ ecclesiæ adscribantur.

VI. Ad certum titulum ministros ecclesiæ ordinandos.

Nullus omnino presbyter aut diaconus, aut ullus ex eis qui sunt in ordine ecclesiastico, absolute ordinentur, sed eis qui ordinantur certus locus ab episcopo assignetur, in quo suo fungantur munere, ne cum munera susceperint ecclesiæ incertis vagentur sedibus, & ecclesiæ administrationem, cui addicti sunt & assignati, suo arbitratu mutent. Quod si locum inconsulto episcopo, deseruerint, eis sacrorum operatione & exercitio interdicatur, nec ab ullo episcopo absque litteris commendatitiis recipiantur.

VII. Quomodo, ubi & a quibus ordinationes celebrande.

Ordinationes numquam posthac extra tempora a jure statuta ullæ fiant, & non nisi jejunio præcedente, ut si in civitate, in cathedrali ecclesia publice celebrentur; si autem in alio diœcesis loco, ad id exequendum dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur. Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam in Romana curia, si saltem triennio ibi non sit commoratus, cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii, aut licentiæ prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione per annum sit suspensus, & ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario, injuncta ei pœnitentia, videbitur expedire.

VIII. Quale testimonium pro initiandis ordinibus deferendum.

Et quoniam testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, oportet eos qui ordinandi sunt, clerici qui promovendi erunt ad quatuor minores, id afferant a proprio parocho, vel magistro scholæ, in qua educantur, vel a præcipuis ejus ecclesiæ, cui se antea adscripserint, ministris. Hi autem una Dominica antequam illi [ad] episcopum suum proficiscantur, ex suggestu populo vel suæ congregationi nomina & cognomina ordinandorum, ætatem, a quibus parentibus nati sunt, exponent, auditoresque ammonebunt, ut si quis aliquid habeat contra ipsos, omnino infra proxime sequentem Dominicam dicat. Qua de re episcopum plebanus, vel ludimagister, vel alicujus ecclesiæ præfectus, instrumentum fide dignum conficiant, propriis eorum manibus signatum, quod episcopo ordinandus offeret, antequam examinari possit. Ubi vero ad sacros subdiaconatus, diaconatus vel presbyteratus ordines iidem ipsi erunt promovendi, hi mensem integrum, antequam ad episcopum proficiscantur, deinde suo plebano vel superiori ecclesiæ vel gymnasii cui adscripti sunt, significent, & prima postea sequente Dominica de ea re populus ex suggestu inter missarum solemnia admoneatur, lectis ordinandorum nominibus & ætate, & per tres sequentes alias Dominicas idem omnino non tantum repetatur, sed programmata ecclesiæ valvis affigantur, ut qui volent, dicant si quid habent contra ordinandos, quod episcopum scire velint. His autem peractis, testimoniales litteræ describantur, quas presbyteri cum cujusque propriis syngraphis signent, & cum illis quatuor ex illis nobilioribus & senioribus parochianis, vel edituis, vel capitularis ecclesiæ, cui inservivit, fidem faciant, vel rectoris universitatis, aut præceptorum quos audivit perlegentes, accedat testimonium. Quod si hoc

parochus præfuerit, decanus ruralis seu archipresbyter ejus loci episcopo fidem faciat, litteras non esse falsas aut suppositas.

IX. Quanto temporis spatio ante ordinum susceptionem initiandi se præsentare debeant.

Episcopo suo promovendi XV. dies ante ordinationem suam se præsentent, qui eos examinent, congregato ecclesiæ suæ capitulo, & accersitis aliquibus ex reliquo clero civitatis suæ selectis viris, & nomina item promovendorum valvis ecclesiæ suæ cathedralis novis programmatis affigi curabit, præscripto die omnibus qui eum hac de re voluerint admonere.

X. De litteris commendatitiis sede vacante, &c.

Sede vacante, litteræ dimissoriæ posthac a capitulo non concedantur, nisi solis, qui ex necessaria suscepti beneficii causa intra certum tempus cogentur promoveri: quod si contigerit, ut ab eo impetrentur, si qui sunt ordinandi inventi fuerint minus idonei, aut non habeant unde vivant, eadem lege teneantur, qua concessere episcopi.

XI. De iis qui ad pastorum sive curionum munus vocantur.

Qui vocantur ad munus pastoris, quem curionem dicimus, primo a suo episcopo, seu ab eo in cujus diœcesi morabatur, litteras ordinis & gradus a decano rurali seu archipresbytero, clero item & a populo ejus ecclesiæ, in qua prius agebat, probatæ vitæ testimoniales accipiat, eas ad episcopum in cujus diœcesim vocatur deferens; ab eo, convocato capitulo suo, & aliquot cleri propriæ civitatis insignioribus, examinentur, fidemque profiteatur, quibus approbatis & peractis, per decanum ruralem ad parochiam, cui est assignandus, mittatur ab episcopo, ut in tribus diebus dominicis missam cantet atque communicetur, sacramentaque administret, quæ tum occurrent administranda, decano & duobus curatis, ad id ab episcopo deputatis, vicinioribus præsentibus. Post id vero tempus, ad episcopum revertantur decanus, & ipse designatus, cum fide duorum illorum curatorum & clericorum cujus parochiæ sit, necnon cum testimonio populi, additis quatuor aut totidem senioribus, parochiæ civibus a populo electis, signato atque designato collocatio per episcopum detur. Et quamvis hinc abesse oporteat omnis avaritiæ labem, gratisque omnia sint facienda, decano tamen aliquid ab episcopo poterit taxari super decursis beneficii fructibus, & etiam curatis illis, qui decano adfuerunt, ac presbytero qui interea curam habuerit parochiæ. Hæc autem omnia intra sex mensium spatium, ut a jure præscriptum tempus est, a die vacationis agantur, neque interim ullo jure prævertatur collatio ordinarii, ut nec præsentatio. Sic enim ordinarius cum semel beneficium contulerit, aut patronus præsentaverit, non antea licebit superiori conferre, quam præsentatum, aut cum cui collatum est beneficium, eo indignum judices ecclesiastici declaraverint. Quod si forte præsentatus nominatus & electus ob inscientiam aliamque legitimam rationem repulsam patiatur, poterunt alium in repulsi locum præsentare ecclesiastici patroni semel tantum: qui si & ipse quoque fuerit ab episcopo rejectus, ob idque superioris auxilium imploraverit, non ei quicquam, nisi causa probe cognita, & præcedentis repulsæ ratione legitime discussa, a superiore concedatur. quæ vero dicta sunt de rigore examinis, ita fiant ad amussim, nisi necessitas vacantis ecclesiæ aliud suadeat. Tum enim, si non exactissime sufficientes & idoneos habeat, saltem eos assumat, qui secundum superius traditam probationis rationem, minus insufficientes & inepti judicabuntur.

XII. Clerici peregrini quomodo admittendi, &c.

Cum sacramenta ceteraque divina mysteria ab approbatis tantum ecclesiasticis debeant exerceri, nemo deinceps peregrinus clericus sive sæcularis, sive regularis, in quacumque diœcesi ea audeat administrare, nisi id ei antea ab ordinario, præcedente examine, fuerit concessum, alias a sacrorum ordinum exsecutione sit ipso facto suspensus, quamdiu ab ordinario loci, ubi hæc exercuerit, ei absolutio videbitur concedenda.

XIII. De episcopis titularibus.

Titulariorum suffraganeorum, quos vocant, nemo postea vicaria uratur opera, sed omnino posthac ab ecclesia tollantur.

SUPPLICATIO NONNULLORUM regni prælatorum contra eorum metropolitanos, data in concilio & missa ab episcopo Torcellensi die XXI. *Octobris* MDLXIII.

ILlustrissimi præsides, reverendissimique patres, ad decretum de reformatione in meliorem formam juxta placita majoris partis redigendum, non est dubium quin omnes postulassent abusum illum tollendum esse, si omnibus notus fuisset, quemadmodum iis notus est, qui tollendum efflagitaverunt, qui non sane pauci fuerunt, nempe ut neque per se, neque per procuratores suffraganei cogantur adire ecclesiam metropolitanam comparendi causa ut eam honorarent, nisi ibidem fiat concilium provinciale. Item neque per se neque per procuratores curati & archipresbyteri ad ecclesiam cathedralem, nisi ibi fiat concilium diœcesanum, accedere compellantur, nisi aliter videretur episcopis esse expediens, neque ad concilia id genus celebranda, laici jus ullum habeant, non obstantibus privilegiis & consuetudinibus immemorabilibus. Non enim fas est laïcis in episcopos potestatem aliquam habere.

Abuſus ille irrepſit cum concilia fieri deſiviſſent.

Quamobrem etiam atque etiam, ut omnino evellatur, oramus, cum jam probatiſſima vetus illa conſuetudo concilii tam in metropolitana, quam in cathedrali celebrandi revocetur.

Fateor ita me poſtulaſſe atque etiam poſtulare ut ſupra, ego CÆSAR epiſcopus Umbriacenſis.

Idem petii ego ASCANIUS epiſcopus Catharenſis.

Idem fui in voto & ſupplico ſanctæ ſynodo fieri decretum epiſcopus Minnerenſis manu propria.

Ita ego in meo voto dixi THEOPHILUS epiſcopus Oppidenſis.

Et ita fui in voto, & deprecor decretum confici ego epiſcopus Larinenſis manu propria.

Fateor me ita poſtulaſſe atque etiam poſtulare ut ſupra, ego epiſcopus Uxetenſis, manu propria.

Fateor me ita poſtulare epiſcopus Acerienſis, manu propria.

Fateor ego epiſcopus Maſſelubienſis ita poſtulaſſe *in meo voto*, & nunc inſtanter petere.

Ego ANNIBAL SARACENUS epiſcopus Licienſis fateor in voto meo ſuper capitibus reformationis ita poſtulaſſe a ſancta ſynodo provideri debere.

Ego AGAPITUS epiſcopus Caſertanenſis aſſentior petitioni hujuſmodi, cum multa incommoda talis abuſus eccleſiæ meæ afferat.

ÆGIDIUS epiſcopus Mutinenſis, ut id conſtitueretur *poſtulavi & nunc humillime precor.*

Idem petiit Non. Fu. epiſcopus Inſulanus.

Ego HORATIUS epiſcopus Leſinenſis deſidero ut ita fiat.

Idem petiit F. Ant. epiſcopus Montis Morani.

Ego JOHANNES CAROLUS epiſcopus Aſturienſis aſſentior.

Ego F. JULIUS epiſcopus Cluenſis idem ſupplico & peto ut ſupra.

Ego epiſcopus Cavenſis Coſellus ſupplico & peto ut ſupra.

Ego epiſcopus Lavelenſis idem ut ſupra.

Ego NICOLAUS MARIA epiſcopus Catinenſis ſupplico ut ſupra.

Ego PROSPER epiſcopus Fioratenſis idem peto & ſupplico.

Ego epiſcopus Aquinas ſupplico & peto ut ſupra.

Ego POMP. epiſcopus Sulmonenſis quoad epiſcopos attinet humiliter etiam peto.

Ego S. epiſcopus Cluſinenſis probo quod ſubſcriptum eſt.

Ego FRANC. epiſcopus Imolenſis.

Ego DONATUS epiſcopus Avianenſis peto ut ſupra.

Ego JULIUS GALLETUS epiſcopus Alexan. ſupra ſcripta omnia fieri precor.

Ego FABIUS epiſcopus Monopolitanus peto ut ſupra.

Ego JULIUS epiſcopus S. Leonis peto ut ſupra.

Ego MARTIUS DE MEDECIS epiſcopus Marſicenſis peto ut ſupra.

Ego SCIPIO epiſcopus civitatis Caſtellanenſis & Hortanenſis peto & petii.

Ego epiſcopus Aquenſis ita peto omni cum inſtantia.

Idem peto ego JOHANNES BAPTISTA epiſcopus Gardienſis.

Idem peto ego FABIUS Cajacenſis, &c.

PETITIO EPISCOPORUM adverſus archiepiſcopos a reverendiſſimis legatis miſſa XXV. Octobris MDLXIII.

REvocatis ſynodis provincialibus, ceſſet obligatio comprovincialium epiſcoporum comparendi quotannis in metropoli certa quadam die, ad prætenſam neſcio quam obedientiam.

Interim dum ſynodi revocantur, liceat comprovincialibus comparere vel per procuratorem, vel per nuncium, vel per epiſtolam, quæ & qui gratis admittantur.

Quod ſi forte procuratoris vel nuntii negligentia, vel alia cauſa contigerit, ut in tempore non compareatur, eo caſu mora poſſit purgari intra bimeſtre ſpatium. Ita tamen ut hanc ob cauſam numquam poſſint epiſcopi a vicariis excommunicari: qui vicarii, *præſertim exteri, teneantur in* principio officii ſui cavere, & fide jubere de ſyndicatu & ſtando juri.

Dies feriæ II. poſt paſcha, in qua in aliquibus eccleſiis ſolitum eſt comparere, mutetur in aliam diem commodiorem.

In ſynodis epiſcopi honorifice, & ex dignitate tractentur, aſſigneturque eis locus conveniens, hoc eſt dignior ſupra alias dignitates metropolis cathedralis, & ſi adſunt, non vocentur per præconem.

Niſi hi abuſus tollantur, petitur inſtanter & inſtantiſſime ut res proponantur patribus.

LITTERÆ ORATORIS SUIZZARO patribus concilii Tridentini.

De neceſſitate reformandi mores in concilio.

Eruit ex mſ. Alterianо Mabillonius.

QUando tanto turbine atque intemperie, illuſtriſſimi & reverendiſſimi patres, omnia nunc ſacra profanaque ſumma cum ignominia Chriſtiani nominis, ac maximo reipublicæ periculo miſcentur, nec tempeſtas hæc malis innumeris finem adhuc datura videtur, nemo bonus opinatur cuivis ulti-

norum etiam hominum vitio vertere, adeoque nec ipse merito veteri potest ne fraudi sibi sit, qui rebus usque adeo afflictis atque inclinatis, simplici fideque animo consultum cupiat. Certe in mari ubi inhorruit umbra mortis, atque cito venti volvunt mare, magnaque surgunt æquora, vel cujuslibet connavigantis auditur consilium, dum modo id saluti communi conducere spes sit. Etsi vero nos inter ultimos locum sortimur, scire tamen quam maxime optamus, ea quæ scire aut facere nos deceat, præsertim quando in eadem navi vehimur, & eodem periculo obnoxii, quibus etiam ad hæc videre sub obscure licet, qua ratione imminens naufragium præverti queat. Postquam enim gens Helvetica ad Christianæ fidei agnitionem divina vocatione pervenit, Romanamque & apostolicam religionem cognoscere & colere cœpit, folliculum semper fuisse nemo dubitat, ne ullo modo semitas rectas in lege domini ambulantium derelinquat, & quovis modo aberret. Testantur annales libri chronicorum & sacrorum conciliorum volumina, Alpeticum Helveticum populum habitis occidentalibus comitiis numquam defuisse, nec Deum omnis boni largitorem intimis præcordiis supplicare cessat, quatenus hi qui fœderi & juramento nobiscum copulati sunt, per sacrum œcumenicum concilium jamdiu optatam ad ecclesiæ unitatem educantur. nec minus illa innumera mala plangere satis possumus, quæ nostram jam multis annis patriam perturbarunt, quando subsannatio & illusio facti sumus his qui in circuitu nostro sunt, quando insuper templum domini & ejus sanctuarium polluerunt, & sancta tremenda mysteria celebrarunt, sacramenta, ecclesiastica pretiosissima vasa profanarunt, inde coram ecclesiæ confessionem non sine gemitibus multis stetimus, cui ire obviam, cui mederi, quam restituere potest nihil, nisi concilium. Hujus diutino desiderio pii ubique apud nos homines crebros ab imo pectore gemitus ducunt, & oculis non siccis vident Christiani orbis tam innumera mala. pendent & spe sola exercentur probissimi quique inter hæc, nec portus sese adhuc ullus aperit. Firmiter atque indubitato animo tenemus, illustrissimi reverendissimique patres, nihil aliud rebus fideique juvandis reformandisque moribus concessum a Domino præter concilium hoc, seu perfugium afflictæ religionis unicum quod suo exemplo commendarunt apostoli Domini JESU. Hoc mandarunt sancti patres, ut omnibus modis necessarium ad tuendum ecclesiæ negotium. Ad hoc perficiendum hortantur morbi ecclesiæ periculosissimi, ac varii casus: ipsa adeo animarum jactura infinitarum, vel sola animos omnium huc commovere non solum, sed etiam propellere debebat, ut omissis omnibus immanibus quæstionibus seu disputationibus, bene cœptum concilium debito suo processu ad optatum finem promoveatis & perducatis. Tunc nimirum cessabit hæc tempestas, tunc magna tranquillitas videbitur, si exstirpantur non solum hæreses, sed etiam reformantur omnia, lolium & zizania, quæ fidem Romanam jam multos annos apud inimicos nostros invisam, fœdam & profanam fecerunt. Tunc sine dubio, speramus, desinet illudere Romanæ ecclesiæ hostis, quando vitatis inanibus concertationibus, status ecclesiæ in melius reformabitur, quando ecclesiæ columina reformationi subjicientur. nemo, sicut nos quidem simpliciter judicamus, aliquid præsentius invenire potuit, quo incommoda tolli queant. Alii papiro, alii ferro, alii persuasionibus, alii concionum vi, hoc est clamoribus existimant rei occurrendum esse; sed nimium falluntur, libri libros pariunt, utrimque clamatur, utrimque non sine rabidis comitiis armis arma repelluntur. Novistis, illustrissimi viri reverendissimique patres, cantones catholicos Helvetiorum infra quadraginta annorum spatium, primo post magna intestina patriæ nostræ cruenta bella, secundo nondum jam præterito elapso anno, consilio & subsidio illustrissimi domini de Guisia, in Gallia Romanæ & catholicæ hostes, ob ejusdem sponsi Christi salvatoris gloriam & honorem, manu robustissima profligasse; idque prostrata cadavera testantur: sed hydram hæc esse videntur, & inde ii qui sectarum venenum sumserunt deteriores facti, nihil aliud, proh dolor! in dies, quam Romanam ecclesiam fœdissimam, omnibus spurcitiis plenam esse objicientes. Sic religiones & ecclesiæ nihil minus assumunt, quam populo persuadere Romanum pontificem & complices suos a semitis apostolorum longissimos esse. Hæc omnia multorum pios animos apud nos perturbant. Jactitant sectæ non sine multis convitiis se fuisse & vidisse Romam, & interfuisse illustrissimorum cardinalium, aliorumque ecclesiarum prælatorum curiis, & nihil aliud quam carnis & oculorum concupiscentiam vitæque superbiam inveniisse, propterea quod aliquando in Germania provinciæ nostræ primus apostolus S. Bonifacius Maguntinus archiepiscopus apud S. R. E. pontificem Zachariam scriptis suis conquestus est. Non minus vestris paternitatibus indicare volumus, quod videlicet carnales homines idiotæ Alemanni vel Franci, si juxta Romanam Urbem aliquid facere. viderint ex his peccatis quæ apud nos prohibentur, licitum & concessum esse sacerdotibus putant, & dum nobis improperium deputant, scandalum vitæ assumunt. Hinc ecclesiæ sacerdotibus ac populo Christiano offendicula vel schismata, ac novi errores in dies oriuntur & accrescunt, ut plenius in epistola ejusdem libri conciliorum contenta, patet. Cogitent igitur

omnes

omnes unde patriæ gemitus, perpendant nostrorum lacrymas, vota, desiderium, zelum secum reputent, hominum in terris omnibus judicia considerent, quid detineat a religione tot nationes orbis incredulas, & quid retineat ad reversionem tot schismaticas provincias, quisque vestrum ô doctissimi viri meditetur. Functam mortis suæhoram & rationis terrificam requisitionem, & durissimum nobis præesse judicium in animo statuatur apud quemlibet vestrum, vere pontificis factis Romanam ecclesiam honestaturum, & eam fidelibus & infidelibus nunc invisam Christianis atque heroïcis gestis favorabilem facturam, & quæ novis annalibus de se ad posteritatem conscribendis digna sit futura.

FORMULA CHRISTIANÆ ET catholicæ fidei, tradita in sacra synodo provinciali Lovitii, celebrata anno Domini MDLVI. *die* XI. *Septembris, præsidentibus in ea reverendissimo domino* ALOISIO LIPPOMANO *episcopo Veronensi, nuncio apostolico, & reverendissimo domino* NICOLAO DZIERGOWKI *archiepiscopo Gnesnensi, legato nato, & totius regni Poloniæ primate, quæ omnibus ecclesiis provinciæ ejusdem inviolabiliter servanda & tenenda mandatur.*

De fidei symbolis recipiendis.

1. PRincipio symbolum apostolorum, Niccenum & Constantinopolitanum, symbolum etiam divi Athanasii, recipimus, veneramur & complectimur; omnibusque recipiendum & amplectendum mandamus.

De Trinitate quid credendum.

2. Juxtaque symbola certa & firma fide credimus sanctam Trinitatem, id est Patrem & Filium, & Spiritum sanctum unum Deum omnipotentem, unius essentiæ, unius potestatis, Creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

3. Eadem fide credimus Patrem a semetipso esse, non ab alio; Filium a Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, sed unum lumen.

4. Eadem pariter fide credimus Spiritum-sanctum a Patre & Filio æqualiter procedere, consubstantialemque Patri & Filio coæternum esse, qui super apostolos in linguis igneis descendit, & a quo totum corpus ecclesiæ sanctificatur, vivificatur & regitur, atque in ea manet in æternum.

5. Simul & illud credimus & confitemur æque Filio & Spiritui-sancto, atque Deo patri cultum latriæ præstari debere, æque Filium & Spiritum-sanctum atque Patrem adorandum & glorificandum esse, quando quidem tres personæ Deus unus est, & per Christum nos quidem accessum ad Deum Patrem habere, esse illum advocatum & mediatorem nostrum secundum humanam naturam, qua minor est Patre. Secundum divinam vero æqualem esse Patri, & eodem cum illo & Spiritu-sancto honore afficiendum.

Septem sacramenta.

6. Credendumque esse septem ecclesiæ sacramenta a Christo instituta, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema-Unctio, Ordo & Matrimonium, per quæ quamvis externa & corporalia signa Deus invisibiliter sive per bonos sive per malos ministros nostram salutem operatur.

Baptismus.

7. Baptismus ad salutem omnibus est necessarius etiam infantibus, per quem peccata plene tolluntur, & fiunt filii Dei ac hæredes vitæ æternæ, nec umquam est iterandus.

Pœnitentia.

8. Pœnitentiæ sacramentum, quod post baptismum omnibus relapsis est ad salutem necessarium, complectitur contritionem, confessionem & satisfactionem.

Contritio quid.

9. Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi; non autem ut quidam hoc sæculo pernicioſe docent, terror conscientiæ propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum: præparat tamen terror & gehennæ metus ad veram contritionem.

Nota.

Confessio.

10. Confessurus diligentiam legitimam adhibere debet, quo sacerdoti judici suo manifestet omnia peccata sua mortalia, etiam occulta cordis, ut ab eis per illum absolvatur, cujus absolutionis minister est solus sacerdos secundum ritum ecclesiæ consecratus.

11. Satisfactio est persolutio pœnæ plerumque adhuc debitæ, remissa jam culpa. erroneum est & scripturis sacris adversatur....

Liberum arbitrium.

12. Certa fide tenendum est hominem habere liberum arbitrium, quocum potest male & cum gratia bene agere, & post peccatum mortale admissum, Deo adjuvante, pœnitere & peccatorum remissionem consequi.

Fides ad justificationem necessaria.

13. Ad justificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, qua certo credimus CHRISTUM-JESUM Dei filium, nobis propitiationem esse pro peccatis nostris in sanguine ipsius, sine qua nullis nostris operibus, nulloque pœnitentiæ & proposito vivendi secundum mandata Dei justificamur.

14. Fides qua quis firmiter credit & certo statuit propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam æternam, nullum habet in scripturis testimonium, immo eisdem adversatur, etiamsi firma & certa spe expectare debemus in hac quidem vita per sacramentum baptismi & pœnitentiæ remissionem peccatorum, in sæculo autem futuro vitam æternam.

De justificatione nulla securitas.

15. Itaque quamdiu inter hostes nostros & adversarias potestates hic vivimus, nulla est nobis securitas, sed cum timore & tremore juxta sententiam apostoli nostram salutem operari debemus, & secundum varias

animorum noſtrorum affectiones nunc magis ſperare, nunc magis timere, ſimpliciter tamen magis & frequentius de miſericordia Domini ſperandum eſt, quam formidandum de ſeveritate.

Operum bonorum neceſſitas.

16. Opera bona omnibus adultis ſunt ad ſalutem neceſſaria, & cum ex fide caritatis ſpiritu perficiuntur, ita grata ſunt Deo, ut eis tamquam juſtam mercedem vitam retribuat æternam.

Confirmatio & extrema-Unctio.

17. Confirmatio & extrema-Unctio ſacramenta ſunt a Chriſto inſtituta, ſed non ut duo præcedentia ad ſalutem neceſſaria, ex contemtu tamen illa omittere eſt peccatum mortale.

Euchariſtia.

18. In Euchariſtiæ ſacramento eſt reipſa verum corpus Domini noſtri JESU-CHRISTI, illud ipſum quod de Virgine natum eſt, & in cruce paſſum eſt.

19. In Euchariſtia non manet panis & vinum, ſed hæc in corpus & ſanguinem Chriſti admirabili potentia verbi illius ſunt converſa, manentibus tantum panis vinique ſpeciebus: unde certa fide tenendum eſt ſacram Euchariſtiam a nobis adorari ſive in miſſa, ſive extra miſſam, ubicumque repoſita fuerit, aut quoties in ſupplicationibus publicis a ſacerdote circumfertur.

Communio ſub unica

20. Non eſt laïcis neceſſaria ad ſalutem communio ſub utraque ſpecie, juſtiſque de cauſis ab eccleſia ſancitum eſt, ut illis ſub una panis tantum ſpecie ſacramentum communicetur, in quo carnem & ſanguinem atque ita totum Chriſtum ſub una ſpecie ſumunt.

Miſſa.

21. Sacrificium miſſæ ex inſtitutione Chriſti tam vivis prodeſt quam defunctis, ac ſolis ſacerdotibus ſecundum eccleſiæ ritum ordinatis data eſt a Chriſto poteſtas conſecrandi verum corpus Chriſti & ſanguinem.

Matrimonium.

22. Matrimonium contractum & conſummatum inter Chriſtianos eſt indiſſolubile, qualiſcumque fiat alter conjugum, ſive adulter, ſive ſterilis, ſive hæreticus.

23. Numquam licet Chriſtiano poſt divortium contrahere matrimonium, vivente eo cum quo quis legitime contraxerat.

24. Matrimonia contracta contra canones ipſa dirimentes ſimpliciter ſunt irrita & nulla.

Eccleſia.

25. Firma fide tenendum eſt unam eſſe in *terris* veram atque catholicam Chriſti eccleſiam, eamque viſibilem, quæ ab apoſtolis fundata in hanc uſque noſtram ætatem perdurans, retinet & ſuſcipit quidquid de fide & religione tradidit & traditur a cathedra Petri, ſuper quam ita a Chriſto ſuo ſponſo eſt ædificata, ut in eis quæ fidei ſunt & religionis errare non poſſit.

26. Extra hanc nulli eſt ſperanda ſalus, ſuntque extra hæretici, ſchiſmatici, excommunicati. unde vehementer formidanda eſt excommunicatio, nec humana, ſed divina eſt excommunicandi poteſtas.

Papæ auctoritas.

27. Unus eſt eccleſiæ ſummus paſtor, cui omnes obedire tenentur, ad cujus judicium controverſiæ quæ ſuper fide & religione exiſtunt, ſunt referendæ.

28. Summam hanc præpoſituram primus omnium geſſit S. Petrus verus Chriſti in terris vicarius & totius familiæ ejus paſtor; poſt Petrum vero, ex Chriſti inſtitutione omnes deinceps pontifices Petri in cathedra ſucceſſores.

Traditio.

29. Certa fide tenenda ſunt non ſolum quæ ſcripturis expreſſe ſunt prodita; ſed etiam quæ per traditionem eccleſiæ catholicæ credenda accepimus, & quæ definita ſunt *ſuper fidei & morum negotiis* per cathedram Petri vel per concilia generalia legitime congregata.

Eccleſiæ præcepta.

30. Conſtitutiones eccleſiaſticæ de jejuniis, feſtis, & abſtinentia ciborum aliiſque multis, obligant in conſcientia, etiam extra caſum ſcandali.

Sanctorum invocatio.

31. Recte fit in eccleſia quod ſanctos in cœlis cum Chriſto agentes veneramur & invocamus ut pro nobis orent, quorum etiam meritis & interceſſione Chriſtus nobis hic multa largitur, alias non largiturus, per quos etiam miracula multa operatur.

32. Quapropter ſancte & religioſe faciunt, qui loca eis dicata una cum ipſorum reliquiis religioſa pietate viſitant, & hoc modo ab ipſis opitulationem quærunt.

33. Gratus eſt Deo imaginum uſus, rectæque coram eis procumbimus invocaturi ſanctos, quos repræſentant.

Purgatorium.

34. Firmiter credendum eſt poſt hanc vitam purgatorium eſſe animarum, in quo ſolvitur pœna peccatis adhuc debita. Eiſdem tamen ſubvenitur ſacrificio altaris, oratione, jejunio, eleemoſyna, aliiſque bonis operibus vivorum, ſicut & indulgentiis quo citius ab ea liberentur.

35. Animæ defunctorum purgatæ mox regnant cum Chriſto in cœlo, & animæ impiorum hinc migrantes, ſempiternis inferni cruciatibus traduntur ſuppliciis.

Vota.

36. Recte Deo vota facimus. Tam monaſtica, quam alia facta obligant apud Deum, nec adverſantur libertati evangelicæ, quæ a peccatis libertas eſt, & his quæ ſpiritum noſtrum quoquo modo impediunt quo minus totus Deo ſerviat: non autem a voti & juramenti obligatione, nec ab obedientia magiſtratus eccleſiaſtici vel ſæcularis.

EPISTOLA NICOLAI archiepiſcopi Gneſnenſis ad Paulum IV. ſummum pontificem.

De ſuo adverſus hæreticos ſtudio.

SAnctiſſimo ac beatiſſimo in Chriſto patri & domino, domino PAULO divina providentia papæ IV. ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummo domino clementiſſimo.

Sanctiſſime ac beatiſſime in Chriſto pater ac domine, domine clementiſſime, poſt oſcula pedum beatorum, perpetuam ſervitutem, orationes meas ſanctitati veſtræ humillime defero. In hac noſtra perpetua cum hæreticis horum temporum lucta, nihil mihi accidere poteſt optabilius, quam quod apud ſanctitatem veſtram gratum eſſe ſtudium meorum qualiumcumque laborum, quos aſſidue in vinea Domini libenter impendo, ex litteris illius intellexerim: in quo ſtudio ut gnaviter perſeverarem, non ſolum paterne monet; ſed etiam ut ad evitanda pericula, quæ ecclesiæ catholicæ ab hæreticorum fautoribus in futuris comitiis impendent, conſilia mea cum reverendiſſimo domino epiſcopo Veronenſi, nuncio ſanctitatis veſtræ, alioquin viro prudentiſſimo & integerrimo, conjungam, ipſique in omnibus adſim ſancte & pie, me cohortari dignata eſt: pro qua ſanctitatis veſtræ clementi & benigna de me perſuaſione gratias eidem immortales ago, enitarque ſedule, ut in cuncto mihi munere commiſſo aliquatenus pro poſſe meo ſatisfacere poſſim. Erſi ante officii mei eſſe videbatur, ut ea de quibus in proxime præterita noſtra ſynodo provinciali egimus ſanctitati veſtræ deſcriberem, tamen cum ea omnia reverendiſſimus dominus epiſcopus Veronenſis, qui noſtræ ſynodo non modo interfuit; ſed etiam præfuit, ſanctitati veſtræ præſcripſerit, longioribus meis litteris graviſſimis illam reipublicæ Chriſtianæ negotiis intentam interpellare nolui. Quod reliquum eſt, ſummis votis exopto, ut Deus optimus maximus ſanctitatem veſtram diuiſſime & feliciſſime conſervare dignetur incolumem pro ſui nominis gloria & Chriſtianæ reipublicæ tranquillitate. Datum Lovitii XXI. Septembris, anno Domini MDLVI. NICOLAUS archiepiſcopus Gneſnenſis.

LITTERÆ PALATINI VILNENSIS, reſponſivæ ad litteras nuncii apoſtolici, receptæ Lovitii die V. *Septembris* MDLVI.

REverendiſſime præſul, amice cariſſime & honorandiſſime, ſalutem ac Chriſtianam felicitatem.

Quod reverendiſſimam dominationem tuam de mea erga illam voluntate preſbyter D. Cornanki, majeſtatis regiæ ſecretarius, litteris ſuis certiorem fecerit, egit hoc ſane, ut verum fatear, me penitus inſcio: etſi etenim in eo ſermone, qui mihi cum eo non ita pridem acciderat, multa ſim de dominatione tua reverenda & amanter & honorifice locutus, tamen ut ad eam deferrentur non putabam neceſſarium eſſe. proinde ſtudium quidem hoc in me ipſius, quo admodum reverendam dominationem tuam conatus eſt mihi amiciorem reddere, non ſolum non improbo, verum etiam vehementer laudo, gratiaſque illi ago plurimas. At quod reverenda dominatio tua pro hac mea quantulacumque, quæ declarari potuit humanitate & benevolentia, multum ſe mihi & debituram eſſe & devinctam fore aſſerat, non video quomodo ſim de illa meritus, ut qui ceteris quoque omnibus exteris, qui modo aulam ſereniſſimi regis noſtri adeunt, eadem omnia, mente eadem libentiſſime ſolitus ſim præſtare. Par eſt profecto mea hæc erga reverendiſſimam dominationem tuam cum aliis humanitas. Nihil peculiare eſt, quod in ipſam contulerim. communis apud nos ex majorum more & gratia & fortuna eſſe omnibus ſolet. Itaque nec ego etiam peculiarem aliquam nomine hoc a reverenda dominatione tua expeto exoptove gratiam. Satis eſt ſi id mihi redditur, ut animum meum meaque amica & candida officia eſſe apud ſe grata jucundaque ſinat; cujus rei declarandæ ac teſtificandæ gratia, quod tua reverenda dominatio tua viri boni, hominiſque, ut præfert, in primis Chriſtiani munere, capta inde occaſione, nonnulla mihi ignota quaſi, idque animo & candido & mei majorem in modum amante & ſtudioſo, perſcribenda & communicanda operæ pretium duxerit, non poſſum non fateri agnoſcere me in eo ſuæ erga me gratiſſimæ voluntatis non obſcura indicia, quæ ut eo etiam mihi cara magis ſint, cum hic reverendæ dominationis tuæ candor & ſingularis benevolentia tum viro ætas ejus, non vulgari, ut videre licet, condita humanitate affecit. Accepta ergo hæc ſunt a me omnia in partem, quod aiunt, optimam, & ita ſane accepta non, quemadmodum reverenda dominatio tua arbitratur, ignota, ſed prorſus notiſſima; neque & intra meos tantum privatos ſenſus obſtruſa atque recondita; ſed ut ſæpe ante hæc a me palam & publice profeſſa, & multorum hominum oculis multis in locis ſine fuco ſineque omni ſimulatione objecta; in quibus licet fortaſſe quæ mea ſit ſententia, reverenda dominatio tua confirmari vel ipſo ſilentio poſſit tamen ut ne hanc ſuam in me compellando cohortandoque libertatem, vel neglectam a me vel prorſus contemtam eſſe exiſtimaret, reſpondendum illi breviter ad ſingula duxi eo modo eodemque ordine, qui mihi ab illa propoſitus eſt per omnia ſervato; atque id equidem non quo tantum in iſta harum controverſia diſputationum vel ingenio vel arte doctrinaque paſſim me oſtentem; ſed ut qui meus ſit de objectis ſenſus, etiam quibus fundamentis quibuſve rationibus nitatur, ſimpliciſſime exponam. Sum fateor homo aulicus, magiſque militiæ artibus quam ſtudio theologiæ atque philoſophiæ deditus; attamen cui nihil deſit ex iis quæ Deus hominibus ad inveſtigandam ſui notitiam, verumque ſui cultum, ad veram religionem cognoſcendam & apprehendendam, pro ſua admirabili bonitate indidit & conceſſit.

In primis autem ſcribit reverenda dominatio tua, cum non ita pridem Auguſtæ Vindelicorum apud ſereniſſimum Romanorum regem aliquandiu ageret, audiſſe ſe quædam de me quæ illi minus placuiſſent, nimirum a catholica fide me penitus defeciſſe, manum cum novis hæreticis junxiſſe; ejus rei adiatum ad ſe indicium, me cum diſcedere nollem ab inſtituto aperte, a regia majeſtate prohibitum eſſe, ne contra id quod matris eccleſiæ conſtitutum erat, ſextis feriis & diebus ſabbatorum carnibus veſcerer.

Ex his ſane ipſis reverenda dominatio tua vel facillime exiſtimare poteſt, quam ego ſermones illos, qui tunc ibi de me vulgabantur, eſſe mihi voluerim ignotos, cum ea quæ domi facerem ſic eſſent intra ejus parietes foreſque concluſa, ut non ſolum in vulgus ipſum, ſed ad regiam majeſtatem ſtatim prorumperent, cujus judicium & auctoritatem, ſi cuiquam parum parte in ea videbar veritus, multo minus miror, quin etiam maximopere lætor, ea reverendæ dominationi tuæ & ſui ſimilibus non potuiſſe probari pro comperto confirmatoque ab ejus loci ordiniſque hominibus, quæ recta ſunt pro malis, quæ mala pro recte factis cenſeri, ſicut apud evangeliſtam homines ejuſdem farinæ ſcribæ & phariſæi.

Epiſtolam hanc longiſſimam, quia hæreticis dictis refertam eſſe vidi, & ſummarium totius hæreticæ pravitatis, nolui inter mea ſcripta referre, eamque data opera prætermiſi. Scias in ſumma, in ea nihil aliud contineri præter mera mendacia & ſacrilegia.

RESPONSIONES PRÆLATORUM, canonicorum & capitulorum cathedralium Gneſnenſis, Poſnanienſis, Uladiſlavienſis, & Plocenſis eccleſiarum regni majoris Poloniæ, ad conſultationem reverendiſſimi domini nuncii apoſtolici, ſuper negotio fidei ſummatim collectæ.

EA quæ per illuſtriſſimam dominationem veſtram S.D.N. nomine nobis ſapientiſſime ſunt propoſita, ad exhortationem & conſolationem noſtram adducta, gratiſſimo excepimus animo, ut quæ non obſcure teſtantur piam & præclaram voluntatem ſanctitatis ſuæ erga religionem Chriſtianam, lethali quadam temporum calamitate non ſolum apud nos, ſed etiam apud alias vicinas naciones graviter perturbatam. Plurimum igitur hanc optimam ſuæ ſanctitatis mentem univerſali paſtore digniſſimam collaudamus, & cum omni alacritate atque devotione amplectimur, eidemque quam maximas poſſumus gratias habemus pro tanta illius erga nos humanitate, quod non ſolum ſanctitas ſua piam curam & ſollicitudinem de nobis ſuſcipere, ſed etiam ad ſalutandam & inviſendam humilitatem noſtram per illuſtriſſimam dominationem veſtram digniſſimum ſuum legatum dimittere ſit dignata. Precamur vero nos indigni ſanctitatis ſuæ facellani & exoratores, ut Deo optimo maximo conatus iſtos ſanctitatis ſuæ pro reſtauranda religione Chriſtiana ſuſceptos feliciter dirigat, atque gubernet, utque ſanctitatem ſuam diutiſſime ſervet incolumem.

Satisfacere igitur, ut par eſt, volentes mandatis reverendiſſimæ dominationis veſtræ, ea quæ ex mutuis colloquiis ac deliberationibus præhabitis conſequi nobis datum eſt, non celamus, immo libere & alacriter coram dominatione veſtra reverendiſſima declaramus, adducti in eam ſpem, ut morbi hujuſmodi cauſis detectis & plane cognitis, facilius in priſtinum ſtatum hoc regnum reduci valeat, tua amplitudine, prudentiſſimo medico, mediante.

Primam igitur hæreſeos in hoc regno introductæ cauſam eſſe negligentiam paſtorum & prælatorum ovilis Chriſti dicimus: inter quos, ut principem locum obtinet apoſtolica ſedes; ita timemus ne mali hujus quoque (parcat nobis) illa aliquatenus cauſa ſit, quatuor præſertim rationibus.

Primo, quod a triginta & amplius annis, quo cœptum eſt hoc malum, Romani pontifices, qui pro tempore fuerunt, excepta ſanctitate ſua, cui Deus longiſſimam vitam concedat, nullum vel legatum vel nuncium ad hoc regnum miſere, qui apud reges inſtanter ſollicitarent, juxta paternas leges temerarios hos auſus comprimerent, & etiam eccleſiæ defenſores exiſterent.

Secundo, quia etſi generale concilium Tridenti indictum fuerit, non tamen ea ſit diligentia adhibita, ut felicem curſum haberet; ſed ſemper aliquibus & levioribus occaſionibus cœptum intermitteretur: quod ipſum forte non tam apoſtolicæ ſedis quam Chriſtianorum principum culpa factum aſſerere poſſumus, mutuis inter ſe odiis & diſſidiis & bellis contendentium.

Tertio, propter multa privilegia regibus & imperatoribus a diverſis Romanis pontificibus contra eccleſiarum libertates & immunitates conceſſa: per quæ ipſi redditi ſunt inſolentiores, & aliquando negligentiores ad Chriſtianam fidem tuendam & defendendam, cum totum contrarium habuiſſent, prout de jure tenentur.

Quarto denique propter beneficiorum aliquantiſper abſurdas proviſiones. Nam dum degentibus in Romana curia quibuſdam, ſeu potius beneficia expiſcantibus, canonicatus cathedralium eccleſiarum & parochiales eccleſiæ regni noſtri conferuntur a ſede apoſtolica: do hujuſmodi beneficiis quandoque mercimonia & nundinationes, ne quid obſcurius dicatur, a proviſis fiunt, qua re nulla poſſet eſſe ipſis eccleſiis infauſtior & deterior, prout dominatio veſtra ampliſſime perpendere poteſt.

Secundo loco eſt negligentia reverendiſſimorum epiſcoporum noſtrorum, quæ prorſus etiam magna minæ eſt cauſa. Cum enim triplici gaudeant poteſtate, epiſcopali, ſenatoria & temporali, nulla harum, proh dolor! bene uſi quidam fuiſſe videntur. Miſſas facimus hic duras exactiones & deputationes in grave prorſus pondus quod ſubditis ſuis imponunt & faciunt, Dominicis etiam ac feſtis diebus eos laborare cogendo, & haud parum eis videatur ſi nobilibus hac in re pares ſint, niſi etiam ſuperent illos multis nominibus: ſed etiam non admittenda quæ in admonenda & manutenenda regia majeſtate in priſtina fide ipſi reverendiſſimi domini epiſcopi & iidem primarii ſenatores non eam quam debebant & poterant fecerunt diligentiam; idque ideo quia aſcenſiones in corde ſuo meditantur ſempor, ſed non in montem Dei Jacob. Expediret reipublicæ noſtræ, ut non tam crebræ tranſlationes fierent epiſcoporum. Nam horum expectatio efficit, ut impoſito digito ori ſuo loqui pro domo Dei nolint vel non audeant. Adverſus hæreticos concionatores & ſectatores proceſſum eſt procediturque negligentiſſime, ut quidam eos in curiis ſuis & ſuos familiares habeant, illis defenſores concilient. Excommunicationis tanta vis eſt, ut cum excommunicatis aliis converſari ſit religio, illis fautores & commenſales ſint, & breviter tam bene ac libenter contra hæreticos & alios contumaces epiſcopali utuntur poteſtate, ut libentius ea carerent, & facile eam ſibi ſuſpendi patiantur: quod jam in aliquot comitiis generalibus factum fuiſſe videmus, immo & ſummi pontificis auctoritati plurimum detrahi patiuntur; neſcimus autem, ſi non etiam procurant proſcriptionibus, bannitionibus toties factis contra eos qui ad Romanam ſedem in cauſis recurrunt. Quidam etiam eorum coram nobilitate dixiſſe auditus eſt, Credat, inquiens, quiſque ut vult, modo reditus mei integri ſint. Libri hæreticorum, nemine prohibente, imprimuntur & diſtrahuntur in regno, ut jam pene totum pretium ac lucrum bibliopolarum ſit ex eorum venditione. In defendendis eccleſiæ juribus & perſonarum ejus quanta ſit remiſſio palam teſtantur rapti proventus, & earum vacuæ miniſtris aliæ plus quam ſexaginta in variis epiſcopatibus, aliæ prorſus ſpoliatæ, pulſi locis ſuis ſacerdotes & ex arbitrio hæreticorum alii conſtituti. Collationes etiam reverendiſſimorum epiſcoporum non carent labe ſua. nam plurima hic ratio ſanguinis & ſervitutis habetur; eruditionis autem & honeſtatis vitæ parva admodum. unde ut parum religioſi & parum utiles, utpote pueri, eccleſiæ præficiuntur, & plerique tales vel taliter, & hoc reſpectu promoti nec erant, nec veſtiuntur clericorum habitu. Cancellarii doctique viri non ſerviunt in ſuis eccleſiis, & minime reſident, ſed huc illucque ſemper vagantur, ut lupis ſit aditus ad caulas Domini quandocumque voluerint invadendas. Multa alia dici poſſent, ſed quæ ex his facile colligi poſſunt.

Sed cum tam multa de negligentia reverendiſſimorum DD. epiſcoporum diximus, numquid ſunt tantum in hac parte culpabiles, immo & innumeri alii. Nos omnes inquam, & in ordine eccleſiaſtico & religioſo omni magnam eſſe videmus morum deturpationem. Nam luxu, pompa, avaritia, libidinibus, otioque & negligentia omnia repleta videmus; &, quod omnibus deterius videtur in ſacerdotibus, legis Dei ignorantia, quam quia Judæorum ſacerdotes a ſe repulerunt, & Deus ſe eos repulſurum ne ſacerdotio fungantur, per prophetam minatur.

Præterea gliſcit perpetuo inveteratum odium ſæcularium, qui inhiant bonis noſtris; ita quod non alium prætextum mutandæ religionis forſan habent, quam ut eccleſiaſtica bona occupent.

Diuturna etiam pax civilis mali & errorum domeſticorum præbet occaſionem: ita cum militaris ordo ſine exercitio ſit bellici ſtudii, arma projecerunt militaria, & libros ſine judicio tractare cœperunt, unde multæ hæreſes in diem augentur.

Poſtremo regiæ majeſtatis facilitas & conniventia, quodque omnibus indifferenter tam hæreticis quam Chriſtianis gratiam regiam liberalitatemque & munificentiam exhibere ac honoribus citra debitum inſignire omnes dignatur, præſertim hæreticos, quod tamen regni legibus expreſſe eſt prohibitum.

Educatio etiam juventutis in ſtudiis Germanicis & commercia hæreticorum, necnon licentia imprimendi libros, plurimos infecit, & hæreſes invexit. Et hæ ſunt cauſæ iſtorum omnium malorum.

Sed & abſentia dominorum epiſcoporum a judiciis regiis, quando rex in comitiis præſidet, multum incommodi affert, vel potius multis commodis rempublicam defraudat; propterea que per ignaviam videntur ſe ſubducere ab adminiſtratione juſtitiæ, & a patrocinio miſerabilium perſonarum; ſed & eccleſiaſticæ perſonæ miſerabiliter illic a prophanis rabulis opprimuntur, patronis earum nihil id ad ſe pertinere putantibus.

Hucuſque magno cum animi noſtri dolore morborum & vulnerum noſtrorum cauſas retexuimus. Quibus autem rationibus hoc malum ſiſtendum eſſet ex provincia, explendum facile occurrit, quod contrariis omnibus, ſiquidem contrariis contraria curantur, ut in medicinali proverbio dicitur.

Primum igitur remedium eſſe videtur, quod ſancta & apoſtolica ſedes hoc in regno ſicut & apud alios principes facit, nuncium continue haberet vel legatum, vitum do-

ctum, bonum, & Deum timentem, rerum gerendarum ſcientia peritum, qui familiam haberet exemplarem, qui munera non diligeret, qui ſotti & maſculo eſſet animo, & in curia reſideret, ſemperque regis lateri adhæreret, atque eum officii ſui admoneret; hic catholicam fidem atque libertatem eccleſiaſticam tueretur, & ſedis apoſtolicæ obedientiam & reverentiam in regno conſervaret, & ad eum tamquam ad azylum viri boni ſemper pro juſto patrocinio confugere poſſent.

Secundum illud videretur, quod ſanctitas ſua primo quoque tempore per ſe quoddam curaret concilium œcumenicum, nec bella moveret quæ corpora perimunt. Nam hæc de qua nobis ſermo eſt, omni bello truculentior peſtis eſt. necat enim animas, & pretium pars hæc corpore majus habet. Novimus multa concilia ad ſedandos multos bellorum tumultus coacta fuiſſe: tantum abeſt ut propter bella concilium deſtitui debeat; nec videmus, quo faciliori modo deſiderium nationalis concilii extingui debeat, quam celeriori generalis congregatione concilii, in loco tamen libero, & nulli regum ſubjecto, ad quod ſub graviſſimis pœnis omnes qui de jure vel conſuetudine venire tenentur, accedere debeant, & non hi pauci tantum qui a regibus mittuntur, ceteris domi retentis.

Illud & tertium occurrit, quod regibus & principibus ipſis tot & tanta privilegia quotidie non concedantur, quæ eccleſiarum jura, immunitates & libertates enervant. Nam ſi penes capitulum eſſent epiſcoporum electiones, ut ſunt in Germania, fortaſſe alios ſibi viros contra fidei eccleſiæ hoſtes præſtarent ipſi epiſcopi, atque nunc præſtant, quod præterita tempora ſatis nobis exemplo oſtendere poſſunt.

Quartum demum remedium quod ad ſedem apoſtolicam attinet, eſſet quod collationes canonicatuum & aliorum beneficiorum, præſertim curatorum, quæ per ſanctitatem ſuam in hoc regno fiunt, intuitu eccleſiarum, non autem perſonarum fierent, & viri docti & boni aſſumerentur, qui verbo & exemplo populos paſcerent, & perſonalem reſidentiam omnino apud collatas eccleſias facere tenerentur; qui etiam ſi ante beneficiorum adeptionem diligenter ſuper vita & moribus atque doctrina examinarentur, valde conſultum eſſet eccleſiis.

Venimus nunc ad aliam hæreſeos cauſam, quæ dominorum epiſcoporum noſtrorum negligentiæ attributa eſt, clericorumque vitæ impuritati, in primiſque morum reformationem in ordine eccleſiaſtico, tam in capite quam in membris; aut potius, ſi fieri poſſet, tam in eccleſiaſticis quam in ſæcularibus, & in ſublimitate conſtitutis perſonis, ad repurgandam ab hæreſibus catholicam religionem, cenſemus plurimum eſſe utilem atque neceſſariam. Agnoſcimus enim mores noſtros a priſca illa eccleſiaſticæ diſciplinæ norma multum defluxiſſe, indeque omnium malorum cauſam exortam eſſe. Subſcribimus vero in hoc omnes, ut catholicæ & modeſta pro temporis congruentia fiat reformatio inter eccleſiaſticas perſonas morum & abuſuum, juxta canones ſanctorum patrum & ſanctiones noſtras ſynodales, quæ tamen duret, & inviolabiliter ſervari debeat.

Et quia nunc epiſcopi ad nominationem regiæ majeſtatis conceduntur eccleſiis cathedralibus, valde opportunum eſſet, ſi omnes nominati indifferenter antequam a ſede apoſtolica præficerentur, ſub diſtricti examinis rigore de vita & moribus & litteratura, fama eorum & priſtina converſatione, quibus mediis ad dignitates aſcenderint, & magis in Romana curia quam hic diſcuterentur, & demum tales prælati haberentur, qui ſcirent & poſſent, dignique eſſent eccleſias regere. Licet enim majeſtatis regiæ intentio ſit optimos quoſque viros nominare, attamen cum ſit aliis pene infinitis occupata negotiis, illi quandoque ſurripitur ab his qui lateri ejus adhærent, & pro auro nonnumquam ei ſupponitur auricalcum.

His deinde quos de præſenti habemus omni cum reverentia ſuggerimus, ut curias ſuas reforment, ſecundum præſcriptum canonum vivant, ex negligentibus fiant diligentiores ſpeculatores, exploratores & indagatores diœceſum ſuarum; circumeant quolibet anno diœceſes ſuas, ſynodos etiam diœceſanas quolibet anno celebrent, vitioſos arguant ſynodaliter, & unumquemque delicti ſui pudeat, & alios in vitam cleri & mores ac doctrinam intendant, curam ſæcularium rerum omnino contemnant, & ſpiritualium aſſumant, quæ eſt eorum propria œconomia. eccleſias parochiales reforment, ut in eis idonei preſbyteri, & nonniſi prius de vita, moribus, eruditione bene & diligenter examinati ponantur, & laïcos & pueros ex eis eliminent. Ad prædicandum facile quemquam non admittant, & certum modum prædicandi ab eccleſia receptum illis tradant. Bibliothecas ſæpius revideant, & libertatem imprimendi quibuſvis impreſſoribus, necnon vendendi bibliopolis auferant: aut unuſquiſque parochorum pro concionibus auctores bonos ab eccleſia receptos juxta diſpoſitionem provincialium habeant, ut habet in omnibus parochiis vera & ſana Domini noſtri Jesu Christi doctrina. Ceterum domini ipſi epiſcopi vitam ſuam, quæ ubique male audit, pace ipſorum ſit dictum, reforment, & quemadmodum ceteris præſtant dignitate, ſic præſtent exemplo & laudabili converſatione; ex cupidis & avaris ſint munifici & liberales, in paupores primum, deinde in alios, etiam viros equeſtris ordinis, eoſque citra ja-

cturam ſuam ſibi & eccleſiis ſuis devinciant, hoſpitalitatem ſervent, ex curiis ſuis hæreticos ejiciant, doctos viros & ſacerdotes reliquamque familiam in curiis ſuis exemplarem habeant, ceſſent in eis ſcandala & oppreſſiones ſubditorum, revocentur pro maledictionibus benedictiones; in reliquo tollantur e medio cauſæ, quæ eorum præſtiterunt occaſionem, quibus ſublatis, auferentur effectus. Ceſſet omne ſtudium exaltationis fratrum, nepotum & conſanguineorum ſuorum, quorum cauſa etiam pii pontifices ab officio ſuo quandoque deviant. Si enim ſui eorum non dominarentur, tum immaculati eſſent, & emundarentur a dicto delicto maximo. Capitula priſtinam auctoritatem retineant in commonefaciendis epiſcopis, & eorum admonitiones grato ſuſcipiant animo. Hoc enim ſemper præſentiſſimum fuit remedium ad continendos diſſolutos prælatos, maxime oppreſſores ſubditarum eccleſiarum.

De reformatione etiam cleri qui eſt ſecundus articulus, dicimus neminem eſſe qui non videat clerum reformatione in vita & moribus ac toto ſtatu ſuo egere. quæ ut apprime eſt neceſſaria & utilis in eccleſia, ita nobis eſt optabilis, ut modo fiat, ut dictum eſt, tam in capite quam in membris, ut tollantur inde omnes occaſiones ſcandalorum. Unde expectatur exemplum, & modo omnes religioſi, præſertim qui Mendicantes appellantur, quoniam & ipſi non minus quam nos ſæculares clerici ea indigent, in dicta reformatione includantur. Sed adverſarii eccleſiæ talem forte reformationem volunt, ut clerum atque adeo eccleſias ac monaſteria omnibus proventibus & bonis immobilibus ſpolient & exuant, quo poſtea facilius clerum opprimant, quod nullo pacto eis concedendum eſt rationibus multis quæ hic adduci poſſunt.

Quod vero ad caput odii ſæcularium contra clerum, & ad inhiationem eorum ad bona eccleſiæ pertinet, hoc plus quam verum eſſe aſſerimus. Sed ſi clerus bene viveret, ſi ſæculares in ſuis paupertatibus adjuvaret; ſi filios eorum in diſciplinis ſtudiorum fovere, ſi eorum filiis quo honeſte nubere poſſint aliqua eleemoſyna ſolveretur, ut priſci patres facere conſueverant; facile rumor & inhiatio iſta tolli poſſent. Nihil enim magis infenſorum odium placat quam liberalitas, eleemoſyna & elargitio.

At quod diuturna pax in ordine militiarum bellum nobis cum Deo & ejus fide pepererit, inficiari non poſſumus. Verum is ſeveriſſimis compellendus eſſet pœnis, ne ad libros hæreticorum manus poneret, neve in his ſe exerceret quæ muneris ſui non ſunt; ſed eorum qui ad eccleſiarum regimina, Deo vocante, aſciti ſunt. Cum ipſi oves ſint, & ad eos diſcere pertineat, non docere, quod paſtorum proprium officium eſt.

Quamvis autem de regia majeſtate domino noſtro clementiſſimo tacere hoc in loco maluiſſemus, quam aliquid dicere, cujus mens ſemper pia, catholica & ſancta nobis viſa eſt pluribus in rebus perſpecta: quia tamen ſine eius auſpiciis, ductu & favore, nulla aut pauca præſtari poſſunt, neceſſe eſt ut de ea humiliter & qua decet reverentia nonnulla loquamur. Primum ergo roganda eſt regia majeſtas, ne ad tot & tantas impietates, innovationes, conventicula, quæ quotidie in regno ſuo, modo in uno, modo in alio loco fiunt, atque eccleſiarum occupationes, & illarum bonorum deprædationes ulterius conniveat. Nam tandem hæc ſub ſilentio tolerata regni excidium parient, prout Bohemia, Germania & Anglia exemplo nobis eſſe poſſunt.

Regia etiam majeſtas aulam ſuam repurgare dignetur, obſecranda eſt, utque ipſe nulli ex hæreticis communicet, conſiliis eorum non utatur, nec aliquem eorum ad honores aut dignitates vel officia provehat & illis præficiat.

Inſuper prohibere omnino regia majeſtas dignetur, ne hereſiarchæ iſti ex Germania in Poloniam veniant, utpote Laski, Calvinus, Melancton & ceteri eorum ſimiles, qui ſua rabie reliquum plebis inficere, & regnum in magnum diſcrimen civilis belli ſuis ſeditioſis concionibus poſſent inducere.

Cum etiam omnium rerumpublicarum atque regnorum fundamentum ſit fides & religio, & in noſtro regno tam fortes & efficaces leges contra hæreticos & innovatores iſtos latæ ſint, enixiſſime roganda eſſet majeſtas ſua, ut illas exſecutioni demandaret; quod quidem ut fiat, nullius magis intereſt, quam ipſius regiæ majeſtatis, niſi malit videre interitum regni ſui. Nam ſi iſti audent, jam quaſi exciſa obedientia, litteras regias ſpernere, nec mandatis ejus in aliquo parere, futurum eſt quod iſti, ſi numeroſiores erunt, conabuntur regem in ſuam pertrahere ſententiam, & in eumdem errorem quem ipſi ſequuntur; alioquin recepta ſenſim majori licentia, audacia & temeritate cavendum eſt, ne obedientiam ſuæ majeſtati interdicant, & pro rege eum habere recuſent. Iſta itaque regiæ majeſtati eſſent inculcanda & perſuadenda, ſi vult videre ſalutem regni ſui, ſuumque quietum imperium, executionem legum de hæreticis omnino ne differat, ponendo ſuæ majeſtati ob oculos, quod in executione legum hujuſmodi continetur, nempe unitas, pax, obedientia & tranquillitas. Per conniventiam autem & impunitatem ac licentiam ſeditio, tumultus, diſcordia, ad ultimum interitus regni, & periculum, quod abſit, perſonæ regiæ ſequitur.

Si, quod abſit, regia majeſtas prohibere hæreſim & leges regni deſuper exſequi noluerit, quod pro ſua pietate numquam ere-

dimus, ex tunc reverendiſſimi epiſcopi, qui primi loca & vota in ſenatu obtinent, cum ſibi adhærentibus proteſtationem ſolemnem faciant publice in ſenatu ſe ad aliqua conſilia alia procedere nolle, per quæ in religione a majoribus eorum recepta, mutatio fieri debeat, & per eos non ſtat quominus regno a periculis ob tolerationem hæreſis illi imminentibus provideatur, neque ſe amplius in ſenatu per aliquas novationes objiciant, & id genus alia facienda, quæ ad talem proteſtationem conſona viſa fuerint. Hac ratione confidimus adducendum fore regem, & multos ex ſenatoribus in ſententiam noſtram.

Quod in nobis eſt, nomine noſtro & totius cleri afflicti, promittimus ipſis reverendiſſimis dominis epiſcopis aſſiſtere velle, & omnia noſtra eccleſiarumque noſtrarum, & quæ in manibus & facultatibus noſtris ſunt, parati ſumus profundere, & inſuper corpora in catholicæ fidei noſtræ defenſionem.

Quo etiam in caſu omnia ſummo pontifici deferenda eſſent, ut ſanctitas ſua in ſpiritu lenitatis primum ſalubriter eum admoneret, etiam cum advocatione imperatoris & aliorum regum, ne officio ſuo majeſtas regia deeſſet poſtea, & comminationibus utendum eſſet, ſanctitatem ſuam nempe proceſſuram contra ſuam majeſtatem, ſi non reſipuerit, ſicut contra talem qui ab univerſali eccleſia eſſe amovere conaretur. Sed, abſit, quod ad tam fortia remedia deveniendum eſſet. Chriſtianiſſimum enim Dei gratia regem habemus, & ſanctæ apoſtolicæ ſedis obedientiſſimum filium.

Et quia inter cauſas hæreſcos illa etiam adnumeratur, quod pueri mittebantur ad ſtudia Germanica: placeret quod omnino ratio inveniretur, ut pueri noſtri in regno erudirentur, vel in collegiis erectis, ut eſt Poſnanienſe, vel apud cathedrales eccleſias cum contributione monaſteriorum, & prout alias in ſynodo provinciali conſtitutum fuit: quod tamen nullam habet executionem, & tunc exigerentur pœnæ a legibus noſtris ſtatutæ contra mittentes filios ſuos ad ſtudia peregrina, & nulli qui in hoc delinqueret parceretur, quacumque præfulgeret dignitate.

Utile etiam foret & valde neceſſarium, ut duo ſaltem ad minus epiſcopi, viri boni & Deum timentes, ſemper eſſent præſentes in aula regia, qui quando principi familiariores eſſent, plura in negotio religionis præſtare poſſent. nam reverendus dominus vicecancellarius tanta negotia contra tot religionis expugnatores vix ſolus ſuſtinere valet. qui etiam prælati judiciis regiis ferendis intereſſent, prout eorum prædeceſſores facere ſolebant, & fidei ac eccleſiarum negotia, jura & libertates tutarentur, & viduarum & pupillorum ac pauperum perſonarum defenſores exiſterent. Ita enim fieret, ut ex ore clementiſſimi nullum judicium niſi rectum, niſi juſta lance libratum prodiret.

Admonendi quoque videntur reverendiſſimi domini ſumma diligentia, ne comitiis particularibus, in quibus nuncii terrarum ad comitia majora eligi ſoient, intereſſe dedignentur, & quam maxime curent, ut viri catholici in nuncios deligantur, quos & officiis & beneficiis ſibi conciliare ſtudeant. non fruſtra enim dicitur, immo vulgari proverbio patrem eſſe multorum conciliatorem. hæc nobis viſa ſunt in tam difficili conſultatione V. R. D. ſuggerenda, quæ omnia prudentiſſime in primis ſanctiſſimi domini noſtri ejuſque ſacri ſenatus, atque ampliſſimæ D. V. judicio ſubjiciamus, atque illud Spiritu ſancto ſuo gubernet D. Deum precamur.

STATUTA SYNODALIA eccleſia Gerundenſis.

Ex mſ. Colbertino.

Hic incipiunt conſtitutiones ſynodales domini epiſcopi Gerundenſis.

1. SAcerdotes & clerici curam animarum habentes, debent circa tria eſſe ſolliciti & intenti, videlicet circa corpus eccleſiæ, & circa ſeipſos, & circa populum ſibi commiſſum. Circa eccleſiam ſeptem debent attendere; ſcilicet ut corpus Chriſti ſuper altari in loco eminenti ſub clave cuſtodiatur honorifice & honeſte. Chriſma ſimiliter ſub clave ponatur. Piſcina alta uſque ad genua vel amplius juxta altare habeatur, quæ ſemper ſit cooperta. Item, corporalia, pallæ & ceteri panni altaris, & indumenta ſacerdotalia munda ſerventur. Fontes ſimiliter ſint mundi & cooperti & nihil ibi reponatur, niſi aqua & chriſma, quando pueri baptizantur. Item, parietes & pavimentum eccleſiæ debent munda teneri, & nihil niſi ea quæ eccleſiæ ſunt deputata debet in eccleſia reſervari, niſi tempore guerræ propter hoſtiles incurſus ibidem aliqua conſerventur. Item, libri in loco ſpeciali ordinate ponantur, & attente conſiderent ne propter negligentiam deſtruantur.

2. Circa ſecundum, id eſt circa ſeipſos, quinque ſunt attendenda, videlicet habitus, officium, converſatio, prædicatio, & adminiſtratio.

Habitus debet eſſe honeſtus & diſtinctus ab habitu laïcali, longas veſtes, & unius coloris debent habere, & ſuper tunicale rotundum & clauſum, laneum ſive lineum deportetur. Tonſura bene rotunda, & corona magna & lata, ſicut decet & expedit, habeantur. Cappæ manicatæ, cultelli acuti ad latus, ſotulares cordati eis penitus inhibentur.

3. Officium debet celebrari a clericis horis & temporibus inſtitutis, & debent attendere, quod

quod totum dicant & bene; ſed fieri non poteſt, niſi tria attendant, ſcilicet ut cor apponant ad ea quæ debent [dicere] & ſpatioſe dicant, & non incipiant verſum quouſque a ſocio verſus alius finiatur.

4. Converſatio debet eſſe munda & honeſta, ita ut bona vita eorum ſit prædicatio ſubditorum, & præcipue debent cavere clerici a familiaritate nimia mulierum; & in domo propria non habeant mulieres juvenculas vel ſuſpectas. caveant & maxime a concubinatu, ne incidant in ſententiam domini Sabinenſis. Nam per conſequens, ſi poſtmodum divina celebrarint, efficiuntur irregulares, & ſunt merito eccleſiaſtico beneficio privandi. Concubinatum ſic declaravit dominus Sabinenſis, ut quicumque in domo propria vel aliena, in parochia ſua vel in alia, mulieri cum qua peccaverit providit in victu, vel veſte, vel conductu domorum; vel etiam ſi ita peccaret publice cum aliqua, quod in ſua parochia ſcandalum oriretur, concubinarius judicetur. Ergo qui habet aures audiendi audiat quid dicatur.

5. Prædicatio valde neceſſaria eſt habenti curam animarum, ut ſubditis ſuis frequenter dicat, quid ſecundum Deum faciendum ſit, quid cavendum. Id eſt ut exerceant ſe ſecundum apoſtolum ad opera pietatis, & peccata caveant & vitent, quantum humana fragilitas noſſe finit, præcipue moneant eos ad pœnitentiam ſalutarem, inſtruentes eos, ut ſi aliquando peccarent, diabolo inſtigante, ad confeſſionem venire non tardent, & eis exprimant deligenter, quod quicumque ſemel in anno peccata ſua confeſſus non fuerit, & corpus Dominicum non receperit, niſi de conſilio confeſſoris ſui propter cauſam ad tempus dimiſerit, ſi ſic decederet, careat eccleſiaſtica ſepultura. Debet quilibet habere patres, ſuæ confeſſionis proprium ſacerdotem, vel fratrem Prædicatorem, vel Minorem, vel aliquem ſacerdotem cathedralis eccleſiæ, quibus nos audiendi confeſſiones, generaliter, dedimus licentiam. Debet etiam eſſe ſacerdos circumſpectus cum aliquis ad pœnitentiam venerit, ut ipſum circa ſacramentum pœnitentiæ in principio inſtruat diligenter, & exponat ei quomodo debet habere cordis contritionem, & oris confeſſionem & operis ſatisfactionem & habeat firmum propoſitum, quod non redeat ad peccatum. In iſtis quatuor conſiſtit pœnitentiæ ſacramentum, & ſi aliquid iſtorum defuerit, nullo modo pœnitentia debet dici, ſi tempus & opportunitas ſe offerat pœnitentis. Verum tamen peccator non ſine conſilio relinquendus. Debet enim ſacerdos diſcutere, quæ ſint illa peccata, a quibus peccator abſtinere non vult, & a quibus proponat de cetero abſtinere, & injunctis ſibi oratione, jejunio & eleemoſyna, ſecundum quod viderit expedire, conſulat ei tria, ut quando tardius poterit & rarius committat illa peccata a quibus recedere non vult, & cum dolore cordis conſideret in illa hora quod propter hæc meretur iram omnipotentis Dei, & ſupplicium infernale, & ſic ſacerdos diſtinguat inter conſilium & pœnitentiam ſalutarem. nam pœnitentia ſalvat, & conſilium habilitat ad ſalutem.

6. Quintum & ultimum eſt adminiſtratio. Clerici enim ſtatuti ſunt ut adminiſtrent ſeptem ſacramenta, videlicet baptiſmum, pœnitentiam, corpus Chriſti, matrimonium, extremam-unctionem, confirmationem & ordinem. Iſta duo ultima ſoli epiſcopi adminiſtrant. Unde de quinque primis tria ſunt attendenda, qualiter ſint conferenda, & quibus, & ea miniſtrantes a quibus debent præcavere.

7. Baptiſmus ſic eſt conferendus: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Amen.* Pœnitentia ut ſupradictum eſt ſic eſt conferenda, ut illa quatuor præmittantur. Corpus Chriſti ſic debet dari: *Corpus Domini noſtri* Jesu Christi *cuſtodiat & perducat te in vitam æternam. Amen.* Matrimonium autem ſic: *Ego do tibi corpus meum in virum, & recipio te in uxorem.* Et ipſa ſimiliter dicat: *Ego do tibi corpus meum in uxorem, & recipio te in virum meum.* Extrema-unctio debet dari ſecundum quod nos eam diligenter verbis & breviter ſecimus annotari.

8. Quibus ſit baptiſmus conferendus? dicimus quod omnibus indifferenter, quod nulli mater eccleſia claudit gremium ſuum, & Dominus Jesus Christus hoc oſtendere voluit, cum dixit: *Eum qui venit ad me non ejiciam foras.* Sed Sarracenus vel Judæus cum venerit ad baptiſmum, eſt per aliquot dies retinendus, ut inſtruatur in fide, & probetur quo ſpiritu ducitur ad baptimum. Pœnitentia debet dari illi ſoli qui vult facere illa quatuor ſupradicta. Corpus Chriſti ſolis pœnitentibus & non aliis debet dari. Matrimonium debet fieri cum diligentia, ita quod in eccleſia tribus diebus omnibus nuntietur, ut ſi quis ſcit impedimenta inter volentes contrahere, ipſi clerico manifeſtent. Extrema-unctio danda eſt infirmitatibus, & etiam ſolis pœnitentibus conferenda. Unde monendus eſt infirmus, quod petat, ſi neceſſe fuerit, unctionem. quod ſi ex contemtu nollet petere, nolumus quod tradatur eccleſiaſticæ ſepulturæ. Et hoc tam in omnibus ſanis quam infirmitatibus eis diligenter & efficaciter exponatur. Nam ſecundum Jacobum, *qui in uno offendit, factus eſt omnium reus*, & qui unum contemnit de ſacramentis eccleſiæ, omnia præſumitur contemniſſe. Exponatur autem eis, quod ſacramentum iſtud valet ad duo, ad peccatorum remiſſionem & ad infirmitatis alleviationem, ſi de illa infirmitate debeat convaleſcere ſecundum quod Jacobus in epiſtola ſua dicit. Detur etiam eis intelligi, quod propter hoc non obligantur ad alia, nec aſ-

ringuntur, nisi ad ea quæ erant primitus obligati. Et sic ad istud sacramentum recipiendum istis modis & aliis inducantur.

9. Ultimo videndum a quibus ministrantes sacramenta debeant cavere. Secundum enim verbum Domini, qui dixit: *Gratis accepistis, gratis date.* Ex quo gratis potestatem acceperunt conferendi, gratis debent conferre sacramenta, & non vendere, sicut quidam faciunt in sui damnationem, spiritualia vendentes, quos Dominus expulit de templo cum flagellis asperrime verberando. Et in hoc intelligimus non solum sacramenta sed sepulturas, & missas, & alia spiritualia, quæ non sunt temporali pretio comparanda, tamen facto sacramento, possunt petere secundum consuetudinem approbatam.

10. Circa tertium, id est circa subditos, debent esse clerici vigiles & attenti, præcipue ut eos in publico sinant esse. Inter quæ tantum ad præsens volumus quatuor exprimere, videlicet ne permittant eos esse in publica fornicatione, sed eos moneant diligenter, quod ducant ipsas mulieres in uxores, si non sit aliquod impedimentum, aut recedant penitus ab eisdem. quod si noluerint facere, præmissa trina monitione, excommunicationis sententia innodentur. Secundum est si vir & uxor non cohabitent simul, inquirat sacerdos quis eorum sit in culpa, & compellat per eamdem censuram eosdem simul cohabitare, & reddere sibi ad invicem debitum conjugale. Tertium est de publicis usurariis, moneant eos, ut hujusmodi officium derelinquant, cum sit inter alia peccata tale vitium reprobandum; & nisi velint desistere, supradicta sententia feriantur. Quartum est de venditionibus & emptionibus factis in fraudem usuræ, v. g. qui vendunt bladum pretio quo carius vendatur usque ad messem. quod si quis diligenter consideret, maxima est usura. alii emunt e contrario pro valde nimio pretio. quæ omnia in fraudem usuræ fiunt. Et isti similiter sunt monendi ut a talibus contractibus se contineant, alias eosdem subjiciant sententiæ supradictæ. Ista enim quatuor intelligimus, si publice committantur, & volumus & districte mandamus, quod sicut dominus papa præcipit, sententiæ omnes & causæ in scriptis redigantur, trina semper monitione præmissa, diem & annum in scriptura similiter redigentes. Actum & publicatum in concilio Gerundensi anno Domini MCCLVII. XIV. calendas Novembris.

Synodus semper celebretur in IV. feria ante festum B. Lucæ. Et si festum B. Lucæ fuerit in IV. feria, eadem die incipit synodus celebrari.

SYNODUS ANNI MCCLXI.

11. Item, volumus & mandamus nihilominus statuentes, quod omnes clerici, qui in aliquibus ecclesiis nostræ diœcesis sunt stabiliti, intersint assidue divinis officiis & horas canonicas, ut moris est, in dictis ecclesiis celebrent, nisi causa legitima & rationabili fuerint præpediti. alioquin præcipimus clericis parochialibus, vel illi qui major fuerit inter eos, eidem in virtute sanctæ obedientiæ injungendo, ut moneant & inducant clericos antedictos, quod ea quæ superius sunt expressa, effectui mancipare studeant, eosdem ad hoc, si necesse fuerit, trina monitione præmissa, vice nostra per censuram ecclesiasticam compescendo.

12. Item, statuimus, quod nulli clerici nostræ diœcesis præsumant recipere aliquem sacrum ordinem in nostra diœcesi vel etiam alia, sine nostra licentia speciali, nec præsumat etiam post susceptum ordinem celebrare, donec litteras suæ promotionis nobis duxerint ostendendas. quod si fecerint, ipso facto, ab executione sui officii sint suspensi.

13. Item, volumus & mandamus insuper statuendo, quod aliquis prælatus vel clericus nostræ diœcesis non præsumat recipere aliquem clericum alterius diœcesis sine nostris litteris testimonium perhibentibus de eodem, quod si fecerit, ab ingressu ecclesiæ per annum noverit se suspensum.

14. Quoniam constitutio per bonæ memoriæ dominum PETRUM prædecessorem nostrum edita, qua cavetur quod aliquis clericus vel prælatus diœcesis Gerundæ non præsumat recipere aliquem clericum alterius diœcesis, sine litteris Gerundensis episcopi, testimonium perhibentibus de eodem. quod si fecerit, ab ingressu ecclesiæ se noverit suspensum, gravia pericula & scandala plurima sæpius dinoscitur attulisse, ac afferre in posterum potest merito formidari. Idcirco nos PETRUS Dei gratia Gerundensis episcopus futuris cupientes periculis de opportuno remedio providere, de nostri Gerundensis, capituli consilio & assensu, prædictam constitutionem in plena synodo, ut sequitur, duximus interpretandam, declarandam ac etiam de cetero observandam. Statuentes ut nullus prælatus vel clericus diœcesis Gerundensis præsumat recipere aliquem clericum alterius diœcesis in sua ecclesia vel capella, ad missarum solemnia publice celebranda, nec ad curæ animarum officium, nec ad aliquod aliud sacerdotale officium exercendum, sine litteris nostris vel successorum nostrorum perhibentibus testimonium de eodem, ac sibi licentiam concedentibus ad missarum & alia prædicta officia exercenda, nisi esset persona bonæ conversationis, & famæ, nota prælatis & clericis supradictis: in quo casu possit missarum solemnia exercere. Ad privaras vero missas & secrete celebrandas, sacerdos quilibet alienæ diœceseos admittatur, dummodo primo sui episcopi ostendat de susceptis sactis ordinibus & de licentia

[litteras] ut poſſit in ipſis ordinibus miniſtrare. Qui vero contrarium fecerit, ab ingreſſu eccleſiæ per menſem unum, præſentis conſtitutionis auctoritate, noverit ſe ſuſpenſum, niſi eſſet clericus alterius diœceſis, qui iret cum archiepiſcopo, vel epiſcopo legato, abbate, vel alio prælato, aut nuncio, ſeu ambaxiatore regis vel alterius principalis aut magnatis. Talis enim clericus ſeu clerici abſque exhibitione alicujus litteræ, & abſque oſtenſione ſui epiſcopi licentiæ, in eccleſia vel capella ad miſſæ officium, & alia divina celebranda officia per totam Gerundenſem diœceſim libere admittantur. nec in hoc caſu recipiens tales alienæ diœceſis, pœnæ ſuſpenſionis prædictæ laqueo intendimus comprehendi aliquatenus nec ligari.

De monachis & canonicis regularibus.

15. Cum cura ſeu ſollicitudo paſtoralis officii ſic debeat circa ſtatum & converſationem ſubditorum eſſe pervigil & attenta, quod iis, quæ ſalutem impediunt animarum, paterna proviſione penitus reſeratis, ut humilis devotio clericorum poſſit dignis laudibus apta reddi, & eidem ſemper feliciter famularetur. Nos P. Dei gratia epiſcopus Gerundenſis, quia, ut intelleximus, querelam plurium & clamorem, qui frequenter circumſerpit aures noſtras, quod nonnulli monachi, canonici regulares & etiam clerici ſæculares in ſacerdotio conſtituti, ardore avaritiæ, ſive ambitione acquirendæ pecuniæ calefacti, tepidique officio caritatis, feliciis propriis monaſteriis & eccleſiis, in quibus tenentur Dominum contemplari, non ſolum in cauſis eccleſiaſticis & coram judice ſæculari in caſibus a jure permiſſis, verum etiam in cauſis forenſibus univerſis, ſine delectu, coram judicibus ſæcularibus advocare præſumunt, interponendo cavillationes, fruſtratorias allegationes, iniquas exceptiones, frivolas & inanes, parteſque vexantur laboribus & expenſis: propter quæ eccleſiæ, a quibus ſtipendia recipiunt, debitis obſequiis ſeu divinis officiis, & illi contra quos in ipſis cauſis exiſtunt, juri ſuo minus debite defraudantur, in grave ipſarum animarum periculum & jacturam, & in magnum ſcandalum aliorum. Attendenteſque quod gravia & abſurda non debemus ſub diſſimulationis ſilentii oculis conniventibus pertranſire; ſed morbo hujuſmodi medelam adhibere celeriter, præſenti decreto ſtatuimus, ut ſi aliquis clericus tam civitatis, quam diœceſis Gerundenſis in ſacerdotio conſtitutus, in aliquibus cauſis coram judice eccleſiaſtico vel etiam ſæculari advocare aliquatenus non præſumat, præter quam pro ſe ipſo, vel eccleſia ſua, aut in cauſis conjunctarum perſonarum, aut miſerabilium perſonarum, quæ tamen pro ſe ipſis non poſſint cauſas proprias gubernare, nec de ſuo conducere advocatum, in quibus cauſis eis liceat coram utroque judice poſtulare: ita tamen quod in duobus caſibus prædictorum, videlicet quando advocabunt pro conjunctis & pro miſerabilibus perſonis, gratis impendant eis patrocinium, nec inde recipiant pro ſalario vel mercede, nec etiam fiant ſæcularis vel eccleſiaſtici negotii ſuſceptores. Clerici etiam minores ordines adepti, beneficia habentes, quibus ſit cura animarum annexa, de quibus valeant ſuſtentari, non advocent, niſi pro ſeipſis vel eccleſiis eorumdem, aut pro conjunctis vel miſerabilibus perſonis, ſine mercede, ut de ſacerdotibus eſt prædictum, coram judice ſæculari. Statuimus etiam ne aliqui monachi vel regulares canonici poſtulent in cauſis eccleſiaſticis vel forenſibus, niſi proprii monaſterii poſcat utilitas, & tunc eis hoc liceat, imperantibus abbatibus, vel prioribus eorumdem, nec ſæcularis nec eccleſiaſtici negotii ſuſceptores exiſtant. Et nullum omnium prædictorum audiat aliquas cauſas ab aliquibus eis commiſſas, niſi a nobis vel officiali noſtro, vel a ſuperioribus noſtris ipſi fuerint ſpecialiter delegatæ. Nos ſi quidem volentes prædicta univerſa & ſingula inviolabiliter obſervari, in omnes illos qui contrarium faciunt præmiſſorum, auctoritate nobis tradita, excommunicationis ſententiam ex tunc, ut ex nunc, hac ſcriptura indice promulgamus, ita quod ipſo facto ſint excommunicationis vinculo alligati.

16. Item, ſtatuimus, & ſtatuendo inhibemus, ne aliquis clericus habens quodvis beneficium eccleſiaſticum, ratione cujus teneatur in certo loco facere reſidentiam perſonalem, pro aliquo clerico faciat ſervitium alterius beneficii ſive loci in eadem eccleſia vel etiam aliena. quod ſi fecerit, pœnam quam ſuſtinere merentur ſanctæ obedientiæ tranſgreſſores, ſe noverit incurſurum. Contingit namque multoties pro alieno ſervitio faciendo ſervitium proprium deperire.

17. Quoniam quidam ſub ambiguitate conſtitutiones noſtras ſynodales a nobis editas de ſacerdotibus & curam animarum habentibus, qui advocationibus intendebant, locorumque ſibi ſervitio commiſſorum intelligerent, cupientes nos perverſum eorum intellectum, omnemque ambiguitatem removentes, quæ obſcura viderentur eis volumus declarare, ut animarum periculum evitemus, & ad eorum commodum intendamus. Verbum vero eis ambiguum ſcilicet *poſtulare* interpretamur, poſtulare in judicio, ut cauſam fovere ex propoſito non præſumant, præterquam pro ſe ipſo & hominibus ſuis, & eccleſia ſua, & hominibus eccleſiæ ſuæ, *conjunctarum* exponimus uſque ad quintum gradum conſanguinitatis & affinitatis incluſive. Iſtud vero *nec aliquid inde accipiant*, declaramus ex pacto. Hoc vocabulum *ſuſceptores*, id eſt quod ſint tamquam rerum actores, niſi in caſibus & perſonis ſuperius de ad-

vocatione expreſſis. Illi vero clauſulæ *a nobis vel ab officiali noſtro vel a ſuperioribus noſtris* addimus quæ ſequuntur *vel niſi a viris eccleſiaſticis eis clauſula tam civiles quam canonicæ committantur*; de quibus tantum poſſint cognoſcere intra limites parochiæ eccleſiarum, vel niſi a ſæcularibus dominis parochiarum, qui juriſdictionem aliquam habere noſcuntur, cauſæ ſubditorum ſuorum committantur eiſdem, de omnibus tantum qui fuerint infra limites parochiarum ſuarum, in quibus ſupradicti clerici beneficium habeant, vel alii reſidentiam faciant perſonalem, nec extra limites parochiarum ſuarum cauſas determinent a prædictis omnibus ſive clericis ſive laïcis eis commiſſas, ut ſuperius eſt expreſſum, nec ſua loca vel eccleſiæ eiſdem commiſſæ propriis obſequiis defraudentur. De arbitris vero dicimus quod poſſint ſuſcipere ſuo modo in judiciis ſuperius intentis. Præterea ſine omni obſtaculo licet univerſis compoſitiones facere & tractare, ac pacem & concordiam inter omnes undecumque fuerint ad invicem reformare.

17. Nos PETRUS Dei gratia Gerundenſis epiſcopus, volentes periculis ſuccurrere animarum, ut mores & actus clericorum in melius reformentur, de conſilio & aſſenſu capituli noſtri, hac præſenti conſtitutione duximus ſtatuendum, quod nullus clericus civitatis vel diœceſis Gerundenſis ludat de cetero ad taxillos vel ad ludum aliquem taxillorum. Quod ſi fecerit, ex nunc ipſum excommunicationis ſententia innodamus. Actum eſt hoc III. idus Octobris anno Domini MCCLXI.

SYNODUS ANNI MCCLXVII.

18. Anno Domini MCCLXVII. IV. idus Octobris. Cum eccleſiæ, quæ domus orationis vocantur, ad cultum divini nominis & laudes Chriſto Domino referendas, non ad profana fuerint inſtitutæ, nos PETRUS Dei gratia Gerundenſis epiſcopus in plena ſynodo duximus ſtatuendum, quod tripudia & choreæ, ſeu turpes & inhoneſtæ cantilenæ in eccleſiis non fiant ſeu etiam dicantur. Si quis vero præſentis noſtræ conſtitutionis temerarius tranſgreſſor extiterit, ipſo facto, tamdiu a participatione ſacramentorum & ingreſſu eccleſiæ ſit privatus, quousque per nos vel officialem noſtrum ad hæc fuerit reſtitutus. Si vero aliquis in ſua pertinacia ſeu malitia perſeveraverit per tres menſes, legitima monitione intra dictos tres menſes eidem tranſgreſſori præmiſſa, a ſuo proprio ſacerdote excommunicationis ſententia innodetur, relaxante pœnam interdicti, & conſtitutionem quæ ſuper hoc fuerat per nos promulgata. Verum ſi alienos parochianos in aliqua eccleſiarum noſtræ diœceſeos hanc conſtitutionem contigerit violare, per clericos earum eccleſiarum hoc denuncietur delinquentium ſacerdoti, & ipſe juxta prædictam formam contra eos procedere teneatur. Et ne aliquis ab obſervatione hujus conſtitutionis per ignorantiam ſe valeat excuſare, volumus & mandamus, ut præſens conſtitutio per tres dies Dominicos vel feſtivos in eccleſiis ſolemniter publicetur.

SYNODUS ANNI MCCLXXIV.

19. Anno Domini MCCLXXIV. XVII. cal. Novembris, nos PETRUS Dei gratia epiſcopus Gerundenſis, reſidentes in ſynodo, inhibemus ne aliquis laïcus tempore interdicti præſumat ſepelire in cimiteriis aliçujus eccleſiæ aliquem defunctum cum aliqua ſolemnitate: ſtatuentes quod ſi contra hoc fecerit, ſit ipſo facto excommunicationis ſententia innodatus, & quod prius non abſolvatur a dicta ſententia, excepto mortis articulo, quam corpus per ipſum laïcum ſepultum manibus & expenſis propriis fuerit exhumatum.

20. Prædictas conſtitutiones confirmat dominus BENEDICTUS nunc divina miſeratione epiſcopus Gerundenſis, & ipſas vult in ſuo robore perdurare. Actum eſt hoc XIV. cal. Novembris anno Domini MCCLXXIX.

In concilio Ilerdenſi.

21. Animarum languoribus, qui ex ſacrarum conſtitutionum tranſgreſſione vel omiſſione trahunt originem, præſentium patrum approbatione ſubvenire curantes, ſtatuta ſacri concilii generalis, quæ pro magna parte non ſine gravi periculo ſunt neglecta, pleniori diligentia de cetero præcipimus obſervari, & ſtudioſe corrigi ea quæ contra ipſum concilium temere ſunt præſumta; in primis præcipientes, ut & conſtitutio de conciliis provincialibus & epiſcopalibus ſynodis celebrandis pro correctione & reformatione morum ſalubriter edita ſecundum ſuum tenorem firmiter obſervetur.

De correctione ſubditorum.

22. Conſtitutio de correctione ſubditorum edita firmius obſervetur, & circa ſubditorum correctionem prælati diligenter vigilent, & videant ne ſanguis ſubditorum de ipſorum manibus a Domino requiratur, & cum ad ipſos clamoſa inſinuatione pervenerit, ſi ad inquiſitionem deſcendere non valeant commode, pro eo quod proceſſus ille plurimum habet laboris & diſpendii, multaque diffugia, ſaltem purgationem inducant canonicam ſolemniter faciendam, in qua qui defecerit, canonice puniatur.

23. Quam ſalubre ſit, quam utile prædicatores per ſingulas eccleſias ordinare, apparet ex diſpendio quod ſequitur. Quare ſub animadverſione divinæ ultionis diſtricte præcipimus, ut per ſe vel per alios viros ad prædicationis officium idoneos per ſuas diœceſes prædicent verbum ſalutis æternæ.

De his qui neſciunt loqui verbis latinis.

24. Statuimus quoque, quod omnes beneficiarii & omnes promovendi in eccleſiis rochialibus, qui latinis verbis loqui neſciunt, exceptis illis de quorum profectu propter ætatem non eſt ſperandum, in ſtudio ab epiſcopo & archidiacono loci, ubi tale jus conſuevit habere archidiaconus, per ſubſtractionem beneficiorum, quouſque latinis verbis loqui ſciant, addiſcere compellantur. Illis autem qui ſtudere in grammatica & proficere voluerint, miſericorditer indulgemus, ut beneficia ſua integre in ſcholis habeant a proximo feſto S. Johannis uſque ad triennium, ac ſi in ſuis eccleſiis deſervirent, proviſo tamen [quod aliquis] in eccleſia remaneat debito ſervitio deſolata. Qui vero infra terminum hunc non tantum proficere curaverit, quod latinis verbis loqui ſciat, qui ſuam neglexerit vincere ignorantiam, donec talem negligentiam perſequens ſtudium correxerit, beneficio ſuſpendatur eodem. Et quoniam multi affectant clericalem caracterem & libertatem eccleſiaſticam, vel beneficium, & tamen addiſcere negligunt, præcipimus ut a talibus tonſurandis caveatur attente, præſertim in illis locis, in quibus obtenta prima tonſura ratione natalis ſoli, ſibi in eccleſia vindicant portionem. Ad quartum autem gradum nullus omnino clericus fæcularis promoveatur, qui latinis verbis loqui neſciat.

Contra concubinarios.

25. Ad exſtirpandam clericorum incontinentiam, ſtatuimus ut quilibet epiſcopus in prima ſynodo quam ipſum celebrare contigerit, ſuſpenſos denuntiet omnes ſacerdotes, diaconos, ſubdiaconos, & omnes beneficiatos, qui ex tunc in ſuis domibus vel alienis detinere præſumſerint publice concubinas, & illas, quæ de cetero fuerint talium concubinæ, denuntiet excommunicationi ſubjectas, & ſepeliendas, ſi deceſſerint, aſinorum ſepultura. Et has ſententias epiſcopi & ipſi ſacerdotes in publicis prædicationibus denuntient. Si quis vero hac de cauſa ſuſpenſus præſumſerit celebrare divina, non ſolum eccleſiaſticis beneficiis ſpolietur, verum etiam pro hac duplici cauſa perpetuo deponatur.

De vita & honeſtate clericorum.

26. A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant, officia vel commercia fæcularia non exerceant, maxime inhoneſta, jocularibus, mimis, & hiſtrionibus non intendant, tabernas prorſus evitent, niſi neceſſitatis cauſa in itinere conſtituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujuſmodi interſint. Coronam & tonſuram habeant competentem, clauſa deſuper deferant indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis vel cendatis ſeu viridibus aut virgatis tunicis vel ſupertunicis ſic apertis, quod oſtendant latera, ſic ſtrictis quod femoralia demonſtrent, necnon manicis vel ſotularibus conſutitiis vel roſtratis, aurifrigiis pictis, pileis ſerico ſuperornatis, fibulis aut corrigiis auri vel argenti ornatum habentibus, centuriis ſericis quoque deauratis vel coloris varii, frenis, pectoralibus, calcaribus deauratis, vel aliam ſuperfluitatem gerentibus non utantur. Nullus in ſacerdotio vel perſonatu conſtitutus, cappam manicatam gerat, niſi juſta cauſa timoris exegerit habitu transformari ad divinum officium. Inter eccleſiam cappam manicatam nullus clericus gerat. Sententiam ſanguinis nullus clericus dictet aut proferat, nec litteras dictet aut ſcribat pro vindicta ſanguinis deſtinandas, nec vindictam ſanguinis exerceat, vel ubi exerceatur interſit. In eccleſiis, civitatibus, villis, vel ardeis * clerici cultellos acutos vel arma portare non præſumant, niſi forte ob defenſionem proprii corporis juſti cauſa timoris. Si quis autem contra hanc conſtitutionem venire præſumſerit, ſi beneficiatus fuerit, ſuſpendatur ab omnibus beneficiis, & cum ad emendationem venerit, tanto tempore poſtmodum eorumdem perceptione beneficiorum careat, quanto in iſta contumacia permanere præſumſerit. Si vero beneficiatus non fuerit, ab introitu eccleſiæ ſuſpendatur.

* f. arcis.

Qualiter altaria eccleſiæ munda teneantur, & corpus Chriſti.

27. Præcipimus, ut eccleſiæ, & omnia oratoria, vaſa divini miniſterii, pallæ altaris, corporalia, & veſtimenta miniſtrorum munda & nitida conſerventur. Chriſma, oleum & euchariſtia caute ſerventur, clavibus adhibitis, necnon & altare conſecratum diligenti ſervetur cautela, ne ad aliquod prædictorum manus temeraria ſe extendat pro aliquibus nefariis exercendis. Sacra quoque euchariſtia ad infirmos cum campana & lumine honorifice deportetur, & in ſingulis octo diebus renovetur.

Contra illos qui contrahunt matrimonia in gradu prohibito, vel clandeſtina.

28. Diſtricte præcipimus per omnes eccleſias in præcipuis ſolemnitatibus excommunicatos publice denuntiari omnes illos, qui in gradu prohibito contrahere matrimonia præſumſerint: qui vero matrimonia ſeu contubernia contraxerint, niſi infra annum diſpenſationem obtinuerint, ex tunc excommunicationis ſententia ſe noverint innodatos. Interim autem a carnali eoſdem copula præcipimus abſtinere. Qui vero clandeſtina contraxerunt matrimonia, tamquam excommunicati ab omnibus evitentur, & donec de legitimitate perſonaliter eccleſiæ conſtiterit, ab invicem ſeparentur.

De degradatione clericorum.

29. Ne clerici in opprobrium & odium eccleſiæ ea crimina impune committant, pro

quibus laici pœnam incurrerent capitalem; præcipimus ut clericus qui furto, vel crimine falsi, rapina, homicidio, raptu mulierum, in cudendo falsam monetam, vel in aliis criminibus, quæ capitalem pœnam merentur, publice fuerit deprehensus, a suis ordinibus perpetuo degradetur; si subdiaconus & infra, ab uno episcopo; si diaconus, a tribus episcopis; si sacerdos, in concilio provinciali, vel ante habito numero canonico episcoporum, quatenus qui ecclesiastica libertate tam flagitiose abutitur, clericali privilegio sit privatus.

30. Districte præcipimus, quatenus in omnibus ecclesiis parochialibus, in quibus infra terminum a jure præfixum, ab illis ad quos pertinet, diœcesano non fuit clericus præsentatus ad curam animarum, ipse diœcesanus in ecclesiam eamdem clericum instituat, nec ipsam parochiam ulterius viduam remanere permittat.

De eo qui vendit Christianum Saracenis.

31. Statuimus, ut quicumque de cetero Christianum vel Christianam vendiderit Saracenis, ipso facto sit excommunicatus, nec possit absolutionis sententiam obtinere sine auctoritate apostolicæ sedis.

Monachus vel canonici regulares curam animarum non exerceant in ecclesia sæculari.

32. Inhibemus districtius ne quis monachus in ecclesia sæculari curam animarum exercitare præsumat. Hoc ipsum pari districtione canonicis regularibus inhibemus, nisi ex indulgentia sedis apostolicæ demonstrare valeant hoc sibi fuisse commissum.

33. *Qui obligant personatum vel dignitatem.*

In ecclesiis cathedralibus & regularibus districtius inhibemus, ne aliquis personatum vel dignitatem suam, sicut de jure non potest, ita nec de facto pro aliqua summa pecuniæ præsumat aliquatenus obligare; decernentes ipsam obligationem non tenere: hanc pœnam transgressoribus infligentes, ut quicumque contra hanc constitutionem venire præsumserit, ipso facto ab omni officio & beneficio, donec ab apostolica sede veniam impetraverit, sit suspensus.

34. Quia in plerisque partibus censura ecclesiastica enervatur, & ecclesiasticæ disciplinæ severitas contemnitur a quibusdam, statuimus præsentis approbatione concilii, quod si quis clericus, proprio exigente delicto, fuerit ab episcopo vel metropolitano suo excommunicationis sententia innodatus, & per annum in ipsius laqueo damnabiliter præsumserit ex certa scientia permanere, ineligibilis perpetuo fiat: ita quod numquam aliquam ecclesiasticam dignitatem valeat adipisci. Si vero laïcus fuerit, quamdiu perstiterit in excommunicatione, numquam ad actus legitimos admittatur; & si curia ipsum vellet admittere, ipsum non admittere per censuram ecclesiasticam ab episcopo arceatur: nihilominus statuentes, ut si quis clericus litteras sui episcopi aut metropolitani malitiose recipere contemserit, ex ipsius culpa contemtus ab officio suspensum se noverit ipso jure. In hoc autem juri nolumus episcoporum in aliquo derogari.

35. Item, quoniam nonnulli in ecclesiis cathedralibus & aliis conventicula illicita præsumunt contrahere, contra jura sacramentis & pactionibus se ad invicem colligentes, ut ratione majoris numeri in ecclesia beneficium valeant obtinere, & conspirationes contrarias æquitati tam contra socios, quam contra majorem suum temere facientes, propter quod ecclesiæ Dei grave imminet detrimentum, sacro approbante concilio, statuimus regimine utentes officii pastoralis, ut morbo hujusmodi utiliter succurratur, quod quicumque talia fecerit, usque ad xx. dies, ex quo notitia constitutionis ad eum pervenerit, vinculum colligationis dissolvat; alioquin si in malitia sua perseverare præsumserit, ipso facto, suspensionis sententiam se noverit incurrisse. Item, cum aliqui quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, cum beneficia ecclesiastica vacant, socios sibi attrahunt, & pactionibus illicitis eos sibi alligant, ut propter majorem numerum pravitatis, obtinere valeant quæ intendunt, in offensam Dei & scandalum populi Christiani, ut propriæ ambitioni damnabiliter satisfaciant. Ideo statuimus, sacro concilio approbante, quod quicumque de cetero talia præsumserit attentare, omnino beneficio careat sic obtento: ita quod numquam in eadem ecclesia beneficium valeat adipisci.

36. Item, dominis sacerdotibus ne aliquid exigant ante benedictionem nuptialem, nec ante sepulturam, sive pro matrimonio celebrando; sed celebratis nuptiis, exigant quod consuetum est, si necesse sit, mortuarium, quia plus licite possunt facere, vel ante consuetudinem tolerare.

De tempore nuptiarum.

37. Item, dominis sacerdotibus, ne faciant nuptias ab Adventu Domini usque ad festum S. Hilarii, & ex tunc fiant usque ad septimanam septuagesimæ, & ex tunc cessent usque ad Dominicam de *Quasi modo*. Et ex tunc usque ad Dominicam de *Votem jucunditatis*, quæ præcedit festum Ascensionis. Et tunc cessent continue per tres septimanas usque ad Dominicam de Trinitate: & tunc celebrent usque ad Dominicam de Adventu, hoc proviso, quod prima Dominica Adventus, quæ inducit prohibitionem, intelligatur prohibita, & festum S. Hilarii quod inducit permissionem nuptiarum, intelligatur concessum, & sic de aliis.

[a] STATUTA (a) DOMINI PETRI Albanenſis epiſcopi, apoſtolicæ ſedis legati, ſuper diverſis ordinationibus eccleſiæ Leodienſis edita anno MCCL.

Ex mſ. Cl. V. domini baronis de Craſſier.

PETRUS miſeratione divina Albanenſis epiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in domino.

Noveritis quod nos nuper capitulum S. Lamberti Leodienſis juxta officii noſtri debitum viſitantes, multa quæ correctione indigebant invenimus, ad quorum reformationem hæc quæ ſequuntur duximus ordinanda.

I. In primis ſi quidem ordinamus & ſtatuimus canonicos majoris, necnon ſancti Materni, & parvæ menſæ capellanos, vicarios, & quoſlibet clericos ejuſdem eccleſiæ chorum frequentantes, tonſuram habere rotundam, & coronam decentem, ac honeſtum habitum, præſertim in eccleſia, in ambitu eccleſiæ, & in clauſtro. Qui habitus talis erit: ſuppellicium & cappam nigram choralem a feſto omnium ſanctorum uſque ad paſcha, & a paſcha uſque ad feſtum omnium ſanctorum, ſuppellicium ſine cappa habebunt, niſi debilitas aut infirmitas aliquem ſuper hoc excuſaret, & tunc cauſa neceſſitatis (b) poſſent in [b] æſtate cappas in choro portare, exceptis diebus dominicis & feſtivis, quibus ſit omnibus habitus uniformis. Qui vero pro neceſſitate prædictis diebus dominicis & feſtivis eſſe non poterunt ſine cappa, in ſecretario eccleſiæ, vel in aliquo loco prope altare poterunt audire divina: dum tamen ab illis qui erunt in choro directe non videantur & aperte. Chorum autem intrantes verſus altare reverenter inclinent, & poſtmodum verſus ſedem epiſcopi, ſi epiſcopus præſens erit, & in chori [c] exitu fiat idem. (c) Qui in prædictis offenderit, per decanum ejiciatur de choro, nec recipiatur ulterius, donec tonſuram & habitum aſſumat honeſtum.

II. Nullus etiam ad horas poſt *Gloria* primi pſalmi, & ad miſſam poſt epiſtolam chorum [d] intrare præſumat. (d) Qui tranſgreſſus fuerit, per decanum ejiciatur de choro. Qui ſi ad juſſionem decani exinde exire noluerit, ſi major canonicus eſt, aut ſancti Materni vel parvæ menſæ, illius horæ ad quam temere ſe injecit, & alterius quæ ſequetur, diſtributionibus ſit ipſo jure privatus, in ceteris decani arbitrio pu-

(a) Eadem ſtatuta, paucis mutatis, quæ ſuo loco annotare curavimus, renovavit Hugo S. Sabinæ presbyter cardinalis & apoſtolicæ ſedis legatus, anno 1253. 10. cal. Novembris.

(b) Hunc locum ita correxit Hugo S. Sabinæ presbyter cardinalis: *Et tunc cauſa neceſſitatis, extra chorum exiſtentes, poſſint in æſtate cappas portare.*

(c) Tres ſequentes lineæ non leguntur in ſtatutis Hugonis.

(d) Statutum illud ſic terminatur: *Qui tranſgreſſus fuerit, illius horæ diſtributionem amittat.* ceteris omnibus omiſſis.

(e) Quæ hic de decanis, non leguntur in eiſdem ſtatutis Hug.

A niendus. Canonici vero in Leodio exiſtentes diſtributiones quaſi vilipendentes, qui ad horas non vadunt, tantum de ſuo ſolvant, quantum reciperent, ſi accederent ad horas.

III. In choro exiſtentes honeſte ſe habeant, nec confabulentur ad invicem, nec diſcurrant per eccleſiam, aut loquantur aliquibus in eccleſia, dum cantatur in choro, nec chorum exeant uſque ad finem, niſi ex cauſa honeſta & neceſſaria exeant, ſtatim ad officium reverſuri. Qui vero ante finem horarum exiverit, niſi ſtatim reverſus fuerit, illius horæ B diſtributiones amittat, niſi ex honeſta cauſa reverti ad chorum omiſerit, (e) decani in [e] exitu petita licentia & obtenta, vel ſaltem illius qui poſt decanum major erit in choro, ſi forſitan decanus abſens erit.

IV. Quilibet in choro ſtet vel ſedeat juxta ſuum ordinem, paratus facere ſervitium eccleſiæ, (f) prout in matricula vel tabula [f] ſcribitur.

V. (g) Matriculani vero ſeu Tabulani per [g] cantorem vel aliquem deputatum ab ipſo, C hoc modo conſcribi mandamus. videlicet, quod ſingulis diebus ſabbati in matricula ſeu tabula ſcribetur quis epiſtolam, quis evangelium, quis miſſam, quis graduale, quis invitatorium cum VENITE per totam cantare debeat ſeptimanam, niſi forte aliqua ſuperveniente feſtivitate ſolemni Tabulanidie præcedenti opus haberent mutare, & ibi majorum perſonarum nomina, ad officium ſcriberentur. Eadem etiam matricula continebit quis thuribulum, quis candelabra deferre debebunt. Præterea diebus ſingulis in eadem matricula ſeu tabula ſcribetur ante horam D Primæ, qui in craſtino reſponſorio cantare debeant, & qui legere lectiones. Et hæc matricula ſeu tabula ſtatim poſt Primam recitetur in capitulo, ut quilibet ſcire poſſit quid facere teneatur.

VI. Quilibet inſuper canonicus reſidens, ſive ſacerdos ſit, ſive diaconus, ſive ſubdiaconus, ſuam in ſuo ordine faciat ſeptimanam, & legat & cantet, prout in matricula conſcribetur, & hoc per ſe, vel per canonicum faciat, niſi forte urgente neceſſitate, non poſſit quis ad ſupplendum vices ſuas canonicum invenire. in quo caſu canonici ſancti E Materni & Parvæ-menſæ vices eorum ſupplere poterunt, cum ſint ad ſupplementum neceſſitatis aſſumti, (h) proviſo tamen quod [h] per prædictos canonicos S. Materni & Parvæmenſæ, diebus feſtivis ad majus altare nullatenus ſerviatur.

VII. (i) Sane quicumque in matricula ſeu [i]

(f) Statuta Hugonis ſic legunt: *Prout ſibi injunctum fuerit, & ſecundum conſuetudinem eccleſiæ antiquam & hactenus approbatam. quilibet vero canonicus cantare & legere tenebitur ad mandatum cantoris vel chorum cuſtodientis.*

(g) De matricularibus nulla eſt mentio in ſtatutis Hugonis.

(h) Hæc ſequentia in ſtatutis Hugonis non leguntur.

(i) Hæc longe brevius in ſtatutis Hugonis hoc modo: *Quicumque efficium ſuum in errore veliquerit, per decanum corrigatur, & illius horæ vel horarum diſtributiones amittat.*

tabula ſcriptus marrantiam fecerit: ſi ſacerdos fuerit, duodecim denarios; ſi diaconus, ſex denarios; ſi ſubdiaconus quatuor denarios ſolvere teneatur, & nihilominus miſſæ diſtributiones amittat. Quicumque vero in aliis horis marrantiam fecerit, pro quolibet ſolvat duos denarios, & nihilominus ſibi horæ illius diſtributio ſubtrahatur, proviſo quod pœnæ iſtæ nulli penitus remittantur, ſed quæcumque exinde provenerint diſtributori ſine diminutione tradantur.

VIII. Statuimus præterea ut omnes canonici tam habentes perſonatum quam non habentes, necnon & canonici ſancti Materni & Parvæ menſæ, capellani quoque & vicarii, eccleſiam ad horas nocturnas & diurnas frequentent, & qui horæ non interfuerit, ſuam diſtributionem amittat.

Qui autem conſueti fuerint non venire ad matutinas, præcipue miſſam & veſperas, præter hoc quod diſtributionem amittent, (a) tantum quantum amiſerint dent decano per manus ipſius erogandum pauperibus. [a]

IX. Canonici inſuper diebus ſingulis ſtatim poſt Primam ad *pretioſa*, juxta morem, intrent capitulum, & ſi aliquid emerſerit corrigendum, vel tractandum de negotiis eccleſiæ, ſi poteſt fieri, fiet ſtatim.

X. Ceterum cum male ſoleant, ſicut intelleximus ad capitulum convenire, præcipimus quod bis in ſeptimana fiat capitulum ſpeciale, videlicet (b) feria ſecunda, & ſexta feria, ad quod omnes, niſi juſto detenti impedimento, teneantur venire. [b]

(c) Secunda feria principaliter tractabuntur temporalia, videlicet qualiter eorum bona adminiſtranda ſint, & ſæcularia negotia pertractanda. Sexta vero feria de ſpiritualibus principaliter tractabitur, videlicet quomodo ſerviatur eccleſiæ, & ut culpæ, quæ per ſeptimanam correctæ non ſunt, debito modo corrigantur. Qui autem ad capitulum dictis diebus conveniunt, uſque ad finem capituli non recedant. Et ut ad veniendum ad capitulum facilius inducantur, præcipimus ut illi, qui illuc convenerint, & uſque ad finem perſeveraverint, percipiant duos nummos: recedentes autem ante finem capituli, nihil omnino habebunt, niſi ex juſta cauſa decanus eis licentiam daret. [c]

XI. Sane venientes ad capitulum pacifice ſe habeant, nec clament, nec turbent capitulum, nec inter ſe fabulentur, ſed ad expedienda communia negotia & aliarum eccleſiarum, quæ ad eos (d) recurrere duxerint, diligenter intendant. Unuſquiſque reſpondeat in ſuo ordine, nec reſpondentem alius interrumpat, ſed ab aliis pacifice audiatur. Si quis vero fuerit aſſuetus turbare capitulum, ſeu clamare vel impedire alios expeditioni negotiorum communium intendentes, niſi monitus a decano, deſtiterit, & ſtatim emendaverit, illo die diſtributionibus horarum & refectorii ſit ipſo jure privatus. Qui ſi eos temeritate propria accipere præſumſerit, pœna contra illos qui præbendas ſuas vel ſociorum ſuorum violenter accipiunt, per nos edita, (e) contra ipſum ſervetur. [d] [e]

XII. Luminaria decentia ſint in eccleſia, ita quod in miſſa, veſperis & matutinis ſint ante altare groſſi cerei pro illis candelis quæ ponuntur.

XIII. Præterea cum in magnis eccleſiis, diebus valde ſolemnibus duntaxat exceptis, miſſa mortuorum ſemper debeat celebrari, ordinamus & præcipimus, ut ſicut ſolet de more fieri in mortuorum anniverſariis, ita fiat, & nihilominus diebus aliis, quibus non erit anniverſarium, ſemper cantetur miſſa pro defunctis, exceptis diebus ſolemnibus, quemadmodum eſt prædictum. (f) Sane ille ſacerdos qui hebdomadam ſuam facit, ad majus altare in ſequenti ſeptimana miſſam de mortuis celebrabit, vel procurabit per alium. Hæ autem miſſæ quæ cantabuntur diebus quibus non erit anniverſarium, etſi convenientes non ſint, tamen celebrabuntur in aliquo altari de eccleſia, quod ad hoc præcipimus ſpecialiter deputare. Neminem autem debet gravari hoc, cum omnia a mortuis habeamus, & ad orandum pro mortuis ſimus ſpecialiter deputati. [f]

XIV. Item præcipimus quod ſex præbendæ ſacerdotales (g) non dentur de cetero niſi preſbyteris, vel ſaltem diaconis, aut ſubdiaconis, qui per intervalla aliqua poſſunt infra annum ad ſacerdotium promoveri. Nec dentur niſi perſonis honeſtis, qui ſint de legitimo matrimonio, & quæ ſciant competenter legere & cantare, nec aliter quam diximus conferantur. Iſti autem jurabunt continuam reſidentiam, & ſacerdotis officium exercentes, ſuas ad majus altare in propriis perſonis faciant ſeptimanas, nec habebunt vicarios. Sed ſi aliquis ex eis, urgente neceſſitate fuerit impeditus, vices ſuas ſupplere poterit per aliquem de amicis, dummodo ſit canonicus, qui ſupplebit vel ſi canonicus haberi non poſſit, per alium qui poſſit ad majus altare cantare, vel alium qui tenetur aliorum ſupplere defectum. Contra iſtam noſtram conſtitutionem ſeu ordinationem gratia nulli fiat, etiam per quamcumque domini papæ vel ejus legatorum indulgentiam, niſi dominus papa ad planum certificatus de penuria ſacerdotum in Leodienſi eccleſia, plenam de hac noſtra & bonæ memoriæ domini GUIDONIS Præne- [g]

(a) Diſtributiones amittant: *Statuta Hugonis, aliis omiſſis.*
(b) Statuta Hugonis. *Feria quarta.*
(c) Statuta Hugonis. *Quarta feria.*
(d) Statuta Hugonis. *Recurrendum.*
(e) Statuta Hugonis. *Puniatur.*

(f) Additur In ſtatutis Hugonis: *Item exceptis feſtis novem lectionum, & a paſcha uſque ad octavas Pentecoſtes & octavis beatorum Petri & Pauli, & octavis aſſumtionis & nativitatis beatæ Virginis, & octavis S. Lamberti.*
(g) Sic dicta quod ſolis conferantur ſacerdotibus. vide ſtatuta Guidonis apud Chapeaville, tom. 2.

ſtini

stini episcopi quondam apostolicæ sedis legati constitutione fecerit mentionem, nec capitulum teneatur aliquem ad dictas præbendas recipere, nisi sit boni testimonii, & de legitimo natus matrimonio, & qui sciat saltem, ut dictum est, competenter legere & cantare. (a) Quod si archiepiscopi vel episcopi, seu aliqui prælati majoris Colonienſis ecclesiæ sacerdotes, Leodienſis ecclesiæ sint canonici, & præbendas habeant in eadem, vicarios per se statuere non poterunt, nisi boni testimonii viros, & qui sint etiam sacerdotes, qui præsentabuntur decano & capitulo prima vice. Quibus decedentibus vel cedentibus, per decanum & capitulum loco cedentium vel decedentium alii honesti & idonei statuantur. Hi similiter vicarii perpetuo in ecclesia residebunt, & suas septimanas facient ad majus altare, præterquam in diebus solemnibus, quibus per unum de majoribus canonicis decanus secundum ordinem matriculæ missam præcipiet celebrari.

XV. Ceterum, cum Leodienſis ecclesia copiam habuerit sacerdotum canonicorum, memorati vicarii missas pro defunctis celebrabunt, vel deputabuntur ad aliud, prout decano & capitulo visum fuerit expedire, vicariis tamen imperatoris exceptis, qui semper ad majus altare in septimanis suis cantabunt, ut superius expressum est.

XVI. Ad hoc canonici S. Materni & Parvæ mensæ, qui ad supplendum aliorum defectum statuti sunt, parati sint semper supplere defectus, & ordinentur infra mensem per decanum & quatuor seniores de capitulo, quod prædicti canonici grossum præbendarum suarum percipiant, sicut solent, & illud quod habent ultra grossum præbendarum, illis qui horis interfuerint dividatur, ut sic per eos horæ melius frequententur.

XVII. Episcopus semper etiam præbendam habeat, quam nulli tempore suo conferat, & in qua successor ejus succedat, & tam sede vacante quam non vacante, vicarii ipsius episcopi fructus grossæ præbendæ integre percipiant, sicut solent. Nec abbatias quæ suæ capellaniæ sunt, alicui nisi canonico majoris ecclesiæ conferre præsumat.

XVIII. Item, episcopus de canonicis residentibus in majori ecclesia, quatuor habere poterit socios, (b) dummodo illi quatuor residentiam fecerint primi anni.

XIX. Item cum in Leodienſi ecclesia penuria sit subdiaconorum, & diaconorum canonicorum, & nimis indecens videatur, quod tantus in tanta ecclesia sit defectus, quod non possit ad majus altare per canonicos deserviri, ordinamus & statuimus, quod ad præsens sex canonici ad subdiaconatum, & sex ad diaconatum per decanum & capitulum in nostra præsentia eligantur; alioqui nos eligemus eosdem, quos ad suscipiendum dictos ordines per subtractionem beneficii compellemus.

XX. Provideatur autem in posterum, ne prædictis cedentibus vel decedentibus, seu ad ordines majores promotis, in prædicta ecclesia quantum ad prædictos ordines, sit defectus, sed cedente vel decedente aliquo, seu ad majorem ordinem promoto, si subdiaconus fuerit qui cessit vel decessit, aut ad majorem ordinem promotus est, antiquior canonicus in minoribus ordinibus constitutus, vel infra, secundum ordinem matriculæ, compellatur subdiaconatum recipere, in primis ordinibus tunc instantibus, & hoc per subtractionem distributionum refectorii (c) & horarum, quibus a tempore statuto, nisi tunc promotus fuerit, privatus sit ipso jure. quæ pœna nulli remittatur omnino. Et hoc idem servetur cum aliquem de prædictis subdiaconis contigerit cedere vel decedere, aut ad majorem ordinem promoveri. videlicet antiquior subdiaconus in primis ordinibus diaconatum recipiat, alioquin prædictis distributionibus refectorii & horarum sit ipso jure privatus. Et hoc intelligimus debere fieri, nisi ille qui ordinatus est, rationale impedimentum prætenderit, & legitime probaverit coram (d) decano & duobus senioribus de ecclesia a decano eligendis; in quo casu ad probandum dictum impedimentum sufficere dicimus proprium juramentum. Quo impedimento probato, ut dictum est, si casus sit indispensabilis, antiquior post eum loco illius ad dictum ordinem compellatur. Si vero impedimentum probatum per dispensationis gratiam amoveri posset, ille qui impedimentum probaverit, infra competentem terminum ei per decanum præfigendum, dispensationem sibi pro posse suo tenebitur procurare, quam si infra dictum terminum non procuraverit, & tunc ipso jure supradictis distributionibus sit privatus, donec dispensatione obtenta, ordinem susceperit, ad cujus receptionem tenetur; & hoc modo non fiat, nisi in capitulo publice præstiterit juramentum, quod de obtinenda dicta dispensatione fecerit posse suum. (e)

XXI. Ordinamus præterea quod in crastino S. Lamberti fiat semper capitulum generale, ad quod omnes conveniant; & si non possit illo die quod agendum est expediri, continuetur, prout opus fuerit, ad dies con-

(a) Hic inseruntur in statutis Hugonis quæ sequuntur: *Capellani seu vicarii imperiales perpetuo in ecclesia residentes, suas semper ad majus altare faciant septimanas, nisi de præsenti sint ad celebrandum in alio altari ejusdem ecclesiæ, & nihilominus, cum necesse fuerit, in majori poterunt altari cantare. Quod si aliqui majoris Colonienſis ecclesiæ sacerdotes, Leodiensis ecclesiæ sint canonici, &c.*

(b) Statuta Hugonis addunt: *Secundum consuetudinem hactenus observatam.*

(c) Statuta Hugonis addunt: *Et etiam corporis grossæ præbendæ, & horarum.*

(d) Statuta Hugonis: *Decano & capitulo, vel saltem si secretum est, coram decano & duobus senioribus, &c.*

(e) Hic novum statutum Hugo inseruit: *Statuimus etiam quod nullus de cætero emancipetur, nisi infra annum ad subdiaconatus ordinem faciat se promoveri, &c. hac tenus.*

tinuos subsequentes, & quod fiet in illo capitulo quantum ad canonicos majores, sancti Materni & Parvæ-mensæ, firmum & stabile permanebit.

XXII. Legatur ibi annis singulis hæc nostra ordinatio, & servetur, reformentur spiritualia, & de censivis seu obedientiis, & de earum valore diligens computatio audiatur.

XXIII. Obedientiæ etiam concedantur ibidem, si aliquæ tunc fuerint concedendæ: aliis autem temporibus obedientiæ nulli dentur, nisi in capitulo certa die ad hoc specialiter assignata, quæ a die assignationis, spatium ad minus quindecim dierum contineat, ad quam etiam canonici qui sunt etiam in civitate & dioceſi convocentur.

XXIV. Sane obedientiæ nulli concedantur ad vitam, nec dentur canonico etiam nisi ad tres annos tantum, nisi aliquibus de obedientiis remotis, & inter nationes perversas positis, ex causa evidentissima, utili, & necessaria, consideratis personarum meritis, per quas dictæ obedientiæ melius regi possint, capitulum aliter duxerit disponendum.

XXIV. Jurabit autem canonicus præbendam recipiens, nihil omnino de obedientia alienare, nihil infeudare, nihil in emphiteosim ultra tempus suum dare. Et quod visitabit obedientiam bis in anno ad minus, custodiet & defendet suis sumptibus, nisi de *(a)* feudo vel proprietate sibi evidens quæstio moveretur. Jurabit etiam & dabit fidejussores idoneos, & bene justitiabiles, quod censum solvet diebus statutis; & si in ejus solutione defecerit, non admittatur in choro vel capitulo, & ei subtrahantur distributiones refectorii & horarum, *(b)* donec per eum vel fidejussores ejus fuerit exinde capitulo satisfactum plenarie, & in hoc remissio nulli fiat. Jurabit insuper canonicus quod obedientiam sic receptam in manu sua tenebit, nec concedet alii, *(c)* & quod in supradicto capitulo generali in scriptis referat capitulo valorem redituum & proventuum sic receptæ obedientiæ, & reditus ubi & in quibus existunt. Dicet etiam per juramentum tuum in prædicto capitulo, quantum habuerit inde lucrum. Porro quicquid lucratus fuerit, suum erit, & si amiserit, quibuscumque modis amittat, nihilominus integre solvet censam. Si vero esset guerra communis, sive pestilentia, vel alius casus excipiendus, *(d)* habeatur respectus lucri & damni, sicut jura volunt. & hæ obedientiæ plus offerenti concedantur, si offerens sit providus in solvendo, nisi forte multo minus debito offeratur, in quo casu, ne vilescat obedientia, capitulum ad manus suas eam retinere poterit, si viderit expedire. Aliter autem quam sub dicta cautela obedientiæ dictæ nullatenus concedantur, & cum aliquis obedientiam in morte vel in vita resignaverit, debet eam reddere liberam & absolutam.

XXV. Item, ordinamus ut annuatim in prædicto capitulo generali tres claves sigilli committantur tribus de capitulo fide dignis, ad hoc per capitulum eligendis hoc modo. Sacerdotes canonici ad hoc eligent unum canonicum sacerdotem; diaconi, unum diaconum, & subdiaconi unum subdiaconum. Quartam vero clavem servabit decanus, nisi ipse & capitulum in unam personam conveniant, cui dictæ clavis custodia committatur, & singulis annis personæ mutentur.

XXVI. Jurabunt autem qui dictas claves custodient, quod circa prædictarum clavium custodiam, fraudem aliquam non committant, unde ecclesia posset lædi, nec super contractibus concessione obedientiarum mutuis contrahendis, seu aliis negotiis quæ fiunt ad tempus, aliquas litteras sigillabunt, absque consensu capituli vel saltem majoris & sanioris partis ejusdem. Litteras autem super locationibus *(e)* & pensionibus numquam pro aliquo sigillabunt, absque consensu decani & totius capituli vel majoris & sanioris partis. & omnes litteræ sigillandæ legentur in capitulo hora debita, præsentibus canonicis qui tunc sunt in ecclesia residentibus.

Litteræ vero alienationem perpetuam continentes, numquam sigillentur, nisi de consensu superioris, decani & totius capituli, & cum solemnitatibus quas jura requirunt. Prædicti autem de clavibus ipsis facient copiam cum opus fuerit bona fide. Et si de civitate aliquis ex eis recesserit, clavem suam alicui canonico de suo ordine, cum consilio decani committat.

XXVII. Ordinamus præterea ut omnes libri ecclesiæ redigantur in scriptis, & eorum nomina singulis annis in supra dicto generali capitulo recitentur. Et hoc idem fiat de ornamentis ecclesiæ & thesauro, proviso ut & libri ecclesiæ & thesaurus semel in capitulo vel aliquibus deputatis a capitulo *(f)* ordinentur, & seriatur excommunicationis sententia per decanum auctoritate nostra, in omnes illos qui habent aliquid de thesauro, libris, ornamentis, cartis, seu privilegiis ecclesiæ, nisi restituant infra mensem. *(g)* Nec de cetero liber aliquis ecclesiæ, alicui etiam canonico concedatur, nisi sub bono pignore, vel saltem ab eo competenti memoriali recepto; & concessi repetantur, & rehabeantur infra mensem.

(a) *al.* Fundo.

(b) Hugo & *secundum consuetudines ecclesiæ imbannitus existat, & qualibet die sex denarios solvat, donec per eum vel fidejussores ejus, &c.*

(c) Statuta Hugonis addunt: *Sine scitu capituli & consensu. Porro quicquid lucratus fuerit, &c.*

(d) Statuta Hugonis addunt: *Secundum legem capituli fiat & ordinetur prout fieri consuevit.*

(e) Statuta Hugonis addunt: *Vel concessionibus ad tempus permutationibus & pensionibus.*

(f) *al. offendantur.*

(g) Statuta Hugonis addunt: *Et si aliqui ob hanc causam excommunicationis sententiam incurrerint, facta restitutioni, per decanum absolvantur. Nec de cetero, &c.*

XXVIII. Præcipimus autem quod provideatur ecclesiæ de casulis, dalmaticis, & tunicis, necnon albis, & ceteris ad missas celebrandas necessariis ornamentis. (a)

XXIX. Privilegia præterea & cartæ ecclesiæ in libro aliquo ordinata, cum suis titulis conscribantur & custodiantur, sicut consuetum est: proviso tamen, quod in locis talibus conserventur, quod nec confringantur sigilla, nec cartæ per injuriam putrefiant.

XXX. Ad custodiam autem tam privilegiorum quam cartarum, sive tangant episcopum solum, seu capitulum, sive utrosque, tam custos ecclesiæ, quam duo canonici honesti, ad hoc a capitulo deputati, diligenter intendant. Qui jurabunt ea servare fideliter, & quod inde facient copiam capitulo, de his quæ tangunt capitulum, & episcopo de his quæ tangunt episcopum, cum opus fuerit, bona fide, & hoc de scientia capituli semper fiet. Cum autem debuerit fieri copia alicujus privilegii seu cartæ, per duos ex eis qui ea custodiunt, vel saltem per unum fiet exinde ostensio, per quos vel per quem exinde facta copia ad thesaurum ecclesiæ, ut ibi custodiantur, fideliter referentur, sic enim omnia ad utilitatem ecclesiæ poterunt in posterum conservari.

XXXI. Omnes insuper reditus ecclesiæ & proventus, & ubi & in quibus consistant, in volumine publico conscribantur; & si aliquid accreverit, singulis annis in generali capitulo scriptura hujusmodi corrigatur.

XXXII. Si quis Leodiensis canonicus præbendam suam aut socii sui, sive in grossis fructibus, sive indistributionibus violenter acceperit, (b) denuncietur a decano excommunicatus. Qui si excommunicationem quam habet, per annum animo sustinuerit indurato, per episcopum privetur præbenda & aliis beneficiis quæ in eadem ecclesia obtinebat.

XXXIII. Acolythi & inferiores vocem in capitulo de cetero non habeant. Quod si aliquis eorum contra hanc nostram constitutionem temere se ingesserit, nisi monitus per decanum, a capitulo incontinenter recedat, (c) excommunicationem ipso facto incurrat. Cui dum in excommunicatione perstiterit, subtrahantur distributiones refectorii & horarum: eum tamen, si absolvi petierit, decanus auctoritate nostra, præstita satisfactione, absolvat. Hanc autem pœnam statuimus pro eo quod, sicut intelleximus, constistutionem a bonæ memoriæ domino Guidone Prænestino episcopo quondam apostolicæ sedis legato super hoc editam, non servabant, nec dignabantur ad sacros ordines se facere promoveri.

XXXIV. Item, statuimus quod nulli personæ duo personatus in ecclesia Leodiensi de cetero conferantur, & quod decanus sit sacerdos, vel saltem infra annum promoveatur in sacerdotem. Qui si tamen justum impedimentum & notum haberet, capitulum poterit ei annum alium, & non amplius, ex causis necessariis & evidentibus indulgere. Qui jurabit residentiam, & nullum alium tenere poterit personatum. (d)

XXXV. Item, cum constitutio Lateranensis concilii quæ incipit, *Omnes utriusque, &c.* plane præcipiat quod quilibet adultus semel in anno proprio sacerdoti secreto sua omnia confiteatur peccata, præcipimus quod omnes tam majores, quam alii de ecclesia, semel in anno confiteantur decano, vel saltem de ejus licentia certæ personæ, & hoc ex justa causa, prout dicit dicta constitutio, quam præcipimus modis omnibus observari.

XXXVI. Ordinarium fiat in ecclesia nocturnum & diurnum, in quo contineantur omnia seriatim, quæ per totum anni circulum dici debent, & fiant inde duo libri, ita quod in utroque per se totum ordinarium habeatur. Quorum unus ex una parte chori, & alius ex parte alia cum catena ligetur, ut quilibet possit aperte videre quid circa divinum officium quotidie sit agendum. In choro præterea hinc inde duo grossa psaltèria, duo grossa antiphonaria, & duo gradualia habeantur.

XXXVII. Statuimus ut canonici primo anno faciant per annum integrum continuam residentiam, & qui non fecerint residentiam, compellantur facere per subtractionem proventuum. Nec det decanus primo anno licentiam alicui, nisi per capitulum, & tunc ex juxta causa in capitulo probata, nec hoc primo anno fiat frequenter. Aliis autem annis similiter residebunt: verumtamen licentiam trium septimanarum tantum ut absens sit canonicus, rationabili causa interveniente, poterit conferre decanus. Quando vero post datam licentiam ad ecclesiam reversus fuerit, aliam similem licentiam non habebit, nisi sex septimanis elapsis, (e) præterquam si, necessitatem evidentem in capitulo ostenderet, & probaret. Plane si quis sine licentia recesserit, vel post datam licentiam ultra terminum moram fecerit, sine rationabili causa probata in capitulo, stipendio suo privabitur, & post reditum in clausto ponetur quamdiu capitulo placuerit, & hoc sine restitutione fructuum præcedentium, & omnibus horis quamdiu inclu-

(a) Hic novum hoc statutum ab Hugone insertum est: *Statuimus etiam propter penuriam capparum, ut canonici recepti, fructus prebende sue minime recipiant, quoad usque cappam clegralem de furvo contulerint ita bonam & honestam, quod eam induere valeant in solemnitatibus.*

(b) Statuta Hugonis addunt: *Si monitus a decano & capitulo infra quindenam non destiterit, & sic ablato restituerit, & satisfecerit, omnibus proventibus prebenda sua careat, neque ad tractatus ecclesie admittatur, usque ad emendatam satisfactionem. Acolythi & inferiores, &c.*

(c) Statuta Hugonis: *Recedat, penitentiam inflictam supra proxime receptoribus incurrat. Hanc autem pœnam, &c.*

(d) Hugo addit: *In ecclesia memorata.*

(e) Statuta Hugonis: *Capitulum tamen ultra istam licentiam aliam poterit indulgere licentiam, sicut hoc usque consuetum.*

sus fuerit, tenebitur interesse.

XXXVIII. Sententiæ decani & capituli inconcusse serventur, & a nemine nisi mediante juris tramite revocentur.

XXXIX. Ceterum quia, sicut intellexi-mus, in magna prima dominicali, & in psalmis familiaribus & lætania & collectis, quæ dicuntur post primam in quadragesima, & singulis diebus ad tertiam, necnon dominicis diebus ad processionem, magnus erat defectus, eo quod nihil percipiebatur in eis: statuimus & ordinamus, ut venientibus ad singula prædictorum, & usque ad finem perseverantibus, præter ea quæ consueverunt percipere, denarius unus detur, & diebus dominicis & festivis, ad processiones duo denarii tribuantur.

XL. De archidiaconis autem dicimus, quod nec in choro nec in capitulo locum teneant debitum dignitati, donec in diaconos fuerint ordinati; qui cum præsentes fuerint in ecclesia, suas de evangelio faciant septimanas. [a] (a) Qui nihilominus per medietatem anni in ecclesia residentiam faciant, & hanc jurent, nisi forte de episcopi licentia sint absentes. Si vero eos peregrinari, vel ad scholas velle ire contigerit, episcopus eis licentiam non poterit denegare. Cum autem in ecclesia servire debuerint & neglexerint, si capitulum eos super hoc convenerit, secundum antiquam consuetudinem judicio patrum suorum exinde parebunt. Porro cum suos archidiaconatus visitaverint, vel pro negotiis ecclesiæ absentes esse debuerint, unum vel duos de canonicis, si voluerint, de licentia decani assumant ad ipsos juvandos, seu ad consilium sibi dandum.

XLI. Præterea quia sicut intelleximus, ex multitudine clericorum passim chorum intrantium, divinum officium turbatur, potius quam juvetur; ordinamus ut nisi per cantorem, chorum de cetero nullus intret, exceptis clericis canonicorum, qui cum habitu honesto intrabunt, (b) [b] & tales eligantur per cantorem, qui honestum habitum habeant, & in aliquo chorum juvare sciant.

XLII. Chorus per duos canonicos servetur continue, sicut est in ecclesia ordinatum, & in solemnitatibus per cantorem & alios, sicut fieri consuevit.

XLIII. Denique quia multi occasionem prætendunt non veniendi de nocte ad ecclesias suas, vel consanguinecrum suorum inimicitias allegando, statuimus & præcipimus quod clausirum claudatur, si sine scandalo potest fieri, & fiant portæ in clausiro, & sint ibi duo custodes de nocte, sibi certo salario assignato. Provisio quod a pulsatione silentii, usque post Matutinas cantatas in hyeme, & in æstate usque ad diem, clausæ sint dictæ portæ; ne per occasiones hujusmodi divinum officium defraudetur.

XLIV. Diebus dominicis quando imminet processio fienda, fiat aqua benedicta in choro solemniter per septimanarium ante processionem, diacono & subdiacono præsentibus, & sic parati ad processionem incedant; decani, præpositi, archidiaconi, scholastici, & cantores. Debitam residentiam in ecclesia faciant, & tam ipsi quam alii omnes vadant ad negotia procuranda, cum a decano & capitulo fuerint requisiti, quibus decentes dentur expensæ secundum qualitatem personarum.

XLV. Ministeriales & officiales ecclesiæ ministeria sua faciant per se, non per vicarios, diligenter, ad quæ nocte & die parati existant, in ecclesia jaceant, qui ex officio sibi commisso tenentur. Discretis viris & fidelibus & utilibus & habilibus committantur ista officia, inutilibus inde amotis per decanum & capitulum infra mensem.

XLVI. Bona ad distributiones horarum ordinata & statuta, & omnia quæ supervenium, vel abundaverint, ad nullos alios usus, quam ad horarum distributiones convertantur, & nihil corporibus præbendarum accrescat, (c) cum ex hoc ecclesiæ servitium & cultus augmentetur divinus. [c]

XLVII. Hæc autem quæ dicimus de canonicis majoris ecclesiæ, dicimus de canonicis S. Materni & Parvæ mensæ & aliis beneficiatis ecclesiæ, præsertim quantum ad servitium ecclesiæ, distributiones denariorum pro horis, & ad faciendam residentiam ad quam tenetur. (d) [d]

XLVIII. Item, statuimus & præcipimus & ordinamus, quod quolibet anno in capitulo generali, quod ordinavimus fieri in crastino beati Lamberti, eligantur de capitulo tres fide digni, qui inquirent de vita & conversatione canonicorum beati Lamberti, S. Materni, & Parvæ mensæ, & capellanorum, & vicariorum, & clericorum de ecclesia, præsertim de quibus est scandalum & infamia; & quod invenerint, portent ad capitulum, & tunc decanus & capitulum corrigant quæ corrigenda invenerint, secundum qualitatem delictorum.

(a) Scatura Hugonis: *Per se vel per aliquos, scilicet canonicos S. Materni, & Parvæ-mensæ, qui requisiti ab archidiaconis & aliis diaconis & subdiaconis ad debitum officium tenebuntur; quod si neluerint, per decanum corrigantur. Ipsi vero archidiaconi per medietatem anni in ecclesia residentiam faciant, & hanc jurent, nisi forte de episcopi licentia sint absentes. Præterea sicut intelleximus ex multitudine, &c.*

(b) Reliqua hujus statuti omisit Hugo.

(c) Hæc sequens linea ab Hugone prætermissa.

(d) Apud Hugonem hæc statuta immediate sequuntur: *Statuimus præter hæc, quod omnes capellani majoris ecclesiæ, quolibet die missam celebrent ad altaria sua. Et si cui non fuerit altare specialiter deputatum, ad altare sui fuci celebrent, nisi tamen canonicam habuerit impedimentum, ita quod omnes missæ capellanorum eorumdem sint ante primam celebratæ.*

Statuimus etiam ut canonici secundariorum ecclesiarum ecclesiæ majori debitum servitium impendant in solemnitatibus, secundum ordinationem factam inter ipsas ecclesias & ecclesiam majorem. Statuimus insuper & mandamus ut annuatim, &c.

XLIX. Statuimus, insuper & mandamus ut annuatim in festo omnium sanctorum finitis vesperis de die, omnes campanæ pulsentur, & vesperæ pro mortuis cantentur, & nocte sequenti matutinæ, (a) & in crastino ejusdem festi missa pro mortuis, sicut in festis præcipuis & solemnitatibus celebretur.

Has autem nostras constitutiones præcipimus inviolabiliter * in cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari.

*sicut observatis.

Datum Leodii v. idus Novembris, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo.

SATUTA ECCLESIÆ LEODIENSIS

facta anno Domini MCCCXXXVI. & XXXVII. diversos articulos continentia registrata in libro secundo cartarum ejusdem ecclesiæ sub numero LXXXVI.

Ex mſ. clarissimi viri domini baronis de Crassier.

UNiversis tam præsentibus quam futuris, vicedecanus & capitulum ecclesiæ Leodiensis, salutem & tenere in domino unanimem caritatem.

Cum propter varietates temporum ac mutationes personarum, interventionem cum eisdem sequentibus procellis fluctuantium temporum, partim negligentia, partim oblivionis culpa, venerandis moribus & statutis prædictæ nostræ ecclesiæ nonnulla detraxerunt, & quædam permiserunt in quibusdam succrescere vitia extirpanda. igitur salubri & matura deliberatione hujus præsentis generalis capituli circa hæc prohibita per modum qui sequitur duximus reformanda ut reperitur negligentia obmissa, & subjungere aliqua noviter ordinata, quæ perpetuis temporibus saluti animarum & honori ecclesiæ sæpedictæ dinoscuntur profutura.

I. In primis nonnullorum ineptam refrænantes lasciviam, renovamus statutum canonibus & exemplis sacrorum patrum roboratum, ut omnes canonici ac beneficiati ecclesiæ supradictæ, & clerici ipsius chorum frequentantes, tonsuras capillorum & barbarum, & rasuras coronarum decentes ordini ac gradui singulorum competentes deferant: nec chorum intrare præsumat, qui neglector aut contemtor fuerit præmissorum, donec tonsuram & coronam resumserit, ut præ-
E tactum est, competentes.

II. Similiter persuademus & exhortamur omnes in domino pariter & ordinamus, ut omnes prædicti canonici beneficiari & clerici, præcipue, prout ipsi sunt, in dignioribus gradibus constituti, amota curiositate & indecenti habitudine vestium, honestas vestes deferant clericales, quæ nec in brevitate, nec strictudine, aut alias quavis intemperata & otiosa novitate reprehensibiles valeant denotari, sed tales, quibus prælatio, dignitas, grædus & ordo cujuslibet valeat notari, & discerni a laïcis, ac pariter venerari. Et ne quid omissum aut neglectum super hac exhortatione aut ordinatione videatur, præcipimus & ordinamus, ut in caligis & sotularibus ac in aliis circa vestes & calciamenta insertis, aut incestis apparatibus, superfluis, ut penitus ecclesiasticis viris indecentibus modum teneant temperatum, ut signanter dum incedunt, & publice conversantur inter sæculares & laïcos, clericalis gloria & honor magnificus hujus ecclesiæ in gestu & habitu singulorum prædicentur; & etiam ab aliis laicis sæcularibus & plebeis hominibus discernantur.

III. Ordinamus etiam ad Dei & gloriosissimi Lamberti martyris patroni nostri reverentiam, quod de cetero claves feretri seu capsæ ejusdem martyris per duos presbyteros hujus ecclesiæ beneficiatos, vel ad hoc per capitulum assignatos, vita & conversatione honestos, discretos & idoneos custodiantur, qui cum reverentia ferctrum prædictum intus & exterius tractent, claudant, & aperiant, cum decens sit ac debitum, ut sacris manibus & honestioribus custodibus tam sacrum & pretiosum, venerandumque corpus tractetur, exornetur, & custodiatur, quod huc usque negligenter per infimiores, & minus idoneos fieri est permissum. Quod si ambo, aut alter custodum essent impediti, aut impeditus, substituant sibi presbyterum vel diaconum, qui illa hora vel illa die & non ultra, vices eorum supplere valeat in præmissis. Et si ob devotionem alicujus devotæ
D personæ seu magnificæ, & honorem, contingat sacrum feretrum aperiri, ut videntibus major devotio accrescat, & pretioso martyri condigna reverentia exhibeatur, a duobus presbyteris cappis sericis indutis, accensis duobus cereis, theca ipsa aperiatur, & flexis genibus dicatur *Confiteor* cum absolutione *Misereatur*, & quamdiu reclaudatur cum voce canora vel submissa, sicut tempus patietur, aliquod responsorium, vel antiphona ipsius martyris dicatur cum collecta.

IV. Insuper pia consideratione & rationabili debito excitati, statuimus & ordinamus,
E ut bono confessori & doctori egregio beato Bernardo abbati, qui sua præsentia dum viveret, sanctam ecclesiam, urbem & patriam Leodiensem in missarum solemniis, & crebris prædicationibus, divinis ac admirandis signis & miraculis illustravit, sicut in historiis nostris dinoscimus contineri, specialis devo-

(a) Hugo addit: *Has autem nostras constitutiones præcipimus inviolabiliter observari. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Leodii decimo Kal. Novembris, pontificatus domini Innocentii papæ IV. anno decimo.*

tio & aliqualis pro tantis donis recompensatio eidem confessori glorioso singulis annis in ejus festivitate reddantur, videlicet ut festum ipsius cum tribus lectionibus de propria ejus legenda & collecta speciali cum *Te Deum* & horis ac missa de communi unius confessoris non pontificis, in hac ecclesia celebretur.

V. Ordinamus insuper pari & eadem consideratione inducti, ut cum omnia quæ pro ecclesia temporaliter suscipimus, ex largitione piorum fidelium, & pro redemtione eorum peccaminum suscipiamus, dignum est saltem, ut quod quotidianis diebus minus eisdem defunctis impendimus, in eorum generali & solemni anniversario perfectius atque solemnius impendamus. Idcirco statuimus & ordinamus observandum perpetuis temporibus, ut vigilia animarum, quæ agitur in die omnium sanctorum, cum toto officio sequentis diei defunctorum, solemniter sicut festum duplex celebretur. Chorus in ipsa vigilia, & laudibus, & missa a duobus regatur, luminare pertinens ad festa duplicia accendatur, *Venite* & lectiones secundi & tertii nocturni a canonicis majoribus, si tot sint ad hoc dispositi, dicantur, aut saltem tres ultimæ lectiones. Responsoria a duobus cantentur, eo modo quo in duplicibus festis fieri est consuetum, fiatque processio cum cruce, cereis, & thuribulis, & aqua benedicta per ecclesiam, & circa interius clausttum, cantando responsoria per ordinem, donec in choro processio revertatur. In quo fiet commendatio in medio conventu, & solemniter peragetur.

VI. Ordinamus & statuimus insuper, ut custodes & matriculatii ad servitium hujus ecclesiæ continuum constituti, & pro tempore instituendi, sint clerici & habitu cleri utentes, ætatis & honestæ conversationis, qui possint & valeant mature & continue in suis officiis deservire in propriis personis, & non per subst itutos, nisi legitimo impedimento, facta fide de eodem, sub thesaurariis essent impediti. Qui quidem supradicti singulis noctibus debita hora ingredientes ecclesiam, in eadem dormiant, excubias debitas circa eam faciant, luminaria debite accendant, & hæc & alia ministrent & impleant. Matutinas & horas debitas horis debitis & cum morositate debita pulsent, libros reportent horis consuetis, & apportent, & ipsos munde custodiant. Altare parent, ecclesiam frequentent & chorum continue, sicut in libro officiorum continetur. Alioqui a suis officiis submoveantur, qui residere & in propria persona servire noluerint ut tenentur.

VII. Ordinamus etiam ne plura officia prædictorum officiorum vel aliorum officiorum ministralium ecclesiæ conf. . . . . uni personæ remittantur: sed singuli singula officia & ministeria administrent, ne numero debito servitorum suorum ecclesia, sub quocumque colore quæsito, privetur.

VIII. Ordinamus etiam & quod diu ordinatum est, & observatum plenius antiquis temporibus renovamus, desidiam & negligentiam beneficiatorum hujus ecclesiæ reprimentes, ut omnes & singuli canonici S. Materni & Parva-mensæ, & capellani perpetui hujus ecclesiæ, qui ad residentiam continuam faciendam in ista ecclesia sunt astricti, & ad continuum officium nocturnum & diurnum hujus ecclesiæ, cantando, legendo & psallendo dignoscuntur obligati, sine intermissione a modo chorum frequentare, & in matutinis horis, missis & vesperis quotidie studeant interesse. Ipsi vero canonici S. Materni & Parvæ-mensæ supradicti, qui ad supplendum defectus canonicorum majorum dignoscuntur instituti, in horis supradictis, & præcipue in tribus principalibus, scilicet matutinis, missa, & vesperis intersint vigilanter; cum frequenter propter negotia ecclesiæ urgentia oporteat prædictos majores canonicos abesse, & circa plurima pro publicis ecclesiæ & patriæ negotiis insudare. Nec valeant ipsi minores canonici supradicti, se excusare a præmissis aliquibus consuetudine vel statuto in contrarium per ipsos ordinatis. Quin imo cum ipsi statuendi aliquid sine licentia & auctoritate nostri capituli minime habeant potestatem, statutum aut ordinationem factum vel factam per eos quominus in singulis horis supradictis interesse teneantur, aut quod si non veniant ad horas prædictas nec intersint in eisdem, nihil perdant, nullum & nullam fore decrevimus, & ea quassamus, & irritamus omnino. Prohibentes eisdem ne de cetero hujusmodi quassatis & irritatis statutis & consuetudinibus uti, nec similia inter se in posterum ordinare præsumant. Abolentes quorumdam ipsorum aut fere omnium abusum per eos inductum, ut videlicet, cum sint in sufficienti numero, in presbyteratus, diaconatus & subdiaconatus ordinibus specialiter, ut quilibet in suo ordine deserviat assignato, ut nullus ipsorum prædictorum minorum canonicorum, qui servient in majori altari in una missarum, in illa die in altera non serviat. Sed novi in qualibet missa ministri assumantur, ad missæ illius officium celebrandum. Capellani vero promoti in presbyteros, jugiter missas altaribus suis debitas celebrent. Et qui promoti non sunt, quantocius ordinatoris habere poterint facultatem, se faciant promoveri. Interim per idoneos capellanos, quos præsentare tenentur decano vel vicedecano, faciant vice sua missas altaribus suis debitas, celebrari.

IX. Et ut in omnibus præmissis prædicti canonici minores & capellani in hac ecclesia beneficiati observandis arctentur, ne ad solitas negligentias, quas contra hoc sæpius incurrerunt, redeant & maneant incorrecti,

deputabitur certus cuſtos, qui pro labore ſuo quinque ſolidos graves de burſa capituli per annum recipiet. Qui quidem defectus ſingulorum in horis deficientium, & miſſas debitas non celebrantium ſingulis diebus in tabella annotabit, & defectuoſos hujuſmodi ad minus ſemel in hebdomada fideliter decano vel vicedecano reportabit. Et præſtabit idem cuſtos juramentum, quod pro poſſe amotis favore & precibus ac timore cujuſcumque, dictum officium, ut prædictum eſt, exercebit.

X. Approbamus inſuper & renovamus, & ne negligatur, diligentius obſervari ordinamus, ut ſtatutum generalis capituli ſub anno Domini MCCCXXXIII. celebrati, facientis mentionem de horis canonicis, & ſtipendiis quotidianis percipiendis ab illis qui legitime horis prædictis inſiſtunt, ac de aliis utilitatibus tam ad divinum cultum, quam ad proviſionem temporalem negotiorum pertinentibus, cum diligenti & ſalubri ſollicitudine promulgatum perpetuis temporibus obſervetur, & a nullo infringatur. Et ne de negligentia ſe valeant excuſare omnes quos tangit prædictum ſtatutum, apud computatores & granatores majores & minores, & horarum & anniverſariorum cuſtodes, ad quos maxime pertinet prædictum ſtatutum ſervare, & jurare ut per capitulum & ſingulos de capitulo obſervetur, maneat copia ejuſdem ſtatuti ſupradicti, & ſub præſtito juramento, & animarum ſuarum periculo nulli def....., rimore, precibus vel favore ſuper quotidianis diſtributionibus & anniverſariis, & aliis ſtipendiis, inter lucrantes & non lucrantes eamdem legitime, juxta tenorem prædicti ſtatuti debitam, ſingulis aſſignent & reddant portionem.

XI. Inſuper cum anno Domini MCCCXXXVI. in capitulo generali quædam ordinatio facta fuiſſet ſuper moderatione canonicorum & ſerculorum, & declaratione vigiliarum feſtorum majorum, & quorumdam aliorum circa hæc, pro reprimenda confuſione conviviorum & convivantium; quæ quidem ordinatio obſcura & perplexa nonnullis videbatur; eamdem ordinationem auctoritate prædicti præſentis capituli generalis declaramus, ſupplemus, & emendamus eo modo, quo in littera declarationem & ſuppletionem & emendationem in hac parte continente, dignoſcitur contineri: quam litteram affigi volumus cum ordinatione prædicta, & noſtro ſigillo, ad cauſas ſigillari ſub data hujus præſentis dici.

XII. Ordinamus etiam ad vitandam importunitatem non modicum oneroſam, & frequenter quibuſdam odioſam, ut nullus noſter canonicus hobiſcum reſidentiam faciens, mimis, hiſtrionibus, joculatoribus, aut nuntiis ſeu perſonis eiſdem miſſis pro militia vel nuptiis alicujus iſtius diœceſis, munus quodcumque largiatur, quocumque colore quæſito. Quod ſi quis fecerit, tranſgreſſor hujus ſtatuti denotetur, & arbitrio capituli ſe noverit puniendum.

Et ut hæc omnia & ſingula ſuperius ordinata perpetuis temporibus maneant illibata, his præſentibus litteris duximus noſtrum ſigillum ad cauſas apponi & appendi.

Acta ſunt hæc in capitulo noſtro generali in craſtino S. Lamberti, anno Domini MCCC. XXXVI. cum diebus ſequentibus celebrato.

Et ut præmiſſa ſtatuta & ordinata firmius obſerventur, & in memoria perpetua perſeverent, relecta fuerunt & approbata in noſtro capitulo generali celebrato anno Domini MCCCXXXVII. in craſtino S. Lamberti.

CLAUSULÆ EXTRACTÆ ex ſtatutis eccleſiæ Leodienſis, factis anno MCCCLVIII.

Ex libro cartarum eccleſiæ Leodienſis eruit dominus de Craſſier.

I. STatuimus, quod qui altare aliquod ſeu capellaniam vel beneficium in eccleſia noſtra de voluntate capituli conſtituere vel fundare voluerit, dummodo iſtud altare vel capellania valorem XXX. modiorum ſpeltæ habeat, occaſione hujuſmodi fundationis, aliquid amplius, niſi velit, legare minime teneatur.

II. Item, nullus clericus in eccleſia noſtra non beneficiatus, pro clerico chorali a modo habeatur vel defendatur, niſi fuerit familiaris domeſticus alicujus canonici, vel officium habens in eccleſia, aut ſcholaris chorum frequentans, quem magiſter habeat ſub ſuo regimine ſive virga, vel niſi aliquis ex notitia ſpeciali, ſuis meritis exigentibus, chorum frequentans, ad hoc ex patientia dominorum, nemine contradicente, ſive ex gratia capituli ſit admiſſus.

III. Item, ſtatuimus & prohibemus, ne aliquis laïcus vel clericus vinum in clauſtro noſtro vendat; ſed ſi aliquis ex canonicis ex proviſione domus ſuæ veriſimiliter per eum abſque fraude habita ſive facta habeat, quod ſibi excreverat vel creſcat, quod vendere voluerit, hoc poterit, dum tamen hoc non faciat adinitar tabernæ, ſeu ad clamorem publicum, vel ad ſignum, vel quod potatores ad hoc publice confedeant, ne tabernam publicam in domo ſua videatur, vel dicatur habere. Qui contrarium fecerit, unam hamam vini ſic venalis de ſingulis carratis quas ſic vendiderit, ſolvat, capitulo applicandam.

IV. Item, dum in choro divina officia celebrantur, nullus beneficiatus eccleſiæ interim in ipſo choro cum ſocio vel ſine ſocio horas dicendo libros chorales occupare præſumat, ſed cum aliis pſallendo & legendo officio divino diligenter intendat; & qui hoc minus diligenter fecerint, corrigantur. Nec

interim circa altare laïcos ſive clericos illuc trahendo, & cum eis confabulando vel tractando in conſpectu conventus in choro conſiſtentis irreverenter diſcurrat, nec tunc quando in altari divina celebrantur. Si canonici in capitulo quod eſt retro altare fuerint occupati, clerici eorum, ſeu alii retro & circa altare ſe conferant, nec aliquatenus ibidem congregentur, ſed maneant in choro, donec dominos eorumdem de capitulo exire contingat. In præmiſſis vero delinquentes decanus vel viredecanus corrigat, prout ſibi videbitur expedire.

V. Item, ſicut canonicos ſecundatiarum eccleſiarum & alios extraneos reprehendimus, prout hoc facere poſſumus, & debemus, ſi in eccleſia noſtra quando celebrantur divina, ſine ſuperpellicio compareant, ſic multo fortius in noſtris beneficiatis hoc tenebimur obſervare. Ea propter præcipimus, ut omnes beneficiati eccleſiæ noſtræ, poſtquam ad officium pulſatum fuerit, præſertim de die, nullo modo ſine ſuperpelliciis in eccleſia compareant, ſed de hoſpitiis ſuis induti ſuperpelliciis ad eccleſiam veniant, nec ea in eccleſia recipiant, prout aliqui facere conſueverunt. Nec verecundentur cum ſuperpelliciis ſuis induti, de hoſpitiis ſuis ad eccleſiam tranſire, cum majores eorum hoc faciant, nec interim quando divina celebrantur, per eccleſiam vagando diſcurrant, vel tractatibus aut confabulationibus intendant, niſi habeant aliqua neceſſaria & honeſta facere, quibus expeditis, ad divinum officium quanto citius revertantur. Qui contra præmiſſa attentaverint, corrigantur.

VI. Item, cum pulſationem campanarum pro funeribus, quibus illa de conſuetudine eccleſiæ aliàs non debetur, nulla inter benemeritos & minus meritos conſideratione habita, importunitas multorum petentium nimis indifferenter & communiter hactenus obtinere conſueverit, per quod contingit dictam pulſationem parvipendi, quæ ſic indifferenter conceditur. Nos conſiderantes, præmiſſis & aliis cauſis quæ nos movent, indemnitati eccleſiæ noſtræ in quantum poſſumus præcavendo, indiſcretam illam pulſationem & nimis continuam reſtringere cupientes, ſtatuimus ut hujuſmodi pulſatio pro funeribus, quibus ipſa, ut prædictum eſt, de conſuetudine eccleſiæ aliàs non debetur, de cetero nullatenus concedatur, niſi, prout in eccleſia Colonienſi, & in pluribus aliis noſtræ & aliarum civitatum & diœceſis eccleſiis, ſicut intelleximus, fieri eſt conſuetum, emolumentum aliquod eccleſiæ noſtræ inde proveniat, videlicet ut defunctus, aut ipſius ultimæ voluntatis executores vel amici, pro ipſius animæ ſalute in eleemoſynam conferant fabricæ eccleſiæ noſtræ quadraginta ſolidos bonæ monetæ. Sed & de ſalario cum matricularïis conveniant, ſicut voluerint & potuerint cum eiſdem. Perſonæ autem quibus de conſuetudine debetur hujuſmodi funeralis campanarum pulſatio, ſunt hæ quæ ſequuntur, videlicet: prælati & canonici eccleſiæ, ac alii beneficiati. Item, clerici in eccleſia officia tenentes. Item, clerici ad chorum intromiſſi. chorum frequentantes. Item, ſcholares ſub magiſtri regimine conſiſtentes. Item, clerici & laïci exiſtentes de familia hoſpitis vel conventu dominorum epiſcopi & canonicorum. Item, feodales eccleſiæ & uxores eorum. Item, debetur & præter prædictas perſonas hujuſmodi pulſatio illis qui beneficia aliqua in noſtra fundant eccleſia, & illis qui aliqua anniverſaria in ipſa conſtituunt, vel aliquod legatum nobile legant, dum tamen legatum hoc vel anniverſarium decem ſolidos bene annui reditus valorem attingat.

VII. Item, quod feretrum beati Lamberti aperiatur cum reverentia in ſingulis miſſis ſpecialibus & proceſſionibus generalibus, quando tortitia feruntur, & hoc fiat de cetero per vicethеſaurarium cum ſuperpellicio & ſtola, & cum tortitiis accenſis, aſſiſtentibus illis qui talia facere conſueverunt.

VIII. Item, ſtatuimus quod quando, ſecundum conſuetudinem noſtram, in aliqua eccleſiarum ſeu monaſteriorum Leodienſium exequiis alicujus funeris, cum conventuali proceſſione noſtra, nos intereſſe contigerit, ſi funus hoc poſt miſſam ab illa eccleſia ſeu monaſterio alibi ſepeliendum tranſportetur, illuc ire cum proceſſione noſtra non tenebimur, nec debemus.

IX. Item, ne per aliqua dona vel ſecreta ſervitia communis utilitas defraudetur, ſtatuimus, & omnes & ſinguli promittimus ſub juramento noſtro eccleſiæ præſtito, quod nullus noſtrum de cetero recipiet, ſeu ad opus ſuum recipi per alium ſuſtinebit mercedem vel munera, in præjudicium vel gravamen eccleſiæ, ſeu communis utilitatis capituli, pro negotiis cenſariorum noſtrorum, vel aliorum quorumcumque, commune factum eccleſiæ vel profectum tangentibus, in capitulo vel extra capitulum expediendis aut promovendis, vel pro noſtrorum debitorum ſolutionibus retardandis; & quicumque in his deprehenſus fuerit deliquiſſe, valorem muneris quod recepit quadruplum fabricæ eccleſiæ noſtræ Leodienſis ſolvere teneatur, & per duos menſes ab ingreſſu capituli, ſeu tractatu privatus maneat & ſuſpenſus. Proviſores quoque fabricæ noſtræ in ſua inſtitutione promittent ut ſupra.

X. Item, ſtatutum ſcriptum in libro cartarum de defectibus debitorum, ſingulis menſibus feſtum purificationis immediate ſequentibus, & etiam in fine anni in ſcriptis ad capitulum reportandis, per computatores noſtros volumus & præcipimus obſervari.

STATUTA

STATUTA ECCLESIÆ LEODIENSIS facta anno Domini MCCCLII.

Ex mſ. clariſſimi viri domini baronis du Craſſier.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis vicedecanus & capitulum Leodienſe ſalutem & notitiam veritatis.

Noverint univerſi, quod nos anno Domini MCCCLII. in craſtino beati Lamberti martyris, in generali noſtro capitulo cum continuatione dierum ſequentium congregati, ſtatuta fecimus quæ ſequuntur.

I. Primo, cum proceſſus executorii, qui virtute litterarum apoſtolicarum, quæ ſuper gratiis beneficialibus impetrantur, ſecundum eorumdem proceſſuum formam conſuetam, ad recipiendum eos quibus dictæ gratiæ conceduntur, terminum ſex dierum conſueverint indulgere, ne eorumdem impetrantium repentina ſeu inconſulta receptio domino noſtro epiſcopo Leodienſi, nobis, & aliis quorum intereſt, ad quorum collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu aliam quamcumque diſpoſitionem, dignitates, perſonatus, officia ſeu alia quævis beneficia in eccleſia noſtra jure ordinario pertinere noſcuntur, præjudicium aliquod valeat generare; ordinandum duximus, & præſentibus ſtatuendum, quod nos poſtquam litteræ apoſtolicæ, & earum proceſſus ſuper hujuſmodi gratiis quibuſcumque in capitulo noſtro fuerint publicatæ, & copiæ eorum traditæ, termino nobis per ipſos proceſſus conceſſo, de cetero ſic utamur, ut ante penultimam monitionis diem, ad preces vel inſtantias cujuſcumque non recipiamus aliquem, vel aliquatenus non admittamus, non obſtante ſi dicatur, vel ſperetur quod nullus eſſe debeat contradictor.

II. Item, cum ſicut intelleximus, & experientia didicimus, teſtamentorum ſeu ultimarum voluntatum executores, nonnumquam circa executionem eorumdem nimis ſe habeant negligenter, propter quod teſtatorum voluntates, quas tam divinæ quam humanæ leges præcipiunt adimpleri, ad effectum minime perducuntur, & exinde animæ teſtatorum miſerabiliter defraudantur. Nos igitur hujuſmodi negligentiæ periculis, in quantum de jure poſſumus & debemus, intendentes congruis remediis obviare, ut quemadmodum ſecundum antiquiſſimam eccleſiæ noſtræ conſuetudinem eſt ſtatutum, ſi concanonicorum noſtrorum quiſpiam inteſtatus decedat, de ejuſdem canonici rebus & bonis ad nos devolvitur pro ſalute animæ ſuæ ordinandi poteſtas, cum fides fraterna fallere non debeat. Domino inſpirante. Eodem modo non immerito debemus attendere & curare, ut ipſorum fratrum noſtrorum & ſubditorum in eccleſia noſtra ſervientium facta per eos teſtamenta ſeu ultimæ voluntates per executorum ſuorum negligentiam debito non fraudentur effectu. Eapropter ſtatuendum duximus, & præſentibus ordinandum, ut noſtrorum concanonicorum & eccleſiæ noſtræ capellanorum & beneficiatorum nobis ſubditorum executiones teſtamentorum, ſeu ultimarum voluntatum, poſt obitum teſtatoris cujuſlibet eorumdem, ſtatim anno lapſo cum ipſo teſtamento & inventario rerum & bonorum teſtatorum ſe offerre & comparere in capitulo teneantur, de executione teſtamenti, & de his quæ ad hoc pertinent rationem capitulo reddituri.

III. Item, licet canonici S. Materni & Parvæ-menſæ, necnon imperiales & epiſcopales capellani, & alii eccleſiæ noſtræ altarium capellani, ad hoc ſint in ipſa eccleſia noſtra inſtituti, ut in horis & officiis noctur-nis & diurnis legendo & cantando teneantur ſervire, & noſtrum ſupplere defectum, dum circa alia eccleſiæ negotia occupamur. Contingit tamen quandoque, quod ex ipſis aliqui, quibus providetur de aliquibus beneficiis ſupradictis, penitus ſunt inhabiles & inutiles ad præmiſſa. Nos igitur ſuper hac neceſſitate eccleſiæ noſtræ & utilitate de opportuno remedio providere volentes, ſtatuimus & ordinamus, ut ex prædictis canonicis S. Materni & Parvæ-menſæ ſeu capellanis, quibus per nos contingit provideri, vel qui nobis ab aliis ad prædictas præbendas ſeu beneficia fuerint præſentati, de cetero nullatenus aliquem admittamus, niſi prius, prout olim fuit conſuetum, examinati in cantu & in lectura idonei ſint reperti.

STATUTA SYNODALIA eccleſiæ Reatinæ.

Ex mſ. codice bibliothecæ regiæ.

IN nomine Domini. Amen. Quam periculoſum ſit & tremendum paſtoralis officii dignitate fungentibus, quam ſic oneroſa cura regiminis gregis dominici & adminiſtratio in prælatione ſibi commiſſa . . . . . militet quia divina majeſtas extra injungit & præcipit ea quæ pro ſalute humani generis ſolus. . . . . regimini eccleſiæ Reatinæ curis ſollicitamur continuis tamen ut juxta traditæ nobis diſpenſationis officium ſubdit. . . . . proſperitate utique proſperum jugiter quantum nobis. . . . . dio intendamus. . . . . quiete labore, & ut ſcandala quantum in nobis eſt removeantur ab ipſis. . . . . tranſimus inſomnes. Sane cum per prædeceſſores noſtros bonæ . . . . . conſtitutiones editæ, quos pro utilitate com-

munì. . . . . A
abbreviatis aliquibus in totum vel in partem . . . . . & detractionibus factis prout expediæ vidimus in. . . . noſtrorum quietem multa ſtatuuntur ſalubriter. . . . . ad laudem & reverentiam omnipotentis Dei, honorem Virginis glorioſæ omniumque ſanctorum, ad reverentiam & honorem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac ſanctiſſimi patris & domini N. papæ, & in reverendorum patrum dominorum cardinalium, ad doctrinam & ſanctam informationem & honeſtam & condignam reformationem omnium ſubditorum noſtrorum, potiſſime prælatorum, cunctorumque rectorum, ſeu capitulorum,* quibus fuerit animarum cura commiſſa, ceterorumque clericorum fecerimus, edi mandavimus ac etiam publicari, in virtute ſanctæ obedientiæ tam prælatis, quam clericis omnibus & ſingulis injungentes, ut infra ſcriptas conſtitutiones omnes & ſingulas diligenter obſervent, & nihilominus ipſarum conſtitutionum tranſgreſſores pœnas temporales & ſpirituales volumus quod incurrant, quas in conſtitutionibus ipſis mandavimus annectendas, interpretatione, adjectione, correctione, & declaratione ipſarum noſtræ diſpoſitionis & ordinationis arbitrio reſervatis.

* Scapellatorum.

I. De immunitate eccleſiarum.

Frequens & aſſidua nos querela ſollicitat & invitat, ut laïcorum abuſibus perverſorum, dolis & fraudibus, qui non contenti, eccleſias & perſonas eccleſiaſticas tot oneribus, collectis, talliis & exactionibus inceſſanter aggravare nituntur, opportunis remediis occurramus: qui nec prudenter attendunt, quam grave crimen incurrant, & ſuarum periculum animarum. Prælatis eccleſiæ & perſonis eccleſiaſticis tallias & collectas, gravia plurima inferunt. ab ipſis ſuorum redituum & proventuum vel bonorum dimidiam decimam, ſeu viceſimam, vel quamvis aliam portionem, quantitatem aut quotam exigunt & extorquent ſub adjutorii, mutui, ſubventionis, vel doni nomine, ſeu quovis alio titulo, modo, vel quæſito colore, eoſque ſuæ ſubjicere ſervituti & ſuæ ditioni ſubmittere multifarie moliuntur. Cui morbo ſanctiſſimus pater & dominus, dominus N. papa condignam & celebrem prægogitans adhibere medelam, pia conſideratione, de ſuorum fratrum conſilio, irrefragabiliter ſtatuit, ut univerſi & ſinguli, ſive imperatores, reges, principes, duces, comites, barones, poteſtates, capitanei, officiales vel rectores, quocumque nomine cenſeantur, caſtrorum, ſeu quorumcumque locorum conſtitutorum, vel quicumque alii præſidentes, cujuſcumque fuerint præeminentiæ, conditionis & ſtatus, vel quacumque alia dignitate ſuffulti, qui talia impoſuerint, exegerint, vel receperint, vel in prædictis dederint auxilium, conſilium & favorem, publice vel occulte, ipſo facto, ſententiam excommunicationis incurrant. Univerſitates quoque, quæ in ipſis culpabiles fuerint, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto: a quibus excommunicationis & interdicti ſententiis nullus abſolvi valeat, præter quam in mortis articulo, abſque apoſtolicæ ſedis auctoritate & licentia ſpeciali, prout in conſtitutionibus dicti domini noſtri BONIFACII plenius continetur. Sed quia utilitas nulla vel modica proveniret ex hujuſmodi conſtitutione ſic provide promulgata, niſi ſit qui eam faceret obſervari, ſub pœna privationis officii & beneficii mandamus auctoritate prædictæ conſtitutionis & noſtræ, univerſis & ſingulis abbatibus, præpoſitis, archipreſbyteris, & aliis eccleſiarum rectoribus, & prælatis, ac clericis & perſonis eccleſiaſticis univerſis, quatenus prædicti domini noſtri Bonifacii ſummi pontificis conſtitutiones in eorum eccleſiis obſervent, & faciant obſervari, nec talibus abſque ſedis apoſtolicæ licentia ullatenus acquieſcant, quocumque prætextu cujuſcumque obligationis, promiſſionis, conceſſionis factarum hactenus, vel faciendarum inantea, priuſquam prædicti domini noſtri Bonifacii & iſtius conſtitutio, prohibitio, vel præceptum ad ipſorum notitiam pervenerint, voluntarie nihil ſolvant, niſi coacti timore ducti. Nec prædicti ſæculares quoquo modo recipiant, & ſi ſolverint, & prædicti receperint, in excommunicationis ſententiam incidant, ipſo facto, & ut nullam ignorantiam cauſari valeant, volumus & mandamus ſub pœna privationis, quatenus ſingulis primis diebus cujuſlibet menſis, a feſto nativitatis & reſurrectionis Domini, conſtitutiones ipſius prælati ſeu eccleſiarum rectores per ſe, vel per alium, ſeu alios, coram populo dum miſſarum ſolemnia celebrantur faciant publicari, ac illos ſæculares qui contrarium fecerint, nominatim denuntient in prædicti domini noſtri conſtitutionem, ac excommunicationis ſententiam incurriſſe, & univerſitates, caſtra ſeu villas quæ contra hæc fecerint, eſſe ſuppoſitas eccleſiaſtico interdicto.

II. De habenda cuſtodia corporis Chriſti & aliorum ſacramentorum eccleſiaſticorum.

Ut divinis myſteriis & eccleſiaſticis ſacramentis honor debitæ reverentiæ habeatur, ſtatuimus & mandamus, ut in ſingulis eccleſiis & capellis ſancta euchariſtia, chriſma, vel oleum ſanctum ſub diligenti cuſtodia & devotione fideliter & continue clavibus adhibitis ſerventur in loco mundiſſimo & ſignato. Si vero is ad quem ſpectat cuſtodia, ea incauta reliquerit, per menſem ab officio & beneficio ſuſpendatur. Et ſi per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, gravius punietur. Sint etiam prælati, rectores, & clerici ſtudioſi circa eccleſias, & ea-

rum ornatus, libros, vasa altaris, pallas, & A sacerdotalia indumenta. Negligentes vero juxta nostrum beneplacitum puniantur.

III. De pœna clericorum non euntium ad divina officia.

Prælatorum & clericorum nobis subjectorum desidiæ virtutibus invicem obviare, prout ad nostrum spectat officium, intendentes, hac præsenti constitutione statuimus & mandamus, ut universi & singuli ecclesiarum rectores, seu capellani, & beneficiati clerici, ad ea quæ ipsos dignoscuntur spectare officia vigiles & attenti, pœnitentiam frequentem in ecclesiis prædicent, & moneant populum, B ut non tantum semel in anno, sed pluries; & totiens quilibet confiteatur, quotiens se noverit mortaliter offendisse: opportune importune juxta apostolum persistentes in suis ecclesiis horis debitis, qua dignum est reverentia, ad divinorum præcipue ministeria peragenda unanimiter & concorditer conveniant, necnon corde & labiis Altissimo reddere studeant vota digna. Qui autem nocturnis & diurnis officiis desidentes interesse neglexerint seu obmiserint, pro qualibet hora matutinarum, seu missæ vesperarum, sacerdos in sex denariis, alii minores in quatuor C denariis condemnentur: quam pœnam, qui interfuerint ad divina, possint ab eis qui neglexerint recipere & habere. qui vero petenti noluerit exhibere, per mensem proprii beneficii se noverit incursurum pœnam, hujusmodi obtemperantium commodis applicandam.

IV. De habitu clericorum & pœna non portantium.

Cum in clericis ornatus exterior, qui consistit in vestibus, necessario exigatur; unusquisque, proprii status & gradus dignitate pensata, utitur talibus indumentis, per quæ D omnis tollatur suspicio & dissolutionis materia propellatur. Volumus itaque & statuimus, ac etiam in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus sacerdotes & præcipue ecclesiarum rectores, sive capellani curam animarum habentes, ac etiam nostri canonici ecclesiæ cathedralis, cum opportunum duxerint ire per civitatem, non absque cappis clausis, seu clamide post collum vel ante pectus connexo & socio procedant; & cum reintraverint ecclesiam ad divina, clausis cappis & clamidibus similiter sint induti. E Mandati autem & statuti nostri hujusmodi tam laudabilis contemtores, præter notam inobedientiæ & levitatis, quam in se detegunt, canonici nostri tantum pro vice qualibet, quotidianis distributionibus unius hebdomadæ de ipso facto noverint se privatos: alias vero, prout videbitur, punitioni nostræ volumus subjacere. Indulgemus tamen quod tempore pluviæ incedentes possint uti tabartis *(a)* decentis coloris & formæ.

(a) Tabardum seu tabartum est tunica seu sagum militare.

V. De tonsura clericorum.

Coronam & tonsuram habeant universi clerici congruentes; & in divinis officiis & aliis bonis studiis se exerceant diligenter, servantes illum ordinem atque formam in ecclesiasticis sacramentis, in divinis officiis, quæ nostra tenet ecclesia cathedralis. ab ipsis vero clericis, præsertim in minoribus ordinibus constitutis, in ecclesiis & ubilibet dum divinis versantur officiis, deferri caputia prohibemus. contemtores pro vice qualibet in quinque solidis condemnantes.

VI. De consuetudine campanarum matutini servanda.

Consuetudinem hactenus laudabiliter observatam in pulsatione campanarum ad matutinas & alias horas canonicas, post datum signum a nostro sacrista, volumus observari, statuentes ut qui prius pulsaverit, pro qualibet vice in duobus sollis * condemnetur, quos idem sacrista teneatur nobis illico denunciare. * f. solidis.

VII. De confessione.

Præcipimus sacerdotibus curam habentibus animarum, ut quemlibet parochianorum suorum, postquam ad annos discretionis pervenerint, qui non semel in anno sua confiteatur peccata ipsi sacerdoti vel alteri de ejus licentia, & non susceperit ad minus in pascha eucharistiæ sacramentum, nisi de sui sacerdotis consilio ex aliqua justa causa duxerit abstinendum, privetur in vita ab ingressu ecclesiæ, & in morte careat ecclesiastica sepultura.

VIII. De pœna non exequentium testamenta.

Studeant sacerdotes in his quæ spectant ad eorum officium, & suorum subjectorum salutem, diligentiam adhibere, visitando præsertim parochianos suos infirmos, quibus consulatur sua confiteri peccata, & ecclesiastica suscipere sacramenta, & super his quæ ad pias causas duxerint relinquenda, secundum quod eorum saluti viderint expedire, & dispositiones talium voluntatum in aliqua cedula memoraliter edita infra octo dierum spatium nobis affignent, ne relicta in pias causas valeant occultari.

IX. De testamentis.

Parochiani autem qui proprium sacerdotem vel alium ex sui licentia non duxerint in ultimis adhibendum, non reconcilientur etiam ab ipso, sed careant ecclesiastica sepultura: notarius vero qui absente sacerdote proprio, ut dictum est, prædicta in scriptis contra prædictam constitutionem redegerit, ab ingressu ecclesiæ cum familia careat. Executores etiam seu fideicommissarii & hæredes defunctorum, tutores etiam & curatores ipsorum hæredum, qui relicta ab eis in ultima voluntate ecclesiis, & ceteris piis locis solvere neglexerint vel retardant, nisi infra trium mensium spatium post mortem

teſtatoris, relicta ad pias cauſas executi fuerint, & ſolverint cum effectu, ipſos excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto.

X. *De pœna conſpirationes & conjurationes facientium.*

Prælatis autem & clericis univerſis noſtræ civitatis & diœceſis, cujuſcumque conditionis, ſtatus, & dignitatis exiſtant, conſpirationes, & conventicula, ſeu ſocietates illicitas, & alias quaſcumque pactiones, quæ fidelitatis nobis debitæ juramento, necnon honori, & juriſdictioni & dignitati noſtræ valeant quomodolibet derogare, inter ſe paciſci facere & obſervare penitus prohibemus; & ſi pro defenſione ſuarum eccleſiarum ſeu jurium ipſarum cum hoc jure prohibeatur, fieri dignoſcatur, ipſaſque tamquam ſuſpectas & reprobas irritantes, auctores & obſervatores ipſarum, niſi celeriter, videlicet infra menſem continuo numerandum, hujuſmodi conſpirationes & pactiones totaliter annullaverint, revocaverint & ab eis deſtiterint, excommunicationis & anathematis vinculo ex nunc innodamus ſententialiter in his ſcriptis. Ipſos nihilominus perceptione beneficiorum ſuſpendentes, ſi vero noſtra prohibitione contemta contumaciter obdurati, a perceptione beneficiorum non duxerint abſtinendum, ex nunc ipſis beneficiis ſe noverint ſententialiter eſſe privatos.

XI. *De eodem.*

Item, excommunicamus omnes & ſingulos prælatos, rectores & alios clericos, cujuſcumque ſtatus, ordinis, & conditionis exiſtant, qui ſub quocumque colore fecerint conjurationes ſeu conſpirationes, ſeu factas quæ ad mortem ſeu membri abſciſſionem incederint quoquo modo, infra quindecim dierum ſpatium non revocaverint cum effectu.

XII. *De clericis habentibus diverſa beneficia curam animarum habentia.*

Damnanda curatorum improbitas & præceps avaritiæ cœcitas, aliquorum animos occupatos in illius abuſionis temeritatem impellunt, ut quæ ſibi a jure noverint interdicta, fraudum quibuſve coloribus uſurpare conentur; volentes hujuſmodi fraudibus obviare, & animarum prædictorum ſaluti quantum poſſumus providere, hac præſenti conſtitutione ſtatuimus & diſtricte inhibendo mandamus univerſis & ſingulis prædictæ juriſdictionis noſtræ clericis, cujuſcumque ordinis, ſtatus, dignitatis, honoris vel gradus ſint, ne curam vel locum in pluribus partibus aut dignitatibus, ſeu perſonatu, & beneficio, aut dignitate, aut duobus vel pluribus beneficiis curam animarum habentibus, vel dignitate aut perſonatu ac beneficio curam habente animarum annexam vendicare, inſimul habere, & tenere de facto præſumant, contra ſacrorum canonum inſtituta, in ſuarum diſpendium animarum, ſed prædictas dignitates & perſonatus, ſeu beneficia plurima in ſimul curam animarum habentia, jure communi & præſentis conſtitutionis vigore habere, tenere, ſibi noverint interdictum. Si quis autem tantæ temeritatis extiterit, quod in eluſionem ſacrorum canonum, contra conſtitutionis præſentis noſtræ tenorem, tales dignitates, perſonatus & beneficia curam animarum habentia retinere præſumpſerit, niſi infra XV. dierum ſpatium poſt publicationem conſtitutionis iſtius, quod eis pro peremtorio termino aſſignamus, libere poſſeſſionem facti, quam tenent ſeu quaſcumque poſſeſſiones prædictarum dignitatum, perſonatuum & beneficiorum habentium curam animarum, curas in noſtris manibus reſignare curaverint, ex nunc ipſos omnes & ſingulos præſentis conſtitutionis auctoritate privamus habito & ambito, & privatos eſſe denuntiamus eos ab omni poſſeſſione juris & facti prædictorum beneficiorum, dignitatum & perſonatuum: ammonentes ut in præfatum tempus oſtendant nobis ſufficientes diſpenſationes ſeu indulgentias, ſi quas habent.

XIII. *De clericis qui recipiunt alienos parochianos, & reſidentia facienda.*

Quia plurimi capellani & rectores eccleſiarum noſtræ civitatis & diœceſis, falcem in meſſem alienam mittere non verentes, paſſim alienos parochianos, proprüs ſacerdotibus irrequiſitis & contemtis, ad divina officia & eccleſiaſtica ſacramenta, contra canonica ſtatuta, indecenter admittunt. Nos hoc de cetero fieri penitus prohibemus, hujus noſtræ conſtitutionis temerarios contemtores pro noſtro arbitrio puniri volentes. Ne vero propter rectorum, capellanorum & clericorum abſentiam contingat eccleſias debitis officiis defraudari, in detrimentum animarum & ſcandalum plurimorum; volentes huic ſcandalo obviare, ſtatuimus ut cum aliquis clericus etiam ex rationabili forſan cauſa ſe voluerit abſentare, non ultra tres dies extra terram ſine noſtra ſpeciali licentia debeat immorari; ſi ſecus fecerit, noſtro arbitrio punietur.

XIV. *De proceſſionibus, & modo ipſarum, & pœna non ſervantium.*

Cum debeat cathedralis eccleſia tamquam mater & major a ceteris filiis & ſubſidiis venerari, ejuſque ſit decor clericorum decorus ornatus, ac illius majoritas emineat ex concurſu & frequentia clericorum majore; idcirco provide duximus ſtatuendum, ut in conſuetis feſtivitatibus omnes ſacerdotes civitatis & clerici ad majorem cathedralem eccleſiam debeant convenire. Cum autem proceſſionaliter fuerit in toto clero alicubi procedendum, poſt campanarum trinam pulſationem, ad eamdem eccleſiam immediate concurrant. Qui autem in dictis horis venire contemſerint, ſi ſacerdotes, in decem ſoli-

dis; si autem alius major minorve clericus, in quinque solidis condemnetur.

XV. *De residentia facienda a clericis, & reparatione ecclesiarum, & pœna non servantium.*

Ne propter rectorum & prælatorum ecclesiarum absentiam contingat eorum ecclesias debitis officiis defraudari, in eorum animarum periculum & scandalum plurimorum non modicum; statuimus & mandamus, quod prælati & rectores conventualium universi civitatis & diœcesis Reatinæ, ad eorum ecclesiam debeant infra mensem peremtorie post publicationem constitutionis hujusmodi, accedere, & in eisdem continue & personaliter residere; mandantes nihilominus sacerdotibus & clericis universis civitatis & diœcesis Reatinæ, cujuscumque status & conditionis existant, quod infra trium mensium spatium a die publicationis istius, ecclesias in quibus ipsa beneficia obtinent, quæ reparatione indigeant, incipiant & prosequantur facere reparari. Contemnentes vero causa laudabili constituti, ex tunc se noverint a beneficiis & proventibus, quæ in eisdem ecclesiis obtinebant, esse suspensos. Qua suspensione facta, si quid de beneficiis & proventibus prædictis percipere quoquo modo præsumserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

XVI. *De clericis qui furtive ordines recipiunt.*

Ordines nullus furtive recipiat, non simoniace, non scienter aliquo impedimento ligatus, & præsertim qui foret de illegitimo matrimonio natus; nec aliquis aliquem sic impeditum ad ordines præsentet scienter, nisi sufficienter secum fuerit dispensatum. Quicumque autem ordinem aliquem contra istam prohibitionem susceperit, vel aliquem ad ordinem præsentaverit, si fuerit de civitate vel diœcesi Reatina, ipso facto, excommunicationem incurrat, a qua nonnisi per episcopum absolvatur.

XVII. *Ne relicta ecclesiis ad certum usum, convertantur in alium, &c.*

Exigit officii nostri debitum, ut pias decedentium voluntates plene servari mandemus & efficaciter adimpleri. Unde quia sæpe contigit, a Christi fidelibus nostræ civitatis ac diœcesis, pro fabrica seu ornamento, vel ob alium certum usum, vel opus, aliquibus ecclesiis certas pecuniæ quantitates, vel res alias, in plena valetudine donari, seu in ultima dispositione relinqui: quas pecuniæ quantitates, vel res alias, prælati seu canonici vel clerici ecclesiarum ipsarum, avaritiæ cupiditate cœcati, inter se distribuere, ac propriis commodis & usibus applicare temerarie non verentur: propter quod fidelium animi scandalizantur non modicum, & redduntur erga ecclesiam indevoti. Ordinamus atque statuimus pias prædictorum fidelium voluntates protinus observari & adimpleri debere, nec in proprios clericorum, vel in alios quosvis usus vel utilitates nostrarum ecclesiarum, hujusmodi pecunias sive res, nisi ad quod donatæ vel relictæ sunt, absque nostra speciali licentia posse converti a prælatis & clericis memoratis: qui contra fecerint, a perceptione beneficiorum & redituum quarumcumque ipsarum ecclesiarum, quas sic defraudare non dubitant, sint suspensi. De quibus beneficiis vel proventibus, si, qui sunt suspensi, contingere vel percipere quoquo modo præsumserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

XVIII. *De pœna recipientium distributiones in absentia.*

Constitutionem rationabilem & multipliciter commendandam SS. patris & domini nostri Bonifacii papæ VIII. qua expresse cavetur, ne aliquis canonicus, vel alius beneficiatus, seu clericus cathedralium ecclesiarum distributiones quotidianas, quæ tantum residentibus distribuuntur, percipere audeat, licet in civitatibus & aliis locis, in quibus ipsæ constitunt ecclesiæ præsens existat, nisi iisdem ecclesiis continue deserviat in divinis, consuetudine qualibet contraria non obstante; mandamus & volumus in omnibus & singulis ecclesiis nostræ civitatis & diœcesis, per omnes prælatos, canonicos, & presbyteros, & clericos ipsorum in omnibus inviolabiliter observari, & contemtores constitutionis præfatæ nostro arbitrio puniri.

XIX. *De pœna sacerdotum, qui conducunt aliorum ecclesias, sine licentia episcopi.*

Cum sit ars artium regimen animarum; non sunt ad hoc passim indifferenter sacerdotes inexperti & incogniti assumendi: quia per tales, cum vitam & mores subditorum seu parochianorum ignorant, non potest eis de animarum salute plene consuli & salubriter provideri; per quamplures namque civitatis & diœcesis ecclesias sacerdotes & capellani morantur conducti non perpetui, absque prædecessorum nostrorum, & nostra concessione seu licentia, missas & alia divina officia celebrantes, confessiones audientes, & ministrantes ecclesiastica sacramenta: quod quam sit damnabile & puniendum, nemo sanæ mentis ignorat. Intendentes igitur animarum periculis & deceptionibus obviare, statuimus & prohibemus expresse, ne aliquis sacerdos seu capellanus ecclesiam aliquam nostræ civitatis & diœcesis, ab aliquo clerico & laïco ad firmam recipere audeat, nec in ea morari de cetero, quovis quæsito colore, animarum curam inibi habiturus & ministraturus parochianis ipsius ecclesiæ sacramenta, nisi nostra vel vicarii nostri petita licentia & obtenta; sacerdotes vero seu capellanos talia præsumentes, clericos vel etiam laïcos locantes seu detinentes in suis ecclesiis hujusmodi sacerdotes contra præsentis constitu-

tionis noſtræ tenorem, volumus excommunicationis ſententiæ ſubjacere.

XX. *De pœna illorum qui non faciunt procuratorem ſeu camerarium in eccleſia.*

Ut in adminiſtratione rerum eccleſiaſticarum, & perceptione ac diviſione fructuum & reddituum eorumdem rationabili facienda, omnis fraudis ceſſet ſuſpicio, ex qua conſuevit, ſæpius in eccleſia ſcandalum exoriri, ſtatuimus ac diſtricte ſub excommunicationis pœna mandamus, quod in ſingulis collegiatis eccleſiis & capellis, ubi plures ſunt numero, per prælatum & capitulum ſeu clericos communiter quolibet anno eligatur unus officialis, qui præpoſitus vel procurator, ſeu camerarius nuncupetur, qui omnia & ſingula undecumque communiter obvenientia ſeu communia ipſarum eccleſiarum fideliter adminiſtret atque percipiat, & recepta diligenter & diſtricte conſcribat, ſervata ſufficienti portione pro epiſcopalibus & aliis incumbentibus oneribus & debitis perſolvendis, reſidua diſtribuat ſine fraude proportionaliter inter eos juxta morem debitum, & modum obtentum in ipſis eccleſiis conſervatum, redditurus ſingulis ſex menſibus dicti anni de receptis & expenſis plenariam rationem. Idemque officialis ſic electus corporaliter juret ſtatim, quod prudenter & fideliter officii ſui debitum exequatur.

XXI. *De clericis, quod ſcribant bona & paramenta eccleſiæ.*

Ne jura & bona mobilia eccleſiarum valeant quomodoliber deperire; ſed Deo auctore illibata ſerventur; ſtatuimus & diſtricte ſub excommunicationis pœna mandamus, quod in ſingulis eccleſiis noſtræ civitatis & diœceſis per prælatos, canonicos, ſeu clericos ipſarum infra xx. dies a publicatione conſtitutionis præſentis, ſcribantur diligenter & diſtincte in aliquo libro ſeu quaterno, omnes & ſingulæ poſſeſſiones domorum, vinearum, terrarum, & reditus penſionum, cenſuum & affictuum (*a*) ac omnium jurium aliorum, necnon paramenta, vaſa, libri & alia mobilia univerſa; qui liber ſeu quaternus in theſauro ſeu ſacriſtia ipſarum eccleſiarum fideliter ad perpetuam cautelam & memoriam conſervetur, contrarium facientes noſtro arbitrio punientes.

XXII. *De pœna fraudantium quartam debitam domino epiſcopo Reatinenſi.*

Ne jura noſtra epiſcopalia inexacta & irrequiſita relinquere aut reprehenſibiliter negligere videamur, qui alios in ſua juſtitia conſovemus; ordinamus & præſentis conſtitutionis auctoritate prohibemus expreſſe, ne prælati, canonici eccleſiarum noſtræ civitatis & diœceſis, juriſdictiones nobis competentes & jura nobis debita ab eis vel a ſuis clericis, potiſſime quartam mortuariorum & decimas nobis debitas, prout plenius canonica jura declarant, minuere aut fraudare, ſeu occultare, vel detinere quovis quæſito colore præſumant, alioquin omnes & ſingulos talia præſumentes excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto.

De ſubtractis autem vel defraudatis ſeu detentis hucuſque monemus omnes & ſingulos, ut redeuntes ad cor, nobis competenter procurent ſatisfacere abſque mora.

Cauſas omnes matrimoniales nullus prælatus vel clericus noſtræ juriſdictionis audire vel diffinire præſumat abſque noſtra commiſſione & licentia ſpeciali.

XXIII. *De revocatione bonorum eccleſiæ alienatæ.*

Ex commiſſa nobis cura in eccleſia Reatina officii paſtoralis, cupientes ejuſdem eccleſiæ temporalibus commodis, quæ ſpiritualibus plurimum ſuffragantur, non minus prodeſſe, quantum cum Deo poſſumus, quam præeſſe, nobis ad hoc cauſam & occaſionem præſtantibus nonnullis prædeceſſorum noſtrorum ſeu præceſſorum epiſcoporum prædictæ eccleſiæ, qui fuerunt pro tempore, conceſſionibus indebitis, diſtractionibus, dominationibus, vaxallorum anfractionibus, & alienationibus onerosis bonorum, poſſeſſionum & jurium ipſius factis, decrevimus præfatæ eccleſiæ indemnitati conſulere, ac etiam opportunis remediis obviare pro poſſe; & ideirco conceſſiones, diſtractiones, vaxallorum affractiones, & alienationes hujuſmodi, tam emphiteotico jure quam alio quovis modo & colore quæſito, per prædeceſſores prædictos cum conſenſu capituli Reatini, vel abſque conſenſu ipſorum, non ſine damno & gravamine pro tempore eccleſiæ factas & attentatas, non habentes ratas aliquantulum, neque gratas, ipſas revocamus, annullamus & omnis firmitatis robore vacuamus, quantum de jure poſſumus & debemus.

XXIV. *De revocatione conſtitutionum factarum per eccleſias collegiatas.*

Item revocamus, caſſamus & annullamus omnes & ſingulas conſtitutiones, per abbates, archipreſbyteros, priores ſeu præpoſitos, & rectores eccleſiarum collegiatarum civitatis & diœceſis Reatinæ, ſeu eorum capitula, conjunctim vel diviſim, ſuper quibuſdam ordinamentis & ſtatutis factas & ordinatas: mandantes nihilominus ſub excommunicationis pœna abbatibus, archipreſbyteris, prioribus & eccleſiarum rectoribus & capitulis ſupradictis, quod conſtitutiones & ſtatuta hujuſmodi, ſine noſtra ſpeciali licentia & mandato, conſtituere & facere de cetero non præſumant, & ex nunc ſi per eos vel eorum aliquem ſecus attentatum fuerit, eas caſſamus, & nullius eſſe decernimus momenti ſeu etiam firmitatis.

XXV. *De revocatione beneficiorum vacaturorum.*

Item, promiſſiones & receptiones ad va-

[*a*] Affictus eſt cenſus qui datur ratione prædiorum.

caturas per prædeceſſores noſtros epiſcopos & capitulum majoris eccleſiæ, & per omnes & ſingulos prælatos & rectores, ſeu capitula aliarum eccleſiarum, qualitercumque & cum quibuſcumque perſonis, in quibuſcumque eccleſiis, beneficiis, vel præbendis factas & præſumtas caſſamus & annullamus, & omni jure & modo quo melius poſſumus irritamus; utpote contra jura canonica & civilia temere præſumentes.

XXVI. *De pœna clericorum excedentium in clericos.*

Cupientes clericorum noſtrorum mores & actus in melius reformare, exceſſibus viam præcludere, & injuriarum materiam amputare, ne facilitas veniæ incentiva tribuat delinquendi; ſalubriter ſtatuentes, providentes ſtatuimus, ut ſi quiſquam clericus in quovis ordine conſtitutus, manus in alios clericos & perſonas eccleſiaſticas injecerit violentas, abſque effuſione tamen ſanguinis, præter pœnam canonis, quam propter hoc incurrit, noſtram nolumus effugere ultionem, ut ſi in minoribus ordinibus conſtitutus alicui alii clerico, a ſacerdote infra, per manus adjectionem injuriam fecerit ſeu irrogaverit, pro vice qualibet in centum ſolidos curiæ noſtræ volumus condemnari, nec prius abſolutionis beneficium patiatur, quam decretam hujuſmodi condemnationem perſolverit. Si vero in ſacerdotem taliter exceſſerit, x. librarum condemnationi ſubjaceat. Quod ſi ex tali perceſſione enormis ſanguinis effuſio fuerit ſubſecuta, xxv. librarum condemnationi ſubjaceat. Si vero, quod abſit, ad mutilationem ſeu enormem debilitatem membri proceſſum fuerit; præter pœnam privationis officii & beneficii, & exulationis perpetuæ extra juriſdictionis noſtræ limites, quam ipſum incurrere volumus, in centum libris ſententialiter condemnamus, verborum injurioſorum pœnam noſtro arbitrio reſervantes.

XXVII. *De pœna clericorum excedentium in laicos.*

Licet ad compeſcendum clericorum exceſſus, diſſolutionis materiam deteſtandam, & detractionis exemplum damnabile per conſtitutiones & pœnas prædeceſſorum noſtrorum, deliberatio circumſpecta proviſerit, ut excedentes clerici maxime contra laicos certa pœna pecuniaria plectantur. nos tamen Blaxius Dei gratia Reatinenſis epiſcopus, conſulti attendentes, ſicut nos tam facti experientia quam frequens querela laicorum inſtruxit, quod ex pœna hujuſmodi, cum propter ſui temeritatem minus ſit formidabilis, multo malignandi audaciam ſummi pontificis, foveat immodeſtia & inſolentia juvet ad committenda quamplurima honeſtati & modeſtiæ non convenientia propter quod nobis frequenter detrahit, tamquam ſubditorum noſtrorum exceſſuum correctionibus tepidis & remiſſis, & ſatagunt ad hoc laici clericorum & eccleſiaſticam immunitatem ſtatutis multifariis impugnare. Super his igitur opportunum remedium adhibere volentes, per quod & clericorum compeſcatur audacia, & laicorum murmurationes conquieſcant, ſtatuimus, ut ſi quidquam clericus ſuæ famæ prodigus, & proprii perſecutor honoris, auſu temerario quemquam laicum citra mortem aut membri mutilationem læſerit, offenderit, ſeu injuriam irrogaverit, illa eadem clericus pœna plectatur, quam idem vel alius laicus, ſi eumdem vel alium clericum aut laicum per poteſtatem ſuum, ſecundum ſtatuta civitatis Reatinæ, quæ quidem ad hunc caſum in totum ſervari volumus & mandamus, offenderit, punietur: ſi autem ex offenſa hujuſmodi membri alicujus mutilatio fuerit ſubſecuta, offendens clericus ducentarum librarum pœnæ ſubjaceat, & ſpoliatus eccleſiaſtico beneficio, ſi quod habet, extra civitatem & diœceſim perpetuo ſit expulſus. quod ſi forte, quod abſit, in læſione illata laico mors ſuccedat, bona injuriantis clerici omnia confiſcentur, & degradatus perpetuo carceri mancipetur.

In furtis quoque ac ſingulis aliis criminibus, violentiis, exceſſibus, injuriis ac maleficiis, per clericos quoſcumque commiſſis, in puniendo malefactores & excedentes prædictos, ſtatuta communis prædicti per omnia ſervari ſtatuimus & mandamus, plus vel minus, vel noſtro arbitrio reſervantes.

XXVIII. *De pœna portantium arma & euntium de nocte.*

Interdicimus univerſis clericis, poſt tertiam pulſationem campanæ, materiam evagandi; nec arma deferant, niſi ex juſta & legitima cauſa, de licentia noſtra. ad alcas & taxillos non ludant. qui vero commiſerit in prædictis, vel aliquod prædictorum, in XL. ſolidis pro vice qualibet puniatur: frequentantes autem tabernas pœna ſimili puniantur; tenentes enim tabernas puniantur in centum ſolidis.

XXIX. *De pœna hæredum & executorum qui uſuram non reſtituunt.*

Exigit officii noſtri debitum, ut ſententiam in ſacro Lateranenſi concilio contra uſurarios promulgatam, per quam ſacra communione altaris & in morte eccleſiaſtica ſepultura redduntur indigni, quod ab ipſis viventibus oblationes recipi prohibentur, faciamus inviolabiliter obſervari. ideoque contra uſurarios ipſos, donec per ſatisfactionem condignam a tam damnabilis criminis pravitate deſiſtere ac ceſſare curaverint, memorati concilii cenſuram inrefragabiliter exerceri volumus & ſervari, ut iidem videlicet nec ad communionem admittantur altaris, nec eorum recipiantur oblationes, & diem extremum claudentibus denegetur eccleſiaſtica ſepultura. Sane quia nec per pœnam hujuſmodi ad plenum ipſorum valet compeſci

temeritas, cum contra conſtitutionem præ- A ſatam multas reperientes fraudes, aſtutias, ſtatuant ſive mandent interdum in teſtamentis & ultimis voluntatibus ſuis, ad pœnas prædictas vitandas, nec ipſorum hæredum ſive ſucceſſiones ac ſuorum teſtamentorum fideicommiſſarios vel executores uſuram omnibus illis perſonis reſtitui, quæ poterunt docere legitime, quod ab eis extorſerint aliquid per uſurariam pravitatem, in hoc gerentes fiduciam, quod inſtrumenta & alias cautiones, taliter ſicque ſimulate ac fictitie a debitoribus receperunt, ac ſic occulte fecerunt, quod vix aut numquam poſſet in foro contentioſo uſuras fuiſſe probari. volentes hujuſmodi fraudibus obviare, ne ipſis ad ſolvendum pecuniam & animam damnande, perpetuo dolus hujuſmodi ſuffragetur, univerſos & ſingulos hæredes & ſucceſſores ac fideicommiſſarios & executores teſtamentorum factorum & faciendorum ab uſurariis quibuſcumque monemus pro prima, ſecunda & tertia monitione, ac peremtorie uſque ad duos menſes a tempore publicationis hujuſmodi, ut omnibus perſonis quibus noverint, veriſimiliter per ſe vel per alios ipſos uſurarios, quorum hæredes vel ſucceſſores exiſtunt, extorſiſſe, uſuras illas integraliter ſatisfacere de bonis teſtatoris, ſi ad hoc ſufficiant, vel pro rata, donec ſufficiant bona prædicta, nullis malitiis, calumniis, ſeu fraudibus adhibitis; alioquin ipſos & omnes qui & quæ ad hoc dederint conſilium & auxilium & favorem, quod hujuſmodi non reſtituantur uſuræ, excommunicationis & anathematis ſententiam ex tunc volumus incurrere ipſo facto, prohibentes omnibus ſacerdotibus, ne rales, poſtquam eis innotuerint, admittant ad eccleſiaſtica ſacramenta. illos autem executores ad hoc teneri decrevimus, quibus mandatur & præcipitur, & etiam poteſtas datur, quod uſuras omnes extortas reſtituant omnibus perſonis, quæ legitime probare poterunt, quod ab eis aliquod extorſerint teſtatores nomine uſurarum.

XXX. *De pœna delinquentium non comparentium in termino dato.*

Trahit ad ſe primum obedientia ſubditorum, & digne pœnam inobedientia prometeretur. nam ſicut obedientes & humiles alliciendi favoribus, conſovendi gratiis dignoſcuntur; ſic inobedientes & contumaces ſunt afficiendi pœnis & debitis diſpendiis fatigandi. Ut igitur virtus obedientiæ de bono creſcat in melius, & contumaciæ vitium reprimatur, ſtatuimus & ordinamus, ut prælatus ſeu clericus quilibet noſtræ juriſdictionis ſuper defectibus, criminibus, ſeu exceſſibus quibuſcumque a nobis vel a vicario noſtro peremtorie citatus, quocumque modo contra ipſum procedatur, perſonaliter compareat in termino aſſignato, alioquin propter ſuam abſentiam confeſſus & convictus de defectibus & criminibus, tam pecunialiter quam alia pœna canonica puniri valeat & damnari, niſi juſtam cauſam ſuæ abſentiæ infra diem præfixum ad comparendum allegaverit & probaverit in termino ſibi præfigendo a nobis.

XXXI. *De pœna* XXV. *librarum contra clericos qui ſe dejerant.*

Ut peccatum perjurii & reatum mendacii a noſtris ſubditis temporalibus pœnis, quantum poſſumus, propellamus; ſtatuimus & etiam ordinamus, ut ſi quis in noſtra curia de aliquo maleficio accuſatus ſeu denunciatus B fuerit, vel ſi contra quemque per curiam noſtram inquiritur ſuper quocumque maleficio, negaverit ſe maleficium de quo agitur commiſiſſe, & ſufficienter probari contingat, ipſum dictum maleficium, præter pœnam ſibi ratione perpetrati maleficii infligendam, præter notam etiam infamiæ quam incurrit, in XXV. libras Ravennenſes noſtræ cameræ applicandas, ratione hujuſmodi perjurii puniatur.

XXXII. *De pœna exiſtentium in excommunicatione.*

Ne impunie diſrumpi contingat nervus ec- C cleſiaſticæ diſciplinæ, cum creſcente contumacia & comtemtu, pœna debeat augmentari, provide ſtatuimus ſtatuendum, quod ſi quis excommunicationis ſententiam, in conſtitutionibus noſtris latam, vel alias a nobis ſeu vicario noſtro ferendam incurrerit, & in eadem excommunicationis ſententia ultra menſem perſtiterit animo indurato, ſingulis menſibus, quibus in eadem excommunicatione ſic damnabiliter perduraverit, pœnam quinquaginta ſolidorum Ravennenſium incurrat, noſtræ cameræ applicandorum, nec ab excommunicatione hujuſmodi abſolvatur, licet ſuper principali forte ſatisfaciat, niſi pœnam prædictam duxerit perſolvendam. D

XXXIII. *De pœna clericorum qui vadunt ad funera.*

Cupientes a clericis noſtris reprehenſibiles conſuetudines ac corruptelas levitatis cujuſlibet exſtirpare, ut honeſtæ vitæ & morum gravitas laicis bonum exemplum præbeat & doctrinam, univerſis & ſingulis civitatis & dioœceſis Reatinæ clericis in virtute obedien- E tiæ inhibemus, ne quis eorum de cetero, cum ad funus alicujus mortui una cum aliis clericis ire contigerit, ad domum vel ad eccleſiam ſibi caputia ſeu biretum extrahat, vel manus ad maxillas ſuas extendat, nec ululatus alias more laicorum emittat. tranſgreſſores vero noſtræ conſtitutionis hujuſmodi in x. ſolidos Ravennenſes noſtræ cameræ applicandos, præter notam inobedientiæ, quam incurrunt, ex nunc ſententialiter pro qualibet vice condemnamus.

XXXIV.

XXXIV. *De pœna prælatorum & aliorum clericorum curam animarum habentium, qui se non faciunt promoveri.*

Præsentis constitutionis auctoritate citamus peremtorie, & monemus omnes & singulos præpositos, archipresbyteros & abbates, seu prælatos ecclesiarum quarumlibet nostræ diœcesis, curam habentium animarum, ut infra annum a publicatione præsentis constitutionis continue numerandum se faciant statutis temporibus promoveri, ita quod per ipsos exercere possint & exerceant in ecclesiis suis curam & regimen animarum. Quod si in annum ad sacerdotium, ut præmittitur, promoti non fuerint, nisi aliquo canonico impedimento ipsos super hoc impediti contigerit, etiam ipso jure se noverint ex tunc suis ecclesiis manere privatos.

Locus corruptus.

XXXV. Ne subditis nostris in animarum periculum laqueum invicem tendantur qui salutem ecclesiarum ipsarum quæ excessus & sententias excommunicationis infra scriptas per nos die infra missarum solemnia in ecclesia nostra Reatina publice coram multitudine populi habitas & etiam promulgatas in præsenti synodo ad majorem pro evidentia processuum prædictorum, & ne aliqui de civitate & diœcesi prætendere valeant ignorantiam processuum prædictorum duximus publicandos, qui tales sunt.

XXXVI. *De Paterenis.*

In nomine Domini. amen. Nos frater Beatius miseratione divina episcopus Reatinus, excommunicamus & anathematizamus omnes hæreticos, Patarenos, Catharos, Paupères de Lugduno, & omnes alios hæreticos, cujuscumque sectæ & quocumque nomine censeantur.

XXXVII. *De eodem.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos credentes, fautores & receptatores eorum.

XXXVIII. *De Falsariis.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos falsatores sigilli nostri & litterarum nostrarum.

XXXIX. *De pœna dicentium falsum testimonium.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos dicentes falsum testimonium in quacumque causa, & omnes producentes, vel instituentes, seu subarrantes.

XL. *De mutantibus terminum.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos qui mutaverunt seu mutari fecerunt aliquem terminum malitiose.

XLI. *De mulieribus non manentibus cum viris.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulas mulieres, quæ dimissis viris suis, aliis adhærent seu adhærebunt, & simili excommunicatione ligari volumus omnes & singulos, qui dimissis propriis uxoribus, aliis mulieribus adhærebunt vel adhærent, cohabitando cum ipsis: & ipsas mulieres quibus tales uxorati adhærent, nisi prædicti mariti præfatas adulteras, & dictæ uxores præfatos adulteros infra mensem proximum abjecerint, non commiscendo se ulterius cum eisdem.

XLII. *De procurantibus abortum.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulas mulieres procurantes sibi vel alteri abortum, vel quocumque modo deguastantes ventres suos sive alienos, & qui hoc fieri fecerint, vel dederint huic, facinori auxilium, consilium & favorem.

LXIII. *De locantibus domos ad prostibulum.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos, qui domos intus vel extra civitatem & alias terras nostræ diœcesis locabunt vel concedent mulieribus prostitutis ad lupanaria seu prostibula exercenda vel retinenda compatienter in domibus, vel eorum ejusmodi mulieres receptas vel morari vel lupanaria exercere.

XLIV. *De veneficis.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos veneficos & venefica sive affacturatores & affacturatrices sive divinatores & divinatrices.

XLV. *De latronibus.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos latrones manifestos & publicos spoliatores & aggressores stratarum.

XLVI. *De pœna ponentium ignem.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos dolo ponentes ignem in domibus, bladis, bonis & rebus alienis, & incisores vinearum & arborum fructiferarum ex proposito & deliberatione nocendi.

XLVII. *De occupatoribus beneficiorum & redituum ecclesiasticorum, vel procurantibus in fraudem, ut alius instituatur in ecclesia, & alius recipiat fructus.*

Item, monemus peremtorie omnes & singulos tam clericos quam laïcos, ecclesias vel beneficia, præbendas seu portiones, vel pensiones, vel reditus, & proventus quoscumque ecclesiarum, beneficiorum ecclesiasticorum detinentes, possidentes vel percipientes per se vel per alium, seu alios quocumque modo sive colore, absque canonico tamen ingressu & justo titulo; ac illos laïcos qui in fraudem procurant aliquos archipresbyteros, rectores seu clericos in ecclesiis institui, ea intentione, ut archipresbyteri, rectores & clerici supradicti solum nomen inane habeant, & ipsi fructus ecclesiarum, in quibus hujusmodi instituti sunt, perhibentur [percipere]; & infra xx. dies immediate sequentes dictas ecclesias, beneficia, præbendas, portiones, pensiones & reditus libère & expedite dimittant, & de male perceptis sa-

tisfaciant competenter ecclesiis sic oppressis; aliosque ipsos intrusos, intensores & invasores, detentores, possessores, ac fructus percipientes hujusmodi infra terminum supradictum nisi ea dimiserint, excommunicationis vinculo innodamus.

XLVIII. *De pœna occupantium seu detinentium jura nostra.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos tam clericos quam laïcos, invasores, occupatores, & exfortiatores, malefactores & detemtores possessionum & aliorum bonorum & jurium seu jurisdictionum spiritualium & temporalium majoris ecclesiæ Reatinæ & aliarum ecclesiarum civitatis ac diœcesis Reatinensis, nisi malefactores & detemtores prædicti infra xx. dies immediate sequentes, quos eorum cuilibet pro peremtorio termino assignamus, a molestatione prædicta desiterint, & occupata seu invasa libere dimiserint, & nobis & ipsis ecclesiis ad quas spectant duxerint assignanda.

XLIX. *De pœna statuentium contra ecclesiasticam libertatem.*

Item, excommunicamus & anathematizamus, immo verius excommunicatos a jure denunciamus & declaramus omnes & singulos statuarios, consiliarios, & officiales quoscumque, qui condiderunt & fecerunt statuta, decreta & cancellata ordinamenta seu reformamenta quæcumque contra ecclesiasticam libertatem, vel in præjudicium jurium & jurisdictionum nostrarum ecclesiæ Reatinæ & aliarum ecclesiarum nostræ diœcesis, & omnes & singulos potestates & rectores, judices & assessores, notarios, & alios quoscumque officiales & consiliarios, statuarios, necnon advocatos seu procuratores statuta & ordinamenta hujusmodi allegantes vel proponentes in causa quacumque, vel quoscumque dictis statutis, ordinamentis seu reformationibus utentes, vel eadem observantes.

L. *De pœna impedientium quod episcopus non habeat canonicam portionem.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos testamentorum executores, fideicommissarios, heredes, notarios, & alios jura nostra, seu nobis vel aliis ad pias causas, seu pro anima relicta & debita impedientes in testamentis & ultimis voluntatibus, vel fraudem, moram, calumniam aut malitiam committentes, quod episcopus non habeat canonicam portionem & alia jura ecclesiastica.

LI. *De eodem.*

Item, notabiliter excommunicamus omnes illos & singulos, qui procurant malitiose, quod indistincte erat aliquibus ecclesiis relinquendum ad certos usus, relinqui, ut episcopo defraudetur canonica portio.

LII. *De concubinariis.*

Item, notabiliter excommunicamus omnes illos & singulos publicos & manifestos concubinarios, nisi dictas concubinas seu focarias infra xx. dies immediate sequentes cum effectu abjecerint, eas de cetero in domo propria vel conducta nullatenus retinendo.

LIII. *De pœna usurariorum.*

Item, excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos publicos & manifestos usurarios, & simili excommunicatione ligari volumus omnes & singulos notarios publicos, subscribentes & conficientes protocolla, notas, seu instrumenta quorumcumque contractuum faciendorum per usurarios, vel per alium ipsorum nomine, cum quibusque personis, de quibus contractibus præsumant vel credant dicti notarii, quod usurarii sint, vel præsumi & credi debeant simulati, & in fraudem usurariorum concepti.

LIV. *Quod nullus a prædictis sententiis possit absolvi, nisi de licentia episcopi.*

Item, statuimus, ordinamus & volumus quod nullus a prædictis & aliis excommunicationis sententiis per nos vel constitutiones nostras & prædecessorum nostrorum prolatis & proferendis absolvi possit, absque nostra speciali licentia & mandato, nisi auctoritate sedis apostolicæ vel legatorum ipsius; & si aliquis a prædictis & aliis excommunicationum sententiis per nos latis & ferendis, seu per nos vel alium auctoritate nostra prætenderet absolutum, nisi de absolutione hujusmodi doceat per publicum instrumentum vel litteras sigillo nostro sigillatas, ex nunc decernimus absolutionem hujusmodi non valere, & nullius esse momenti.

LV. *Quod quilibet prælatus debeat exponere dictas constitutiones suis subditis.*

Ne clerici vel laïci nostræ jurisdictioni subjecti, ab observatione dictarum constitutionum quomodolibet se valeant excusare, licet post ipsarum publicationem universi & singuli observare teneantur, statuimus & mandamus, ut universi & singuli abbates, præpositi, archipresbyteri, & cereri ecclesiarum prælati civitatis & diœcesis Reatinæ, omnes & singulas præsentes constitutiones & sententias nostras bis in anno clericis & laïcis eorum subditis sollicite & diligenter exponant particulariter & distincte, videlicet quarta feria cinerum & sexta feria quæ occurrit post festum omnium sanctorum, ut ex hoc bonorum voluntas plenius elucescat, & malorum perversitas compescatur. Et si aliquis prædictorum prælatorum fraude & negligentia, vel excogitata malitia prædictas constitutiones & sententias prædicto modo publicare neglexerint; volumus quod qualibet vice in decem libris usualis monetæ mulctetur, nostræ cameræ applicandis.

Item, volumus & mandamus, quod quilibet prælatus debeat recipere dictas conſtitutiones de camera noſtra, & in ſua eccleſia infra unum menſem a die publicationis conſtitutionum ipſarum continue numerando debeat habere, alioquin in contra facientem excommunicationis ſententiam promulgamus.

Latæ & lectæ & promulgatæ fuerunt dictæ conſtitutiones & ſententiæ per ipſum dominum epiſcopum Reatinum in palatio papali, præſidente capitulo Reatino, in plena ſynodo, hodie die IV. Aprilis coram his teſtibus, ſcilicet diſcretis viris domino* Andica abbate eccleſiæ S. Eleuterii Reatini, Bartholomæo Bontemporis, Ventura Raynaldi, domino Bartholomæo Alfano canonicis Reatinis, domino Angelo archipreſbytero eccleſiæ S. Elpidii, domino Angelo archipreſbytero eccleſiæ S. MARIÆ de Mareria Reatinæ dioeceſis & aliis pluribus, &c. & etiam magna alia multitudine prælatorum canonicorum & clericorum civitatis & dioeceſis Reatinæ, ad ipſam ſynodum convocatis anno Domini MCCCII. indictione I. pontificatus domini Bonifacii papæ VIII. anno IX.

* f. Andrea.

CONSTITUTIONES factæ in ſecunda ſynodo.

I. *De caſibus reſervatis domino epiſcopo.*

CAveat autem ſacerdos ne abſolvat de illis peccatis, de quibus auctoritatem non habet abſolvendi. Sunt autem infra ſcripti caſus de quibus ſimplex ſacerdos non poteſt abſolvere, nec debet ſe de talibus intromittere in epiſcopatu Reatinenſi, tam de jure communi, quam ratione reſervationum & excommunicationum per nos & prædeceſſores noſtros factarum, niſi forte in articulo mortis. Nam tunc poteſt abſolvere quilibet ſacerdos a quolibet peccato, & a qualibet excommunicatione. Sed ſi ſanitati reſtituitur, debet remitti ad epiſcopum, aliter non valet abſolutio prædicta.

Primus caſus eſt quando pro peccato eſſet ſolemnis pœnitentia injungenda, quia talis pœnitentiæ miniſter proprius eſt epiſcopus.

Secundus caſus eſt de excommunicatis, quando inferior ſacerdos non poteſt abſolvere. Ea propter ſciant omnes ſacerdotes excommunicationes per epiſcopum latas.

Tertius eſt quando invenerit irregularitatem contractam, pro cujus diſpenſatione debet remittere ad ſuperiorem.

Quartus de incendiis.

Quintus eſt in publicatione & blaſphematione Dei & ſanctorum.

Sextus de homicidio.

Septimus in truncatione membrorum.

Octavus in reſtitutione retentorum male ablatorum.

Nonus in deguaſtatione ventris.

Decimus in procurantibus partum abortivum.

Undecimus in devinatoribus.

Duodecimus in affaturatoribus.

Decimus tertius in evulſoribus terminorum.

Decimus quartus in perjuriis.

Decimus quintus in heredibus ſeu executoribus teſtamentorum qui infra tres menſes non exſequuntur voluntates teſtatorum.

Decimus ſextus ſi vir relicta uxore alii adhæreat vel e converſo. In quibus caſibus facta eſt excommunicatio per epiſcopum in ſynodo.

Decimus ſeptimus in quocumque caſu jura ſeu juriſdictiones epiſcopi deſtaudantur ſeu detinentur.

Decimus octavus ubicumque eſt arduum & grave factum. Et generaliter ubicumque ſtatutum ſynodale vel conſuetudo dat juriſdictionem epiſcopo, & in omni caſu in quo facta eſt excommunicatio per ipſum epiſcopum, ut in ſuis conſtitutionibus alias factis & etiam infra ſcriptis plenius continetur.

Caveat autem ſacerdos ne peccata confitentium aliis aliquo modo pandat vel manifeſtet, nec verbo, vel geſtu, nec ſigno, nec alio aliquo modo; quia talis debet deponi, præter alias pœnas graves ſibi a jure datas.

Forma autem hujus ſacramenti ſunt verba abſolutionis quæ ſacerdos profert cum dicit, *Ego te abſolvo, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.*

Debet autem ſacerdos præmittere quando abſolvit aliquem poſt confeſſionem generalem, poſtea debet dicere: *Miſereatur tibi omnipotens Deus*, &c. *Abſolutionem & remiſſionem*, &c. poſtea debet dicere: *Et ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, quæ confeſſus es, & ab omnibus aliis quorum non recordaris, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.*

Caveat autem ſacerdos, quod ſi invenerit aliquem excommunicatum, quod non abſolvat eum a peccatis, niſi prime fuerit abſolutus ab excommunicatione, quia nulla eſſet abſolutio. Item, quærat de participatione cum excommunicatis. Nam ſi aliquis participat cum excommunicatis, non debet abſolvi a peccatis, niſi primo ſit abſolutus ab illa participatione, unde ſacerdos poteſt a tali participatione, quæ eſt minor excommunicatio, abſolvere. unde effectus hujuſmodi ſacramenti eſt abſolutio a peccatis. Et poteſt & debet hoc ſacramentum quoties peccator peccat iterari, & eſt tempus pœnitentiæ uſque ad extremum articulum vitæ.

II. *Quod prælati habeant conſtitutiones iſtas & ipſas publicent, & de pœna contra facientium.*

Cum ſit ars artium cura & regimen animarum, quanto in præſidente eſt majoris auctoritatis eminentia, tanto debet eſſe in eo

majoris claritatis intelligentia, quia si cœcus cœco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

Ut ergo qui præsidet possit, ut tenetur, sibi subditos edocere, & ipsis ducatum præstare securum, hac nostra constitutione duximus ordinandum, quod supradictas constitutiones nostras in hac synodo promulgatas, usque ad calendas Octobris proxime venturas quilibet prælatus nostræ civitatis & diœcesis recipiat de camera nostra, & quod singulis annis saltim bis in anno, videlicet prima die quadragesimæ & sexta feria quæ occurrit post festum omnium sanctorum, ipsas per se vel alium convocatis canonicis & capitulo & aliis clericis suis legat & publicet, seu ipsas eis legi & publicari procuret, alioquin in quemlibet prælatum contra facientem in his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus.

III. *De bonis communibus in ecclesiis collegiatis non dividendis, & quod ecclesiæ debitis exonerentur, & quod res & bona ecclesiæ pignori non obligentur.*

Exigit debitum prælati cujuslibet, ut circa prælationis sibi commissæ officium sit tota meditatione sollicitus, & ut perfectam villicationis sibi commissæ reddere valeat rationem, continuis debet vigiliis insudare. Sicque nos Johannes qui Dei & apostolicæ sedis gratia Reatinensi episcopatui præsidemus, tanto circa regimen & statum ecclesiarum nobis subjectarum tenemur amplius revolvere intuitum nostræ mentis, quanto in examine districti judicii tenebimur reddere rationem. Sane quod in pluribus nostri episcopatus collegiatis ecclesiis invenimus possessiones & bona immobilia ipsarum ecclesiarum communia inter prælatum & canonicos ipsarum, propter eorum ambitionem improbam inter se velle dividere, non advertentes ipsi prælati & canonici onera, quæ eisdem incumbunt ecclesiis, ex quibus ipsi sæpius excommunicati remanent, & eorum ecclesiæ interdictæ, pro eo quod eis videtur difficile tunc de bonis sic divisis persolvere quod incumbit. Nos hujusmodi ambitionibus obviare volentes, hac præsenti constitutione duximus statuendum, quod possessiones & prædicta bona omnia cujuscumque collegiatæ ecclesiæ nostræ civitatis & diœcesis, in ea qua nunc manent integritate & communione serventur, & in posterum habeantur, & quod de ipsis seu ipsarum parte nulli possit vel debeat beneficium fieri vel constitui per quemcumque, nec etiam inter prælatum & canonicos, seu ipsos dumtaxat canónicos quomodolibet dividantur, sine nostra petita & obtenta licentia speciali; sed semper ipsa bona conserventur & remanent in communi. Qui hanc autem nostram constitutionem in totum vel in partem ausu temerario violaverit publice vel occulte, directe vel indirecte, in ipsum seu in ipsos, ex nunc prout ex tunc in his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus. Hinc etiam nostræ constitutioni adjicimus, quod si contingat aliquem prædictarum collegiatarum ecclesiarum aliquas possessiones recuperare de novo quocumque modo vel causa, volumus, statuimus & mandamus, quod bona & possessiones prædictæ ad communem cameram sive mensam ipsius ecclesiæ libere revertantur, nec de ipsis possit aliqua divisio fieri, seu beneficium alicui constitui, necnon ad modicum tempus alicui locari, nec aliqua alienatio de eis fieri, sine nostra speciali petita licentia & obtenta; sed in dicta camera pure & libere absque omni fraude & dolo, pro evidenti utilitate ipsarum ecclesiarum remaneant in communi. Volumus insuper & mandamus, quod si contingat in aliqua prædictarum ecclesiarum fieri locationem, seu venditionem alicujus melioramenti facti per aliquem emphiteotam ecclesiæ, in qua requiritur consensus capituli, prædictus consensus præstari non possit, nisi in capitulo, consentiente majori parte capituli: alioquin tam in prælatum quam in quemlibet alium canonicum ipsius ecclesiæ in eisdem scriptis excommunicationis sententiam promulgamus.

Ordinamus insuper, statuimus & mandamus, quod si aliqua collegiata ecclesia existat debitis obligata, quod de fructibus communium bonorum ipsius ecclesiæ nec prælatus nec canonici possint aliquid percipere, nisi primo dicta ecclesia sit totaliter & integraliter debitis exonerata, & pignora, si qua sunt propter hoc obligata, fuerint recollecta, & ea quæ debentur seu debebuntur in posterum pro procurationibus legatorum seu notariorum apostolicæ sedis, pro juribus episcopalibus & aliis oneribus quæ incumbunt, fuerint primitus persolura. Permittimus tamen, quod si in dicta ecclesia non sit sacerdos, qui ratione sui canonicatus, præbendæ, seu beneficii debeat in ipsa ecclesia in sacerdotis officio deservire, quod de fructibus dictorum bonorum communium possit & debeat sacerdoti, qui in ecclesia ipsa residet, sine fraude aliqua provideri, & quod quilibet canonicorum ipsius ecclesiæ debeat gratis per se vel alium, secundum ordinem sui prioratus in sua septimana tamquam minister, durante dicto debito, in altaris ministerio dicto presbytero deservire: alioquin in quemlibet contra facientem seu negligentem, ex nunc, prout ex tunc, in his scriptis excommunicationis sententiam promulgamus.

Canonici nostræ ecclesiæ Reatinæ in ipsa ecclesia residentiam facientes, ad faciendum residentiam in aliis ecclesiis minime teneantur, dummodo in ipsis aliis ecclesiis faciant in divinis commode deservire. Et similiter

intelligatur in præbendariis dictæ eccleſiæ Reatinæ, dummodo non ſint prælati, nec curam habeant animarum; & quod factum ſeu attentatum fuerit contra contenta in dicta conſtitutione, nullius fore decernimus firmitatis, & contra facientes in prædictis vel aliquo prædictorum, in libris decem Puliānorum pro vice qualibet puniantur. Inſuper mandamus, ſtatuimus & ordinamus, quod nullus prælatus ſeu aliqua perſona eccleſiaſtica libros, paramenta, ſeu quæcumque alia ornamenta eccleſiæ ſuæ, multo minus bona ſtabilia audeat pro aliquo debito contracto ſeu contrahendo, abſque noſtra ſpeciali licentia, pignori obligare, ſeu vel alienare, alioquin in contra facientem in his ſcriptis excommunicationis ſententiam promulgamus.

IV. *Quod in electione ſeu poſtulatione prælati in eccleſiis collegiatis non habeant vocem, niſi in ſacris ordinibus conſtituti.*

Quoniam juxta canonicas ſanctiones, ubi majus periculum imminet, ibi procul dubio cautius eſt agendum, & inter cetera gravia imminentia in eccleſiis ordinanda, id ſit merito gravius repntandum, videlicet cum tractatur de renovatione prælatorum ipſorum. Ad hoc igitur, ut in talibus cum tanta maturitate & gravitate procedant, & ut clerici in collegiatis eccleſiis conſtituti, habeant cauſam & materiam faciendi ſe ad ſacros ordines promoveri, præſenti decreto ſtatuimus, ut cum in aliqua eccleſia collegiata civitatis vel diœceſis Reatinæ de prælato aliquo imminet electio ſeu poſtulatio aliqua facienda, quod illi tantummodo vacantis eccleſiæ canonici vocem habeant in electione ſeu poſtulatione prælati, qui ſunt vel erunt tempore electionis faciendæ in ſacris ordinibus conſtituti.

Hic duo ſunt avulſa folia in mſ.

VIII. *Quod euchariſtia cuſtodiatur, & honoretur ab omnibus.*

Item, corpus Chriſti honorifice cuſtodiatur in pixide munda vel vaſe, & cum magna reverentia coopertum portetur, præcedente tam candela quam campanella. Calix vero quo infirmi communicantur, ſit mundus, ut non faciat abominationem infirmo. Item, omnibus ſacerdotibus mandamus diſtricte, quod induti cocta (*a*) vel camiſo cum ſtola ad collum, ad infirmum deferant corpus Chriſti, alioquin ex nunc ſe pœna gravi noverint puniendos. Item, frequenter moneantur clerici & etiam pueri, ut ubicumque viderint deferri ſanctum corpus Chriſti, ſtatim genua flectant tamquam Domino & creatori ſuo, & junctis manibus, quouſque tranſierit, orent reverenter.

[*a*] Cocta ſive cota eſt veſtis clericis propria, atque, ut videtur, hic *ſuperpellicium* ſignificat. Vide Cangium ad verbum *Cota*.

IX. *Quod veſtimenta ſacerdotis ſint benedicta.*

Item mandamus, quod omnia veſtimenta ſacerdotis ſint benedicta, & alba, & munda & integra; & corporalia præcipue ſint munditſima & duplicia, & non celebretur ſine duabus tobaleis in altari, quarum una ſuperior ſit benedicta.

X. *De ſacramento corporis & ſanguinis Domini noſtri* Jesu-Christi, *& qualiter ſuppleatur quod deeſt in ſacramento.*

Sacerdos miniſtrans diligenter attendat quod hoſtia non ſit fracta, & integrum habeat circulum, & quod vinum non ſit aceioſum, & quod aquam non obmittat. Si aquam autem omiſerit, quando adverterit, apponat aquam, ſi fieri poteſt ſine ſcandalo. Si vero pro negligentia evenerit, quod perlecto canone & peracta conſecratione, nec aqua nec vinum reperiatur in calice, debet ſtatim infundi utrumque, & hoſtia ſic conſecrata ſeorſim reverenter obſervetur. Hoſtia autem nova, ſicut fieri ſolet, ante calicem apponatur, & reincipiatur in canone miſſæ *Te igitur*. Poſt conſecrationem vero prior hoſtia cum ſecunda ab ipſo ſacerdote ſumatur.

XI. *Qualiter ſe debeant habere ſacerdotes in elevatione euchariſtiæ.*

Præcipimus preſbyteris, ut quando incipiunt in canone miſſæ *Qui pridie*, tenentes hoſtiam non elevent eam nimis, ſed ante pectus detineant donec dixerint, *Hoc eſt enim corpus meum*, & tunc elevent eam decenter, cum duabus manibus, ita quod poſſit videri, & teneant hoſtiam elevatam firmam, nec volvant eam. Et poſt ſumtionem corporis & ſanguinis Domini ab exſpuendo ſe abſtineant; & ſi abſtinere non poſſunt, in loco remoto hoc faciant, qui conculcari non poſſit.

XII. *Qualiter ſe debeat habere ſacerdos, ſi aliquid de ſanguine ceciderit ſuper corporale, vel alia indumenta.*

Si quid de ſanguine Chriſti ceciderit ſuper corporale, fugenda eſt pars intincta, & ipſum corporale aliquo panno munditſimo involutum pro reliquiis eſt ſervandum. Si ſuper pallam vel aliud indumentum ceciderit; pars intincta prius fugatur, & calice ſubtus poſito tribus vicibus vino lavetur, & a ſacerdote, vel ab alio mundæ conſcientiæ ſumatur, & poſtea ſcindatur, & conſuta panno mundo ſervetur pro reliquiis: ita tamen quod ſuper pannum cedula conſervetur, continens: *Super hoc linteamina ſtilla cecidit ſacramenti*; vel prædicta pars ſciſſa comburatur, & cinis in ſacrario reponatur. Si autem ſuper lapidem, lignum, terramve ceciderit, lingendus, tergendus, & radendus eſt locus ille, & pulvis in ſacrario reponendus. Sacerdos autem ſeu miniſter cui illud acciderit, ad epiſcopum debet mitti, ad recipiendum

spiritualem pœnitentiam salutarem.

XIII. *Quid faciendum, si musca, vel aranea, vel aliquid tale ceciderit in calice*

Si musca, vel aranea, vel aliquid tale in calicem ceciderit, quod vix sine vomitu & aliquando sine periculo corporis sumi potest, prius amoto quod ceciderit, sanguis sumatur, & postea illud quod accidit tribus vicibus calice subterposito, vino lavetur, & lotura sumatur a sacerdote, vel alio mundæ conscientiæ, & sic lotum in piscina comburatur. Quod si fides ipsa id quod ceciderit quempiam sumere fecerit, Deo gratias.

XIV. *Si sanguis congeletur in calice.*

Item, si contingat sanguinem in calice congelari, debet sacerdos tamdiu super exhalare, donec dissolvatur, vel ponat calicem reverenter juxta prunas, quousque dissolvatur.

XV. *Qualiter reponatur calix post missam.*

Calix post missam panno mundissimo involvatur, non ministri panno, in quo eum involvunt, intus tergant, sed alio panno ad hoc specialiter deputato, qui dum non satis decens fuerit necessitate attritus, in sacrario comburatur. Sacrarium autem dicitur locus, id est fenestra facta in muro ecclesiæ juxta altare cum clavi firmata deforis, in qua sacra reponuntur. Quod sacrarium volumus & mandamus, sub pœna nostro arbitrio infligenda, omnes ecclesias nostræ civitatis & diœcesis habere, quam citius fieri potest.

XVI. *Quod in altari in quo tabula fracta fuerit, non celebretur.*

Præcipimus, quod in altari, in quo tabula notabiliter fuerit fracta, sacerdos non celebret, donec altare consolidetur, & iterum consecretur. Ampullæ quoque vini & aquæ in ministerio altaris sint mundæ, & integræ, nitidæ, stagneæ vel argenteæ. Ad ablutionem manuum vas grandius deputetur.

XVII. *De piscinis & manutergiis juxta altare habendis.*

Provideat etiam sacerdos, quod piscinas habeat juxta altaria, decentes & mundas, ablutionibus cursum liberum exhibentes: quas non sine opertorio relinquat. Illud etiam sacerdotes celebraturi missas omnino procurent, quod antequam sacerdotalia induant vestimenta, manus habeant bene lotas, & postea celebrando divina, tria habeant manutergia, quorum unum pendeat ad dextrum cornu altaris, quo utantur sacerdotes in lotione manuum, quæ debet fieri postquam sacerdos obtulit panem & vinum & eadem incensavit; reliquum vero pendeat ad sinistrum cornu altaris, quo non utantur nisi post sacramenti sumtionem: & tertius pendeat juxta missale, ad tergendum os & nares, si opus fuerit sacerdoti.

XVIII. *De ablutione corporalium, linteaminum, & indumentorum sacerdotalium.*

Sacerdos sive diaconus corporalia sæpe abluat indutus superpellicio, in vase mundo, ad hoc specialiter deputato, & omnes ablutiones, si fieri potest, in piscina reponantur, ubi altare prima, ceteræ autem in baptisterio. Item, linteamina altaris & indumenta sacerdoralia, nonnisi a sacerdote vel diacone, vel aliqua honesta matrona vel virgine, sine appositione aliorum pannorum, convenienter, quando opus fuerit, abluantur: ita ut munda & nitida conserventur, quia nimis est absurdum sordes esse in vestibus sacris, quæ dedecorant etiam in prophanis. Linteamina etiam sacra vetustate attrita, sacris inutilia, in loco mundissimo secrete comburantur, & pulvis juxta parietem ecclesiæ secreto, ita quod laici non videant, recondantur, quia posset intuentes inducere in errorem.

XIX. *De custodia chrismatis, olei & eucharistiæ.*

Statuimus, ut per omnes ecclesias chrisma, oleum, & eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur: ita quod non possit ad illa impia manus extendi. Si autem is ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio & beneficio suspendatur; & si per ejus incuriam aliquid inde nefandum contigerit, gravius puniatur. Caveant etiam sacerdotes, quod hostias non consecratas non reponant cum hostiis consecratis.

XX. *Quod supellectilia vel alia quæcumque vasa non debeant teneri vel gubernari in ecclesia.*

In concilio prohibetur, & nos præcipimus inviolabiliter observari, ne supellectilia sacerdotis propria seu alia in ecclesiis admittantur aut etiam teneantur, nisi propter hostiles incursus aut incendia repentina, ad eas oporteret haberi refugium, sic tamen ut necessitate cessante ad loca pristina reportentur.

XXI. *Quod singuli capellani habeant librum pro baptismo & divinis officiis.*

Librum qui dicitur manuale, habeant singuli presbyteri parochiales, ubi continetur ordo baptismi, catechismi, extremæ-unctionis, & libros alios in quibus possunt diurnum & nocturnum officium celebrare. Suademus autem quod missale & breviarium habeant secundum ritum Romanæ curiæ.

XXII. *Quod divino officio celebrato, claudantur ecclesiæ.*

Præcipimus sacerdotibus diœcesis nostræ, ut divino officio celebrato, & populo regresso ad propria, ecclesias suas claudere debeant diligenter.

XXIII. *Quod nullus clericus sententiam sanguinis proferat, dictet, exerceat, aut scribat, aut interfit, nec per chirurgiam adustionem vel incisionem faciat.*

Nullus clericus sententiam sanguinis dictet aut proferat, aut sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur interfit, nec quisquam

clericus litteras dictet aut ſcribat pro vindicta ſanguinis deſtinandas, nec ullam partem chirurgiæ exerceat, quæ aduſtionem vel inciſionem inducit.

XXIV. *De quibus debeant ſacerdotes inſtruere populum.*

Item, præcipimus quod ſacerdotes moneant, quod parentes doceant pueros eorum fidem noſtram, ſcilicet *Credo in Deum. Pater noſter. Ave Maria.* debeant etiam inſtruere populum eorum & docere ſeptem ſacramenta eccleſiæ. videlicet baptiſmum, confirmationem, pœnitentiam, euchariſtiam, matrimonium, extremam-unctionem, & ordinem.

XXV. *De ſacramento baptiſmi.*

Item, doceant viros & mulieres de ſuis parochiis, qualiter in neceſſitate, ſi non poteſt haberi copia ſacerdotis, debeant baptizare, videlicet ſic, ut primo detur nomen infanti, & nominent eum nomine ſuo, mittant in aquam tribus vicibus dicendo, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.* & non dicant plus, neque minus, & inquirat ſacerdos diligenter ab illo vel ab illa, qui eum baptizavit, ſi ſervavit prædictam formam. Et ſi ſacerdos invenerit formam ſervatam, inungat puerum oleo ſancto & chriſmate, & faciat totum officium, ſicut docent libri, & non mittat populus puerum in aquam. Si vero forma prædicta verborum non ſit ſervata, baptizet puerum, & mittat ipſum in aquam, & faciat totum officium ſicut eſt in libris. Et ſi dubitetur numquid forma verborum ſit ſervata vel non, baptizet eum, & mittat ipſum in aquam, & dicat ſic expreſſo nomine ſuo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.* Et faciat totum illud officium, ſicut dicunt libri. Et eſt ſciendum quod aqua baptiſmi debet eſſe aqua naturalis, & non refert ſi clara ſit vel turbida, vel ſi ſit frigida vel calida.

XXVI. *De ſacramento confirmationis.*

Item, moneant ſacerdotes frequenter populum ad confirmationem puerorum, quæ debet fieri per epiſcopum loci, & quod pater & mater non debent tenere filium ſuum in confirmatione, & quod nullus debet bis confirmari, & quod ille qui portat puerum ad chriſmandum, portet ligamen quo ligatur puer in fronte, & portet puer confirmatus ligamen in fronte per totum illum diem, & poſtea in ſero dictum ligamentum comburatur in igne, & cinis ponatur ſub terra. Item, notificent & doceant populum, quod ita bene contrahitur paternitas & maternitas, compaternitas, & confraternitas in ſacramento chriſmatis ſicut in ſacramento baptiſmi.

XXVII. *De ſacramento extremæ-unctionis.*

Item, inducant ſacerdotes populum ad recipiendum extremam-unctionem, quando dubitaverint de morte alicujus, dicentes quod per virtutem illius ſacramenti peccata dimittuntur infirmis pœnitentibus, & aliquando redditur ſanitas corporalis, aliquando etiam infirmus incitatur ad veram confeſſionem, contritionem & æterni gaudii conſideracionem. Doceant quoque populum, quod iſtud ſacramentum poteſt reiterari & compluries recipi, ſcilicet quotiens quis infirmatur ad mortem.

XXVIII. *De ſacramento pœnitentiæ.*

Item, moneant ſacerdotes frequenter populum, ut peccata ſua confiteantur, non tantum ſemel in anno; ſed pluries, immo totiens quotiens ſciunt ſe peccaſſe mortaliter, & doceant confiteri, ſcilicet de voluntate peccandi, de delectatione quæ habetur in cogitatione, de ipſo actu peccati, de conſuetudine & diuturnitate peccati, de dilatione faciendi confeſſionem, de eo quod receperit corpus Domini fortaſſis in peccato mortali, de pravo exemplo quo alios corruperit, & de circumſtantiis peccatorum ſuorum, ſcilicet de loco & tempore quo factum eſt peccatum, de qualitatibus, & numero perſonarum in quibus & cum quibus, quorum auxilio, quorum conſilio, & quorum miniſterio vel conſenſu, factum eſt peccatum, & mandamus quod ſacerdotes non compellant eos, ut nominatim exprimant perſonas, cum quibus peccaverunt; ſed inquirant ſolummodo qualitatem cauſarum, ſcilicet peccati, & circumſtantias peccatorum & hoc in generali.

XXIX. *Quod confeſſio ſit integra, & quod præcipiant quod fiat ſatisfactio de alienis.*

Item, moneant ſacerdotes populum, ut faciant confeſſionem integram & univerſalem de omnibus ſuis peccatis, & dicant quod aliter non valet confeſſio ad ſalutem; & præcipiant expreſſe confitentibus de reſtitutione uſurarum, rapinarum, & furtorum, ſeu quorumlibet injuſte ablatorum, ſeu damnorum per eos illatorum, & ſpecialiter de ſatisfactione decimarum, & de ablatione famæ, & notificent eis, quod quando aliquis infirmatur, abſolvi non poteſt, niſi ſibi famam reſtituat, neminem abſolventes a quocumque mortali peccato, niſi promittant vel ſaltem proponant abſtinere ab illo. Invitent tamen illum ad eleemoſynam & ad jejunia, & ad alia bona opera, ſi noluerint abſtinere.

XXX. *Quod pro alienis rebus ablatis non injungantur miſſæ vel jejunia.*

Item, caveant ſacerdotes in pœnitentiis injungendis, quod pro furto, rapina, uſura & quacumque illicita occupatione, vel retentione rei alienæ, & in omni damnificatione & infamatione proximi non injungant miſſas cantandas, ſed jejunia vel eleemoſynas faciendas; & quod fiat reſtitutio, ſi fieri poteſt, in ſpeciali, vel ſaltem in generali.

XXXI. *Quod nullus audiat confessionem alterius parochiani.*

Item, caveant sacerdotes, quod nullus audiat confessionem parochiani alterius sacerdotis, nec sibi det corpus Christi, nec ipsum ad sepulturam recipiat, sine nostra speciali licentia, vel sui proprii sacerdotis.

XXXII. *De forma absolvendi usurarios in confessione.*

Item, volumus & mandamus quod sacerdotes quærant ab usurariis, cum confitentur, quantum habuerunt de usuris, & a quibus personis, & si parati sunt illud restituere ad præsens si possunt, & promittant illas usuras non exigere, absolvant eos & recipiant pignora vel fideijussores idoneos per fidelem notarium super restitutione usurarum secundum formam infra scriptam, quam omnes presbyteros habere volumus civitatis & diœcesis Reatinæ. Et si in furtum usurarium mori contigerit, instrumentum super restitutione usurarum ab hominibus suis nomine eorum a quibus sunt usuræ extortæ, recipiant presbyteri, antequam sepeliantur.

XXXIII. *Forma cautionis usurariorum.*

Forma cautionis usurariorum hæc est videlicet: Ego N. mea bona voluntate, nullo me cogente, vel vim aliquam faciente, sana mente, puroque intellectu existens, pro salute animæ meæ in manibus presbyteri, mei, confessoris scilicet, ac patrini mei, donatione inter vivos irrevocabiliter remitto ex nunc omnes usuras, quas recipere debeo a quocumque: absolvens & liberans universos qui eas mihi præstare tenentur. Et volo, & mando, atque condemno illum seu illos, qui ad successionem bonorum meorum venerint, sive ex testamento vel ab intestato, ut omnes usuras a me habitas & receptas restituant infra mensem, vel ad majorem terminum, secundum quod domino episcopo videbitur convenire: quarum quantitatem extimo tot floren. auri, *& ponatur certa quantitas & talis, de qua sit verisimile, ita esse*, & omnes alias usuras, quas quis in foro domini episcopi Reatini, vel delegati ab eo, vel in competenti curia sæculari, nisi vel alii meo nomine probaverint se solvisse, satisfaciant de eis conquerentibus sine strepitu & figura judicii, & sine appellatione, prout sententiatum fuerit.

XXXIV. *Casus in quibus sunt pœnitentes ad episcopum remittendi.*

Item, volumus & mandamus, quod sacerdotes remittant ad episcopum ad recipiendam pœnitentiam, illum vel illos qui gravia fecerunt peccata, sicut homicidium, truncationem membrorum, sacrilegium de corpore Christi, sive chrismate, vel oleo sancto; falsum testimonium, incestum, injectionem manuum in patrem vel in matrem, in clericos & alios religiosos; item, fractiones votorum; item, detentores male ablatorum incertorum; item, hæreticos, falsarios, schismaticos, incendiarios, illos vel illas quorum vel quarum pueri sine baptismate decesserunt, & illi vel illæ quorum infantes ad latus eorum in eodem lecto oppressi & mortui sunt, & eos vel eas qui contra Deum & B. Virginem & aliquem sanctorum in blasphemiam linguam relaxare præsumserint, necnon & omnes qui essent per constitutiones nostras excommunicationis vinculo innodati, ut sunt illi vel illæ, qui vel quæ devastant vel devastari procurant ventres; item, procurantes partum abortivum; item, divinatores, affacturatores, terminorum evulsores, falsi testes, seu perjuri, item heredes seu executores testamentorum, qui in tres menses non exsequuntur voluntates testatorum, maxime in relictis ad pias causas. Item, qui defraudant in quocumque casu, seu detinent jura seu jurisdictionem nostram. Item, qui occupant possessiones & quæcumque jura quarumcumque ecclesiarum. item, qui procurant aliquam fraudem, propter quam episcopus defraudetur quarta, quam debet habere de omnibus relictis pro anima. item, omnes conspiratores & conjuratores; item, omnes statuarii, consiliarii & officiales quicumque, qui condent vel faciunt statuta, ordinamenta, seu reformamenta quæcumque contra ecclesiasticam libertatem vel in præjudicium jurium & jurisdictionum nostrarum ecclesiæ Reatinæ, & aliarum ecclesiarum civitatis & diœcesis Reatinæ, necnon potestates, capitanei & alii rectores, quicumque judices assessores, & notarii, & alii quicumque, qui in prædictis dederint consilium, auxilium, vel favorem, & advocati & procuratores, qui statuta, ordinamenta, & reformamenta hujusmodi allegaverint, seu proposuerint in quacumque causa, & quicumque dictis statutis, ordinamentis, & reformamentis uretur, quocumque quæsito colore. item, omnes qui arengant seu consulunt publice vel private, quod aliquid fiat contra ecclesiæ libertatem, prout patet manu Matthæi Barnabei notarii, & generaliter in omnibus aliis casibus, in quibus in constitutionibus nostris est lata sententia excommunicationis, tamen in articulo mortis possint absolvi, dummodo sanitati restituti ad episcopum remittantur, præter usurarios, qui non absolvantur, nisi secundum formam infra scriptam.

XXXV. *De observantia jejuniorum.*

Item, volumus & mandamus, quod sacerdotes præcipiant omnibus qui possunt servare jejunium quadragesimale, quatuor temporum, & alia jejunia ab ecclesia ordinata, quod ipsa jejunia faciant & observent.

XXXVI. *De sacramento corporis Christi.*

Item, doceant sacerdotes populum, quod omnes debeant communicare semel in anno ad minus, scilicet in resurrectione Domini, & quod debeant se parare per universalem & integram confessionem ad hoc ut digne communicent.

communicent. Si quis autem non communicat ſemel in anno, excludatur ab eccleſia; & ſi moriatur, careat eccleſiaſtica ſepultura, niſi forte propter aliquam juſtam cauſam ſacerdos ſuus eidem inhibuerit ut recipiat corpus Chriſti.

XXXVII. *De ſacramento matrimonii.*

Item, mandamus quod ſacerdotes moneant populum & præcipiant, ut nulla perſona jungatur alii matrimonio, quæ ſibi attineat in quarto gradu vel in quartum gradum. Inſuper eſt ſciendum, quod in quinto gradu conſanguinitatis & affinitatis & ſupra, poſſunt matrimonia licite fieri, & etiam ſi unus contrahentium ſit in quarto gradu & alius in quinto, & ſi in computatione graduum aliqua emerſerit dubitatio, in hoc diffinitio epiſcopi requiratur, nec ſacerdos quiſquam audeat in caſu dubio conſentire quod matrimonium perficiatur, epiſcopo inconſulto; ſed ad ipſum referat quando emerſerint in matrimoniis aliquæ quæſtiones. Præterea ſacerdotes inveſtigent, utrum in matrimoniis contrahendis aliquod impedimentum conſanguinitatis vel affinitatis obſiſtat, & ſi objectum fuerit aliquod impedimentum, vel contra matrimonium appareat aliqua probabilis conjectura, matrimonium interdicatur expreſſe, donec fuerit per epiſcopum declaratum. nos enim in omnes, qui ſcienter matrimonium contrahunt in quarto gradu conſanguinitatis ſeu affinitatis, vel in quartum gradum; & in omnes qui ſcienter ad hoc dederint conſilium, auxilium & favorem, in his ſcriptis excommunicationis ſententiam promulgamus. Item, doceant populum quod tempore feriatum, ſcilicet ab adventu uſque ad octavam epiphaniæ, & a ſeptuageſima uſque ad octavas paſchæ, & tribus ſeptimanis ante feſtum S. Johannis-Baptiſtæ traductio uxorum, nuptiarum ſolemnitas, & carnalis copula prohibetur.

XXXVIII. *De ordine.*

Sciendum eſt quod ordines eccleſiaſtici non poſſunt conferri, niſi per epiſcopum, & qui ordines percipiunt, debent ante omnia ipſorum confiteri peccata. Item, mandamus quod nullus ordinandus ſolvat aliquid pro prima ſcriptura.

XXXIX. *Quod nullum pactum fiat pro ſacramentis eccleſiaſticis.*

Inhibemus ne aliquis pro pœnitentia, extrema unctione, vel aliis ſacramentis miniſtrandis, vel pro miſſis cantandis aliquod pactum faciat vel pretium petat, ſi tamen aliquid gratis & ſine pacto ſacerdotibus conferatur, poſſunt recipere confidenter.

XL. *Quod clerici non lanient facies ſuas.*

Item, mandamus quod clerici in ſuorum obitu defunctorum, facies & capillos non lanient, nec inordinate incedant, aut incompoſiti tamquam laici.

XLI. *Quod in miſſa habeantur crux & lumen candelæ cereæ.*

Item, præcipimus quod omnes preſbyteri civitatis & diœceſis Reatinæ crucem ad memoriam paſſionis Chriſti, & lumen candelæ dum celebrant ſemper habeant in altari: contra facientes pœna debita puniemus.

XLII. *Quod quæſtuarii & alii ignoti presbyteri non recipiantur.*

Item, nullus recipiat aliquem quæſtuarium & ignotum, ſeu aliquem extraneum ad prædicandum vel miſſam celebrandum in eccleſia vel parochia, niſi prius per verum nuncium vel litteras fuerit intimatum, ne forte ſub pietatis & æquitatis nomine iniquitas committatur, & impietas pallietur; & nullus ſacerdos auctoritate laici audeat celebrare, vel ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrare, niſi nobis primo fuerit præſentatus, & licentiam a nobis habuerit miniſtrandi.

XLIII. *Quod in qualibet eccleſia reſervetur tantum in communi.*

Item, diſtricte mandamus, quod in qualibet eccleſia collegiata tantum omni anno de communibus proventibus reſervetur, quod ſufficere poſſit pro expenſis neceſſariis faciendis, & pro omnibus & ſingulis oneribus ipſis eccleſiis incumbentibus quoquo modo, & quod decimæ dictarum eccleſiarum in dictis eccleſiis integræ reducantur, & quod ſupervenerit de ipſis decimis & aliis obvenientibus in communi intra reſidentes in ipſis eccleſiis dividatur, non obſtantibus aliis conſtitutionibus: & hoc locum non habeat in canonicis & præbendariis eccleſiæ Reatinæ in ea reſidentiam facientibus.

Item, præcipimus & mandamus ſub pœna excommunicationis & alia noſtro arbitrio infligenda, quod quicumque clericus, cujuſcumque ſtatus vel ordinis, recipit in eccleſia vel ad domum candelas pro mortuis, quod ipſas inconſtinenti accendat, & ſic accenſas teneat quouſque officium ſit completum.

XLIV. *Quod presbyteri habeant & publicent has conſtitutiones.*

Ut autem memoriæ commendent quæ ſuperius ſcripta ſunt, diſtricte præcipimus, ut omnes abbates, præpoſiti, archipreſbyteri, capellani & preſbyteri, qui curam habent animarum, has conſtitutiones habeant uſque ad menſem, & ad minus ſemel in menſe, videlicet prima dominica cujuſlibet menſis, de prædictis verbum faciant ad populum, maxime de baptiſmo, de confirmatione, de unctione extrema, de confeſſione, de ſacramento Domini noſtri Jesu-Christi, de uſuris, de decimis, de matrimonio, de recipiendo corpore Chriſti. quod ſi non fecerint, a nobis tamquam rebelles & contumaces graviter punientur.

XLV. *Conſtitutio de tonſura & habitu clericorum.*

Item, inſuper mandamus, quod nullus

ſacerdos portet collaria in veſtibus ſuis, præterquam in tabartis. & qui dicta collaria in veſtibus ſuis habent, infra ipſum terminum de dictis veſtibus ſtudeant amovere; alioquin graviter punientur. Item, monemus pro primo, ſecundo & tertio peremtorie, generaliter omnes clericos civitatis & diœceſis Reatinæ, quod portent tonſuram & habitum clericalem, ſi cupiunt defendi pro clericis, & gaudere privilegio clericali: alioquin ipſos non intendimus pro clericis defenſare.

XLVI. *Quod nullus in eccleſia vel oratorio offendatur.*

Eccleſiarum noſtrarum immunitatem volentes modo debito conſervare, ſicut decet, ſub anathematis vinculo prohibemus, ne quis deceptus in aliqua eccleſia vel oratorio civitatis & diœceſis Reatinæ, aliquod maleficium committat, ſeu aliquem percutiat ligno, ferro, vel lapide in eadem. In contra facientes in his ſcriptis excommunicationis ſententiam promulgamus.

XLVII. *Quod non præſtetur impedimentum in executionibus teſtamentorum.*

Item, excommunicamus in his ſcriptis omnes illos vel illas, qui vel quæ indebite præſtarent aliquod impedimentum in executionibus teſtamentorum, in his quæ ad pias cauſas pertinere noſcuntur.

XLVIII. *Contra illos qui impediunt quod cauſæ eccleſiæ non tractentur in foro noſtro.*

Item, excommunicamus omnes illos qui quoquo modo impedierint vel procuraverint directe vel indirecte, ne cauſæ quæ ad forum eccleſiaſticum de jure vel de conſuetudine pertinere noſcuntur, in foro noſtræ curiæ ventilentur.

XLIX. *Contra illos qui impediunt relicta pro fabrica eccleſiæ Reatinæ & aliarum eccleſiarum, vel pro incertis, vel impediunt nobis debitam canonicam portionem.*

Item, excommunicamus omnes illos & illas, qui vel quæ retrahent aliquam vel aliquos, qui vellent inter vivos vel ultima voluntate dare vel relinquere pro fabrica eccleſiæ Reatinæ, vel aliarum eccleſiarum civitatis & diœceſis Reatinæ, ſeu quocumque colore quæſito impedimentum præſtiterint in prædictis, per ſe vel per alium, directe vel indirecte, publice vel occulte, & nihilominus ſi tales religioſi exiſtant, vel preſbyteri ſæculares, quibus aliquam gratiam ſeu commiſſionem feciſſemus de caſibus noſtris, ipſam poteſtatem & gratiam ex nunc revocamus, caſſamus & annullamus. Et ſi poſtmodum aliquo tempore de novo religioſi vel preſbyteri ſupradicti hujuſmodi gratiam a nobis ſubreptitie impetrarent, ex nunc decernimus ipſam tamquam ſubreptitie impetratam, viribus omnino carere, niſi prius de damno hujuſmodi ſatisfaciant eccleſiæ Reatinæ; & prædicta extendi volumus ad fratres ſcientes exceſſus hujuſmodi, & non revelantes prælato ipſorum. Et ſi dictus prælatus poſtquam prædicta ad ejus notitiam pervenerint, dictum fratrem, omnino fraudulenta mora ceſſante, non punierit tamquam pro gravi culpa, ex nunc prout ex tunc, revocamus & annullamus quaſcumque gratias tam in confeſſionibus audiendis, in caſibus noſtris, quam indulgentiis concedendis per nos conceſſis quibuſcumque fratribus ejuſdem ordinis, qui ſunt in conventu in quo moram trahunt fratres hujuſmodi delinquentes. Idem facimus de illis qui procurant, quod relicta pro malè ablatis incertis convertantur in aliquos certos uſus. Idem de illis qui aliquam fraudem committunt, ut fraudetur canonica portio de his quæ ad pias cauſas vel pro anima relinquuntur.

L. *Quod omnes poſſeſſiones eccleſiæ ſcribantur in miſſali vel breviario.*

Item, præcipimus quod in qualibet eccleſia in fine miſſalis vel breviarii omnes poſſeſſiones eccleſiæ fideliter ſcribantur, & inventarium de omnibus iſtis prænotatum fiat, uſque ad unum menſem, ſub pœna excommunicationis, & alia pœna noſtro arbitrio ferenda.

LI. *Quod bona mobilia vel immobilia eccleſiarum non alienentur.*

Item, excommunicamus omnes illos qui in poſterum vendent, vel ement, vel ſub pignore ponent vel recipient, ſeu quocumque alio modo alienabunt aliquam rem immobilem vel etiam mobilem, puta crucem, ſeu calicem, libros, paramenta ab aliqua eccleſia vel monaſterio, ſine noſtra licentia ſpeciali; & ex tunc evacuamus & caſſamus omnem contractum, quem fieri contigerit ſuper hoc.

LII. *Quod poſſeſſiones eccleſiaſticæ non locentur conſanguineis clericorum, nec etiam aliis ad tertiam generationem, vel ultra decem annos ſine noſtra licentia.*

Ad audientiam noſtram pervenit, quod animarum inimica cupiditas ſic aliquorum ex clero noſtro animos miſerabiliter obcœcavit, quod nonnulli ex eis affecti ad proprium ſanguinem, aliquo vero corrupti pretio, domos, caſalitia, terras, vineas, hortos, poſſeſſiones, reditus, jura, juriſdictiones, & alia bona eccleſiarum quibus præſunt, ſeu in quibus beneficia obtinent, nonnullis clericis ſeu laicis, aliquibus conſanguineis eorum ad vitam, quibuſdam vero, non ad modicum tempus licet ad firmam, vel ſub cenſu annuo locare præſumunt, in eccleſiarum ipſarum non modicam læſionem. Cum itaque hujuſmodi bona locata interdum diuturnitas temporis oblivioni demandet, interdum, ne illorum, qui locationem, recipiunt, continuata poſſeſſio alias ſubripiat, immo creſcente oblivione poſſideat quaſi ſua, hujuſmodi bona talis locationis prætextu eccleſiis ipſis depereunt & transferuntur in extraneos poſſeſſo-

res. quare cum noſtra interſit noſtrarum civitatis & diœceſis læſis eccleſiis ſubvenire, ordinaria auctoritate ſtatuimus univerſis & ſingulis prælatis, capitulis, collegiis, conventibus, rectoribus, canonicis, clericis, yconomis & procuratoribus quarumcumque eccleſiarum & locorum eccleſiaſticorum noſtrarum civitatis & diœceſis, tenore præſentium diſtrictius inhibentes, ne ipſi communiter vel diviſim, alicui ſeu aliquibus eorum, vel alicujus ipſorum conſanguineo vel conſanguineis, ex maſculina vel feminina linea deſcendentibus, uſque ad quintum gradum, aliquid ex prædictis bonis eccleſiaſticis ultra triennale tempus, nec etiam aliis perſonis in tertiam vel ad quartam generationem, ſeu ultra decennium de cetero quomodolibet, ſine noſtra licentia & conſenſu locare, ſeu in emphiteoſim dare præſumat. quod ſi ſecus actum fuerit, nos locationes hujuſmodi, & quicquid ſequitur ex eis, ex nunc prout ex tunc, viribus vacuamus, bonaque locata ſeu in emphiteoſim data ad jus & proprietatem eccleſiæ, ac eccleſiarum, cujus vel quarum fuerint, penitus revocamus. Et nihilominus in locatores ipſos pro contemtu & tranſgreſſione conſtitutionis & inhibitionis noſtrarum hujuſmodi, & in ipſos prædictas locationes recipientes in his ſcriptis excommunicationis ſententiam promulgamus, contra eos etiam gravius proceſſuri, ſi opus fuerit, & protervia exegerit eorumdem, eamdem excommunicationis ſententiam ferimus in omnes tam dantes, quam recipientes ſcienter aliquam rem in emphiteoſim ſeu . . . . damnoſum eccleſiis quibuſcumque.

Lectæ & promulgatæ fuerunt dictæ conſtitutiones & ſententiæ per ipſum dominum epiſcopum, Reate, in palatio papali, in generali ſynodo, præſenti capitulo Reatino, hodie die VI. aprilis, decima tertia indictione, coram his teſtibus, ſcilicet dominis Thoma archipreſbytero eccleſiæ S. Johannis de Statua, Angelo archipreſbytero eccleſiæ S. Elpidii Reatinæ diœceſis, magiſtro Tenibrale de Reate canonico Reatino, domino Thomaſio Capuano, & domino Jacobo Pe

præbendariis eccleſiæ Reatinæ & aliis pluribus, & etiam magna multitudine alia prælatorum, canonicorum & clericorum, civitatis & diœceſis Reatinæ anno Domini MCCCXV. eccleſia Romana paſtore vacante.

STATUTA INSIGNIS ECCLESIÆ

Rothomagenſis, anno MCCCLXI. edita.

Ex ſchedis noſtri Franciſci Pommeraye.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

CUm nos decanus & capitulum Rothomagenſis eccleſiæ intra clauſtra cordis noſtri curis ſollicitamur continuis, & aſſidua meditatione urgemur, quod in noſtra eccleſia cultus divinus cum veneratione debita laudabiliter obſervetur, creatorique noſtro & beatæ Mariæ Virgini ejus matri, in cujus honore eſt ipſa eccleſia fabricata, cum honeſtate & devotione congrua ſerviatur. Et quia ex magiſtra rerum experientia didicimus & videmus, quod in ipſa eccleſia per aliquos morbus contagioſus noviter inolevit, per quem divini officii cultus hujuſmodi diminutionem patitur & derectum, ac multæ inhoneſtates & inſolentiæ circa miniſtros eccleſiæ pullulant & naſcuntur, ex quibus ſcandala multoties in eadem eccleſia generantur, & fidelium devotio multipliciter enervatur; & cum præfatus morbus ejuſque contagio quotidie invaleſcat, & amplius invaleſcet; niſi eidem celeri remedio obvietur. Quapropter experimenta malorum nos cogunt neceſſario ad hoc invenire & etiam apponere convenientia remedia medicinæ, cum novis morbis nova convenit antidota præparare: attendentes quod illud quod medicamenta morbis exhibent, hoc conſtitutiones, & ſtatuta quæ vim legum & canonum obtinent, negotia præparant & miniſtrant; & ne talis morbus in eadem eccleſia amplius invaleſcat, neceſſario compellimur, ut tam per renovationem antiquorum ſtatutorum ejuſdem eccleſiæ, quam aliis remediis competentibus & neceſſariis eidem celeriter occurramus, ut cultus divinus, ejus decor, honor ipſius eccleſiæ, ac perſonarum honeſtas & modeſtia in poſterum conſervetur. Hinc eſt quod nos deliberatione inter nos in noſtro capitulo generali, quod fuit anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo primo, in craſtino aſſumptionis beatæ Virginis Mariæ, cum continuatione plurium dierum ſubſequentium, habita diligenti, ad honorem Dei & beatæ Mariæ Virginis, totiuſque cæleſtis gloriæ ſupernorum, & etiam ut ea quæ fidelium devotionem excitent augmentemus, & in omnibus quæ in eadem eccleſia ſcandala generant, quantum in nobis eſt poſſibile, totis viribus obviemus, infraſcriptas conſtituriones & ſtatuta concorditer & unanimiter duximus ſtatuenda. Et quia ea quæ in ſcriptis provide ſtatuuntur futuris temporibus magis memoriæ commendantur, ea in ſcriptis ordinamus in modo qui ſequitur redigenda.

I. Ordinamus & etiam ſtatuimus, ut divinum officium apte & ordinate cum bona pſalmodia fiat in choro noſtro competenter & tractim, & cum pauſatione ad punctum decenti, nec incipiat pars altera chori verſum, donec verſus ex parte altera finiatur, teneaturque, quantum fieri poterit, pſalmodia in eadem voce qua incipitur; quod ut facilius fiat, is qui pſalmum incipit, nec nimis alte, ſed in voce mediocri incipiat, habita tamen differentia inter dies ſolemnes

& profectos. Cantorique ac etiam succentori & eorum locum tenentibus firmiter præcipimus, ut hoc faciant diligentius observari; quibus & eorum cuilibet in prædictis omnes reverenter præcipimus obedire, & idem de cantu etiam duximus ordinandum: & si supradicti non obedierint in præmissis, per decanum & capitulum puniantur.

2. Item, quod canonici, capellani, vel clerici chorum regentes cum illis de secunda vel prima forma, quamdiu contingit in choro divinum officium celebrati, nullatenus loquantur seu confabulentur, nec aliquis canonicus, capellanus vel clericus chori, de stallo in stallum, vel de una parte chori ad aliam partem vagando, cum socio confabulari præsumat, nec aliquod habere colloquium, nec illi de prima forma cum illis de ultima, & econtra, vel alias inter se confabulando loquantur, nisi causa divini servitii, & hoc voce submissa; & tunc cito transeant & recedant breviter, & prolocutione prædicta, quia ex hoc in choro divinum servitium & multorum devotio perturbantur; & qui in contrarium de cetero attentaverit, si canonicus fuerit, in capitulo arguatur; si vero capellanus vel clericus fuerit, per decanum, cantorem, succentorem, vel eorum locum tenentes, vel diætarium ibidem publice increpetur; & si incorrigibilis inventus fuerit, per decanum & capitulum amplius puniatur juxta ipsius pertinaciæ qualitatem.

3. Item, cum capellani & clerici nostri chori in ipsa ecclesia capellanias obtinentes, & alii communiam recipientes, in obitibus & aliis divinis officiis, ex quibus aliqui debent personaliter & continue interesse, nec recedere ab eisdem, absque licentia a diætario vel hebdomadario petita, de statuto antiquo ecclesiæ supradictæ; & tamen his diebus, non obstante prædicto statuto, statim quod veniant sine causa legitima, non petita licentia nec obtenta, insalutato hospite, chorum derelinquunt, ex quo divinum officium diminutionem patitur ac etiam detrimentum: quapropter renovando prædictum antiquum statutum, statuimus ut capellanus vel clericus capellaniam in ipsa ecclesia obtinens, vel alius quicumque communiam ibidem recipiens, de cetero cum ad servitium obituum & alia officia divina chorum intraverit, exinde non exeat, officio non completo, nisi ex causa legitima exire vel alias necessario compellatur: & hoc de licentia decani, vel in ejus absentia, cantoris, succentoris, hebdomadarii, seu diætarii, per ordinem petita & obtenta; & si alio modo recesserint, ipsi communiam quam debent habere in illo obitu vel alio divino servitio, a quo sic illicentiati recedunt, ipso facto, amittant, & eorum defaultarii eos in defectu ponant, ac si in dicto officio non fuissent, & eisdem defaultariis sub eorum juramento & pœna perjurii districte præcipimus, ut quotiescumque aliquem viderint, ut supra dictum est, recedentem, ipsi statim eum in defectu apponant, nemini quoad hoc deferendo, vel gratiam faciendo.

4. Item, cum nonnulli capellani vel clerici chori dictæ ecclesiæ, qui ad personalem continuam residentiam in eadem tam ex fundatione suorum beneficiorum, quæ ibi obtinent, quam alias sunt astricti, asserant & abusive, ipsos debitam residentiam facere in eisdem, si in suis ordinibus existentes, interssint in ecclesia quoquomodo, quamvis ipsi in ordinibus eorum minime deserviant in eadem. Nos juxta juris communis declarationem, declarando statuimus, illos capellanos & clericos supradictos teneri in prædicta ecclesia debitam facere residentiam personalem, qui in sua persona propria residunt, in eadem faciendo divinum servitium humiliter & devote, prout tenentur & specialiter sunt astricti, videlicet quilibet in suo ordine, sicut lector, acolythus, subdiaconus, diaconus, presbyter, & quilibet alius, quilibet in suo personaliter officio & ordine ministrando, cum locus & necessitas id exposcunt. Statuentes etiam ut quilibet prædictorum, singuli in singulis ordinibus suis & officiis, in missis conventualibus, quæ in altari beatæ Mariæ, & in altari minori juxta majus altare, in quibus missæ beatæ Mariæ & etiam defunctorum conventualiter celebrantur, & in aliis singulis divinis officiis in suis ordinibus & officiis quibus sunt instituti, humiliter deserviant & devote; & si sit aliquis impedimento aliquo impeditus, illud per alium faciat expedire. Si quis vero in hoc defecerit, communiam diei in qua defectum fecerit, ipso facto amittat, sine spe gratiæ sibi faciendæ.

5. Item, cum quidam abusus in nostra ecclesia noviter inolevit inter capellanos & clericos dicti chori, quorum alii ad omnes horas dictæ ecclesiæ per eosdem celebrandas, tam ex eorum fundatione quam alias legitime sunt astricti personaliter & continue interesse; verumtamen ipsi in horis B. Mariæ ejusdem ecclesiæ dominæ & patronæ, quæ statim nullo medio intervallo post communes horas celebrantur, & de antiqua consuetudine de qua hominum memoria non existit, prædictæ horæ ad honorem Dei & beatæ Mariæ Virginis sunt inibi ordinatæ, & per horas ordinarias & canonicas tamquam horis principalibus accessoriæ in eadem ecclesia communiter & publice reputentur, quas etiam canonicas, neque immerito reputamus, interesse negligunt, & etiam vilipendunt, & statim hora principali finita, recedunt, paucis ibi derelictis, deberent sicut & eisdem horis principalibus personaliter & continue interesse: non attendentes quod quicumque existens de aliquo collegio vel corpore, se non conformat moribus aliorum, seditiosus

vel intemperans reputatur : propter quod ſtatuimus ut omnes capellani & clerici ſupradicti, in prædictis horis beatæ Mariæ officiando ut in aliis intereſſe teneantur : & ſi in eiſdem ſicut in aliis non interſint, illico eamdem pœnam incurrant, quam incurrerent, ſi aliis principalibus horis non adeſſent.

6. Item ſtatuimus, ut nullus capellanus vel clericus noſtri chori, quorum aliqui ad intereſſendum continue divinis officiis tam pro fundatione ſua, quam alias legitime ſunt aſtricti, quamdiu divina officia in choro celebrantur, aliquem canonicum vel alium aſſociet, vel ſequatur, niſi ex cauſa legitima ipſam eccleſiam contingente ; & tunc prius a decano, & in ejus abſentia a cantore, ſuccentore, hebdomadario, vel diætario petita licentia & obtenta ; & ſi contrarium fecerit, ſtipendium illarum horarum in quibus hæc perpetraverit, ipſo facto amittat ſine remiſſione quacumque ; & ſi ſocius in prædictis in ſua malitia perſeveret, per decanum & capitulum ſecundum ejus demerita puniatur ; maxime cum hoc ex antiquo ſtatuto quilibet canonicus teneatur habere clericum commenſalem, qui intereſſe divinis officiis nullatenus eſt aſtrictus, per quem debet mittere excuſationes ſuas, & ille ipſum inſequi & aſſociare tenetur.

7. Item, quia capellani tam in ipſa eccleſia capellanias obtinentes, quam alii clerici chori noſtri recipientes communiam, quorum aliqui in matutinis, miſſis, proceſſionibus, horis & aliis divinis officiis in ipſa eccleſia celebrari conſuetis, ad intereſſendum continue, ut præfertur, tenentur, cujuſcumque conditionis exiſtant, & ad hoc ex eorum fundatione vel alias legitime ſunt aſtricti, & ab eis non finitis recedere non debeant, niſi petita licentia & obtenta. Et quoniam ſunt nonnulli qui in prædictis intrant nimis tarde, quin immo ipſis totaliter non finitis exeunt, non petita licentia nec obtenta, ad finem, quod de ipſarum introitu vel receſſu de cetero nequeant hæſitare : ſtatuendo declaramus introitum legitimum in matutinis, in quibus invitatorium dicitur, uſque ad finem ejuſdem ; in his vero in quibus non dicitur, uſque ad finem primi pſalmi ; in omnibus aliis horis & ſingulis uſque ad *Gloria Patri* primi pſalmi. In miſſis vero durabit dictus introitus uſque ad inchoationem decantationis de *Kyrie eleyſon*. In prædictis autem omnibus & ſingulis erit legitimus exitus ultima collecta, ſecundum ordinarium Rothomagenſis eccleſiæ, ad prædictas matutinas horas, & alia divina officia pertinente finita. Si quis vero prædictorum in initio dictarum matutinarum, miſſarum & horarum & aliorum divinorum officiorum, aut ſaltem infra dicta tempora non introierit, dolo & fraude ceſſantibus, aut alias citius quam præfertur receſſerit a prædictis, niſi petita licentia a decano, vel in ejus abſentia a cantore, ſuccentore, hebdomadario, ſeu diætario per ordinem, lucrum quod in ipſis matutinis, miſſis, horis, & aliis divinis officiis in quibus defecit, deberet percipere, ipſo facto amittat.

8. Item, renovando ſtatutum antiquum, & nihil in eo immutando ſtatuimus, ut nullus capellanus vel clericus, qui communiam percipiat, ſe ut per noctem extra villam moretur valeat abſentare, niſi decani vel hebdomadarii petita licentia & obtenta, & ſi contra fecerit, cum redierit, niſi per menſem vel amplius fuerit abſens, in quo caſu perdat ſuam communiam, tot diebus quot fuit, tenetur ſine communia deſervire, niſi ſuper hoc fiat eidem ex cauſa juſta & legitima gratia ſpecialis.

9. Item, ſtatuimus, quod quilibet capellanus & clericus chori eccleſiæ ſupradictæ cum ſumma diligentia faciat omnia, & ſingula officia in choro vel alibi in eccleſia, ad quæ in matricula tabula eſt inſcriptus ; & ſi in aliquo in quo in dicta tabula eſt inſcriptus defecerit, per decanum vel in ejus abſentia per hebdomarium ejus defectus oretenus oſtendatur ; & ſi ex hoc ſe non correxerit, per ipſum decanum & capitulum debite puniatur. Canonici vero tenebuntur ad divinum officium, ut hactenus fuit obſervatum.

10. Item, renovando antiqua ſtatuta ſtatuimus, quod canonici, capellani, & clerici noſtri chori deferant congruentem bonam & magnam tonſuram, cum decenti brevitate capillorum : ita ut aliqualiter aures pateant, & ſine barbæ prolixitate ; quod niſi fecerint, quamdiu in hoc perſeveraverint, eiſdem chori introitus per decanum & capitulum ſuſpendatur, niſi in hoc ex cauſa legitima per dictos decanum & capitulum approbata, tales per aliqua tempora tolerentur.

11. Item, quod nullus canonicus, capellanus, vel clericus dictæ eccleſiæ tabernas cauſa potandi in habitu eccleſiæ intrare audeat ; & ſi contrarium faciat, toties quoties hoc commiſerit, canonicus decem ſolidorum, capellani & clerici ſecundæ formæ quatuor ſolidorum, & clerici primæ formæ duorum ſolidorum pœnam incurrent ipſo facto, quarum emendarum media pars illi qui hoc decano vel in ejus abſentia hebdomario ſive diætario detexerit, & ad eorum notitiam deduxerit, pro preſenti ſtatuto per eos debite exequendo tribuatur, & alia medietas fabricæ eccleſiæ acquiratur.

12. Item, ſtatuimus quod nullus canonicus, capellanus, vel clericus dictæ eccleſiæ, de cetero ad pilam ſeu bondam publice in loco publico coram populo ludere audeat quoquo modo, cum in tali ludo multæ blaſphemiæ ſoleant committi. Qui autem contrarium fecerint, eamdem pœnam ſicut immediate dictum eſt ipſo facto incurrant, quæ

illis ſupra ſcriptis pro æquis partibus applicetur, & ulterius ſi in præmiſſis perſeveraverint, per decanum & capitulum puniantur.

13. Item, quod nullus canonicus, capellanus, ſeu clericus dictæ eccleſiæ indumenta curta vel nimis ſtricta, ſeu caputia parva cum longa corneta, vel ſubtus guttur bottonnata, vel auri vel argenti frizata, ſeu ſotulares nimis acutos ante deferat: quia talis ſtatus eſt hiſtrionum & joculatorum, & ſtatui clericali totaliter contrarius & repugnans; ſed utantur veſtimentis ſatis largis, nec deferant ſeu utantur caligis albis, rubeis, vitidibus vel ſcacatis & ejuſmodi ſotularibus, quæ nimia ſtrictura, brevitate vel longitudine fuerint notanda; quod ſi contrarium fecerint, per decanum & capitulum eorum arbitrio ſuſpendantur a choro, & niſi ex hoc ſe correxerint, poſtmodum acrius puniantur per eos.

14. Item, quod omnes capellani & clerici dicti chori, qui habent domos proprias a ſuis fundatoribus pro eorum habitationibus ordinatas, quilibet in ſua camera ſibi aſſignata cubet & jaceat, & non alibi extra in villa, niſi cauſa neceſſitatis vel alia juſta cauſa, & hoc de licentia decani, vel in ejus abſentia cantoris, ſuccentoris, hebdomadarii & diætarii per ordinem, petita & obtenta, & ſi quis in contrarium attentaverit, niſi infra octo dies poſt publicationem præſentium ſtatutorum ſe correxerit, a choro & ſuis diſtributionibus ſuſpendatur, uſque ad ſatisfactionem condignam; & hoc ſtatuimus quod propter hoc dictæ domus a ſuis fundatoribus ſunt ſpecialiter fundatæ, & ex eorum abſentia ruinam multimodam patiuntur.

15. Item, quod nullus prædictorum in prædictis domibus ducat vel teneat mulieres ſuſpectas, nec eas ad habitandum ſeu pernoctandum detineat, nec ad habitandum extraneos titulo conductionis, vel alias tradat; qui vero contrarium fecerint, & niſi infra dictum tempus poſt prædictam publicationem ſe correxerint, a prædictis choro & diſtributionibus ſuſpendantur; & ſi in hoc perſeveraverint, per decanum & capitulum acrius puniantur.

16. Item, quod nullus canonicus, capellanus, vel clericus, de cetero per eccleſiam vadat ſeu tranſeat ſine habitu eccleſiæ cum ibidem divina officia celebrantur. Et ſi quis contrarium faciendo inventus fuerit, ultra pœnam ab antiquo inflictam contra talia committentes, per decanum & capitulum juxta eorum arbitrium ſuſpendatur a choro.

17. Item, de prædictis capellanis & clericis chori ordinamus, ut nullus prædictorum, quamdiu divina officia celebrantur in eccleſia prælibata, vagari per eccleſiam liceat, vel eſſe retro altare majus, niſi cauſa prævidendi & recordandi reſponſorium aut divinum officium, & tunc non ibidem diu moretur, ſed ſtatim præviſo dicto ſervitio, revertatur ad chorum. qui autem contrarium attentare præſumpſerit, niſi petita licentia, ut ſupra immediate dictum eſt, pœnam in immediate ſtatuto contentam, ipſo facto incurrat & abſque remiſſione quacumque. Et etiam cuilibet canonico præcipimus, & diſtricte injungimus, quod ſi prædictos capellanos & clericos tunc per dictam eccleſiam vagando invenerint vel retro altare majus confabulando, eos increpando ſtatim ad chorum remittant pro divino ſervitio celebrando; & ſi prædictæ remiſſioni obedire noluerint; quilibet canonicus citius quam poterit prædictam inobedientiam ad decani & capituli deducat notitiam, ut ſuper hoc per ipſos talis inobediens canonice puniatur. in quorum teſtimonium ſigillum noſtri capituli præſentibus duximus apponendum. Actum & datum, ut ſupra anno Domini MCCCLXI.

STATUTA SYNODALIA eccleſiæ Sueſſionenſis.

Ex mſ. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

NOs Simon miſeratione divina Sueſſionenſis epiſcopus, noſtram ſanctam ſynodum hac die Mercurii feria IV. poſt feſtum aſcenſionis Domini, anno Domini MCCCCIII. in eccleſia noſtra Sueſſionenſi tenentes, omnes & ſingulos nunc in noſtra præſentia nominatos, qui ad dictam noſtram ſynodum venire tenentur, & non venerunt, in his ſcriptis reputamus contumaces, niſi legitime fuerint excuſati, & quorum excuſationes per nos legitimæ reputabuntur, ſtatuentes ut ad ſynodum noſtram, ad quam celebrandam præfigimus, ſcilicet feriam IV. poſt feſtum aſcenſionis Domini, quod erit anno Domini MCCCCIV. veniant.

I. Omnes abbates, abbatiſſæ, priores & curati ceteræque perſonæ eccleſiaſticæ ſupra nominatæ, quæ tenentur in ſynodo intereſſe, ad eamdem veniant ſynodum & interſint per juramentum, ad quam diem peremtorie & perſonaliter citamus eoſdem.

II. Item, omnes gratias a nobis ſeu vicariis noſtris ſub quacumque verborum forma, necnon & commiſſiones ad forum pœnitentiale ſpectantes, per nos ſeu vicarios noſtros factas penitus revocamus, pœnitentiario noſtro generali dumtaxat excepto.

III. Item, præcipimus & monemus, ut omnes abbates, abbatiſſæ, priores curati nominati, ceteræque perſonæ eccleſiaſticæ nobis ratione curarum ſeu beneficiorum ſuorum, aut alias qualitercumque ſonginas (a) debentes, eas, prout tenentur, ſolvant decanis, in quorum decanatibus morantur, & decani ſigillifero curiæ noſtræ Sueſſionenſis ante-

(a) Songina ſeu ſongnia gallice *Soignie* eſt jus quoddam domino debitum.

quam ab hac civitate recedant, non ſolventes autem in his ſcriptis excommunicamus. In quorum præmiſſorum teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus ſtatutis & conſtitutionibus ſynodalibus noſtris duximus apponendum. Datum anno Domini MCCCCIII. feria IV. ſupradicta.

IV. Item, quia ad auditum noſtrum pervenit, quod nonnullæ juſtitiæ ſæculares in parochiis noſtræ diœceſis conſueverunt capere clericos delinquentes & eccleſiaſticas perſonas, & eos irrequiſitos tranſducere in pluribus locis extra diœceſim noſtram Sueſſionenſem; præcipimus ſub pœnis ſuſpenſionis & excommunicationis omnibus decanis & curatis noſtræ diœceſis, quatenus [cum] denominati ad notitiam eorum devenerint, quod cito per decanos, aut curatos locorum teſtibus vocatis requirantur, & incontinenti officiali noſtro, aut ejus locum tenenti, ſeu alteri curiæ noſtræ reſcribendo notificent, & de prædictis fiat talis diligentia, quod tales clerici ſic capti de juriſdictione noſtra in aliam diœceſim, nobis inſciis, non tranſferantur.

V. Item, quia quamplures viri eccleſiaſtici, ſacerdotes, religioſi & ſæculares curati & non curati nobis ſubditi minus honeſte ſe habent, deferendo more hodierno habitus laïcorum, & portando, quod dolentes referimus, veſtes indecentes & non congruentes ſtatui eccleſiaſtico & honeſtati clericali, ſcilicet cum magnis collulis & manicis longis, latis & amplis nimis, exceſſive habentes etiam fimbrias, demum a parte ſuperiori & inferiori ſeu eadem vel altera contra jura & ſtatuta canonica nova & antiqua temere veniendo, quæ cedunt in dedecus & ſcandalum non modicum totius ordinis clericalis. nos prout noſtro officio incumbit, talem abuſum in noſtris civitate & diœceſi Sueſſionenſi refrænare, ac ipſos ſubditos noſtros in melius reformare cupientes, prout decet, ſtatuimus, præcipimus & monemus ſub pœna ſuſpenſionis & excommuicationis, quam in non obedientes ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, in his ſcriptis ferimus & promulgamus, quatenus omnes viri ſupradicti eccleſiaſtici de cetero a talibus veſtibus ferendis abſtineant, ſcientes ſe, ſi contra fecerint, juxta quantitatem exceſſus debite puniendos, & pro excommunicatis denunciandos.

VI. Item, præcipimus omnibus curatis & capellanis nobis ſubditis ſub pœnis ſuſpenſionis & excommunicationis, quas in non obedientes, ex nunc prout ex tunc, in his ſcriptis ferimus & promulgamus, quatenus diligenter moneant omnes & ſingulos parochianos ſuos ſemel in menſe, die dominicali, in plena prono & magnis feſtivitatibus, ſub pœna excommunicationis, quatenus liberos ſuos, cujuſcumque ſexus exiſtant, mittant ad ſcholas in villis ubi ſunt ſcholæ, & ubi non ſunt ſcholæ, curatis ſeu capellanis locorum, & orationem dominicalem ſcilicet *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Credo in Deum*, *Benedicite*, in anno ſexto vel ſeptimo, quibus in domibus patrum ſuorum nihil faciunt, addiſcere faciant. Contrarium facientes ſignificent officiali noſtro, ut per eum debite puniantur, quod dicti curati & capellani aut magiſtri ſcholarum facere tenentur pro ſalario competenti.

VII. Item, præcipimus omnibus curatis & ſacerdotibus, quatenus nomina eorum qui ſuper divinationibus & ſortilegiis faciendis diffamati ſunt, etiam nomina eorum qui ad tales divinatores vel ſacrilegos accedunt, referant officiali ſeu ſigillifero noſtris, ut contra ipſos debite procedatur.

Sequitur collectio ſtatutorum, quæ in multis concordant ſtatutis eccleſiæ Carnotenſis, de quibus hæc præcipua deſcripſimus.

I. Præcipimus ut ſacerdotes jejuni intrent ſynodum in ſuperpellicis vel caſulis clauſis, & ne cauſas adducant vel alia negotia ad ſynodum non pertinentia.

II. Præceptum. Preſbyteri quam citius fuerint requiſiti, pueros baptizent, quoniam mora eſt valde periculoſa.

III. Præceptum. Fontes ſub ſera cuſtodiantur propter ſortilegia, chriſma ſimiliter & ſanctum oleum.

IV. Præceptum. Præcipimus ſacerdotibus, ut claves ſymboli, in quo eſt corpus Chriſti, ſimiliter fontium, chriſmatis & olei, clericis ſuis & eorum famulis non dimittant. Sed ſi exire eos oporteat, tradant vicino ſacerdoti, qui poſſit pro eis miniſtrare ſacramenta.

V. Consilium. Pueri non debent admitti ad levandum pueros, niſi in tempore neceſſitatis, ne forte cum fuerint adulti, facti ſui immemores, filiolas ſuas ducant in uxores vel e converſo.

VI. Consilium. Si infans reperiatur expoſitus & dimiſſus a parentibus, & per inquiſitionem non poſſit conſtare de baptiſmo ejus, ſecure baptizatur, quia non dicitur reiteratum quod neſcitur.

VII. Præceptum. Si pars pueri appareat ſolum, & timeatur de periclitatione pueri, ſi ſit caput quod appareat, aqua aſpergatur cum verbis debitis ad baptiſmum, & baptizatus eſt. Si vero alia pars, utpote manus vel pes appareat ſolum, ſimiliter aſpergenda eſt, & pie credendum eſt, quod ſummus ſacerdos Deus ſupplet defectum; ſed tamen non eſt in terra ſancta inhumandus: ſi tamen poſtmodum puer vivus habeatur, debet baptizari ſub conditione.

VIII. Consilium. Moneant ſacerdotes parochianos ſuos, ne illi qui accedunt ad levandum puerum, ſuperfluas faciant expenſas, & ne faciant cereos majoris pretii quam ſex denariorum, quia timore expen-

farum, multi ad levandum pueros non accedunt.

IX. Præceptum. Linteamina quæ chrismalia dicuntur, in quibus puer post baptismum involvitur, provideant sacerdotes ne in alios usus transferantur, & ne vendantur a sacerdotibus.

X. Præceptum. Sacerdotes frequenter moneant populum ad confirmationem parvulorum. post baptismum enim debet suscipi sacramentum confirmationis. Item, moneant populum ne expectent diu adventum episcopi ad confirmationem recipiendam, sed accedant ad locum ubi eum adesse audierint, confessione præcedente, & jejuni hoc suscipiant sacramentum, si adulti sunt.

XI. Præceptum. Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ne confirmatus scienter iterum ad confirmationem accedat, quoniam sacramentum confirmationis non debet iterari, sicut nec sacramentum baptismi.

XII. Linteamina altaris & vestimenta sæpe abluantur propter reverentiam Salvatoris & sacramenti, & totius curiæ cælestis, quæ præsens est, quoties missa celebratur, & aqua in qua lota fuerint, in loco mundo reponatur.

XIII. Consilium. Calices unde infirmi communicantur, cum omni munditia custodiantur, ut devotius communicent infirmi, & ne aliquid ibi inveniatur, propter quod infirmi ad nauseam seu vomitum provocentur.

XIV. Consilium. Ampullæ vini & aquæ ordinatæ in ministerio altaris mundæ habeantur. Item, ampullæ chrismatis & olei sancti mundæ & integræ habeantur.

XV. Præceptum. Ipsi sacerdotes & non diaconi nisi in tempore necessitatis, cum magna reverentia & maturitate deferant corpus Christi in pixide eburnea seu honesta, bene clausa, propter casum fortuitum, cum lucerna præcedente, & campana, ut ad sonitum campanæ homines assurgant Salvatori suo, & ei debitam exhibeant reverentiam, sacerdotesque eundo & redeundo decantent septem psalmos pœnitentiales & litaniam pro infirmo; & si via fuerit longa, addant quindecim * & alias orationes.

* *adde* graduales.

XVI. Consilium. Nullus audeat tumulare mortuum sine missa & commendatione, nisi in necessitate.

XVII. Consilium. Sacerdotes moneant frequenter laicos, ut ubicumque viderint deferri corpus Christi, statim genua flectant & caputia removeant, tamquam Domino creatori suo, & junctis manibus quousque transierit orent.

XVIII. Consilium. Exhortentur sæpe presbyteri parochianos suos, ut concomitentur sacrum corpus Domini cum defertur ad infirmum, eundo & redeundo, & luminaria accendant, & hæc facientibus x. dies indulgentiæ concedimus.

XIX. Præceptum. In pulchriori parte altaris cum summa diligentia & honestate sub clave, si fieri potest, propter sortilegia & immunda animalia, sanctum corpus Domini custodiatur.

XX. Præceptum. Nulli clerico liceat deservire altari, nisi in superpelliceo aut cappa clausa, & calceatus, qui congrue & honeste tonsuratus sit, si haberi possit.

XXI. Præceptum. Nullus in die missam audeat bis celebrare, nisi in magna necessitate. Cum duplici autem introitu ante canonem numquam; sed post missam, si voluerit, dicat aliam epistolam, aut aliud evangelium. Si autem per necessitatem bis eum celebrare contigerit, ablutionem digitorum in calice in prima missa non percipiat.

XXII. Præceptum. Nullus sacerdos antequam matutinas dixerit canonicas & primam, aliqua necessitate præsumat celebrare missam, nec comedat ante primam dictam, nisi sit infirmus.

XXIII. Consilium. Ad horas B. Mariæ dicatur tertius versus, *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ*, & dicatur cum omni devotione, non in surgendo, & calceando, nec syncopando.

XXIV. Consilium. Nullus sacerdos indutus sacerdotalibus vestibus, eas deponat antequam celebraverit, nisi præsens sit excommunicatus nominatus & notorius.

XXV. Præceptum. Prohibemus ne aliquis scienter communicet cum excommunicato; & si quis monitione præmissa non destiterit, excommunicatus denuntietur.

XXVI. Præceptum. Nullus etiam sacerdos quoquo modo audeat celebrare divina, quamdiu aliquis excommunicatus nominatus vel notorius præsens fuerit in ecclesia.

XXVII. Consilium. Nullus sacerdos in festis apostolorum, martyrum vel confessorum, si dicantur novem lectiones, dimissa missa de festo, audeat celebrare pro defunctis, nisi corpus sit præsens.

XXVIII. Consilium. Quotiens missa celebratur, cortinæ sint circa altare, ne sacerdos a circumstantibus turbetur, maxime ubi est frequentia populi.

XXIX. Consilium. Quilibet sacerdos habeat in celebratione missæ, propter munditiam servandam vestimentorum, ad altare manutergium pendens circa missale, ad tergendum os & nares, si necesse fuerit.

XXX. Præceptum. Præcipimus ut quilibet missam audiat qualibet die Dominica ad minus in ecclesia sua parochiali, nisi ex causa necessaria habeat alibi divertere. Quod si quis assumta falsa occasione assuetus sit alibi divertere, vel per tres dies Dominicas sine causa evidenti missam in sua parochia non audierit,

audierit, denuncietur hoc nobis vel officiali nostro.

XXXI. Præceptum. Nullus corpore Christi tangat oculos vel os, nisi sacerdos ore in missa, nec detur alteri ad osculandum, sed cum magna reverentia debet tractari, ne frangatur.

XXXII. Præceptum. Quia vero ab ecclesiasticis religiosis & sæcularibus dantur quandoque hostiæ non consecratæ juvenculis & pueris, qui eas per vicos deferunt, & de eis ludunt, & illicita dicunt & faciunt, ex quo oriri potest scandalum: idcirco id fieri de cetero prohibemus. Insuper quia in nostra diœcesi consuetum est in pluribus locis, quod quando mulieribus quæ post partum ad ecclesiam propter purificationem veniunt, post missam hostia non consecrata a presbyteris tribuitur, simplices genua flectunt, ac si daretur eis corpus Christi, nuntient eis presbyteri nihil dare nisi panem purum, aliter facerent eas idolatrare.

XXXIII. Consilium. Non reservetur hostia consecrata ultra xv. dies, sed sumatur a sacerdote, & nova iterum consecretur.

XXXIV. Præceptum. In sacramento eucharistiæ tria sunt necessaria, scilicet panis, vinum & aqua. Debet autem esse panis de frumento, vinum de vite, aqua naturalis, non per artem facta. Si autem per negligentiam evenerit, ut perlecto canone & peracta consecratione corporis Christi, nec vinum nec aqua reperiatur in calice, debet utrumque statim infundi, & fiat consecratio scilicet dicendo *Simili modo, &c.* Si vero de simplici vino fiat consecratio sine aqua, consecratum est, nec debet aqua ulterius apponi, & postea confiteatur sacerdos de negligentia, quia aquam omisit. Si vero puram aquam invenerit, deponat eam, & sumat vinum cum aqua, & perficiat consecrationem, incipiens *Simili modo*, &c. Item, si quid de sanguine Domini ceciderit super corporale, rescindenda est pars corporalis, & ponenda in reliquiis: Si vero palla intincta fuerit, idem fiat, & pro reliquiis servanda est. Si super casulam, idem fiat, sive super aliud vestimentum. Si vero super tabulam vel lignum ceciderit, lingua lambatur, & postea radatur, & rasura igni comburatur, & in altari pulvis ponatur aut in piscina. Similiter si supra terram stillaverit, si possit lambi, lambatur; aut si non possit, radatur pulvis & in sacro loco reponatur. Si in ipsum sanguinem musca vel aranea vel aliquod tale ceciderit, quod vix sine vomitu & periculo corporis sumi possit, illud quod ceciderit tollatur, & perfundatur vino in calice vel vase mundo, & sanguis prius sumatur, & postea illud quod in eodem ceciderit abluatur, & ablutionem sumat sacerdos, si possit sine periculo aut vomitu. Quod si non possit, mittat illud in piscinam, & illud quod ceciderit comburatur super piscinam & in ea ponatur. Item, si de corpore Christi super pallam aut aliud vestimentum ceciderit, non incidatur, sed vino abluatur, & sumatur a sacerdote ad corroborationem fidei catholicæ, & ad confusionem hæreticæ pravitatis, quæ diebus istis sicut vulpecula nititur puritatem nostræ fidei demoliri, maxime contra sacratissimum corpus Christi.

XXXV. Consilium. Moneant sacerdotes plebes suas, ut saltem ter in anno, videlicet in nativitate Domini, in paschate, & in pentecoste ad confessionem veniant, & illis tribus solemnitatibus se devote communicent.

XXXVI. Præceptum. Sacerdotes circa confessionem curam habeant & cautelam, & diligenter inquirant peccata usitata sigillatim, inusitata vero nonnisi a longe per aliquam circumstantiam, sic tamen quod inexpertis seu simplicibus detur materia confitendi.

XXXVII. Consilium. Ad confessionem audiendam habeat sacerdos vultum humilem, nec faciem respiciat confitentis, & maxime mulieris; sed patienter audiat quidquid dixerint confitentes, & modis omnibus persuadeat ut confiteantur integre, aliter dicat eis confessionem nihil valere.

XXXVIII. Præceptum. Sacerdotes majorum criminum absolutionem reservent episcopo in confessione, ut homicidia, furta, incestus, stupra virginum, sacrilegia, peccata contra naturam, suffocationes puerorum, injectiones manuum in clericos vel quoscumque religiosos, vota fracta, & hujusmodi. Sunt autem plura in quibus papa solus habet potestatem absolvendi. Scilicet manuum injectio in patrem vel matrem, & in clericos, vel in quoslibet religiosos, & simonia. Similiter falsarii bullarum domini papæ, nisi in articulo mortis, in quo absolvendi sunt, cum juramento, quod recepta sanitate, dominum papam adibunt, vel ejus legatum citius quam poterunt. Nihilominus qui talia commiserunt remittendi sunt ad suum episcopum. Similiter excommunicati, incendiarii ecclesiarum. In dubiis semper confessor episcopum consulat aut sapientes viros, quorum consilio certificatus absolvat securius aut liger.

XXXIX. Præceptum. Caveant sacerdotes ne inquirant nomina personarum cum quibus peccaverunt confitentes, sed circumstantias & qualitates peccatorum inquirant.

XL. Consilium. Audita confessione, semper confessor interroget confitentem, si velit abstinere ab omni peccato mortali, aliter eum absolvere non debet, nec ei injungere pœnitentiam, sed monere eum debet, ut interim agat quidquid boni poterit, ut Deus cor ejus illustret ad pœnitentiam.

XLI. Consilium. Caveant sacerdotes ut secundum qualitatem culpæ, possibilitatem confitentis & contritionem sit qualitas pœnæ.

XLII. Consilium. In furto, rapina, uſura & ſimiliibus non injungant ſacerdotes pœnitentias miſſarum & eleemoſynarum & hujuſmodi, priuſquam ſecundum poſſibilitatem reddiderint ablata. Non enim dimittitur tale peccatum, niſi prius reſtituatur ablatum.

XLIII. Præceptum. Nullus miſſas quas injunxerit confitenti celebret, nec tricenarium, vel annuale pro vivis ſive defunctis faciat.

XLIV. Præceptum. Nullus ira vel odio vel metu mortis audeat revelare confeſſionem ſigno vel verbo, ſpecialiter vel generaliter, vel dicat ſuo qualis es, & ſi revelaverit, ſine miſericordia debet deponi.

XLV. Præceptum. Preſbyteri moneant & præcipiant juxta Lateranenſis concilii ſtatuta, ut quilibet poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, ſemel in anno proprio ſacerdoti ſuo omnia peccata ſua confiteatur, & pœnitentiam injunctam ſtudeat adimplere, & euchariſtiam ad minus in paſchate ſuſcipiat, niſi forte conſilio proprii ſacerdotis ſui ob aliquam cauſam rationabilem ad tempus ſe duxerit abſtinendum.

XLVI. Præceptum. Præcipiant ſacerdotes parochianis ſuis, ut obſervent jejunia quatuor temporum & vigiliarum ſanctorum & rogationum, ſicut fit in eccleſia cathedrali, & in eadem hebdomada fiant.

XLVII. Præceptum. Præcipimus ut ſponſalia prima per verba de futuro, & ſub conditione, fiant ſub his verbis: *Contraham tecum*, vel *ducam te in uxorem*, vel e converſo, *ſi eccleſia permiſerit*.

XLVIII. Præceptum. Prohibeant ſacerdotes parochianis ſuis, ne faciant ſponſalia clandeſtina: quæ ſi fecerint, graviſſime puniantur.

XLIX. Præceptum. Matrimonium cum omni reverentia & honore celebretur, & in facie eccleſiæ, & antequam fiat, ſemper tribus Dominicis aut diebus ſolemnibus per tres dies a ſe diſtantibus, inquirat ſacerdos a populo ſuo ſub pœna excommunicationis, ut ſi aliquis ſciat impedimentum, propter quod matrimonium de quo agitur ſtare non poſſit, prodat in publicum, & dicat; & ante tria edicta vel banna nullus audeat matrimonium celebrare, niſi de aſſenſu ſuperioris.

L. Consilium. Prohibeant ſacerdotes frequenter laïcis ſub excommunicatione, ne dent ſibi fidem de contrahendo, niſi ſacerdote præſente & pluribus aliis, & ſi fecerint eo abſente, non faciat edicta ſeu banna.

LI. Consilium. Nullus ſacerdos in caſu dubio audeat matrimonium celebrare, inconſulto epiſcopo, ſed ad ipſum aut officiali referat omnes quæſtiones matrimoniales. Notandum eſt, quod comparternitas tantum quatuor perſonas excludit a matrimonio, ſcilicet compatrem & commatrem, filiolum & filiolam, per quos devenitur ad compaternitatem, filium vel filiam carnalem matris vel patris ſpiritualis, ſive ante natus vel nata ſit, ſive poſt, quia filiolus filiam patris vel matris ſpiritualis carnalem habere non poteſt in uxorem, ſive ante compaternitatem de ipſo facto nata fuerit, ſive poſt, cum ſit ejus ſoror ſpiritualis; & idem eſt de filia ſpirituali, quæ habere non poteſt filium carnalem patris vel matris ſpiritualis. Omnibus autem liberis aliis compatrum & commatrum licet inter ſe contrahere, ſive ante nati fuerint, ſive poſt.

LII. Prohibetur ſacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis, ne ullus ſacerdos aliquid ante benedictionem nuptialem exigat, occaſione ferculorum, quæ pro nuptiis debentur, vel alia de cauſa. Celebrato autem matrimonio, fercula recipiat aut pecuniam, quæ ei de conſuetudine debentur.

LIII. Præceptum. Præcipimus ne aliquis ſacerdos mulierem bis in nuptiis benedicat: alioquin ſi fecerit, ſuſpenſus eſt ipſo facto.

LIV. Præceptum. Prohibeant ſacerdotes ſub excommunicatione in eccleſia, ne alter conjugum poſt carnalem copulam tranſeat ad religionem, aut recipiatur, niſi per epiſcopum diſpenſetur: ita tamen quod perſona quæ relinquitur in ſæculo, talis ſit, de qua non poſſit haberi ſuſpicio, & continentiam voveat coram epiſcopo.

LV. Præceptum. Excommunicamus, & per omnes parochias noſtræ dioceſis volumus & præcipimus excommunicari omnes illos, qui clandeſtina matrimonia contraxerint, & preſbyteros per quos contracta fuerint, ab officio & beneficio ſuſpendimus. Item, excommunicamus & præcipimus denuntiari pro excommunicatis omnes qui clandeſtinis matrimoniis intereſſe præſumunt.

LVI. Præceptum. Pro extrema-unctione nihil omnino exigatur, ſed quod gratis datum fuerit, grataniter recipiatur. noſcant etiam ſacerdotes hoc ſacramentum poſſe reiterari; ſcilicet in qualibet magna infirmitate, ubi metus eſt mortis, & poſt hoc ſacramentum licet reverti ad opus conjugale.

LVII. Præceptum. Librum qui dicitur manuale habeant ſacerdotes parochiales, ubi contineatur ordo baptiſmi, extremæ-unctionis, & hujuſmodi, & pſalmi pœnitentiales, & ordinarium vel officium eccleſiæ ſecundum uſum qui obſervatur in eccleſia cathedrali.

LVIII. Præceptum. Quicumque laicus de novo ædificaverit in cœmeterio, vel vetus ædificium ſemel diruptum fecerit, excommunicetur.

LIX. Præceptum. Preſbyteri ſuper citationibus & vocationibus faciendis, credant iis qui dederint fidem in cauſa matrimoniali, & ſuper excommunicationibus ferendis non credant ſine litteris. Viſis autem litteris, ſententiam audacter ferant, & firmiter obſer-

vent, & excommunicatos nullatenus abſolvant, niſi de præcepto ſuperioris, niſi in articulo mortis; & tunc ita demum, quod jurent quod ſtabunt mandatis eccleſiæ, & quod habita ſanitate, citius quam poterunt judici qui ſententiam tulit ſe præſentabunt, alioquin in priſtinam ſententiam recident.

LX. PRÆCEPTUM. Prohibetur preſbyteris & clericis, ne de iis quæ ſunt eccleſiæ vel preſbyterii aliquid alienent, aut pignori obligent, niſi per conſilium epiſcopi.

LXI. PRÆCEPTUM. Prohibetur etiam ne fiant reſignationes eccleſiarum in manu abbatum vel patronorum, ſed in manu epiſcopi vel ejus vicarii, ſi epiſcopus abſens fuerit.

LXII. PRÆCEPTUM. Mortuæ in partu mulieres ſcindantur, ſi infans credatur vivere, dum tamen conſtet de morte earum.

LXIII. PRÆCEPTUM. Prohibeant ſacerdotes parentibus ne ponant infantulos in cunabulis jacentes minores biennio aut triennio, in lectis ſuis. quod ſi fiat, & mors inde ſequatur, graviſſime punientur; & hoc in pronis ſæpe eis dicatur.

LXIV. PRÆCEPTUM. Non permittantur prædicatores celebrare ſuper archas, nec recipiantur ad prædicandum ſine litteris epiſcopi vel dioceſani.

LXV. PRÆCEPTUM. Prohibetur ſacerdotibus ne permittant aliquos ignotos litteratos ſive non litteratos extra eccleſiam, in viis ſive in plateis, aut in aliis locis parochiarum ſuarum prædicare, niſi forte ſint fratres Prædicatores vel Minores, aut tales perſonæ de quibus præſumendum ſit, quod licentiam habeant a ſummo pontifice ſeu epiſcopo prædicandi. Et preſbyteri ſæpe in diebus dominicis moneant, & ſub pœna excommunicationis inhibeant parochianis ſuis, ne tales audiant propter pericula hæreſum & errorum, quos ſeminant aut ſeminare poſſent.

LXVI. CONSILIUM. Exhortentur ſæpe preſbyteri populum ad dicendum orationem dominicam, *& Credo in Deum*, & ſalutationem B. Mariæ Virginis, & ut ea filiis ſuis addiſcant.

LXVII. PRÆCEPTUM. Moneant ſacerdotes ſæpe populum, & maxime mulieres, ne voveant niſi cum magna deliberatione, & de aſſenſu virorum ſuorum & conſilio ſacerdotum.

LXVIII. CONSILIUM. Nullus clericus vel regularis recipiat decimam de manu laici, niſi per manum epiſcopi.

LXIX. PRÆCEPTUM. Solvantur decimæ integræ, expenſis non deductis, & ſi aliquis ſuſpectus fuerit, quod integram decimam non ſolverit, ad ſatisfaciendum vel purgandum ſe, judicis arbitrio compellatur.

LXX. PRÆCEPTUM. Nullus clericus vel ſacerdos faciat juſjurandum patronis antequam fuerit epiſcopo præſentatus, nec poſt.

LXXI. PRÆCEPTUM. Prohibemus ne patroni clerici eccleſiarum, perſonas minus idoneas præſentent contra ſtatuta Lateranenſis concilii. quod ſi fecerint, Domino annuente, ſecundum quod nobis viſum fuerit & jura ſuadebunt, ordinabimus.

LXXII. CONSILIUM. Moneantur ſecundum jura omnes patroni, qui jura parochiarum ſuarum diminuerint, ut ea reſtituant infra annum.

LXXIII. PRÆCEPTUM. Volumus, ut omnes decani in quolibet archidiaconatu nobis tradant in ſcriptis nomina patronorum, qui eccleſias vel capellanias decanatus ſui præſentant, & nomina parochiarum & capellaniarum.

LXXIV. PRÆCEPTUM. Tenentes curam animarum moneantur, ut in hoc anno promoveantur ad ſacerdotium. Qui ſi contemſerint, ſecundum canonica ſtatuta puniantur.

LXXV. PRÆCEPTUM. Præcipimus, ut fiat oratio conſueta pro ſubſidio terræ ſanctæ.

LXXVI. PRÆCEPTUM. Prohibemus etiam ne decani aut preſbyteri forefacta ad noſtram juſtitiam pertinentia nobis celare præſumant: ſed ea referant ad nos vel officiarios noſtros.

LXXVII. PRÆCEPTUM. Prohibemus ne preſbyteri audiant cauſas, niſi de his quæ pertinent ad reditus ſuos, vel eccleſias ſuas, ſed eas referant ad decanos.

LXXVIII. PRÆCEPTUM. Prohibemus ſub interminatione excommunicationis, ne aliquis ſacerdos vel capellanus teneat in domo ſua mulierem aliqua occaſione, niſi ſit mater aut ſoror, aut tantæ ætatis, quod nulla poſſit haberi ſuſpicio de illa.

LXXIX. PRÆCEPTUM. Item, prohibemus diſtricte ſacerdotibus, ne habeant prolem in domo ſua, quam in ſacro ordine genuerint, propter ſcandalum.

LXXX. PRÆCEPTUM. Prohibemus ſacerdotibus ſub interminatione excommunicationis ludere cum deciis, intereſſe choreis, intrare tabernas cauſa potationis, niſi fuerint viatores ſeu peregrini, uti cappis manicatis, negotiationem exercere, ſeu habere concubinas ubicumque. Item, intelleximus quod nonnulli ſacerdotes tabernas frequentant, parochianoſque ſuos in eas ducunt, & ad ſectandas eas hortantur, propter quod ſtatus ſacerdotalis contemnitur ab eis & parvipenditur. Ideo præcipimus eis, ut a talibus ſe abſtineant; alioquin eos graviſſime puniemus.

LXXXI. PRÆCEPTUM. Prohibemus univerſis preſbyteris ſub pœna ſuſpenſionis venationibus cuniculorum vel leporum, vel aucupiis, vel venationibus cujuſcumque alterius generis intendere.

LXXXII. PRÆCEPTUM. Præcipimus ne preſbyteri equitando caputiis, tabardis & garnachiis pro cappis utantur, vel talibus veſtibus inordinatis, ſed habitum deferant ſtatui ſuo congruentem.

LXXXIII. Præceptum. Prohibemus ſacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis, ne ad commeſſationes, niſi tempore neceſſitatis conveniant.

LXXXIV. Præceptum Prohibemus ſub eadem pœna, ne incedant de nocte, nec armati, niſi neceſſitate cogente, & pro cauſa utili & honeſta.

LXXXV. Præceptum. Præcipimus ſacerdotibus, ne frequentent mercata, & ſi eos neceſſitas cogeret, propter ſibi neceſſaria quærenda, ad illa in habitu honeſto vadant, & honeſtam ſocietatem teneant eundo & redeundo, & moram longam ibi non faciant, ne ſcandalum ex eis in populum generetur.

LXXXVI. Præceptum. Nulla eccleſia detur ad firmam laicis; ſed ſi ſacerdos cujus eſt eccleſia, cauſa ſtudiorum vel peregrinationis de licentia noſtra abſens fuerit, tantam vicario ſuo ſeu capellano ſuo conferat portionem fructuum, ut inde honorabiliter ſe poſſit ſuſtentare.

LXXXVII. Prohibemus ne infra eccleſiam ducantur choreæ, ſive fuerit monachorum, ſive canonicorum, ſive ſæcularium perſonarum.

LXXXVIII. Præceptum. Præcipimus ne capellani aliqui ad parochias vel ad militum capellas deſerviendas recipiantur, niſi coram nobis præſentialiter, vel coram deputato noſtro debitum & ſolitum fecerint juramentum.

LXXXIX. Præceptum. Præcipimus ſub pœna excommunicationis, ne aliquis preſbyter audeat recipere capellanum ignotum, niſi de licentia noſtra. Item, quod nullus preſbyter recipiat capellanum, niſi per epiſcopum fuerit approbatus, & tunc capellanus jurabit nobis, quod bona fide ſervabit ſtatuta ſynodalia.

XC. Præceptum. Præcipimus etiam, ut quoties preſbyteri ex parte adminiſtratorum eccleſiarum fuerint requiſiti, detentores rerum eccleſiaſticarum moneant diligentius, ut eas ſibi reddant vel recredant; quod ſi detentores hujuſmodi facere noluerint, preſbyteri eos excommunicent ex parte noſtra, & in locis ubi res iſtæ detentæ fuerint, abſtineant a divinis.

XCI. Præceptum. Præcipimus ut pauperes ſcholares in villis vicinis ſtudentes, habeant aquas benedictas.

XCII. Præceptum. Statuimus, ut ſi quis per publicam famam loci ſuſpectus fuerit de uſura, conveniatur a ſacerdote ſuo, primo in ſecreto, ſecundo additis teſtibus, tertio indilate publice in eccleſia, ut ab uſura deſiſtat, & uſuras ſibi debitas continuo remittat, & aſtrictos ſibi quocumque modo ad præſtandas uſuras abſolvat, & fidejuſſores eorum cum juramento de non repetendo. Quod ſi ita incontinenti facere recuſaverit, dicatur ei publice in eccleſia a ſacerdote, quod ſi ſacramenta eccleſiæ petierit, nequaquam ei conferentur, nec uxor ejus cum de partu ſurrexerit, ad purificationem admittetur, & ita ei denegentur ſacramenta eccleſiaſtica, donec fecerit ſupradicta.

XCIII. Præceptum. Præcipimus, ne de cetero aliqui ſepeliantur in eccleſiis, niſi tantummodo perſonæ inunctæ, ſcilicet ſacerdotes, & niſi domini villarum, vel fundatores eccleſiarum. Item, quod ſacerdotes non ſepeliant corpora mortuorum, donec tradita ſint eorum teſtamenta.

XCIV. Præceptum. Præcipimus ut legata eccleſiarum & preſbyterorum communia ſint, & æqualiter inter ſe dividantur.

XCV. Præceptum. Præcipimus archidiaconis in virtute ſanctæ obedientiæ, quod non permittant in archidiaconatibus ſuis preſbyteros, qui tenent parochias, celebrare, donec curam ab epiſcopo receperint.

XCVI. Præceptum. Præcipimus, ut nullæ confraternitæ fiant niſi de aſſenſu epiſcopi, & factæ deſtruantur, niſi per epiſcopum confirmentur.

XCVII. Præceptum. Moneant preſbyteri parochianos ſuos, ut leproſis de civitatibus vel villis non conferant eleemoſynas ſuas.

XCVIII. Præceptum. Præcipimus, ut omnes cruce ſignati crucem deferant, & in aſſumtione crucis, aut teſtimonium habeant bonorum aut proprii ſacerdotis.

XCIX. Præceptum. Præcipimus, ut clerici habeant tonſuram clericalem & honeſtam, aliter eccleſia non patrocinaretur pro eis ſi caperentur.

C. Præceptum. Cum de jure nullus debeat recipere tonſuram clericalem ſeu ordines quoſcumque ab alio quam a ſuo epiſcopo, ſine litteris dimiſſoriis, ſintque multi qui ſpretis ſacris canonibus & pœnis in eis contentis, recepiſſe tonſuras clericales ab extraneis epiſcopis fuerint deprehenſi, propter hoc, ne ultra hoc vitium pullulet, novarum opus ſit adjectione pœnarum, eos excommunicamus, qui ab aliis epiſcopis quam a nobis tonſuram receperint clericalem, qui ſunt noſtræ diœceſis, ſine noſtris litteris dimiſſoriis aut vicariorum noſtrorum, ſi præſentialiter non fecerimus, niſi in caſibus a jure permiſſis.

CI. Præceptum. Præcipimus etiam, ut clerici conjugati, qui volunt gaudere privilegio clericali, tonſuram deferant & habitum congruentem.

CII. Præceptum. Excommunicentur in generali tam clerici quam laïci, qui vexant aut vexati faciunt aliquem vel aliquos per aliquod reſcriptum, niſi pro ſe vel ſuo nomine, ex ſpeciali mandato fuerit impetratum.

CIII. Præceptum. Excommunicentur dantes & recipientes ceſſationes actionum,

& qui per eas alios vexant aut vexari faciunt. Item, qui aliquem vel aliquos ſuper eodem negotio trahunt ad diverſos judices, & occaſione unius querelæ tantum.

CIV. PRÆCEPTUM. Præcipimus ut abbates & alii inferiores prælati mutua non contrahant, niſi pro ſuis & eccleſiæ ſuæ neceſſitatibus. Qui vero contra fecerint, noverint ſe ſuſpenſos.

CV. PRÆCEPTUM. Præcipimus, ut quæſtores elemoſynarum in propriis locis non recipiantur ſine noſtris litteris aut curiæ noſtræ, nec permittantur prædicare; ſed ſacerdotes exponant populo negotia ſua.

CVI. CONSILIUM. Moneant ſacerdotes parochianos ſuos in confeſſionibus & prædicationibus, ut ſaltem ſemel in anno viſitent matrem eccleſiam Sueſſionenſem.

CVII. PRÆCEPTUM. Præcipimus ſacerdotibus ne veſtimenta ſua ordinent per manum laïcalem; & hoc ipſi inhibeant laïcis, ne ipſi faciant teſtamenta ſua ſine præſentia ſacerdotum.

CVIII. PRÆCEPTUM. Præcipimus ſacerdotibus quod immobilia de bonis eccleſiæ acquiſita tantummodo legent eccleſiis.

CIX. PRÆCEPTUM. Præcipimus preſbyteris, ut monitione præmiſſa, excommunicent omnes qui fecerunt conſpirationes contra preſbyteros & eccleſias, & qui ſe fraudulenter oppoſuerint, ne in foro eccleſiaſtico quilibet jus ſuum, prout voluerit & juſtum fuerit, exſequatur.

CX. PRÆCEPTUM. Præcipimus ut preſbyteri excommunicent, monitione præmiſſa, ſingulis diebus dominicis omnes qui ſcienter celant feoda vel homagia epiſcopi, & omnes qui ſciunt aliquid ſuper hoc, niſi revelaverint epiſcopo vel ejus mandato.

CXI. PRÆCEPTUM. Prohibeant ſacerdotes ſub pœna excommunicationis, ne carnifices permittant per Judæos laniari carnes ſuas, niſi totum retineant Judæi.

CXII. PRÆCEPTUM. Excommunicentur ſæpe Chriſtiani ſervientes Judæis, ut pediſſequæ & famuli & nutrices. Nam tales tam in vita quam in morte vitandi ſunt pluſquam Judæi.

CXIII. PRÆCEPTUM. Præcipimus ut falſatores litterarum domini papæ denuncientur ſingulis dominicis diebus a canone excommunicati. Item, falſatores noſtrarum litterarum ac curiæ noſtræ Sueſſionenſis excommunicamus.

CXIV. PRÆCEPTUM. Prohibemus ſub pœna excommunicationis, ne quis ſententias excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, a nobis vel officiali noſtro latas, ſine noſtra vel officialis noſtri licentia audeat relaxare, niſi in articulo mortis.

CXV. PRÆCEPTUM. Quoniam non licet dominos ſacerdotes lucris temporalibus more ſæcularium inhiare, unde ſacerdotale nomen abominabile redditur cordibus infirmorum; ſtatuimus & ſub pœna excommunicationis firmiter prohibemus omnibus preſbyteris, capellanis, canonicis, & clericis, ne diverſis & ſæcularibus negotiationibus ſe immiſceant, ſicut nonnulli hactenus facere conſueverunt, emtioni & venditioni mercimoniorum vacantes, ut negotiatores verius quam preſbyteri ſeu clerici videantur: quod utique decus facit vileſcere clericale. Qui vero hujus ſtatuti tranſgreſſor fuerit; ſi exinde aliquas injurias vel moleſtias incurrerit, ipſum contra ſibi injuriantes nolumus gaudere privilegio clericali. Item, omnibus decanis firmiter ſub pœna ſuſpenſionis, auctoritate noſtra præcipimus, ut ſine acceptione perſonarum, in decanatibus ſuis diligenter inveſtigent, utrum aliquis talium valeat reperiri, quod cum ad nos retulerint, delinquentem taliter puniemus, quod pœna ipſius merito metus eſſe debeat aliorum.

ALIA STATUTA SYNODI habitæ anno MCCCXXXIV.

I PRÆCEPTUM inhibemus diſtrictius ne quis litteris apoſtolicis in civitate vel diœceſi Sueſſionenſi quomodolibet abuti præſumat, & ſi qui contra fecerint, ipſos auctoritate noſtra in præſenti ſynodo excommunicamus, & excommunicatos denuntiari mandamus per vos in eccleſiis veſtris: rogantes ut omnes & ſingulos quos ſciveritis de abuſu hujuſmodi diffamatos, nomina eorum & ſpeciem abuſus nobis aut officiali noſtro ſignificetis, contra tales, dante Domino, viriliter proceſſuris.

II. PRÆCEPTUM. Nos manifeſtos uſurarios, quos auctoritate prædicta, & præſenti ſynodali ſtatuto excommunicamus, ſæpiſſime in eccleſiis veſtris denuntiari mandamus. Manifeſtos autem intelligimus illos, qui publice menſam tenent ad pecuniam fœnebrem mutuandam, vel feneſtras vitreas, aut alia ſigna habent, per quæ ſciatur apud eos pecunia fœnebris inveniri.

III. PRÆCEPTUM. Porro quia ſimulata æquitas, non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas, quia & iniquitas eſt & ſimulatio, pœnas præmiſſas extendi volumus atque ſtatuimus contra illos, qui ſub colore contractuum licitorum, & ſub boni ſpecie velamen iniquitatis aſſumentes, uſurariam pravitatem exercent interdum, videlicet ſubmittendo mercem & carius vendendo, & poſtea per ſe vel per aliam perſonam eamdem mercem minori pretio reemendo, & aliis diverſis modis & coloribus exquiſitis. tales enim uſurarios reputamus & magis periculoſos, quoniam ſub agni ſpecie lupinam abſcondunt malitiam, ad devorandum ſubſtantias aliorum.

IV. PRÆCEPTUM. Item, præcipimus ſub pœna excommunicationis, quod omnes cu-

rati tradant aut mittant in ſcriptis infra menſem a die inhumationis, nomina defunctorum parochianorum ſuorum facientium teſtamenta, ſigillifero noſtro aut deputato ſuper teſtamentis.

V. PRÆCEPTUM. Item, quod omnes curati poſt celebratam ſynodum antequam a civitate Sueſſionenſi recedant, tradant regiſtrariis noſtris impreſſiones ſigillorum ſuorum, ut ipſis liqueat de dictis ſigillis.

VI. PRÆCEPTUM. Item, quod ipſi curati ſua ſigilla deferant aut alter pro ipſis, de cujus facto tenebuntur reſpondere.

VII. PRÆCEPTUM. Item, quod ipſi curati, poſt octo dies computandos a die datæ monitionis impetratæ, nullam monitionem executioni demandent, & a tergo dictæ monitionis ſcribant diem receptionis ejuſdem, ſi hoc fieri poſſit bono modo.

VII. PRÆCEPTUM. Item, præcipimus regiſtrariis curiæ noſtræ & aliis quorum intererit, quod reſcriptioni cujuſlibet curati ſuper exſecutionibus monitionis ipſi credant, & fidem adhibeant, ſine exactione alterius juramenti. volumus autem quod ſi aliquis curatorum falſum ſcripſiſſe inveniatur, graviter puniatur.

VIII. Item, ſtatuimus quod impetrantes citationes occaſione participationis, in primis ſe obligent ad refundendum expenſas citatis, ſi deficiant in probando, & jurent quod ita credunt, quem petunt citari, illa occaſione participaſſe cum excommunicato, & quod credunt ſe hoc poſſe probare.

IX. PRÆCEPTUM. Item, præcipimus archidiaconis decanis & aliis juriſdictionem exercentibus, ne metas ſuæ juriſdictionis excedant ſub pœna excommunicationis. In contrarium autem facientes ſententia excommunicationis ferimus auctoritate noſtra, & ipſos excommunicamus in his ſcriptis.

X. PRÆCEPTUM. Item, præcipimus ne aliquis ſacerdos bis celebret in die, niſi ut ſupra, & ſpecialiter ne curatus vel capellanus perpetuæ capellaniæ in ipſa deſerviens, vel pro alio celebrans, annuale aut annualia faciant, ſeu miſſas celebrare pro lucro, niſi de licentia noſtra hoc faciant.

XI. PRÆCEPTUM. Item, præcipimus, ut omnes curati habeant una cum ſynodalibus ſtatuta conciliorum provincialium, ne circa eorum obſervantiam reprehenſibiles, quod abſit, inveniantur.

XII. PRÆCEPTUM. Prohibemus ne curati & alii parochialium eccleſiarum rectores fratres mendicantes in ſuis parochiis permittant audire confeſſiones ſuorum parochianorum, ſeu etiam prædicare, niſi primitus prætendant noſtras ſuper hoc ſeu curiæ noſtræ litteras. Sed potius volumus, ut ex parte noſtra parochianis ſuis diligenter exponant, quod nullam habent poteſtatem abſolvendi de caſibus nobis reſervatis, niſi illi qui habent ſuper hoc litteras, in quibus poteſt apparere de poteſtate ſuper hoc ſibi per nos attributa.

XIII. PRÆCEPTUM. Ne quis preſbyter, ſeu tabellio, vel notarius, aut alius quicumque ſubditus noſter quævis privilegia contra ſubditos noſtros recipiat, aut exſequatur, niſi prius exſecutioni eorumdem per approbationem ſigilli authentici alicujus diœceſis, vel alias legitime conſtiterit de vero ſigillo judicis, cui talia privilegia diriguntur. Intentionis tamen noſtræ non exiſtit, veris privilegiis apoſtolicæ ſedis aut juriſdictioni cujuſcumque veri judicis apoſtolici in aliquo derogare.

XIV. PRÆCEPTUM. Item, ne quis citationes ex officio a curia noſtra emanatas recipiat aut exſequatur, niſi ſint ſigneto officii noſtri ſignatæ, nec etiam alias aliquas litteras gratiam ſpecialem continentes.

XV. PRÆCEPTUM. Item, ne aliqua mandata curiæ noſtræ Sueſſionenſis ſigneto officialis noſtri, aut alio quocumque ſigneto ſignata, niſi ſigillo curiæ noſtræ fuerint ſigillata, recipiantur.

XVI. PRÆCEPTUM. Item, præcipimus quod curati citationes aut alia mandata curiæ Sueſſionenſis per eos exſequenda non notificent partibus contra quas exſequi demandatur, donec lator prædictorum receſſerit, aut receſſiſſe potuerit, & elongari per ſpatium unius leugæ, niſi hoc fuerit de conſenſu prædictorum latorum.

XVII. PRÆCEPTUM. Item, cum decani rurales præcipue in diœceſi Sueſſionenſi juriſdictionem non habeant, niſi in quantum conſuetudo uſque ad ſummam v. ſolidorum de parte uſque ad partem introduxit, eiſdem præcipimus, ut de cetero nullum coram ipſis, aut aliquo ipſorum pro quibuſcumque exceſſibus ſeu delictis aut actionibus partium excedentibus ſummam prædictam, citari faciant ſeu in cauſam evocari, ſed hujuſmodi delicta & exceſſus reſcribant aut referant diligenter, nec cognoſcant niſi de parte ad partem, uſque ad ſummam v. ſolidorum prædictam: quod præceptum diſtricte præcipimus curatis & eccleſiarum rectoribus Sueſſionenſibus per tres dies dominicos immediate ſequentes in pleno prono parochianis ſuis intimari & exponi.

XVIII. PRÆCEPTUM. Inſuper quia intelleximus quod fallitas fæpiſſime committitur per procuratores aut eorum deputatos in mandatis curiæ Sueſſionenſis exſequendis. Præcipimus quod curati & eccleſiarum rectores de cetero mandata curiæ & alia mandata quæ fuerint exſequenda, ad perſonas citatorum, vel ad domicilia ipſorum ad perſonam ſui vicini proprii ſeu aliter debite, prout melius fieri, poterit exſequantur, fraudem nullatenus committendo.

XIX. PRÆCEPTUM. Item, nobis relatum extitit, quod fraus per aliquos committitur,

in quæſta facienda pro indulgentiis de alto paſſu, præcipimus curatis & aliis perſonis eccleſiaſticis quorum intererit, quatenus per fide dignas perſonas, hujuſmodi quæſtas fieri & colligi faciant, & decanis tempore debito ac etiam conſueto fideliter tradant, dictique decani quæſtoribus ipſius indulgentiæ deliberent indilate, & raliter faciant & tradant hujuſmodi quæſtas, quod dicti quæſtores ad nos vel officiarios noſtros non redeant querulosi. Inſuper volumus & ordinamus & diſtricte præcipimus, quatenus curati & eccleſiarum rectores omnes, illos & illas qui & quæ ad ſolemniſationem matrimonii, purificationem partus, aut alia ſacramenta eccleſiaſtica de cetero ſe recipi facient ab alio quam a curato ſuo, præcipue a monachis S. Benedicti, Cluniacenſis, & Præmonſtratenſis ordinum, auctoritate noſtra denuncient & publicent excommunicatos & eiſdem ingreſſum eccleſiæ & eccleſiaſtica ſacramenta denegent, niſi legitime conſtet tales præmiſſa facientes ſuper his licentiam obtinere. de qua quidem licentia appareat per litteras debite confectas & ſigillatas, inſinuantes eiſdem quod hujuſmodi excommunicationis abſolutio, niſi in articulo mortis, eſt nobis & non alteri reſervata.

XX. Præceptum. Item, præcipimus quod curati nullos alienigenas ad ſacramenta eccleſiaſtica vel ad ſepulturam ſeu in aliis admittant, niſi litteras debite confectas & ſigillatas ſuper hæc habuerint & receperint, dictique curati ſuper his diligenter advertent, ſcientes quod ſi tranſgreſſores hujuſmodi præcepti, & aliorum præcedentium, tam pro præſenti quam pro futuro tempore reperiantur, graviſſime punientur.

XXI. Item, quia ab aliquibus pluries fuit dubitatum, quale jus habere debent decani Chriſtianitatis ratione funeralium unius curati. Quidam enim dicebant, quod habere debebant unum lectum & duo paria linteaminum, unum auriculare & unum peplum. Alii vero dicebant lectum cum uno pari linteaminum, etiam ſi lectum eſſet de preſbyterio & breviarium. Inquiſita diligenter ſuper his veritate, ab omnibus XIV. decanis & a ſenioribus curatis, per juramentum ſuper hoc in noſtri præſentia auditis & examinatis, dictum fuit ab aliquibus ſenioribus, quod antiquitus & præcipue ante magnam mortalitatem generalem quæ fuit circa annum Domini MCCCXLVIII. & MCCCXLIX. quando unus curatus deceſſerat, die exequiarum ponebatur ille curatus ornamentis ſacerdotibus indutus in medio chori ſupra unum lectum & ſubtus caput ipſius ponebatur auriculare cum peplo, quod nunc non fit propter infectionem ætis, propter mortalitatem & paupertatem curatorum. Ea propter ad ſedandum dictam dubitationem de conſenſu expreſſo omnium decanorum coram nobis perſonaliter exiſtentium, & prout per antiquos fide dignos curatos fuit repertum, dicimus ſuper hoc decretum noſtrum interpretando, quod ratione funeralium unius curati, ejus decanus, qui miſſam die exequiarum & vigilias celebrare tenetur, vel facere celebrari, habebit unum lectum furnitum de culcitra, cuſſino & coopertorio, uno pari linteaminum, unum auriculare & unum peplum. Item, habebit luminare, quod fiet die exequiarum & offertorium cum legato, ſi quod ſit a curato ſibi factum & nihil amplius habebit, nec habere tenetur. Si tamen curatus defunctus ſit ita pauper, quod non habeat lectum proprium, non propter hoc habebit decanus lectum, linteamina & coopertorium quæ ſunt de preſbyterio. Si vero dictus curatus habeat in bonis unde habere poſſet lectum proprium & linteamina, quamvis non habeat, & quod preſbyterium eſt ſufficiens, decanus tamen habebit valorem unius lecti furniti, ut ſuperius eſt dictum, de bonis curati defuncti, abſque eo quod preſbyterium propter hoc in aliquo diminuatur, & ibidem jus per prædictos reperimus competere archidiaconis in decanos defunctos.

XXII. Præceptum de festis. Præcipimus ut feſta ſolemnia obſervanda apoſtolorum ac ſanctorum, quæ ſtatuta ſunt in noſtra diœceſi Sueſſionenſi obſervari, ab omnibus obſervenſtur, & curati quolibet die dominico in pronis ſuis ea populo prænuncient, & obſervari præcipiant ſecundum morem antiquitus obſervatum; & ne excuſationem habeant de eorum ignorantia, nota eis facimus feſta quæ ab operibus mechanicis, & quæ a carrucis, ut dies dominica, obſervari debeant, ea per ſingulos menſes inſcribendo.

In Januario Circumciſio Domini & epiphania a carrucis ſicut dies Dominica ſunt ſervanda. Item, octava Epiphaniæ, Vincentii martyris, Fabiani & Sebaſtiani & converſionis S. Pauli feſta ab omnibus operibus mechanicis, & non a carrucis ſervanda.

In Februario feſtum Purificationis B. Mariæ Virginis a carrucis ſicut dies dominica ſervandum. Feſta vero cathedræ S. Petri & Matthiæ apoſtoli ab operibus mechanicis & non a carrucis ſervantur.

In Martio feſtum Annunciationis B. Mariæ Virginis ſicut dies dominica eſt ſervandum.

In Aprili feſtum B. Marci evangeliſtæ ſicut dies dominica, & hac die proceſſiones, litaniæ majores & jejunium celebratur.

In Maio feſta Philippi & Jacobi apoſtolorum & inventionis S. Crucis a carrucis ſicut dies dominica ſunt ſervanda.

In Junio feſtum S. Barnabæ apoſtoli ſervatur ſimpliciter & non a carrucis. Feſta SS. Gervaſii & Prothaſii, Nativitatis B. Johannis Baptiſtæ, Petri & Pauli ſervantur a carrucis

ſicut dies dominica, & eſt jejunium in vigiliis S. Johannis Baptiſtæ & SS. Petri & Pauli.

In Julio feſtum B. Mariæ Magdalenæ a carrucis, & ut dies dominica ſervatur. Feſtum S. Jacobi ſervatur, ſed non a carrucis. Feſtum S. Annæ ſervatur ut dies dominica.

In Auguſto Feſtum S. Petri ad vincula ſervatur, ſed non a carrucis, feſta B. Laurentii & Aſſumtionis B. Mariæ, quæ jejunium habent, ſervantur ut dies dominica. Feſtum S. Bartholomæi ſervatur a carrucis ſicut dies dominica. Feſtum B. Ludovici ſervatur a carrucis de mandato domini regis Franciæ. Feſtum decollationis B. Johannis Baptiſtæ ſervatur, ſed non a carrucis.

In Septembri feſtum Nativitatis B. Mariæ Virginis ſervatur a carrucis, Exaltatio S. Crucis ſervatur, ſed non a carrucis. Feſtum B. Matthæi quod jejunium habet & feſtum B. Michaëlis ſervantur a carrucis.

In Octobri feſtum B. Dionyſii ſervatur, ſed non a carrucis. Feſtum B. Lucæ ſervatur a carrucis. Feſta beatorum Criſpini & Criſpiniani, ſed non a carrucis. Feſtum Simonis & Judæ ſervatur a carrucis ſicut dies dominica & jejunium habet.

In Novembri feſta omnium Sanctorum cum jejunio, commemoratio omnium defunctorum & B. Martini ſervantur a carrucis. Feſtum B. Clementis ſervatur, ſed non a carrucis. Feſtum B. Andreæ, quod jejunium habet, ſervatur a carrucis ſicut dies dominica.

In Decembri Feſtum S. Eligii ſervatur, ſed non a carrucis. Feſtum B. Nicolai ſervatur a carrucis. Feſta autem Conceptionis B. Mariæ Virginis & B. Nicaſii ſervantur, ſed non a carrucis. Feſtum B. Thomæ apoſtoli ſervatur a carrucis. Nativitas Domini quæ habet jejunium, S. Stephani, S. Johannis feſta ſervantur a carrucis ſicut dies dominica. Feſtum B. Thomæ martyris ſervatur, ſed non a carrucis.

Dies Paraſceve ſervatur a carrucis & ab omnibus uſque ad ſervitium.

Feria II. poſt Paſcha ſervatur a carrucis.

Feria III. & IV. ſervantur, ſed non a carrucis.

Feſtum Aſcenſionis Domini ſervatur a carrucis & habet jejunium.

Feſtum Pentecoſtes ſervatur ab omnibus operibus & habet jejunium.

Feria II. poſt Pentecoſten ſervatur a carrucis.

Feria III. & IV. ſervantur, ſed non a carrucis.

Feſtum S. Sacramenti ſervatur a carrucis & ut dies dominica.

Dedicatio eccleſiæ cujuſlibet & feſta patronorum eccleſiarum, ſervantur ut dies dominica in locis ſuis.

Quia vero proceſſiones letaniarum quæ fiunt in feſto B. Marci & tribus diebus ante Aſcenſionem Domini a populo male fiunt & celebrantur, & pauci volunt eis intereſſe, præcipimus ſacerdotibus, ut præcipiant parochianis ſuis, quod interſint hujuſmodi proceſſionibus, ſaltem de qualibet domo una perſona, quæ caput ſit domus, ſub pœna duodecim denariorum convertendorum ad opus eccleſiæ ſuæ pro defectu cujuſlibet proceſſionis, & recipiantur tales denarii per curatos & matriculatos eccleſiarum, & contemnentes eos ſolvere per noſtram curiam arceantur, & ad ſolvendum faciant eos cogi.

STATUTA QUÆDAM CONCILII provincialis apud Noviomum celebrati anno Domini MCCCXLIV.

I. AUctoritate concilii provincialis apud Noviomum celebrati nuperrime, videlicet anno Domini MCCCXLIV. ac noſtræ præſentis ſanctæ ſynodi omnes & ſingulos quoſcumque juriſdictionis eccleſiaſticæ per ſe aut per alium quocumque modo perturbatores, aut ipſam juriſdictionem eccleſiaſticam quovis modo præpedientes, fautores ipſorum, ac auxilium ſive conſilium in præmiſſis dantes, excommunicationis ſententiæ decrevimus ſubjacere, ipſo facto: injungentes omnibus eccleſiarum rectoribus, ut prædictas ſententias præfati concilii & noſtra auctoritate prolatas in tales omnibus diebus dominicis in pronis ſuarum eccleſiarum denuncient & promulgent.

II. Mendicantes, curati & alii prædicatores proponentes verbum Dei, populum moneant, exhortentur, informent, & inducant ad decimas integre perſolvendas, intimantes eiſdem, quod niſi dictas decimas fideliter & integre perſolverint, interdicetur eis ingreſſus eccleſiæ, & carebunt eccleſiaſtica ſepultura. Et licet dicti mendicantes in ſuis ſermonibus de jure hæc facere teneantur, volumus tamen quod quotieſcumque ipſos prædicare contigerit, hoc faciant ſine fraude; alias non habeant poteſtatem abſovendi a caſibus nobis reſervatis, & maxime non habeant poteſtatem abſolvendi dictas decimas retinentes, ſed eamdem poteſtatem auctoritate dicti concilii & noſtra auctoritate nobis ſpecialiter reſervamus.

III. PRÆCEPTUM. Item, laicos ſe fingentes clericos fraudulenter, & tonſuram clericalem ſua propria auctoritate aſſumentes, necnon & omnes quoſcumque qui abſque noſtra petita & obtenta licentia ab alio ſe fecerint clericali caractere inſigniri, eo ipſo decernimus excommunicationi ſubjacere.

IV. PRÆCEPTUM. Abſolutionem vero omnium & ſingulorum juriſdictionem eccleſiaſticam quovis modo in noſtra diœceſi Sueſſionenſi per ſe vel per alium impedientium, ac decimas & alia jura eccleſiaſtica ſeu parochialia retinentium vel retineri procurantium

tium penes nos prædicti provincialis concilii & noſtra auctoritate ſpecialiter reſervamus, quouſque ad plenum fuerit ſatisfactum.

SEQUITUR STATUTUM SYNODALE in quo continetur decretalis Bonifacii papæ VIII.

STatutum providum, immo iſtis partibus neceſſarium domini Bonifacii papæ VIII. quondam ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummi pontificis, contra malefactores eccleſiæ, impedientes juriſdictionem eccleſiaſticam obſervari præcipimus & mandamus, illudque præſentibus ſynodalibus adjungi & ſcribi, quod eſt tale : *Quoniam ut intelleximus, quorumdam juſtitiariorum, ballivorum, judicum ſæcularium & temporalium dominorum, &c.*

PRÆCEPTUM. Præcipimus ut decani ſinguli & preſbyteri has conſtitutiones habeant, & in ſynodo ſequenti relegantur in communi, ut obſervatores eorum merito commendentur, tranſgreſſores vero ita puniantur, quod pœna unius ſit metus omnium aliorum.

PRÆCEPTUM. Præcipimus quod omnes has noſtras conſtitutiones & præcepta ſinguli decani faciant relegi in calendis ſuis, & ſimiliter diligenter inquirant, ut ab omnibus preſbyteris ſuis ſubditis habeantur. Nomina autem eorum qui non habuerint infra xv. dies poſt dictas calendas ſuas nobis referre non omittant.

PRÆCEPTUM. Item, volumus quod decani poſſint ſuſpendere preſbyteros ſuos, qui ad eorum calendas venire contemſerint.

Item, nos omnes & ſingulas gratias per nos alias ſub quacumque forma conceſſas, niſi in litteris ſuper hoc a nobis conceſſis expreſſe caveatur, non obſtante revocatione ſynodali, ex nunc penitus revocamus.

PRÆCEPTUM. Item, præcipimus & ordinamus, quod omnes & ſinguli decani præſentes conſtitutiones in provinciali ſynodo prædicta ordinatas habeant, & in calendis ſuis legant & publicent, curatiſque tradant: qui quidem curati eas in pronis eccleſiarum ſuarum qualibet die Dominica denuntient & promulgent.

JURAMENTUM magni archidiaconi quando recipitur, quod facit in capitulo.

EGo N. in magnum archidiaconum Sueſſionenſem per vos receptus, juro vobis domino epiſcopo ad ſacroſancta evangelia, quod a modo inantea ero vobis fidelis contra omnem hominem, nec id quod nomine fidelitatis commiſeritis pandam aliis, me ſciente, ad veſtri detrimentum, quodque non ero vobis in damnum de corpore veſtro, neque de ſecreto veſtro, neque de juſtitia & aliis cauſis, quæ ad jus epiſcopatus veſtri pertinent, neque carmen, famoſum verbum, vel factum, per quod fama veſtra diminui poſſit, componam, dicam, vel faciam. Non ero vobis in damnum de veſtris poſſeſſionibus vel juribus, quin immo nec in aliquo utilitatem veſtram impediam, ſed ipſam fieri procurabo. In bonum quod vos facere leniter poteritis, non faciam difficile; nec id quod vobis erit poſſibile reddam impoſſibile. Conſilium & auxilium vobis præſtabo. Sic me adjuvet Deus & hæc ſancta verba.

Sequuntur alia juramenta decanorum, archidiaconorum, curatorum, capellanorum, &c.

LE SACREMENT DE MANUMIS à l'eveſque de Sueſſons.

JE tel, jure aux ſaintes evangiles de Dieu, que aprés que je hauray heu tonſure de clerc monſieur SIMON DE BUCY par la permiſſion divine éveſque de Sueſſons, ſi je enchies en bigamie, ou commes vices de ingratitude, ou fais autre fait, par lequel je doye perdre le privilege de clerc, que ie devendray & ſeray votre homme de corps & homme de corps de l'eveſché de Sueſſons, comme je ſuis de préſent. Item, en quelconque eſtat que je deveigne doreſenavant, je porteray honneur & reverence à vous & à vos ſucceſſeurs eveſques de Sueſſons, & garderai votre honneur & votre profit, & eſchueray votre dommage, & ſi je ſay aulcun qui vous veuille faire & pourchaſſer honte ou domage, je le vous feray ſavoir devant tout aultres. Item, que je ne ſerai contre vous ne vos ſucceſſeurs en office d'advocat ni de procureur pour quelconque perſonne que ce ſoit, ni en quelconque autre office, mais garderay voſtre droit envers tous & encontre tous, & preſteray à vous & à vos gens & à vos ſucceſſeurs eveſques de Sueſſons conſeil, confort & aide, ſe meſtier en eſt, & j'en ſuis requis. Toutes leſquelles choſes deſſuſdites j'eſpere par ma foy & par le ſacrement que j'ai fait enteriner & garder de tout mon pooir.

Nomina abbatum, priorum & curatorum Sueſſionenſis diœceſis, qui tenentur venire ad ſynodum & ei intereſſe.

1. Abbas S. Criſpini Majoris.
2. Abbas S. Johannis in Vineis.
3. Abbatiſſa B. Mariæ ad moniales Sueſſionenſis.
4. Abbas S. Leodegarii Sueſſionenſis.
5. Abbas S. Criſpini in Cavea.
6. Abbas Vallis-ſerenæ.
7. Abbas de Brana.
8. Abbas de Orbaco.
9. Abbas de Caſiaco.
10. Abbas de Eſſoniis.
11. Abbas Vallis-ſecretæ.
12. Abbatiſſa de Morguenvalle.
13. Abbas Loci-reſtaurati.
14. Abbas Vallis-Chriſtianæ.
15. Abbas de Carthovoro.

16. Abbas de Nongento.
17. Abbas de Sparnaco.
18. Abbas de Altovillari.
19. Decanus de Monte.

Priores.

1. Prior de Vailliaco.
2. Prior de Condeto.
3. Prior de Veteri-Arceio.
4. Prior de Capella apud *Ullay*.
5. Prior de Bella-valle.
6. Prior de Monte-felici.
7. Prior de Ignicojardi.
8. Prior de Verdoloco.
9. Prior S. Stephani de Monte-mirabili.
10. Prior S. Pauli de Boſco.
11. Prior de Bello-fonte.
12. Prior S. Leodegarii in Boſco.
13. Prior de Ulcheyo.
14. Prior S. Vedaſti de Firmitate Milonis.
15. Prior S. Ægidii de Aciaco.

Deinde ſedent a dextris decani Chriſtianitatis Sueſſionenſis, de Oibaco, de Caſtellione, de Caſſiaco, de Caſtro Therrici, de Baſochiis, de Ulcheyo.

Sedent decani in ſynodo a ſiniſtris, decanus Chriſtianitatis, de Attrachia, ſeu de Viaco, de Covilloliis, de Beſtiziaco, de *Blerencourt*, de Vailliaco, de Chacriſia, de Vivariis.

Tum curati, *qui enumerantur* 358.

Item, recenſentur ſummæ debitæ a pluribus perſonis eccleſiaſticis, traditæ per decanos in ſynodo anni 1381.

Item, compoſitio facta inter epiſcopum & archidiaconum magnum Sueſſionenſem ſuper cauſis matrimonialibus, & juriſdictione in civitate & archidiaconatu Sueſſionenſi.

Item, compoſitio facta inter dominum JACOBUM epiſcopum Sueſſionenſem, & archidiaconos Briæ, Ripariæ, Tardani, & alios anno 1235.

Item, alia compoſitio inter G. epiſcopum & capitulum Sueſſionenſe anno 1301. XII. Octobris.

Item, ſententia GUIDONIS Ambianenſis epiſcopi, & compoſitiones factæ inter M. epiſcopum Sueſſionenſem & abbatem & conventum S. Cornelii Compendienſis ſuper juriſdictione in Compendienſe monachorum monaſterium, monialium juxta Compendium, villam Compendienſem & alia facta anno 1284. menſe Decembri, ſabbato poſt nativitatem Domini.

Item, *Compoſition faite entre Garin eveſque & le maire & les eſchevins de la ville de Sueſſons l'an* 1225. *ou mois de May.*

STATUTA SYNODALIA
Guillelmi epiſcopi Montalbanenſis, anno MCCCXXXVII. edita.

Ex mſ. Colbertino.

Hæc ſunt ſtatuta noviter edita & declarationes eorumdem in ſynodo celebrata in Monte-Albano, videlicet die Martis poſt feſtum B. Lucæ evangeliſtæ, anno Domini MCCCXXXVII.

GUILLELMUS miſeratione divina Montalbanenſis epiſcopus, univerſis rectoribus, vicariis, & curatis noſtræ diœceſis, ſalutem in Domino ſempiternam.

1. Cum a memoria præſidentis ſubtrahi non debeat, quod repugnet conſcientiæ puritati, ne propter noſtri incuriam divina indignatio gravius exardeſcat, pernicioſum abuſum ſeu conſuetudinem, etiam potius corruptelam, divino juri contrariam, quæ in multis partibus inolevit: videlicet quod prout ad noſtrum pervenit auditum, quod dolentes referimus, in pleriſque locis noſtræ diœceſis ſunt plures & diverſæ perſonæ, arbitrium ſequentes humanæ voluntatis, quæ diebus Dominicis & aliis præcipuis feſtivitatibus, & quod eſt damnoſius, dum in eccleſiis orationi deberent inſiſtere, miſſa non audita, blada cenſuum & acapitorum aut arramendorum dominis quibus debentur ſeu deputatis per eos, necnon & fœna, ligna, vina, & multas alias res aſportant ſeu aſportari faciunt indiſcrete, & etiam dictis diebus Dominicis mercata faciunt, ementes & vendentes indifferenter, ac ſi dies Dominici, & alia feſta præcipua feſtivi & feriati, ſeu feriata minime exiſterent, divinum præceptum & ſanctiones canonicas contemnentes, quorum quidem tranſgreſſio periculum ſalutis inducit, & nihilominus in feſtivitatibus apoſtolorum & aliorum ſanctorum, quæ colenda infra anni curriculum occurrunt, in diverſis locis ſub ſpecie pietatis, cum potius fiat in fraudem & contemtum Dei, eccleſiæ & ſanctorum, & ſuarum periculum animarum, prædia & poſſeſſiones excolunt ſeu excoli faciunt, urgente nos conſcientia, relinqui nolumus incorrecta; ſed omni negligentia penitus relegata, circa reformanda præmiſſa, & eorum ſingula corrigenda, ſollicitam volumus diligentiam adhiberi. Unde ne hujuſmodi tranſgreſſiones invaleſcant, aliiſque veniant damnabiliter in exemplum, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis diſtricte præcipimus, & mandamus omnibus rectoribus, vicariis, & aliis in civitate & diœceſi Montalbanenſi curam animarum habentibus, quatenus ſingulis diebus Dominicis plebes ſibi commiſſas canonice moneant, ut a præmiſſis deſiſtant, & aliqua de ſuperius expreſſatis de cetero non committant. Quod ſi forte præſumſerint, & vobis conſtiterit per confeſſionem aut evidentiam facti, vel per publicam famam loci; videlicet quod ſi aliquis ſeu aliqua, cujuſcumque ſtatus ſeu conditionis exiſtat, die Dominico mercatum fecerit, aliquid emerit, ſeu vendiderit, præter illa quæ in declaratione noſtra continentur, ſive quod blada cenſuum aut arramendorum, aut alia, ſive etiam ligna, vel fœna, vel vinum illis quorum ſunt, vel quibus debentur, ſeu deputatis per eoſdem, ſive etiam ſibi ipſis, niſi ne-

cessitate coactus asportaverit, seu asportari fecerit, vel aliquid simile opus vetitum exercuerit, & vobis constiterit, ut præmissum est, auctoritate nostra introitum ecclesiæ per mensem proxime sequentem interdicimus, quem nos hoc præsenti statuto interdicimus, & si interdictum hujusmodi per dictum mensem sustinuerit, & absolutionem a dicto interdicto non obtinuerit, ipsum, ejus contumacia exigente, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto, & per vos in vestris ecclesiis publice excommunicatum nunciari. Adjicientes insuper quod illi arrendatores, mercatores, & alii quicumque, qui hujusmodi blada, fœna, ligna, vina, seu hujusmodi similia superius vetita die Dominico receperint, similes pœnas incurrant ipso facto. Cujus quidem interdicti & excommunicationis relaxationem sive absolutionem ad nos aut officium nostrum volumus pertinere. In festis vero præcipuis inferius declarandis, cum omni veneratione ab omni opere vetito cessari jubemus, & in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis per omnes nostros subditos colenda & celebranda decernimus & præcipimus sub prædicta pœna inviolabiliter observari. Sed quia circa interpretationem seu verum intellectum dictorum festorum præcipuorum, opiniones quamplurimorum nostrorum interdum in grande, ut fertur, subditorum nostræ diœcesis scandalum varientur, notum facimus declarando, quod festa præcipua quæ volumus observari, intelligimus, videlicet quatuor festivitates B. Mariæ Virginis, scilicet nativitatis, annuntiationis, purificationis, assumtionis, festivitates Domini, scilicet natale cum duobus sequentibus, circumcisionis, apparitionis, resurrectionis cum duobus sequentibus, ascensionis, pentecostes cum duobus sequentibus, & corporis Christi, & festivitatem Omnium-sanctorum, natale apostolorum Petri & Pauli & omnium apostolorum, & quatuor evangelistarum, nativitatis S. Johannis Baptistæ, & natale S. Laurentii, & inventionis S. Crucis, & revelationis S. Michaelis, & beatorum Martini & Theodardi, ob quorum honorem ecclesia Montis Albani est fundata. In his enim festivitatibus & omnibus diebus Dominicis istud nostrum statutum intelligimus & volumus, ut præmissum est, inviolabiliter observari. Datum in Monte-Albano.

II. Verum a dictis pœnis contra non observantes diem Dominicum aliqua excipimus, & etiam aliqua in dicto statuto declaramus, quod comprehendi nolumus sub pœnis prædicti interdicti statuti, videlicet cum in quibusdam locis nostræ diœcesis non multum popularibus, in quibus populus & gentes etiam extraneæ solum diebus Dominicis consuevernnt convenire & congregari, sit consuetum per curias temporales fieri incanta (a) & præconisationes, in hoc non intendimus consuetudinibus locorum laudabilium derogare, dum tamen fiant incanta missa parochiali celebrata.

III. Declaramus etiam quod diebus Dominicis cibaria & victualia, quæ cum paucis possint consumi diebus, possint emi, sicut sunt panis, & vinum, & carnes, & species, & talia quotidiana comestibilia, non tamen pro revendendo, & in istis attenditur conditio loci. Et quia forte in quibusdam locis non venduntur talia nisi die Dominico, & ideo pro necessitate totius hebdomadæ potest emi.

IV. Item status personæ, quia forte erat talis persona, quæ multis carnibus & comestibilibus pro se & familia sua indigebat.

V. Item, excipitur quod possint conducere homines, roncinos & quadrigas, vel locare die Dominico vel festivo pro crastino, præsertim in locis particularibus, sine pœna.

VI. Item, illa quæ sunt necessaria sive opportuna pro infirmis.

VII. Item, si contingeret aliquod funus evenire die Dominico, quod illa quæ erunt decentia pro sepultura & pro funeralibus possint emi & vendi, & illa etiam quæ sunt pro filiolabus in baptismo. In istis enim casibus & aliis similibus necessariis, ipso die Dominico dictum nostrum statutum declaramus locum non habere.

VIII. Sane cum sub specie boni frequenter plura mala diabolico instinctu committantur, prohibemus quod nullus sacerdos, sive rector, sive vicarius nostræ diœcesis, habens regimen animarum, commatrem sive filiolam in sacro fonte baptismi, sive in collatione confirmationis sit ausus facere de cetero, & sub pœna excommunicationis, quam contra illum qui fecerit, canonica monitione præmissa, ferimus in his scriptis, nisi tamen in quantum ratione sui officii in conferendo dictum baptismum est astrictus, vel nisi in casu necessitatis, vel nisi de nostra sive officialis nostri licentia petita & obtenta: scientes quod aliter rebelles puniemus, prout culpa exegerit, & justitia suadebit.

IX. Ceterum cum sit salubris cogitatio orare pro defunctis, & animæ ipsorum defunctorum, ut sacri canones attestantur, missarum sacrificiis & oblationibus a pœnis purgatorii misericorditer liberentur; præter illam solemnitatem, sive solemnem & generalem commemorationem mortuorum, quæ in crastinum festivitatis Omnium sanctorum ab ecclesia generaliter celebratur, alias tres generales & solemnes commemorationes mortuorum per annum a clero & populo celebrandas in tota nostra diœcesi duximus ordinandas, quas volumus celebrari eo modo, quo illa in crastinum Omnium-sanctorum celebratur, videlicet unam in crastinum octabarum epiphaniæ, aliam in crastinum octabarum paschæ, aliam in crastinum octabarum pentecostes. Mandantes & præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus rectoribus, vicariis, ac curatis aliis nostræ diœcesis,

(a) Id est auctiones, seu publicæ sub hasta venditiones.

ut dictæ generales & solemnes commemorationes mortuorum dictis temporibus devote & solemniter habeant celebrare, & populum sibi commissum inducant ad eas celebrandas.

X. Porro cum personæ ecclesiasticæ, quæ jugiter Domino famulantur, prosequi debeant prærogativa favoris & gratiæ specialis, idcirco eorum saluti animarum pio condescendendo affectu, statuimus & ordinamus, quod cum contigerit aliquem de archipresbyteris sive rectoribus nostræ diœcesis Montis-Albanensis curam habentibus animarum decedere, cum ejus obitus ad notitiam aliorum rectorum superstitum, sive eorum cujuslibet devenerit, quilibet officium mortuorum & unam missam solemnem de officio mortuorum pro anima jam defuncti rectoris per se vel per alium infra octo dies a tempore notitiæ celebrandos celebrare teneatur. Et ut in hujusmodi notitia aliqua ignorantia minime prætendatur, volumus & ordinamus, quod cum ejus obitus notus erit, in proxima sequenti synodo per præsidentes in ipsa synodo ejus obitus astantibus in synodo publice indicetur. Exhortamur etiam in Domino omnes & singulos nostros curatos, ut circa præmissa sint solliciti & diligentes.

STATUTA

edita a Guillelmo de *Signelai* episcopo Autissiodorensi, anno MCCXVI. pro Gyemensibus S. Stephani canonicis.

Ex schedis nostri Georgii Viole.

GUILLELMUS Dei gratia Autissiodorensis episcopus, omnibus tam præsentibus quam futuris perpetuam in Domino salutem.

Habitantes in medio nationis perversæ & pravæ, ecclesiarum ministri his noviſſimis temporibus, quibus mala sunt multiplicata super terram, summopere debent eniti & pro viribus laborare, quatinus solito ferventius obsequiis insistant divinis, ut proximis suis luceant verbo & exemplo, ne moveat cornicula risum, hæreticus videlicet, qui insidiatur in abscondito, & sumat argumentum de malis, & ne simplices qui ad eorum vivunt exemplum, deducantur ab ipsis in invium, non in viam. Hinc est quod nos ad ecclesiam S. Stephani de Gyemo personaliter accedentes, & invenientes propter absentiam canonicorum minus sufficienter in ea officia celebrari divina, convocato capitulo, & in nostra præsentia constituto, eo consentiente & approbante, quæ subscripta sunt instituenda duximus, ut ibidem secundum sibi datam formam Domino servientes, ordinatius & devotius cultui mancipentur divino, per quod & populus ad Dei servitium fortius provocetur, & ipsorum exemplo vitam satagat ducere meliorem. Sunt autem hæc quæ statuimus.

I. Quilibet canonicus Gyemensis tenetur tres facere septimanas, septimanam scilicet presbyteri, diaconi, & subdiaconi, ita quod qui hac septimana fecerit septimanam præ-

BIBLIOTECA

byteri, secunda faciat septimanam diaconi, tertia subdiaconi. Presbyter autem, diaconus & subdiaconus hebdomadarii tenentur interesse omnibus horis, diurnis videlicet & nocturnis: ita quod presbyter præsens sit in ipso horæ principio, per quem oportet officium inchoari; diaconus vero & subdiaconus sint ad minus ad primum versum primi psalmi, in illis scilicet horis, in quibus hymni præmittuntur: in aliis vero interesse tenentur ante *Gloria* psalmi. Quod si presbyter non interfuerit in matutinis, sicut præmissum est, ille videlicet qui erit hebdomadarius solus tres denarios Parisienses pro defectu suo, diaconus vero hebdomadarius duos, & subdiaconus duos. Ad primam & nonam si presbyter non interfuerit, duos solus denarios, diaconus vero & subdiaconus absentes, quilibet unum denarium. In missa deficiens presbyter quatuor solvet denarios, diaconus tres, subdiaconus duos: qui etiam tenentur interesse Tertiæ & Sextæ sicut in missa. Si defuerint in vesperis, presbyter solvet duos denarios, diaconus unum, subdiaconus unum: qui etiam tenentur completorio interesse. Pecunia quoque pro hujusmodi soluta defectibus colligetur per camerarium, & ponetur in usus ecclesiæ, prout visum fuerit expedire.

II. Facient autem residentiam canonici per sex menses: ita quod residens tenetur interesse duabus principalibus horis: alioquin qui non interfuerit duabus principalibus horis, non faciet residentiam ea die: forenses vero nihil omnino percipient, nec vineam, nec aliud.

III. Non apparebunt canonici in ecclesia, vel juxta ecclesiam, nisi in habitu regulari, a matutinis usque post sextam, & a nona usque ad completorium, moram scilicet faciendo. Matricularius autem per sacramentum suum tenetur deregere eos qui defecerint, & dicere illi qui geret officium cantoris.

IV. Nullus canonicorum extendet manus ad proventus ecclesiæ, nisi camerarius, qui omnia recipiet, servabit & distribuet per sacramentum suum, prout justum fuerit: qui etiam de vineis, pratis & aliis rebus ecclesiæ curam geret, & habebit pro labore suo tres sextarios sigali, & unum modium vini, & quinque solidos Parisienses.

V. Tenetur quoque matricularius pulsare tempore opportuno, nec propter mandatum cujusquam mutabit, seu etiam prorogabit tempus pulsandi, nisi forte per illum qui geret officium cantoris.

VI. Tenetur autem capitulum habere tres vicarios, presbyterum videlicet, diaconum & subdiaconum, qui nullum habeant beneficium in ipsa ecclesia, quorum unus poterit esse matricularius.

VII. Nos igitur omnia supradicta in virtute obedientiæ præcipimus inviolabiliter observari: quæ nos ad ampliandum cultum divinum, ad laudem & gloriam ejus duximus statuenda. Actum anno Domini MCCXVI.

Finis gloriæ Domini.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM
HUJUS VOLUMINIS.

A.

Abbates sint docti, 1308. b.
Abbates & exemti tonsuram vel minores ordines non conferant nisi subditis suis, 1367. c.
Abbates mutua non contrahant, 1549. a.
Abbates diœcesis Basileensis arguuntur, quod tardius concilio se exhibeant, 27. c.
Abdisu patriarcha provinciæ Assyriæ orientalis obedientiam papæ promittit, 1286. c. 1289. b.
Aboleua villa papæ obedientiæ subjicitur, 593. a.
Abortum procurantes excommunicentur, 1510. a.
Abrincensis episcopus Antonius *le Civier*, 1235. a.
Absentes a choro canonici ut puniantur, 1474. a. Suam distributionem perdant, 1475. b.
Absentes a concilio Tridentino contumaces declarantur, 1099. c. & seqq. 1116. c.
Absolutio triplex, 513. b. Absolutionis forma, 1514. c. Minister solus sacerdos, 1446. c.
Abundantia monasterium, 638. c.
Abusiones in ecclesia ita tollendæ, ut sedis apostolicæ honor servetur, 854. a.
Ab abusu appellationes, 1402. a.
Academiæ erigendæ, 1427. b.
Accidentia sine subjecto esse posse negant Hussitæ, 249. d.
Acerensis episcopus Johannes Fabricius Severinus, 1234. c. 1269. b.
Achadiensis episcopus Eugenius *Obatre*, 1236. b.
Acherontinus archiepisc. Johannes Michael Sarracenus, 1135. d. 1138. d. 1158. b.
Achilles Brancia episcopus Bovien sis, 1231. a.
Aciensis episc. Benedictus de Nobilibus, 1136. a. 1139. a. 1158. a.
Acolythorum officium, 1374. d. Vocem non habent in capitulo, 1481. d.
Acta concilii Tridentini, 1022. c.
Adam de Cameraco præsidens in parlamento, 864. c.
Adiacensis episcopus Johannes-Baptista de Bernardis, 1230. d.
Admiratio quid sit, 468. c.
Adolfus de Monte & de Juliaco dux, 528. c. Mittit ad concilium Basileense Wimtum de Wachtendonk legum doctorem, 794. d.
Adoratio est exhibitio honoris ratione sanctitatis, 487. b.
Adoratio triplex, 413. c. 487. b.
Adrianus Fusconius episcopus Aquinus, 1232. a.
Adrianus Messus theologus, 1143. c.
Adrianus Valentinus doctor, 1240. d.
Adrienses episcopi Jacobus, 130. b. Jacobus Guidius, 1231. c. Johannes Franciscus Elifeo, 1229. a. Julius Cananus, 1232. b.
Adventus tempore non absint episcopi ab ecclesia sua, 1377. c.
in Adventu prædicatio fiat, 1308. c. Non faciendæ nuptiæ, 1389. a.
Adulterium an magis debeat puniri, quam furtum, 444. c. 445. d. Adulteri excommunicentur, 1510. a. Adulterium non dissolvit matrimonium, 1382. b. 1384. c.
Advocati officium in foro publico non faciant monachi nec canonici regulares, 1465. c. & seq. Neque clerici beneficia obtinentes, 1466. a.
Advocatus ecclesiæ Romanæ imperator, 12. c. 85. c. 89. c. 978. d. 979. c.
Ægidius Falceta episcopus Britonorien sis, 1229. c.
Ægidius Falceta episcopus Caprulanus, 1159. a.
Ægidius Fuscararius episcopus Mutinensis, 1231. b. 1254. b. 1269. b. 1441. c.
Ægidius *Siphanus* episcopus Nivernensis, 1234. a.
S. Ægidii Nurembergensis abbas Henricus, 131. c.
Ægidius Carlerii decanus Cameracensis, 719. c. Ei eradunt magistri Pragenses intellectum suorum quatuor articulorum, 601. d. Orationis ejus adversus eos divisio, 337. d. Refutat dicta Thaboritarum, 603. c. Ejus responsio ad replicam Nicolai Thaboritæ super punitione peccatorum, 419. a.
Ægidius *Urabe* archidiaconus major Trevirensis, 571. c.
Ægidius de Cambario theologus ordinis eremit. S. Augustini, 1161. a.
Æmonien sis episcopus Matthæus Priulas, 1236. a.
Æneas episc. Senensis, 1014. a.
Æneæ Sylvii episcopi Tergestini oratio coram Eugenio IV. pro fideli Alemannorum obedientia ac schismatis reconciliatione, 980 b.
Agapitus Belhomo episcopus Casertanus, 1232. b. 1491. c.
S. Agathæ episcopus Johannes Beroaldus, 1230. c. 1262. b.
Agathenses episcopi Claudius *de la Guische*, 1136. d. 1140. d. Jo. 776. a.
Agrien sis episc. Petrus, 47. c.
Alamannus Isolanus, 1160. b.
Alatrinus episcop. Camillus Perusc us, 1141. c.
Albanensis episcopus Petrus, 586. d. 588. d. 1473. a.
Albensis episcop. Hieronymus Vida, 1136. b. 1139. d.
Albertus Duimius episc. Veglien sis, 1231. a.
Albertus de Comite nuncius Eugenii IV. ad concilium Basileense, 80. c.
Albertus de Crispis missus a concil. Basil. ad Græcorum imperatorem, 673. d. 678. b. Quæ ei acciderunt in itinere, 723. d. & seq.
Albertus Vicentinus ord. Carmelit. regens Venetiarum, 1144. a.
Albertus monachus Vizeliacensis, 788. b.
Albertus plebanus S. Sebadi Nurembergen sis. 131. c.
Albertus imperator, 982. b. 985. c.
Albertus dux, 813. d.
Albertus dux Austriæ, 79. d. 121. c. 215. a. 1014. c. Ejus epistola ad concil. Basileense, 201. a. Ejus terras Bohemi hostiliter intraverunt, 201. d. Hussitas in Moravia & in suo ducatu vincit, 91. d.
Albertus dux Bavariæ, 1227. b.
Albertus matchio Brandeburgensis, 1014. b.
Albertus Sighicellus consul Bononien sis, 1159. d.
Albienses episcopi Bernardus de Cassilaco, 741. d. 742. d. 873. d. Petrus Nepos, 741. c. 742. c. 772. c.
Albien sium quorumdam canonicorum epistola ad concilium Basileense contra electum ejusdem ecclesiæ, 770. c.
Albiganenses episc. Carolus Cicada, 1231. c. Johannes Bapt. Cicada, 1137. a. 1141. b.
Alemanni homines idiotæ, 1444. c.
Alessanensis episcop. Julius Galletius, 1232. c.
Alevien sis episcopus Petrus Franciscus Palavicinus, 1231. b.
Alexander papa III. 844. b. Romam ægre attigit, 853. d.
Alexander Farnesius cardinalis papæ nepos legatus de latere missus ad imperatorem & regem Francorum, 1030. d. e. 1038. e.
Alexander Sforzia episc. Parmensis cardin. 1235. a.
Alexander Campegius episc. Bononien sis, 1139. b.
Alexander de Ursis episcopus Emonien sis, 1136. c. 1140. a.
Alexander Molus episc. Minorensis, 1136. e.
Alexander Picolominus episc. Pientinus, 1139. c. 1229. b.
Alexander episc. Tridentinus, 7. c.
Alexander abbas Vizeliacensis, 874. b. Ducis Burgundiæ & Brabantiæ cancellarius, inchoat concilium Basileense, 2. a. 4. a.
Alexander e Bononia theologus ord. eremit. S. Augustini, 1161. a.
Alexander Pepulus comes, 1159. d.
Alexandr. episcopus Julius Gallet us, 1442. a.
Alfonsus Roselus episcopus Comodien sis, 1230. d.
Alfonsus Contreras doctor, 1238. b.
Alfonsus de Castro theologus, 1142. c.
Alfonsus *Salmeron* S. J. theologus, 1142. d. 1237. c. 1281. d. 1291. a. Missus Tridentum a papa, 1270. b. Ejus votum de usu eucharistiæ, 1270. b. De sacramento matrimonii, 1306. c.
Alfonsus *Fernandez* dela Guerra doctor, 1239. c.
Alfonsus Zorilla Hispanus doctor egregius, 1058. c. 1059. c. 1142. b.
Alfonsus rex Aragonum Bernardum Serra monachum ordin. Cistercien sis mittit ad concilium Basileense procuratorem suum, 188. c. 190. c. Notam etiam facit victoriam a se reportatam in regem Tuneti, 190. d. & seq.

Alienantes eccleſiarum bona excommunicantur, 1518. c. Alienata revocentur, 1504. c.

Aliphani epiſcopi Jacobus Ghibertus, 1235. e. Sebaſtianus Pighinus, 1137. b. 1141. d. 1159. b.

Almerienſis epiſcopus Antonius Gorionero, 1233. d.

Aloiane Megacomnenus imperator Trapezuntarum, 758. d.

Aloyſius Lippomanus epiſcop. Motonenſis, 1136. c. 1140. c. Coadjutor Veronenſis, 1158. c. Epiſcopus Veronenſis, apoſtolicus nuncius in Germania, 1203. a. c. apoſtol. ſedis legatus in Polonia, 1445. b. Præſidet concilio Lovitii, 1449. c.

Aloyſius Piſanus epiſcopus Patavinus, 1139. c. 1229. b.

Aloyſius de Burgo-novo theologiæ lector, 1240. c.

Aloyſius Pigniſmus, ordinis Minor. theologus, 1143. c.

Alpericus Helveticus populus, 1443. b.

Alſio *de Ryſimburg* gubernator ſupremus regni Bohemiæ, 704. e.

Altaenus cardinalis nepos Pii IV. advenit Tridentum, 1248. d.

Altaria munda teneantur, 1470. c. In fracto non celebretur, 1519. c. Altaris acceſſum prohibeant laïcis exorciſtæ, 1374. c.

Alvarus della Quadra epiſcopus Venuſinus, 1141. a. 1159. a. 1422. a.

Alvari Hiſpani ſententia communiter approbata, 559. e.

Alverniæ dux Carolus, 864. c.

Amalfitani archiepiſcopi Ferdinandus Annius, 1227. c. Franciſcus Sfondratus, 1038. b. Maximus de Maximis, 1228. e.

Amans ordin. Servorum theologus, 1242. c.

Amanti nihil dulcius, quam implere mandata Dei, 495. a.

Amauricus epiſcopus Maclovienſis, 765. a. 810. c. 895. c. Ejus obitus, 751. c. 753. e.

Ambianenſes epiſcopi Guido, 1159. d. Johannes, 744. d.

S. Ambroſius cæleſtis fiſtula, 211. c.

Ambroſius Catherinus epiſcopus Minorenſis, 1137. b. 1141. d. 1159. b. Perorat in concilio Tridentino, 1073. d. Ejus oratio habita in concilio Bononienſi, 1145. c.

Ambroſius Monticulo epiſcopus Signinus, 1231. c.

Ambroſius Camaldulenſium generalis, Eugenii ad concilium orator, 819. c. e. 910. e. Ejus oratio facta in concilio Baſileenſi, 846. c. Ad eam reſponſio, 855. a. Ejus oratio pronuntiata Albæ coram Sigiſmundo imperatore, 886. b.

Ambroſius Pelargus procurator archiepiſc. Trevir. 1141. c.

Ambroſius de Platina ord. Servorum theologus, 1144. b.

Ambroſius de Verona ordin. S. Auguſtini theologus, 1143. c.

S. Ambroſii Mediol. abbas A. orator concilii Baſil. ad Carolum regem Franciæ, 168. a.

Amedeus archiepiſcopus Lugdun. 821. d. 823. a. 825. c. Pallium confert Hugoni Rothomagenſi archiepiſcopo, 868. b. & ſeq.

Amedei ducis Sabaudiæ epiſtola ad concilium Baſileenſe, 67. c. Scribit ad illud de cauſa eccleſiæ Lauſanenſis, 787. a. & ſeqq. Adverſus Ludovicum de Paluda epiſcopum Avenion. 794. d.

Amedeus dux Sabaudiæ eremita factus de hypocriſi notatur, 966. a. & ſeq. Fit papa in concilio Baſileenſi, 966. c. Felix infeliciſſimus, ibid. d. Poſtea fuit primus cardinalis, epiſcopus Sabinenſis, 999. c.

Amerinus epiſcopus Bartholomæus Ferratinus, 1236. b.

Amici præſentia præcipua amicitiæ voluptas, 676. a. & ſeq.

Amphion Spinula civis Januenſis, 956. a.

Amulius cardinal. 1286. c. 1289. b. 1339. b.

Ancenam petunt Græci ad conveniendum cum Romanis pro unione eccleſiæ, 739. a. 767. a.

Anconitanus epiſcopus Vincentius de Luchis, 1233. a. 1269. b.

Andegavenſis epiſcopus Gabriel de Bouveri, 1229. c.

Andegaviæ dux Ludovicus, 579. a.

Andica abbas S. Eleutherii Reatini, 1513. b.

S. Andreas ſcripſit evangelium quod non recipit eccleſia, 662. a.

S. Andreæ C. P. tranſlatio, 485. c.

Andreas archiepiſcopus Colloſſenſis papæ nuncius ad concilium Baſileenſe, 112. c. 149. c.

Andreas Cornelius archiepiſc. Spalatrenſis, 1135. d. 1138. c. 1178. b.

Andreas Dudicius epiſcopus Cenadienſis, 1227. b. 1236. b. 1262. e.

Andreas Dudicius Sbardellatus epiſcopus Tiſinienſis, 1277. b. Cleri Hungariæ legatus admittitur ad ſacrum concilium, 1257. e. 1258. a.

Andreas Mozzanicus epiſcop. Nimoſenſis, 1140. c. 1235. a.

Andreas Sebaſtianus Minturnus epiſcopus Uxcentinus, 1234. a.

Andreas Patavinus provincialis ord. S. Auguſtini, 1143. d.

Andreas *Pfaffendorff* decretorum doctor ordinis B. Mariæ Theutonicorum, 553. a. Legatus ducis Lithuaniæ ad conc. Baſil. 623. a.

Andreas Navarra theologus, 1142. c.

Andreas Sancti decretorum doctor, 818. b.

Andreas Schynopius theologus, 1141. d.

Andreas de Vega theologus, 1142. c.

Andreæ de Maſſeotiis ordinis Servorum teſtimonium de morbo contagioſo Tridenti, 1120. e.

Andreas Nichalawitz nepos regis Poloniæ & magni ducis Swidrigal, 576. d.

Andreas Lotharii Ludovici Andegavenſis orator ad conc. Baſil. 579. b.

Andreas Lidius auditor Rotæ, 1159. d.

Angelotus cardinalis S. Marci, 52. a. 130. a. 588. d. 801. b.

Angelus Paſchalis epiſc. Motulenſis, 1140. a.

Angelus Maſſarellus epiſcopus Teleſinus, 1023. a. 1142. b. 1161. d. 1253. d. 1262. e. Concionem habet de continuatione concilii, 1246. e.

Angelus ordin. Carmelit. theologus, 1144. a.

Angelus Ciofus doctor, 1240. b.

Angelus Juſtinianus lector theologiæ Genuæ, 1241. a.

Angelus de Petrolo lector theologiæ Perúſii, 1241. a.

Angelus Vigerus ordinis Minorum regens Neapoli, 1143. c.

Anglonenſis epiſcopus Johannes Paulus Amanius, 1234. e.

Anglorum rex Henricus II. 849. b.

Angliæ rex Henricus V. 817. a.

Angliæ rex Henricus VI. 619. a. 859. d. 863. b. Ejus epiſtola ad concilium Baſil. 815. e. Ejus oratores ex dicta Attrebatenſi diſcedunt oblationibus eis factis non acceptis, 861. d. 863. c.

Anima quam pretioſa creatura, 1211. b.

Annatæ quando inſtitutæ, 947. d. Introductæ in cauſa paſſagii Terræ ſanctæ, 843. e. Earum remiſſio petitur, 986. e. In conciliis Viennenſi & Conſtantienſi ventilatæ non tolluntur, 892. b. Nullo jure debentur, 919. c. e. 947. d. Earum ſublationi opponit ſe Eugenius IV. & ſui, 419. c. Et cas exigit, 934. b. e. Aut ſaltem earum ſuſpenſionem a concilio Baſil. petit Eugenius IV. 890. Decretum de annatis, vacantis & communibus ſervitiis ei mittitur, 843. d. Eo tempore quo plus iis indigebat, 890. c. Earum ſublationi opponunt ſe omnes curiæ ordines, ibid. Contra abrogationem proteſtatio facta per præſides concilii Baſil. 822. a. Earum abuſus, 844. a. & ſeq. 858. c.

Annibal Saracenus epiſc. Lrecienſis, 1235. c. 1441. c.

Annum quo die incipiant Trevirenſes, 575. c.

Anthimæ dominus ducis Burgund. cancellarius, 50. a.

Antiochenſis patriarcha Johannes, 821. d. 823. a. 825. c.

Antibarenſes archiepiſc. Lodovicus Chieregatus, 1135. d. 1158. b. Johannes Brunus, 1224. b.

Antipolis caſtrum eccleſiæ Graſſenſis, 934. a.

Antonius cardinalis S. Marcelli, 51. c. 801. b. 802. d. 809. c.

Antonius Ælius patriarcha Hieroſolymitanus, 1227. d. 1244. c. 1253. a.

Antonius Filholi archiepiſcopus Aquenſis, 1138. e. Acta concilii Trident. deferibi curavit, 1132. d. Ejus epiſtola ad Julium papam III. 1218. b. Offert Henrico regi decreta concilii Tridentini, 1219. d. Petit a rege facultatem illium in ſuis ingſigniis portandi, 1221. c.

Antonius Puteus archiepiſcopus Barenſis, 1229. a.

Antonius *Parragez* archiepiſc. Calaritanus, 1224. c.

Antonius Caveus archiepiſc. Coreyrenſis, 1228. d.

Antonius Cochus archiepiſc. Patramenſis & electus Coreyræ, 1253. a.

Antonius Altovius archiepiſc. Florentinus, 1228. a.

Antonius Juſtinianus archiepiſc. Naxienſis, 1229. a.

Antonius de Magliclo ſeu Militius archiepiſc. Pragenſis, 1228. c. 1254. a. 1399. a. Orator Cæſareus ad concilium Trid. 1227. a. Accedit Tridentum, 1248. c. Ejus publica admiſſio, 1249. b.

Antonius *Le Cirier* epiſcopus Abrincenſis, 1235. a.

Antonius *Gortonero* epiſcopus Almerienſis, 1233. d.

Antonius a Camera epiſcopus Bellicenſis, 1229. c.

Antonius de Comitibus epiſc. Brugnacenſis, 1230. c. 1269. a.

Antonius Ciurelia epiſc. Budenſis, 1233. d.

Antonius de Cruce epiſcopus Canarienſis, 1137. b. 1141. d.

Antonius de Numais ſeu Trumais epiſcop. Iſernienſis, 1136. c. 1139. b. 1158. c.

Antonius Auguſtinus epiſcopus Ilerdinus, 1233. d. 1254. b.

Antonius de Gueſta epiſcopus Legionenſis, 1233. d.

Antonius de S. Michaele epiſcop. Montis-Marani, 1232. a.

Antonius Havetius epiſcop. Namurcenſis, 1234. d.

Antonius Scarampus epiſcopus Nolanus, 1230. c.

Antonius Auguſtinus epiſcopus Oſcenſis, 1141. a.

Antonius epiſc. Oſtienſis, 51. c.

Antonius Maria Salviati epiſc. S. Papuli, 1235. c. 1269. c.

Antonius epiſcopus Sudenſis miſſus a concilio Baſil. ad imperatorem Græcorum, 673. d.

Antonius de S. Vito J. U. doctor, papæ nuncius ad concil. Baſil. 112. c.

Antonius de S. Vito, 130. b.

Antonius de S. Vito cauſarum ſacri palatii auditor, nuncius papæ ad concil. Baſil. 819. e. 930. c.

Antonius U. J. doctor, papæ nuncius, 149. c.

Antonius Sapiens generalis Minorum conventualium, 1237. b.

Antonius Marinarius provincialis Carmelitarum, 1143. c.

Antonius de Bermicis decretorum doctor, 608. c.

Antonius *Cognier* doctor Pariſienſ. 1237. c.

Antonius a Cubalo theologus, 1241. d.
Antonius *Demochares* doctor Parisiensis, 1237. c.
Antonius Felicius theologus, 1142. c.
Antonius Garsias doctor, 1240. a.
Antonius de Grosupto doctor, 1240. c.
Antonius Leitonus doctor, 1239. d.
Antonius de Padua theologus, 1241. a.
Antonius Posius regens in conventu XII. Apostolorum Romæ, 1241. c.
Antonius de Rovereto ordinis Carmelitar. theologus, 1144. a.
Antonius Solisius doctor, 1237. d.
Antonius Mauellus depositarius conc. Tridentini, 1242. c.
Antonius auditor confarum palatii, 890. e.
Antonius *Corsarvivias* auditor Granatensis, 1238. a.
Antonius Tirsius ordinis Minorum, regens Perusii, 1243. c.
Antonius Maria Liganus consul Bononiensis, 1159. d.
Antonius Bentivolus eques, 1162. b.
Antonius Maria Campegius comes, 1159. e.
Andreas Castilius comes, 1159. e.
Antonius Queta doctor U. J. & comes, 1046. b. 1048. b. Orator Ferdinandi regis Romanorum ad concilium Trident. 1138. c.
Antonius de Rosellis advocatus consistorialis, 312. e.
Antonius de Castrovilla capitaneus, 1126. a.
Antonii Pigheti commissarii apostolici testimonium de morbo contagioso Tridenti vigente, 1122. d.
Apostolica sedes refugium orbis, 984. d.
Apostoli omnes idem fuerunt quod Petrus, 1197. c.
Appamiensis episcopus Gerardus, 774. c. 803. c. c.
Appellatio a bulla dissolutionis conc. Basileensis, 56. c. & seq.
Appellatio electorum imperii a processibus Basileensium in papam, & papæ in Basileenses, 95. c.
Appellant hæretici ad concilium, 1146. e.
Appellationes ab abusu, 1402. a.
Aprutini episcopi Johannes Jacobus Barba, 1141. c. Jacobus Silverius Piccolomineus, 1231. d.
Aquam in calice miscendam negabant Hussitæ, 249. c.
Aqua benedicta fiat die dominica, 1484. a.
Aquas benedictas habeant pauperes scholares, 1547. d.
Aquenses archiepiscopi Antonius Filholi, 1022. d. 1023. c. 1138. c. 1218. b. 1219. d. 1221. d. Ejus sententia de peccato originali & conceptione S. Mariæ, 1096. d. Robertus, 988. c.
Aquenses episcopi Bernardus, 821. d. 823. a. 825. c. Petrus Faunus Castacciarlo, 1233. c. Petrus Vorstius, 1158. d. 1269. b.
Aquensis seu Caput Aquensis episc. Paulus Æmilius Varallus, 1224. b.
Aquilegienses patriarchæ Daniel Barbarus, 1227. c. Ludovicus, 821. d. 823. a. 825. c. 870. c. 885. d.
Aquini episcopi Adrianus Fuscones, 1232. a. Galeacius Florimanus, 1137. a. 1141. a. 1159. b.
Aragonum regina Catharina, 137. b.
Aranea si ceciderit in calice quid faciendum, 1519. a. 1541. c.
Arcadius imperator ossa S. Samuelis de Judæa transfert in Thraciam, 485. c.
Archangelus de Placentia theologus ordin. Minor. 1160. c.
Archidiaconi ordinentur diaconi, & suam hebdomadam de evangelio faciant, 1483. b. Jurent residentiam per anni medietatem, ibid. Cum archidiaconatus visitant, possint secum habere duos canonicos, 1483. c. Metas suæ jurisdictionis non excedant, 1551. d. Præstandum ab eis in sua receptione juramentum, 1557. c.
pro Archipresbyteris defunctis curati dicant missam, 1563. a.
Archivia in ecclesiis cathedralibus & collegiatis, 1415. b. 1417. c.
Ardechinus cardinalis SS. Cosmæ & Dam. 52. a.
Arelatensis cardinalis Roma fugit ad concilium Basileense profecturus, nudus applicat Januam, 621. a. & seq.
Arelatensis archiepiscopus Philippus *de Lavi*, 719. e.
Argentinenses consules deprecantur patres concilii Basileensis, ut mittant ad concilium viros doctos & sapientes, 196. c.
Arguere non debent prælatos inferiores, 388. a.
Arianensis episcopus Donatus de Laurentiis seu de Causentiis, 1233. b. 1254. b.
Ariminensis ecclesiæ administratio commissa Eugenio IV. cardinali a concil. Constantiensi, 650. b.
Ariminensis episcopus Julius Parisiensis, 1238. e.
Arma ecclesiæ orationes & lacrymæ, 19. c.
Arma non portent clerici, 1306. c. 1470. b.
Armeniaci comes Johannes, 780. c. 998. a.
Armeni tributacii & per loca diversa dispersi, 641. c. Optant uniohem cum ecclesia Romana, 739. d. 767. e. Idque petunt, 640. c. & seq. Eorum reductio ad ecclesiam Romanam agitatur, 757. d. Ea facilis est, 784. a. Ritus sibi a S. Silvestro & S. Gregorio traditos tenent, 641. a. Celebrant in azymo & puro vino, ibid.
Armacanus archiepiscopus Robertus *Vancheop*, 1135. c. 1138. c. 1158. b.
Arrias *Gallego* episc. Ovetensis, 1232. c.
Articuli a cardinalibus post mortem Pauli III. jurati antequam procederent ad electionem pontificis, 1214. e.
Arturus filius ducis Britanniæ comes Richemundiæ, 864. c.
Arvernix dux Carolus Borbonius, 771. a.
Asaphensis episcopus Thomas Goducius, 1232. c.
Ascanius Gherardinus de Ameita episcopus Caiacensis, 1231. b.
Asceniis episcopus Catharensis, 1441. a.
Asciscius Moya episc. Vicensis, 1232. a.
Asculani episcopi Lactantius Roverella, 1231. c. Philos Reverella, 1135. c. 1138. c. 1158. c.
Assisiensis episcop. Galeatius Roscius, 1232. b.
Asso *de Risemburg* supremus gubernator regni Bohemiæ, 679. c.
Astorgius de Savareto contendit pro abbatia Bonæ combæ, 780. c. 781. a.
Astorgius de la Volta Bononiensis, 1160. a.
Astorgius dominus Faventiæ, 738. b.
Asturicenses episc. Didacus de Alga, 1136. c. Didacus de Alaba, 1141. a. Didacus Sarmiento de Soto, 1232. c. Johannes Carolus Bossius, 1233. c. 1441. d. Petrus Acuna & Avellaneda, 1422. c.
Athanasius de Pursibus ordinis Servorum theologus, 1144. b.
Atrebatensis episcopus Franciscus Richardotus, 1232. b.
S. Audoeni abbates Johannes Richardi, 744. b. Willelmus de Melle, ibid.
S. Audoeni Rothomagensis monasterium commendat Eugenio papæ concilium Basileense, 744. a.
Avenionensis civitatis administrationem concilium Basil. dat cardinali S. Eustachii, 648. c. & seq.
Avenionenses syndici & consilium gratias agunt concilio Basileensi, quod rectorem eis dederit cardinalem S. Eustachii, 263. c. & seq.
Avenionensium epistola ad concilium Basileense de susceptæ expeditione in comitatum Vainesini a cardinali Fuxensi, 592. b. Parant se ad sustinendam ejus obsidionem, 594. c.
Avenionenses episcopi Ludov. de Palude, 794. d. Marcus, 737. c.
Aversanus episcopus Baldovinus de Baldovinis, 1231. b. 1344. a.
Augustensis in Pedemontio episc. Marcus Antonius Bobba, 1227. c. 1233. b. 1304. c.
Augustinus præferendus Scoto, 444. c.
Augustinus Salvago archiepisc. Genuensis, 1228. c. 1269. a.
Augustinus Steneus episcop. Chissamensis, 1140. b.
Augustinus Zanneus episcopus Sebastenus, 1139. c. 1158. d.
Augustinus Molignatus episcop. Tricaricensis, 1236. d.
Augustinus Loschus abbas Casinensis, 1237. a.
Augustinus de Roma generalis eremitarum condemnatus in concilio Basileensi, 933. e.
Augustini de Aretio generalis ord. Servorum oratio in conc. Trident. 1075. d.
Augustinus Bonuclus generalis ordin. Servorum Beatæ Mariæ, 1137. c. 1142. b. 1159. c.
Augustinus *Paungortner* orator Alberti ducis Bavariæ ad concilium Tridentinum, 1227. b. 1261. b. 1278. a.
Augustinus Balbus theologus, 1241. b.
Augustinus de Monte-ulmi ordinis eremit. S. Augustini, 1161. b.
Avianensis episcopus Donatus, 1441. c.
Aviamenta concernentia monitorium domini papæ, 928.
Aurelianenses episcopi Johannes, 821. d. Johannes *de Morvilliers*, 1231. d.
Aurelianensis dux captivus in Anglia, 866. b.
Aurelius de Chio doctor, 1240. c.
Aurelius de Contrata ord. S. Aug. theologus, 1143. d.
Aurisensis episc. Franciscus Blanu, 1233. a.
Ausorensis episc. Marcus Gonzaga, 1231. b.
Austriæ duces Albertus, 79. d. 91. d. 122. c. 202. a. 215. a. 1014. c. Fridericus, 40. c. 41. c. 790. b. d.
Autissiodorenses episcopi Guillelmus *de Sigulai*, 1563. c. Laurentius Pinus, 583. c. Petrus de Longolio, 583. c.
Autissiodorensis clerus petit a concilio Basileensi eximi a solvenda semi-decima, 676. a. & seq.
Auximanus episcopus Bernardinus de Cuppis, 1231. d.
Auxitanus archiepisc. Philippus *de Levy*, 719. c.
Azymum & purum vinum adhibent in sacrificio Armeni, 641. a.

B.

Badensis marchio Jacobus, 528. c.
Bajocensis episc. Zano de Castellione, 715. b.
Baldovinus de Baldovinis episc. Aversanus, 1231. b. Ejus votum super abusibus in sacramento ordinis, 1344. a.
Balduinus de Balduinis medicus, 1126. d.
Balthasar de Heredia episcop. Bossanensis, 1136. b. 1140. a.
Balthasar Lympus seu de Sympus episcopus Portuensis, 1136. b. 1140. c.
Balthasar Chrispus theologus, 1241. d.
Bambergensis civitas cum clero discordat, 92. d.
Bambergenses cives conqueruntur causas suas trahi ad forum ecclesiasticum, 721. a. & seq. Eorum causa, 733. a.
Baptismales fontes sub sera custodiantur, 1538. c.
Baptismi aqua sit naturalis, 1121. c.
Baptismi necessitas, 1446. a. Non est differendus, 1538. b. Quibus debet dari, 1461. c. Pueri expositi baptizentur, 1538. d. Baptismus urgente necessitate quomodo conferendus, 1521. b.

Baptiſmus per immerſionem, 1521. b.
Baptizatus in utero matris puer in terra ſancta non ſepeliatur, niſi caput fuerit intinctum, 1538. d.
Baptiſmi tempore pecunias in concham projicere prohibuit eccleſia, 859. a.
Baptiſta Cigala regiæ majeſtatis conſiliarius 67. d.
Barbarus concilii Baſileenſis nuncius ad imperatorem, 148. c.
Barchinonenſis epiſc. Guillelmus Caſſador, 1235. a.
Barenſis archiepiſcopus Antonius Puteus, 1229. a.
Barrenſis dux ſcribit concilio Baſileenſi in gratiam Guillelmi electi Maclovienſis, 809. c.
Bartholomæus de Martyribus archiepiſcop. Bracarenſis, 1228. c. 1254. b.
Bartholomæus archiepiſcopus Mediolanenſis, 62. d.
Bartholomæus Ferratinus epiſc. Ametinus, 1238. d.
Bartholomæus de Capranica epiſcopus Carinenſis, 1230. e.
Bartholomæus Sirigo epiſcopus Caſtellanenſis, 1230. a.
Bartholomæus Sebaſtianus epiſc. Pactenſis, 1230. e.
Bartholomæus Golphus doctor, 1241. b.
Bartholomæus Miranda theologus, 1142. d.
Bartholomæus de Rovereto ord. Carmelit. theologus, 1144. a.
Bartholomæus della Volta eques, 1160. c.
Bartholus epiſcopus Palnenſis, 130. b.
Baſileenſis epiſcopus Fridericus, 996. c. Electus Georgius Henuvartus, 1283. c.
Baſileenſis epiſcopi abſentia a conc. Trid. excuſatur, 1284. a.
Baſileam circumſtant Lutherani, 1284. a. Locus eſt aptus ad concilium congregandum, 960. a.
Baſileenſi concilio vices & initium tribuit concilium Conſtantienſe, 990. c.
Baſileenſes patres regni doctiores petunt a Carolo rege Francorum, 169. a. Et ut ſcribat ad alios principes, 169. b. Ad concilii prælatos ſuos mittunt reges & principes, 31. c. In eo congregati doctores ſingulis ſextis feriis de rebus ad illud ſpectantibus tractabant, 10. a.
Baſileenſes patres liberum acceſſum non permittunt faventibus papæ venientibus ad concilium, 149. c. Salvum conductum illaqueatirunt mittunt ad nuncios papæ, 150. c. Eos erat Sigiſmundus, ut proceſſus in papam tantiſper ſuſpendant, 166. c. Nituntur impedire in Eugenio quæ Romani pontifices conſueverunt facere, 963. c. Volunt ut collectores & alii debentes aliquid cameræ apoſtolicæ, reſpondeant theſaurario concilii, 169. d.
Baſileenſes reſervant ſibi electionem papæ, 648. b. Quantum in eccleſia ſcandalum poſuerunt, 988. c. Ad nullum Italiæ locum volunt transferri, 568. d. Conſentiunt transferri in alium Germaniæ locum aptum, 960. d. & ſeq. Eorum petitiones in concilio Biturienſi, 946. c. & ſeq.
Baſileenſes patres monent Avenionenſes de ſuſcepta expeditione in comitatum Vaiſenſini a cardinali Fuxenſi, 592. b.
Bavariæ domus non niſi cæſares, reges aut duces parturire ſolet, 214. c.
Bavariæ duciſſa Jacoba, 578. c.
Bavariæ duces Albertus, 1227. b. Johannes, 79. d. 133. d. 175. c. 177. d. 179. d. 182. a. Ludovicus, 194. c. 638. a. 1014. b. Stephanus, 528. c. Willelmus, 54. b. 100. d. 106. c. c. 114. b. & ſeq. 152. b. 175. c. 177. d. 179. d. 234. c.
Bavariæ ducis litteræ ad concilium Trid. 1255. a.
Bavariæ ducis orator proteſtatur in concilio Trid. adverſus oratores Venetorum, 1250. c.
Beanenſis epiſcopus Hieronymus, 1269. b.
Beatrix comitiſſa Burgundiæ, 611. c.
Bellicaſtrenſis epiſcop. Jacobus Jacobellus, 1136. c. 1140. c. 1159. a.
Belliconſis epiſcopus ad concilium Baſileenſe profectus, 68. c.
Belliconſis epiſcopus Antonius a Camera, 1229. c. Petrevallus, 638. c.
Belliſortius Balduinus epiſcopus Larinenſis, 1232. d.
Bellus-locus monaſterium ordinis S. Auguſtini in diœceſi Maclovienſi, 753. c.
Belli-loci abbas Guillelmus, 762. c. 791. c. 893. c. Ducis Britanniæ eleemoſynarius & conſiliarius, 751. c. 753. c. Electus Maclovienſis, 811. a.
Bellunenſis epiſcopus Julius Contarenus, 1229. c.
Bella presbyteros non decent, 710. d.
Bella quanta ſecum trahant malia, 73. d. 603. d. e. 604. c. 687. a. b. 881. c. 1432. c.
Bellorum civilium mala, 34. c. d.
Bellum regi & regno Galliæ indicit orator regis Hiſpaniæ in conc. Trident. 1363. c.
Belvacenſis epiſcopus Petrus *Cauchon*, 113. d. e. 115. a.
Benedictini monachi eccleſiam S. Pontii Thomeriarum obtinent, 774. c.
Benedictionem primorum fructuum de eccleſia fideles accipiant, 1373. e.
Benedictus de Nobilibus epiſcop. Accienſis, 1139. a. 1158. c. 1336. a.
Benedictus epiſc. Gerundenſis, 1468. b.
Benedictus Salvinus epiſcopus Verulanenſis, 1235. a.
Benedictus præpoſitus Albarienſis, 157. d. Nuncius Sigiſmundi ad papam, 66. a. 84. c. 126. c.
Benedictus Arias Montanus, 1240. a.
Benedictus Herba doctor, 1240. d.
Beneficia papæ reſervata, 948.
Beneficiorum præſentatio ſuo tempore fiat, 1216. d. Diutius vacare non ſinantur, 1593. c. 1471. b. Beneficiorum vacaturorum promiſſiones revocantur, 1205. a. Eorum fructus, 1393. c.
Beneficiorum collatio quomodo facienda, 948. b. Non fiat per vicarios, 1309. c. Fiat ante ſex vacationis menſes, 1309. c. Beneficiorum collationes ineantæ, 1453. c.
Beneficiorum nundinatio propter abſurdas proviſiones, 1452. c.
Beneficiis qui apti, 1321. a. Quibus conferenda, 1455. d. Clericis non dentur ante XIV. annum, 1268. c. Nec perſonis minus idoneis, 1546. a. Omni nationi poſſunt dari, modo ſciat beneficiatus idioma loci, 1593. b.
Beneficia regularia regularibus, ſæcularia dentur ſæcularibus, 1308. e.
Pro beneficio eccleſiaſtico nihil conferendum, 844. c.
Beneficiis aliqua cura ſpiritualis aſſignanda eſt, 1309. a.
Beneficiorum pluralitas tollenda, 1308. e. 1401. d. Duo curam animarum habentia nullus poſſideat, 1459. d. & ſeq.
Beneficiati curam animarum habentes faciant ſe ad ſacros ordines promoveri, 1509. Ea dimittant qui non poſſunt munia exercere, 1308. d.
Beneficiati in choro exiſtentes libros chorales non occupent, ſed his quæ cantantur intendant, 1490. e. In eccleſia ſine ſuperpelliciis non appareant, nec confabulentur, 1491. b. c.
Super beneficia penſiones tollantur, 1310. a.
In beneficiis abuſus tollendi, 1008. c. & ſeq.
Beneficia per fraudem obtinentes vel procurantes excommunicantur, 1310. c. Ea per colligationes & pactiones obtinentes, perpetuo careant beneficiis, 1472. c.
Beneficiorum cauſa lites quomodo dirimendæ, 1311. b. De beneficiis cauſæ forenſes, 1303. c.
Beneficiorum unio, 1183. c.
Berengarius *Gombant* epiſcopus Calvenſis, 1141. b.
Bergomenſes epiſcopi Fredericus Cornelius 1235. a. 1269. c. Victor Superantius, 1141. b.
Bernardinus de Cuppis epiſc. Auximanus, 1131. d.
S. Bernardus ſpeculativus doctor, 310. c. Elegans ſcripturarum ſcrutator, 1151. a. Arguit Eugenium, 849. c. Ejus officium in eccleſia Leodienſi inſtitutum, 1486. c.
Bernardus de Caſſiliaco epiſcopus Albienſis per viam facti jus ſuum defendit, 773. c. Ejus electionem caſſavit Eugen. papa, 771. b. Eam confirmavit conciſium Baſileenſe, 873. c. d. Sententia pro eo prolata in concilio adverſus Robertum Dalphinum, 873. c. Ejus eleemoſynæ & genus illuſtre, 763. a. b.
Bernardus epiſcopus Aquenſis, 821. d. 823. a. 825. c.
Bernardus Diaz epiſcopus Calagurritanus, 1137. a.
Bernardus Bonjohannes epiſc. Camerinenſis, 1229. d.
Bernardus *de la Roche* epiſcopus Montis-Albani, 368. c.
Bernardus *d'Elbene* epiſcop. Nemauſenſis, 1234. a.
Bernardus Cleſius epiſcopus Tridentinus, 1224. b.
Bernardus Serra monachus Ciſtercienſis ordinis, procurator Alphonſi regis Aragonum ad concilium Baſileenſe creatur, 188. c. Ad illud mittitur, 190. b.
Bernardus Bernardi doctor, 1240. b.
Bernardus Johannis de Capraria comes de Modica, 189. d.
Bertrandus epiſcopus Magalonenſis, 149. c. Papæ nuncius ad concilium Baſileenſe, 112. c.
Bertrandus miles famoſiſſimus conеſtabulus, 811. b. Apud S. Dionyſium ſepultus, 811. c.
Bethleemitanus epiſcopus Laurentius Pinus 583. c.
Bibliorum quidam libri corrupti, 473. b.
Biſuntinorum civium cauſa, 133. a.
Biſuntinus archiepiſcopus Johannes de Rupe-ſciſſa, 721. c.
Biterrenſis epiſcopus G. 776. a.
Bitontini epiſc. Cornelius, 1058. c. 1140. c. Marcus de Muſſis, 1159. a.
Bituricenſis archiepiſcopus Henricus, 811. d. 823. a.
Blaſius patriarcha Gradenſis, 130. a.
Blaſius epiſcopus Reatinus, 1505. c. 1509. c.
Bohemi gens devota, 646. c.
Bohemiæ regina Johanna, 628. a.
Bohemiæ rex Sigismundus, 1297. c.
Bohemi Sigiſmundo rebelles, 251. c.
Bohemorum Huſſitarum quatuor præfectim errorum articuli, 16. a. 27. c. Quos vocant quatuor veritates, 147. c. 249. b. Quomodo eos intelligunt, 621. c. Eorum plures alii errorum articuli, 249. d. & ſeq. Ab eis ad concilium Baſil. venturis petiti, 132. a. & ſeq. Eorum hæreſis quam periculoſa, 307. b.
Bohemi hæretici quanta perpetraverint mala, 122. d. e. Fraudulentum tractatum cum duce Auſtriæ facere voluerunt, 201. c. Ejus terras hoſtiliter intraverunt & depopulati ſunt, 201. d. Adverſus eos ſubſidium aliquod a concilio Baſileenſi petit Albertus dux Auſtriæ, 201. c. Timendum ne ſtudant concilio, 201. c.
Bohemos ad concilium invitant patres Baſileenſes, 78. d. & ſeq. Modo veniant ſine armis bellicis, 97. d. Et abſtineant ab injuriis & contumeliis, 97. e. Nec libellos diſſeminent, 98. b. Eis non detur audientia coram laicis, 98. b. Nec prædicent niſi in præſentia facti concilii, 98. a. Promittunt venire ad illud, 104. c. Suos oratores mittunt, 246. a. Venientes ad concilium poſſunt in domibus privatis, excluſis fidelibus, celebrare ſecundum ritum ſuum, 97. b. Eis venientibus itum eſt obviam, 213. c.
Bohemorum littera credentialis ad concilium

lium Basileense, 178. c. 704. d. In concilio bene susceptí & per decem dies auditi, 596. c. De sua fide interrogantur, 251. b. & seq. Vix dederunt locum respondendi suis replicis, 418. d. Viderunt in scriptis responsiones catholicorum doctorum ad suas orationes, 317. b. Conqueruntur de injuria sibi facta in responsione Johannis de Ragusio, 352. d. Eorum quatuor articuli a quatuor doctoribus privatim per annum examinati & discussi, 951. a.
Bohemi Hussitæ denegatam sibi in concilio generali audientiam mentiuntur, 16. d. & seq. 18. d. Nolunt subdi concilii determinationi, 17. a. 600. b. 601. b. Eorum protestatio in concilio Basileensi, 597. b.
Bohemi querentur de concilio Constant. 599. d. In quo hæresis illorum damnata, 127. b.
Bohemorum ad reductionem Eugenius permittit continuari concilium Basileæ, 552. c.
Bohemi ad Christi fidem non possunt reduci, 906. c. Eos tamen quasi pro certo conuertendos sperant patres Basileenses, 907. a. & seq. Pro eorum reductione præscribuntur preces, jejunia & alia bona opera, 142. a. b. In quatuor articulis suis concilio consentiunt, 698. b. Scilicet verbum Dei libere prædicandum per sacerdotes & levitas ad hoc idoneos, & per superiores ad quos id pertinet approbatos, 698. c. Cum dicunt non licere clero tempore legis gratiæ super bonis temporalibus sæculariter dominari, 698. d. Omnia peccata mortalia, præsertim publica debere corrigi ab his qui potestatem & jurisdictionem habent in corrigendos, 699. c. De communione sub utraque specie non videntur consensisse, 699. d. & seq. Thaboritæ, Orphani & Campestres in tribus articulis sunt concordes cum concilio Basil. 607. a.
Bohemicis de rebus scribit concilio Basil. Sigismundus imperator, 789. a.
Bohemos hæreticos inter & regem Poloniæ conspiratio in ordinem Teutonicorum, 240. a.
Bohemorum exterminatio in dieta Norembergensi concluſa, 85. a. In Moravia obsidentur, 814. a. Thaboritæ obsidentur, 814. c. Sex aut octo magni exercitus in Bohemos, 882. c.
Bohemi aliquando consecrant calicem non communicante presbytero, 703. d. Hactenus retinuerunt mordicus communionem sub utraque specie, 1271. d.
Bohemorum epistola ad nuncios concilii Basileensis Ratisponæ existentes, 670. b.
Bolesiaus dux Lithuaniæ, 575. d. Adhæret concilio Basileensi, 622. e.
Boletarii qui literas passuum scribunt, 12. e.
Bona superflua a clero auferenda censent Bohemi, 602. a.
Bona temporalia possidere clericos expedit, 519. d. Et licet, 698. d.
Bonæ-cumbæ monasterium deformatum, 780. c. Ejus abbas Petrus, ibid.
Bonæ-vallis abbas ad regem Portugalliæ missus a concilio Basileensi, 595. c.
Bonaventura Pisus generalis ordin. Minor. conventualium, 1142. a. 1159. c.
Bonaventura Meldulensi stregens in conventu Parmæ, 1241. c.
Bonaventura de Castro-franco, 1143. c.
S. Bonifacius Germanorum apostol. 1444. d.
Bonifacii papæ VIII. constitutiones observandæ, 1496. a.
Bonifacius Ragusæus Terræ-sanctæ gubernator, 1241. a.
Bonifacius Saxo miles orator ducis Sabaudiæ ad conc. Basil. 638. c.
Bononia in ditionem ecclesiæ Romanæ reversa, 908. c. Locus apius ad celebrandum concilium, 548. c. Eam tamquam locum non tutum ad celebrandum concilium rejiciunt patres Basileenses, 567. e. & seq.
Bononiensis concilii initium, 1144. c. Civitatem & castra & fortalitia offert Eugenius in manu concilii Basil. quamdiu duraverit, 551. d.
Bononiensem cardinalem revocant Venetí a concilio Basileensi, 639. b.
Bononiensis episcopus Alexander Campegius, 1139. b.
Borando capitaneus Bohemiæ, 17. c.
Borbonii dux Carolus, 864. e.
Bossanensis episcopus Balthasar de Heredia, 1136. b. 1140. a.
Bovienses episcopi Achilles Brancia, 1231. a. Ferdinandus Annius, 1227. c.
Bracarensis archiepiscopus Bartholomæus de Martyribus, 1228. c. 1254. b.
Braccius Martellus episcopus Fesulanus, 1136. b. 1139. d.
Brancacius, 551. c.
Branda cardinalis Portuensis, 801. a. 802. d.
Brandeburgenses marchiones Albertus, 1014. b. Fredericus, 7. c. 16. d. 133. d. 182. a. 194. c. 638. b. 955. c. 1014. d. Johannes, 109. b.
Breve Pauli II. ad cardinalem Gittonensem Tridenti commorantem, 1180. d.
Breve citationis prælatorum tam ex Tridento, quam ex Bononia, 1213. c.
Breve aliud ad prælatos Tridenti residentes, 1214. b.
Breviaria & missales purganda a superfluis, 1416. c.
Brigensis dux ab Hussitis destructus, 49. c.
Briocensis episc. Johannes, 975. d.
Britannia in Francia fide semper fuit, 1202. a.
Britanniæ ecclesia vexata per Carolum VI. Francorum regem ab injuria ducis vindicata, 1202. b. In minori Britannia facta concordia per nuncios papæ, 972. b.
Britanniæ dux Johann. 91. b. 751. d. 753. d. 917. c.
Britonorienses episcopi Ægidius de Fasceta, 1219. c. Ludovicus, 1220. c. 1269. a. Thomas Caselius, 1136. e. 1141. a. 1159. b.
Brixienses episcopi Dominicus Bellanus, 1234. a. 1254. c. Franciscus, 737. a. Nicolaus cardinalis, 1014. a. Administrator Christophorus Madrucius, 1117. c.
Bruguacensis episcopus Antonius de Conlibus, 1230. c. 1269. a.
Brunswicensis dux Henricus, 1427. d.
Buchérani, 1188. a.
Budæ celebrari concilium pro reductione Græcorum petit imperator, 940. c.
Budensis episc. Antonius Ciurelia, 1233. d.
Bullas Eugenii quomodo rejiciat concilium Basil. 651. c. & seq.
Bulla indictionis supplicationum, processionum per universum orbem Christian. pro celebratione sacri œcumenici concilii, cum hortatione ad jejunium & communionem & plenaria indulgentia, 1055. a.
Bulla mandati apostolici in personam reverendissimorum præsidentium conc. Tridentini, 1044. a.
Bulla Pauli III. ad Helvetios, 1103. d.
Bulla Pauli III. indulgentiarum pro pace publica & exstirpatione hæresum, 1104. c. 1105. d.
Bulla nunciorum apostolicorum pro reductione Germaniæ cum subsitutione, &c. 1205. a.
Bulla per quam inhibetur prælatis interesse concilio per procuratorem, 1051. d.
Bulla per quam prælati qui præsentes sunt in concilio, eximuntur a solutione decimarum & subsidiorum, & conceditur eis facultas percipiendi fructus in absentia, 1071. d.
Bulla suspensionis concilii Tridentini usque ad tempus per sanctitatem suam declarandum, & revocationis legatorum e Trideato, 1033. b.
Bulla revocatoria suspensionis & indictionis concilii in civitate Tridentina ad dominicam Lætare MDXLV. 1039. d.
Bulla potestatis transferendi concilium ex Tridento ad quamcumque aliam civitatem, 1049. c.
Bulla Pii IV. pro celebratione conc. Trid. 1242. c.
Burgensis episcopus Ulricus, 1014. b.
Burgundiam tria commendant, 215. b.
Burgundiones libertate frui mandaverunt Romani, 215. b. Fidei Catholicæ addicti, 217. a. & seq.
Burgundionū natio tota fere peremta cum legio Thebæorum subiit martyrium, 216. d.
Burgundi Hunos barbaram nationem totam fere exstinxerunt, 215. d.
Burgundiæ duces ecclesiæ devoti, 216. b. Pisas fidem quam diadema receperunt, 216. c. Adversus infideles quanta præstiterint, 217. c. Eorum origo, 214. c.
dux Burgundiæ primas parium Franciæ, 216. a. Ei annexa marescallia & cancellaria, ibid. Ejus potentia, 215. a.
Burgundiæ ducis ambassiator ad concilium Basileense perorat, 202. b. Sedem in concilio ante oratores Electorum imperii habere contendit, 610. b. & seq.
Burgundiæ ducem hortatur Sigismundus, ut sic agat cum duce Austriæ, ut accedentibus ad concilium Basileense tuta sit via, 41. c. & seq.
Burgundiæ & Sabaudiæ duces petunt a concilio mitius agi cum Eugenio papa, 641. c. & seq.
Burgundiæ dux nominat procuratores pro pace regni Franciæ, 785. c. & seq. Inducitur ad pacem cum Carolo rege, 861. e.
Burgundiæ dux interest dietæ Ratisponensi, 1014. b.
Burgundiæ duci nascitur filius, 49. a.
Burgundiæ rex Gundulfus, 214. d.
Burgundiæ dux Philippus, 68. c. 105. a. 144. b. 238. c. 590. c. 613. a. 623. c. 669. c. 788. b. 799. d. 864. b. 871. c.
Burgundiæ duces tres Philippi, 217. c.
Burgundiæ comes Otto, 611. c. Comitissa Beatrix, 611. c.
Buzaii abbas Jo. 921. a.

C.

Cabilonensis episcop. orator ducis Burgundiæ ad conc. Basil. 788. c.
Cabilonensis episcopus Hugo, 868. b.
Cæsar *Cibo* archiepisc. Tarinensis, 1228. a.
Cæsar comes a Gambara episc. Tortonensis, 1230. d.
Cæsar Foggia episc. Umbriaticensis, ibid. 1441. a.
Cæsar de Bononia theologus ord. Servor. B. Mariæ, 1161. b.
Cæsar Ferrantius doctor, 1239. a.
Cæsar de Martinengo vir nobilis cadit in prælio, 738. a.
Cæsar Gonzaga, 1314. c.
Cæsaraugustanus archiepiscopus D. regis Aragonum cancellarius, 144. a.
Cæsariensis archiepiscopus Sorderus *de Cambusano*, 729. c. 760. b.
Cævadiensis episcopus Andreas Didutius Sbardellatus, 1136. b.
Cajacensis episcopus Fabius, 1442. b.
Calabriæ rex Ludovicus, 579. a.
Calamonensis episcopus Timotheus Justinianus, 1231. b.
Calaritani archiepiscopi Antonius *Parragès*, 1224. c. Bernardus Dias, 1137. a. 1141. b. Johannes *de Guignones*, 1234. b. Johannes Diaz, 1423. a.
Calicis communionem olim diaconi præbebant, 299. b. 302. c. 303. a. Eam Julius papa laicis subtraxit, 711. c. Quare, ibid. Ejus usum certis conditionibus concessit concilium Basileense, 1271. c. Eo concesso, Bohemi facile possunt reduci ad sanam doctrinam, 1272. b. c. Ea

denegato, timendum ne transeant ad Lutheranos, ibid. c. Hunc usum plures provinciæ expectant, ibid. c. Calicis concessio in concilio Tridentino remissa ad summum pontificem, 1286. e. 1287. c. Eam concessit Paulus III. 1272. d.
Calicis usum in Hungaria potrigere sacerdotes compelluntur, 1273. a.
Calicis communionem detinant Manichæi die dominica, 300. b.
Calix post missam quomodo reponatur, 1519. b.
Calix ad communionem infirmorum sit mundus, 1517. d. 1539. c.
Calixtini, 1278. c.
Calvenses episcopi Berengarius *Gombaut*, 1141. b. Julius Magnanus, 1255. b.
Calviniani, 1288. a.
Calvinus eliminandus, 1478. c.
Cameracensis episcopus Robertus *Crey*, 1538. c.
Cameracensis decanus Ægidius Carlerii, 719. c.
Camerinensis episcopus Bernardus Bonjohannes, 1140. a. 1229. d.
Camillus Perusæus episc. Alatrinus, 1141. c.
Camillus Mantuanus episcop. Satrianensis, 1141. d. 1159. b. Ægrotat in concilio Bononiensi, 1157. c.
Camillus Campegius inquisitor Ferrariæ, 1237. d.
Camillus Paleottus, 1169. b.
Campanarum pulsatio pro defunctis, 1492. a.
Campanensis episcopus Mateus Lauretus, 1232. d.
Campidonensis abbas Wolfangus, 1213. c.
Canadiensis episcopus Johannes, 1236. b. 1262. c.
Canariensis episcopus Antonius de Cruce, 1237. b. 1241. d.
Cancellarius Franciæ Reginaldus archiepiscopus, 31. a.
Candelas qui pro defunctis recipit, eas statim accendat usque ad completum officium, 1526. d.
Canetensis episcop. Michael a Turre, 1230. c.
Canones observare in primis debent summi pontifices, 850. a. 857. a.
Canones formati super reformatione cardinalium, 1430. c.
Canonici in cantu & lectura examinandi, 1494. c. Ante annos xxv. non constituantur, 1310. b. Sine intermissione chorum frequentent, 1488. a. Tonsuram & habitum decentem portent, 1473. b. In ecclesia non appareant sine veste regulari, 1564. d. Singuli ordine suo septimanas suas faciant, 1474. d. Semel in anno confiteantur decano, 1482. b. In domo sua canonicali faceant, 1555. c. Nec eam extraneis locent, ibid. d. Quilibet tenetur habere clericum commensalem in ecclesia Rothomagensi, 1533. b. Extra villam non pernoctent sine licentia decani aut hebdomadarii, 1584. a.
Canonici in duabus ecclesiis, 1477. a. e.
Canonici secundariarum ecclesiarum debitum servitium in solemnitatibus impendant majori ecclesiæ, 1484. c.
Canonicorum regularium habitus, 1020. d. Non exercent curam animarum in ecclesia sæculari, 1471. c. In foro publico non faciant advocati officium, 1465. c. & seq.
Cantori in his quæ sunt chori ab omnibus obediendum, 1531. a.
Cantorum officiis exerceant lectores, 1374. a.
Cantuariensis archiepiscopus S. Thomas, 849. b.
Capellæ fundatio quanta esse debeat, 1490. c.
Capellani non recipiantur ad deserviendum parochiis aut capellæ, nisi præstito coram episcopo juramento, 1547. c. Faciant se promoveri in presbyteros, 1488. e. Missam quotidie celebrent ad altaria sua, 1484. c. 1488. d.
Capellanum ignotum non recipiat presbyter absque facultate episcopi, 1547. c.
Capitulum generale, 1478. e. Eligendi in eo res canonici, qui inquirant de vita & conversatione aliorum, 1484. d.
Capitula episcopos moneant, 1457. b.
In capitulo vocem non habent acolythi, 1481. d. Nec in electione prælati, nisi soli in sacris ordinibus constituti, 1517. c.
Capitulum post primam, 1475. b. c. In eo ut se gerendum, ibid. d. e.
Capitula concordata cum Græcis pro unione tractanda, 807. c. & seq.
Capitula regi Francorum oblata per episcopum Novariensem & abbatem S. Ambrosii Mediolanensis, oratores concilii Basileensis, 168. a.
Cappam chotalem tribuant singuli canonici cum recipiuntur, 1481. c.
Caprulani episcopi Ægidius Falceta, 1136. a. 1140. d. 1159. a. Julius Sulperchius, 1134. c.
Caput-aquensis episcopus Henricus Soffridus, 1159. d.
Caput-aquensis episcopus mortuus in concilio Trident. 1120. b. 1122. d.
Caputia in ecclesia non deferant clerici in minoribus ordinibus constituti, 1498. a.
Catamannus Sarracenus, 1016. c.
Carcassonensis episcopus Gaufridus *de Pompadour*, 776. a.
Cardinalium collegium mundi consilium, totiusque militantis ecclesiæ senatus, 983. a. Eorum creatio, 1215. e. Quales creandi, 1430. e. Eorum numerus non augendus, ibid. c. Sed reducatur, 1425. e. Duo fratres germani eodem tempore non sint cardinales, 1430. a. Quæ deceant a cardinalibus observari, 1431. b. Plures ecclesias non habeant, ibid. c. Absentes privilegiis cardinalium non gaudeant, 1432. b. Ecclesias suas visitent, ibid. c.
Cardinalium est sedere ad dexteram & ad sinistram pontificis, 1089. a. Proprium sanguinem fundere pro ecclesiæ obsequiis profitentur, 1089. c. Possunt testari, 1215. d. Eorum reditus, ibid. c. Ab impositionibus sunt exemti, 1216. a. Beneficia famulis suis commendatitia conferre possunt, ibid. Contra eos quando possit procedi, 1217. b.
Cardinalibus in curia Romana residentibus Vetat concilium Basileense, ne ad electionem novi pontificis procedant, sed ad concilium veniant, 209. b. & seq.
Cardinales fieri ab Eugenio vetat concilii Basil. 648. c.
Cardinales post mortem Pauli III. aliquos jurent articulos antequam procedant ad electionem pontificis, 1214. e. Judicium deputatorum super petitione imperatoris circa reductionem concilii Tridentum lectum in consistorio cardinali Tridentino, 1166. b.
Carinenses episcopi Bartholomæus de Capranica, 1230. c. Thadæus de Pepulis, 1139. e.
Caritatis proprium est nutrire concordiam, 348. a.
Caritas & pax in Christi mystico corpore servanda, 846. d.
Caritas quam potens, 1112. a. Ejus victoriæ, 1112. c. & seq. Vincit ipsum Deum, 1113. a. Intelligentiam scripturarum assequitur, 1113. c.
Carnifices non permittant per Judæos laniari carnes suas, 1549. d.
Carnotensis episcopus Robertus Delphini, 742. c. e.
Carpentoratensis civitas caput comitatus Vainesini subjicitur cardinali Foxensi, 594. c. & seq.
Carpentoratensis episcop. Guillelmus Soiberti, 690. e.
Carolus a Lotharingia cardinalis archiep. Remensis, 1226. c.
Carolus de Vicecomitibus episcopus Vintimiliensis, cardinalis, 1236. a.
Carolus Cicada episcopus Albiganensis, 1231. e.
Carolus *de Angennes* episc. Cenomanensis, 1233. b.
Carolus *de Hospinay* episc. Dolensis, 1234. a.
Carolus de Grassis episcop. Montis-falisci, 1232. c.
Carolus Grimaldus episcopus Sagonensis, 1236. d.
Carolus episcopus Senensis, 157. d.
Carolus *de Roucy* episcopus Suessionensis, 1233. c.
Carolus-magnus inter sanctos relatus, 1401. a. Quantos proventus dederit summis pontificibus, 853. b.
Carolus IV. imperator, 612. d.
Carolus V. imperator, 1049. d. 1189. c. Bellum acre gerit adversus Lutheranos, 1104. b. Petit legatos a papa qui sedent turbas hæreticorum Germaniæ, 1204. d. Invitatur ad concilium, 1042. b. Ejus mandatum exhibitum concilio Trident. a Francisco a Toleto, 1074. a. Non probat concilii Tridentini translationem, 1173. d. 1194. a. Ejus instructio data cardinali Trident. Romam proficiscenti, 1162. c. Ei mittitur legatus Johan. Morosonus cardinalis, 1038.
Carolus V. imperator Belgas quæ ab eo defecerant per Galliam transiens venit, 1030. d. Eum ad pacem cum rege Francorum hortatur Paulus III. papa, 1035. a.
Carolus V. rex Franciæ, 866. c. 1401. a.
Caroli VI. regis Franciæ coronatio Remis, 613. b. Ecclesias Britanniæ ab injuria ducis sui vindicavit, 1202. b.
Carolus VII. rex Francorum, 105. c. 996. d. 999. b. 1401. b. Ab eo doctiores regni sui petunt Basileenses, 169. a. Scripta ad eum concilii epistola, 32. a. Ejus epistola ad concilium, 167. a. Promittit mittere ad concilium prælatos regni sui, 167. c.
Carolus VII. rex Francorum adhæret concilio Basileensi, 170. b. Reges Hispaniarum & Scotiæ hortatur, ut adhæreant concilio Basil. 170. d. Petit suspendi decretum citationis Eugenii IV. 633. d. e.
Carolus VII. rex Francorum scribit concilio Basileensi in gratiam Guillelmi electi Maclovicusis, 810. c. Et in gratiam Roberti Delphini, 772. e.
Carolum VII. regem Francorum hortatur Felix, ut prælatos regni sui remittat ad concilium Basil. 993. a. Et ut ad idem horretur alios reges & principes, 993. b. Offert etiam loci mutationem, ibid. b.
Carolum VII. regem Francorum ad procurandam ecclesiæ unionem hortatur Nicolaus V. papa, 988. b. & seq. Item Felix V. 989. a. Ei Nicolaus V. dat facultatem agendi, concedendi & promittendi quod judicaverit necessarium pro extinctione schismatis, 994. c. & seq.
Carolo VII. regi Francorum scribit Fridericus III. imperator ad tollendum schisma, 997. a.
Carolus VII. rex Francorum concilio Basileensi significat se ad pacem esse paratum, 719. d. Pacem init cum duce Burgundiæ in dieta Attrebatensi, 861. c. & seq.
Carolus IX. rex Francorum, 1401. b. Ejus literæ ad synodum Trid. 1295. c. 1306. d. 1354. c. 1432. c. Petita ab eo a concilii Trident. patribus, 1307. a. & seq. Et adversus hæreticos bellum gerenti Florentini dant quinquaginta millia aureorum, 1357. a.
Carolus Borbonius dux Alvernie, 771. a.
Carolus Borbonii & Alvernie dux, Clarimontis & Foresii, 864. c.
Carolus *Dansse*, 946. c.
Carolus Antonius Fanturzus eques, 1160. a.
Carolus de Robertis eques consul Bono-

nicensis, 1139. c.
Casalensis episcopus Scipio Acstensis, 1232. c.
Casertanus episcopus Agapitus Belhome, 1232. b. 1441. c.
Casinenses abbates Augustinus Loschus, 1237. a. Eutichius, 1254. c.
Casellæ rex Johannes, 998. c.
Castellanetensis episc. Bartholomæus Sirigo, 1230. a.
Castellanus episc. Scipio Bongallus, 1229. d. 1441. a.
Castelli-maris episcopus in concilio Trid. 1062. c.
Castelli-maris episcopus Johann. Fonseca, 1136. c. 1140. a. 1425. a.
Castelli episcopus Constantius Bonellus, 1234. c.
Contra castitatem objectiones solvuntur, 1318. d. c.
Castrensis episcopus petorat in concilio Biturcensi, 946. d.
Casus reservati papæ, 1542. c. d.
Casus reservati episcopo, 1513. c. 1523. c. & seq. 1542. c. 1556. c.
Catalanus Trivultius episcop. Placentinus, 1136. a. 1139. b. 1178. c.
Catalaunensis episcopus Hieronymus Burgensis, 1232. c.
Catanicnsis episcopus Nicolaus Maria Caracciolus, 1229. c.
Catechismum docere est subdiacouorum, 1375. a.
Cathedralem ecclesiam in solemnitatibus adeant ecclesiæ secundariæ, 1484. c. 1500. c. Eam saltem semel in anno visitent populi, 1549. b.
Catharensis episcopi Ascanius, 1441. a. Lucas Brauthius, 1229. b.
Catharinæ reginæ Aragonum & Siciliæ epistola ad conc. Basil. 137. b.
Catinensis episcopus Nicolaus Maria, 1441. c.
Caturcensis episcopus Ascanius Gherardinus, 1131. b.
Cavenses episcopi Johannes Thomasius, 1031. c. Thomas Casellus, 1230. a. 1234. b. 1441. d. Thomas de S. Felicio, 1138. c. 1229. b.
Cavellicensis episcopus Petrus Ghinutius, 1140. c.
Causæ profanæ ad forum sæculare remittantur, 777. a.
Causas ad forum ecclesiasticum pertinentes impedientes excommunicentur, 1527. c.
Causas usurpat concilium Basil. 650. a.
Causas ratione electionum & nominationis ad beneficia terminandas Eugenius committit suis in conc. Basil. 802. a. & seq.
Cedula exhibita Sigismundo imperatori nomine Eugenii papæ IV. 176. c.
Cenadiensis episcopus Andreas Duditius, 1227. b.
Cenetensis episcopus M. 1269. a.
Censuræ ecclesiasticæ vilipensæ, 776. c.
Cereos coram reliquiis sanctorum tribus ex causis accendimus, 486. d.
Cervicnsis episcopus Christophorus, 550. d. 551. b. 554. 556. b.
Cesenatensis episcopus Christophorus de Spiritibus, 1139. a.
Chirensis episc. Dionysius, 1139. c. 1158. d. Johannes Franciscus Verdura, 1231. a.
Chirurgiam non exerceant clerici, 1521. a.
Chissamensis episcopus Augustinus Steneus, 1140. b.
Choreæ sacerdotibus prohibitæ, 1546. d. Ne fiant in ecclesia, 1467. d. 1547. b.
Chorus per duos canonicos servetur continue, 1483. d.
Chori introitus promiscue no detur omnibus, 1483. d. In eo servetur modestia, 1474. a. Illum post gloria primi psalmi, aut in missa post epistolam intrantes, a decano ejiciantur, 1473. c. Ab eo absentes ut puniendi, 1474. a.
Chrisma & oleum sanctum Hussitæ ad profanos usus adhibebant, 250. a.
Chrismalia a sacerdotibus non vendantur, 1139. a.
S. Chrysostomus Romani pontificis auxilium flagitavit, 849. a.
Chrysostomus Gimilianensis abbas S. Trinitatis de Cajeta, 1137. c. 1142. a.
Christianum vendens Saracenis excommuniceur, 1471. b.
Christianus *de Erpol* legum doctor, præpositus Colonicnsis S. Mariæ ad Gradus, archiepiscopi Colonicnsis orator in concilio Basilcensi, 215. b.
Christianus *de Prachatiez* rector universitatis Pragensis, 247. b.
Christophorus episcopus Tridentinus, cardinalis, 1031. a. 1051. a.
Christophorus Madrucius cardinalis episc. Tridentinus & Brixiensis administrator, 1137. c. Mittitur a Cæsare ad papam, 1172. c. Nomine imperatoris petit concilium Bononia reduci Tridentum, 1167. d. Ejus relatio facta in dieta Augustana, 1174. c.
Christophorus episcopus Cervicnsis, papæ referendarius & orator ad concilium Basilcense, 550. d. 551. b. 554. b. 556. c.
Christophorus Garatonus, 921. b. Missus a papa ad imperatorem Græcorum, 739. b. d. 757. c. 767. c. 835. d. 921. b. Declarat Eugenio quid cum Græcis & Armenis egerit, 783. d. & seq.
Christophorus Patavinus generalis ordinis S. Augusti. 1237. b.
Christophorus de Harlcuria, 864. c.
Christus consecravit his verbis, *Hoc est corpus meum*, 1283. c.
in Cimiterio non fiat ædificium, 1544. c.
Cistercicnsis abbatis oratio pronunciata in concilio Basileensi, 340. a. Ad illud vocandi Cistercienses doctores, 901. a.
Ciftercienses abbates Johannes, 950. c. Ludovicus *de Bailly*, 1236. c.
Citatio Eugenii papæ IV. 135. c. Ejus decretum suspendi orat imperator Sigism. 627. d.
Citationes quomodo faciendæ, 1551. c.
Citationes seu mandata curiæ non notificent curati antequam portitores eorum recesserint, 1552. c.
Citatus non comparens in termino statuto puniatur, 1507. c.
Civitatensis episcop. Didacus Covarruvias, 1234. b.
Clarævallis abbas Hieronymus *de la Seurchiere*, 1237. a.
Claromontani episcopi Guillelmus a Prato, 1139. c. Censet in concilio Tridentino conceptionem B. Mariæ sine peccato originali definiendam, 1096. c. Martinus *Gouge*, 168. c.
Clarimontis comes Carolus, 864. c.
Claudius *de la Guiſche* episc. Agathensis, 1136. d. 1140. d.
Claudius Dodeus episcopus Rhedonensis, 1139. c.
Claudius *Dorſſi* regis Francor. camerarius & orator ad concilium Trident. 1102. c. 1138. b.
Claudius Fernandez Guisnonius orator regis Hispaniarum ad concilium Trident. 1217. d. 1343. c.
Claudius Zaius procurator episcopi Augustensis ad conc. Trid. 1141. c.
Claudius *de Saintes* doctor Parisi. 1238. a.
Claudius della Casa notarius concil. Trid. 1161. c.
Clauſtrum canonicorum nocte claudatur, 1483. c.
Clausura monialium, 1007. d.
S. Clemens, 658. a.
Clemens episc. Jaurienſis, 47. c.
Clemens theologus ord. Minorum, 1143. a.
Clemens de Florentia regens Ferrariæ ord. Minor. 1161. a.
Clemens de Monilia ord. Minor. theolog. 1143. a.
Clemens Thomasinus regens in conventu S. Cruets de Florentia, 1241. b.
Clementia prodest clementi ad patientiam, ipso ad correctionem, 452. b.
Clericali militiæ qui sunt adscribendi, & qua ætate, 1436. b.
Clerici laicorum sunt oculi, 543. d. 550. b. Divinis officiis interfint assidue, 1464. a. Beneficium ad residentiam obtinentes, officium non faciant pro alio clerico, 1466. c. Sine habitu ecclesiastico per ecclesiam non transeant dum fit officium, 1533. c. In minoribus ordinibus constituti, in ecclesiis non deferant capucia, 1498. a.
Clericorum vita sit honesta, 1469. c. Tonsuram habeant honestam, 1548. c. Et coronam deferant competentem, 1448. c. 1498. a. Tonsuram & habitum clericalem non ferentes, careant privilegio clericorum, 1527. a.
Clericorum privilegia, 1533. a. Qui eis gaudeant, 1368. c. Eorum immunitas, 1391. c. e.
Clerici latine loqui sciant, 1469. a. Eorum vestes, 1460. c. Quales esse debeant, 1469. c. 1497. d. 1535. a. Tempore pluviæ possunt uti tabardis, 1497. c. Sed vestes indecentes non ferant, 1537. c. Eis prohibitæ vestes sericeæ, 1021. c. Collaria in vestibus non ferant, 1526. a. Mulieres in domo sua non habeant, 1462. a. 1535. d. Non ludant ad pilam in loco publico, 1534. c. Nec ad ludum taxillorum, 1467. c. Nec ad aleas, 1506. d. Tabernas non frequentent, nec teneant, ibid. Non dicent sententiam sanguinis, nec ubi exercetur interfint, 1470. b. 1520. c. Nec exerceant chirurgiam, 1521. a. Non sint negotiatores, 1550. a. Arma non ferant, 1470. b. 1506. c.
Clericus delinquens ut puniendus, 1506. d. Clericum percutiens, 1505. b. c. Percutiens laicum, 1505. c.
Clerici a quibus corrigendi, 468. c. In officio suo deficientes per decanum corripiantur, 1534. b. Ad sæculares judices non traducantur, 1537. a. b.
Clerici & sacerdotes an fuerint aliquando subjecti jurisdictioni coactivæ principum sæculi, 455. c. Eorum degradatio, 1471. a.
Clericorum seu prælatorum luxum redarguit S. Bernardus, 309. c. & seq. 310. b.
Clerici minores ordines adepti habentes beneficia, advocati non faciant officium, 1466. a.
Clericus alterius diœcesis non suscipiendus sine episcopi licentia, 1369. d. 1464. b. c. d.
Clero licet possidere bona temporalia, 698. d.
Clodiensis seu Clugiensis episcopus Jacobus Nardantus, 1141. b. 1230. a. 1269. a.
S. Clotildis Clodoveo juncta, 215. c.
Cluensis episcopus Julius, 1441. d.
Cluniacenses doctores ad concilium Basil. vocandi, 902. a.
Clusini episcopi Salvator Pacinus, 1233. c. S. 1441. c.
Coelibatus presbyterorum, 1272. a.
Cognatio spiritualis matrimonium impedit, 1386. c. d.
Coimbricensis episcopus Johannes *Xuarez*, 1230. b.
Collegia erigenda, 1427. b. Prope cathedrales ecclesias pro pueris, 1335. d. & seq. 1369. c. 1459. d.
Collegium Avenionense a cardin. Ostiensi fundatum, 593. a.
Collocensis archiepiscopus Andreas, 111. c. 149. c.
Colonia sanctæ Romanæ ecclesiæ fidelis filia, 1429. c.
Colonicnsis & Trevirensis ecclesia duo magna nationis Germaniæ luminaria, 987. c.
Colonicnsis archiepiscopus Theodericus, 194. c. 324. b. 528. c. 638. a. 730. c. 745. c. 955. c.
Colonicnsis decanus Ulricus *de Manderscheit*, 73. a.

Coloniensis universitatis oratorum ad concilium Basil. propositio, 186. c.
Coloniensis magistratus religionem catholicam tuetur, 1429. d.
Columbariensis episcopus Didacus *de Leon*, 1235. c.
Comensis episcopus Johannes Antonius Ulpius, 1234. a.
Concessio facerdoti ante primam prohibita, 1540. b.
Commatres in baptismo aut confirmatione non faciendæ, 1562. c.
Communio corporis Christi tribus modis accipitur, 263. c. & seq.
Communio eucharistiæ est utilis & expedies, 268. c.
Communio sub utraque specie, 1309. b. 1426. c. An sit præcepti divini dubitant quidam Bohemorum, 602. b. Quidam putant necessariam necessitate conditionata, 602. c. Laicis & non conficientibus præceptam esse contendunt hæretici, 291. a. & seq. Tamquam necessariam nulli denegari, etiam infantibus volebant Bohemi, 162. c. & seqq. 606. c. Quibus eam probent hæretici argumentis, 276. d. & seq.
Communionem sub utraque specie prohibuit ecclesia propter periculum erroris & irreverentiæ, 702. c. & seq. Vigebat adhuc tempore Willelmi de Monte Laudano, 302. b.
Communio sub unica specie a tempore apostolorum, 1185. d. Commendatur, 711. a. Ecclesiæ longa consuetudo habet, ut non conficientes sub una tantum specie communicent, 701. c.
Communionem sub utraque specie potest papa concedere, 1183. b. Sine ecclesiæ facultate est illicita, 701. c. d. Eam multi principes Germaniæ petunt a papa, 1428. d. Imperator pro regni Hungariæ, Bohemiæ & provinciis sibi subjectis, 1284. d. e. 1286. a. Eam & Bohemi petunt a concilio Basileensi, 671. a. d. & seq. Petitur a concilio pro Bohemis, Moravis & aliis provinciis, 1271. c. Petitiones oratorum regis Galliæ super communione sub utraque specie, 1173. c. Eam petentes quid credere & facere debeant, 1285. b. & seq. Bohemis offertur in concilio Basileensi, 703. c. 704. a. Qui eam hactenus retinuerunt, 1271. d. Qui etiam aliquando communicant de puro vino, 703. b. Ubi permissa est, in pejus omnia ruerunt, 1429. c.
Communio sub unica specie sufficit ad salutem, 1447. c. Communicat sub utraque specie rex Franciæ cum regali corona solemniter redimitur, 1274. a. Et quædam Galliæ monasteria, ibid.
Communio ter in anno, 1542. a. In natali Domini, 586. c. Semel in anno in paschate, 1504. c. 1543. b. Non communicantes in paschate scribantur in libro ostiarii, 1373. b. Id negligentes ecclesiastica careant sepultura, 1498. c. Qui duobus vel tribus annis non communicant, excommunicandi sunt, 294. b.
Communio infantium, 472. d.
Communio pœnitentis in extremo, 303. b.
Communioni præmittenda pœnitentia, 702. a.
Communio frequens, 1437. a.
Communio præcedat matrimonium, 1386. b.
Communicare quis eo die potest quo uxori debitum reddidit, 1316. a. b.
post communionem abstineatur a sputo, 1518. d.
Comodiensis episcopus Alfonsus Rofetus, 1230. d.
Comparitio R. P. fratris Hieronymi de Oleastro in concilio Trid. 1061. a.
Compaternitas quatuor personas excludit, a matrimonio, 1543. c.
Conceptionis B. Mariæ festum servatur, sed non a parrucis abstinetur, 1555. c.
contra Conceptionem immaculatam beatæ Mariæ nihil prædicandum censet in concilio Trident. episcopus Calagurritanus, 1097. b.
Concensis abbatis sacri concilii legati ad Venetos oratio, 690. d.
Concilium generale universam ecclesiam repræsentat, 469. b. Comparatur soli, 321. b. Pertinacia est afflictæ religionis unicum, 1443. c. Quare celebrari debeat, 985. b. 1146. d. 1147. a. Ejus utilitas, 14. a. 71. a. b. 303. a. 908. d. 1219. c. 1455. b. Eam agnoscunt Bohemi, 253. a. Ejus necessitas, 28. d. e. 32. b. 1189. b.
Concilium œcumenicum necessarium remedium ad purganda quæ diaboli malitia invexit, 1202. c. De decennio in decennium est celebrandum, 469. d. 908. e. 1311. d. Potestatem a Deo immediate accipit, 821. d. Ei præsidet Spiritus sanctus, 832. c.
Concilio an præsidere debeat papa, 826. a. & seq. Ei præest papa præsidentia honoraria, 833. a. Missa papa præsidente, 848. c. Si interest papa, ipse concludit, ipse statuit, sub nomine ejus omnia decernuntur, 857. d.
Conciliorum auctoritas, 71. c. 661. c. 985. a. Eam impugnant hæretici, 502. e.
Conciliorum generalium celebrationem & eorum auctoritatem declarari petunt Germani, 984. c. Remanere potest in paucis congregatis, 563. d. Eorum sic conservetur auctoritas, ut apostolicæ sedis non deprimatur præeminentia, 956. d. Debent tueri auctoritatem summi pontificis, 851. b. Nihil umquam attentarunt contra auctoritatem sedis apostolicæ, 851. b. Eorum auctoritate Romani pontifices suam dignitatem confirmaverunt, 1192. d. Eorum decreta sedis apostolicæ decreta dici possunt, 857. b. Concilium nullum est, quod non fuerit auctoritate papæ fulcitum, 6. d.
Conciliorū auctoritatem agnoverunt summi pontific. 1192. e. Eis subjicitur papa, 558. b. 559. a. & seq. 644. b. 664. a. 826. c. 840. d. 931. b. 946. c. Concilium est judex papæ delinquentis, 829. c. In conciliis primitivæ ecclesiæ nullam sanctus Petrus vindicabat sibi potestatem & auctoritatem, 851. a.
Concilia quatuor principalia velut quatuor flumina paradisum irrigantia, 228. a. Ea ut quatuor evangelia respiciebat sanctus Gregorius, 71. e. 840. b.
Concilia tantum octo tenere jurant pontifices, 657. d.
Concilii sententias in Romana curia refriri & revocari scandalosum est, 842. c.
Conciliis superior papa, ab his non potest judicari, 1539. c.
Conciliis celebrandis quis locus aptus, 938. d. Apud se celebrari optant plures civitates, 996. b. Romæ celebrari petunt a Sigismundo Urbis conservatores, 117. c. & seq. Ei interesse jurant in sua consecratione episcopi, 115. e.
Concilium in certis casibus convocare potest imperator, 96. c. Legitime congregatum papa non potest dissolvere, 949. d. Nec locus mutari, nisi assentiente concilio, 563. a. & seq. Non debet transferri, nisi consultis papa, imperatore & regibus, 1132. d.
ad Concilium appellant hæretici, 1146. e. Ejus determinationi subdi nolunt hæretici Bohemi, 17. a.
Concilium Christianum ex omni hominum genere congregandum, 1171. c.
Concilii generalis constitutionem tollere papa potest, licet de honestate non debeat, 547. b.
Concilia provincialia celebranda, 1005. c. 1468. b. Singulis triennii, 1311. c. quorum statuta habeant curati, 1551. c.
Concilium provinciale in Germania pro reductione Bohemorum permittit Eugenius, 702. c.
Concilium Basileense, 174. c. Indictum a concilio Senensi, 12. c. Et a Martino V. & Eugenio IV. 664. b. Tamquam continuatio concilii Constantiensis, 917. c. Legitime fuit congregatum ratione auctoritatis, temporis, loci, causæ & necessitatis, 72. a. Pro exstirpatione Hussitarum nullibi melius poterat celebrari, quam Basileæ, 94. c. d.
Concilii Basileensis inchoatio, 1. a. A quibus facta, 561. c. A Johanne Polemar. 6. a. & seq. Ejus præses creatus ab Eugenio IV. Julianus cardinalis, 43. b. A Martino V. & ab Eugenio IV. designatus, 8. a. &c. Ejus protector Guillelmus dux Bavariæ, 54. b. In eo præsati pauciſſimi, 546. a. d. Per annum & ultra fuerunt, 102. a. In eo gravantur præsules super locatione domorum, 106. b. Modus vivendi in eo, 242. a. & seqq. Pompam a præsatis ad illud venientibus censet abjiciendam, 30. e.
Concilium Basileense procedit per nationes, 777. b. In eo tractanda in sessionibus, prius agitabantur in congregationibus, 1223. a. Apud Sigismundum regem Romanorum instat, ut Germaniæ episcopi indilate veniant, 544. a. Horratur Carolum regem, ut suos ad concilium oratores mittat, 32. a. & seq.
Concilii Basileensis epistola ad universos regni Franciæ Christicolas, 33. c. Invitat doctos universitatum viros ad concilium, 104. d. Invitat & episcopum Noviomensem, 59. d. & seq. Hortatur ducem Saxoniæ, ut suos suis sumtibus mittat ad concilium, 110. c. Orat consules Argentinenses, ut viros aliquos doctos mittant ad concilium, 195. c. &c. Ad illud electores imperii mittunt oratores suos, 193. d. & seq. Strigoniensis archiepiscopus se & suos excusat, quod ad concilium non accesserint, 44. b. & seq. Augustensis civitatis auxilium & favorem implorat, 77. c. & seq. Ad ejus promotionem quæ fecerit Sigismundus imperator, 530. d. e. Ejus securitati & quieti provider, 14. b. & seq. Pro eo ad universos reges & principes scribit, 237. c. Accedentibus tutas vias provider, 42. a. & seqq. Illud sub sua protectione suscipit, 12. c. & seq. Ei mittit articulos sibi a legatis papæ propositos, 99. c.
Concilium Basileense quibus præserim incubuerit, 918. e. Exstirpandis hæresibus præcipue invigilavit, 942. c. Ejus res utilitates erga Bohemos, 548. a. Invitat Bohemos ad concilium, 78. d. & seqq. Salvos conductus eis procurat, 79. d. Deputat in Pragam quatuor episcopos & sex doctores, 597. c. Præscribit preces, jejunia, & alia bona opera pro reductione Bohemorum, 142. a. b. Instructiones missæ nuntiis concilii Basileensis existentibus in Nurenberga, 96. c. &c.
Concilium Basileense proponit sibi pacem componere inter principes Christianos, 39. d. Quid egerit pro pace principum, 907. d. Hortatur populos ad pacem inter Franciæ & Angliæ reges procurandam, 123. d. & seq. Orat Henricum Angliæ regem, ut velit approbare & mittere ad dietam Aterebatensem, ad tractandum de pace cum duce Burgundiæ & rege Franciæ, 817. d. & seqq. Hortatur regem Poloniæ ad pacem cum Wistrigaldo fratre ejus, 37. e. & seqq. Religiosos Prutenos, ut studeant pacem componere inter regem Poloniæ & ducem Lithuaniæ fratrem ejus, 39. e. & seqq. Fridericum ducem Austriæ ad pacem cum duce Burgundiæ, 40. c. Legatos mittit ad magnum ducem Lithuaniæ, 622. b. Lithuanos hortatur ad unionem cum ecclesia Romana, 623. a. Cum Græcis Basileenses conveniunt de certis punctis impossibilibus, 768. b. Concluſa cum oratoribus Græcor. mittunt Eugenio, 768. a. b. Oratorum concilii Basileensis oratio ad papam super materia Græcorum, 833. d.
Concilium Basilee-se Græcis in promissis defecit,

defecit, 965. a.
Concilio Basileensi gratias agunt syndici & consilium civitatis Avenionensis de sibi dato rectore cardinali S. Eustachii, 102. c. & seq.
Concilii Basileensis dissolutioni laborat Eugenius, 107. c. Ne dissolvatur petit imperator, 776. c. Ab Eugenio IV. dissolvitur, 43. a. & seq. 50. c. 52. a. 992. b. Qua mente id fecerit, 153. e. Bulla dissolutionis allata Basileam per episcopum Parentinum, 53. d. Illius exemplar concilio mittit Sigismundus, 55. a. & seq. Et patres hortatur, ut in incepto opere perseverent, 55. c. Nec dissolvendum esse concilium propter papæ mandatum, 31. e.
Concilii dissolutionem impugnant concilii promotores, 557. d. & seq. Impugnatur in Bituricensi, 945. c. Non dissolvi desiderant hæretici, 81. b. Ejus dissolutionem quanta sequantur incommoda, 75. b. & seq. 94. c. An valuerit, 643. a. & seq. Et ne adhærent principes impedire conatur Eugenius papa, 648. d. Quem ut ei adhæreat hortatur Sigismundus imperator, 222. a.
Concilium Basileense laudat Sigismundum de invariabili adhæsione ad concilium, 532. c. & seeq. Ei adhæret Carolus rex Francorum, 170. b. Ad illud promittit aliquos regni sui doctores mittere, 170. d. Eidem adhæret Philippus dux Burgundiæ, 591. a. Qui ad illud mittit legatos, 591. b.
Concilii zelum laudat dux Mediolanensis, 63. e.
Concilii translatio, non dissolutio, sed continuatio est, 102. a. Alio transferri non potest sine magnis difficultatibus, 956. c. Cum Eugenius voluit mutare concilii locum, plures secum habebat cardinales & prælatos, quam essent in concil. 546. e. Illius continuationem urget apud Eugenium Sigismundus imper. 90. c. Illud Basileæ celebrari permittit Eugen. 536. a. Et omnem ei favorem optat & promittit, 590. c.
Concilium providere papæ cogitat, 934. e.
Concilio Basileensi bullas Eugenii mittit imperator, 535. b.
Concilium Basileense queritur de Eugenio papa, 647. c. & seq. Monet imperatorem ut nullum cum papa ineat tractatum, nisi adhæreat concilio, 198. b. c.
Concilii Basil. patres monet Sigismundus imperator, ut vitent schisma, 535. c. 536. e. Petit supersideri super monitione papæ, 608. a. Eosdem monet electores imperii, ut cum papa ineant concordiam, 230. c. & seq.
Concilium Basileense quo ordine processit in papam, 692. c. & seq. Ejus nomine citatur & monetur Eugenius IV. 155. c. A concil. Basileensi Venetii revocant cardinalem Bononiensem, 639. b.
Concilii Basileensis translationem Florentiam improbat dux Mediolanensis, 938. c. d.
Concilium Basileense transfertum Lausannam, 956. c. e. 998. d.
Concilii Basileensis patres decreta sessionum mittunt ad imperatorem, 534. c. Et reginæ Siciliæ, 628. b. Ea moderari petunt patres Bituricenses, 949. c. Sunt observanda, salvis aliquibus moderationibus, 947. b. Ab episcopis etiam in concilio existentibus sunt neglecta, 797. c. d.
Concilium Basileense aliqua fecit decreta aliena a decretis aliorum conciliorum, & papæ jurisdictionem lædentia, 926. d.
Concilii Basileensis patres plus his concedunt qui bella excitant, quam his qui pacem volunt, 731. a. Res mere imperiales & sæculares suo foro astrahunt, 750. a. Culpantur de longa duratione absque ulla reformatione, 921. e.
Conciliares actus fieri Basileæ vetat imperator, 997. b.
Concilium Basileense purgat se a suspicione schismatis, 53. b. c. & seq. Illud famosis libellis nituntur denigrare hæretici, 76. c. Protestatio ambassiatorum domini papæ facta in Constant. civitate super factis concilii Basil. 149.
Concilium Bononiæ indictum ab Eugenio IV. 51. c. & seq. Qui ut celebretur instat, 552. a. Cum sit continuatio Basileensis, 552. b.
Concilii Bononiensis anni MDXLVII. initium, 1144. e. Ejus prima sessio, 1145. 1161. d. Sessio secunda, 1162. b.
Concilium Constantiense, 2. b. 12. c. Non fuit dissolutum per Johannis XXIII. fugam, 645. d. 646. e. Vires & initium tribuit concilio Basil. 990. c.
Concilium Constantinopoli pro Græcorum unione, 784. e.
Concilium Ferrariense comendatur regi Francorum, 945. d. e.
Concilium Florentinum, 962. b.
Concilium provinciale Lovitii, 1445. c.
Concilium generale Mantuæ indicit Paulus III. 1025. c.
Concilium Moguntinum anni MCCCCLI. 1005. b. d.
Concilii Noviomensis statuta, 1556. b.
Concilium ecclesiæ Orientalis, 808. b.
Concilium Papiæ inceptum & Senis absolutum, 72. a.
Concilium Parisiense anni MDXII. 1018. c.
Concilium Senense, 2. b. 12. c. 664. c.
Concilium Vicentinum, 1028. a. & seq.
Concilii Tridentini indictio, 1031. c. A Paulo III. facta, 1189. c. Ad illud convocantur Galliæ episcopi, 1423. d. Ejus præsides, 1031. c. Accedunt Tridentum, 1051. a. Ejus apertio propter defectum prælatorum differtur, 1071. b. Aperitur, 1057. a. Aperiendi modus, 1057. c. Illius facies tempore sessionis, 1057. Ei pauci prælati tempore statuto interfuerunt, 1052. c. Initio cur in eo pauca fiant acta, 1147. c. In eo quot interfuerint prælati & doctores, 1225. a.
A concilio Tridentino absentes declarantur contumaces, 1099. c. In eo per se, non per procuratores debent interesse prælati, nisi præpediantur, 1052. e. Ab eo exire prohibentur patres, 1109. d. Ad illud venire noluerunt hæretici, 1105. b. In eo superfluæ quæstiones resecandæ, 1351. c. 1352. c. Exhabita libertas, 1352. b. c. d. 1353. a. Ita volente Pio papa IV. 1275. d.
In concilii Tridentini decisionibus unus fuit semper omnium spiritus, 1148. a. Ei se submittit natio Germanica, 1169. d. Imperator & electores imperii & tota natio Germanica, 1176. c. Meta belli non est solvendum, 1108. c.
Concilii Tridentini suspensio in biennium, contra quam fit protestatio a quibusdam episcopis, 1421. a. Basileam aut Costantiam transferri optabat rex Franc. 1356. c.
Concilii Tridentini translatio Bononiam, 1117. b. 111 b. Translationis causa, 1169. d. e. Recte fuit translatum, 1193. b. c. Translatum ex causa fictitia quidam conqueruntur, 1193. c. Henricus II. rex Francorum translationem concilii Trid. Bononiam approbavit, 1193. d. 1194. a.
Concilium Tridentum reduci postulant principes, 1167. c. Et Germani, 1176. d. Concilii Tridentum reductionem quæ sequuntur incommoda, 1168. a. & seq. Leviotibus occasionibus pluries fuit interruptum, 1452. c. Ejus continuatio, 1245. a.
Concilii Tridentini prima sessio, 1062. c. Sessio secunda, 1075. c. Sessio tertia, 1075. c. 1262. a. Sessio quarta de peccato originali ejusque remedio, 1086. c. Sessio quinta de justificatione & residentia, 1169. e. Sessio sexta, 1117. a. Sessio septima, 1117. b. Sessio decima septima, 1245. c. Sessio decima octava, 1252. c. Sessio vigesima, 1265. d. Sessio vigesima prima, 1276. e. Sessio vigesima secunda, 1288. e. Sessio vigesima tertia, 1380. d. Sessio vigesima quarta, 1411. d. Sessio vigesima quinta, 1418. d. Ejus continuatio, 1420. b. In ultima sessione leguntur acta sub Paulo III. & Julio II. 1420. e. Eam protrahere tentant Hispani, 1416. d. Ejus accelerationem reges & principes atque etiam papa cupiebant, 1414. b. Propter papæ morbum acceleratur, 1418. b.
Concilium Tridentinum ad optatum finem perducere furant cardinales ante electionem pontificis, 1215. a. Ejus decreta regi Henrico offert Aaron. Filholi archiepiscopus Aquensis, 1219. d. Circa responsionem regi Franciæ a concilio Tridentino faciendam discordia inter patres, 1356. e.
Concilii Tridentini litteræ ad Carolum IX. regem Francorum, 1317. d.
Conclavis reformatio per Pium IV. 1353. c.
Concubinarius quis sit censendus, 1461. b. Ut puniendus, 1388. b. & seqq. Careat fructibus beneficiorum suorum, 1006. a.
Concubinæ excommunicentur, & ecclesiastica careant sepultura, 1006. b. Et clerici, 1469. e.
Conductitii sacerdotes non habeantur, 1502. d.
Confessionem facere non tardent peccatores, 1461. c. Quomodo facienda, 1522. b. 1542. b. & seq. Cum diligentia, 1466. c. Sit integra, 1522. d. Frequens, 242. c. 1497. b. 1522. b. Ter fiat in anno, 1542. a. Saltem semel, 1461. c. Proprio sacerdoti, 1543. b. Eam negligentes careant sepultura ecclesiastica, 1485. c.
Confessio præcedat matrimonium, 1386. b.
Confessor sit prudens & circumspectus, 1461. d. Non respiciat vultum pœnitentis, 1542. b.
Confessiones audire non possunt presbyteri sine facultate in scriptis data ab episcopo, 1335. b. 1369. c. Confessionem alterius parochiani nullus audiat, 1533. a. In confessione injungatur restitutio ablatorum, 1522. e.
Confessionis revelatio ut punienda, 1543. b. Depositione, 1514. c.
Confessionis necessitatem negabant Hussitæ, 249. c. De facultate audiendi confessiones error mendicantium, 707. b.
Confessio Augustana, 1185. c.
Confirmationis sacramentum, 1521. d. Non differendum, 1539. a. A jejunis & confessis recipiendum, 1539. b. Non reiteretur, 1539. b. Inutile esse affirmabant Hussitæ, 249. e.
Confirmatio statutorum Moguntinorum, 1012. e.
Confratriæ sine episcoporum consensu non erigendæ, 1020. e. Ab eis confirmentur, 1548. b.
Congregatio super jurisdictione papæ & episcoporum, 1361. b.
Conradus archiepiscop. Moguntinus, 194. c. 528. c. 638. a. Excusat se, quod propter infirmitates non possit accedere ad concilium Basileense, 222. d.
Conradus episcopus Metensis, præses nationis Germanicæ in concilio Basileensi, 915. a.
Conradus episcopus Ratisponensis egregie laborat pro ecclesia, 219. b. Ei conceditur caritativum subsidium, 219. d.
Conradus *de Brunsberg* canonicus Trevir. 571. c.
Conradus Jacobi de Montepolitiano decretorum doctor, 9. b.
Conradus *de Wimpfperg* camerarius Sigism. imperatoris, 789. c.
Consecratio episcopor. fiat intra tres menses, 1547. b. Et in propria ecclesia, ibid. c.
Consensus sit sex modis, 376. b.
Conseranensis episc. Gerardus, 168. c.

Conſervatores urbis Romæ petunt à Sigiſmundo rege Romanorum, ut in Urbe concilium celebret generale, 117. c. & ſeq. Ejus ad eos reſponſio, 120. b.

Conſilii & præcepti quæ ſit differentia, 327. a.

Conſpirationes in eccleſia facientes ſint ſuſpenſi, 1472. b. Siat excommunicati, 1499. b. c. 1549. c.

Conſpiratio inter Bohemos hæreticos adverſus ordinem Teutonicorum, 240. a.

Conſtantienſis epiſcopus Philibertus, 670. b.

Conſtantienſi de concilio queruntur Bohemi, 599. d.

Conſtantinopolitana ſecunda a Romana eccleſia, 848. d.

Conſtantinopolitanus patriarcha Joſeph, 51. b. 139. b. 965. a.

Conſtantinus papa, 383. c.

Conſtantinus imperator, 641. a. 914. a. Ceſſit ſancto Silveſtro imperium occidentale, 476. b. Epiſcopos judicare recuſat, 395. a. Ejus verba de poteſtate epiſcoporum explicantur, 472. a. & ſeq. Reliquias SS. Andreæ, Lucæ & Timothei C. P. transfert, 485. c.

Conſtantinus Cocleanus doctor, 1240. d.

Conſtantius Bonellus epiſc. Caſtelli, 1234. c.

Conſtantius de Monte theologus, 1143. d.

Conſtitutio Bonifacii VIII. ſuper modo ponendi interdicti, 1006. e.

Conſtitutiones ſynodales bis in anno ſubditis ſunt legendæ, 1512. c. 1515. a. Semel in menſe, 1526. c.

Conſtitutiones factæ per collegia ſine epiſcopi conſenſu revocantur, 1504. c.

Conſuetudini cum veritas ſuffragatur, nihil firmius oportet retineri, 1347. a. Pravæ ſunt tollendæ, 1008.

Contritio quid, 1446. b.

Contumaces declarantur abſentes a concil. Trident. 1099. c. 1116. c.

Convenarum epiſc. Petrus d'*Albret*, 1235. d.

Conventus Francofordienſis, 841. e.

Converſanus epiſcopus Romulus de Valentibus, 1235. d.

Converſi cujuſdam Clarevallenſis viſio, 914. e.

Convocatio prælatorum regni Franciæ ad mittendum ad concilium Baſil. 160. d.

Convocationis prælatorum bulla pro reductione Græcorum, 884. a.

Corcyrenſes archiepiſcopi Antonius Caveus ſeu Coceus, 1158. b. 1224. d. Jacobus Cruchius ſeu Cochus, 1238. d. 1253. a.

Coriolanus Martyranus epiſcop. S. Marci, 1136 b. 1139. d. Ejus oratio habita in prima ſeſſione concilii Tridentini, 1063. a. Ejus ſententia cum quidam patres metu belli deliberarent diſcedendum, 1108. a.

Coriſopitenſis epiſcopus Stephanus *Boucher* 1234. c.

Cornanki presbyter ſecretarius regis Poloniæ, 1449. c.

S. Cornelius papa, 849. d.

Cornelius Muſſus epiſcopus Bitontinus, 1140. c. Pronunciat orationem in concilio Tridentino, 1058. c.

Cornelius Janſenius, 1238. c.

Cornelius de Planqua, 557. a.

Cornelius *de Sanis Ar* ordinis Carmelitarum theologus, 1144. a.

Coronam clerici deferant competentem, 1498. a.

Coronam imperii de manu Eugenii papæ recipere recuſat Sigiſmundus rex Romanorum, niſi adhæreat concil. Baſileenſi, 83. c. 198. c.

Corporale ſtilla ſanguinis Domini perfuſam, inter ſacras reliquias ſervari debet, 1518. c. 1542. d. A quibus & quomodo abluatur, 1550. a.

Corpus Chriſti nos reddit immortales & incorruptibiles, 263. c.

Correctio ſubditorum fideliter obſervetur, 1468. d.

Corrigenda etiam paſtorum errata, 557. b.

Corrigi a quibus debeant clerici, 468. c.

Corripere quempiam illicitum eſt, niſi correptus ſit inferior correptore, 594. b.

Correctio duplex, 379. d.

Correctionem fraternam male interpretantur hæretici, 467. b.

Corruptio morum in clero, 1454. a.

Corruptio morum in omni ordine, 1083. b. & ſeq.

Corſulani epiſc. Marcus Malipetrus, 1136. c. 1140. c. 1159. a. Petrus Barbadicus, 1233. a.

Cortinæ ſint circa altare cum ſacerdos celebrat, 1540. d.

Cortonenſis epiſcopus Hieronym. de Gaddis ſeu de Pradis, 1227. d. 1236. d. 1381. c.

Corvo comparatus malus presbyter, 314. c.

Coſellus epiſcopus Cavenſis, 1441. d.

Coſmas Damianus electus abbas Villæ Bertrandi, 1238. a.

Coſmus Balma doctor, 1239. c.

Cotronenſes epiſcopi Franciſc. *de Aguirre*, 1233. d. Matthæus de Coucinis, 1234. d.

Cremonenſis epiſcop. Nicolaus Sfondratus, 1234. d. 1254. c.

Cretenſis archiepiſc. Petrus Landus, 1227. c.

Cretenſis archiepiſcopus nomine papæ perorat in concilio Bituric. 945. c.

Crucis triumpho evangelicæ promiſſiones innituntur, 1078. d. Cruce fidelibus nihil familiarius, 1079. a. Crucis nomine quid ſit intelligendum, 1079. b.

Crux prædicata adverſus Bohemos, 599. c. 600. b.

Cruce ſignati crucem deferant, 1548. c.

S. Crucis in Jeruſalem cardinalis Nicolaus, 586. d. 588. d.

Cultus ſacrarum imaginum dogma examinatur, 1413. d. 1417. c.

Curam animarum in eccleſia ſeculari non exercent monachi neque canonici regulares, 1471. c. Curati non permittantur celebrare donec recepti fuerint ab epiſcopo, 1548. b.

Curati quales eſſe debeant, 1308. b. Quomodo examinandi, 1439. c. & ſeq. Eorum officium, 1460. c. Reſideant, 1021. e. 1378. b. c. Infra annum fiant ſacerdotes, 1546. b. Duos aut plures ſecum habeant clericos, 1309. a. Fratres mendicantes ad audiendas confeſſiones non admittant, 1551. c. Nec alienigenas ad ſacramenta admittant, 1553. c. Quæ debeant monere ſubditos ſuos, 1463. b. & ſeqq. Habeant ſtatuta conciliorum provincialium, 1551. c. Curatorum in funere ſuo decani Chriſtianitatis, 1553. d. & ſeqq. Pro curatis defunctis alii curati dicant miſſam, 1561. a.

Curatorum recens inſtitutorum biennalium fructuum ſolutionem exigunt commiſſarii archiepiſcopi Moguntini, 747. c.

Curia Romana reformanda, 922. b.

Curia Romana de loco ad locum non tranſeat, 1215. b.

Curienſi in diœceſi hæreſis incipit pullulare, 92. d.

Curienſem epiſcopum ad concilium Trid. invitat Paulus III. 1085.

Curienſis epiſcopus Johannes, 234. c. 607. d. 632. d. e.

Cynthius Pamphius notarius concil. Trid. 1242. d.

S. Cyprianus martyr epiſcop. Carthaginenſis, 849. d.

S. Cypriani ſententia de baptiſmo, 599. a.

D.

Dæmones fugat euchariſtia, 274. a.

Dalmacius vicecomes de Rupeberti-no, 189. d.

Dalphinus epiſc. Parmenſis miſſus a conc. Baſileenſi ad magiſtrum ord. B. Mariæ Teutonicorum, 608. b.

Damaſus papa expurgat ſe cum pluribus aliis epiſcopis, 390. c.

Daniæ rex Ericus, 617. d.

Danielis locus explicatus, 419. d.

Daniel Barbarus patriarcha Aquilegienſis, 1227. c.

Daniel epiſcopus Parentinus, 130. b.

Daniel epiſcopus Parentinus papæ theſaurarius & commiſſarius apoſtolicus, ad concilium Baſil. deſtinatus, 50. b.

Debitis exonerandæ ſunt eccleſiæ, 1516. c. Pro quibus ſolvendis ornamenta non ſunt alienanda, 1517. a.

Decanus ſit ſacerdos & reſideat, 1482. a.

Decani Chriſtianitatis jus funeralium curatorum, 1553. d. & ſeq.

Decani poſſunt ſuſpendere presbyteros qui ad eorum calendas non veniunt, 1557. c.

Decani metas ſuæ juriſdictionis non excedant, 1551. d.

Decens quid ſit, 518. d.

Decet clerum temporalibus bonis abundare, 518. d. & ſeq.

Decimæ ſunt tributa egentium animarum, 476. b. Non ſunt puræ eleemoſynæ, 474. b. c. 476. b. Humano jure debentur, 475. c. Decimæ in veteri lege debitæ præcepto partim morali partim judiciali, in nova præcepto partim morali partim inſtitutione eccleſiæ, 476. c.

Decimæ ſolvantur integræ, 1545. c. Idque annuncient in ſuis ſermonibus fratres mendicantes, 1556. c. Ab iis exemtæ minora beneficia, 1217. b. Eas ſubtrahens facit Deo injuriam, 477. c. Eas non dantes excommunicantur, 475. d.

Decimas a malis ſacerdotibus poſſe auferri docent hæretici, 474. b. Ad inſtantiam principum a papa non imponendæ, 1217. a.

Decimæ eccleſiarum militaribus Burgundiæ a papa conceſſæ, 217. b.

Decimam nullus recipiat de manu laici, 1545. c. Decimas laicis dantes epiſcopi ſunt antichriſti, 511. c.

Deciorum ludus presbyteris vetitus, 1546. d.

Decretum de matrimonio clandeſtino a patribus examinandum in conc. Tridentino, 1389. b.

Decretum brevius reformatum de eccleſiaſtica immunitate, 1413. b.

Decretum de reſidentia in conciliis provincialibus & ſynodis epiſcopalibus legendum, 1378. d.

Decretum de ſacræ ſcripturæ libris & impreſſoribus, 1085. c.

Defectus miſſæ ut ſunt ſupplendi, 1518. b. & ſeq.

Defunctorum commemoratio in craſtino feſti Omnium-ſanctorum, 1485. a. Quo ritu celebrandum, 1487. b.

Defunctorum officium quater in anno ſolemniter celebretur, 1562. c.

Degradetur ſubdiaconus ab uno epiſcopo, diaconus a tribus, ſacerdos a conc. provinciali, 1471. a.

Delphinus ager non poſſidetur a rege, ſed ab ejus filio natu maximo, 1201. c.

Delphinus Venetus nuncius ſummi pontificis in Germania, 1398. d.

Deodatus de Peana Bilorum, prior Bononienſis ordinis eremitarum S. Auguſtini, 1161. a.

Deodatus ordinis Servorum theolog. 1144. b.

Dertuſenſis epiſcopus Petrus *Gonzales* de Mendoza, 1235. b.

Deſiderius de S. Martino doctor, 1238. c.

Diaconi quales eſſe debeant, 1334. c. Et quali ætate ordinandi, 1368. d. e. 1437. b. Sunt oculi epiſcoporum, 1375. c. Eorum officium, 331. c. 1375. c. Calicis communionem olim præbebant, 299. b. 302. e. 303. a. In miſſa dicebant *Exeant qui non communicant*, 1372. c. Publice pœnitentes in caſu neceſſitatis poterant reconciliare, 1375. c. His reſtituatur antiqua functio, 1307. e.

Diaconi ſaltem ſemel in menſe communi-

cent, 1437. b. Uxores non habeant, 1315. d.
Dieta Attrebatenſis, 817. d. Pro pace Franciæ, 799. d. Ejus acta pro pace inter reges Angliæ & Franciæ facienda, 861. d. 862. e.
Dieta Auguſtana, 1174. c.
Dieta in Bruina, 813. d.
Dieta Francofordienſis, 87. d. 982. c. 987. a.
Dieta Gebennenſis in præſentia oratorum Caroli Franc. Henrici Angliæ & Renati Siciliæ regum, &c. 996. d.
Dieta Norembergenſis, 86. e.
Dieta Ratiſponenſis anni MCCCCLV. 1013. c.
Dieta Spirenſis, 1038. b.
Dimantius eremita S. Auguſtini orationem habet in concilio Trident. 1156. e.
Diarium actorum concilii Tridentini ſub Pio IV. auctore Torello Phola de Puggio canonico Feſulano, 1222. a.
Didacus de Alaba epiſcopus Aſtoricenſis, 1141. a.
Didacus de Alga epiſc. Aſturicenſis, 1136. c.
Didacus Sarmiente de Soto epiſcop. Aſtoricenſis, 1232. c.
Didacus Covarruvias epiſcop. Civitatenſis, 1234. b.
Didacus *de Leon* epiſcopus Columbrienſis, 1235. c.
Didacus de Almania epiſcopus Conenſis, 1231. b.
Didacus *Ramirez* epiſcopus Pampilonenſis, 1235. c.
Didacus de Mendocia orator Cæſareus ad concilium Tridentinum, 1032. b. 1138. a. 1162. d. 1167. e. Morbo correptus Venetiis non poteſt intereſſe initio concilii Tridentini, 1058. c. Ejus litteræ ad concilium, 1059. b. Ejus excuſatio admittitur, 1060. b. Ejus in concil. Trid. compartitio, 1045. c.
Diſſertatiæ ſuper præſidentia oratorũ principum in conc. Trid. quomodo ſopiendæ, 1250. b. c.
Dilectio quid ſit, 675. c. & ſeq.
Dimiſſoriæ litteræ quomodo concedendæ, 1332. b.
Dimiſſorias litteras ad ſuſcipiendos ordines non dent exemti, 1367. d.
Dimiſſoriæ litteræ vacante ſede non dentur a capitulo, 1439. b.
Dinienſis epiſcop. Petrus de Verſaliis, 945. b.
Dionyſius Areopagita nobiliſſimus ſcriptor, 848. a.
Dionyſius epiſcopus Chironenſis & Milopotamenſis, 1135. c. 1138. d. 1229. c.
Dionyſius Sigillenſis ordinis S. Auguſtini, regens Paduæ, 1143. d.
Dionyſius *Sobrevois* doctor theolog. 821. d. 823. b.
Dionyſius Tirannus, 915. b.
Diſciplinæ eccleſiaſticæ reſtitutionem in conciliis petunt reges Franciæ, 1399. c.
Diſcordia inter patres concilii Tridentini ſuper canone de ordine circa juriſdictionem epiſcoporum & papæ, & reſidentia, 1302. c. 1305. b.
Diſpenſatio eſt juris declaratio vel relaxatio, 449. b.
Diſpenſatio duplex, 1325. a.
Diſpenſationem voti caſtitatis nec ſacerdoti nec monacho papa dare poteſt, 1317. b. & ſeq.
Diſpenſatio matrimonii in ſecundo gradu non detur niſi principibus, 1387. d.
Diſputatio inter Juliaunm cardinalem & archiepiſcopum Spalatenſem de diſſolutione concilii an valuerit, 643. a. &c.
Diſſidia quanta ſecum mala trahant, 687. a. b.
Diſſolutionis concilii Baſileenſis bulla per Parentinum epiſcopum Baſileam allata, 53. d. An valuerit, 643. a. & ſeq. Eam quanta ſequantur incommoda, 75. b. & ſeq. Contraria eſt reconciliationi Bohemorum, 67. a. Diſſolutionis conc. Baſileenſis bullæ revocationem petit Sigiſmundus imper. 61. 63. d. & ſeq.
Diſtributiones horarum, 1484. c.
Diſtributiones quotidianæ faciendæ his qui divinis interſunt officiis, 1019. c. d.
Divitiarum amor eſt periculoſus, 524. a. Earum incommoda, 521. c. Inſolentes animos faciunt, 730. d. Mores deformant, 524. c. Earum contemtus eſt difficilis, 524. d. Eas a papa & ejus ſacerdotio a primo ad minimum tollendas eſſe dicunt Huſſitæ, 27. a. b.
Doctor verus quis, 313. e.
Doctorum dicta quomodo acciplenda, 507. d. & ſeq.
Doctores regni ſui petunt a rege patres Baſileenſes, 169. a.
Doleníis epiſcopus Carolus *de Hoſpitaux*, 1234. a.
Domeſticorum veſtimenta ſint modeſta, 744. b. c.
Dominandi poteſtate ſe privat qui pro ſuis voluntatibus, non pro ſubditorum utilitatibus eam exercet, 694. c.
Dominicæ diei ſanctificatio commendatur, 1560. b. & ſeq.
Dominicam diem non obſervantes, per menſem abſtineant ab eccleſiæ ingreſſu, 1561. a.
Dominicis diebus poſſunt emi quotidianæ comeſtibilia, 1562. a. Item, neceſſaria pro infirmis, ibid. b. Sicut & neceſſaria pro ſepultura & baptiſmo, ibid.
Dominica jejunant Manichæi, 299. c.
Dominicus cardinalis S. Mariæ in via lata, 801. b. 802. d.
Dominicus cardinalis laborat conciliandæ paci inter reges Aragonum, Navarræ & Capuæ, 136. c. 137. c. 138. c. 143. a. & ſeq. Ejus epiſtola ad concilium Baſil. 136. b.
Dominicus Belianus epiſcopus Brixienſis, 1234. a. 1254. c.
Dominicus Caſalbrancha epiſc. Vicenſis, 1233. c.
Dominicus de Cruce theologus, 1142. c. 1143. d.
Dominicus Soto theologus, 1142. d.
Dominici de Volano teſtimonium de morbo contagioſo Tridenti vigente, 1123. c.
Dominium rerum temporalium clero illicitum, & a ſæculari brachio ei auferendum cenſent Bohemi, 251. a.
Donaldus *Magungial* epiſcop. Raportenſis, 1236. c.
Donatus de Laurentiis ſive de Cauſentiis, epiſcopus Arianenſis, 1233. b. 1254. b. 1441. c.
Dubia declarate eſt ſummi pontificis, 547. a.
Dunelmenſis epiſcopus N. excuſat ſuam ſenectutem ad patres concilii Baſileenſis, 145. c.

E.

EBoracenſis archiepiſcopus Johannes, 146. a.
Ebracenſis abbas Hermannus, 174. c. 179. a. 181. c.
Ebredunenſes archiepiſcopi Guillelmus *de Auenſon*, 1224. d. Jacobus, 130. c. 147. c. 151. c. 154. c.
Ebroicenſis epiſcopus Gabriel *le Veneur*, 1229. c.
Eccleſia quid, 1086. d. Eſt myſticum corpus Chriſti, 912. c. Multipliciter ſumitur in ſcripturis, 827. b.
Eccleſiæ primitivæ & hodiernæ comparatio, 259. d. & ſeq.
Eccleſia nihil excelſius, 69. c. Ejus unitas non tollit univerſalitatem, nec univerſalitas unitatem, 209. c. Ejus auctoritas, 348. a. 517. d. Quotidie proficit, 1080. c. Errare non poteſt in rebus fidei, 1447. c. Extra eam non eſt ſalus, 378. c. 440. d. 1447. c. Eccleſiam matrem qui non habet, Deum patrem habere non poteſt, 699. c. Malos in ſinu ſuo fovet, 1080. c. d. Similis eſt navi agitatæ, 211. c. d. Purgatior fit eam a ſatana agitatur, 1204. b. Non ceſſat impugnari, ſed ſemper vincit, 982. c. Ejus proprium eſt vincere cum læditur, 983. a. Ejus arma orationes & lacrymæ, 29. c. Non ſolum invitat, ſed etiam cogit ad bonum, 526. c. Sine ejus unione nihil profunt bona opera, 701. b.
Eccleſia per ſtatuam Nabuchodonoſor figurata, 914. c.
Eccleſia a quibus locis exſulet, 1093. a. & ſeq.
Eccleſiæ præcepta obligant ſub peccato, 1448. b.
Eccleſiæ miſerabilis facies tempore concil. Baſileenſis, 32. c. & ſeq. 34. a. b.
Eccleſia Romana numquam erravit a fide, 834. c. Eſt ſuper reges & regna, 746. a. Quam æqua ſit in reddenda cuique juſtitia, 746. a. b.
Eccleſia Romana in uſu habet ſolum vinum calicis conferre poſt communionem corporis Chriſti, 297. d.
Eccleſiæ Romanæ bona & jura papa non poteſt alienare, 1216. c.
Eccleſiæ Romanæ advocatus imperator, 12. c.
Eccleſiæ libertates conſervandæ, 949. c. 950. a.
Eccleſiæ bona non ſunt alienanda, 1135. d. c. 1545. a. Eorum detentores coguntur ea reſtituere, & ubi fuerint ea divinis ceſſetur, 1547. d.
Eccleſiæ bona & jura occupantes excommunicantur, 1551. b.
Eccleſiæ pauperes aliis incorporandæ, 1426. b.
In eccleſia nocte jaceant miniſteriales, 1484. b. In eis prohibitæ choreæ aut inhoneſtæ cantilenæ, 1467. 1547. b. In eis percutiens aut offendens aliquem excommunicetur, 1527. b. In eis non teneantur profana, 1460. d. 1520. c.
Eccleſiam non pertranſeant clerici ſine habitu eccleſiæ dum ſit officium, 1535. c.
Eccleſia poſt officium claudatur, 1520. c.
Eccleſiæ non dentur ad firmam laicis, 1547. b.
Eccleſiaſtici ad forum ſæculare non trahendi, 790. b.
Eccleſiaſticum ad ſtatum quæ pertineant, 520. c. & ſeq.
Eccleſiaſticis non ſunt imponenda ſubſidia, 1393. d.
Eccleſiaſticæ juriſdictionis perturbatores excommunicentur, 1556. b.
Edua & Biſuntium Julio Cæſari ducenta hominum millia dederunt, 215. c.
Egidius Falſeta epiſcop. Caprulanus, 1136. d. 1140. d. *Vide Ægidius.*
Electenſis epiſcopus P. 776. a.
Electio papæ a quibus facta, 611. a. Ad ſolos cardinales pertinet, etiam durante concilio, 1167. b.
Ad electionem novi pontificis, ſi, durante concilio, ſedes vacaverit, patres Baſileenſes jubent tunc, ut cardinales ad concilium accedant, 200. b. & ſeq.
Electionem papæ ſibi reſervat concil. Baſileenſe, 648. b.
Electio epiſcoporũ valde diſcutienda, 1344. b.
Electiones epiſcoporum quæ ſiunt a populo, magnis ſubjacent perturbationibus, 1346. a.
Eligendi quomodo epiſcopi, 1364. b. & ſeq.
Eligendi imperatoris auctoritas tempore Ottonis III. introducta, 612. c.
Electores imperatoris, corpus, membra, caudelabra aurea, columnæ imperii, 611. b. Eorum imperii officia, 232. d. Mittunt oratores ſuos ad concilium Baſileenſe, 193. d. & ſeq. Eorum ambaſſiatores ſedem in concilio diſputant oratoribus ducis Burgundiæ, 610. b. & ſeq. Adhærent concilio Baſileenſi, 636. b. & ſeq. Petuntque relaxari decretum factum in Eugenium papam, 637. b. c. Appellant a proceſſibus Baſileenſium in Eugenium papam, & Eugenii in Baſileenſes, 953. c.

de Electionibus decretum observari petunt Moguntinus & Coloniensis archiepiscopi 841. d.
Electmosynæ etiam malis distribuendæ, 478. b. Electmosynas ex rapina facere est peccatum, 518. b. c.
S. Eleutherii Reatini abbas Indica, 1513. b.
Elizeus Theodinus episcop. Soranus, 1139. c. 1158. d.
Eluenses episcopi Lupus *Martinez*, 1233. c. Michael *Puch*, 1423. a.
Emanuel Philibertus dux Sabaudiæ, 1304. c.
Emanuel Disspato orator Græcorum imperatoris ad Eugen. papam, 805. i. 806. d.
Emonienſis epiſcopus Alexander de Urſis, 1136. c. 1140. a.
Ennius Maſſarius epiſc. Ferettenſis, 1231. a.
Epiſcopatus plures eligendi, 1427. c.
Epiſcopatus omnium epiſcoporum eſt unus in quo papa primatum tenet, 1339. d.
Epiſcopi ſunt lux & eccleſiæ oculus, 1344. b. c.
Epiſcoporum electiones eſſent reſtaurandæ, 1434. c.
Epiſcopi ſint XXXIII. annorum, 1435. a. Quales eligendi, 1308. a. Et quomodo, 1364. b. & ſeq.
Epiſcoporum electio a populo magnis ſubjacet perturbationibus, 1346. a. Fiat a capitulo, probante populo, 1346. c. aut a principibus, ibid. d. In eorum nominatione & præſentatione quid obſervare debent principes, 1434. c. In promotione quid obſervandum, 1328. a. & ſeq. Epiſcopus coactus ſubeat onus pontificale, 1344. c. Ejus examen, 1435. c. Etiam a rege deſignati, 1456. b. Ejus examen eſt diſcutiendum, 1345. a. b.
Epiſcoporum indignæ promotiones culpantur, 740. d.
Epiſcopi electi infra tres menſes ordiuentur, 1365. c. Et vix intra ſex menſes ex diſpenſatione, 1347. b. Ubi ſunt ordinandi, 1365. c. Ante ſex menſes a ſua promotione ordinentur in propria eccleſia, aut ſaltem intra provinciam, 1330. a. 1347. c.
Epiſcopi clerum & populum non habentes non ordinandi, 1330. d.
Epiſcopi titulares, 1366. a. Improbantur, 1440. c. Non tollantur, 1347. d.
Epiſcopor. tranſlationes damnantur, 1453. b. Alienas diœceſes invadentes damnantur, 1197. c. Infirmis dandi vicarii plures, 1426. b.
Epiſcoporum mores quales eſſe debeant, 1415. a. 1456. c. Reforment vitam ſuam, ibid. c. Debent virtute prælucere, 913. e. Lectioni, orationi & prædicationi vacent, 331. d. 333. c.
Epiſcopus non ſolum ſcienter doceat, ſed etiam patienter addiſcat, 1345. b.
Epiſcoporum negligentia eccleſiæ quam noxia, 1453. a. Eſt punienda, 1345. c.
Epiſcopi gravia negotia abſque capituli conſenſu non debent expedire, 1310. b.
Epiſcopi ſacros ordines per ſe ipſos, non per ſuffraganeos conferant, 1330. c. 1366. a.
Epiſcopus poteſt tonſura clericali familiarem ſuum ſibi ſervientem inſignire, 1332. a.
Epiſcoporum reſidentia, 1353. c. Ad eam ſunt cogendi, 1426. a. Legitime abſentes a ſua eccleſia, cauſa abſentiæ metropolitano ſignificent, 1377. c. Tempore adventus & quadrageſimæ ac præcipuis feſtis non abſint, 1377. c. Epiſcopi deputati ad colligenda impedimenta quæ non ſinant epiſcopos reſidere, 1258. c. Non reſidentes ut puniendi, 1378. a.
Epiſcopi etiam mali neceſſarii, 1345. a.
Epiſcoporum malorum cauſa canonum inobſervantia, 1345. c. d. Eos monent capitula, 1457. b.
Epiſcoporum auctoritas, 1360. b. c. Eorum & apoſtolorum comparatio, 17. c. & ſeq. Eorum & papæ juriſdictio, 1561. b. c. Eamdem ſuſtinent auctoritatem quam Petrus, 1190. d.
Epiſcopi & presbyteri apud Apoſtolum iidem, 848. b. Poteſtatem habent conſtituendi, 472. b. c.
Epiſcopos judicare recuſat Conſtantinus imperator, 395. a. In eos invehuntur hæretici, 17. c. & ſeq.
Epiſcopi in ſua conſecratione jurant intereſſe cum vocabuntur conciliis, 115. c.
Epiſcopi Galliæ excuſantur, quod ad conc. Trid. non venerint, 1342. b.
Epiſcopi Germaniæ ad concilium Baſileenſe invitantur, 36. a. & ſeq.
Epiſcoporum Germaniæ procuratores ad concilium Trident. petunt in eo habere vocem deciſivam, 1424. d. Quæ eis denegatur, 1425. b.
Epiſcopi docti in concilio Trident. 1082. d. In ſynodis eis aſſigneturlocus dignior, 1442. d.
Epiſcoporum regni Neapolitani congregatio adverſus metropolitanos, 1408. b.
Epiſcopi metropolitanam eccleſiam viſitare honoris gratia petunt diſpenſari, 1440. d.
Epiſcoporum petitio adverſus metropolitanos in conc. Trid. 1442. c.
Eraldus Carmeliſta theologus, 1242. b.
Erici regis Daniæ epiſtola ad conc. Baſil. 617. d.
Ericus dux *de Lauvvenburg*, 746. c.
Error cui non reſiſtitur, approbatur, 695. b.
Error Huſſitarum de eccleſia, 251. a.
Eſiuus epiſcopus G. 1269. b.
Eſpinellus epiſcopus Politianus, 1269. c.
Evander rex Septem-montium, 214. d.
Evangelium lex gratiæ, 423. b. Quanta præſtet homini bona, 1077. c. & ſeq.
Evangelium in miſſis parochialibus populo explicandum, 1309. a. Ad evangelium per totum orientem portantur luminaria, 486. c.
Euchariſtia eſt vita ſumentis eam, 286. a. c. Ejus triplex effectus, 272. c. Fugat dæmones, 274. a. Quotidianus eſt cibus fidelium, 277. c. In primitiva eccleſia quotidie conficiebatur & ſumebatur, 275. a. Neceſſaria neceſſitate ſalutis, 296. c. Illius manducandæ tres modi, 293. a. Euchariſtiam non ſumentium tria hominum genera, 293. b. Euchariſtia nullus tangat oculos vel os, 1541. a.
Euchariſtiæ materia, 1541. c.
In euchariſtia reale Chriſti corpus, 1447. b. Non panis non vinum remanet. ibid.
Euchariſtia dum defertur ad infirmos, aut conſervatur, eſt ſacramentum; dum offertur ad altare, eſt ſacrificium, 1281. c.
Euchariſtia in loco eminenti cuſtodiatur, 1460. c. In pulcriori altaris parte, 1540. a. Munde & ſub clavibus, 1496. c. Claves ſacerdotes ipſi apud ſe tenant, 1538. c. Euchariſtiam & chriſma eadem non cuſtodiene, tribus menſibus ab officio & beneficio ſuſpendatur, 1520. b.
Euchariſtia renoveur ſingulis quindecim diebus, 1541. b. Singulis octo diebus, 1470. d.
Euchariſtia quomodo ad infirmos deferenda, 1517. d. c. 1539. d. e.
Euchariſtia ſi cecideric quid faciendum eſt, 703. c. 1541. d.
Euchariſtia rarius exponenda, 1008. c.
de Euchariſtia articuli in concilio Trident. examinati, 1269. d. e. 1270. d.
de Euchariſtia error Neſtorii, 702. c.
Eventenus epiſcopus Hieronymus Uliſcus, 1214. b.
Everdus *Bithy.h* provincialis ordinis Carmelit. provinciæ Colonienſis, 1213. c.
S. Eugendi monaſterium, 638. c.
Eugenius III. a ſancto Bernardo arguitur, 849. c.
Eugenius papa IV. 792. d. Ejus elogium, 539. b. 697. b. 891. e. Innocens fuit, 540. a. Et vita ſine macula & ruga, 76. c. 95. c. Eam fidei & pietatis firmamentum vocant Græci, 784. a. Ei adhuc cardinali commiſſa adminiſtratio eccleſiæ Arimineniſis, 610. b. In conc. Conſtantienſi laborat reformationi eccleſiæ, 154. c. Curiam ſuam reformat, 129. b. Succedit Martino V. 539. c. Concilium Baſileæ celebrari mandat, 539. d. Declarat ſe non poſſe intereſſe concilio, 5. c. Julianum cardinalem concilii Baſileenſis præſidem inſtituit, 539. d. 587. e. Inſtat ut Julianus cardinalis Baſileam ſe transferat ad præſidendum concilio, 8. d. Per eum non ſtetit quin ſuo tempore inciperet & fieret, 9. d.
Eugenius IV. diſſolvit concilium Baſileenſe & aliud Bononiæ indicit, 43. a. & ſeq. Qua mente id fecerit, 153. c. 154. d. Archiepiſcopum Januenſem & ejus ſuffraganeos invitat ad concilium Bononienſe, cui præſidere ſibi proponit, 43. a. & ſeq. Tempus Bononienſis concilii abbreviare, & locum etiam concilii mutare offert, modo celebretur in Italia ubi intereſſe poſſit, 156. c. 548. d.
Eugenius IV. jura ſuæ ſedis noluit conculcare, 545. d. Concilium Bononiæ transferendo, nullam ſe conſtitutionem violaſſe contendit, 546. a. Non diſſolvit, ſed commutavit locum concilii Baſileenſis, ut commodius reformationi intenderet, 617. b.
Eugenius Juliano cardinali ſcribit, ut exeat Baſilea celebraturus in Germania concilium pro converſione Behemorum, 107. a. Mittit & epiſcopum Matiſconenſem ad concilium, ut patres inclinet ad concilium Bononiæ, 107. a.
Eugenius diſſolutioni concilii Baſileenſis laborat, 107. c. Eum ut revocet bullam diſſolutionis concilii Baſil. urget Sigiſm. imper. 61. a. Nec ab eo accipit reſponſum, 63. c. Eum hortatur Sigiſmundus, ut adhæreat concilio Baſileenſi, 222. a. Eugenii reſponſa ad legatos imperatoris, 226. e. Profecturus ad balnea in Apuliam præfert expectare imperatorem, 128. a. Mandat imperatori, ut non ſe ingerat de his quæ ad eum non pertinent, ad ipſum ſolum ſpectare, ut obediat ſummo pontifici, 129. d.
Eugenius, non obſtante diſſolutioni bulla, concilium Baſileenſe celebrari permittit, 536. a.
Eugenii papæ IV. epiſtola ad Sigiſmundum imperatorem, 110. e. Promittit oratores ſuos mittere ad concilium, 111. e. Eos mittit, 551. a. Concilio omnem favorem optat & promittit, 509. a. Ejus memoriale datum ſuis ad concilium Baſileenſe oratoribus, 551. d.
Eugenius IV. approbat concil. Baſileenſe, 581. c. 582. a. 890. b. 931. e. Et ei adhæret, 638. c. 667. c. 705. d. Petit a concilio revocari ea quæ in ipſum & ei adhærentes facta fuerant, 667. c. & ſeqq. Ejus juſſu ſe nullaterus violaturum promittit concilium Baſil. 890. c. Erga concilium Baſileenſe ut ſe geſſerit, 889. e. & ſeq.
Eugenius papa fecit quidquid voluit concilium, plus ſolito veneretur, 776. c. Ejus pia & ſancta intentio, 541. a. b. Oratores ſuos mittit ad tractandum cum concilio Baſileenſi de pace, 551. b. Facultas ab eo data ſuis nunciis ad tractandum de unione cum conc. Baſileenſi, 554. a. 556. b. Dat facultatem legatis componendi lites ortas occaſione electionum & nominationum ad beneficia, 802. a. & ſeq. Eius defenſionem ſuſcipiunt oratores regis Angliæ in concilio Baſileenſi, 629. a. Et adhærent Veneti, 697. b.
Eugenius IV. gratias agit concilio de libertate procurata cardinali S. Clementis & archiepiſcopo Tarentaſienſi, 737. a.
Eugenio papæ mittunt oratores Græci, 784. b. Cum eis tractat de reconciliatione eorum, 767. a. Ad quam ſemper fuit

propenſus,

propenſus, 769. c. Ad eam etiam antequam eſſet papa laboravit, 766. d. Significat concil. Baſileenſi quid egerit pro Græcorum unione, 738. c. & ſeq. 755. d. & ſeq. Quid cum Græcis & Armenis egerit Chriſtophorus Garganus declarat, 785. d. &c.
Eugenius certum facit concilium Baſileenſe de actis a ſe cum oratoribus Græcor. imperatoris, 805. b. & ſeq. Eoſdem ad concilium remittit, 805. c. Opinioni conc. Baſileenſis reliquit omnem viam accommodam reductioni, 834. a. Quæ pro Græcorum reductione facere debeat, 902. c. & ſeq.
Eugenius quam bene exceperit Sigiſmundum Romam venientem, 101. b. 103. c. Ab eo exigit juramentum ſolitum, 101. c. Eum imperatorem Romæ coronat, 886. c.
Eugenii papæ IV. articuli propoſiti regi Romanorum, 100. c. Pacta inter Eugenium IV. papam & Sigiſmundum imperatorem inita, 579. c. & ſeq.
Eugenius IV. mediator pacis inter Sigiſm. imperatorem & Venetos, 89. a. Offert duci Mediolanenſi opem & operam ſuam ad Italiæ pacem, 88. c. Pacis amator tractat pro pace inter Mediolanenſes & Venetos ac Florentinos, 128. c. Inter Venetos & imperatorem, 128. d. Nec vult eſſe partialis, 128. c. Bellum in Italia ſopivit, 101. c. Mittit legatos in Hiſpaniam & Franciam & ad alias mundi partes, ad procurandam inter principes pacem, 129. c. Regem Angliæ hortatur ad pacem, 818. c. In eccleſia Trajectenſi pacem ponit, 578. a.
Eugenii IV. bulla de concordia per ſuos nuncios in Britannia minori facta, tollendo cenſuras quas incurrerant ii qui Baſileæ poſt tranſlationem concilii remanſerant, 972. b.
Eugenius tranſfert Trecorenſem epiſcopum ad Maclovienſem eccleſiam, 714. a. Providet de epiſcopatu Autiſſiodorenſi, 583. c.
Eugenius IV. pecunias in regno Portugaliæ colligi curat pro reductione Bohemorum, 595. d.
Eugenium IV. induratum dicit imperator, 147. d. Mittit ad concilium ejus bullas, 535. b. Colligatur cum Venetis & Florentinis, 147. d. Cum Bononienſibus diſcordat, 148. a. Munit caſtra ſua, ibid.
Eugenius antiquam ſuæ ſedis ſanctitatem appetebat, 851. d.
Eugenium in his quæ Romani pontifices ſolent facere, nituntur impedire Baſileenſes, 953. c. Queritur quod in concilio plus privatæ utilitati, quam publicæ intendatur, 619. c. Cum tria præſertim in concilio ſint tractanda, 620. a. Mittit ad concilium Baſileenſe Ambroſium Camaldulenſem & Antonium de ſancto Vito, 819. c. c.
Eugenius nihil mandavit per quod videretur contraire decretis concil. Baſileenſis, 925. c. 926. b. Proteſtatio facta per ejus oratores, ne a ſacro concilio moneatur, 925. d. Recipit appellationes a ſententiis concilii ad ipſum factas, 933. d. &c.
Eugenius diſſolvit concilium Baſil. 992. b. Qua ratione illud reſciat, 651. c. & ſeq. Et dat concilium ſpatium ad revocandam concilii diſſolutionem, 558. b. De eo queritur, 647. c. & ſeq. Quo ordine in Eugenium papam proceſſit concilium Baſileenſe, 692. c. & ſeq. Accuſatur reſiſtere concilio Baſileenſi, 935. a. Nec bene ſentire in fide, 933. a. Avertit principes ne adhæreant concilio, 648. d.
Eugenio mittitur decretum de annatis, vacantiis & communibus ſervitiis, 843. d. Decretum de electionibus & de annatis contemnere dicitur, 909. d. Ut revocet attentata contra illud cum hortatur concilium, 935. d. Legationes ad eum quatuordecim a concilio, 910. b.
Eugenius publice requiritur ſuper obſervatione decretorum concilii Baſil. 845. b. & ſeq. Formula retractationis ab Eugenio faciendæ, 930. c. Citationis Eugenii decretum ſuſpendi orat Sigiſmundus imperator, 617. d. Suſpenditur ad preces imperatoris, 633. b. Illud etiam petit ſuſpendi Carolus rex Francor. VII. 633. d. Citatur & monetur nomine concilii Baſil. 135. c.
Proceſſus in Eugenium ut ſuſpendantur orat Sigiſmundus patres Baſileenſes, 166. c. 199. a.
Monitorium contra dominum papam Eugenium, 931. a.
Eugenii papæ IV. inimici in concil. Baſil. erant judices, 617. c.
Eugenius *Obairt* epiſc. Achadienſis, 1236. b.
Eugubinus epiſcopus Marianus Sabellus, 1232. b.
Euſtachius *de Bellay* epiſcopus Pariſienſis, 1230. c. Applicat Tridentum, 1258. d.
Euſtachius Calculi doctor medicus, orator ducis Burgundiæ ad concil. Baſileenſe, 788. d.
S. Euſtachii A. cardinalis, 163. d.
Euthitius *de Cos des* abbas pro titulo, 1237. a.
de Excommunicatione, 1393. a. 1544. c. Eſt formidanda, 1447. c. Non fiat ex levi cauſa, 1021. b. Nec niſi pro mortali peccato, 1310. c. 1416. c. In excommunicatione ultra menſem perſiſtens ut puniendus, 1508. c. Excommunicationem per annum ſuſtinens privetur beneficio, 1482. d. Sit ineligibilis, 1471. e.
Excommunicationis ſententias relaxantes ſine epiſcopi licentia excommunicentur, 1549. c.
Cum excommunicato nullus communicet, 1540. c.
Excommunicationes ſpernebant Huſſitæ, 151. a.
Exempla magis provocant ad imitandum, quam verba, 520. c. Cujus vita deſpicitur, prædicatio contemnitur, 544. c.
Exemtos ab impoſitionibus conceſſis epiſcopis eximit concilium Baſil. 220. b.
Exemti non dent litteras dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos, 1367. d.
Exemtiones tollendæ, 1310. a. 1416. a. Præſertim a tempore concilii Conſtant. 948. c.
Exercitus magnus adverſus Turcas congregandus, 1015. b. & ſeq.
Exigendum nihil pro ſpiritualibus, 1018. c.
Exorciſtarum officium, 1374. a.
Expectationes omnia confundunt, 1199. b.
Extremæ unctionis effectus, 1462. c. 1521. a. Poteſt reiterari, ibid. Et poſt eam reverti ad opus conjugale, 1544. d. Gratis conferatur, ibid.
Extremam unctionem contemnens, eccleſiaſtice non tradatur ſepulturæ, 1462. d.
Extremam unctionem negabant eſſe utilem Huſſitæ, 249. c.

F.

FAb. epiſcop. Spoletanus, 1050. c. 1054. d.
Fabius Mirtus epiſcopus Cajacenſis, 1229. d. 1442. b.
Fabius Cupallata epiſcopus Lachedonenſis, 1231. d.
Fabius Mingatellus epiſcopus Lucerinus, 1140. d.
Fabius Pignatellus epiſcop. Monopolitanus, 1236. a. 1442. a.
Fabricius Landrianus epiſcopus S. Marci, 1236. d.
Falſitores litterarum papæ & epiſcopi excommunicantur, 1509. d. 1549. d.
Falſum dicentes teſtimonium excommunicantur, 1509. d.
Falnenſis epiſc. Bartholus, 130. b.
Famagueſtani epiſcopi Hieronymus Ragazzonus, 1235. c. Philippus Bonus, 1237. a. 1241. b. 1238. b. Electus Hieronym. Ragazzonus, 1265. d. Coadjutor Hieronymus, 1269. c.
Familiares prælatis quot concedat concil. Baſileenſe, 249. b.
Faneuſes epiſcopi Hyppolitus Capilupus, 1234. c. Petrus Bettanus, 1140. b. Petrus, 1203. a. c.
Faventinus epiſcopus Johannes-Bapt. Sighicellus, 1236. c.
Fauſtus Caſtarellus epiſc. Fundanus, 1232. d.
Felicianus Ningarda orator epiſcopi Saliſburgenſis in concilio Trid. 1238. c. Admittitur ad concilium, 1264. c. 1266. a.
Felicianus de Ravenna theologus ordinis Servorum B. Mariæ, 1161. b.
Felix V. monetur & citatur in concil. Florentino, 962. b. & ſeq. Hortatur Carolum regem Francorum, ut prælatos regni ſui remittat ad concilium Baſileenſe, 993. a. Præſidet concilio Lauſannenſi, 995. d. Carolum VII. Francorum regem hortatur ad procurandam eccleſiæ unionem, 989. d.
Feltrenſes epiſcopi Johannes-Bapt. Campegius, 1234. b. Thomas Campegius, 1058. d. 1135. c. 1139. a.
Feminas in domo ſua non habeant clerici, 1461.
Feoda & homagia epiſcopi invadentes excommunicantur, 1549. c.
Ferdinandus Annius archiepiſcopus Amalphitanus, 1227. c.
Ferdinandus Pandolfinus epiſc. Trojanus, 1139. a.
Ferdinandus Cæſar, 1225. b. 1245. d. 1248. a. 1299. a. 1313. c. 1326. c. 1398. d.
Ferdinandus rex Romanorum, 1028. c. 1029. d. 1030. b. Boheniæ & Hungariæ, 1238. c.
Ferdinandi Cæſaris litteræ ad ſummum pontificem, 1324. b. c. Eum ad ſuſcipiendam coronam imperialem invitat Pius IV. 1354. c. Oratores mittit ad concilium Tridentinum, 1047. c. Acta inter eum & Moronem concilii Trid. præſidem in *Spruch*, 1351. d. Eum convenit Mantuæ duciſſa, 1320. a.
Ferdinandus Davalus marchio Peſcaræ, orator regis Hiſpaniæ ad concil. Tridentinum, 1255. d. In eo admittitur, 1256. a.
Ferdinandus Martinens Maſcarenius orator regis Portugaliæ in concil. Tridentino, 1227. a. Ejus adventus Tridentum, 1230. a. Admittitur in concilio, ibid. c.
Ferdinandus Minchaca decretorum doctor, 1238. b.
Ferdinandus Tritius doctor, 1238. a.
Ferdinandus Vellotillus doctor, 1238. a.
Ferentinus epiſcopus Sebaſtianus, 1203. a. c.
Feretrenſis epiſc. Ennius Maſſanus, 1231. a.
Fernandus epiſcopus Lucenſis, 130. a.
Ferrarienſis cardinalis, Pii IV. legatus in Gallia, 1350. c.
Ferrerius orator regis Franciæ verba injurioſa dicit in regem Hiſpaniæ, 1363. b.
Feſta de præcepto in diœceſi Montalbanenſi, 1761. c. & ſeqq. In diœceſi Sueſſionenſi, 1554. c. & ſeqq. In quibus abſtinetur a mechanicis operibus, ſed non a carneis, 1554. d. & ſeq.
Feſtum Brachiorum, 1021. e.
Feſulani epiſcopi Bracius Martellus, 1236. b. 1239. d. Non. Fu. 1441. d. P. 1269. b. Petrus Camalanus, 1231. c.
Fides quid ſit, 1076. b. & ſeq.
Fides perfecta qualis ſit, 1077. a. & ſeqq. Ad juſtificationem neceſſaria eſt, 1446. d. Non eſt omnium, 1110. c. In ſola Maria fuit tempore mortis Chriſti, 601. b.
Fides eccleſiæ Romanæ ſemper integra & pura fuit, 814. c. Quæſtiones de fide exortæ non poſſunt ſufficienter declarari, niſi per eccleſiam, 348. a.
Fidei formula pro Polonis, 1445. c. & ſeq.
A promovendis epiſcopis, magiſtratibus

& judiciibus profitenda, 1337. d. e. &c.
Ad firmam ecclesiæ non dentur, 1502. c. 1547. b.
Flagitiosos inter & facinorosos quæ differentia, 377. a.
Florentinus archiepiscopus Antonius Altovius, 1224. a.
Florentiæ cives seditiosi & novitatum cupidi, 939. a.
Florentinos inter & imperatorem negotium tractat Johannes cardinalis Rothomag. 533. d.
Florentini quinquaginta millia aureorum dant regi Franciæ adversus hæreticos, 1337. a.
Floracensis episcopus Presper, 1441. c.
Foretti comes Carolus, 864. c.
Fornicarii sacerdotes aut episcopi debent deponi, 566. c.
Forojulienses episcopus Johannes, 579. b.
Forolivienses episcopi Leo Ursinus, 1139. b. Simon Alentus, 1257. b.
Franciscanos ultra annum in purgatorio non remansuros docent mendicantes, 707. b.
Franciscus cardinalis S. Clementis, 51. c. 717. a. 801. b. 802. c. 809. c.
Franciscus Sfondratus episc. Amalphitanus & postea cardinalis, mittitur ad diætam Spirensem, 1038. b.
Franciscus Abondius episcopus Bobiensis, cardinalis, 1236. b.
Franciscus de Zabarellis cardinalis, 96. b.
Franciscus Baudinus archiepiscop. Senensis, 1138. d.
Franciscus Richardotus episc. Attrebatensis, 1232. b.
Franciscus Blanci episcop. Auriensis, 1233. a.
Franciscus episcopus Brixiensis, nuncius concilii Basil. ad papam, 737.
Franciscus *de Aguire* episcop. Cotronensis, 1233. d.
Franciscus Baccodius episc. Gebennensis, 1233. a.
Franciscus Maria Picolomineus episcopus Ilcinensis, 1231. c.
Franciscus episcopus Imolensis, 1441. e.
Franciscus *Delgado* episc. Lucensis, 1235. c.
Franciscus *Beauguere* episc. Metensis, 1232. d.
Franciscus Navarra episc. Pacensis, 1136. e. 1140. c. 1423. a.
Franciscus Lambertus episcopus Niciensis, 1230. c.
Franciscus Contarenus episcop. Paphensis, 1236. e.
Franciscus Galeanus episcopus Pistoriensis, 1141. c.
Franciscus *de la Valette* episcop. Vabrensis, 1236. b.
Franciscus *Bonvalet* abbas Luxoviensis, administrator Bisuntinensis archiepiscopatus, 1213. b.
Francisc. a Toleto orator Cæsareus in concilio Tridentino, 1073. c. 1075. c. 1138. a.
Franciscus a Castel-alto orator regis Rom. 1138. c.
Franciscus Ferdinandus Danalus orator regis Hispaniarum in concilio Tridentino, 1262. d.
Franciscus Ferdinandus *d. Avalos* marchio Piscariæ, orator regis Hispaniæ ad conc. Trid. 1227. b.
Franciscus *de la Conée* ducis Mediolanensis ad conc. Basil. orator, 64. d.
Franciscí de Capitibus *Liste* oratoris Venetorum oratio in conc. Basil. 666. a.
Franciscus de Castro-alto eques auratus ac Tridenti capitaneus, 1046. b. 1048. b.
Franciscus Romeus generalis ordinis Prædicatorum, 1137. c. 1142. a. 1159. c.
Franciscus Zamora generalis Minorum de observantia, 1237. d.
Franciscus Sanctius decanus facultatis theologicæ Salmanticensis, 1239. c.
Franciscus Alexandrinus doctor, 1046. b.
Franciscus *Foriero* doctor, 1238. c.
Franciscus Foretius Portugallensis, ordinis Prædicatorum, 1416. d.
Francisci Galli votum de præceptis legis, 1320. b.
Franciscus Horrera doctor, 1142. c.
Franciscus *Orantes* lector Valisoletti, 1239. a.
Franciscus de Patris ord. Minor. theolog. 1143. b.
Franciscus Salazar theolog. ord. Minorum, 1143. a. 1160. c.
Franciscus Senensis ord. Servorum theologus, 1144. b.
Franciscus Torensis doctor, 1237. d.
Franciscus *Vargues* doctor, 1142. c.
Franciscus Vargas, 1179. b. c.
Franciscus *Vysdim* ord. Minor. theologus, 1143. b.
Franciscus Vita ord. Carmelit. theologus, 1144. a.
Franciscus I. rex Francorũ, 1039. c. 1189. a. 1221. d. Invitatur ad conc. Trident. 1041. b. Mittit legatos ad illud, 1102. d. Ad eum mittitur legatus Martinus Grimani, 1038. d.
Franciscum regem Francorum & Carolum V. imperatorem ad pacem hortatur Paulus III. papa, 1035. a.
Francorum regum proprium tollere schismata, 989. a. Eorum singulare munus, ut assisterent Romanis pontificibus, ibid. Semper in obedientia Romanæ ecclesiæ permanserunt, 1400. c. Sunt baculus & firmamentum ecclesiæ Romanæ, 116. a. Summos pontifices & ecclesiam omni tempore protexerunt, 1220. d. Pro ecclesiæ pace & unione semper laborarunt, 946. d. 947. a.
Francorum rex fundator omnium ecclesiarum Galliæ, 1402. a.
Francorum reges Carolus V. 1401. b. Carolus VII. 101. c. 633. c. 977. a. 1401. b. Carolus IX. 1401. b. 1431. c. Franciscus I. 1221. d. Henricus II. 1195. d. 1195. b. 1202. e. 1219. d. Ludovicus, 1401. a. Philippus Pulcher, 1401. a. Philippus Valesius, 1401. a.
Fraternitates impugnant hæreticl, 407. b. & seq. 479. d. 482. d. Refutantur, 482. c.
Fridericus episcopus Basileensis, 996. c.
Fridericus Cornelius episcop. Bergomensis, 1235. a. 1269. c.
Fridericus episc. Ratisponensis, 1014. d.
Fridericus episc. Viennensis, 1048. b.
Fridericus episc. Wormatiensis, 955. c.
Fridericus *Fraspager* decanus Ratisponensis, licentiatus in decretis, 231. c.
Fridericus Pendasius doctor, 1239. c.
Fridericus rex Romanorum petit a Basileensibus patribus unum congregari indubitatum concilium, 959. c.
Fridericus imperator obedientiam restituit Eugenio IV. 981. b. & seq.
Fridericus II. vir Beatricis comitissæ Burgundiæ, 611. c.
Fridericus III. imperator, 981. c. Convocat diætam Ratisponensem adversus hostes religionis Christianæ, 1013. c. Ejus epistola ad Carolum regem Francorum, 977. a. Diætam Nurembergam indicit ad tollendum schisma, 977. a. 978. d. e.
Fridericus dux Austriæ, 765. d. 790. b. d. Eum ad pacem cum duce Burgundiæ ineundam hortatur concilium Basileense, 40. c.
Fridericus dux Mantuanus concilio Mantuano impedimentum ponit, 1026. b.
Fridericus dux Saxoniæ, 638.
Fridericus dux Saxoniæ & marchio Missnensis, 194. c.
Fridericus dux Saxoniæ excusat se, quod propter Hussitarum tumultus episcopum Missnensem ad concilium non miserit, 108. c. & seq.
Friderici ducis Saxoniæ causa cum Erico duce de *Lanvvenburg*, 746. c.
Fridericus lantgravius Thuringiæ orat patres Basileenses, ut causa Friderici ducis Saxoniæ cum Erico duce *de Lanvvenburg* remittatur ad forum sæculare, 746. c.
Fridericus lantgravius Thuringiæ petit corrigi nonnullos abusus in gratiam curatorum, 747. c.
Fridericus marchio Brandeburgensis, 7. c. 153. d. 194. c. 638. b. 955. c. 1014. d. Postea rex Poloniæ, 16. d. Salvum conductum mittit Bohemis, 172. a.
Fridericus comes de Veldencia, 128. c.
Fundanus episc. Faustus Castarellus, 1232. d.
Fuxensis cardinalis invadit comitatum Vaisensini, 592. d. & seq. Absolvam villam suæ subjicit obedientiæ, 593. a. Item, civitatem Carpentoratensem, 594. c. Et omnia loca comitatus, 594. d.

G.

Gabellæ solutio, 1216. c.
Gabriel Palæottus doctor cardinalis, 1257. c.
Gabriel *de Bonvert* episc. Andegav. 1219. c.
Gabriel *le Veneur* episc. Ebroicensis, 1229. c.
Gabriel de Monte S. Albini episc. Hesinus, 1232. b.
Gabriel de Ancona theologus eremitarum S. Augustini, 1161. a.
Gaddiensis episc. Hieronymus de Theodolis, 1236. a.
Gajacensis episcopus Fabius Mirtus, 1229. d.
Galeacius Florimantius episc. Aquinatensis, 1156. c. 1241. a. 1179. b.
Galeacius Roscius episc. Assisiensis, 1231. b.
Galeacius Brugora patricius Mediolanensis, 1256. a.
Galeacius Bosius auditor Rotæ, 1159. d.
S. Galli abbatem ad concilium Tridentin. invitat Paulus III. 1085. d.
Gallicanæ nationis protestatio in concilio Basileensi, 917. c.
Galliæ episcopi convocantur ad concilium Trident. 1423. d.
Galliæ regis oratorum petitiones in concilio Trid. 1273. c.
Galliæ regni calamitas sub Carolo IX. per Hugonottos, 1355. c.
Gardiensis episcop. Johannes-Bapt. Lomellinus, 1256. c. 1442. a.
Gardi abbas Johannes de Alneto, 540. c.
Gaspar Contarenus cardinalis legatus a latere ad imperatorem, 1031. d. Ejus obitus, ibid.
Gaspardus *Cervantes* archiep. Messanensis, 1224. c.
Gaspardus de Fosso archiepiscop. Reginus, 1228. d. Perorat in concilio Tridentin. 1246. c.
Gaspardus *de Cafal* episcopus Leirien sis, 1251. d.
Gaspardus Venturius ord. S. Augustin. theologus, 1143. d.
Gaspardus Cardillus doctor, 1239. a.
Gaspardus de Regibus theologus, 1142. d.
Gaspardus *Slick* imperatoris secretarius, 55. e. Burgravius Egrensis, vicecancellarius, 157. c. 237. d. 782. c. 723. c. 789. d. Imperatoris ad papam orator, 531. a.
Gaspardus Brognolus vir nobilis, 1046.
Gaspardus Maria tribunus plebis, 1119. c.
Gaufridus *de Pompadour* episcopus Carcassonensis, 776. a.
Gaufridus de Monte-electo abbas Lerinensis, 579. b. 719. c.
Gebennenses episcopi Franciscus Baccodus, 1233. a. Johannes *de la Rochetaillée*, 638. c. 721. c.
Geminianus de Prato auditor, 130. b.
S. Genovefæ abbatem judicem causarum suarum in secunda instantia petit universitas Parisiensis, 626. b.
Gentianus Hervetus theologus, 1142. c.
Genuensis archiepiscopus Augustinus Salvago, 1228. c. 1269. a.
Georgius Costagnola episcopus Milonensis, 1237. a.
Georgius Draskovitius episcopus Quinque-

ecclesiensis, orator Cæsareus ad concilium Tridentinum, 1217. a. 1233. c. 1245. d. 1398. c.
Georgius Andreaccius episcopus Regiensis, 1240. c.
Georgius *Zischowitz* episcopus Signensis, 1234. c.
Georgius Cornelius episcopus Tarvisinus, 1136. c. 1140. a. 1158. c. 1229. d.
Georgius Henuvartus electus Basileensis, 1283. c.
Georgius de Audelo decanus Basileensis, 1. b. 4. b.
Georgius orator imperatoris Græcorum ad Eugenium papam, 805. b. 806. d.
Georgius *de Rzezniez* Bohemorum deputatus ad conc. Basil. 246. c.
Georgius *Girard* doctor, 1239. b.
Georgius *Hochenwarter* doctor, 1238. e.
Georgius de S. Jacobo theologus, 1141. d.
Georgii de Trimollia camerarii epistola ad conc. Basil. 171. b.
Gerardus archiepiscop. Moguntinus, 1005. c.
Gerardus episcopus Apamiensis, 803. c. e. Translatus ad sedem S. Pontii Thomeriarum, 774. d.
Gerardus episcopus Conseranensis, 168. e.
Gerardus *Ibrand* doctor universitatis Heidelbergensis, 197. e.
Gerardus de Rossilione, 216. b. 217. d.
Germaniæ nationis encomium, 984. c.
Germania exemplar Christianæ religionis, 1178. d.
Germanica natio quam lata, 983. d. Hortatur archiepiscopum Moguntinum, ut personaliter accedat ad concilium Basil. 924. c. & seq.
Germaniæ episcopi ad conc. Basileense invitantur, 36. a. & seq. Facile se excusant a conc. Trid. 1284. b.
Germani petunt Generalium conciliorum celebrationem & eorum auctoritatem declarari, 984. c. Eorum protestatio super materia indulgentiarū in facto Græcorum, 798. c.
S. Germani a Pratis abbates eausarum suarum judices in terria instantia petit universitas Parisiensis, 626. b.
Germanus Bandinus archiepisc. Senensis, 1228. d.
Germanus imperator Græcorum, 1014. c.
Gerricus abbas *de Wengarten* & *Oelsenhausen*, 1213. b.
Gerundenses episcopi Benedictus, 1468. b. Petrus & alter Petrus, 1464. c. 1465. b. 1467. b. d. 1468.
Gerundensis ecclesiæ statuta synodal. 1460. c.
Ecclesiæ collegiatæ S. Stephani de Gyemo statuta, 1563. d.
Giemenses canonici tenentur facere tres septimanas, presbyteri, diaconi & subdiaconi, & per has divinis intersint, 1664. a.
Gilhennensis episcopus Petrus Paceus, 1138. a.
Gilbertus de Faieta marescallus Franciæ, 864. c.
Goicusis archiepiscopus totius Indiæ Portugalliæ regi subjectæ primas, 1289. d.
Gradensis patriarcha Blasius, 150. a.
Græcorum ecclesia magnam Christianorum multitudinem complectitur, 689. a. b. Latinæ per breve tempus conjunctæ, 688. d.
Græcos ad unionem hortatur Sigismundus imperator, 749. d. 751. b. 753. b. c. De eorum reductione spes maxima, 821. a. Non est facilis, 90. c. Quamvis ad unionem proni, 944. b. Quam optant, 673. b. Eam laudat cardinalis de Ursinis, 769. b. & seq.
Græci mittunt oratores ad Eugen. papam, 784. b. Romam veniunt de unione ecclesiæ cum Eugenio papa coram Sigism. imperatore tractaturi, 767. a. Ad suam reductionem petunt concilii & papæ consensum, 835. c. Ad eam propensius semper fuit Eugenius, 769. c. Fuit agitata coram eo, 755. d. & seq. Propositio coram summo pontifice super materia Græcorum, 833. d.
Græci petunt a papa fieri secum ambatum ecclesiarum C. P. 767. c. Ad eorum reductionem convocatio prælatorum, 884. a. & seq. Quid pro eorum unione fecerit Eugenius IV. significat concilio Basileensi, 739. a. & seqq. Eorum oratores ad concilium Basileense remittit Eugen. 805. c. 807. c. Eorum reductioni omnem viam accommodam reliquit Eugen. papa concilii Basileensis opinioni, 854. a. Ad eam via ab Eugenio proposita & conventa, 836. a. A concilio Basileensi non approbatur, ibid. b. Pro eorum reductione quæ concilium a papa exigat, 904. c. & seq.
ad Græcos litteræ ambaxiatorum concilii Basil. 820. b.
Græci legatos ad concilium Basil. destinare proponunt, 705. d.
Græcorum ante adventum ad concilium errores eorum discutiendi, 838. c. Ideo Græcorū tractatus perquirendi & emendandi, 901. c. Et Græcæ linguæ periti ad concilium vocandi, 901. c.
Græci unionem cum ecclesia Romana optaverunt, 678. c. d. Legatos conc. Basileensi benigne excipiunt, 678. d. Mittunt ad concilium, 679. a. In quo conveniunt cum Latinis, 680. d. Eos ad unionem hortatur Julianus cardin. 681. a. & seq. Eorum ambassiatorum oratio ad concilium Basileense, 684. a. Juliani cardinalis oratio ad Græcorum legatos ad conc. Basil. 674. a.
Græcorum unio non potest sequi ex concordatis in concilio Basil. cum eorum oratoribus, 805. c. 806. b. 807. a.
Græcorum oratorum litteræ ad alios Græcorum oratores existentes in conc. Basileensi, 784. d. Quæ eis jubeant, ut ea quæ in concilio fecerint, ut pote impossibilia, rumpant, 785. b. Eorum reductio impediri potest per acta conc. Basileensis in summum pontificem, 927. a. Pro unione tractanda capitula concordata cum eis, 807. c. Eis ad conc. venientibus facta promissa, 896. d. & seq. Pecuniæ expendendæ pro eorum unione, 896. a. & seq. 897. b. Quo modo possint haberi, 763. c. & seq.
Græcis in promissis defecit conc. Basileense, 965. a. Quid cum eis egerit Christophorus Garranus, 783. d.
pro Græcorum reconciliatione loca eligenda, 896. c. Eis offeruntur quatuor loca ad tractandum cum eis, in quæ transferetur concilium Basileense, 902. c.
Græcorum Venetias adventus, 943. c.
Græcorum imperator accedit Ferrariam, 944. c. d.
Græci petunt, ut ipsis cernentibus processio Spiritus a Patre & Filio declaretur in concilio generali, 757. a. Avisamenta pro facto Græcorum, 895. b.
Græcorum reconciliatio in concil. Florent. 965. c.
Græcorum reductioni præferenda exstirpatio hæresis Hussitarum, 90. d. & seq.
Græcorum & Latinorum unionem & pacem optavit concilium Basil. 678. a.
Græcorum imperator Johann. Palæologus, 673. a.
Granatensis archiepiscop. Petrus *Guervera*, 1248. a. 1244. d.
Grassensis ecclesiæ causa ad conc. Basileense delata, 915. c.
Gratiæ mirabilis effectus, 1111. d. & seq.
Gratiam ante omnia sitire oportet, 1110. c.
Gratiæ expectativæ, 949. b.
Gravamina de quibus conqueruntur Germani apud sedem apostolicam, 986. a.
S. Gregorii electio d' Mauritio imperatore confirmatur, 383. b. Fuit tuba Veritatis, 208. a. Quam liberalis fuerit in pauperes, 851. c. Prima concilia veneratur ut evangelia, 71. c. 840. b. 880. b.
S. Gregorius Armenorum apostolus, 641. a.
Gregorius V. papa, 611. c.
Gregorius XIII. papa, 1233. e.
Gregorius archiepisc. Strigoniensis, 47. c.
Gregorius Castagnola episcopus Mileusis seu Milonensis, 1141. c.
Gregorius Perfectus theologus ord. S. Augustini, 1163. d.
Gregorius Mediolanensis canonicus regul. theologus, 1160. d.
Gregorius miles orator Sigismundi imper. 921. b.
Gregorius de Cutia Bohemorum deputatus ad concilium Basil. 240. d.
Gregorius *Folken* miles, 1014. b.
Grossseti episcopus Jacobus, 1229. b.
Grossetani episcopi Jacobus Mignatellus, 1231. c. Marcus Antonius Campegius, 1239. c. 1178. d.
Guadixiensis episcopus Melchior *Avofmediano*, 1235. a.
Guarinus epist. Suessionensis, 1559. e.
Guerrezius de Marciano, 738. b.
Guilbertus *de Lamois* dominus *de Willerval*, 635. a.
Guillebertus *de Launoy* miles orator ducis Burgundiæ ad concilium Basil. 791. c.
Guido epist. Ambianensis, 1559. d.
Guido Ferrerius episcop. Vercellensis, cardinalis, 1236. c.
Guido Prænestinus episcopus papæ legatus, 1476. c. 1481. c.
Guido Flammoceti sacræ theol. professor, concilii Basileensis legatus in Angliam, 158. b.
Guido Faber orator regis Franciæ ad concilium Trid. 1227. c. In concilio Trid. orationem facit, 1264. b 1266. b.
Guido de Ponte-scisso dominus *de Talemer*, 635. a.
Guido Serrarii secretarius ducis Burgund. 635. b.
Guillelmus cardinalis S. Marcelli, 997. d.
Guillelmus *de Avansou* archiepiscop. Ebredunensis, 1228. d.
Guillelmus de Monteforti episcop. Maclovien. cardinalis, 762. c. 895. c.
Guillelmi *de Signelay* episcopi Autissiodorensis statura pro Giemo, 1663. c.
Guillelmus *Cassador* episcopus Barchinonensis, 1235. a.
Guillelmus a Prato epist. Claromontanus, 1239. c.
Guillelmus *de Montbas* epist. Lectorensis, 1229. c.
Guillelmi episcopi Montis-Albani statuta synodalia, 1159. e.
Guillelmus Sorberti episcopus Uticensis, 690. d. e. Et Carpentoratensis, ibid. e.
Guillelmus abbas Belli-loci, electus epist. Maclovien. 751. c. Præclaræ ejus dotes, 752. a. 753. c. 791. c. 811. c. Nepos Bertrandi famosissimi ducis sub Carolo VII. rege, 811. b. Electus Maclovis, 763. a. 893. c. 895. c.
Guillelmus *Bont* decanus Lovaniensis, doctor & papæ capellanus, nuncius in minori Britannia, 972. c.
Guillelmus Evrardi ambassiator universitatis Paris. ad conc. Basil. 4. a.
Guillelmus de Bononia theologus ordinis eremit. S. Augustini. 1162. b.
Guillelmus *Prot* ordinis Carmelit. theolog. 1144. a.
Guillelmi *Jouffeaume* retractatio seu revocatio errorum, 139. d. Concilii in eum sententia, 140. c.
Guillelmus dux Bavariæ, protector concilii Basileensis, 54. b.
Guillelmus de Menthone miles orator ducis Sabaudiæ ad conc. Basil. 638. c.
Guillelmus dux Mantuæ venit Tridentum, 1241. c.
Guillelmus marchio *de Hochberg*, 635. a.
Guillelmus dominus *Hoteberg* marchio *de Rothelyng & de Zuffenberg*, 785. d.
Guillelmus *Charlier* consiliarius, 864. d.
Guisii cardinalis adventus Tridentū, 1264. b.

Guiſiæ dux victoriam de hæreticis reportat, 1358. 1444. b. Ejus mors, 1314. d.
Gundulfus rex Burgundiæ, 214. d.
Guntherus archiepiſcopus Magdeburgenſis, 708. d.

H

Habitus canonicorum ſit modeſtus, non mundanus, 1486. a.
Habitus clericorum, 1460. c. Qualis eſſe debeat, 1497. d. 1535. a.
Hæreſes in aliquo angulo mundi inveniuntur; eccleſia per univerſum orbem extenditur, 109. c. Hæreſes invexit commercium cum hæreticis, 1454. c. Et negligentia paſtorum, 1451. b.
Hæreſis ſit ex verbis ſtrenue prolatis, 350. d. Nulla eſt, quæ in ſcriptura male intellecta non ſundetur, 350. e. Hæreſes præcipuæ per concilia generalia exſufflatæ, 48. c.
Hæreſiarchæ non convertuntur, 1148. b. Eorum libri noxii, 1453. d. Non ſunt tolerandi, 1459. a. Eorum ingenium, 1082. a. & ſeq. Cum eis licet diſputare, ut confundantur & convertantur, 646. c.
Hæretici appellant ad concilium, 1146. c. Sed parum curant de concilio quod petierant, 1147. c. Ad Tridentinum venire noluerunt, 1105. b. Eorum de papa pravæ ſententiæ, 437. b. & ſeq. Eos per judices laicos puniri jubet Pelagius papa, 384. b. Non ſunt occidendi, 378. d.
Hæreticorum cauſa belli motus in Galliis, 1431. c. d. Eis gratias conferre non debent principes, 1454. c. Sed ad pœnitentiam ſunt invitandi, 1148. a. Excommunicantur, 1509. c. Adverſus eos quantum laboraverit Sigiſmundus imperator, 86. b. & ſeq. Germaniæ & Galliæ pars, Britannia pene tota hæreſi infecta, 1189. a.
Hannoniæ comitiſſa Jacoba, 578. c.
Hartingus *Flux* miles ſtrenuus, 607. d.
Heidelbergenſis univerſitatis doctores mittit ad concilium Baſileenſe Ludovic. comes Palatini, 297. c.
Helena Conſtantiæ mater, 914. a.
Heliſæus Capis doctor, 1240. b.
Helvetiorum religio, 1443. b. Liberratis eccleſiaſticæ defenſores ſunt, 1085. d. Hæreticos in Gallia profligarunt, 1444. c.
Henricus archiepiſcopus Bituricenſis, 821. d. 823. a.
Henricus Siffridus epiſcop. Caput-aquenſis, 1139. d.
Henricus epiſcopus Monaſterienſis, 730. d.
Henricus abbas S. Ægidii de Nutemberga, doctor, 131. c.
Henricus abbas *Malbrun*, 1213. b.
Henricus *Virginer* miſſus a conc. Baſileenſi ad Græcos, 821. c.
Henricus *de Herpell.* orator archiepiſcopi Colonienſis, 955. c.
Henricus *de Beyne* officialis Baſileenſis, 4. b.
Henricus de Rupe præpoſitus Lauſanenſis, 635. c.
Henricus de Dinia canonicus Trevirenſis, 571. c.
Henricus *Menger* decretorum doctor, canonicus Conſtantienſis, conc. Baſileenſis ad Græcos ambaſſiator, 876. a. 878. a. b. 879. b.
Henricus de Gandavo doctor ſolemnis, 477. b.
Henricus de S. Hieronymo doctor, 1240. d.
Henricus Nitardus doctor, 69. a. 78. a. 150. c.
Henricus *Tok* canonicus Magdeburgenſis, 131. c.
Henricus II. rex Francor. 1188. b. 1202. c. Ei Antonius Filholi offert decreta concilii Tridentini, 1219. d.
Henricus II. rex Anglorum. 849. b.
Henricus VI. rex Angliæ, 996. d. 999. c. Eum hortatur Philippus dux Burgundiæ ad pacem, 863. c. Oratur ut mittat ad dietam Attrebatenſem, ad tractandum de pace, 817. d. e. Ejus reſponſio, 818. b. Graviter fert quod ad concilium non admittantur ejus oratores, niſi prævio juramento, 714. d. & ſeq. Improbat quod in papam cervicem Baſileenſes erigunt, 727. a. Et regnatur Eugenius, quod ejus oratores in concilio Baſileenſi cauſam ejus & defenſionem ſuſceperint, 629. b. Ejus litteræ ad concilium Baſil. 515. c. Ad cardinalem de Cypro, 859. a.
Henricus dux Brunſwicenſis mittit ad concilium Tridentin. procuratorem ſuum, commendatque cardinali Auguſtano epiſcopum Hildesheimenſem, 1427. d.
Herbipolenſes monet Julianus cardinalis, ut oppigneratas decimas redimant, 942. a.
Hercules Gonzaga cardinalis, præſes concilii Trid. 1226. c.
Hercules *Rektinger* epiſcopus Lavantinus, 1232. e.
Hercules Mareſcottus eques, 1160. b.
Hercules Mantuanus canonicus regularis, theologus, 1160. d.
Hercules Severolus procurator fiſcalis concilii Tridentini, 1060. c. 1099. b. 1142. b. 1157. c. 1161. c. 1170. b.
Hercules Malvetius comes, 1160. a.
Hermannus abbas Ebracenſis, 174. c. 179. a. 181. c.
Hermannus *Offenburg* miles miſſus a concilio Baſileenſi ad Sigiſmundum imper. 632. d. e.
Heſius epiſcopus Gabriel de Monte S. Albini, 1252. b.
Hiacinthini epiſcopi Johannes Franciſcus Commendonus, 1232. c. Johannes Petrus Delphinus, 1234. e.
Hidruntinus archiepiſcopus Petrus Anton. 1289. a.
Hierapetrenſis epiſcopus Hyppolytus Arivabenus, 1230. a.
Hieroſolymitanus patriarcha Anton. Ælius, 1227. d. 1244. c.
Hieronymus Alexander cardinalis miſſus legatus in Germaniam, 1019. e. Deſtinatus ad præſidendum concilio Vicentino, 1018. d.
Hieronymus Scripandus generalis eremitarum S. Auguſtini, 1137. c. 1142. a. 1159. c. Cardinalis præſes concilii Tridentini obit, 1226. c.
Hieronymus Vida epiſc. Albenſis, 1136. b. 1139. d.
Hieronymus epiſcopus Beanenſis, 1269. b.
Hieronymus Burgenſis epiſcopus Catalaunenſis, 1232. c.
Hieronymus de Pradis epiſc. Cortonenſis, 1236. d.
Hieronymus de Gaddis epiſc. Cortonenſis, orator Florentinorum in conc. Trident. 1227. d. Venit Tridentum, 1181. c.
Hieronymus Uloſcus epiſcopus Eventenus, 1254. b.
Hieronymus Ragazzonus epiſcopus Famaguſtanus, 1235. c. 1428. c.
Hieronymus Ragazzonus electus Famaguſtanus, 1265. d.
Hieronymus Famaguſtæ coadjutor, 1269. c.
Hieronymus de Theodolis epiſcop. Gadienſis, 1236. a.
Hieronymus Guerrinus epiſcop. Imolenſis, 1236. a.
Hieronymus Melchiorius epiſcopus Macératenſis, 1232. a.
Hieronymus Savorgnianus epiſcop. Sabinenſis, 1233. c.
Hieronymus epiſcopus Sereniceníis, 1269. c.
Hieronymus epiſcopus Seronenſis, 1269. c.
Hieronymus de Bononia epiſcopus Siracuſanus, 1236. d. 1240. d.
Hieronymus Gallieratus epiſcopus Sutrinus, 1234. d. Et Nepeſinus, 1269. b.
Hieronymus de Nichola epiſc. Theanenſis, 1233. a.
Hieronymus Fuſcherus epiſcopus Torcellanus, 1236. a. 1239. b.
Hieronymus Treviſanus epiſc. Veronenſis, 1235. c. 1254. c.
Hieronymus *de la Serrebiere* abbas Clarevallis, 1237. a.
Hieronymus Francus nuncius Pauli III. ad Helvetos, 1083. a.
Hieronymus de Oſcaſtro theologus, 1141. d. Orator regis Portugalliæ in concilio Trid. 1061.
Hieronymus provincialis Lombardiæ ord. Carmelit. 608. c.
Hieronymus theologus ordin. Prædicator. 1142. e.
Hieronymus Bononienſis, ord. Servorum theologus, 1144. b.
Hieronymus Bravi theologus, 1237. d.
Hieronymus Girellus ord. Min. theologus, 1143. d.
Hieronymus Lombardellus theolog. 1141. c.
Hieronymus de Rubeis theologus ordinis Servorum, 1161. b.
Hieronymus de Summa-ripa ord. Servorum theolog. 1144. b.
Hieronymus de Venetiis ordin. Minorum, 1160. e.
Hieronymus *Gamber* notarius conc. Trid. 1142. c.
Hieronymus Fracatorius medicus concilii Trid. 1226. d.
Hieronymus de Praga ordinis Camaldul. doctor decretor. 608. d. 942. d.
Hieronymus de Praga Conſtantiæ combuſtus, 20. c. 599. c. Juſte condemnatus, 606. a.
Hildesheimenſem epiſcopum commendat cardinali Auguſtano dux Brunſwicenſis, 1428. b.
Hipporegienſis epiſcopus Philibertus Ferrerius, 1138. c.
Hiſpani epiſc. jubentur non intereſſe congregationibus, ſi papa, durante concilio, moriatur, 1417. d. Ultimam ſeſſionem concilii Tridentini protrahere tentant, 1416. d.
Hiſpaniarum regis orator ex Mediolano venit Tridentum ut interſit ſeſſioni, 1261. e.
Hiſpaniarum reges inter ſe bello contendunt, 142. c.
Hiſpaniarum rex Philippus, 1326. c.
Hollandiæ comitiſſa Jacoba, 578. c.
Homagia epiſcopo debita celantes excommunicantur, 1549. c.
Homicidas occidere non eſt ſanguinis effuſio, ſed legum miniſterium, 442. b.
Homo non regitur poteſtate & voluntate, ſed arte & ratione, 426. d.
Honoratus Faſcitellus epiſcop. Inſulanus, 1231. e.
Horatius epiſcopus Leſinenſis, 1231. d.
Hortanenſis epiſcopus Scipio, 1442. a.
Hoſpitalitas in monaſteriis reſtituenda, 1308. c.
Hoſtiæ in miſſa elevatio, 1518. c.
Hoſtiæ transformatæ fumantur aut totaliter occultentur, 1008.
Hoſtiæ non conſecratæ pueris non dentur, 1541. a. Mulieribus poſt partum ſe purificantibus datæ, 1541. b.
Hugo Boncompagnus epiſcopus Veſtanus, factus papa Gregorius XIII. 1233. c.
Hugo S. Sabinæ presbyter cardinalis, 1473. c.
Hugo cardinalis de Cypro legatus concilii Baſil. ad dietam Attrebatenſem, 861. d. 863. b.
Hugo d'*Orges* archiepiſc. Rothomagenſis, 533. e.
Hugo Cabilonenſis epiſcopus tranſlatus ad ſedem Rothomagenſem, 868. b. Pallium ob non ſolutas integras annatas ei denegatur, 868. d. Ab archiepiſcopo Lugdunenſi illud recipere jubetur, 869. a.
Hugo epiſcopus Peneſtrinus, 31. c.
Hugo Galliaci de Peruſio abbas, 130. b.
Hugo prior S. Albani Baſileenſis, 4. b.
Hugo *Boucompagne* abbreviator, 1142. b. 1161. c.
Hugo de Villafranca miles, Sigiſmundi imperatoris legatus ad reges Hiſpaniarum, 66. a.

Hugonotorum hæresis, 1254. c. Magnam regni Franciæ partem inficit, 1351. c. In Gallia vincuntur, 1301. d. e. 1303. b. Cum eis pacisciter rex Franciæ, 1326. c. Eis pacem invitus dat, 1355. d. 1356. d.
Humiliatorum generalatus administrario commissa archiepiscopo Mediolanensi a concilio Basil. 650. b.
Humfridus dux Glocestriæ, filius, frater & patruus regum, concilio Basileasi suam promittit protectionem, 158. c. & seq. Ejus epistola ad conc. Basil. 816. c.
Hungariæ regni jura usurpant Veneti, 89. a.
Hungariæ regnum invadunt Hussitæ hæretici, 45. b. 46. b.
Hungariam invadit Turca, 1032. e. 1056. a.
Hungariæ reges Jacobus, 803. c. Ladislaus, 161. c. Ludovicus, ibid. Sanctus Stephanus, ibid.
Hungariæ rex coronatur Maximilianus rex Romanorum, 2398. d.
Hussitæ episcopos & presbyteros damnant tamquam otiosos, 25. c. Eos de mendacio notant, 25. c. Quod recte non ministrent corpus Christi, 25. c. Quod injuste judicent, 26. a. Quod in confessionibus necessariam ergo peccantes rigorem non teneant, 26. b. Quod habeant usuras & perpetuos census, sicut magni principes, 26. c. Quod decimas exigant, 26. d. Quod ab ordinandis exigant patrimonium, 23. b. Quod de ordinandis recipiant pecunias, 23. b. Quod presbyteri sacerdotium accipiant propter otiosam vitam, 23. b. Quod papa & ejus sacerdotium excommunicent, 23. c. Improbant preces pro mortuis, 23. c. &c. Superbas episcoporum vestes, 24. d. Eos de avaritia damnant, & quod sacramenta vendant, 24. c. Item, de incontinentia, 25. a. Quod regnet in monasteriis invidia, unde concludunt monachos expellendos, 25. b. Purgatorium negant, & cultum B. Mariæ damnant, 22. c.
Hussitæ in rebus bonis papæ obedientiam debitam agnoscunt, 22. c. In episcopos inveniuntur, 17. c. & seq. Provocant episcopos & doctores ad pugnam litterariam, 21. a.
Hussitarum tumultus, 109. a. 110. b.
Hussitæ quanta perpetraverint mala, 22. d. e. 72. d. & seq. Eorum crudelitas, 73. a. Monasteria appellant scholas hæreticorum, 22. c. Destruunt monasteria, & religiosos pro hypocritis habent, 22. d. Regnum Hungariæ invadunt & vastant, 45. b. Extirpatio Hussitarum præferenda Græcorum reductioni, 90. d. & seqq.
Hussitæ a Catholicis Hungaris victi, 45. c. d. 91. c. d. 716. c. Optant non dissolvi concilium, 81. b.
Hyppolitus Capilupus episcopus Fanensis, 1234. c.
Hyppolytus Arivabenus episcopus Hierapetrensis, 1230. a.
Hyppolitus Papiæ coadjutor, 1269. c.
Hyppolitus de Rubeis episcopus Papiensis, 1235. c.

J.

Jacensis episc. Petrus Augustinus, 1230. a.
Jacoba ducissa Bavariæ scribit concilio Basileensi pro pace ecclesiæ Trajectensis, 577. a.
Jacobus Sadoletus cardinalis legatus a latere ad regem Francor. 1031. d.
Jacobus Simonetta cardinalis destinatus ad præsidendum concilio Vicentino, 1028. d.
Jacobus archiepiscop. Ebredunensis, 130. b. c. Pro feudis & regalibus sacramentum præstat Sigismundo regi Romanor. 152. a. Romam vadit tractaturus de pace inter ipsum & concilium, 147. c. Quædam capitula offert Eugenio IV. papæ, 154. a. & c.
Jacobus Cruchus seu Coccus archiepiscop. Coreyrensis, 1238. d. 1258. b.
Jacobus *Streb* præpositus ecclesiæ Herbipolensis, postea archiepiscopus Trevirensis, 572. b. 942. a. c. 955. c. Ejus electionem irritat Martinus V. 572. c.
Jacobus episcopus Adrien sis, 130. b.
Jacobus Ghibertus episc. Alifanus, 1235. c.
Jacobus Silverius Picolomineus episcopus Aprutinensis, 1231. d.
Jacobus Jacobellus episcopus Bellicastrensis, 1236. c. 1240. c. 1159. a.
Jacobus Nardantes episcopus Clodiensis, 1141. b. 1230. a. 1269. a.
Jacobus Mignatellus episcop. Grossetanus, 1231. c. 1269. b.
Jacobus Ponzettus episcopus Malfaitensis, 1159. a.
Jacobus Lomellinus episcop. Mazarensis, 1233. b.
Jacobus Suretus episcop. Miloporamensis, 1232. d.
Jacobus *du Chastellier* episcop. Parisiensis, 113. d. c. 115. a.
Jacobus Guidius episcopus Penuensis & Adriensis, 1235. c.
Jacobus episcopus Suessionensis, 1559. d.
Jacobus Corterius a Prato episcop. Vasionensis, 1236. b. 1139. c. 1158. c.
Jacobus Maria Sala episcopus Vivariensis, 1232. b.
Jacobus Hugonis doctor, procurator episcopi Trecorensis in concilio Tridentino, 1237. c.
Jacobus Hurtadus de Mendocia, orator Cæsareus, comparet in concil. Trident. 1045. c. Ægrotat Venetiis, 1074. b.
Jacobus de Ligneriis orator regis Franciæ ad conc. Trid. 1102. c. c. 1138. b.
Jacobus Alberti canonicus Ebredunensis, legatus concilii Basileensis ad Johannam reginam Siciliæ, 628. b.
Jacobus *de Sirck* concilii Basil. ad papam nuncius, 64. b. 166. b. Protonotarius, 199. a.
Jacobus de Gaudiaco vicarius Narbonensis, 776. a.
Jacobus Alani doctor, 1241. a.
Jacobus *Lainez* generalis Soc. J. 1142. c. 1236. b.
Jacobus Maliseti ord. Minorum theologus, 1143. a.
Jacobus de Monchis theolog. ord. Minor. 1160. c.
Jacobus a Payva *de Andrade* doctor theologus, 1238. d.
Jacobus protonotarius, 221. c.
Jacobus Alberti litterarum concilii Basil. executor, 162.
Jacobi de Cressentiis testimonium de morbo contagioso Tridenti vigente, 1124. c.
Jacobus rex Hungariæ, Jerusalem & Siciliæ scribit adversus electum S. Pontii Thomeriarum, 803. a. & seq.
Jacobi regis Scotorum epistola ad abbatem de Dourdrana, 615. b.
Jacobus marchio Badensis, 528. c.
Jacobus Arseus eques, 1260. c.
Jacobus Venantius eques, consul Bononiensis, 1159. c.
Jadrensis archiepiscopus Marius Callinius, 1224. c. 1269. a. Vir doctus & prudens, 1285. c.
Januenses condemnati ad restitutionem casteti de Antipoli, 934. a. Gratias agunt concilio Basileensi de liberatione Baptistæ de Flisco & Amphrionis Spinulæ, 936. a.
Januensis episcopus Petrus, 43. a.
Javastaus *Longevventitz* nepos regis Poloniæ & ducis *Swidrigal*, 576. d.
Jaurinensis episcopus Clemens, 47. c.
Idola per quem inventa, 455. d.
Idolorum cultura a quibus manavit, 1090. c.
Jejunia ab ecclesia præcepta, 1543. c. Sunt observanda, 1181. c. 1524. c. Ea spernebant Hussitæ, 150. c. Die dominica jejunant Manichæi, 299. c.
Jejunium in festo S. Marci, 1554. c. In vigilia Ascensionis, 1555. d. A concilio Basileensi præscriptum, 243. b. Ante concilium Tridentinum, 1015. c. Sacerdos non comedat ante primam, 1540. b. Jejunia remittenda, 1426. c.
Jephte an sacrificaverit filiam suam, 450. b. & seqq. Indiscretus fuit in vovendo, & impius in adimplendo, 450. c.
Jerasensis episc. Tiberius de Muris, 1140. b.
Jerosolymitanus episcopus Isaac, 757. d.
Jerosolymitanus patriarcha Anton. Elius, 1253. a.
Jerusalem rex Jacobus, 803.
Ignorantia omnium errorum mater, 331. c.
Ilcinensis episcopus Franciscus Maria Piccolomineus, 1231. c.
Ilerdenses episcopi Antonius Augustinus, 1233. d. 1254. b. Dominicus, 137. c. 138. c. 143. a.
Imagines & picturæ idiotas instruunt, 489. c. 490. a. In imagine honorantur illi quos repræsentant, 492. d.
Imagines Christi & sanctorum Deos non appellamus, 492. c. Eas confringebant Hussitæ, 250. b. Earum venerationem damnant, 488. a. & seqq. Defenditur, ibid. c. & seq. 1448. c.
Imaginum cultus datur examinandum patribus Tridentinis, 1415. d. 1417. c. In eo tolluntur superstitiones, 1310. c. Decretum octavæ synodi de colendis imaginibus, 491. a. b. Imaginum cultum rejicientes excommunicantur, 491. c.
Immunitas clericorum adversus principes, 1391. c. c.
Immunitatis ecclesiasticæ brevius decretum reformatum, 1413. b.
Immunitates ecclesiasticas violantes excommunicantur, 1496. a.
Imolenses episcopi Franciscus, 1441. c. Hieronymus Guerrinus, 1236. a. Petrus, 71. c.
Imperator bis aut ter in vita tenet curiam suam, 612. b.
Imperator in certis casibus concilium potest convocare, 96. c.
Inter sacerdotium & imperium sit indissolubile unionis vinculum, 777. a.
Imperator Trapezuntis, 739.
Incendiarii excommunicantur, 1510. c.
Incensum prius ecclesiasticis oratoribus, deinde laicis datur, 1250. d.
Indici librorum prohibitorum deputati, 1251. c.
Indulgentiâ est relaxatio pœnæ debitæ, 478. d. Fundata in thesauro infinito meritorum Christi, 479. c. Et in scripturis, 480. a. Earum cultus examinatur, 1415. c. Eas reprobant hæretici, 399. c. & seq. 403. c. & seq. 479. a. & seq. Ac præsertim Hussitæ, 251. a. Qui eas pro mendaciis habent, 19. d. Respondetur ad eorum argumenta contra indulgentias, 481. a. & seq. Ad earum collationem tria debent concurrere, 480. d.
Indulgentia plenaria concessa pro felici successu concilii Tridentini, 1015. a. &c. 1058. b. Pro pace publica & adversus hæreses a Paulo III. concessa, 1104. c.
Indulgentiæ visitantibus ecclesias per quadragesimam concessæ, 1252. d.
Indulgentiæ concessæ pro conferentibus expensas necessarias ad Græcorum reductionem, 837. d. Alias indulgentias interim suspendere papa cogatur, 838. b. Protestatio Germanorum super materia indulgentiarum in facto Græcorum, 798. c.
Infantes non jaceant in lecto, 1541. b.
Infirmorum nomina describant exorcistæ, 1374. b.
Innocentius II. Lotharii imperatoris opem implorat, 891. c.
In propriis injuriis patientiam habere laudabile est, injurias autem Dei dissimulare impium est, 371. c.
Instructio puerorum præcepta, 1537. c.
Instructio populi qualis esse debeat, 1521. a.

Iuſulanus epiſcopus Honoratus Faſcitellus, 1231. c.
Interamnenſis epiſcopus Johannes Jacobus Barba, 1230. c.
Interdicti tempore nullus laicus præſumat aliquem ſepelire cum aliqua ſolemnitate, 1468. b.
Interdicti ſententiam ſine epiſcopi facultate nullus relaxet, 1549. c.
Interdictum non obſervetur in locis, ubi Bohemi venientes ad concil. Baſileenſe, divertent, 97. a. 133. b.
Inventoria bonorum habeantur in eccleſiis, 1503. c.
Inveſtituras beneficiorum a laicis recipi vetat Simplicius papa, 384. a.
Invocatio ſanctorum, 1448. b. Damnata ab Huſſitis, 250. b. c.
Inundatio ingens in Bohemia, 149. b.
Inundatio aquarum maxima in Praga, 28. b.
Joachim abbas, 437. d.
Joachimus abbas eremitarum & orator cantonum Catholicorum Helvetiorum advenit Tridentum, 1255. e.
Joachimus Unicornius orator Helvetiorũ in conc. Trid. 1260. a.
Johanna regina Siciliæ ſpondet ſuum exẽa concilium Baſileenſe favorem, 628. a. & ſeq. Ei ſua decreta mittit concilium Baſileenſe, 628. b.
Johannes papa XII. in concilio citatus, 647. d. Per Ottonem I. imperatorem deponitur, 383. c.
Johannes XXIII. vage profugit, ut Ladiſlai manus effugeret, 853. e. Pro vero papa in concil. Conſtantienſi habebatur, 661. a. Ejus fugã concil. Conſtantienſe non diſſolvitur, 645. d. 646. e.
Johannes cardinalis S. Angeli, 1010. c.
Johannes cardinalis S. Calixti, 957. d.
Johannes cardinalis S. Lautentii in Lucina, 50. c. 801. a. 802. d.
Johannes Maria Prænestinus cardin. 1049. c. 1135. c. 1137. d. Creatur præſes concilii Tridentini, 1031. c. 1032. d. 1033. d. e. 1043. c. 1044. a. 1045. c. Revocatur, 1056. c. Ei mandat papa ut aperiat concilium, 1057. d. Præſt concilio Trid. 1118. e. 1158. a. Exhibet concilio bullam Pauli III. facultatem concedentis transferendi concilium Trident. 1134. b. & ſeq. Accedit Bononiam, 1144. c. Ibi incipit concilium, 1145. a. b.
Johannes Moronus cardinalis mittitur legatus ad Carolum V. imperator. 1038. d.
Johannes cardinalis S. Petri ad Vincula, 756. b. 920. b. Rabano archiepiſc. Trevirenſi commendat Nicolaum de Cuſa, 951. c. Creatur legatus a latere ad conc. Baſil. 800. d. 801. c. 809. c.
Johannes cardinalis S. Sixti, 51. e. 804. b. 802. d. 809. c.
Johannes Franciſcus Commendonus epiſc. Hiacinthinus, cardinalis, 1232. c.
Johannes de Ropeſciſſa cardinalis archiep. Rothomagenſis, 533. c. Et Biſuntinus, 721. c. S. R. I. princeps, 533. c. Excuſatur quod non acceſſerit ad concilium Baſileenſe, 533. c. Tractat negotium inter imperatorem & Florentinos, 533. d.
Johannes patriarcha Antiochenſis, 821. d. 823. a. 825. c.
Johannes Triviſanus patriarcha Venetiarũ, 1227. c. 1234. a. 1262. b. Ejus adventus Tridentum, 1245. c.
Johannes Brunus archiepiſc. Antibarenſis, 1224. b.
Johannis archiepiſcopi Eboracenſis epiſtola ad conc. Baſil. 145. c.
Johannes Michael Saracenus archiepiſcop. Matetanus & Acherontinus, 1135. d. 1158. b.
Johannes Baptiſta Caſtaneus archiepiſcopus Roſſanenſis, 1228. b. 1244. c.
Johannes Baptiſta Urſinus archiepiſcopus S. Severinæ, 1224. b.
Johannes archiepiſcopus Tarentinus, 112. c. 149. c. 806. d. 859. a. Inſtituitur præſes concilii Baſileenſis, 586. a. & ſeqq. 589. d. Ei præeſt, 738. d. 783. c. Monetur a concilio, 821. a. 823. b. Ipſe & Petrus Paduanus epiſcopus proteſtantur, pe Eugenius papa a concilio publice monetur, 915. d.
Johannes Fabricius Severinus epiſc. Acerenſis, 1234. c. 1269. b.
Johannes Baptiſta de Bernardis epiſcopus Adiacenſis, 1230. d.
Johannes Bercoaldus epiſcopus S. Agathæ, 1230. c. 1262. b.
Johannes Baptiſta Cicada epiſcop. Albiganenſis, 1137. a. 1141. b.
Johannes Franciſcus Piſco epiſcopus Andrienſis, 1229. a.
Johannes Paulus Ananius epiſcop. Anglonenſis, 1234. c.
Johannes epiſcopus Armenorum, 640. b.
Johannes Jacobus Barba epiſc. Aprutinus, 1141. c.
Johannes Carolus epiſcopus Aſturicenſis, 1141. d.
Johannes *de Morvilliers* epiſc. Aurelianenſis, 821. d. 1231. d.
Johannes epiſcopus Aurienſis, 632. d. e.
Johannes epiſc. Briocenſis, 575. d.
Johannes Bernardus Dias epiſc. Calaguritanus, 1141. b. 1423. a.
Johannes *de Guignones* epiſcop. Calaguritanus, 1234. b.
Johannes Coloſſarinus epiſc. Canadienſis, 1236. b. 1257. c. 1262. c.
Johannes Fonſeca epiſcop. Caſtelli-maris, 1136. c. 1140. a. 1423. a.
Johannes Thomas de S. Felicio epiſcopus Cavenſis, 1229. b.
Johannes Thomaſius Cavenſis epiſcopus, 1031. c.
Johannes Franciſcus Verdura epiſcop. Chironenſis, 1231. a.
Johannes *Xuares* epiſcopus Coimbricenſis, 1230. b.
Johannes Antonius Ulpius epiſc. Comenſis, 1234. a.
Johannes epiſcop. Curienſis, 234. c. 607. d.
Johannes Baptiſta Sighicellus epiſc. Faventinus, 1236. c.
Johannes Baptiſta Campegius epiſcop. Feltrenſis, 1234. b.
Johannes epiſcopus Forojulienſis, 579. b.
Johannes Baptiſta Lomelinus epiſcop. Gardienſis, 1236. c. 1442. a.
Johannes Jacobus Barba epiſcop. Interamnenſis, 1230. c.
Johannes *de la Rochetaillée* epiſcopus Gebennenſis, 638. c.
Johannes Petrus Delphinus epiſc. Hiacinthenſis, 1234. c.
Johannes *Antulines de Britiamo de la Riberæ* epiſc. Juvenacenſis, 1231. a.
Johannes Salazar epiſc. Lancianenſis, 1136. d. 1140. d. 1422. c.
Johannes de Prangino epiſcop. Lauſanenſis, 933. c.
Johannes Antonius Pantuza epiſc. Litteracenſis, 1230. b.
Johannes epiſc. Lubicenſis, 874. b.
Johannes Baptiſta Campegius epiſc. Majoricenſis, 1139. d. 1158. d.
Johannes Baptiſta Milaneſius epiſc. Marſicanus, 1236. c.
Johannes Andreas Bellonius epiſc. Maſſalabrunenſis, 1234. e.
Johannes *Macet* epiſcopus Matiſconenſis, 239. c. 560. b. 759. c. Nomine papæ pacem in eccleſia Trajectenſi facit, 578. a. 714. d. Miſſus ab Eugenio IV. ad conc. Baſileenſe, ut patres inclinaret ad celebrandum Bononiæ concilium, 107. a.
Johannes Petrus Ferreus epiſc. Milenſis, 1023. d. 1140. e. 1159. a.
Johannes Vincentius Michachus epiſcopus Minerbienſis, 1229. c.
Johannes epiſcopus Miſnenſis theol. profeſſor, 108. d. 109. b.
Johannes Antonius Faſchinettus epiſcopus Neocaſtrenſis, 1234. c.
Johannes *de Mailly* epiſcopus Noviomenſis, 113. d. c. 115. a.
Johannes Caroluſ Boſſius epiſcopus Oſtunenſis, 1233. c. 1269. b.
Johannes Campegius epiſcop. Parentinus, 1136. c. 1140. b.
Johannes Baptiſta Oſius epiſcop. Reatinus, 1232. d. 1515. c.
Johannes Baptiſta de Groſſis epiſcop. Regienſis, 1230. b.
Johannes Lucius Staphileus epiſc. Sabinenſis, 1136. a. 1139. b. 1158. c.
Johannes *de Mountatonet* epiſc. Segobienſis, 1233. a.
Johannes *Clauſſe* epiſc. Senecenſis, 1235. c.
Johannes Andreas Crucius epiſc. Tiburtinus, 1231. c.
Johannes Delphinus epiſcop. Torcellanus, 1236. c.
Johannes Urſini epiſc. Trecorenſis, 1237. c.
Johannes de S. Emiliano epiſc. Tudenſis, 1239. a.
Johannes *de Pottiers* epiſcop. Valentinus, rector comitatus Vaineſini, quem tuetur adverſus Fuxenſem cardinalem, 593. c.
Johannes Matthæus epiſcopus Veronenſis, 1031. c.
Johannes Carolus *Viſcontes* epiſcop. Vintimigliarum, 1289. a.
Jo. epiſcopus Zagrabienſis Sigiſmundum monet de liga inter Polonos & Bohemos adverſus Teutonicos & Germanos, 164. c. & ſeq.
Johannes Gottardus doctor ſuffraganeus epiſcopi Ratiſponenſis, 1238. c. Et ejus procurator in conc. Trid. 1285. d.
Jo. Sancti abbas S. Mariæ *de Arnas*, miſſus ad regem Portugalliæ a conc. Baſileenſi, 595. d.
Johannes Richardi abbas S. Audoeni Rothomagenſis, 744. b.
Johannes abbas de Bona-valle, 150. c.
Johannis abbatis de Buzaio oratoris ducis Britanniæ oratio in concilio Baſileenſi, 911. a.
Johannis de Alneto abbatis Ciſtercienſis oratio pronunciata in concil. Baſileenſi ante reſponſionem ad articulos Bohemorum, 340. b.
Johannes abbas Ciſtercienſis captus & ſpoliatus, 950. c.
Jo. abbas S. Matthiæ Trevir. 955. d.
Johannes *de Varrait* prior *de Arquedas*, 1046. b.
Johannes *Eſquibem* prior in *Iſſeim* ordinis Cluniac. 3. c.
Johannes *Baubeſten* decretorum doctor, orator concilii Baſileenſis ad Eugenium papam, 845. b. 910. b.
Johannes de Fruino theſaurarius eccleſiæ Biſuntinæ, 591. c. 635. b. 785. d. Decanus Biſuntinus, orator ducis Burgundiæ ad conc. Baſil. 788. c.
Johannes *Lavantage* præpoſitus Inſulenſis, orator ducis Burgundiæ ad conc. Baſil. 788. c.
Johannes de Mella referendarius & orator papæ ad concilium Baſil. 550. d. 551. b. 554. b. 556. b. 586. a. 589. d. Ejus nomine perorat in concilio, 538. d.
Johannes de Monte canonicus Leodienſis, miſſus a Sigiſmundo imper. ad papam, 80. e.
Johannes *Perling* legatus ducis Lithuaniæ ad concilium Baſil. 623. a.
Johannes de Prato decretorum doctor, papæ cubicularius & nuncius ad concilium, in carcere detentus, 149. d. e.
Johannes de Seybello orator ducis Sabaudiæ ad conc. Baſil. 632. c.
Johannes *de Roſenberg* regni Bohemiæ baro, & Sigiſmundi ad papam legatus, 66. a. 84. c. 126. c.
Johannes Strozius orator Florentinorum in concilio Trid. 1227. b. d. 1262. c. 1381. d. Advenit Tridentum, 1255. d. Admittitur in conc. 1256. c.
Johannes *de Swythow* imperatoris ad papam orator, 531. a.
Johannes legatus concilii Trid. 1406. b.
Johannes Calvus generalis ord. Minorum de obſervantia, 1141. a.

Johannes Baptista Milliavacca generalis servorum, 1237. b.
Johannes Fulgineus provincialis provinciæ S. Ant. de Padua, 1143. b.
Johannes *Contigueu* doctor, prior, procurator ordinis Cluniac. 1239. b.
Johannes Antonius ord. Servorum theol. 1144. b.
Johannes Bergomensis lector theologiæ in gymnasio Papiensi, 1141. b.
Johannes Bernerius ordin. Minor. regens Bononiensis, 1143. c.
Johannes *Cacon* doctor, 1240. a.
Johannes de Caparellis Pratensis decretorum doctor, 50. c. Bullam Eugenii de dissolutione concilii Basileensis promulgat Basileæ, 57. a.
Johannes *de Casthongne* doctor, 1240. a.
Johannes Baptista Castellus promotor concilii Trid. 1237. c. 1278. d.
Johannes Cavillonius Jesuita, 1238. d.
Johannes Consilii doctor Parisiens. 1143. a. 1160. c.
Johannes de Corrigia ord. Min. theolog. 1143. b. Regens Bononiensis, 1161. a.
Johannes Curtenbrochius vir doctus collegit acta concilii Trid. 1024. a.
Johannes Delgadus doctor, 1238. c.
Johannes Antonius Delphinus regens Venetiarum, ord. Minor. 1160. e.
Johannes Espusseni procurator fiscal. concilii Basil. 823. c.
Johannes Stephanus Facinus theologus ord. Carmelitarum, 1143. c.
Johannes Fonseca doctor, 1239. d.
Johannes Franciscus ordinis S. Aug. theol. 1143. d.
Johannes vicarius episcopi Frisingensis, 823. a. 870. e.
Johannes Baptista de Gabiano theol. ord. Servorum B. Mariæ, 1161. b.
Johannes *Gallo* doctor, 1238. b.
Johannes *Gerson* vir magnæ auctoritatis, 418. a. Vir excellens, 1399. d.
Johannes Baptista Ghisulfus theolog. 1241. b.
Johannes de Grangia vicarius Magalonensis, 776. a.
Johannes *Griffenclar* canonicus cellerarius Trevirensis, 571. a.
Johannes *Gribouval* archidiac. Rothomagensis, 635. b.
Johannes Gropperus scholasticus S. Gereonis Colonienſis, 1213. c. Pro religione Catholica laborat, 1228. e.
Johannes *Hessels* doctor Lovan. 1238. c.
Johannes *Honynget* Sigismundo familiaris, 81. c.
Johannes *Lavantage* canonicus Camerac. 635. b.
Johannes Lobera doctor, 1238. b.
Johannes *Lochel* theologus, 1143. c.
Johannes Franciscus Lombardus doctor, 1239. c.
Johannes de Ludenna doctor, 1239. a.
Johannes Baptista de Lugo doctor, 1240. e.
Johannes Malicti theologus ord. Minorum, 1143.
Johannes Matia ordinis Carmelit. theologus, 1144. a.
Johannes Paulus de Mediolano, theologus ordinis Servorum B. Mariæ, 1161. b.
Johannes de Monte canonicus Leodiensis, papæ cubicularius, 64. a.
Johannes Baptista de Monte-clavo, 1143. c.
Johannes Jacobus de Monte-Falcone ord. Minorum theologus, 1143. b.
Johannes Morelli theologus, 1142. c.
Johannes de Mulbruno ord. Cisterciensis, 131. c. 174. c. 179. a. Ejus labores pro ecclesia, 176. c.
Johannes *Nider* ordinis Prædicat. theolog. professor, 1. e. Prior Prædicatorum Basileensium, 131. c.
Johannes Edeglarus doctor theolog. 1048. b.
Johannes *Offlatter* præpositus S. Leonardi Basileensis, 1. c.
Johannes Paulus ordinis servor. theologus, 1144. b.
Johannes *Pellettier* doctor Parisiensis, 1237. d. Ejus votum de sacramento matrimonii, 1314. e.
Jo. *de Penhadic* doctor officialis Nannetensis, 976. a.
Johannes de Prangiano jus nullum habet in ecclesia Lausanensi, 775. c.
Johannes de Prato legum doctor, promotor concilii Florentini, 963. a.
Johannes Pulcri-patris magister in sacra pagina, 69. a. Missus a concilio ad regem Angliæ, 816. a. e. 817. b.
Johannes Quintana doctor, 1142. c.
Johannes *de Polemar*, 650. a.
Johanni *de Polemar* & Johanni de Raguſio vices suas committit Julianus cardinalis præses, 9. a. Sacri palatii magister, nomine Juliani legati aperit concilium Basileense, 3. c. Propositio facta ab eo cum sacrum inchoavit concilium, 4. d. Propugnat ecclesiæ temporalitatem & jurisdictionem adversus hæreticos, 515. c. In Praga refert ea quæ sibi commissa erant ex parte concilii Basil. 596. c. & seq. Mittitur a conc. Basileensi Ratisponam, 670. b. Ejus epistola ad concilium Basil. de victoria de Thaboritis apud Pilznam reportata, 717. a.
Johannes de Raguſio ordinis Prædicator. theologiæ magister, vices gerens Juliani legati in concilio Basileensi, 4. a. Mittitur ad imperatorem, 11. d. Respondet propositioni Bohemorum in conc. Basil. 331. b. Mittitur a concilio ad Græcos, 821. c. 875. a. 878. b. 879. d. De eo, 444. c. 897. c.
Johannes *Ramirez* doctor, 1238. b.
Johannes Sarravia theologus, 1142. c.
Johannes *Scok* Exelburgensis præpositus, 157. d.
Johannes *Tuder* decanus Parisiens. magister requestarum, 864. d.
Johannes Matthæus Valdina doctor, 1240. c.
Johannes Velascus doctor, 1142. c.
Johannes *de Verdun* doctor, 1240. b.
Johannes Viletta doctor, 1239. d.
Johannes Viviani archidiaconus de Beina, 635. b. Ducis Burgundiæ orator ad concilium Basil. 591. c.
Johannes *Voiter* scholasticus decretorum doctor, 1. b.
Johannes Baptista de Urbe-veteri ordinis Servorum theolog. 1144. b.
Johannes de Utino theologus, 1142. e.
Johannes Aldoradus, 1160. b.
Johannes Baptista Bianchinus, 1160. a.
Johannes *Bont*, 48. b.
Johannes Jacobus Gratus, 1160. a.
Johannes Andreas de Posis, 1159. e.
Johannes *de la Roche* excommunicatur, 950. e.
Johannes Baptista Sampetrus, 1160. a.
Johannes *Walwig*, 130. b.
Johannes de Czapho de Saan capitaneus Orphanorum, 241. a.
Johannes *Sacz* nuncius Bohemor. ad concilium Basil. 178. d.
Johannes *Velmar* Bohemorum deputatus ad concilium Basil. 246. c.
Johannes Palæologus imperat. Græcorum, 751. b. 755. d. 756. a. 965. a. Ejus epistola ad concilium Basil. 673. a. Oratores mittit ad Eugenium IV. papam, 511. b. 739. a. 805. b. 806. c. Reveretur sedem apostolicam, 805. c. Ejus oratores in concilio Basil. 737. c. Ei scribit Sigismundus imp. 752. d.
Johannes rex Castellæ, 998. e.
Johannes rex Franciæ, 866. c.
Johannes rex Portugalliæ laudat concilium Basileense, & oratores suos ad illud mittere promittit, 595. b. & seqq. Recusat eis pecunias in regno suo collectas pro reductione Bohemorum, quarum distributionem ait ad Eugenium papam pertinere, 595. d.
Johannes III. rex Portugalliæ mittit oratorem ad concilium Tridentinum, 1061. b. 1062. e.
Johannes dux Bavariæ, 79. d. 133. d. 175. c. 177. d. 179. d. Salvum conductum concedit Bohemis, 182. a.
Johannes dux Belfordiæ excusat episcopum Noviomensem, quod non accesserit ad concilium Basil. 60. e. Item, episcopos Morinensem, Belvacensem, & Parisiensem, 113. c. & seq.
Johannis ducis Britanniæ elogium, 911. c. 917. c. Scribit concilio Basil. in gratiam electi Macloviensis, 751. d. 753. d. 762. b. 791. b. 892. c.
Johannes marchio Magdeburgensis, 109. b.
Johannes Armaniaci comes scribit concil. Basileensi in gratiam electi sancti Pontii Thomeriarum, 796. c. & seq. Concilii Basileensis decretorum observantissimus, 796. d. Scribit in gratiam Petri electi abbatis Bonæ-cumbæ, 780. c.
Johannes Andreas Caldarinus comes, 1160. b.
Johannes de Corvania comes, 130. c.
Johannes comes de Friburgo, 635. a.
Johannes comes Friburgensis & Novi-castri 785. d.
Johannes Baptista Butrigarius eques, 1159. d.
Johannes Baptista Grisonius eques, 1160. c.
Johannes *Dygonod* miles, 1014. b.
Johannes Baptista de Elisco civis Januensis, 916. a.
Johannes de Malavoltis vir nobilis, 738. b.
Johannes Philippus Angeiotus tribun. plebis, 1159. e.
Johannes *Doccors* dominus *de Ebbay*, 635. a.
Johannes *Chastenier* regis secretarius, 864. d.
Johannes Hus, 942. d. Hæresiarcha, 341. e. Ejus elogium, 319. c. A suis laudatur, 514. d. Ejus protestatio, 514. e. Combustus, 20. c. 599. e. Et juste condemnatus in concilio Constantiensi, 606. a.
Johannes de Rokesana, 308. a. 341. c. 444. e. Bohemorum deputatus ad concilium Basileense, 246. d. 248. d. Ejus epistola ad priorem Prædicatorum Basileensium, 148. c. Petit pro suis Bohemis salvum conductum ad concilium, 148. e. Et honesta sibi præparari hospitia, 149. a. Perorat coram legato Basileæ ad S. Leonardum, 152. b. Alia ejusdem oratio, 254. a. Perorat in concilio, 354. d. e. Ejus oratio in concilio Basileensi pronunciata de communione sub utraque specie laicis præcepta, 262. c. & seq. Ejus protestatio in concilio Basileensi, 597. b. Rationem reddit de actis a se & a suis sociis in concilio Basileensi, 354. d. & seq. Bohemis imponit, 356. c. Ei respondet Johannes de Raguſio, 351. b. Ejus epistola ad Johannem *de Mulbrun* abbatem, 173. c.
Johannes Wicleff, 341. c. 942. c.
Jodocus episcopus Lubicensis, 1203. a.
Jordanus episcopus cardinalis Sabinensis, 51. c. 587. c. 588. d. 801. a. 809. c. 812. d.
Jordani de Ursinis cardinalis epistola ad concilium Basileense super materia Græcorum, 769. a.
Joseph patriarcha C. P. 51. b. 739. b. 755. d. 756. a. 805. b. 806. c. 808. b. 965. a.
Josephus de Brixia theologus ordinis beatæ Mariæ de Gratiis, 1161. e.
Josephus Puebla doctor, 1240. a.
Iprensis episcop. Martinus Ritovius, 1234. c.
Iræ Dei in nobis signa, 34. c.
Ira super iram cum ipsa Dei ira non agnoscitur, 1115. b.
Isaac episcopus Armenorum, 640. b.
Isaac episcopus Jerosolymitanus scribit Eugenio IV. de materia unionis Græcorum, 757. d.

Aclanenſis epiſc. Philippus Gerius, 1234. c.
Iſernienſis epiſcopus Antonius *de Trumatis* ſeu *de Numeis*, 1136. a. 1139. b. 1158. c.
Iſidorus Clarius abbas Pontidæ Bergomenſis, 1141. e.
Italiam cur intraverit Sigiſmundus, 85. d. e.
Jubilæum pro felici exitu concilii Tridentini, 1243. b. Ejus publicatio, ibid. c.
Judæi ſignum in veſte exteriori deferant, 1005. e. A Juliano imperatore imperata facultate templum reædificandi, divinitus impediuntur, 490. c. d. Eis vis non eſt inferenda, 447. d. Cur permittantur vivere, ibid. e. Carnifices non permittant per Judæos laniari carnes ſuas, 1549. d.
Judam a ſcelere revocare Chriſtus tentavit quatuor modis, 371. d.
Judices fidei deputati a concilio Baſileenſi Papienſis & Ratiſponenſis epiſcopi & abbas Ciſtercii, 140. c. d.
Judices laici cum non judicant, poteſt eccleſia judicare, 733. a.
Juliacenſis dux Adolfus, 195. b. 528. c.
Julianus apoſtolicæ ſedis legatus in Germania, 86. c. 179. a. In Alemannia prædicat crucem adverſus hæreticos, 8. a. & ſeqq. A Martino V. præficitur concilio Baſileenſi, 4. a. 8. a. 188. d. 801. e. Præſes etiam creatus ab Eugenio IV. 12. d. 43. b. 539. d. 587. e. 738. d. 806. d. Occupatus in Bohemia circa extinctionem hæreſis, non potuit ſtatim Baſileam accedere, 4. c. Peragrat Germaniam, ac principes hortatur ad bellum contra hæreticos, 5. b. Ad eum mittit Eugenius nuncium, ut Baſileam ſe conferat concilio præfuturus, 5. c. Johanni *de Polomar* & Johanni de Raguſio committit vices ſuas ad concilium Baſil. inchoandum, 6. a. & ſeq. Proponit in congregatione generali varios Bohemorum articulos erroris, 249. d. Hortatur Bohemos ad bonum, 354. c. Diſputat de validitate diſſolutionis concilii Baſileenſis cum archiepiſcopo Spalatenſi oratore Eugenii IV. papæ, 643. a. & ſeqq. Ejus replicatio ad orationem Spalatenſis epiſcopi, 659. d. & ſeq. Ejus epiſtola ad archiep. Remenſem, 28. c. Ad Herbipolenſes, 941. d. Ejus oratio ad legatos Græcor. 674. c. Ipſi mandatur victoria reportata de Thaboritis & Orphanis, 719. a.
Julio III. de ſua promotione gratulatur Antonius Filholi archiepiſc. Aquenſis, 1218. b.
Julius Contarenus archiepiſc. S. Severini, 1138. e.
Julius Paveſius archiepiſcopus Surritanus, 1228. c. 1254. b. 1269. b.
Julius Cananus epiſc. Adrienſis, 1232. b.
Julius Galletus epiſc. Aleſſanenſis, 1232. c.
Julius Galletus epiſcopus Alexandr. 1442. a.
Julius Pariſianus epiſc. Ariminenſis, 1230. c.
Julius Contarenus epiſc. Belluneníis, 1141. a. 1229. c.
Julius Magnanus epiſcop. Calvenſis, 1235. b.
Julius Superchius epiſc. Caprulanus, 1234. c.
Julius epiſcopus Cluenſis, 1441. d.
Julius de Rubeis *Bobin* epiſcop. S. Leonis, 1232. b. 1442. b.
Julius Griffus epiſc. Parentinus, 1232. c.
Julius Simonetta epiſc. Piſaurenſis, 1235. d.
Julius Gentilius epiſcopus Vulturarienſis, 1231. d.
Julius de Brixia theologus ord. S. Mariæ de Gratiis, 1161. e.
Julius de Eugubio concionator, 1244. e.
Julius de Faventia theolog. ord. Servorum B. Mariæ, 1161. b.
Julius Ferrarienſis ordinis Servorum theologus, 1144. c.
Julius Magnanus theolog. ord. Minorum, 1160. c.
Julius de Placentia ord. Min. theologus, 1143. c.
Julius Felicinus eques, 1160. c.
Julius Malvetius comes & eques, 1160. c.
Juramentum quod facit archidiacon. quando in capitulo recipitur, 1557. e.
Juramentum mauumiſſorum factum epiſcopo Sueſſionenſi, 1558. b.
Juramentum patronis non præſtandum, 1545. c.
Juramenta illicita tollantur, 1009. c.
Juramentum imperatorum antequam coronentur, 101. e.
Juramenta non admittebant Huſſitæ, 251. a.
Jus divinum duplex, 1323. b.
Jura & bona eccleſiæ occupantes excommunicantur, 1511. b.
Juriſdictionis eccleſiaſticæ perturbatores excommunicentur, 1556. b. 1557. a.
Juſtitia cum denegatur, cauſam judicare poteſt eccleſia, 733. a.
de Juſtificatione nulla habetur ſecuritas, 1446. e.
S. Juſtinæ Paduenſis abbas Ludovicus, 550. d. 551. b. 556. c. 586. b. 589. d. 920. a. Nuncius Eugenii papæ ad Sigiſmund. imperatorem, 67. a. Et ad concilium, 80. c.
Juſtinopolitanus epiſcopus Thomas Stella, 1230. b.
Juſtinus de Planta legum doctor, 963. a.
Juvenacenſis epiſcopus Johannes *Antolinez de Briciano de la Ribera*, 1231. a.

K.

Koluinus de Briska vir nobilis, 718. a.
Koſtka vir nobilis ab Huſſitis deputatus ad concilium Baſileenſe, 174. c.

L.

Lachedonenſis epiſcopus Fabius Cupalata, 1231. d.
Lacrymæ arma ſunt eccleſiæ, 29. e.
Lactantius Roverella epiſcopus Aſculanus, 1231. c.
S. Ladiſlaus rex Hungariæ, 165. c.
Ladiſlaus rex Neapolis, 403. d. 853. e.
Ladiſlaus ſeu Wadiſlaus rex Poloniæ, 281. c.
Ladiſlaus gubernator cruciferatus Budenſis miſſus ab imperatore ad papam, 152. c. 531. a.
Ladiſlaus de Thamaſi, 157. c.
Latores S. J. generalis, 1361. b.
S. Lamberti feretri claves duobus presbyteris committantur, 1486. b.
S. Lamberti feretrum quando & quomodo ſit aperiendum, 1486. b. 1492. b.
Lambertus *Datin* canonicus Leodienſis apud concilium Baſileenſe accuſatus, 731. c. & ſeq. 791. a.
Lancianenſis epiſcopus Johannes *Salazar de Burgos*, 1136. d. 1140. d. 1412. c.
Lancianenſis archiepiſcop. Leonardus Marinus, 1228. e. Romam mittitur a legatis pro articulo de reſidentia, 1270. a. Ejus reditus Tridentum ex urbe Roma, 1275. a. Contra epiſcopum Quinquecceſſenſem loquitur, 1341. d.
Lanfranchinus ordin. Servorum theologus, 1144. b.
Lanſaci oratoris regis Galliæ epiſtola ad concilium Tridentinum, 1260. d. Ejus adventus Tridentum, 1263. d. Admittitur ad concilium, 1264. a. 1266. a. Ejus ſententia de reſidentia, 1293. b. Revertitur in Galliam, 1299. b.
Latinenſis epiſcopus Belliſarius Balduinus, 1232. d.
Laski hæreticus eliminandus, 1458. c.
Latine loqui ſciant beneficiati, 1469. a.
Latrones excommunicantur, 1510. c.
Lavantinus epiſcopus Hercules *Rettinger*, 1232. c.
Laudenſis epiſcopus G. legatus conc. Baſil. in Angliam, 178. b.
Lavellenſes epiſcopi Lucius Maranta, 1235. d. Thomas Stella, 1241. b.
Laurentius Campegius cardinalis epiſcopus S. Sabini, deſtinatus ad præſidendum concilio Vicentino, 1028. d.
Laurentius Pinus ex Betilcemitano factus epiſcopus Autiſſiodorenſis, 583. c.
Laurentius de Damianis comes Palatinus, directus a concilio Baſileenſi ad magnum ducem Lithuaniæ, 622. b.
Laurentius de Caſtro-franco ord. Servorum theologus, 1144. b.
Laurentius Maxochius ordinis Servorum theologus, 1144. b. Ejus teſtimonium de morbo contagioſo Tridenti vigente, 1121. e.
Laurentius marcſcallus, imperatoris ad papam orator, 532. b.
Laurentius *de Hedervar* marcſcallus regni Hungariæ, 157. c.
Laurentius Carmelita theologus, 1242. c.
Lauſanenſis civitas an ſit imperialis, an pertineat ad ducem Sabaudiæ, 795. b. &c.
Lauſanenſis concilii primum decretum, 995. d.
Lauſanenſes patres declarant obediendum eſſe Nicolao papæ V. 999. d.
Lauſanenſis eccleſiæ cauſam concilio Baſil. commendat Amedeus dux Sabaud. 787. a. & ſeq.
Lauſanenſes epiſcopi Johannes de Prangino, 933. e. Illegitimus, 875. c. Ludov. de Palude, 875. b. 933. c.
Lauſanenſis epiſcopi oratio ad papam ex parte concilii Baſil. 69. d. & ſeq.
Lazarus *Broycot* doctor Pariſ. 1237. e.
Lectio ad menſam, 243. c.
Lectorum officium, 1373. b.
Lectoratenſes epiſcopi Guillelmus *de Montbas*, 1229. c. Martinus, 821. d. 823. a. 870. c.
Legata eccleſiarum ſint communia, 1548. b.
Legata ad pias cauſas aliis uſibus non applicentur, 1501. c. & ſeq.
Legata pia impedientes excommunicentur, 1517. d. & ſeq.
Legatio cardinalium S. Crucis & S. Petri ad Vincula ad concilium Baſileenſe, 800. d.
Legationes concilii Baſileenſis ad Eugenium papam quatuordecim, 910. b.
Legionenſis epiſcopus Antonius de Gueſta, 1235. d.
Leirienſis epiſcopus Gaſpardus *de Caſal*, 1231. d.
Lelius Baruffus de Piis epiſcopus Sarſinatenſis, 1239. d.
Lenticularis morbus contagioſus, 1120. b.
Leo papa IV. 390. c.
Leo Urſinus epiſcopus Fotlivienſis, 1239. b.
S. Leonis epiſcopus Julius de Rubeis *Rubin*, 1232. c. 1442. a.
Leodienſis eccleſiæ ſtatua, 1473. a. 1485. b.
Leodienſes apud concilium Baſileenſe accuſant Lambertum *Datio*, 781. e. & ſeq.
Leodienſis communitas ſcribit concil. Baſileenſi contra quoſdam cives ſuos, qui fecerant cauſam ſuam ſuper conſpirationibus committi concilio, 792. d. & ſeq.
Leonardus Marinus archiepiſc. Lancianenſis, 1228. c. 1276. a.
Leonardus *Haller* epiſcop. Philadelphienſis, 1229. c.
Leonardus de Piſis Licentiatus in legibus, miſſus ad Julianum legatum, 5. c.
Leproſis non conferantur eleemoſynæ, 1548. c.
Leſinenſis epiſcopus Horatius, 1231. d.
Lex ira & mortis miniſtra, 1077. c.
Lex Moſaica, 417. d. Ejus præcepta Chriſtianos non obligant, 1320. b. Veritas legis ipſa legis obſervantia eſt, 1150. c.
Lege ordinari omnia melius eſt, quam diuitterare judicum arbitrio, 423. c.

Legem

Legem humanam neceſſariam eſſe negant hæretici, 420. b. Ejus neceſſitas probatur, ibid. c. Neceſſitatis hujus radix quadruplex, 420. c.

Legis divinæ ſotus conſcientia & ultimum judicium, 448. c.

Legum humanarum neceſſitatem agnoſcunt hæretici, 427. a. b.

Lex dicenda non eſt, quæ non imitatur divinam, 427. c.

Lexovienſis epiſcopus Zano de Caſtellione, 715. b.

Libertas concilii, 1352. b. c. d. 1353. a.

Liberum arbitrium quid, 1446. c.

Libri chorales habeantur in choro, 1482. c.

Libri hæreticorum noxii, 1453. d.

Librorum examinatio in concilio Trident. 1247. d. 1248. d. Decretum de librorum delectu, 1251. c. Deputationes ſuper indice librorum prohibitorum, 1254. a. Eorum index, 1251. c. Decretum ſuper indice librorum, 1250. d.

Libri redigantur in ſcriptis, & nomina eorum recitentur in capitulo generali, 1480. d.

Libri alicui non permittantur, niſi recepto competenti memoriali, 1480. c.

Libros retinentes excommunicentur, 1480. c.

Licienſis epiſcop. Annibal Saracenus, 1235. c. 1441. c.

Licium eſt quod nulla lege prohibetur, 517. a. Item quod factis ſanctiſſimorum virorum & conciliorum decretis eſt approbatum, ibid. c. d.

Licium non ſibi reputant perfecti, niſi quod eſt decens, 519. c.

Linteamina & veſtimenta altaris ſæpius lavenlur, 1539. b. Vetuſta combuntantur, 1520. b.

Litienſis abbas Gauſridus de Monte-electo 579. b. 719. c.

Lites finiendæ ubi incœperunt, 948. c.

Lites de beneficiis quomodo diriminendæ, 1311. b.

Lites laicæ ad forum eccleſiaſticum trahi cauſantur ſæculares, 721. a.

Litem profanam, cum juſtitiam non reddunt laici, poteſt eccleſia judicare, 733. a.

Lithuani ritum Græcorum obſervant ſub fide eccleſiæ Romanæ, 576. d.

Lithuanos hortatur concilium Baſil. convenire cum eccleſia Romana, 623. a. Eorum converſioni invigilat Boleſlaus eorum dux, 623. d. e.

Lithuaniæ duces Boleſlaus, 573. d. 622. e. Swidrigal, 575. d. 582. e. 624. b. Wadiſlaus, 575. c.

Litteracenſis epiſcopus Johannes Antonius, 1230. b.

Litteranenſis epiſcopus Sebaſtianus Lequatella, 1224. a.

Litteræ commendatitiæ & dimiſſoriæ, 1332. b.

Litteris apoſtolicis aburentes excommunicentur, 1550. c.

Lodovenſis epiſcopus P. 776. a.

Lotharingi cardinalis adventus Tridentum, 1294. b. Admittitur in concilio, ibid. c. Ejus zelus pro religione, 1286. a. Ejus verba ad concilium nomine Mariæ reginæ Scotiæ, 1340. d. Vocatur Romam a ſummo pontifice, 1399. a. Roma redit Tridentum, 1410. a. Diſcedit Tridento, 1324. d. Venetiis redit Tridentum, 1327. a. c. Diſcedit Tridento verſus Ferrariam, 1433. c. *Spruch* ad imperatorem Tridento proficiſcitur, 1311. c. 1312. c.

Lubicenſes epiſcopi Jodocus, 1203. a. Johannes, 874. b.

Lubicenſis epiſcopus orator Sigiſmundi imperatoris in concilio Baſilcenſi, 795. a. ad papam deputatur pro monitorio, 928. d.

S. Lucæ tranſlatio CP. 485. c.

Lucas Bisanthius epiſcopus Cathareenſis, 1229. b.

Lucas Faventinus ord. Servorum theologus, 1144. c.

Lucas de Tono vir nobilis, 1046. b.

Lucenſes epiſcopi Fernandus, 80. c. 130. a. Franciſcus *Delgado*, 1235. c.

Lucerini epiſcopi Fabius Mingarellus, 1140. d. Petrus de Monte, 1409. b. Petrus de Petris, 1232. a.

Lucianus abbas Pompoſiæ Ferrarienſis, 1137 b. 1141. c.

Lucidus cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, 52. a. 501. b. 802. d. 809. d.

Lucius Maranta epiſcop. Lavellenſis, 1235. d.

Lucius Angoſiola regens S. Franciſci Bononienſis, 1241. c.

Lucius Vitalis eques, 1160. b.

S. Ludovicus rex Franciæ, 1401. a.

S. Ludovici feſtum de præcepto de mandato domini regis, 1555. a.

Ludovicus Simonetta epiſcopus Piſaurenſis, 1136. c. 1140. b. Cardinalis præſes concilii Tridentini, 1226. d. Sine pompa accedit Tridentum, 1244. a.

Ludovicus legatus concilii Trident. 1406. b.

Ludovicus patriarcha Aquilegienſis, 821. d. 823. c. 825. c. 870. c. Sententiam obtinet adverſus ducem Venetorum, 885. c. & ſeq.

Ludovicus Chieregatus archiepiſc. Antibarenſis, 1135. d. 1138. b.

Ludovicus Beccarellus archiep. Raguſinus, 1224. b. 1254. b. 1269. a.

Ludovicus de Palude epiſc. Avenionenſis, 794. d.

Ludovicus Vannius de Theodolis epiſcop. Britonorienſis, 1219. c. 1269. a.

Ludovicus de Palude epiſcop. Lauſanenſis, 914. a. Confirmatur per ſententiam concilii Baſilcenſis, 875. a. & ſeqq. Ei ingreſſum in patriam prohibet Amedeus dux Sabaudiæ, 796. b.

Ludovicus *de Brezé* epiſcopus Meldenſis, 1231. c. 1303. c.

Ludovicus de Luxemburgo epiſcopus Morinenſis, 113. d. e.

Ludovicus Madruccius cardinalis epiſcopus Trident. 1227. a.

Ludovicus *de Genouillac* epiſcop. Tullenſis, 1234. b.

Ludovicus *de Bueil* epiſc. Venienſis, 1234. d.

Ludovicus *de Baiſſey* abbas Ciſterc. 1236. c.

Ludovicus abbas S. Juſtinæ Paduenſis, 550. c. 551. b. 554. b. 556. c. 910. a. Inſtituitur præſes concilii Baſilcenſis, 586. b. & ſeq. 589. d.

Ludovicus Arneſinus ord. Min. theologus, 1143. c.

Ludovicus *Carminal* theologus, 1543. a.

Ludovicus Lethardi magiſter in theologia, 638. c.

Ludovicus de Mediolano theolog. ordinis Prædicat. 1160. d.

Ludovicus de Sotto doctor, 1240. e.

Ludovicus magiſter ceremoniarum concil. Trid. 1242. c.

Ludovicus rex Calabriæ & dux Andegavenſis mittit ad concilium Baſileenſe legatos, 579.

Ludovicus rex Hungariæ, 165. c.

Ludovicus Palatinus Rheni, 107. b.

Ludovicus comes Palatinus dux Bavariæ, 194. c. 638. a. 955. c. 1014. b. Doctores univerſitatis Heidelbergenſis mittit ad conc. Baſil. 147. a.

Ludovicus dux Sabaudiæ, 1014. c.

Ludovicus de Borbonio comes Vindocinenſis, 864. c.

Ludovicus Delphinus, 996. d. 999. c.

Ludovicus *de Lauſac* orator regis Franciæ ad conc. Trid. 1227. c.

Ludovicus *de Blanchefort* armiger, Johannem abbatem Ciſtercienſem capit & ſpoliat, 911. a.

Ludovicus Lambertius, 1160. b.

Ludovicus *de Montfordo*, 732. b.

Ludus pilæ in loco publico clericis interdictus, 1534. c.

Lugdunenſis archiepiſcopus primas Galliarum cum patriarchis eamdem formam tenens, nomine differens, 868. c.

Lugdunenſis archiepiſcopus ad papam deputatus pro monitorio, 928. c.

Lugdunenſis archiepiſcopus Amedeus, 821. d. 823. a. 825. c. 868. b.

Lunæ comes orator regis Hiſpaniæ accedit Tridentum, 1326. 1342. d.

Lupus *Martinez* epiſcopus Binenſis, 1233. c.

Lupus presbyter Thaboritarum occiſus in prælio, 719. b.

Lutheri ſecta omnem Chriſtianæ religionis ſpeciem deturpavit, 1188. c.

Lutherani circumſtant Baſileam, 1284. a.

Luxovienſis abbas Franciſc. *Bonvalet*, 1213. b.

Luxus in ſacerdotibus damnatur, 244. a.

Luxum in eccleſiaſticis carpit S. Bernardus, 309. c. & ſeq. 310. b.

M

Maceratenſis epiſcop. Hieronym. Melchiorius, 1232. a.

Maclovienſis civitas totius ducatus Britanniæ præcipua & tutamen, 754. b. 762. c. & ſeq. Atque clavis, 763. b.

Maclovienſes epiſcopi Amauricus, 751. c. 752. 763. a. 791. d. 810. c. Guillelmus de Monteforti, 762. c. 895. c. Electus Guillelmus, 751. c. 753. c. 791. c. Abbas Beſſi-loci, 811. a. In cujus gratiam ſcribit ad concilium dux Bartenſis, 809. c.

Madruccius cardinalis, 1248. c. 1277. b. 1279. a. 1325. c. d. 1340. c. 1416. d. Electus Tridentinus, 1244. c. d. 1259. c. 1297. c. 1398. d.

Magaloneníis epiſcopus Bertrandus, 112. c. 149. c.

Magdeburgenſis archiepiſcop. Guntherus, 708. d.

Magdeburgenſis clerus tribus annis exſulat, 709. c.

Magdeburgenſis civitas, expulſo archiepiſcopo & clero, ab hæreticis invaſa, 92. c.

Magdeburgenſis eccleſiæ cauſam ad concilium Baſileenſe remittit Eugen. IV. papa, 709. c. 710. a.

Magiſtrum laudabilem tria faciunt, 305. c.

Majoricenſis epiſcopus Johan. Campegius, 1139. d. 1158. d.

Malachiæ locus *In omni loco offertur oblatio munda*, de miſſa intelligit S. Hieronymus, 1282. b. Item ſacrificium Melchiſedech, ibid.

Malbrunenſis abbas Henricus, 1213. b.

Malſaitenſis epiſcopus Jacobus Ponzettus, 1139. a.

Malos melius eſt tolerare, quam punire bonos, 451. a.

Nihil amanti dulcius, quam mandata Dei implere, 495. a.

Mandatum regis Romanorum ad concilium Trid. 1047. c.

Manichæi jejunant die dominica, 299. c. Communionem calicis non accipiebant die dominica, 300. b.

Mantuani cardinalis mors, 1314. b.

Mantuæ duces Fridericus, 1026. b. Guilelmus, 1245. c.

Mantuæ ducilla proficiſcitur *Spruck* ad Ferdinandum Cæſarem, 1320. a.

Manuale habeant ſacerdotes, 1520. d. 1544. d.

Manumiſſorum juramentum epiſc. Sueſſionenſi, 1558. b.

Manutergia tria ad eſtare, 1519. e. Saltem ſit unum, 1540. c.

Marcellus Cervinus cardinalis, 1049. c. 1135. c. Legatus a latere ad Cæſarem & regem Francorum, 1030. c. Præſes concilii Tridentini, 1043. c. 1044. a. 1045. c. 1118. c. 1137. d. 1158. a. Ei concil. Tridentinum aperire mandat Paulus III.

1057. d. Accedit Bononiam, 1144. c. Ibi incipit concilium, 1145. a. b.
Marchantius doctor, 1238. d.
Marcus Siticus *de Altaemps* cardinalis præses concilii Trid. 1226. c.
Marcus Antonius Bobba epiſc. Auguſtenſis in Pedemontio, orator ducis Sabaudiæ ad concilium Trid. 1227. c. Et cardinalis, 1233. b.
Marcus archiepiſcopus Tarentaſienſis, 737. a.
Marcus Antonius Columna archiepiſcopus Tarentinus, 1218. d.
Marcus Antonius Campegius epiſc. Groſſetanus, 1139. c. 1158. d.
Marcus Antonius Crucius epiſcop. Tiburtinus, 1139. b.
Marcus Antonius Peregrinus notarius concilii Trid. 1241. d. 1411. b.
Marcus Anton. Gambaronus doctor, 1241. b.
Marcus Cornelius electus archiepiſcop. Spalatrenſis, 1228. a. 1277. b.
Marcus Gonzaga epiſc. Auſorenſis, 1231. b.
Marcus de Muſſis epiſc. Bitontinus, 1159. a.
Marcus Laureus epiſcopus Campanienſis, 1232. d.
Marcus Maliperus epiſcopus Corſulanus, 1136. c. 1140. c. 1159. a.
Marcus Ang. us de Columna epiſcopus Reatinus, 1159. d.
Marcus Vigerius epiſcopus Senogallienſis, 1131. c. 1138. c.
Marc. Laureus theologus, 1142. d. Ejus oratio ad conc. Trid. 1085. c.
Marcus *Mediceus* doctor, 1240. d.
S. Marci cardinalis Angelottus, 588. d.
S. Marci epiſcopi Coriolanus Martyranus, 1062. a. 1108. a. 1136. b. 1139. d. Fabricius Landrianus, 1236. d.
Mariæ plus collatum gratiæ, quam cunctis aliis creaturis, 1110. b. In omnibus regebatur Spiritu Dei, 410. a. An concepta ſine peccato originali, 1096. c. &c. Initio concionum invocatur, 1146. a.
S. Matiæ officium ab omni ævo canonicis horis additur in eccleſia Rothomagenſi, 1532. d. Cui omnes debent intereſſe, 1533. a. Devote dicatur, 1540. c.
Devotionem in B. Mariam damnant Huſſitæ, 22. c.
Beatæ Mariæ de Eremitis abbas Joachimus Unicornius, 1266. a.
S. Mariæ de Mouſacis abbas Nicolaus, 550. c. 551. c. 586. b. 589. d.
Mariæ reginæ Scotiæ literæ ad concilium Trid. 1340. c.
Marianus Sabellus epiſcopus Eugubinus, 1232. b.
Marianus de Rocha ordinis S. Aug. theologus, 1143. c.
Marianus de Verona ord. Servor. theologus, 1144. b.
Marinus Grimani epiſcopus Portuenſis, legatus mittitur ad Franciſcum primum, 1038. d.
Marinus Benitus auditor Rotæ, 1159. d.
Marranciam facientes ut puniendi, 1475. a.
Martialis Peregrinus regens in conventu Ferrariæ, 1241. c.
Martinus papa V. 12. c. 755. d. 766. c. 818. b. Julianum cardinalem deſignat ad præſidendum concilio Baſileenſi, 8. a. Ejus bulla adverſus hæreticos, 942. c. Jacobi *de Sitrek* electionem ad ſedem Trevirenſem irritat, 572. c.
Martinus Berutii decanus Turon. orator concilii Baſileenſis ad Bohemos deſtinatus, 705. c. Ludovici Andegavenſis orator ad concilium Baſil. 579. b. Poſtea epiſcopus Cenoman. 580. c.
Martinus *Gouge* epiſcopus Claromontenſis, 168. c.
Martinus Ritovius epiſcop. Yprenſis, 1234. c.
Martinus epiſcopus Lectoratenſis, 871. d. 823. a. 870. c.
Martinus Perizius epiſc. Segobienſis, 1230. d.
Martinus Royas orator magiſtri ordinis S. Johannis Hieroſolymitani ad concilium Tridentinum, 1227. d. Orator militum admittitur in concilio Trid. 1395. d.
Martinus Thereſius de Ayala miles ſancti Jacobi de Spata, 1142. c.
Martinus Vaſtalla provincialis Romandiolæ ord. Carmelit. 1143. c.
Martinus rector *de Chvadim* deputatus Bohemorum ad conc. Baſil. 240. d. 630. d. 705. a. d.
Martinus Veſaſco vir magnificus, 1180. a.
Martoldus *de Zbraſlaniez* Bohemorum deputatus ad conc. Baſil. 246. d.
Marſienus epiſcopus Johannes Bapt. Miſanenſius, 1236. c.
Marſicenſis epiſcopus Martius de Martiis *Mediees*, 1229. c. 1442. a.
Marſilius de Padua hæreticus, 467. a.
Martius de Medicis epiſcopus Marſicenſis, 1229. c. 1442. a.
Maſſæ Lubrenſis epiſcopus Jo. 1269. c.
Maſſanenſis epiſcopus Ventura Buffalinus, 1234. d.
Maſſalabrunenſis epiſcopus Johannes Andreas Bellonius, 1234. c.
Materanſi archiepiſcopi Michael Saracenus, 1135. d. 1138. d. 1158. b. Sigiſmundus Saracenus, 1228. c.
S. Mathiæ Trevirenſis abbas Jo. 951. d.
Mathias præpoſitus Quinqueccleſienſis, 130. c. Vicecancellarius Hungariæ, 157. d.
Mathias ord. Min. provincialis Saxoniæ, 617. c.
Mathias *de Chlinupecam* orator Bohemor. ad conc. Baſil. 246. d. 630. d.
Mathiæ *Clunitzan* epiſtola ad Johannem *de Mulbrun*, 176. c.
Matiko de Raguſio comes Kewinenſis, 157. c.
Matiſconenſis epiſcopus Johannes *Maeet*, 107. c. 239. c. 744. d. 759. c. 760. b. 778. a. c.
Matricularii ſint clerici; eorum officium, 1487. d. e. 1564. c.
Matrimonium eſſe verum ſacramentum a Chriſto inſtitutum, 1381. c. 1384. c. Illi præferenda virginitas, 1382. d. 1385. b. Matrimonii forma, 1462. c. Matrimonii ſolemnitas ab alio quam a curato non recipiatur, 1386. a. 1553. b. In conſecrando quæ ſint obſervanda, 152[illegible]. a. & ſeq. Matrimonii ante conſummationem triduo confiteantur & communicent ſponſus & ſponſa, 1386. b. Matrimonia ſint libera, 1388. c. 1389. b. Tria banna ea præcedant, 1385. d. 1543. d. Qua ætate contrahenda, 1383. b. Ante 20. annum in viro, ante 18. in femina ſine conſenſu parentum nulla, 1389. c.
Matrimonii impedimenta, 1387. b. c. Matrimonium contrahere non poſſunt religioſi nec clerici occidentales in ſacris conſtituti, 1382. b. c. 1384. c. Nec ſacerdotes, 1315. c. Nec filii ſine parentum conſenſu, 1383. d. Matrimonium inter raptorem & raptam quando validum, 1387. c. Matrimonio non ſunt copulandi vagantes, 1388. a. Matrimonium in certis affinitatis gradibus non poteſt contrahi, 1310. a. 1322. a. Illud qui impediunt conſanguinitatis gradus, 1322. c. 1382. a. 1384. d. 1386. c. Dubia de matrimonio ad epiſcopum ſunt referenda, 1543. c. A matrimonio quatuor perſonas excludit compaternitas, ibid.
Matrimonii diſpenſatio raro tribuatur, nec umquam in ſecundo gradu, niſi principibus, 1387. d. Illud impedit cognatio ſpiritualis, 1386. c. d. In gradu prohibito contrahentes & clandeſtine excommunicantur, 1470. d. e.
Matrimonia ſolemniter in eccleſia celebrentur & præſentibus teſtibus, 1383. c. Ante benedictionem nuptialem nullus aliquid exigat, 1544. b. Canones ſuper abuſibus de ſacramento matrimonii & clandeſtino examinandi, 1381. d. 1393. c. Examinantur, 1396. b. d. 1397. c.
Matrimonia clandeſtina an rata, 1382. a. 1383. c. Sunt prohibita, 1544. c. Et irrita, 1383. a. 1408. d. e. 1410. d. 1412. b.
Matrimoniales cauſas ditimere nullus audeat ſine licentia epiſcopi, 1504. a. Spectant ad judices eccleſiaſticos, 1382. d. 1385. c.
Matrimonii vinculum eſt indiſſolubile, 1447. d. Illud dirimit impotentia naturalis, non temporalis, 1324. a. Non diſſolvit adulterium, 1382. b. 1384. c. Nec hæreſis aut affectata a conjuge abſentia, 1384. c. Sed dirimit votum ſolemne, 1317. a. 1382. c. 1385. a. Matrimonio juncti ad religionem non tranſeent inconſulto epiſcopo, 1544. b. Conjugem habens propter vitandum ſolum fornicationem, non peccat, niſi veniaiter, 1316. b.
de Matrimonii ſacramento articuli examinandi in conc. Trid. a theologis, 1306. a. Decreta turſus patribus data examinanda, 1408. a. Deputati in conc. Trid. ad faciendum decretum matrim. & abuſuum ejuſdem, 1384. A quibus confectum, 1362. c. Canones ſuper abuſibus ſacramenti matrimonii, 1385. c. & ſeq.
de Matrimonio votum Johannis *Pelletier* doctoris, 1314. c.
Matthæus Priulus epiſcopus Æmonienſis, 1236. a.
Matthæus de Coucinis epiſc. Cottonenſis, 1234. d.
Matthæus ord. Min. provincialis Saxoniæ, 741. b.
Matthæus *Moſtinges* orator conc. Baſileenſis ad Eugenium papam, 845. b. 920. b.
Matthæus Dandolus orator Venetorum ad concil. Trid. 1227. c. 1262. c. Advenit Tridentum, 1258. c.
Matthæus Guerra doctor, 1259. c.
Mauratenſis epiſc. Philippus Roccabella, 1141. c.
Mauriennenſis epiſcopus ad concilium Baſileenſe profectus, 68. c.
Mauritius de Perra epiſcopus Viglesſenſis, 1229. d.
Maxime ſumitur pro *ſape*, 514. a.
Maximianus Beninianus inquiſitor Paduæ, 1241. c.
Maximilianus Doria epiſcopus Naulenſis, 1230. c.
Maximilianus rex Bohemiæ coronatur rex Romanorum, 1297. c. 1298. c. 1299. a.
Maximilianus rex Romanorum coronatur rex Hungariæ, 1398. d.
Maximus de Maximis archiepiſc. Amalfitanus, 1228. c.
Mazarienſis epiſcopus Jacobus Lomelinus, 1233. b.
Mediolanenſis atchiepiſcop. Bartholomæus, 62. d.
Mediolanenſis dux Philippus-Maria-Angelus, 938. b.
Mediolanenſis ducis epiſtola ad concilium Baſileenſe, 62. b. 64. d. Laudat concil. Baſileenſe, eique ſuam promittit protectionem, 620. d. e. Significat concilio victoriam ab ipſo reportatam in Romandiola, 738. a.
Meinardus de Nova-domo vir nobilis, deputatus ab Huſſitis ad conc. Baſileenſe, 173. c.
Memoriale datum oratoribus Sigiſmundi regis ad Eugen. papam deſtinatis, 221. c.
Melanchon hæreticus eliminandus, 1458. c.
Melchior *Avoſmediano* epiſcopus Guadixienſis, 1231. c.
Melchior Cuſi orator Helvetiorum in concilio Trid. 1227. b.
Melchior Luſi orator cantonum Catholicorum Helvetiorum in concil. Trident. 1265. c.
Melchior *Seve* orator Catholicorum Helvetiorum advenit Tridentum, 1256. a.
Melchior de Boſmediano theol. 1242. d.

Melchior Cornelius decretorum doctor, senator regis Portugalliæ, 1238. d. Ejus votum de sacrificio missæ, 1281. e.
Meldensis episcopus Ludovicus *de Brezé*, 1231. c. 1303. c.
Melitensis episcopus Quintus de Rusticis, 1136. a. 1139. a. 1158. c. 1229. b.
Mendaces filii diaboli, 315. a.
Mendacium est Christianum se dicere, & Christiani opera non facere, 315. a.
Mentiri non debet homo propter totum mundum salvandum, 365. d.
Mendicantium religiosorum error de obligatione missæ parochialis, 706. c. De oblationibus & decimis, 707. a. De purgatorio, 707. b. De facultate confessionis audiendæ, 707. b. Circa casus reservatos, 707. c. Damnantur, 707. d.
Mendicantium ordinum generales supplicationem offerunt concilio Basil. nomine suæ religionis de erroribus eis imputatis, 734. c. & seq.
Mendicantes fratres ad audiendas confessiones non admittant curati, 1551. c. Quales debeant admitti ad eas audiendas, & ad prædicandum, 1008. a. b.
Mercatus die dominico & festivo prohibiti, 1006. c. 1021. c. 1560. c.
Meretricia publica a curia Romana permitti calumniantur hæretici, 366. a. b.
Meretrici domum locantes excommunicantur, 1510. b.
Messanensis archiepiscopus Gaspardus *Cervantes*, 1228. c.
Metensis episcopi Contadus, 925. a. Franciscus *Beauguere*, 1232. d.
Michael de Silva cardinalis legatus ad imperatorem, 1031. d.
Michael Sarracenus archiepisc. Materanus & Acherontinus, 1238. d.
Michael a Turre episcop. Canetensis, 1230. c.
Michael *Puch* episcopus Elnensis, 1423. a.
Michael Aldinus episc. Sidoniensis, suffraganeus Moguntinus, 1140. b.
Michael d'*Ast* doctor prior S. Laurentii de Tridento, 1240. d.
Michael Baius doctor, 1238. c.
Michael Galteri notarius conc. Basileensis, 943. c.
Michael de Medina doctor, 1238. b.
Michael *Ornuscupe* doctor, 1239. e.
Michael Thomasius doctor decretorum, 1237. c.
Michael *Ybbero* J. U. doctor, 1239. e.
Milenses seu Milonenses episcopi Gregorius seu Georgius Castagnola, 1237. b. 1244. e. Johannes Petrus Ferretus, 1023. d. 1240. c. 1259. a.
Milverti insulæ injuriam infert rex Thoneti, 191. a.
Miltopotamienses episcopi Dionysius, 1239. c. 1258. d. 1229. c. Jacobus Suretus, 1232. d.
Mimis non fiant munera, 1489. e.
Minerbiensis episcopus Johan. Vincentius Michaëlius, 1229. c.
Ministeriales in ecclesia nocte jaceant, 1484. b.
Minoribus fratribus prædicare permittatur, 1545. c.
Minorenses episc. Alexander Molus, 1236. c. Ambrosius Cathetinus, 1237. b. 1241. d. 1245. c. 1259. b.
Minturnus episcopus Vexentinus, 1269. b.
Mirapicensis episc. Claudius *de la Guische*, 1140. d.
Misnensis episcopus Johannes, 108. d.
Misnensis marchio Fridericus, 194. c.
Missa non est abominatio ut Lutherus ait, 1282. a. A solis potest sacerdotibus dici, 1447. c. Sæpe celebrari debet, 142. c. Non celebretur in altari fracto, 1519. c. Nec super areas, 1541. b. Nec nisi post matutinas & primam, 1540. b. Nec sine cruce & lumine in altari, 1526. a. Bis in die non dicatur, 1540. b. 1551. d. Nec cum duplici introitu, 1540. b. Nullus idem officium faciat in duabus missis, 1488. d.
Missæ non ministret clericus sine superpelliceo & debita tonsura, 1340. a.
Missas pro lucro non celebrent curati, 1551. d.
Missæ quas pœnitenti injunxerit nullus celebret, 1542. a.
Missæ restitutionis loco non sunt imponendæ confitenti, 1522. e.
Missæ de sacrificio articuli in conc. Trid. a theologis examinandi, 1279. c. & seq. Patres deputati ad conficiendum canones & doctrinam de sacrificio missæ, 1281. b. Ad colligendos abusus de sacrificio missæ, 1281. c. Melchioris Cornelii votum de sacrificio missæ, ibid. e.
Missam presbyteri concubinarii nullus audiat, 315. a. 511. c.
Missam nullus presbyter auctoritate laïca audeat celebrare, aut sacramenta ministrare, 1526. b.
Missa pro defunctis, 1476. b. Non dicatur in festis IX. lectionum, nisi corpus sit præsens, 1540. d.
in Missa si conficeret sacerdos cum aqua pura quid faciendum, 1542. c. Si vinum in calice deest post consecrationem panis, 1518. b.
Missa parochialis ab omnibus audiatur die dominica, 1540. c. Missam audire negligentes diebus dominicis aut festis, in libro scribant ostiarii, 1373. b.
Missales purgandi a superfluis, 1416. c.
Missale & breviarium secundum usum Romanæ ecclesiæ habeant presbyteri parochiales, 1520. d.
Missio quadruplex, 335. c.
Missus a Deo quomodo dignoscatur, 336. a.
Moguntini archiepiscopi Contadus, 194. c. 221. d. 528. c. 638. a. Gerardus, 1005. c. Petrus, 1005. c. Theodericus, 955. c. 1005. b. 1010. c.
Moguntinum archiepiscopum ut personaliter accedat ad concilium Basil. hortatur natio Germanica, 914. c. & seq.
Moguntini archiepiscopi commissarii exigunt a novis curatis biennales fructus sui beneficii, 747. c.
Moguntinus suffraganeus Michael Aldinus, 1140. b.
Monachorum vestes quales, 244. d.
Monachi vagantes carceri mancipentur, 245. a.
Monachus non exerceat curam animarum in ecclesia sæculari, 1471. c.
Monachi in foro publico non faciant advocati officium, 1465. c. d.
Monarchiæ quatuor principales, 455. d.
Monasteriorum reformatio, 1007. d. 1010. b. 1426. d.
Monasteria monialium nullus ingrediatur, 1007. d.
Monialium clausura, 1007. d.
in Monasteriis scholæ & hospitalitates restituendæ, 1308. c.
Monasteria scholas hæreticorū vocant Hussitæ, 22. c.
Monasteriensis episcopus Henricus, 730. d.
Monitio facta Eugenio IV. nomine concilii Basileensis, 333. c.
Monitorium contra dominum Eugenium papam, 931. a. Ad impediendum Græcorum ad papam adventum factum a Basileensibus, 965. b. Ab eo superseder; petit imperator, quod non observatur, 608. a.
Monitio & citatio facta Felici V. antipapæ in concilio Florentino, 962. b. & seq.
Monopolitanus episcopus Fabius Pignatellus, 1236. a. 1442. a.
Montensis dux Adolfus, 195. b.
Montis-Albani episcopi Bernardus *de la Roche*, 168. c. Guillelmus, 1560. a.
Montis-Falisci episcopus Card. de Grassis, 1232. c.
Montis-fortis cardinalis obitus, 185. d.
Montis Marani episcopus Anton. de sancto Michaele, 1232. a. 1441. d.
Montis-Politiani episcopus Spinellus Benscius, 1236. b.
Moraviæ marchio Albertus, 91. d.
Moravi Sigismundo regi rebelles, 235. c.
Morinensis episcopus Ludovicus de Lucemburgo, 113. d. e.
Mores quam corrupti, 1064. b. &c. Etiam in omni ordine, 1083. b. &c. Quanta inducant mala, 741. a. b.
Moronus cardinalis, 1325. d. Ejus adventus Tridentum, 1325. a. Admittitur in concilio, 1326. c. Vadit *Spruch* ad Ferdinandum Cæsarem, 1326. c. Acta inter Ferdinandum Cæsarem in *Spruch* & Moronum, 1351. d. Redit a *Spruch*, 1341. c.
Mortalitas magna, 1551. c.
Mortuorum funera quomodo prosequantur clerici, 1508. c.
Motonensis episcopus Aloysius Lippomanus, 1136. d. 1140. c. 1158. c.
Motulensis episcopus Angelus Paschalis, 1140. a.
Moïses an percutiendo Ægyptium peccaverit, 448. d. Ejus corpus hactenus est absconditum, 413. c.
Muliet tamquam pix diaboli conversationem maculans sacerdotum, 387. a.
Mulierem, nisi matrem aut sororem apud se non teneat sacerdos, 1546. c. e.
Mulierum suspecta commercia prohibita, 243. d.
Mulieres suspectas apud se non retineant clerici, 1535. d.
Munera non recipienda, 1492. d.
Musca si ceciderit in calice quid faciendum, 1519. a. 1542. c.
Mutinensis episcopus Ægidius Fuscararius, 1231. b. 1254. b. 1269. b.
Mutius Callinius archiepiscopus Jaderensis, 1224. c. 1269. a.
Mutua non contrahant abbates & alii inferiores, 1549. a.

N.

NAmureensis episcopus Antonius Havetius, 1234. d.
Narniensis episcop. Petrus Donatus Cesius, 1137. b. 1141. c.
Natalis *Paillet* doctor Parisiensis, 1237. c.
Navagerus cardinalis, 1405. c. Legatus papæ ad concilium Tridentinum, 1325. c. Ejus adventus Tridentum, 1327. c. Laborat podagra, 1395. d.
Navarræ rex pro fide Catholica certans occumbit, 1299. c.
Naulensis episcopus Maximilianus Doria, 1230. c.
Naxienses archiepiscopi Antonius Justinianus, 1229. a. Sebastianus Lequatella, 1235. d. 1238. 1243. d. 1158. b. 1228. c. 1254. b. 1269. a.
Necessario omnia evenire affirmabant Hussitæ, 250. c.
Necessitas duplex, simplex seu absoluta, & conditionata, 267.
Quid differunt licet, expedit, & necessarium, 166. d.
Negotiatores non sint sacerdotes & clerici, 1550. a.
Nemausenses episcopi Bernardus *Delbene*, 1234. a. L. 776. a.
Neocastrensis episcopus Johannes Antonius Faschinettus, 1234. c.
Nepesinus episcopus Hieronymus, 1269. b.
Nestorii error de eucharistia, 702. c.
Niciensis episcopus Franciscus Lambertus, 1230. c.
Nicolaus papa V. 931. c. Hortatur Carolum regem Francor. ut dandæ ecclesiæ paci incumbat, 988. b. Dat ei facultatem nomine suo pro unione ecclesiæ agendi, concedendi & promittendi quicquid judicaverit necessarium, 994. c. Ei obediendum declarant partes Lausanenses, 999. d. Restituit beneficia, &c. quibus occasione dissensionis ecclesiæ nonnulli spoliati fuerant, 999. b. & seqq. Ejus bulla de gratiosis, 1010. c. Bulla de deliberationibus in capitulo observetur,

1007. a. Bulla pro obſervatione Caroli-næ & contra diſſidationes, 1007. c.
Nicolaus cardinalis epiſcopus Brixienſis, 1014. a.
Nicolaus cardinalis S. Crucis in Jeruſalem, 586. d. 588. d. 758. d. 756. b. 910. b. Creatur legatus ad concilium Baſileenſe, 800. d. 801. c. 809. c. Quid egerit in Italia pro pace, 812. a. & ſeq. Mittitur in Gallia a ſummo pontifice pro procuranda pace, 114. b. 116. a. 812. c.
Nicolaus cardinalis S. Petri ad Vincula, legatus per Alemanniam, 1005. d.
A Nicolao cardinali legato petitur confirmatio ſtatutorum concilii Moguntini, 1010. c.
Nicolaus Dzifzgowki archiep. Gneſnenſis, legatus natus in Polonia, 1445. c. Ejus epiſtola ad Paulum IV. papam, 1448. c. Ejus adverſus hæreticos ſtudium, 1449. a. & ſeq.
Nicolaus *Pelvé* archiepiſcopus Senonenſis, 1129. a.
Nicolaus Maria Caracciolus epiſcopus Catanenſis, 1129. c. 1441. c.
Nicolaus Sfondratus epiſcop. Cremonenſis, 1234. d. 1254. c.
Nicolaus *Pfaunne* epiſcopus Virdunenſis, 1230. d.
Nicolaus abbas S. Mariæ de Monſiacis, 554. b. 556. c. Papæ orator ad concil. Baſil. 550. c. 551. b. Ejus præſes, 586. b. &c. 589. d. In eo perorat, 542. b. & ſeq.
Nicolaus *Scot* doctor, 607. d. Sigiſmundi imper. nuncius ad papam, 66. a. 84. c. 126. c. 131. c. 531. a.
Nicolaus *Wadem* vir nobilis, imperatoris ad papam legatus, 531. a.
Nicolai de Gara regni Hungariæ Palatini epiſtola ad Sigiſmundum regem Roman. 161. b.
Nicolaus Feſti orator ducis Sabaudiæ ad conc. Baſil. 638. c. 787. b.
Nicolaus de Ponte doctor, orator Venetor. ad concilium Tridcut. 1227. c. 1258. c. 1260. a. 1271. a.
Nicolaus archidiaconus Nitrienſis & canonicus Strigonienſis, nuncius archiepiſc. Strigonienſis in concilio Baſileenſi, 46. c.
Nicolaus Amici univerſitatis Pariſienſis ad conc. Baſil. orator, 4. b. 9. c. Conſiliarius ducis Burgundiæ, 788. b.
Nicolaus Audetus generalis ord. Carmelit. 1142. b.
Nicolaus *Boucherat* doctor, prior de Recluſo, procurator generalis ord. Ciſtercienſis, 1239. b.
Nicolaus *de Bris* doctor Pariſienſis, 1237. c.
Nicolaus *de Brueck* canonicus Trevirenſis, 571. c.
Nicolaus *Cimeſter* decretorum doctor, 617. c.
Nicolaus præpoſitus Cracovienſis, 874. b.
Nicolaus de Cuſa præpoſitus monaſteriis *de Meynfelt*, 952. c. Providetur de eccleſia parochiali *de Brixnauſel*, 953. a.
Nicolaus Jacquati ordinis Prædicatorum, 859. d. 871. c.
Nicolaus *Magni de Jamver* doctor univerſitatis Heidelbergenſis, 197. c.
Nicolaus *Maillard* decanus facultatis Pariſ. 1237. d.
Nicolaus Trecenſis ord. Carmelit. theolog. 1144. a.
Nicolaus Cornelli protonotarius, 130. a.
Nicolaus *Driel* notarius conc. Tridentini, 1161. c.
Nicolaus Caſtellus eques, 1160. c.
Nicolaus Ludovicus comes, 1160. a.
Nicolaus de Perufio capitaneus ducis Mediolanenſis, 738. a.
Nicolaus de Tolentino vir nobilis cadit in prælio, 738. a.
Nicolaus electus epiſcopus Thaboritarum, 493. d.
Nicolaus Thaborita, 508. a.
Nicolaus *de Hmpoleez* Pragenſis, nuncius Bohemorum ad conc. Baſil. 178. d.
Nicolaus de Pelcizimowo Bohemorum deputatus ad conc. Baſileenſe, 206. d.
Nicoſienſis archiepiſcopus Philippus Mozonitus, 1228. c.
Nimoſenſes epiſcopi Andreas Mozzanicus, 1235. a. Andreas Scutanis, 1240. c.
Nioguenſis epiſcop. Petrus *de Zague*, 1235. b.
Nivernenſis epiſcopus orator ducis Burgundiæ ad concilium Baſileenſe, 591. c. 788. c. Ejus prima propoſitio facta in concilio Baſileenſi, 202. b. Secunda propoſitio contra dicta vicarii Moguntini ſuper feſtionibus domini ducis Burgundiæ & dominorum electorum, 212. c.
Nivernenſis epiſcopus Ægidius *Stephane*, 1234. a.
Nocturnum officium, 1483. c.
Nolani epiſcopi Anton. Scarampus, 1230. c. A. 1269. a.
Notariorum officium in eccleſia exercebant lectores, 1373. c.
Novarienſis epiſcopus Jo. orator concilii Baſileenſis ad Carolum regem Francor. 168. a.
Noviomenſis epiſcopus Johannes *de Mailly*, 113. d. e. 115. a. Eum invitant patres Baſileenſes ad concilium, 59. d. & ſeq.
Nunciorum apoſtolicorum in regnis neceſſitas, 1452. c.
Nuncii apoſtolici quales eſſe debeant, 1455. a.
Nuptiarum prohibitio certis anni temporibus non eſt ſuperſtitioſa, 1382. d. 1385. c. Quibus ſint temporibus celebrandæ, 1472. c. In adventu & quadrageſima non faciendæ, 1389. a. In his non danda benedictio, 1544. b. Ante celebratas nuptias nihil exigant ſacerdotes, 1472. d. Petitio oratorum regis Franciæ ſuper ſolemnitate nuptiarum, 1383. c.

O.

Obedientiæ non dentur ad vitam, 1479. b. Plus offerenti concedantur, ibid. c.
Obligans perſonatum vel dignitatem pro pecuniæ ſumma, ſit ab officio & beneficio ſuſpenſus, 1471. d.
Ockſenhauſen abbas Getricus, 1213. b.
Octavianus Bellinus auditor Rotæ, 1159. d.
Octavianus Charus regens S. Laurentii de Neapoli. 1241. c.
Octavius Præconius archiepiſc. Panormitanus, 1128. e.
Octavio Farneſio civitas Parmenſis relinquenda, 1217. b.
Odrico de Loza capitaneus Thaboritarum, 241. a.
Odium placat clecmoſyna & liberalitas, 1457. d.
Oecolampadiani, 1188. a.
Officia qui debent in choro exercere ſingulis ſabbati diebus in tabella notentur, 1474. c.
Officium divinum celebretur horis & temporibus inſtitutis, 1460. e. Debet pulſari tempore ſuo a matriculariis, 1564. e. Cum gravitate dicatur, 1426. c. Fiat ordinate cum pauſis, &c. 1530. e. In eo ſerveretur modeſtia, 1474. a. Ejus tempore confabulationes prohibitæ, 243. b. 1531. b. Ante ejus finem nullus exeat, 1474. b. 1531. d. & ſeq. In eo prolixitas vitanda, 1426. d. Et qui non interſunt ut puniendi, 1497. b. 1564. b. Ab eo abſentes ſuam diſtributionē perdant, 1475. b. Ex conſuetudine abſentes gravius puniendi, ibid.
Officium B. Mariæ ab omni ævo in eccleſia Rothomagenſi, 1532. d. Cui omnes intereſſe debent, 1533. a.
Olaus magnus archiepiſcopus Upſalenſis, 1021. c. 1135. c. 1138. d.
Omnibonus ordinis S. Auguſt. theologus, 1143. c.
Operum bonorum neceſſitas, 1447. a.
Oppidenſis epiſcopus Theophilus Gallipus, 1235. d. 1441. b.
Orationes arma ſunt eccleſiæ, 29. c. Oratio frequens, 1545. d. Oratio peccatoris quomodo poteſt eſſe meritoria, 484. a. b. Orationem pro mortuis damnabant Huſſitæ, 250. b. Oratio pro ſubſidio terræ ſanctæ, 1546. b.
Oratio dicenda ante ſeſſionem, 1154. d. 1155. b. e.
Orationes & preces præſcripræ a concilio Baſileenſi pro reductione Bohemorum, 242. d. e.
Oratorum imperatoris petita ſuper articulo xxxv. reformationis, 1403. d.
Oratorum regum Galliæ & Hiſpaniæ controverſia de præſidentia, 1362. b. c. 1363, b.
Oratores regis Franciæ diſcedunt Tridento, 1403. c.
Orator regis Hiſpaniarum in concil. Trid. bellum indicit regi & regno Franciæ, 1363. c.
Ordinarium in choro catena ligarum habeatur, 1482. b.
Ordinum religioſorum quatuor capita in Burgundia, 216. c.
Ordinationes ubi celebrandæ, 1331. d. Et a quibus & quomodo, 1438. a. Nullus ordinetur ſine titulo, 1333. b. 1348. c. 1369. c. 1437. c. Presbyter non ordinetur ſine beneficio, 1307. e. Ordinandorum examen, 1366. d. e. A quibus faciendum, 1348. a.
Ordines ſacros presbyteri non ſuſcipiant ſine ordinarii ſui licentia, 1464. b. Ordinari a quorumque facultas concedenti damnoſa, 1340. a.
Ordines ſacros non per ſuffraganeos, ſed per ſe ipſos conferant epiſcopi, 1330. c. 1331. d. 1347. c. 1366. a. 1367. b. Et prævia confeſſione, 1515. d.
Ordinandi quando epiſcopo ſint præſentandi & examinandi, 1331. b. 1449. a. Teſtimoniales litteras habeant, 1331. a. Bonum teſtimonium continentes, 1348. a. Quale illud eſſe debeat, 1438. c.
Ordinandorum ætas, 1334. a. 1368. d.
Ordines ſacri plures eodem die non conferantur, 1368. c. Multo minus omnes, 1507. d.
Ordinentur infra tres menſes electi epiſcopi, 1365. c. Et ubi, ibid. Ordinandi non ſunt epiſcopi clerum & populum non habentes, 1330. d.
Ordinibus ſacris initientur omnes curam animarum habentes, 1509. a.
Ordines minores quibus conferendi, 1366. c. 1367. c. & ſeq. Non ſimul, ſed gradatim conferendi, 1333. d. 1367. c. 1436. c.
Ordinare non præſumat epiſcopus familiarem ſuum, niſi triennio ſecum fuerit commoratus, & beneficium illi conferat, 1367. c.
Ordinandi non ſunt indigni, 324. d.
Ordines furtive recipientes excommunicentur, 1501. c. Ordinatos per ſaltum epiſcopus poteſt diſpenſare, 1369. b. Pro ſacris ordinibus nihil exigendum, 949. a.
Examen canonum & doctrinæ de ſacramento Ordinis, 1296. e. Dati examinandi, 1291. b.
Abuſus circa ſactamentum Ordinis examinandi, 1348. a. 1364. b. Super abuſibus ordinis ſacramenti congregatio, 1341. b. d. 1378. e. 1379. c. Deputati patres ad colligendos abuſus circa ſacramentum ordinis, 1312. b.
Ornamenta eccleſiæ a quibus abluantur, 1520. a. Pro debitis ſolvendis non ſunt alienanda, 1517. a.
Orphani cum Polonis expugnant oppidum *Waldemburg*, 609. a.
Oſcenſes epiſcopi Antonius Auguſtinus, 1141. a. Dominicus, 137. c. Petrus Auguſtinus, 1137. a. 1250. a.
Oſtiarii officium, 1372. c.
Oſtienſis epiſcopus Antonius, 51. c.
Oſtunenſis epiſcopus Jo. Carolus, 1269. b.

Otto archiepiſcopus Trevirenſis, 572. b.
Otto de Lapide decretorum doctor univerſitatis Heidelbergenſis, 197. c.
Otto I. imperator Johannem papam XII. deponit, 383. c.
Otto III. imperator, 611. c.
Otto comes Burgundiæ, 611. c.
Ovetenſis epiſcopus Artias Gallego, 1232. c.

P.

PAcenſis epiſcopus Franciſc. de Navarra, 1136. c. 1140. c. 1423. a.
Pactenſis epiſc. Bartholomæus Sebaſtianus, 1230. c.
Paderbornenſis epiſcop. Theodericus, 730. c.
Paduanus epiſcopus Petrus, 738. d. 806. d. 822. e. 823. b. 859. a. 945. d. Monitio facta Johanni archiepiſcopo Tarentino & Petro Paduano epiſcopo, ut revocent proteſtationem factam contra abrogationem annatarum, 822. a. c. 823. a.
Pœnitentiæ partes, 1246. b. In quatuor conſiſtit, 1461. d. e. Reiterari poteſt, 1283. b. Pœnitentia publica reſtituenda, 1310. c. Publice pœnitentes reconciliare poſſunt diaconi, abſente epiſcopo & ſacerdote, 1375. c.
Articuli de Pœnitentia excerpti ex libris hæreticorum [illegible]vmuandi a theologis, 1144. d. 1145. a.
Pallium metro[illegible]olitanis ſuis conferre poſſunt patriarchæ, 858. c.
Pallium per quinque annos in curia Romana petitum, nec impetratum, 921. d.
Pampilonenſis epiſcopus Didacus *Ramirez*, 1235. e.
Pandulfus de Urſinis protonotarius, 130. a.
Panormitanus archiepiſc. Petrus Tegliancа, 1138. d.
Papa eſt caput & monarcha totius eccleſiæ, 828. d. Omnium eccleſiarum princeps, 848. c. Talis eſſe debet, qualis ille cujus vices gerit, 540. c. Refugium perſecutorum, 848. e. Omnium fidelium Chriſtianorum frater, 819. e. & ſeq. Ad eum cauſæ referri ſolent, 848. d. Ejus eſt dubia declarare, 547. a.
Papæ officium, 1430. c. Juriſdictio, 1361. c. Auctoritas, 1447. e. Irrefragabilis, 730. b.
Papæ auctoritas eſt ipſius eccleſiæ auctoritas, 831. e. Papæ & Dei unum eſt conſiſtorium, 545. e.
Papæ debent eſſe canonum obſervatores, 822. c. 850. a. 857. a. Tenentur obedire concilio, 826. c. 840. d. 931. b. Cui ſubjiciuntur, 558. a. 559. a. & ſeq. Concilium ſupra papam, 664. a. 946. e. Subjicitur legibus politiæ Chriſtianæ, 829. a.
Paparum auctoritatem debent tueri concilia, 851. b. Papa pro neceſſitate diſpenſare poteſt ſuper obſervatione canonum, 857. d. Papæ ſumma poteſtas ad ædificationem, non ad deſtructionem, 1195. d.
Papa an præſidere debeat concilio, 816. a. & ſeq. Præſit conciliis præſidentia honoraria, 833. a. Conciliis generalibus auctoritative ſemper intereſt, 857. b. Si conciliis intereſt, ipſe concludit, ipſe ſtatuit, ſub nomine ejus & perſona omnia decernuntur, 857. d.
Papæ nunci conciliis præſident, 848. e. Qui illud ſua auctoritate confirmant, 842. d.
Papæ definitiones rejici non poſſunt, præſertim accedente univerſalis eccleſ. conſenſu, 1313. e. Papa ſuperior omnibus conciliis, ab his non poteſt judicari, 1339. e. Primæ ſedis facta ſolius Dei judicio reſervantur, 987. b.
Papæ delinquentis judex eſt concilium generale, 829. c. Nec ab ullo niſi a concilio poteſt judicari, 470. a.
Papa non habet in terra ſuperiorem ſibi monarcham, 540. e. Non poteſt judicari ab homine, 456. c. Ei inferior eſt imperator in ſpiritualibus, 456. b. Nec eſt de ejus foro, 456. d.
Papæ ad eccleſiæ neceſſitatem omnia permiſſa ſunt, 1198. a. Nihil poteſt quod antiquorum decretis repugnat, 1198. d. An poterit revocare caput *Frequens* concilii Conſtantienſis, 560. a. &c.
Papæ electio pertinet ad cardinales, 1417. c. Eam ſibi reſervat concil. Baſileenſe, 648. b. Ejus electio a quibus facta, 611. a.
Papam uberes proventus habere neceſſe eſt, 852. d. Ejus & cardinalium neceſſitatibus providere promittit concilium Baſileenſe, 844. d. 934. e. Si velit obſervare decreta ſua, 860. e. Ei providendum antequam tollantur annatæ, 947. d. Ei facta proviſio in concilio Bituricenſi, 947. e.
Papam calumniantur patres Baſil. 909. a. Ejus auctoritas in Germania contemnitur, 96. a. b. Eam ſuggillant hæretici, 563. c. In eum & epiſcopos debachantur hæretici Bohemi, 19. d. Eum dici ſanctiſſimum improbant hæretici, 499. e.
Papæ obedientiam in bonis rebus non negant Huſſitæ, 22. c. Contra deprimentes eccleſiam Rom. 437. c. & ſeq.
Papæ olim vocabantur omnes epiſc. 498. d. Papas appellant Græci omnes presbyteros, 498. c.
Papienſis epiſcopus legatus papæ intereſt diætæ Ratiſpon. 1014. a.
Papiæ coadjutor Hippolytus, 1269. c.
Paphenſes epiſcopi Franciſcus Contarenus, 1236. c. Petrus Contarenus, 1233. b. Hippolytus de Rubeis, 1235. c.
S. Papuli epiſcopus Anton. Maria Salviati, 1269. c.
Parentinus epiſcopus, 130. b. Baſileam affert bullam diſſolutionis concilii, 53. d. A Sigiſmundo imper. citatur, 131. c.
Parentini epiſcopi Daniel, 50. b. Johann. Campegius, 1136. c. 1140. b. Julius Griſſus, 1232. a.
Pariſienſis civitas in fide Cathol. perſeverat, 1318. c. d.
Pariſienſes epiſcopi Euſtachius *du Bellay*, 1230. e. 1258. d. Jacobus *du Chaſtelier*, 113. d. e. 115. a.
Parmenſes epiſcopi Dalphinus, 608. b. Alexander Sfortia, 1235. a.
Parochianos alterius ad divina nullus admittat, 1500. c.
Paſtores debent pollere virtute, 915. e.
Paſtoris boni dotes, 1152. d. Vitioſus gregem in vitium trahit, 499. d. 914. a. Eo nihil magis officit eccleſiæ, 1367. d. Oves ſuas malo exemplo jugulat, 1065. b. & ſeq.
Paſtores quibus de cauſis poſſint a ſua eccleſia abeſſe, 1377. b. Tunc abſentiæ cauſam ſignificent ſuis ſuperioribus, ibid. c.
Patavienſem civitatem expugnare parant hæretici, 92. d.
Patavienſis epiſcopus Wolfangus, 1048. b.
Patavinus epiſcop. Aloyſius Piſanus, 1139. c. 1229. b.
Patramenſis archiepiſcopus Anton. Cochus, 1253. c.
Patriarchis licet conferre pallium ſuis metropolitanis, 858. c.
Patrini in baptiſmo ſint tantum unus & una, 1386. c. Non ſint pueri, 1538. c. Eorum nomina epiſcopo danda, 1546. a. Levando pueros non faciant expenſas, 1358. e.
Pauli locus ex epiſtola ad Timotheum explicatus, 471. b.
Paulus III. 1202. d. 1219. c. Ejus elogium, 1158. c. 1195. c. 1202. d. Ad componendas de religione Chriſtiana lites concilium generale congregare meditatur, 1024. c. & ſeq. Concilium Mantuæ indicit, 1025. c. Cujus tempus prorogat, 1026. c. Vicentiæ illud celebrare proponit & indicat; 1028. a. b. Legatos ad illud deſtinat; ibid. d. Illud in aliud tempus ad petitionem imperatoris & aliorum principum prorogat, 1029. a. Ejus celebrationem ſuſpendit, 1030. c. Vicentia ei a Venetis denegata, concilium Tridenti celebrandum indicit, 1031. b. Illius celebrandi tempus ſuſpendit, 1032. c. Ejus bulla ſuſpenſionis concilii ad tempus declarandum per eum, 1033. a. Carolum V. imperatorem & Franciſcum regem ad pacem hortatur, 1034. d. 1035. a. Imperatorem in Italiam venientem convenit in oppido Buſſeti, 1035. c. Alexandrum Farneſium cardinal. nepotem ſuum legatum mittit ad imperatorem & regem Francorum, 1038. a. Franciſcum Sfondratum ad dictam Spirenſem. Novos legatos mittit ad imperatorem & regem Franciæ, 1038. d. Publicas ſupplicationes indicit & indulgentias promulgat pro eccleſiæ pace, 1038. c. Item pro obtenta pace, 1039. a. Bulla ejus revocatoria ſuſpenſionis & indictionis concilii ad diem dominicam *Lætare* anni MDXLV. 1039. c. Permittit illud alio transferri ſi fuerit neceſſe, 1040. b.
Pauli III. bulla pro indictione ſupplicationum, proceſſionum, &c. pro celebratione concilii Tridentini, 1055. a. Breve aperitionis concilii Tridentini, 1087. a. Prælatos in concilio Trident. exiſtentes eximit a ſolutione decimarum & ſubſidiorum, concedeque eis facultatem percipiendi fructus in abſentia, 1071. d. Breve ad epiſcopos & abbates Helvetiæ, 1085. c. Approbat concilii Tridentini decretum de prædicationibus, 1098. e. Ejus bulla ad Helvetios, 1103. d. Mittit copias Carolo V. imperatori adverſus Lutheranos, 1102. Ejus bulla indulgentiarum pro pace publica & exſtinctione hæreſium, 1104. c. Breve ad legatos ſuos præſides concilii Bononienſis, 1180. c. Bulla ad ſuos nuncios pro reductione Germaniæ ad unitatem fidei directa, 1203. c. Breve citationis tam ex Tridento, quam ex Bononia, 1213. c. Breve ad prælatos Tridenti reſidentes, 1214. b.
Paulus Æmilius Varallus archiepiſc. Roſſanenſis, poſt epiſcopus Aquenſis, 1224. b.
Paulus epiſcopus Argentinenſis, 941. e.
Paulus Jovius epiſc. Nucerienſis, 1235. c.
Paulus *Roſdorff* magiſter generalis ordinis B. Mariæ Theutonicorum, 240. c. &c. 383. b. 611. a.
Paulus ordinis ſancti Auguſtini theologus, 1143. d.
S. Pauli epiſcopus Antonius Maria de Salviatis, 1235. e.
Paupertas commendatur, 1065. c.
Paupertatis in clerico incommoda, 525. d. e. Multis vitiis ſubjacet, 525. a.
Paupertas multum ſollicitam reddit mentem, 512. e.
Pax hominum eſt ordinata concordia, 452. d. Concordantium animarum ordinata tranquillitas, 916. Pax in Chriſti myſtico corpore ſervanda, 846. d.
Pacis commendatio, 124. a. & ſeq. 981. c. d. Quantum bonum, 686. a. & ſeq. Ejus utilitas, 677. a. 916. e. & ſeq. Ad eam res inclinant, 342. e.
Pax multiplex, 452. c. & ſeq. Pax triplex, 373. a. Pax mundi, 373. b. Pax eccleſiæ reddita interventu Franciæ, Angliæ, & Renati Siciliæ regum, & Ludovici Delphini, 999. c.
Pax inter Carolum V. imperatorem & Franciſcum I. regem Francor. 1049. d. 1089. d.
Pax inter regem Franciæ & ducem Burgundiæ, 881. b.
Pax Atrebatenſis, 908. a.
Pax in Germania per concilium Baſileenſe procurata, 908. a. Pacem inter principes Chriſtianos componere intendit, 39. d.
Pacis inter Franciæ & Angliæ reges facien-

dæ articuli missi in Angliam, 864. a.
Pax & incensum prius detur oratoribus ecclesiasticis, deinde laicis, 1250. d.
Pacifici qui dicendi, 856. b.
Peccantes publice scribant in libro ostiarii, 1373. b.
Peccatores facere confessionem non tardent, 1461. c. Peccatum qui non punit, Deum ad iracundiam provocat, 916. b.
Peccatorum remissio triplex, 400. c.
Peccata mortalia non omnia puniri possunt lege humana, 429. b. Ea non dimittit nisi Christus, 401. b. Nullum esse dominum civilem, nullum prælatum in peccato mortali existentem ceusent hæretici Bohemi, 250. d. Pertinet ad innocentis officium non solum nemini malum inferre, sed etiam cohibere a peccato, 425. c.
Peccati originalis an fuerit expers S. Maria, 1096. c. De eo vult imponi silentium Aquensis archiepiscopus, 1096. d. Item Cabarlensis, 1097. c.
Pecuniæ pro Græcorum unione unde conquirendæ, 763. c. 900. c.
Pelagius papa jubet hæreticos per judices laicos puniri, 384. b.
Penestrinus episcopus Hugo, 51. c.
Pennensis episcop. Jacobus Guidius, 1235. c.
Pensiones in beneficia prohibitæ, 1200. c. Tollantur, 1310. a.
Penticularis morbus contagiosus, 1210. b.
Percevallus episcopus Bellicensis, 638. c.
Peregrinationes damnant hæretici, 409. d. e. 479. d.
Peregrini clerici quomodo admittendi, 1440. b.
Peregrinus Fabius episcop. Vestensis, 1141. d.
Personatus duo in ecclesia Leodiensi nulli conferantur, 1482. a.
Personatum seu dignitatem pro pecuniæ summa obligans, sic suspensus ab officio & beneficio, 1471. d.
Perjuri ut puniantur, 1508. a.
Pestis Venetiis, 810. b. c.
Petitio oratorum Venetorum super matrimonio, 1390. b.
Petrus in concilliis primitivæ ecclesiæ nullam sibi vindicabat auctoritatem, 831. a.
Petrus episcopus Albanensis, cardinal. Fuxensis, 815. a. c.
Petrus Paceus cardin. Gibennensis, 1118. c. 1135. c. 1137. c. 1180. d.
Petrus de Luxemburgo cardinalis, 815. c. Informationes de vita & miraculis ejus, 815. d.
Petrus Paulus Parisius cardinalis, præses concilii Tridentini destinatus, 1031. c. 1032. d. 1034. d. 1035. a. c. Revocatur, 1036. c.
Petrus Landus archiepiscopus Cretensis, 1227. c.
Petrus *Guerrero* archiepiscopus Granatensis, 1228. a. 1244. d.
Petrus Antonius de Capua archiepiscopus Hidruntinus, 1229. c. 1289. a.
Petrum archiepiscopum Januensem ad concilium Bononiense invitat Eugen. 1143. a. & seq.
Petrus archiepiscopus Moguntinus, 1005. c.
Petrus Tegliania seu Tagliavia archiepisc. Panormitanus, 1175. d. 1138. d.
Petrus episc. Agriensis, 47. c.
Petrus episcopus Albanensis, 586. d. 588. d. Ejus statuta pro ecclesia Leodiensi, 1473. a.
Petrus Nepos episcopus Albiensis, 741. c. 742. c. 772. a.
Petrus Franciscus Pallavicinus episcop. Alevicnsis, 1231. b.
Petrus episcopus Aquensis, 1269. b.
Petrus Faunis Cosiacciario episc. Aquensis, 1233. c.
Petrus Vorstius episc. Aquensis, 1158. d.
Petrus Acuna & Avellaneda episcop. Asturicensis, 1422. c.
Petrus de Longolio ex decano episcop. Autissiodorensis, 583. c.
Petrus *Cauchon* episcop. Belvacensis, Henrico Anglorum regi addictissimus, 113. d. e. 115. a.
Petrus Ghinutius episcopus Cavellicensis, 1140. c.
Petrus *d'Albret* episc. Convenarum, 1235. d.
Petrus Barbadicus episcopus Corfulensis, 1233. a.
Petrus *Gonzales* de Mendoza episc. Dertusensis, 1235. b.
Petrus de Versaliis episcopus Dinicnsis ex monacho Dionysiano, 579. b. Perorat in conc. Bituric. 945. b.
Petrus episcopus Electensis, 130. a.
Petrus Bertanus episcopus Fanensis, 1140. b. Legatus papæ in Germania, 1203. a. c.
Petrus Camaianus episc. Fesulatum, 1231. c.
Petrus episcopus Gerundensis, 1464. c. Petrus alter episcopus Gerundensis, 1464. c. 1465. b. 1467. b. d. 1468. a.
Petrus episcopus Iuolensis, 7. c.
Petrus de Monte orator concilii Basileensis ad papam, 737. a. episcopus Lucerinus, 1232. a. 1409. b.
Petrus Donatus Cesius episcopus Narniensis, 1137. c. 1141. c.
Petrus *de Zague* episcop. Neoguensis, 1235. b.
Petrus de Augustinis episcopus Oscensis, 1137. a. & Jacensis, 1230. a.
Petrus episcopus Paduanus, 801. e. 806. d. 859. a. 925. d. Præses concilii Basileens. 738. d. 783. c. Ab eodem concilio monetur, 822. a. 823. b.
Petrus Contarenus episcopus Paphensis, 1233. b.
Petrus *Duval* episc. Sagiensis, 1230. b.
Petrus *Gonzales* de Mendoza episcopus Salamantinus, 1265. d.
Petrus Danesius orator regis Francorum ad concilium Trident. 1101. c. e. 1138. b. In eo perorat, 1101. c. Episc. Vaurensis, 1233. c. 1399. d.
Petrus Franciscus Ferrerius episcopus Vercellensis, 1139. c.
Petrus Fragus episcopus Usellensis, 1236. d.
Petrus *de la Combe* electus abbas B. Mariæ de Bona-cumba, 780. c.
Petrus *Darens* prior B. Mariæ Deauratæ, decretorum doctor, 781. c.
Petrus de Alvarado theolog. 1142. c.
Petrus Aridiensis doctor, 1240. b.
Petrus Bonicelli archidiac. de Martello in ecclesia Metensi, 150. b.
Petrus Brunelli servitor episc. Attrebatensis in concilio Constant. 613. c.
Petrus *Carnels* doctor, 1238. c.
Petri Fabri inquisitoris hæreticæ pravitatis epistola ad concilium Basileense de gestis ab eo adversus hæreticos, 161. c.
Petrus *Fernandes* doctor, 1238. b.
Petrus Frouidonius doctor, 1239. d. Orationem habet in concil. Tridentino pro Hispaniæ regis oratore, 1243. d.
Petrus Folchirus doctor, prætor Tridentinus, 1046. b.
Petrus *Gillarens* baccalaureus in decretis, canonicus Augustensis, 67. d. 68. c.
Petrus Paulus Januarius theologus ordinis Prædicat. 1160. d.
Petrus *Kalde* canonicus Zagrabiensis, 627. c.
Petrus *Lafurier* camerarius Vizeliacensis, collector semidecimæ, 616. b.
Petrus Martyr doctor, 1240. c.
Petrus Mercatus doctor, 1239. c.
Petrus *de Morvie* cubicularius & orator Eugenii papæ, 932. c.
Petrus Naia legum doctor, 1142. b.
Petrus Nardi, 130. b.
Petrus Paulus de Potentia theologus, 1143. c.
Petrus Sarra theologus, 1142. c.
Petrus de Soto theologus ordinis Prædic. 1237. c. 1291. a. Sententiam dicit de sacramento matrimonii, 1312. d. Ejus obitus & litteræ ad summum pontificem, 1339. a. & seq.
Petrus *de Vaudrey* domicellus, Philippi ducis Burgundiæ pincerna, 69. b.
Petrus *Zouliaffre* decanus S. Petri Basilcensis, 3. c.
Petrus *Zatores* doctor, 1240. c.
Petrus *Payne* Anglicus, Bohemorum deputatus ad concilium Basileense, 248. d. 341. c. 415. c.
Petrus Sampaulus de Ursinis cadit in prælio, 738. a.
Petrus Johannis hæreticus, 437. c.
Petrus *Sacz* Bohemorum deputatus ad concilium Basil. 246. d.
Petrus *Sacz* magister monetæ Basileensis, 940. b.
Philadelphiensis episcopus Leonardus *Haller*, 1229. c.
Philibertus episcop. Constantiæ provinciæ Rothomagensis, missus a concilio Basil. Ratisponam, 670. b.
Philibertus Ferrerius episcopus Hipporegiensis, 1138. c.
Philibertus de Rupe procurator ducis Sabaudiæ in curia Romana, 67. c. 68. b.
Philippus *de Leoni* archiepiscop. Auxitanus, Arelatensis & cardinalis, 719. c.
Philippus Mozensius archiepiscopus Nicosiensis, 1228. c.
Philippus Bonus episcopus Famagustanus, 1137. a. 1141. b. 1159. b.
Philippus Gerius episc. Molanensis, 1234. b.
Philippus Roccabella episcop. Mauranensis, 1141. c.
Philippus Riccabella episcop. Recanatensis, 1230. b.
Philippus Archintus episcopus Saluciarum, 1136. d. 1140. c. 1157. d. 1158. c.
Philippus *du Bec* episc. Vencensis, 1233. c.
Philippus de Bononia theolog. ord. Servorum B. Mariæ, 1161. c.
Philippus Brachus lector Patavinus, 1143. d.
Philippus *de Sitrch* decanus Trevirensis, 1202. b.
Philippus *de Sitrch* canonicus Trevirensis, 571. c.
Philippi Augusti armis repetita fides Britanniæ, 1202. b.
Philippus Pulcher rex Francorum, 1401. a.
Philippus Valesius rex Francorum, 1401. a.
Philippi regis Hispaniæ orator ad concilii Trid. comes de Luna, 1236. b. Ejus adventus Tridentum, 1255. d.
Philippus dux Burgundiæ, 613. a.
Philippus, avus, pater, & modernus dux Burgundiæ, 217. e.
Philippi ducis Burgundiæ epistola ad conc. Basileense, 68. c. Ad quod legatos mittit, 191. c. Et episcopum Nivernensem, 202. b.
Philippus dux Burgundiæ adhæret concilio Basileensi, 105. d. 591. a. Ejus mandatum ad concil. Basil. 634. c. Lectum in concilio, 590. c. Concilio Basil. promittit missurum se suos prælatos ad concil. ac pro pace operam suam impensurum, 144. b. & seq. Commendat patribus Basileensibus *Florem* suum ex Berbiermitano ad Autissiodorens. episcopatum translatum, 583. c. Concilio Basileensi scribit in gratiam Ulrici *de Mandercheit* electi Trevirensis, 172. b. & seq. Ut causæ Trajectensis ecclesiæ diffinitio differatur, 238. c. & seq. Ejus epistola ad cardinalem Cypri, 871. c. Novos ad concilium Basileense mittit oratores, 788. b. & seqq. Promittit servare belli inducias cum duce Austriæ, 669. c. Ejus epistola ad Henricum regem Angliæ, 863. b. Quem horratur ad pacem, 863. c. Et ut adhæreat concilio Basileensi, & ad illud prælatos suos mittat, 105. c. Ejus epistola ad concilium Basileense de dicta Arrebatensi pro pace Franciæ, 799. d. Ad Bohemorum reductionem offert arma sua, 206. a. b.
Philippus-Maria-Angelus dux Mediolanen-

lis, 63. c. 65. Scribit ad concilium Basileense, 620. a. Improbat translationem concilii Basileensis ad civitatem Florentinam, 938. d. e.
Philos Reverella episcop. Asculanus, 1135. c. 1138. c. 1158 c.
Pientinus episc. Alexander Picolomineus, 1139. c. 1229. b.
Piceas quid, 887. c.
Pilæ ludus clericis in loco publico interdictus, 1534. e.
Pilznenses longam infracto animo sustinent obsidionem, 717. b. Significant concilio Basileensi reportatam de hæreticis victoriam, seque in magna penuria versari, 716. c. d.
Pisaurenses episc. Julius Simonetta, 1135. d. Ludovic. Simonetta, 1136. c. 1140. b.
Piscina sit juxta altare, 1519. d.
Pistorienses episcopus Francisc. Galeanus, 1141. c.
Pii IV. bulla pro celebratione concilii Trident. 1242. c. Breve super ordine in eo sedendi, 1243. a. Indulget jubilæum pro felici ejus exitu, 1245. b. Ejus epistola ad legatos concilii Tridentini, 1405. c. Mittit concilio Tridentino indulgentias per quadragesimam ecclesias visitantibus, 1252. d.
Pius V. consultor a quibusdam concilii Tridentini patribus, an residentia sit juris divini, 1267. c. Quam sententiam temuisse creditur, 1268. a. Ejus breve ad quosdam patres concilii Tridentini de residentia, 1267. c.
Pius IV. ægrotat, 1417. b. Melius se habet, 1418. d. Ejus breve apostolicum ad episcopos Galliæ, 1423. d.
Placentinus episcop. Cathelanus Trivultius, 1136. a. 1139. b. 1158. c.
Plebani duos aut plures secum clericos habeant, 1309. a.
Pluralitas beneficiorum damnata, 1401. d. 1426. a. Et idea tollenda, 1308. c.
Polæ episcopus Antonius Helius, 1244. c.
Policianus episcopus Espinellus, 1269. c.
Polonia tardius ad Christi fidem conversa, 38. c.
Poloniæ regem ad pacem cum fratre ejus Wickrigaldo ineundam hortatur concilium Basileense, 38. a. & seq.
Poloni recusant pacem facere cum militibus ordinis beatæ Mariæ Teutonicorum, 608. c. & seq. Poloniæ rex eos opprimit, 609. b.
Polonorum confœderatio cum Bohemis, 159. b.
Poloniæ rex cum Bohemis hæreticis confœderatur adversus ordinem Teutonic. 240. a. & seq. 609. c. Hungaris declarat se nullam cum Bohemis contraxisse unionem contra Teutonicos, 161. c.
Poloniæ reges Fridericus, 16. d. Ladislaus seu Wadislaus, 39. c. 241. c. 575. c.
Pompam a prælatis ad concilium Basileense venientibus averterc tentant patres concilii, 30. c. 36. c.
Pompeius de Zambeccariis episcopus Sulmonensis, 1141. d. 1230. c. 1418. c. 1419. b. 1441. c.
Pompeius Piccolomineus episc. Tropiensis, 1233. a.
Pompeius Loyanus consul Bononiensis, 1159. d.
Pompeius de Spiritibus magister ceremoniarum in conc. Trid. 1161. c.
Pomposiæ Ferrariensis abbas Lucianus, 1337. b. 1141. e.
Pontidæ Bergomensis abbas Isidorus Clarius, 1141. c.
Pontifices non jurant, nisi de octo conciliis tenendis, 657. d.
Pontius Politus ordinis Carmelitar. regens Paduæ, 1144. a.
S. Pontii Thomeriarum ecclesia per Benedictinos monachos inhabitata, 774. c.
S. Pontii Thomeriarum episcopi, cardinalis S. Marci, 803. c. Alexandrinus patriarcha, 803. c. Gerardus ex Apamia translatus, 776. c. 803. c. e. In ejus gratiam concilio Basileensi scribunt episcopi provinciæ Narbonensis, 774. a. Et Johann. comes Armeniaci, 797. a. & seq.
Portuenses episc. Balthasar Sympus, 1136. b. 1140. a. Matthæus Grimanus, 1038. d.
Portugalliæ reges Johannes, 595. a. Johannes III. 1061. b. 1062. c.
Possessiones ecclesiarum scribantur in fine missalis vel breviarii, 1518. b. Non locentur consanguineis clericorum, 1528. d. Nec ultra decennium, 1529. b.
Postillæ novæ evangeliorum, 1427. a.
Potestas non est nisi a Deo, 390. b.
Præbendæ sacerdotales quibus dandæ, 1476. c. & seq.
Præbendæ alicujus portio singulis ordinibus in ecclesia attribuatur, 1376. b.
Præsidentiæ causa controversia inter oratores regis Galliæ & regis Hispaniæ, 1342. c. Protestationem facit orator Hispanus, ad quam respondet orator Gallus, 1343. c.
Præcepti & consilii quæ differentia, 325. a.
Præcepta Dei duplicis generis, 268. c.
Præcepta ecclesiæ obligant sub peccato, 1448. b. Ea spernebant Hussitæ, 250. c. de Prædestinatione error Hussitarum, 250. c.
Prædicatio dominicis festisque diebus in adventu & quadragesima, 308. c.
Prædicatio curato necessaria, 1461. c.
Prædicatio quam sit salubris, 1468. c.
Prædicatio subditorum sit bona vita prælatorum, 339. c. 461. a.
Prædicationis munus est sacerdotum, 330. a. & seq.
Prædicare licite posse diaconum sine speciali episcopi licentia docent hæretici, 336. c. Et sacerdotibus præceptum, 327. a.
de Prædicatione Verbi Dei patrum Tridentinorum vota, 1097. c. & seq.
Prædicatores non admittantur sine litteris episcopi, 1545. b. c.
Prædicatoribus fratribus prædicare permittatur, 1545. c.
Prægnantes mulieres mortuæ scindantur, 1545. b.
Præiati infra annum ad ordines promoveantur, 1509. a.
Præmisliensis episcopus Valentinus Herburus, 1227. c. 1235. b.
Prænestini episcopi Guido, 1476. c. Johannes Morosus, 1226. d.
Præsidentia multiplex, 826. c.
Præsidentiæ causa dissentio inter oratores regum Galliæ & Hispaniæ, 1362. c. 1376. c.
Præventiones omnia confundunt, 1199. d. Sunt contra conc. Lateran 1199. d.
Praga olim civitas fidei, civitas sapientiæ, nunc oppidum perfidiæ & magistra erroruni, 713. d.
Pragam circumvallat Sigismundus rex Romanorum, 599. c.
Pragenses urgent ad habendos salvos conductus veniendi ad concil. Basil. 175. a. & seq.
Pragensis archiepiscopus Antonius de Muglitio, 1227. a. 1228. c. 1248. c. 1254. a. 1299. a.
Pragensis universitatis mandatum concilio Basileensi exhibitum, 147. a.
Preces publicæ extra sacrificium vernacula lingua faciendæ, 1309. b.
Presbyteri & episcopi iidem apud Apostolum, 848. b.
Presbyteri quales ordinandi, 1334. c. 1369. a. Qua ætate, 1437. c. Non ordinentur sine titulo, 1307. c. Promoti per saltum ab episcopo possunt dispensari, 1335. b. Quoties celebrare debeant, 1335. a. Eorum cœlibatus, 1272. a. In suo munere permaneant, 1308. a. Sine licentia episcopi non possunt audire confessiones, 1335. b. Prædicatoris officium habent, 317. d.
Presbyter malus comparatur corvo, 314. c. Presbyteris multa prohibita, 1546. d. & seq. Non intersint comessationibus, 1547. a. Nec incedant de nocte, nec armati, 1547. a. Non frequentent mercara, ibid.
Presbyteri concubinarii nullus missam audiat, 315. c. 511. c. Presbyter concubinarius non sit in presbyterio, nec cum aliis ad divina officia, 316. a. Presbyter quidquid præter victum & vestimentum retinet de altari, rapina est, 316. b. c.
Principatus multiplex, 827. d.
Prioratus simplices in antiquum statum restituantur, 1309. d.
Privilegia principibus tanta non sunt concedenda, 1455. c. Privilegia ipsis contra ecclesiasticam libertatem concessa, ipsos reddunt insolentiores, 1452. d.
Privilegia cunte custodiantur, 1481. a. Duobus custodienda tradantur, ibid. b.
Processionem Spiritus-sancti a Patre & Filio petunt Græci ut in concilio generali, ipsis præsentibus, declaretur, 757. a. Fuit declarata in octavo concilio generali, ibid.
Processio diebus dominicis per annum, 1257. c. 1484. a. Singulis festis vi. per quadragesimam, 1257. b. In dominica Palmarum, 1257. a.
Processionibus Rogationum interfint saltem capita familiarum sub pœna pecuniaria, 1556. a.
Processio in festo corporis Christi, 1359. c.
Processiones indictæ ante concilium Trid. 1055. a. & seq. In continuatione conc. Tridentini, 1245. c.
Processio causa imbrium & nivium, 1243. c.
Processus verbales de inchoatione concilii Basileensis, 3. c.
Procopius capitaneus Bohemiæ, 27. c.
Procopius sacerdos, exercitus Thaboritarum in spiritualibus rector, deputatus ad concilium Basileense, 148. d. Orator Bohemorum ad conc. Basil. 630. d.
Procopii Rasi propositio nomine Thaboritarum de bellorum periculo, 602. c. Ejus epistola adversus papam & episcopos, 19. a. & seq. Epistola ad Sigismundum imperatorem, quem orat præsentem se cum eis exhibere in concilio Basil. 133. d. Et sub nomine ecclesiæ scripta epistola, 710. c. Eidem respondet Sigismundus imper. 134. a. Fuit pacis & concordiæ inimicus, 712. a. & seq. Quanta mala fecerit, 713. b. & seq. Suæ missionis nulla signa habet, 714. a. Cæditur, 710. a. Et occiditur in prælio, 719. b.
Procurationes a clericis & monasteriis non exigant laici, 1394. a.
Procuratores episcoporum Germaniæ in concilio Tridentino petunt habere vocem non solum consultivam, sed etiam decisivam, 1424. d. Quæ eis denegatur, 1426. b. Recedunt Tridento, 1341. c. Pro procuratoribus episcoporum Galliæ petitur votum definitivum, 1342. b.
Procurator in ecclesiis collegiatis & aliis instituatur, 1503. a.
Proditor Veritatis qui non prædicat veritatem, 333. d.
Prohibitionem inter & punitionem magna est differentia, 447. a.
Propositio facta per eleemosynarium regis Aragon. in congregatione generali concilii Basil. 206. c.
Propositiones contra papam, 49. a. & seq.
Prosper cardinalis sancti Georgii ad Velum aureum, 801. b. 802. d.
Prosper Rebiba episcop. Trojanus, 1235. b.
Prosper episcopus Fioratensis, 1441. c.
Protestantes cur dicti hæretici, 1147. a.
Protestatio ambassiatorum domini papæ facta in Constantiensi civitate super factis concilii Basil. 149. c. & seq.
Protestatio Germanorum super materia indulgentiarum in facto Græcorum, 798. e.
Protestatio facta per nationem Gallicanam in concilio Basil. 917. e.

Protestatio facta Moguntiæ super schisma inter concilium & papam, 916. c.

Protestatio facta Romæ ab oratore Cæsareo cum responsione ad ipsam, 1180. b.

Protestatio nomine imperatoris facta Bononiæ, & patrum responsio, 1179. a.

Protestatio synodi Bononiensis ad protestationem imperatoris, 1179. c.

Protestatio contra decretum suspensionis concilii Trid. 1421. a.

Protenos religiosos, ut studeant pacem inter regem Poloniæ & ducem Lithuaniæ componere, hortatur concilium Basileense, 39. c.

Peutoni ligas faciunt cum Bohemis, 165. b.

Pfalzri familiares, 1483. a.

Purgatorium, 1448. c.

Purgatorii dogma datur patribus examinandum, 1415. d. Illud negant hæretici, 22. c. 250. a.

Purgatorium Franciscanorum ultra annum non duraturum docent Mendicantes, 707. b.

Puteicivitatis Tridentinæ per totam hyemem aquis carent, 1224. c.

Q.

Quadragesimæ tempore non absint episcopi ab ecclesia sua, 1377 e. Concio habeatur, 1308. c. Processio feriis vi. fiat, 1257 d.

Quæstæ pro indulgentiis de Alto passu, 1553. a.

Quæstiones supetfluæ in concilio resecandæ, 1351. c. 1352. c.

Quæstuarii & ignoti presbyteri non admittantur, 1326. a. Sine episcopi litteris, 1549. a. Contra quæstuarios, 1006. d.

Quartam episcopo debitam defraudantes excommunicantur, 1503. c.

Quinquecclesiensis episcopus Georg. Draskovitius, 1227. a. 1253. c. 1245. d.

Quinque-ecclesiarum episcopus procurator regni Hungariæ admittitur in concilio Trid. 1249. b. Ejus oratio, ibid. c. Ad eam responsio, ibid. d. Concilio Trid. exhibet mandatum nomine imperatoris, 1252. c.

Quintinus *Mainard* præpositus S. Audomari, 635. a.

Quintus de Rusticis episcopus Melitensis, 1136. a. 1139. a. 1158. c. 1229. b.

R.

Rabanus archiepiscopus Trevir. 614. a. Ex episcoparu Spirensi translatus ad sedem Trevirensem, 872. e. & seq. Sententia pro eo adversus Ulricum *de Manderscheit*, 872. c. Ei Nicolaum de Cusa commendat Johannes cardinal. S. Petri, 952. c.

Racellus de Auto de Bononia miles, missus a concilio Basileensi ad Philippum ducem Burgundiæ, 144. b.

Racellus præceptor S. Johannis Jerosolymitani, conc. Basileensis legatus in Angliam, 138. b.

Radulfo *de Diepolt* episcopo plures obedientiam negant, 760. c.

Radulfus *Roland* episc. Trecorensis, 791. d. e.

Radulfus dux Burgundiæ, Italiæ & Franciæ rex, 217. d.

Radulfus Hulvetus vicecancellarius ducis Bronfwicensis, & procurator ad concil. Trident. 1428. a.

Ragusinus archiepiscopus Lodovicus Beccarellus, 1228. b. 1274. b. 1269. a.

Raphaelis de Paladio testimonium de morbo contagioso Tridenti vigente, 1123. c.

Rapotensis episcopus Donaldus *Magungial*, 1236. c.

Ratisponenses episcopi Conradus, 219. d. Fridericus, 1014. a.

Ratisponensis episcopi absentia a concilio Trident. excusatur, 1283. d.

Raynaldus dominus *de Brodrode*, *de Ghery* &c. 732. b.

Raynaldus Ferrerius regis Franciæ orator in conc. Trid. 1262. a. In eo petorat, 1296. d. 1306. c.

Raymundus *Talon* doctor, orator Ludovici Andegavensis ad concilium Basileense, 579. b.

Raymundus de Perilionibus gubernator Rossillionis & Ceritaniæ, 189. d.

Realitas corporis Christi in eucharistia, 283. b. 285. b. Negatur ab Hussitis, 249. d.

Reatini episcopi Blasius, 1505. c. 1509. c. Johannes, 1515. c. Johan. Bapt. Ofius, 1232. d. Marcus Aligerius de Columna, 1239. d.

Reatinæ ecclesiæ statuta, 1494. d.

Recanateusis episcop. Philippus Riccabella, 1230. b.

Reditus ecclesiæ in libro scribantur, 1481. c.

Redonensis episcop. Claudius *Dodeus*, 1139. c.

Reformationis necessitas, 1444. a. & seq.

Reformationis negotium agitatur, 1396. d. c. 1410. c. In concilio summopere desideratur, 814. b. Retardatur in concilio Basil. 740. b.

Reformationi ecclesiæ laborat Eugen. IV. in concilio Constantiensi, 154. c. Eidem incumbit concilium Tridentinum, 1290. a. Eam in capite & in membris petit imperator in concilio Basileensi, 776. b. In quibus facienda, 918. a. & seq. Est necessaria ad reprimendas hæreses, 1455. c.

Reformanda curia Romana, 912. b. 1215. b. Cardinales, 1450. c. A pastoribus incipienda, 1251. a. 1152. d.

Reformatio cleri, 1457. c. Reformatio monasteriorum, 1020. b. Reformatio religiosorum in concilio Basileensi agitanda, 36. d. Reformationis regularium capita examinantur, 1416. a. & seq.

Reformatio ecclesiæ non fiat nisi a prælatis LXXV. 749. d.

Reformationis capita ab imperatore petita in concilio Tridentino, 1403. d. 1425. e. Oratorum imperatoris petita super reformationis articulo XXXV. 1403. d. Illud admittere nolunt oratores principum & rerumpublicarum, 1406. c.

Reformationis capita examinanda, 1390. c. d. 1391. c. Ad confieiendum reformationis decretum deputati patres, 1407. c. Dividuntur in tres classes, 1407. d.

Reformatio abusuum sacramenti ordinis, 1434. d.

Reformationis articuli in concil. Trident. editi, a summo pontifice confirmandi, 1215. b.

Reformatio prætermissa, 749. c.

Regienses episcopi Georgius Andreacius, 1140. c. Johannes Baptista de Grossis, 1230. b.

Reginaldus cardinalis, 1049. c.

Reginaldus Polus cardinalis, 1137. e. Præses concilii Tridentini destinatus, 1031. c. 1032. d. 1034. d. 1035. c. 1043. e. 1044. a. 1045. c. Revocatur, 1036. c. Ei concilium Tridentinum aperire mandat Paulus III. 1057. d.

Reginaldus archiepiscopus Remensis, 864. c. Invitatur ad concilium Basileense, 28. d. Ejus epistola ad capitulum suum, 31. b.

Reginaldus Ferrerius orator regis Franciæ ad conc. Trid. 1217. c.

Reginaldus de Mediolano theolog. ordinis Prædicat. 1160. d.

Regius archiepiscop. Gaspardus de Fosso, 1228. d.

Regressiones damnatæ, 1200. b.

Religionis Christianæ vulnera, 1067. a.

Religionem non intrent conjugati inconsulto episcopo, 1544. b.

Religiosos ordines damnabant Hussitæ, 250. d.

Reliquiarum cultum damnant hæretici, 250. b. 409. d. 412. d. e. 484. c. Sanctus esse probatur, 485. a. b. Vigilantii sententia de cultu reliquiarum, 485. c. S. Hieronymi ad eum responsio, 485. c. 486. c. Ad reliquias martyrum fugiunt dæmones, 485. c.

Remenses archiepiscopi Carolus a Lotharingia, 1226. c. Reginaldus de Carnoto, 28. c. 31. a. 864. c.

Remensi capitulo scriptæ litteræ, ut mittat ad conc. Basil. 31. b.

Remissio peccatorum triplex, 400. c.

Renatus rex Siciliæ, 915. b.

Renatus de Birago orator Caroli regis ad concilium Trid. 1433. c. Venit Tridentum, 1350. c. Admittitur in conc. Trid. 1354. c. Ejus verba ad concilium, 1355. a.

Renatus Ferrerius nomine regis protestatur in concilio Tridentino super capit. de reformatione, 1399. c. & seq.

Reparatio ecclesiarum, 1501. b.

Reservationes sunt novæ, 1199. c. Omnia confundunt, 1199. b. Sunt sublatæ, 934. b.

Residentia, 1021. c. 1500. d. 1501. c. 1516. c. Commendatur, 1339. c. 1564. c. Magno ecclesiæ detrimento negligitur, 1268. a. Residere nolunt episcopi, nisi gaudeant immunitatibus suis, 1397. b

Residentiæ causa turbata synodus Trident. 1267. b. An juris sit divini, nec-ne. varie sentitur in concilio Trident. 1258. b. Congregatio super residentia, 1359. c. Episcopi deputati ad conficiendum decretum de residentia, 1259. c. Vota patrum de residentia, 1259. c. Lansaci oratoris regis Galliæ sententia de residentia, 1293. b. Decretum de residentia, 1376. c. Proponitur patribus, 1292. b. 1299. d. Patres deputantur ad illud reformandum, 1504. a. Residentiæ decreta centies reformata, 1299. d. In condendo decreto de residentia annus integer consumtus est, 1379. d. 1380. c. xv. menses, 1381. b. Episcopi pœnis & præmiis ad residentiam cogendi, 1293. a.b. 1426. a. Non residentes prælati ut puniendi, 1378. a.

Residentia episcoporum, 1353. c.

Residentiam faciant decani, præpositi, archidiaconi, scholastici & cantores, 1484. b. Resideant canonici, nec possint primo anno a residentia abstinere, 1482. c. De residentia consultur papa, 1270. a. De ea breve Pii papæ IV. 1275. c. Residentiam non censetur facere, qui in divino officio non servit & ministrat in suo ordine, 1532. b.

Resignationes non fiant in manu patronorum, sed episcopi, 1545. b.

Resignationes in favorem tollantur, 1309. d.

Restitutio ablatorum injungenda pœnitenti, 1522. c. 1543. a.

Revelatio confessionis ut punienda, 1543. b.

Revocatio facta per fratrem Guillelm. *Jouffroume* in congregatione generali, 259.

Revocatio gratiarum, 1557. d.

Reos morti tradere licet, 441. c. d. Reum occidens, non reus est homicidii, 441. c. 442. d. 443. c.

Reges in sua coronatione ecclesiam tuendam suscipiunt, 1220. e. Curiam suam purgent ab hæreticis, 1458. b. Latas contra eos leges observari curent, 1458. d. 1485. d.

Reges Franciæ se non implicant de rebus ecclesiæ, 170. e.

Regibus tanta non sunt concedenda privilegia, 1455. c.

Rhegious archiepiscop. Gaspardus de Fosse, 1246. c.

Richardus Patus episc. Vigorniensis, 1136. c. 1140. d. 1159. a.

Richardus doctor Paris. 1243. a.

Richardus *du Pré* doctor Paris. 1237. e.

Ritus ecclesiæ damnabant Hussitæ, 250. a.

Rixæ Tridenti inter Italos & Hispanos scriptores, 1319. a.

Robertus

Robertus archiepiſcopus Aquenſis, 988. c.
Robertus *Panchop* archiepiſc. Armacanus, 1135. c. 1138. c. 1148. b.
Robertus *de Croy* epiſcopus Cameracenſis, 1138. c.
Robertus Delphini de regio ſanguine Francorum, 771. a. Epiſcopus Carnotenſis ambit ſedem Albienſem, 742. d. e. Bullas de ea accipit ab Eugenio IV. 743. c. Juramentum fidelitatis Carolo regi præſtat pro epiſcopatu Albienſi, 771. a. Sed rejicitur, 773. b. Et temerarius ſedis illius invaſor declaratur per ſententiam concilii Baſil. 874. a.
Robertus epiſcopus Volteranus, 972. c.
Robertus *Auclou* canonicus Pariſienſis, orator ducis Burgundiæ ad concilium Baſil. 591. c.
Robertus *Erboule* vir doctus, 949. c.
Robertus *Fournier* doctor Pariſienſ. 1237. c.
Robertus *Mailleves* regis ſecretarius, 864. d.
Roderici de Villa Andrado comitis & camerarii regis Franciæ epiſtola ad conc. Baſil. 538. a.
Rodulfus epiſcopus Trajectenſis, 729. b. Ab Eugenio IV. de epiſcopatu provifus, 729. c. 744. a. 747. b. Et confirmatus, 578. c. De eo, 560. b. 719. c. 759. d. Ne pareat coram conc. Baſileenſi orant Trajectenſes, 711. d.
Rodulfus *de Rudeſſheim* canonicus Vormacienſis, 874. b.
Rodulfus ordinis Servorum theolog. 1144. c.
Rodulfus de Pitigliano capitaneus, 1126. a.
Rogationum proceſſionibus interſint ſaltem capita familiarum ſub pœna pecuniaria, 1566. a.
Romæ civitas nulli comparanda, 118. b.
Romanæ eccleſiæ præeminentia ſuper alias eccleſias, 438. d. Eſt ſuper reges & regna, 746. a. Nunquam erravit a fide, 438. a. 834. c. Eam nulla unquam fuſcavit macula, ab omni hæreſis labe pura permanſit, 849. c. Eſt ſupra omnes epiſcopos & primates, 438. b. Hæreticorum ora detorerunt ſuorum terribili fulgore confundit, 438. c. Eam dilacerant hæretici, 1444. c. Quam magnos proventus habuerit, 853. b.
Romana curia reformanda, 912. b.
Romanus pontifex omnium eccleſiarum princeps, 848. c. Exempla ſuper veneratione ſedis apoſtolicæ & Romani pontificis, 439. d. & ſeq.
Romeus Foſcarius, 1160. b.
Romulus de Valentibus epiſcopus Converſanus, 1235. d.
Rothomagenſis eccleſiæ ſtatuta, 1529. c.
Rothomagenſis cardinalis cauſa, 749. d.
Rothomagenſes archiepiſcopi Hugo, 868. b. Hugo d'Orges, 533. c. Johannes de Rupe-ciſſa, 533. c. 721. c.
Roſſanenſes archiepiſcopi Paulus Æmilius Varallus, 1224. b. Johannes Bapt. Caſtaneus, 1228. b. 1244. c.
Roſſenſis epiſcopus Thomas *Overllatibe*, 1236. a.
Rupertus comes Palatinus, 612. d.

S.

SAbaudiæ dux princeps S. R. I. & imperatoris vaſallus, 796. a. Ejus epiſtola credentialis ad concilium Baſil. 618. b. Petit a concilio nitrire agi cum Eugen. papa. 641. c. & ſeq. Oratoris ejus acceſſus Tridentum, 1304. c. In concilio admittitur, ibid. d.
Sabaudiæ duces Amedeus, 67. c. 787. a. 794. c. Emanuel Philibertus, 1304. c. Ludovicus, 1014. c.
Sabinienſes epiſc. Hieronymus Savorgnianus, 1233. c. Johannes Lucius Staphileus, 1236. a. 1258. c. Jordanus, 51. c. 586. c. 588. d. 770. c. Laurentius Campegius, 1028. d.
Sacerdotes quando inſtituit Chriſtus, 1288. b.
Sacerdotum Chriſti & ſacerdotum Pharaonis differentia, 316. b.
Sacerdos verus quis, 313. c. d. 314. b. Ejus officium in quinque conſiſtit, 326. b. Ejus eſt de lege Dei reſpondere, 314. c.
Sacerdotes caſtos eſſe oportet, 1307. d. In occidente ratione voti tenentur abſtinere ab uxoribus, 1316. c. Eis non eſſe concedendum matrimonium, 1282. d. 1315. c. Quod eſt inauditum, 1285. c.
Sacerdotum munus eſt prædicatio, 330. a. & ſeq. Non legant libros Gentilium, 313. a. b. In domo ſua non teneant feminam, niſi matrem aut ſororem, 1546. c. Nec prolem quam in ſacro ordine genuerunt, 1546. c.
Sacerdotium ſi fuerit integrum, tota eccleſia ſtaret, 321. b.
Sacerdotes pius honorandi, quam reges, 322. b. 510. c.
Sacerdotum malorum deſcriptio, 319. d. e. Iis nihil magis nocet in eccleſia, 320. a. & ſeq. Sunt ruina populi, 320. c. Scinduat eccleſiam, 320. c.
Sacerdotes aliis nequiores, 473. c. Epiſcopum & ſacerdotem in peccato mortali exiſtentem ſacramenta non conficere affirmabant Huſſitæ, 290. d.
Sacramenta ſeptem, 1446. a.
Sacramenta quæ ſint neceſſaria, 267. c. 280. c. 281. b. c. d. Eorum forma, 1462. b. Gratis conferantur, 1463. a. 1525. c.
Sacrarium locus in quo res ſacræ reponuntur, 1519. b. c.
Sacrificium eſt oblatio rei ſacræ, 1281. e.
Sacrificii materia qualis eſſe debeat, 1518. b.
Sacrificium inſtituit Chriſtus, 1282. c.
Sagienſis epiſcop. Petrus *Duval*, 1230. b.
Sagonenſis vel Savonenſis epiſcop. Carolus Grimaldus, 1236. d.
Salamantinus epiſcopus Petrus *Gonzalez* de Mendoza, 1267. d.
Salernitanus archiepiſcopus Hieronym. Seripandus, 1318. c.
Salpenſis epiſcopus Thomas Stella, 1210. a. 1241. b.
Salvator Alexius Saſſanus archiepiſcopus Turritanus, 1138 c. 1421. a. 1422. c.
Salvator Pacinus epiſcopus Cluſinus, 1233. c.
Saluciarum epiſcopus Philippus Achintus, 1136. d. 1140. c. 1157. d. 1158. c.
Salvum conductum petunt Johann. de Rockizana, 174. b. Et Pragenſes, 175. d. & ſeq. 177. d. 179. c. Et Mathias *Chlinitzan* capitaneus Preſtenſis, 176. c.
Salvus conductus petitur pro Bohemis ad concilium Baſil. venturis, 28. a. Quem eis procurat conc. Baſil. 79. d.
Salvi conductus miſſi a concilio Baſileenſi oratoribus domini papæ Conſtantiæ exiſtentibus declaratio, 150. b. & ſeq.
Salvum conductum illaqueativum ad nuncios papæ mittunt Baſileenſes, 150. c.
Salvi conductus Baſileenſium patrum revocantur, 998. b.
Salvus conductus pro Græcis ad concilium venientibus, a quibus accipiendum, 904. a. c. Illius forma, 876.
Salvus conductus oblatus hæreticis in concilio Trid. 1254. d. e. 1255. c.
Salzburgenſis archiepiſcop. excuſator quod non adfit conciſio Trid. 1264. c. d.
Samaritana mulier mirum fricetem quod vere bonum eſt ſignificat, 1110. d.
S. Samuelis oſſa e Judæa tranſlata in Thraciam, 485. c.
Sanctitas duplex, 499. c.
Sanctorum invocatio, 1448. b.
Sanguine Chriſti intinctus calamus aliquando ad ſubſcribendum conciliis, 641. b.
Sanguine Domini perfuſum corporale ſervetur inter reliquias, 1518. a.
Sanguine Chriſti decidente quid faciendum, 1518. d. e. Si congeletur in calice, 1519. b.
Sanguinis ſententiam non dictent clerici, nec ubi exercetur interſint, 1470. b. 1520. c.
Saracenis vendens Chriſtianum excommunicetur, 1471. b.
Sarmatenſis epiſc. Lelius Baruſſus de Piis, 1139. d.
Satrianenſis epiſcopus Camillus Mentuanus 1141. d. 1157. c. 1159. b.
Satisfactio pro peccatis, 1446. c.
Satiſſet capitaneus Bohemiæ, 27. c.
Saxoniæ dux Fridericus, 108. c. 110. a. 194. c. 638. b.
Scandalum naſci utilius permittitur, quam veritas relinquatur, 335. a.
Schiſma quantum malum, 543. c. Quantæ illud ſequantur calamitates, 682. b. &c. 977. c. Illi ſtatim obviandum, 894. b. Illud vitari a Baſileenſibus monet Sigiſmundus, 535. c. 536. c. Et Carolus VII. rex Francor. 635. d. e. Per exteras poteſtates deber exſtingui, 426. b. c.
Schiſma in concilio Conſtant. exſtinctum, 964. c. Opera Sigiſmundi imperat. 978. a. Ad exſtinguendum ſchiſma neceſſarium concilium generale cenſuit Fridericus III. imperator, 978. b. Ad illud vitandum celebratum Bituricis concilium, 945. a.
Schiſmata per ſacerdotes ſuſcitata, 544. b.
Schiſma inter concilium Baſil. & papam, 956. c. A ſuſpicione ſchiſmatis ſe purgant patres Baſileenſes, 536. c. & ſeq.
Schiſmatici non habent fidem, 700. a.
Sine hæreſi vix ſchiſma conſurgit, 544. a.
Scholæ erigendæ, 1426. a. In monaſteriis reſtituendæ, 1308. c.
Scientiam ſcripturarum ama & carnis vitia non amabis, 521. b.
Scipio Lancelocius cardinalis, 1237. c.
Scipio Aeſtenſis epiſcopus Caſalenſis, 1232. c.
Scipio Bongallus epiſc. Caſtellanus, 1229. d.
Scipio epiſcopus Caſtellanenſis & Hortanenſis, 1642. a.
Scororum rex Jacobus, 615. b. Regina Maria, 1340. c.
Scriptura ſacra arma Chriſtianorum, 1067. c. Cibus & potus, 350. c. Eſt aqua ſitim noſtram exſtinguens, 416. c. Ejus proprietates, 350. c. Auctoritas, 506. c.
Scripturæ ſacræ auctoritatem non habens, eadem facilitate contemnitur qua probatur, 497. c. 507. b.
Scripturæ ſacræ credendum, 600. c.
Scriptura ſacra quomodo legenda, 418. b. Ejus intelligentia quomodo acquiratur, 350. a. Eam aſſequitur caritas, 1113. c.
Sdenko de Drufteka reſidens in Tyno Horiwienſi, 718. e.
Sebaſtenus epiſcopus Auguſtinus Zanuetus, 1139. c. 1158. d.
Sebaſtianus Lacatula archiepiſc. Naxienſis, 1135. d. 1138. d. 1145. d. 1158. b. 1214. a. 1254. b. 1269. a.
Sebaſtianus Pighinus epiſcopus Aliphanus, 1137. b. 1141. d. 1159. b.
Sebaſtianus epiſcopus Ferentinus, apoſtolicæ ſedis nuncius in Germania, 1203. a. c.
Sebaſtianus Gualterius epiſc. Viterbienſis, 1231. c.
Sebaſtianus Iſantius epiſcop. Urbevetanus, 1236. c.
Sebaſtianus de Caſtello ord. Min. theolog. 1143. c.
Sebenicenſis epiſcopus Hieronymus, 1269. c.
Sedunenſem epiſcopum ad conc. Tridentinum invitat Paulus III. 1085. d.
Segnenſis epiſcopus Georgius *Zifchovid*, 1234. e.
Segobienſes epiſcopi Johannes *de Mummatones*, 1233. a. Martinus Pereſius, 1230. d.
Seminariis unienda beneficia ſimplicia & eccleſiæ dirutæ, 1350. a.
Senecius *de Mezrowus* Bohemorum deputatus ad conc. Baſil. 246. c.
Senecenſis epiſc. Johan. *Clauſſe*, 1235. e.

Senenſes archiepiſcopi Franciſc. Bandinus, 1138. d. Germanus Bandinus, 1228. d.
Senenſes epiſcopi Æneas, 1014. a. Carolus, 157. d.
Senogallienſes epiſcopi Marcus Vigerus, 1135. c. 1138. c. Urbanus Vigerius *de Rovere*, 1232. d. 1251. c. 1269. b.
Senonenſis archiepiſcopus Nicolaus *Pelvé*, 1429. a.
Senonibus urbs Roma ſe dedit, 215. c.
Sepultura in eccleſia quibus concedatur, 1548. a.
Sepulturam præcedat miſſa, 1559. c. Non ſepeliantur defuncti donec tradita ſint eorum teſtamenta, 1548. a. Sepelire alterius parochianum nullus audeat, 1533. a. Sepelire aliquem cum ſolemnitate interdicti tempore nullus præſumat laicus, 1468. b. Ante celebratam ſepulturam nihil exigant ſacerdotes, 1472. d. Clerici in obitu defunctorum non lanient facies ſuas, 1525. c.
Seraphinus de Caballis doctor, 1240. b.
Sereanenſis epiſcop. Simon Paſqua de Nigris, 1235. d. Ejus adventus Tridentum, 1244. b.
Seripandus legatus præſes concilii Tridentini, 1266. e. Ejus verba in conc. Trid. 1297. a. 1299. c. 1301. c. Diſtribuit cineres, 1314. a Corpus Chriſti defert in proceſſione feſti corporis Chriſti, 1465. a. Ægrotat, 1318. c. Ejus mors & ſepultura, 1319. c. d.
Servandus epiſcopus Lucenſis, 67. a. Nuncius Eugenii IV. ad concilium Baſileenſe, 80. c.
Seſſionem in concilio ante ducem Burgundiæ prærendit ambaſſiator electorum imperii, 212. e.
Seſſionis ordo a conc. Baſileenſi inter oratores ducis Burgundiæ & oratores electorum imperii ſtatutus, 614. e.
S. Severinæ archiepiſcopi Johannes Baptiſta Urſinus, 1228. b. Julius Contarenus, 1238. c.
Sibinienſis epiſcopus Johannes Lucius Stapholus, 1139. b.
Siciliæ rex Jacobus, 804. e. Reginæ Catharina, 137. c. Johanna, 628. a.
Siciliæ regnum duci Barrenſi procurare laborat dux Mediolan. 822. e.
Sidonienſis epiſc. Michael Aldinus, 1140. b.
Sigillæ curatorum, 1551. a.
Sigillorum ſuorum impreſſiones tradant curati regiſtrariis epiſcopi antequam a ſynodo exeant, 1551. a.
Sigilli tres claves tribus canonicis committantur, 1480. a.
Sigillandæ litteræ legantur in capitulo, 1480. c.
Sigillo epiſcopi Conſtantienſis provinciæ Rothomag. uſi ſunt patres Baſileenſes, 99. a.
Sigiſmundus rex Romanorum, 5. d. 7. e. 586. c. 589. c. 618. a. 643. b. 709. b. 739. a. 746. c. 767. a. 795. a. 818. c. Ejus elogium, 887. b. & ſeq. Fuit propenſus a teneris ad protectionem eccleſiæ, 749. e. Sub ſua protectione ſuſcipit concilium Baſileenſe, 12. c. & ſeq. 83. a. Cujus providet ſecuritati & quieti, 14. b. & ſeq. Hortatur ducem Burgundiæ, ut ſic agat cum duce Auſtriæ, ut accedentibus ad concil. Baſileenſe tuta ſit via, 41. e. & ſeq.
Sigiſmundo regi Romanorum ſignificant patres concilii allatam a Parentino epiſcopo bullam diſſolutionis concilii, 53. d. & ſeq. Mittit concilio Baſil. exemplar bullæ diſſolutionis concilii, 55. a. & ſeq. Hortatur papam ut revocet bullam diſſolutionis concilii, 55. b. Gratulatur patribus Baſileenſ. quod in propoſito firmi perſeverent, 61. b. Parat iter ad Urbem ad papam, 61. c. Mittit ad alios reges & principes, ut ſuos ad concilium oratores dirigant, 61. d. Inſtat apud papam, ut bullam diſſolutionis concilii Baſileenſis revocet, 61. a. 63. d. & ſeq. A papa de revocatione diſſolutionis concilii nullum accipit reſponſum, 63. c.
Sigiſmundus imperator adhæret conc. Baſileenſi uſque ad mortem, 66. b. Ejus epiſtola ad concilium, 65. d. Ad papam, 80. b. Concilium hortatur ad perſeverantiam, 81. d. & ſeq. 84. a. In concilio Conſtantienſi quantum laboraverit, 84. d.
Sigiſmundus recuſat imperii coronam ſuſcipere de manu Eugenii papæ, niſi concilio Baſileenſi adhæreat, 83. c. 103. b. Ejus ambaſſiata ad Eugenium papam, 84. c. Cur Italiam intraverit, 85 d. e.
Sigiſmundus quantum laboraverit contra hæreticos, 86. b. & ſeq. Ipſum inter & Venetos mediator pacis Eugenius, 89. a.
Sigiſmundus continuationem concilii Baſileenſis urget apud Eugenium papam, 90. c. Mittit ad concilium articulos ſibi a legatis papæ propoſitos, 99. c. Hortatur patres Baſileenſes, ut in bono propoſito perſeverent, 4. d. 99. d. Ipſe conſtanter perſeverat pro concilio Baſileenſi, 100. b.
Sigiſmundus cur Italiam intraverit, 101. a. Ejus concluſio finalis cum papæ oratoribus, 102. c.
Sigiſmundus ſcribit ad epiſcopos Germaniæ ut accedant ad concilium Baſil. 106. c. Similiter ad reges, ut ad illud mittant, 106. c. Et ut illi adhæreant, 107. c. Ab eo conſervatores Urbis petunt celebrari concilium generale Romæ, 117. c. &c. Italiam venit eam pacificaturus, 117. c. 120. c. Inculpatur quod de rebus eccleſiæ ſe ingerat, 121. b. Fatetur & declarat inſtitutionem & tranſlationem conc. Baſileenſis eſſe extra limites ſuæ poteſtatis, 121. c. Mittit ad concilium unum ex ſuis ad papam oratoribus, 131. c.
Sigiſmundum orat Procopius Thaborita, ut cum Bohemis adſit concilio Baſileenſi, 133. d. Ejus epiſtola ad Procopium Thaboritam, 134. a.
Sigiſmund. mittit Willelmo duci Bavariæ protectori concilii Baſileenſis acceptas a pontifice bullas, 147. b. & ſeq.
Sigiſmundus ſignificat concilio Baſileenſi acta cum ſummo pontifice a Jacobo archiepiſcopo Ebredunenſi, 151. a. & ſeq. Mittitque ei duas a papa acceptas bullas, 152. d. Optat pacem inter papam & concilium, 152. d. Rogat patres ut in proceſſibus contra papam velint eſſe lenti & pii, 153. a. Monet Baſileenſes patres ut proceſſus in papam ſuſpendant, 166. c. Ut contra eum nihil agant, 184. e. 186. a. Ut ſuperſedeant a proceſſibus in eum, 199. a.
Sigiſmundus cum fructuoſe in Italia laboret pro concilio, declarat non expedire ut ipſe in propria perſona ad illud accedat, 159. b. & ſeq.
Sigiſmundo ſcripta litteræ Nicolai de Gara Palatini Hungariæ, 161. b.
Sigiſmundum de liga inter Polonos & Bohemos adverſus Teutonicos & Germanos monet Jo. epiſcopus Zagrabienſis, 165. c.
Sigiſmundus Romam tendere proponit ad tractandum cum papa de pace eccleſiæ, 184. c. Et ad recipiendam imperii coronam, ibid. d. e. Monet concilium de ſuo ad pontificem acceſſu, pacis procurandæ cauſa inter ipſum & patres Baſileenſes, 198. a. Mittit concilii patribus ea de quibus cum papa velit tractare, 198. d. Recuſat ab eo recipere imperii coronam, niſi adhæreat concilio, 198. e. 531. d. 537. c. Hortatur Eugenium papam, ut adhæreat concilio Baſil. 122. a.
Sigiſmundi mandatum miſſum duci Bavariæ ad concordandum cum Bohemis, 233. a. & ſeq. Scribit ad univerſos reges pro conc. Baſileenſi, 237. c. Significat concilio Baſileenſi conſpirationem inter Bohemos hæreticos & Polonos, 240. a. & ſeq. Quanta fecerit ad promotionem concilii Baſileenſis, 530. d. e. Ipſum laudant patres concilii de ſua ad concilium adhæſione, 532. c. & ſeq.
Sigiſmundus imperator exeuſat cardinalem Rothomagenſem, quod non acceſſiſſet ad concilia Baſileenſe, 533. b. Mittit concilio Baſileenſi bullas Eugenii, 535. c. Hortatur patres Baſil. ut virent tchſima, 535. c. 536. c. Quæ pertulerit pro adhæſione concilio, 531. d. & ſeq. 537. c.
Pacta inter Eugenium IV. papam & Sigiſmundum imperatorem inita, 579. c. Debet Romæ coronari a papa menſe Aprili MCCCCXXXII. 581. c. Multa cum papa habet colloquia, 629. c. De manu papæ recipit coronam imperii, 886. a.
Sigiſmundus rex Romanorum Bohemos incendio vaſtat & Pragam circumvallat, 599. c.
Sigiſmundus ad concilium Baſileenſe tendit, 629. a. Concilio ſignificat quid cum Venetis fecerit pro retinendo in concil. Baſileenſi cardinali Bononienſi, 639. b. & ſeq. Proxime adfuturus eſt concilio, 639. d. Ejus epiſtola ad concilium Baſil. 720. d.
Sigiſmundus imperator Græcorum imperatorem hortatur ad unionem cum eccleſia Romana, 553. b. 749. d. Ejus epiſtola de Græcorum negotio, 710. e. Ad Johannem Paleologum Græcorum imperatorem, 752. d. Non vult concilium in Italia pro reconciliatione Græcor. 940. d.
Sigiſmundi imperatoris petitiones factæ in concilio Baſileenſi, 776. b. Scribit concilio de rebus Bohemicis, 789. a.
Sigiſmundus imperator Turcos domuit, 888. c. d. Schiſma exſtinxit, 889. a. 978. a.
Sigiſmundi epiſtola ad Paulum epiſcopum Argentinum, 940. a.
Sigiſmundus Sarracenus archiepiſc. Materanus, 1228. c.
Sigiſmundus dux Lithuaniam invadit diſſipat, & captivat, 575. c. Ducem Swidrigai apud papam & alios infamat, 576. b.
Sigiſmundus *de Thun* orator Cæſareus ad concilium Trident. 1250. a. Tridentum venit, 1251. a.
Sigiſmundus *Stromer*, 719. c.
Siguinus epiſcopus Ambroſius Monticulo, 1231. c.
Silentium commendatur, 202. c.
S. Silveſter papa, 641. a.
Silveſter de Cremona ord. Min. theologus, 1143. b.
Silveſter Vicentinus ord. ſancti Auguſtini theologus, 1143. d.
Silveſtri de Guaiano teſtimonium de morbo contagioſo Tridenti vigente, 1124. e.
Simon Aleottus epiſcopus Forolivienſis, 1235. b.
Simon Paſqua de Nigris epiſcopus Sereanenſis, 1235. d. Cardinalis,
Simon *de Bucy* epiſcop. Sueſſionenſis, 1558. b.
Simonis epiſcopi Sueſſionenſis ſtatuta ſynodalia, 1536. c.
Simon epiſc. Veſprinenſis, 47. c.
Simon Wiardus conſanguineus Julii III. papæ, 1219. c.
Simon *Charles* miles, miſſus a Carolo rege Francorum VII. ad concilium Baſileenſe & ad Eugenium papam, 634. b.
Simon *Fveron*, 836. c. 897. c. Canonicus Aurelian. concilii Baſileenſis ad Græcos ambaſſiator, 768. a. 769. b. 821. c. 876. a. 878. a. b. 879. d. Ejus epiſtola ſuper facto Græcorum, 756. d. Eſt orator concilii ad papam, 755. d.
Simon de Florentia theologus ord. eremit. S. Aug. 1161. b.
Simon Paſqua ſummus philoſophus, Pii IV. medicus, 1244. b.
Simon de Tono canonicus Trident. 1046. b.
Simon *Vigor* doctor Pariſienſis, 1237. c.

Simonetta cardinalis, 1342. a. 1407. c. Ejus advocatus Tridentum, 1244. a.
Simonia vitanda, 1018. c. & seq.
Simoniace sacros accipiens ordines non est sacerdos, 318. e. Plura contra simoniam, 319. a. & seq.
Simplicius papa investituras beneficiorum a laicis recipi vetat, 383. a.
Sinolich capitaneus Bohemiæ, 27. c.
Sipontinus episcopus in concilio Bituric. 945. b.
Siracusanus episcopus Hieronym. de Bononia, 1256. d. 1450. d.
Sixtus abbas S. Bartholomæi de Pistorio, 1243. e.
Sobanus doctor, 1239. d.
Soles tres apparent, 1358. e.
Solitarius si bene vivat, melior est hominis si male, pejor bestia, 454. c.
Songinat decano persolvant abbates, abbatissæ, priores, curati, 1236. c.
Sorani episcopi Elizeus Theodinus, 1139. c. 1158. d. Thomas Lilius. 1236. a.
Sortilegos consulentes ad officialem deferendi, 1538. a.
Spalatensis archiepiscopus Andreas Corselius, 1153. c. 1159. d. 1178. b.
Spalatrensis archiepiscopus electus Marcus Cornelius, 1228. a. 1277. b.
Spanheimensis comes diffidat Trevirenses, 518. c.
Specacula prohibita, 243. d.
Spinellus Benevius episcopus Montis-Politiani, 1236. b.
Spirensis episcopi translatio, 372. d.
Spirensis episcopus Rabanus translatus ad Trevirens. ecclesiam, 872. c.
Spoletanus episcopus Fab. 1050. c. 1054. d.
Sponsalia quomodo fiant, 1543. c. Non fiant clandestine, ibid.
Stanislaus legatus conc. Tridentini, 1406. b
Stanislaus Hosius cardinal. præses concilii Trid. 1216. d.
Stanislaus Falescki episcop. Theodosiensis, vel Caffensis, 1236. b.
Statuentes contra ecclesiæ immunitatem excommunicentur, 1511. c.
Statuta provincialia promulganda, 1005. d.
S. Stephanus papa, 849. c.
Stephanus martyr pro cultu SS. imaginum, 489. b.
Stephanus *Boucher* episcop. Corisopitensis, 1234. c.
Stephanus de Novaria abbas sanctæ Matiæ Gratiarum prope Placentiam, 1237. a.
Stephanus de Novaria legum doctor, missus a concilio Basil. ad regem Angliæ, 815. a. c. 818. b.
Stephanus Fazzinus provincialis Lombardiæ pro generali Carmelitarum, 1237. b.
Stephanus Sallinus provincialis Paduæ, ordinis eremit. S. Augustin. 1161. a.
Stephanus de Attetio prædicator ord. Serv. 1144. b. 1244. c.
Stephanus Bonucius theolog. 1242. c.
Stephanus *Culleus* canonicus Trecensis incorporatus concilio Basil. gaudeat sua præbenda, 937. c.
Stephanus *Confertes* theologus, 1143. c.
Stephanus de Soltino theologus, 1143. c.
S. Stephanus rex Hungariæ, 165. c.
Stephanus de Bavaria, 528. c.
Stephanus comes Signiæ & Moderistiæ, 130. c.
Stephanus dominus Segniæ & Moderistiæ comes, 157. d.
Stephanus Morelli consiliarius, 864. d.
Strigoniensis archiepisc. Gregorius, 47. c.
Strigoniensis archiepiscopus se & suos excusat quod ad concilium Basileense non accedant, 44. b. & seq. Significant etiam victoriam de Bohemis hæreticis reportatam, ibid.
Stroza quid, 1. b. c.
Subdiaconi ætas, 1568. d. Quales ordinandi, ibid. e. Qua ætate, 1437. b.
Subdiaconi & diaconi quales esse debeant, 1334. c. Eorum officium, 1375. a. Saltem semel in mense communicent, 1437. b.
Subdiaconi & diaconi in ecclesia Leodiensi ordinantur, 1477. c.
Subscriptiones cum calamo sanguine Christi intincto, 641. b. c.
Sodensis episcopus Antonius, 613. d.
Sodensis episcopus missus C. P. a concilio Basil. 678. a.
Suessionenses episcopi Carolus *de Roucy*, 1233. c. Gazinus, 1559. c. G. 1559. d. Jacobus, 1559. d. M. 1559. d. Simon *de Bucy*, 1558. b.
Suessionensis episcopi Simonis statuta synodalia, 1536. c.
Suizzaro oratoris litteræ patribus concilii Trid. 1442. c.
Sulmonensis episcopus Pompeius de Zambaccariis, 1141. d. 1230. c. 1418. c. 1419. b. c. 1441. c.
sine Superpelliciis in ecclesia non appareant beneficiati, 1491. b.
Superstitiones in imaginum cultu tollantur, 1008. d. 1510. c.
Supplicationes publicæ indictæ a Paulo III. pro obtinenda in ecclesia pace, 1038. c. Item ad gratiarum actionem pro obtenta, 1039. a.
Supplicationes indictæ pro felici successu belli adversus hæreticos, 1107. c.
Surrentinus archiepiscopus Julius Pavezius, 1228. c. 1254. b. 1269. a.
Susatium civitas Westphaliæ fit hæretica, 1428. c.
Suspensionis sententia sine episcopi permissu non relaxetur, 1549. c.
Sutrinus episcopus Hieronymus Galleratus, 1234. d. 1269. b.
Swiderus *de Culenbourg* episcopus Trajectensis, 578. c. 759. b. Translatus ad ecclesiam Cæsariensem, 239. c. 744. d. e. 745. a.
Swiderus archiepiscopus Cæsariensis, 729. c.
Swidrigal dux, 165. b. Dux Lithuaniæ, 575. d. 624. b. Eum apud papam & imperat. infamat dux Sigismundus, 576. b. Paratus est pacem inire cum rege Poloniæ, dum sibi restituantur ablata, 582. c.
Symbolum ab omnibus apostolis compositum, 831. d.
Symbolum in missa cantandum, 303. c.
Symmachus papa, 383. b.
Synabors capitaneus Bohemiæ, 27. c.
Synodi episcopales celebrentur, 1468. d. Singulis annis, 1311. c.
Synodum jejuni intrent sacerdotes, 1538. b.
Synodo Suessionensi qui debeant interesse, 1558. c.
Synodales constitutiones legantur, 1557. b. c.

T.

TAbernas non frequentent presbyteri, 1546. d. Sed nec clerici, 1506. d. Eas frequentantes in habitu ecclesiæ ut puniantur, 1534. d.
Tarentasiensis archiepiscopus ad concilium Basileense profectus, 68. c.
Tarentasiensis archiepiscopus Marcus, 737. a.
Tarentini archiepiscopi Johannes, 112. c. 149. c. 586. a. 589. d. 738. d. 783. c. 805. d. 822. a. 823. b. 859. a. 915. d. Marcus Antonius Columna, 1228. d.
Tarvisinus episcopus Georgius Cornelius, 1136. c. 1140. a. 1158. e. 1229. d.
Taurinensem episcopum hortatur Eugenius ne adhæreat concilio Basil. 160. c.
Taxillorum ludus clericis prohibitus, 1467. c. 1506. d.
Telesinus episcopus Angelus Massarellius, 1233. d. 1246. c. 1247. b. d. 1262. c.
Telmannus *de Limpf* decretorum doctor, præpositus S. Florini Confluentiæ, archiepisc. Colonien. procurator in concilio Basil. 215. c.
Temporalium incommoda, 521. c. Licitum esse ecclesiasticis bonis temporalibus abundare, 517. a. &c.
Tergestinus episcopus Æneas Sylvius, 980. b.
Termularum episcopus Vincentius de Durantibus, 1140. c. 1158. e. 1229. d.
Terraconensis archiepiscopus, 151. c.
Terraconensis archiepiscopus D. regis Aragonum cancellarius, 143. d.
Testamenta non fiant nisi sacerdote præsente, 1549. b. Alioquin facientes careant ecclesiæ ingressu, 1498. e. Immobilia de bonis ecclesiæ acquisitis, tantum ecclesiis legentur, 1549. b.
Testamenta tradantur ante defunctorum sepulturam, 1548. a. Curari nomina defunctorum testamenta facientium infra mensem ab inhumatione deferant episcopi sigillifero, 1551. a.
Testamenta executioni mandanda, 1494. a. Executionem negligentes ut punicadi, 1498. c. 1517. c.
Testimonium falsum dicentes excommunicantur, 1509. d.
Terminum mutantes excommunicantur, 1509. c.
Teutonicorum militum ordo sæcularis ecclesiæ, 240. c.
Thaboritæ victi & omnino prostrati a Pilznensibus, 718. b. 719. a. Thaboritarum bella injusta esse demonstrat Ægid. Carlerii, 603. c. & seq. Primi in Catholicos bellum fecerunt, 605. b. c. Eos Catholici invitant ad pacem, 605. c. & seq.
Thadæus de Pepulis episcopus Carinensis, 1139. c.
Thadæus ordinis Servorum theolog. 1144. c.
Thadæus Perusinus theologus, 1241. d.
Theanensis episcopus Hieronymus de Nichola, 1233. b.
Theodericus archiepisc. Colonien sis, 194. c. 528. c. 638. a. 745. c. 955. c. Et Paderburnensis episcopus, 730. c. Ejus epistola ad concilium Basileense, 224. b.
Theodericus archiepiscopus Moguntinus, 951. c. 1005. b. d. Petit a legato confirmationem statutorum provincialium, 1010. c.
Theodericus *de Manderscheit* frater Ulrici electi Trevir. 528. c.
Theodericus *Berthonet* ordinis Minorum, Bremensis archiepiscopi vicarius, 740. c.
Theodosiensis episcopus Stanislaus Falescki, 1236. b.
Theodosii imperatoris pietas, 888. b.
Theologi in concilio Trident. quomodo debent proferre sententias suas, 1280. a. & seq.
Theophilus Gallupus episcopus Oppidensis, 1235. d. 1441. b.
S. Thomas archiepiscopus Cantuariensis, 849. b.
S. Thomæ martyris festum, 1555. d.
S. Thomæ liber de sacramentis omnibus rectoribus communicetur, 1005. d.
Thomas de Serzana electus papa Nicolaus V. 991. c.
Thomas Goduclus episcopus Asaphensis, 1232. c.
Thomas Casellus episcopus Britonorien sis, 1136. c. 1141. a. 1159. b.
Thomas Caselius episc. Cavensis, 1230. a. 1254. b.
Thomas de S. Felicio episcopus Cavensis, 1138. e.
Thomas Campegius episcopus Feltrensis, 1078. d. 1135. c. 1139. a.
Thomas Stella episcopus Justinopolitanus, 1230. b.
Thomas *Overlaithe* episcopus Rossensis, 1236. a.
Thomas Stella episcopus Salpensis, postea Lavallensis, 1141. b. Ejus oratio habita in conc. Trid. 1110. a.
Thomas Lilius episc. Soranus, 1236. a.
Thomas episcopus Tragurien sis instituitur præses concilii Basil. 583. b. &c. 589. d.
Thomas de Curcellis archidiac. Metensis, 945. c.

Thomas *Dessio* doctor, 1238. a.
Thomas *Ebendorffer* doctor universit. Viennensis, 123. a.
Thomas *Fiemo* U. J. doctor, 4. a. Officialis Patisiensis, concilii Basil. ad papam nuncius, 64. b.
Thomas de Gajeta theologus ord. Prædic. 1160. d.
Thomas *Hazaers* ord. Minor. theologus, 1143. a.
Thomas de S. Marino theologus ord. Servorum B Mariæ, 1161. b.
Thomas de Pergula regens Urbini ordinis Minor. 1161. a.
Thomas de Soliano theologus, 1240. c.
Thomas Cospius comes, 160. b.
Thunetensis rex injuriam infert insulæ Mieveti, 191. a. Ab Alfonso rege Aragonum omnino victus, ibid. & seq.
Tiberius de Muris episcopus Jeracensis, 1140. b.
Tiburtini episcopi Marcus Antonius Crucius, 1139. b. Johan. Andreas Crucius, 1221. c.
Tilmannus de Indagine decanus ecclesiæ Trevir. 571. c.
S. Timothei C. P. translatio, 185. c.
Timotheus Justinianus episcopus Calamonensis, 1231. b.
Tiniensis episcopus Andreas Dudicius Sbardellatus, 1257. c. 1277. b.
Tiraeus imperator Armenorum, 641. a.
Tonsuram honestam habeant clerici, 1548. c. Talis sit quod autes pateant, 244. a. 1009. d. 1534. c.
Tonsuram & coronam competentem deferant canonici, 1485. d. Non deferentes chorum non intrent, 1485. d.
Tonsura curatorum sit rotunda & corona magna, 1460. c.
Tonsura prima quibus danda, 1366. b. Et qua ætate, 1332. d. Eam ab alio quam a proprio episcopo recipientes excommunicantur, 1548. d.
Tonsuram non conferant abbates & exemti nisi suis subditis, 1367. c.
Tonsuram clericalem gerentes laici, aut ab alio quam a suo episcopo obtinentes excommunicentur, 1536. c.
Torcellani episcopi Hieronym. Fuscherus, 1136. a. 1139. b. Johannes Delphinus, 1236. e.
Torelli Pholæ de Puggio diarium concilii Tridentini, 1222. a. Scribit ea quæ propriis auribus hausit dum peragerentur, 1222. c. Acta concilii aliis legebat, 1223. c. 1242. d. Podagra laborat, 1325. c. Ejus heres episcopus Telesinus, 1326. a. Quando scripserit acta concilii Trident. 1423. c.
Tortonensis episcopus Cæsar comes a Gambara, 1230. d.
Traditio commendatur, 1448. a.
Tragurienſis episcopus Thomas, 586. b. 589. a.
Trajectensium bella ob causam episcopatus, 729. c. Pro eo contendit Walraunus de Moisa, 729. c.
Trajectensis ecclesiæ schisma inter Rodolfum & Walrannum, 758. c. Illius ecclesiæ pacem procurat Eugenius, 239. a. 777. c.
Trajectensis ecclesiæ causæ diffinitio ut differatur orat patres concilii Basileensis dux Burgund. 239. a. & seq. Illam Eugenius commendat concilio Basil. 744. c. & seq.
Trajectensis pro ecclesiæ pace ad concilium Basileense scribit Jacoba ducissa Bavariæ, 577. a.
Trajectenses episcopi Rodolfus de *Diepholt*, 239. 577. c. 717. b. & seq. 744. c. Suiderus de Culenio, 239. c. 578. c. 744. c. 759. b. 760. b.
Translationes episcoporum ecclesiæ noxiæ, 1453. b.
Translationis concilii Trid. causæ, 1120. b. Eam quæ sequantur incommoda, 1130. b.
Transubstantiationem negant Hussitæ, 149. d.
Trapezundarum imperator *Alexius* Megacommenus, 778. d.
Trapezuntis imperator optat ecclesiæ Latinæ uniri, 767. d.
Trecensi capitulo scribit conc. Basileense, 957. c.
Trecenſes episcopi Johan. Ursini, 1237. c. Radulfus *Roland*, 791. d. c. P. translatus ad sedem Mactiensem, 791. c. Ab Eugenio IV. 714. a. 811. c. 893. a.
Treugæ quinquennales inter reges Hispanarum, 143. b.
Treugæ inter ducem Burgundiæ & ducem Austriæ, 91. b. Eas confirmat Philippus dux Burgundiæ, 669. c. & seq.
Trevirensis urbis antiquitas, 527. c. 572. a.
Trevirensis & Coloniensis ecclesia duo magna Germaniæ luminaria, 987. c.
Trevirensis electus Jacobus *de Sirck*, 572. b. 955. c.
Trevirenses archiepiscopi Otto, 572. b. Rabanus, 614. a. 872. c. 952. c. Electus Ulricus *de Manderscheit*, 173. a. 573. a. Vexat suam diœcesim, 528.
Trevirenses consules & cives petunt præsidium concilii Basileensis adversus difficultates sibi factas ab adhærentibus Ulrico *de Manderscheit*, 527. c. & seqq. 528. c.
Trevirenses canonici implorant auxilium concilii Basileensis adversus exactiones Ulrici *de Manderscheit*, 571. c. & seq.
Trevirensis civitas supposita interdicto, 573. d. Petit absolvi ad cautelam, 574. d.
Trevirenses quo die annum inciperent, 575. c.
Tridenti descriptio, 1224. a.
Tridenti cur potius quam alio in loco congregatum concilium, 1147. b.
Tridentini episcopi Alexander, 7. c. Bernardus Clesius, 1224. b. Christophorus Madrucius, 1032. a. 1051. a. 1137. c. 1167. c. 1172. b. 1176. c. Ludov. Madruccius, 1227. a.
Tridentinus electus Madruccius, 1244. c. d 1259. c. 1297. c. Cardinalis, 1398. d.
Trideatini canonici causantur de capitaneo Friderici ducis Austriæ, quod ecclesiasticam libertatem violet, & eos ad forum sæculare trahat, 790. a. & seq.
Tridentini episcopi concordia, 813. b.
Trigillus doctor canonicus Legionensis, 1239. d.
Trinitatis fides, 1445. c. & seq.
Trisanus *de Bixe* episcopus Xantonensis, 1231. a.
Trivicanensis episcopus Augustinus Molligiatus, 1236. d.
Trojani episcopi Ferdinandus Pandolfinus, 1139. a. Prosper Robiba, 1235. b.
Tropiensis episcopus Pompeius Piccolomineus, 1233. a.
Tullensis episcopus Ludov. *de Genouillac*, 1234. b.
Turcorum in Christianos victoriæ, 697. a. Quantas clades intulerint Christianis, 1068. c. & seq. Meditantur invadere terras Christianorum, 1025. a. Hungariæ regnum invadere conantur, 46. b. Ipsum invadunt, 1032. c. 1036. a.
Turca maritimas Italiæ regiones non longe a Roma depopulatur, 1032. c. 1036. a. Italiæ provincias devastat, 1027. d. Fugit nemine persequente, ibid. c.
Turcas domuit Sigismundus imperat. 888. c. d.
adversus Turcas exercitus magnus congregandus, 1015. b. & seq.
Turonensis archiepiscopus perorat in concilio Bituric. 946. c.
Turtraus archiepiscopus Salvator Alexius Turritanus, 1158. c. 1421. a. 1422. c.
Tutores bene & ex ordine rem administranti non dantur, sed desipienti, 1197. b.

V.

Vabrensis episcopus Francisc. *de la Valette*, 1236. b.
Vacantiæ clericorum autumni tempore solendæ, 1009. d.
Vainesini comitatum invadit cardinalis de Foxo cum suo fratre, 592. d. & seq.
Valdensium hæreticorum secta in validibus Puteclusionis, Argenteriæ & Freidenteriæ diffusa, 162. c. Eorum multi in carceribus Ebredoni & Briaſſonii detenti, 162. d.
Valentinus episcopus Johannes *de Poitiers*, 593. c.
Valentinus Herbutus episcopus Præmisiensis, 1235. b. Orator regis Poloniæ ad concilium Trid. 1227. c. Advenit Tridentum, 1291. c. Admittitur in concil. ibid. c.
Valerius de Vicentia ordin. Min. theolog. 1143. c.
Varmiensis cardinalis verba ad concilium Trid. 1327. b.
Vasa sacra sint munda, 1539. c.
Vasionensis episcopus Jacobus Cotterius a Prato, 1136. b. 1139. c. 1158. c.
Vaurensis episcopi Petrus Danesius, 1235. c. 1399. d. Lanfacus, 1400. b.
Uceticnsis episcopus Guillelmus Soiberti, 690. d.
Vegliensis episcopus Albertus Duimius, 1231. a.
Veitius de Castello licentiatus in legibus, 963. a.
Veldenciæ comes Fridericus, 528. c.
Vellus aureum heraldus & rex armorum ducis Burgundiæ, 861. c.
Venatio presbyteris prohibita, 1576. c.
Venefici excommunicantur, 1510. c.
Vencenenses episcopi Amalricus *de la Motte*, 763. c. Philippus *du Bec*, 1213. c.
Veneti numquam ecclesiæ fluctuanti defuerunt, 696. c.
Venetorum ducem hortatur concilium Basileense, ut concilio adhæreos Eugenium faciat ei obedire, 695. c. Item ut mittat suos ad illud oratores, 696. a. b. Venetorum ducis responsio ad propositionem oratorum concilii Basil. 696. d. Hortatur ut vitent schisma, 697. a. c.
Veneti jura regni Hungariæ usurpant, 89. a. Eugenius IV. mediator pacis inter Venetos & Sigismundum imperatorem, 89. a.
Venetorum oratores a concilio Basileensi male excepti, 697. c.
Veneti cardinalem Bononiensem revocant a concilio Basil. 639. b.
Venetorum oratores admittuntur in conc. Trid. 1259. c. Eorum petitio occasione decreti concilii Trident. de immunitate ecclesiastica, 1434. a.
Venetus patriarcha Johannes Trevisanus, 1227. c. 1254. a. 1262. b.
Venetorum dux & alii excommunicati declarantur ob invasas terras patriarchæ Aquilegiensis, 885. c.
Ventimiliensis episcopus mittit conc. Tridentino articulos reformationis, 1434. d.
Ventura Buffalinus episcopus Massanensis, 1234. d.
Venusinus episcopus Alvarus de la Quadra, 1141. a. 1159. a. 1422. c.
Verbum Dei quantum differat a fabulis hominum, 310. c.
Verbi Dei effectus octo, 325. c.
Vercellenses episc. Guido Ferrerius, 1236. c. Petrus Franciscus Ferrerius, 1139. c.
Veritas cum non defenditur, opprimitur, 695. b.
Uterque est reus, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, 695. a.
Veronensis coadjutor Aloysius Lippomanus, 1140. c. 1158. c.
Veronenses episcopi Aloysius Lippomanus, 1203. 2. c. 1445. b. 1449. c. Vir prudentissimus & integerrimus, 1449. b.

Hieronymus

Hieronymus Trevisanus, 1235. c. 1254. c. Johannes Matthæus, 1131. c.
Verulanenſis epiſcopus Benedictus Salvinus, 1135. a.
Veſpimenſis epiſcopus Simon, 47. c.
Veſtanus epiſcopus Hugo Boucompagnus, 1233. c.
Veſtes ſacræ ſint benedictæ, 1538. a.
Veſtimentorum modeſtia commendatur, 243. c. Serica clericis prohibita, 1011. c. & indecentia, 1537. c. Multo magis presbyteris, 1546. c.
Vexentinus epiſcopus Antonius Sebaſtianus Minturnus, 1234. a. 1269. b.
Viaticum in fine vitæ non negandum, 280. c.
Vicecancellariatus officii quomodo a concilio commiſſum archiepiſcopo Rothomagenſi, 651. a. b.
Vicenſes epiſcopi Aſciſclus Moya, 1232. a. Dominicus Caſalbrancha, 1233. c.
Vicentia à Venetis denegata ad celebrandum concilium, 1031. b.
Victor Superantius epiſcopus Bergomenſis, 1141. b.
Victoria de Huſſitis, 716. c. 719. a.
Viennenſis in Auſtria epiſcopus Federicus, 1048. b.
Vigornienſis epiſcopus Richardus Pattus, 1136. c. 1140. d. 1159. a.
Viliſſimus deputandus eſt, niſi præcellat ſcientia & ſanctitate, qui honore præſtantior eſt, 362. a.
Vilnenſis Palatini epiſtola ad nuncium apoſtolicum, 1449. d.
Vincentius de Luchis epiſcop. Anconitanus, 1233. a. 1269. b.
Vincentius Nicoſtantius epiſcopus Aroenſis, 1229. a.
Vincentius de Durantibus epiſcopus Thermularum, 1140. c. 1158. c. 1249. d.
Vincentius Juſtinianus generalis Prædicatorum, 1237. a.
Vincentius theologus ordinis Præd. 1142. c.
Vincentius de Leoniis theolog. ord. Carmelit. 1143. c.
Vincentius Lunellus theolog. ordinis Min. 1142. c.
Vincentius de Meſſina lector theologiæ Neapoli, 1231. a.
Vincentius Herculanus comes, 1160. a.
Vincentius de Nobilibus orator Lucenſis, 1159. c.
Vincienſis epiſcopus Ludovicus *de Buell*, 1234. d.
Vindocinenſis comes Ludov. de Borbonio, 864. c.
Vinum Tridentinum ſuaviſſimum, 1526. b.
Vinum intra clauſtrum canonicorum non vendatur, 1490. d.
Vintimilienſes epiſcopi Carolus de Vicecomitibus, 1236. a. Johannes Carolus *Viſcontes*, 1289. a.
Virdunenſis epiſcopus Nicolaus *Pſaume*, 1230. d.
Virginitas matrimonio præferenda, 1382. d. 1385. b.
Virginitas duplex corporis & animi, 1318. c.
Viri & mulieres a carnali copula abſtineant certo tempore, 1525. d.
Viſio cujuſdam converſi Clarevallenſis, 914. c.
Vitalianus papa, 381. c.
Viterbienſis epiſcopus Sebaſtianus Gualterius, 1231. c.
Vivarienſis epiſcopus Jacobus Maria Salviatus, 1232. b. 1269. b.
Vizeliacenſis abbas Alexander, 4. 3. 874. b.
Vizeliacenſis abbas intereſt concilio Bitur. 945. c.
Ulixes Gozadinus eques, 1159. d. 1260. a.
Ulricus *de Mauderſchett* decanus Colonienſis eligitur archiepiſcopus Trevir. 573. a. Juramentum ab eo præſtitum ante & poſt electionem, 573. b. & ſeq. Vexat diœceſim Trevirenſem, 528. b. 573. c. & ſeq. Dilapidat bona Chriſti & pauperum, 574. b. Eum concilio Baſil. commendat Philippus dux Burgundiæ, 173. a. Ipſe orat patres Baſileenſes, ne litteris contra ſe ſcriptis fidem adhibeant, 584. c. & ſeq. Eum nullum jus habere in eccleſia Trevirenſi declarat concilium Baſileenſe, 872. c.
Ulricus epiſcopus Burgenſis, 1014. b.
Ulricus *de Rozemberg* baro Bohemiæ, 66. d. 79. d.
Ulricus Huſſita de ſecta Orphanorum, 340. a.
Ulricus de Zuoynia Bohemorum deputatus ad conc. Baſil. 246. d.
Umbriaticenſis epiſcopus Cæſar Foggia, 1230. d. 1441. a.
Unitas duplex neceſſaria viatori, 344. a.
Unitatem natura appetit, 343. a.
Unitas eccleſiæ commendatur, 963. c. & ſeq.
Univerſitates ſtudiorum damnabant Huſſitæ, 251. a.
Univerſitas Viennenſis in Auſtria mittit ad concilium Baſil. unum doctorem, 123. a.
Univerſitas Pariſienſis ad expugnandas hæreſes & ſchiſmata cælitus vocata, 624. e. Petit a concilio Baſileenſi, ne cauſæ ſuæ & ſuorum judicandæ trahantur extra civitatem Pariſ. 624. c. & ſeq.
Univerſitatum viri docti invitantur ad concilium Baſil. 104. d.
Volfangus abbas Campidonenſis, 1213. c.
Volfangus præpoſitus in *Bertolgadem* Salzburg. diœceſis, 1213. c.
Volteranus epiſcopus Robertus, 972.
Voluntas in Chriſto duplex, 498. a.
Vormacienſis epiſcopus Fridericus, 915. c.
Vota non adverſantur libertati evangelicæ, 1448. d.
Votum ſolemne & ſimplex quid differant, 1317. a. Solemne dirimit matrimonium, 1317. a. Etiam conſummatum, 1382. c. 1385. a.
Votum caſtitatis in ſacerdote & monacho non patitur diſpenſationem. 1317. b. & ſeq.
Votum non faciant mulieres ſine aſſenſu viri ſui & conſilio ſacerdotis, 1545. d.
Votorum commutatio, 1107. a.
Vota dicendi modus, 1150. c. d.
Vota patrum ſuper tranſlatione conc. Tridentini Bononiam, 1129. c. & ſeq.
Vocem in capitulo non habent acolythi, 1481. d.
Upſalenſis archiepiſcopus Olaus-magnus, 1010. c. 1135. c. 1138. d.
S. Urbani abbatem ad concilium Trident. invitat Paulus III. 1085. d.
Urbanus Vigerius *de Ruvere* epiſc. Senogalienſis, 1232. d. 1254. c. 1269. b.
Urbeveranus epiſcop. Sebaſtianus Vantius, 1236. c.
Urbium conditores dii appellati, 203. c.
Uſellenſis epiſcop. Petrus Fragus, 1236. d.
Uſurarii excommunicentur, 1512. b. 1550. d. e. Iis denegentur ſacramenta, nec eorum uxores poſt partum ad purificationem admittantur, 1548. a. Forma cautionis uſurariorum, 1523. c. Forma abſolvendi uſurarios in confeſſione, 1523. a. b.
Uſuræ teſtatorum ſunt reſtituendæ, 1507. a. & ſeq. Lateranenſis concilii conſtitutio de uſurariis obſervetur, 1506. c.
Uticius abbas Caſinenſis, 1254. c.
Wadiſlaus rex Poloniæ, 570. c. 608. b. Bellum gerit adverſus Wiſtrigaldum fratrem ſuum ducem Lithuaniæ, 39. c.
Wadiſlaus frater imperatoris, 612. d.
Waldenburg oppidum expugnant Orphani cum Polonis, 609. a.
Waldenſium de epiſcopo Romano ſententia, 437. b.
Walramni poſtulationem ad epiſcopatum Trajectenſem non admittit Colonienſis archiepiſcopus ejus frater, 730. a.
Waltramnus de Moirſa eligitur & confirmatur epiſcopus Trajectenſis, 760. d. e. Contendit pro epiſcopatu Traject. 729. c. De eo, 759. b.
Waltrannus patriæ inimicus, 731. a.
Wengartenſis abbas Gerricus, 1213. b.
Wenzeslaus *de Oravvars* vir nobilis, deputatus Huſſitarum ad conc. Baſileenſe, 174. c.
Wicleff de epiſcopo Romano ſententia, 437. b.
Widrigaidus frater regis Poloniæ in eum bellum gerit, 38. a. 39. c.
Willelmus de Melle abbas ſancti Audoeni Rothomag. 744. b.
Willelmus palatinus Rheni dux Bavariæ, 100. d. 152. b. 175. c. 177. d. 179. d. Protector concilii Baſileenſis, 66. e. 234. c. 535. d. 536. c. Locum tenens imperatoris in conc. Baſileenſi, 106. c. c. 607. d. 632. c. Ei Sigiſmundus mittit acceptas ab Eugenio IV. bullas, 147. b. &c.
Willelmus de Monteforti comes, 157. c. 630. c.
Willelmus de *Staphel* Ulrici *de Mauderſchett* marſcallus, 528. c.
Willelmus *de Voſtopiez* capitaneus, Bohemorum deputatus ad concil. Baſileenſe, 246. c.
Wimarum *de Wachtendonk* ad conc. Baſil. mittit Adolfus dux Juliacenſis, 195. a.
Wirtenbergenſis comes vexat Trevirenſes, 528. d.
Witardus dux Litwaniæ, 575. c.
Witici de ſecta Orphanorum replica contra dicta magiſtri Henrici *Kalciſem* ord. Prædicat. 493. c.
Wolphangus epiſcopus Patavienſis, 1048. b.
Wormacia ab hæreticis obſeſſa, 92. c.
Wulturarienſis epiſcopus Julius Gentilius, 1231. d.
Uxorem an dimittere propter fornicationem ſit lictum, 1312. d. Plures habere illicitum Chriſtianis, 1381. e. 1384. d.

X.

Xantonenſis epiſcopus Triſtanus *de Bizet*, 1231. a.

Z.

Zacharias de Florentia ord. Servorum theologus, 1144. b.
Zagrabienſis epiſcopus Jo. 163. c.
Zanonem epiſcopum tranſlatum e Lexovienſi ad Bajocenſem ſedem commendat concilio Baſileenſi capitulum Bajocenſe, 715. a. & ſeq.
Zayko capitaneus Huſſitarum occiſus in prælio, 719. b.
Zozymus graviſſimus ſedis apoſtolicæ auctor, 1198. d.
Zwingliani, 1188. a.

ERRATA.

Pagina 6. linea 43. nullus, lege nullum. Pagina 7. lin. 1. capitis, lege cupitis. Pag. 8. l. 31. hæc, l. hæc. Pag. 15. l. 18. permittit, l. promittit. Pag. 32. l. 6. Basileusi, l. Basileense. Pag. 34. l. 37. vestris, l. nostris. Pag. 35. l. 14. dissimilis, l. discussis. Pag. 45. l. 42. detestendæ, l. detestandæ. Pag. 46. l. 36. purentes, l. parcentes. Pag. 61. lin. 28. subsequentur, lege subsequemur. Pag. 70. l. 8. planavit, l. plantavit. Pag. 74. l. 37. trengas, l. treugas. Pag. 106. l. 19. scribibus, l. scribimus. Pag. 109. l. 41. licia, l. felicia. Pag. 110. l. 27. præsentia, l. præsentiam. Pag. 153. l. 42. transsumata, l. transsumta. Pag. 179. l. 1. Johannis, l. Hermanni. Pag. 333. l. 60. diceret, l. disceret. Pag. 387. l. 34. induct, l. induxit. Pag. 388. l. 32. sensibus, l. senibus. Pag. 417. l. 46. Inlinatio, l. inclinatio. Pag. 429. l. 22. alid, l. aliud. Pag. 432. l. 20. orat. l. erat. Pag. 517. lin. 31. Prosperi, l. Prosper. Pag. 520. l. 41. quo opere, l. quæ opere. Pag. 616. l. 12. Petri, l. Petro. Pag. 631. l. 42. anama, l. anathema. Pag. 640. l. 33. & nos, l. ut nos. Pag. 643. l. 13. correctione l. correctioni. Pag. 656. l. 3. Splatarensis, l. Spalatensis. Ibid. l. 46. cossus, l. ccetus. Pag. 763. l. 52. sacro-sancto, l. sacro-sancta. Pag. 778. l. 38. publice, l. publica. Pag. 841. l. 5. impossibile, l. possibile. Pag. 864. l. 21. peccatoribus, l. pectoribus. Pag. 915. l. 48. Juda, l. Judæa. Pag. 954. l. 3. id evenit, l. inde evenit. Pag. 963. l. 40. successorem, l. successionem. Pag. 972. l. ultimæ destinanus, l. destinavimus. Pag. 973. l. 32. quæ fungebantur, l. qua fungebantur. Pag. 981. l. 20. filii, l. fili. Pag. 985. l. 29. si quæ, l. sed quæ. Pag. 989. l. 55. tabernacula, l. gubernacula. Pag. 1032. lin. 59. depopulantes, l. depopulante. Pag. 1047. l. 53. institutum, l. institutam. Pag. 1099. l. 7. vos, l. nos. Pag. 1105. l. 35. pateremur, l. pateremur. Pag. 1115. l. ult. in honoras, l. inhonoras. Pag. 1137. l. 1. Aquitanensis, l. Aquinacensis. Pag. 1172. lin. 37. anteaque, l. anteaquam. Pag. 1238. l. 5. sufftaganus, l. suffraganeus. Pag. 1259. l. 56. domi, l. domini. Pag. 1328. l. 12. securais, l. securius. Pag. 1433. l. 56. ipsis, l. ipsi. Pag. 1478. l. 45. & tunc, l. extunc. Pag. 1516. l. 3. hinc, l. huic. Pag. 1544. l. 2. vestimenta, f. testamenta.